IOANNIS FRANCISCI PICI, MIRANDULAE DOMINI, CONCORDIAEQUE COMITIS, AC PRINCIPIS,

omnium literarum, & humanitatis artium peritissimi: viri incomparabilis, & Philosophi, omni tàm Poëticarum, Logicarum, quàm Physicarum, Philosophicarum, Theologicarumque artium & rerum eruditione genereque excellentissimi,

Opera quæ extant omnia:

IAM PRIDEM SUMMA CURA, AC SINGULARI STUDIO postliminio reuocata, pristinæque libertati restituta: ac in Corpus vnum collecta.

Catalogum versa pagina monstrabit.

Tomus Secundus.

His adiecimus
Rerum, Verborum, Sententiarum, Dogmatum, atque Authorum, quorum suffragia & opiniones allegantur,
INDICEM,
magno labore & nixu collectum, copiosissimum.



Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Majest.

BASILEÆ,
PER SEBASTIANUM HENRICPETRI.

OPERVM

IOANNIS FRANCISCI PICI

Mirandulæ Domini, & Concordiæ Comitis, quæ in hoc Volumine continentur,

ELENCHVS.

1



PRIVILEGIVM LEONIS X. PONTIFICIS MAXIMI DE EDITIONE LIBRORVM IOANnis Francisci Pici Mirandulæ Domini & Concordiæ Comitis.

DILECTO FILIO LEO X. PONTIFEX MAXIMVS, Ioan. Francisco Pico Mirandulæ Domino & Concordiæ Comiti.



ILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem: nobis semper peculiare fuit (quod & domus nostra quoq; antea obseruauit) eos homines libenter & amplecti & fouere, qui aliqua doctrinæ & virtutis conditione præstarent, inter alios verò omnes familiam tuam cum suo ipsius splendore & nobilitate, tùm Ioannis Pici patrui tui excellentia, qui vir multiplici scientiarum genere vnicus sua ętate atq; conspicuus cum gratiæ memoriæ Laurentio Medice nostro secundùm carnem genitore coniunctissimè ac familiarissimè vixit, omni beneuolentiæ studio & dilectionis officio sumus assiduè prosecuti. Huc item accedit, quòd tu summo ingenio, summaq; eruditione prǽditus à tuis maioribus nusquàm degenerando, sed eorum vestigijs egregiè insistendo, dignum te ac idoneum præbes, vt non modò antiquæ inter nos amicitiæ vinculum retinere, verùm etiam amorem nostrum & paternam in te tuosq; charitatem maiorem in modum excitare indiesq; augere possis, quippe qui omnibus operib. per ipsum patruum tuum compositis, quæ morte præuentus partim fortè imperfecta, partim inemendata reliquerat, tuis etiam, quæ ipse multa & egregia edidisti, simul perfectionem limamq; adhibuisti: eaq; (velut nobis dilectus filius noster Hercules sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis de Rangonibus tuo nomine retulit) ad communem vsum studiosorum (quibus nos in primis fauemus) magis castigata, quàm antea in lucem edere & publico donare, ac vt emendatiora nitidioraque exeant, conducto calcographo in oppido tuo Mirandulæ proprijs sumptibus, te etiam pręsidente imprimenda constituisti. Sed quia vereris, ne si ipsa volumina inconsultò prodirent, ab aliquibus alijs in honoris tui pręiudicium & damnum statim denuò imprimerentur: Curasti nobis per Cardinalem præfatum humiliter supplicari, vt tibi de remedio opportuno benigniter prouideremur. Nos autem huiusmodi supplicationibus inclinati, cupientes (quãtum cum Deo possumus) honestis tuis votis annuere pariterq; indemnitati consulere vt promptiùs, & securiùs tàm laudabile Opus peragendum aggrediaris: omnibus & singulis Christianam fidem vbilibet profitentibus sub excommunicatione latæ sententiæ, à qua nemo absolui, nisi per Romanum Pontificem, prælerquàm in mortis articulo satisfactione præuia possit: nostris verò subditis etiã ducentorum aureorum, & amissionis ipsorum voluminũ accusatoribus pro medietate, & cuicunq; tibi placuerit, pro reliquo applicandorum statim & de facto per quemlibet cuiuscunq; cõditionis & gradus contrafacientem incurrendis, & irreuocabiliter exigendis pœnis, per præsentes expressè inhibendo mandamus, ne quisquam sub aliquo prætextu vel quæsito colore huiusmodi tua & patrui tui opera, & libros per te, vt suprà, publicandos, quoad vixeris, absq; tuo expresso consensu, & concessione per se vel alios imprimere, aut imprimenda locare audeat vel præsumat. Mandantes omnibus & singulis nostris, & sedis Apostolicæ legatis, Prolegatis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ordinarijs & eorum vicarijs ac alijs quibuscunque, ad quos spectat, spectareque poterit quomodolibet in futurum: vt tibi in præmissis, quoties opus fuerit, & à te vel tuis mandatarijs ad hoc destinatis fuerint requisiti, in virtute sanctæ obedientiæ omni opportuno fauore & auxilio pro nostra etiam, & huius sanctæ Sedis reuerentia adesse, & assistere debeant. Et ne de inhibitione & mandato nostro huiusmodi ignorari contingat, volumus harum exemplum in quolibet primo dictorum librorum folio ad verbum imprimi & apponi, eiq; ac si præsentes sub anulo Piscatoris signatę forent, fidem indubiam per quemlibet haberi, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisq; contrarijs non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die 10. Aprilis 1519. Pontificatus nostri anno 7. A tergo. Ia. Sadoletus.

IOANNIS FRANCISCI PICI VITAE ET MORTIS EX VARIIS AVTHORIBVS DESCRIPTIO.



OANNES Franciscus Picus Mirādulæ Dominus, Concordieq; Comes, Princeps optimus, ingenio admirādo fuit præditus, is post obitū Galeotti filij Ioannis Pici principatum adeptus est, cui & Ludouicus atque Federicus fratres natu minores fuêre. Diu quidem Ioannes Frāciscus Picus, & Ludouicus de principatus possessione inter se dimicârunt, adeò etiam vt Ludouicus opere studioq; Herculis primi Ferrariæ ducis, pulso Ioanne Francisco Pico, ditione potiretur. Ioannes Franciscus quum iam per nouennium in exilio miserè vixisset, tādem, mortuo Ludouico, Iulij secundi Pontificis Maximi auxilio eam recepit, anno Salutis recuperatæ cIↃ. IↃ. x. Eiecta nimirum Francisca Ioannis Iacobi Triuultij notha filia, Ludouici vidua, Galeottiq; secundi pueri ex illo nati matre. Sed mox anno supra millesimum quingentesimum, duodecimo post Rauennatem pugnam Socialis exercitus Iulij secundi Pontificis Maximi, & Ferdinandi Arragonij, cum Ludouici duodecimi Franciæ regis copijs, Franciscam filiam, Ioannes Iacobus Triuultius redūxit. Deinde quum Italia pulsi ab Heluetijs & Venetis (opera Iulij secūdi Pontificis) essent Galli: Ioannes Franciscus iam biennio extorris, auctoritate Cardinalis Gurcēsis Maximiliani primi Imperatoris restitutus est: & principatum exin ad annū à Christo nato cIↃ.IↃ.xxxiii.tenuit, quum mense Octobri à Galeotto Ludouici filio, qui per dolum cum armatis quadraginta noctu in arcem irrepserat, ad imaginem Christi crucifixi prouolutus, & nihil nisi Iesum vti opem ferret inclamans, crudelissimè trucidatus est: occisusq; tum etiam Albertus filius. Ioanna verò Carrafa vxor cum Paulo filio, Carlottaque Vrsina, Ioannis Thomæ, Ioannis Francisci, & Ioannæ filij, coniuge cum omnibus liberis in carcerem detrusa.

Immēsam profectò iacturam in acerbissimo illius viri casu grex Literatorum fecit: etenim omnium literarum apprimè peritus, linguæq; Græcæ, Hebrææ, Chaldææ, Arabicæ, ac omnium Latinitatis artium, Poëticæ, Logicæ, Philosophiæ, Theologiæque gnarus: quemadmodum æditis abundè scriptis est testatus.

Statura procera, colore lacteo, vultu prolixiore, naso aquilino, flagrantibus oculis fuit. Preterea disertus, in iudicando sanctus ac iustus, totaq; vita integerrimus, in promittendo constans, Catholicus, & verus Christianæ pietatis cultor, animi sui motum ad diuina consilia semper moderans, nec vnquam in aduersis queribundus: quanquam grauissima illi tempora permulta inciderint, quæ cum gratiarum actione Christiana perpetuo tulit.

DE

DE VITA ET OBITU IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDULAE DOMINI, CONCORDIAEQUE COMItis ac principis per Paulum Iouium, &c.

IN Ioanne Francisco Pico Mirandulano, inter studiosos bonarum artium, scribendiq; auidos memoria verborum vehementer excelluit: sed in ipso rerũ delectu, illud perlustre iudicium, quod summo viro Hippocrati maximè difficile, existimatur, omnino non viguit. Frustra enim ad Ioannis patrui gloriam aspiranti, ingressoq; grauissimorum studiorum penetralia, quum insatiabili lectione duceretur, nusquam Minerua satis arriserat. Extant eius sacra poëmata, suis quoq; commẽtarijs illustrata, ne legentibus minus clara viderentur: & libri de veritate fidei christianæ, in quibus disciplinarum omnium aceruus eminet. Sed acriter disputantem inter cucullatos, magna etiam expeditæ doctrinæ laus sequebatur, quum scribentem, vel mediocriter eloquentes minimè probarent. Neque enim quid potissimum imitaretur, constitutum habuisse videri potest ex duobus præsertim libellis, de optimo imitationis genere ad Bembum perscriptis. Sed quum in omnibus ingenij operibus Sacras literas, religiosè respiceret, contempsisse Latinæ facundiæ flores, atq; inde gloriam tanquã inanem existimari voluit; quanquam eius vniuersa literarum studia, tanquam illustri in homine, & in domo sanctissimis moribus perornata, quum in minus seueros iudices facilè inciderent, splẽdidiora viderentur: & herclè vir antiqua simplicitate, potiùs quàm nouo astu ęquiora iudicia redimebat; quum libros ipsos priuato impressos sumptu, liberali largitione publicaret. Interfectus est cum Alberto filio, vir indignus adeò crudeli vitæ exitu, à Galeotto fratris filio, quum nocturnis insidijs, capta arce, Mirandulæ dominatum, ex paterno iure inuadendum existimasset.

MYRTEI:

Hic Picus iaceo, atq; me illa, quæ iam
Ante non potuêre, nunc iniqua
Me seruant obitu arma literarum.
Aegrè illud fero concidisse, dextra
Fratris filij, hoc eleuor, me adeptum
Vitam pro studijs meis perennem.

LATOMI:

Passus es immeritam (quis enim Francisce negârit?)
Non minus insigni cum feritate, necem.
Sed iuuat interea sciolos inquirere quosdam,
Exitio quæ te Fata dedisse putent:
Sunt ea: laudatur pietas sanctissima vitæ:
Verus amor recti, mens sine felle mali.

IACOBI RYTERI:

Virtuti viuens, Christo, sanæ fideiq;
Franciscus stirpis gloria magna suæ.
Heu duram belli subijt mortis quoq; sortem,
Nestoris hic annos viuere dignus erat.
Nobilis hic doctus princeps fuit atq; fidelis
Iustitiæ cultor & pietatis amans.
Mortuus est, mundum & periturum semper iniquum
Liquit, & ingressus regna beata Dei.
Inq; suis viuit libris, & in ore piorum,
Viuit & in cœlis, viuit apudq; Deum.



CATALOGVS DOCTORVM VIRORVM, OMNIVM FACVLTATVM EX DIVERSIS NATIONIBVS, VLTRA DCC. AVCTORUM, quorum sententiæ, dogmata, opiniones in omnibus operibus Ioannis Francisci Pici, Mirandulæ Domini & Concordiæ Comitis, allegantur & exponuntur, aque mendis repurgantur, & iuxta normam veritatis vel refutantur vel confirmantur.

A


Baris Hyperboreus
Abbaus magus
Abraham Auenezra
Abraham Iudæus doctor Astrologiæ
Abraham patriarcha
Abubachesis
Acarnanes mathematicus
Achinas Hebr. doctor
Acmon philosophus
Acron Agrigentinus
Adelandus astrologus
Adrastus Aphrodisæus
Adulphus Phrisius
Aegesius
Aegidius Romanus
Aenesidemus
Aeolus. Aeschines
Aeschilus. Aesculapius
Albategnius
Albertus Magnus
Albinus Platonicus
Albumasar astrologus
Alchindus magus
Alchman. Alchmeon
Alcinous Platonicus
Aldus Manutius
Alexander Aphrodisæus
Mindius
Polyhistor
Alexander III. Pontifex
Alexinus philosophus
Algazel astrologus
Algazeles philosophus
Allacenes philos.
Almachmam philosophus
Almadad Arabs
Alpetragius astrom.
Alpherabius philosophus
Alphonsus Rex mathemat.
Ambrosius S.
Amelius. Ammonius
Amos propheta
Amphiaraus Vates
Amphilochus augur & Rex
Anacharsis philosophus
Anacreon poëta
Anania propheta
Anastasius Pontifex
Anaxagoras philosof. Clazomenius
Anaxarchus philosophus
Anaximander Crates
Anaximenes philosophus
Andreas Summarius
Andronicus Peripateticus
Anebo Aegyptius
Anesidemus
Angelus Politianus
Anshelmus Archiepiscopus
Antiochus Stoicus
Antisthenes philosophus
Antoninus pius Augustus
Antonius Abbas
Antonius Fauentinus
Apelles pictor
Apellicon Teius
Apis legislator
Apollo Hyperboreus
Apolloniates philosophus
Apollonius
Apollophanes astronomus
Aponensis astrologus
Apostoli
Apellicon adastor
Appion. Apuleius
Arabes philosophi
Aratus astrologus
Archacel Maurus astrologus
Archedemus philosophus
Archelaus philosophus
Archesila philosophus
Archia legislator
Archita Pythagoræus
Aristander ariolus
Aristarchus mathematicus & philosophus
Aristeus Proconesius
Aristippus Cyrenaicus
Aristocles peripateticus
Ariston philosophus
Aristophanes poëta
Aristoteles
Aristoxenus philosophus, Musicus
Arnoldus Hispanus
Arianus philosophus
Arrius hæreticus
Artephius philosophus admirandus
Arthemidorus
Asclepiades medicus
Asinius
Asmadalis dogmatista
Aspasius. Aspius philosophus
Athanasius. Athenæus
Athenagoras Argiuus
Athenagoras Atheniensis
Athlantici theologi
Atticus philosophus Platonicus
Attilius. Auebones philosophus
Auenpaces
Auerroes philosophus
Augustinus Anconitanus
Augustinus D. Hipponensis episcopus
Auicenna
Aureolus
Azarchiel mathematicus.

B

Balaam ariolus propheta
Baldus legum interpres
Baptista Cortesius
Baptista Mantuanus de monte Carmeli
Barnabas Ecclesiastes
Bartholomæus Anglicus
Bartholomæus Faustinus
Basilides. Basilius
S. Benedictus
S. Bernhardus abbas
Bernhardus Michelottius
Bernhardus Florentinus
Berosus
Bessarion Cardinalis
Bion astrologus
Biriteus philosophus
Bithynus Asclepiades
Blearchus
Bochoris legislator Aegyptiorum
Boëthius. Bogus augur
Bonauentura scriptor ecclesiasticus
Bonetus mathematicus
Brachmanni Indorum sapientes
S. Brigitta. Brutus
Brysson dialecticus
Burleus philosophus
Bytis propheta
Byzantinus Rhetor.

C

Cadmus literarum inuentor
Chalcedonense concilium
Calchas
Calimachus. Caliphus
Calippus astrologus
Cameracensis Cardinalis
Campanus Gallus
Capreolus interpres
Carneades philosophus
Carondas Magus
Carpus Cretensis episcopus
Cassander magiæ irrisor
Cassianus. Cassiodorus
Castor rerum Atticarum scriptor
Cato maior
Cebes Socraticus
Cephisiodorus. Chaldæi
Charas grammaticus
Charmidas Rhetor
Charondas legislator
Cherintus hæreticus
Chilo philosophus
Chrisippus Stoicus
Chrisostomus
Christophorus Baiulus Saxolus
Christus Iesus
Cicero. Citicus philosophus
Claudianus
Cleanthes philosophus
Clearchus peripateticus
Clemens Alexandrinus
Cleombrotus philosophus
Cleon Dausius insomnis
Clystenes legislator
Clytomachus Platonicus
Cœlius Calchaginus
Colophonius. Columella
Conradus Peutinger Iurisconsultus
Constantiense concilium
Constantinopolitanum concilium
Cornelius Celsus Medicus
Cornutus philosophus
Crantor philosophus
Crates grammaticus
Cratippus. Critias

Crito.

AVTHORES IN HOC OPERE CITATI.

Critolaus. Curtius
Cynops magus
Cyprianus Carthaginensis
Cyrenaici philosophi.

D

DAmascius Stoicus philosophus
Damasus Papa. Damigeron
Daniel propheta
Dauid Rex & propheta
Demachus historiographus
Demades Rhetor
Demetrius Chlorus
Phalerius
Democritus philosophus
Demonax legislator
Demosthenes. Dexippus
Diagoras Milesius
Dicæarchus Siculus
Didymus Alexandrinus
Dinomachus. Diocles
Diodorus Siculus historicus
Diodorus dialecticus Gonus
Diogenes Apolloniates
Diogenes Cynicus
Dion philosophus
Dionysiodorus
Dionysius Areopagita
Dionysius Thracius grammaticus
Diophantes Syracusanus
Dogmatici philosophi
Dominicus Hispanus
Draco Atheniensium legislator
Durandus.

E

EBion hæreticus
Ecclesiastes Salomon
Ecphantus academicus
Egesias
Eleatici philosophi
Electores philosophi. Empedocles
Ennelus historicus
Ennius Euemeri interpres
Ennius poëta
Ephectici philosophi
Ephesinum concilium
Epictetus. Epicurus
Epimenides mordax philos.
Epinomus philos.
Erasistratus philosophus
Eratosthenes
Erythræa Sibylla
Esaias propheta
Esculanus. Esdras
Eubulides Milesius
Eubulius Historicus
Euclides Megarensis
Eudemonicus philosophus
Eudemus Chius
Eudoxus Gnidius
Euhemerus philosophus
Eumelus philosophus
Euripides. Euritus philosophus
Eusebius Cæsariensis episcopus
Eustathius. Euthydemus
Ezechiel propheta.

F

FAbius orator
Flauius Vopiscus
S.Franciscus ordinis minorum institutor
Franciscus Assisinus
Maroneus
Frontinus
Fulgentius.

G

GAlenus
Gangrense concilium
Gangetius
Gellius
Georgius Genistus
Georgius Merula
Glaucius. Gratianus
Gregorius Ariminensis
Gregorius Nazianzenus
Nyssenus
Gregorius Papa. Grisogonus
Guido Bonatus mathematicus
Gulielmus Auernus
Gulielmus Anglicus episcopus Parisiensis
Gymnosophistæ.

H

HAly astrologus
Hammonius
Hasdai Heb.Rab.
Hecatæus philosophus. Hecaton
Hegesias philos. Helenus Vates
Helicon Ciciceus
Hellanicon
Helisæus propheta
Henricus Gandauensis
Henricus Hassus
Herillus. Hermagoras
Hermes. Hermias
Hermippus
Hermolaus Barbarus
Herodianus. Herodotus
Herophilus Chalcedonius
Herueus philosophus
Hesiodus poëta & theologus
Hester. Hieremias propheta
Hierocles Pythagoreus
S.Hieronymus
Hierophilus. Hilarius
Hipparchus astronomus
Hippasus philosophus
Hippocrates
Hippodomus Ethicus
Hipponax. Hippon
Homerus
Honoratus. Horatius
Hostanes magus
Hoychilax astrologus
Hyginus Mathematicus
Hyperboreus magus
Hyperides.

I

IAcobus Apostolus
Iacobus Faber Stapulensis
Iacobus patriarcha
Iacobus Foroliuiensis
Iamblichus Platonicus
Iatraleptica secta
Icetes Pythagoreus
Idæus Imereus
Idmon Vates
Iesus Syrach
Ignatius martyr.
Indi Brachmanni
Iob. Ioel
Ioannes Anachorita propheta
apostolus & Euang.
Bacon Carmelita
Baptista
Britannus
Calon
Canonicus
Cassianus
Damascenus
Gerson
Grammaticus
Machaonius
Mainardus
Marlianus
Picus Mirandulanus
Pontanus
Pontifex
de Regiomonte
Reuchlin
Scolasticus abbas Scotus
Ionas
Ionij philosophi
Iosephus. Iosippus
Irenæus
Isaac Israëlita
Isacius Iochannæ Heb.
Isidorus. Isocrates
Itali philosophi
Iudas apostolus
Iudith liber
Iulianus apostata
Iulianus Iurisconsultus
Iulius Cæsar
Iulius Capitolinus
Iulius II. Pontifex
Iustinianus
Iustinus martyr.

L

LAbeo Platonicus de legibus
Lactantius Firmianus
Lacydes philos. Cyrenæus
Laërtius. Lampridius
Lateranense concilium
Laurentius Valla. Leander
Leo decimus Pontifex
Leo Hebræus
Leon philosophus & Rex
Leopoldus. Leucippus
Libanius. Lilius D.
Linus poëta
Longinus Platonicus
Lucanus
Lucas Euangelista
Luchinus. Lucianus
Lucilius. Lucius
Lucretius
Ludouicus Carrus Medicus
Ludouicus Lycimnus
Lycurgus. Lysias rhetor
Lysippus. Lysis.

M

MAcedonius hæreticus
Macharius theologus
Machon Comicus
Macrobius
Magentenus Mitylenæus
Magusæi astrologiæ & magię inuentores
Mahomet
Malachias propheta
Mallius poëta
Manetes theologus
Aegyptius
Manichæus hæreticus
Marcus Antoninus philos. Imp.
Marcus Euangelista
Marcus Varro
Marianus theologus
Marinus Platonicus
Maro poëta
Marinus V. Pontifex
Marsilius Ficinus
Maternianus magus
Maternus astronomus
Matthæus Bossus
Matthæus Euangelista
Matthæus Longus. Maximus Tyri.
Megasthenes historiographus
Melampus philos. mirabilis
Melissus philosophus
Melitus
Menander hæreticus
Mercurius Trismegistus
Mesonius. Messahala

Meta-

AVTHORES IN HOC OPERE CITATI.

Metapontinus
Metrodorus Chius
Michaël Ephesius
Michaël Psellius
Micheas propheta
Minus Cretensium legislator
Mnasea Scepticus
Mnemarchus. Monim' philosophus
Montanus hæreticus
Moschus Phenitius philologus
Moses Aegyptius
Moses propheta & legislator
Moses Narbonensis
Musæus filius Orphei.

N

NAthan propheta
Nausiphanes philosophus
Neantes. Neleus Scepsius
Nerateus. Nicæas Syracusius
Nicernis
Nicolaus Cusanus
Nicolaus Siculus abbas Panormitanus episcopus
Nigidius
Numenius.

O

OCellus Leucanus
Oenomaus Græcus philosophus
Oenopius Chius
Olympiodorus Alexandrinus
Onomacritus
Ophiogenes
Origenes. Orpheus
Ouidius.

P

PAchemerus
Pagninus Lucensis
Pagondes legislator
Panætius
Panxasis poëta. Panthoicles
Papias episcopus Hieropolitanus
Paralipomenōn libri
Parisienses theologi
Parmenides
Paroxenus Græcus
Patrum scripta
Paulus Aegineta
apostolus
Florentinus
Eremita
iurisconsultus
Soncin.
Pentateuchos
Peripatetici. Persius
Petrus Abelardus
Cardinalis Cameracensis
Aponensis
apostolus
Aureolus
Bembus
Crinitus
Garsias
Lombardus
Tarantesius
de trabibus
Phanias Eresius
Phasius Timon
Phauorinus philosophus
Phemonoë vates
Pherecrates phthiota
Pherecides Syrus
Philarchus
Philippus Cous. Philo Castor
Philo Iudæus Alexandrinus
Philolaus
Philomelus Scepticus
Philon dialecticus
Philoponus
Philosophus leno & censor
Philostratus
Philoxenus musicus
Phlegon. Phœnix Proteus
Pindarus. Pisistratus
Pittacus legislator
Pius II. Pontifex Maximus
Plato. Plautus. Plethon
Plinius. Plotinus philosophus
Plutarchus
Pœnus acutus philosophus
Polemon. Pollux
Polyanthus Cyrenæus
Polycarpus episcopus
Polyenus mathematicus
Pomponius Iurisconsultus
Ponticus Heraclides
Porphyrius. Possidonius
Prædicatores
Praxagoras Cous
Praxiteles. Priscianus Lydius
Priscillianistæ
Proconnesius magus
Proclus philosophus
Procopius historicus
Proculus Platonicus
Prodicus philos. Chius
Prometheus. Protagoras
Proteus vates
Prudentius Sedulius. Psellus
Ptolemæus astrologus
Mendesius
Peripateticus
Pyrgoteles. Pyrrhon Scepticus
Pythagoras
Pythia prophetissa.

Q

QVintilianus.

R

RAbanus
Rheginus Hippus
Richardus theologus
Robertus Holkoth
Robertus Lynconiensis
Rogerius Bacon
Romana philosophia
Ruffinus de Ecclesia Aquilegiensi
Ruffus episcopus. Ruch liber.

S

SAbellius hæreticus. Sadoletus
Salomon Rex sapiens. Salustius
Sammanei philosophi
Samuel propheta & Iudex
Sceptici philosophi. Scipio
Sebastianus martyr
Secundus philosophus
Seleucus mathematicus. Seneca
Serapio abbas hæreticus
Sesochin legislator
Seruius interpres. Seuerianus
Seuerinus Platonicus
Sextus philosophus Pyrrhonius
Sibyllæ decem
Sigismundus Vrbinas
Simonides. Simplicius
Socrates. Solon
Sophocles. Sophonius
Sosigenes. Soterichus
Speusippus. Staphylus
Stesichorus. Stoici
Straton. Suidas
Syenensis Cyprus
Symmachus. Syrianus
Syrus.

T

TAcitus
Tages haruspex
Tallus
Tarentinus
Tatianus
Tauriscus
Telesarchus
Terentius
Thales Milesius
Thalmudistæ
Thebanus
Thebit astronomus
Themiso
Themistius
Theodatus tragicus
Theodoretus philosophus
Theodoritus episcopus
Theodorus atheus
Theodorus Cyrenæus
Theodorus Metochita
Theodosius Imperator
Theognides
Theon discipulus Ptolemæi
Theophilus Græcus
Theophilus Stanga
Theophrastus
Theriacus astronomus
Thespion Gymnosophista
Thomas Aquinas
Thomas Garbius
Thomas Picus Ioannis filius
Tiberius Cæsar
Tibullus
Timæus Locrensis Taurominitanus
Timon μισάνθρωπος Atheniensis
Timon Philasius Scepticus
Timotheus Musicus
Tiresia philosophus
Tithoreus Stoicus
Tobiæ liber
Toletana synodus
Tranquillus
Triphon
Trogus Pompeius
Tyanæus Apollonius
Tyrannion grammaticus
Tyresia vates.

V

VAlerius Flaccus
Vergilius
Victorinus Pictauiensis
Vitruuius architector
Vgolinus Verinus Florentinus poëta
Vdalricus Zasius
Vlpianus Iurisconsultus
Vrbanus Papa.


X

XEnarchus
Xeniades Corinthius
Xenocrates Socraticus
Xenophanes Colophonius
Xenophon
Xerxes legislator
Xystus IIII. Pontifex.

Z

ZAcharias propheta
Zaleucus legislator
Zamolxis
Zaradus legifer
Záretha Chaldæus
Zenobius Acciaiolus
Zenon philosophus
Zoroaster magus.

RERVM



RERVM MEMORABILIVM, VERBORVM, SENTENTIARVM ELEGANTIORVM,

authorum siue scriptorum, quorum suffragia & opiniones allegantur,

IN

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI, ET CONcordiæ Comitis,

omnibus Operibus huius secundi Tomi contentorum

INDEX locupletissimus.

A.

animæ

volumina

astrolo-

C

cui

colo=

cyprianus

demophoon

F

multã

henri=

hirundi=

de Indis

mutatic

per Præ-

Q

sceptica

V

à rusticis

de Visu

FINIS.



IOAN. FRANCISCI PICI MIRANDVLAE,

De Studio Diuinæ & humanæ Philoſophiæ,

LIBRI DVO.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA ALBERTO PIO S.



EMINI ſuperiore æſtate dum vnà de literis loqueremur, nonnullos eorum qui Philoſophiæ incumbunt, abuſus recenſuiſſe: Et illorum præſertim, qui ſe totos gentilium literis mancipāt. Quod (cū inter eas verſatus eſſem verſarerq́;) non ſecus à te exiſtimare poteram acceptum, quàm à Simonide verba Hieronis recenſentis incommoda Tyrannidis, quam & affectauerat & adeptam retinebat. Niſi occurriſſes ſtatim veniſſesq́; in ſententiam, ingenuè & liberè confitens, te non pauca ex iiſdem ſtudiis perpeſſum incommoda, magnaq́; circumſpectione opus eſſe, ne huiuſcemodi exercitiis rectæ vitæ inſtituta mollirentur. Ex hac colloqutione ad ſcribendum excitatus, de Diuinæ Humanæq́; philoſophiæ ſtudio libros duos confeci, hos tibi mitto dicoq́;, in quibus videre poteris, quantum diuinæ literæ ſint expetendæ, quantumq́; Philoſophaſtri quidam exorbitent, qui eis cōtemptis, humanas adorant, quibus ſi vterentur, aliquò eſſent emolumento, cùm abutantur magno detrimento non eſſe non poſſunt. Dignum certè vt ſtudiorum meorum te aliqua ex parte participem faciam, vtpote quem mihi & ſanguinis neceſſitudo deuinxit, & mutua conſuetudo atque amor firmiſſimè copulauit,

Vale, Mirandulæ, Nono Kalendas Ianuarias.

M. CCCC. XCVI.

INDEX CAPITVM LIBRORVM IOANN. FRANCISCI PICI MIRANDVLAE,

De Diuinæ & Humanæ philosophiæ studio.

CAPITA I. LIBRI.

CAPITA II. LIBRI.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ IN LIBROS

De Studio Diuinæ & humanæ Philosophiæ,

PROOEMIVM.





ERVM notitiam ita ab initio dilexit antiquitas, vt ea hominis bona quæ fortunæ nuncupantur, & corporis posthabenda duxerit, vt hoc vnum assequeretur, tantum scilicet inueniendi veri cupiditas apud humana ingenia valuit. Ad diuersa tamen inuestiganda, vt sua cuiusq; ferebat animi propensio, diuersi animum appulerunt. Placuit tum mundo negotium hoc, & qui tali animo fuére instituti, apud suas quisq; nationes in pretio sunt habiti. Et pro regionum gentiumq; varietate varia nomina honorataq; sortiti sunt. Græci à quibus & liberales artes, & scientiæ magna ex parte, ad nos manârunt, eos omnes quos præcellenti cognomento sapientiæ dignati sunt, σόφους *appellabant. Priusquàm Pythagoras Samius inuestigandis rerum causis solertißimus atq; in componendis moribus studiosus, à Leonte Phliasiorum tyranno, quem se profiteretur rogatus esset (Sophi enim tum nomen in philosophum conuertit) modestiæ causa se amatorem sapientiæ, quàm sapientem nominare malens. Ab eo tempore ferè omnes qui remotiores causas & naturæ secreta sunt sciscitati, eadem etiam nomenclatura vocitati sunt. Adeoq; illius nominis consuetudo increbuit, vt quæq; humana placita literis tradita atq; ad excolendum animum opportuna vno philosophiæ ambitu contineri nonnullis sit persuasum. Verùm dum inter antiquos veri Dei cultores, non hominum inuenta, sed diuina mandata literis exarata legerentur: à gentibus illis quæ summi Dei ignorantia caligabant fictitiosq; colebant Deos, non probè sunt agnita, existimata tamen plurimi. Namq; non parum multas sententias inde decerptas in sua commentaria transtulerunt, nomen ipsum diuinæ legis venerantes, quanquàm sensui præceptisq; sanctißimis non audierunt. Libros autem illos diuinorum post Christi aduentum, vtpote qui pluribus vmbris offusi fuerant, instrumenti noui radius illustrauit, multa addens, pleraq; declarans, & veluti postrema forma rudem adhuc materiam existentem, sub priori omnibus numeris, non consumata perfecit. Seminato deinde per orbem Euangelico grano multi, non modò ex Hebræis legis ipsius periti, sed ex Gentibus etiam philosophi celebres veram cognoscentes alimoniam Christiani effecti, eas quas priùs didicerant literas ad cultum salutiferæ doctrinæ contulerunt. alijs, hoc est, hæreticis ad perniciem demolitionemq; catholici dogmatis laborantibus. Mixta ergo post Christi aduentum vtraq; philosophia diuina scilicet & humana, quanquàm & ea quam vocamus humanam, quandam habeat portionem, cui diuinum nomen impositum est. Nam quæ de separatis à materia substantijs loquitur, & metaphysicam & primam philosophiam & diuinam nuncupauêre. Nos autem humanam appellandam censuimus, tum quòd humano ad Deum gradu promouet, hoc est, initio & adminiculis sensuum, tùm quòd paucula quæpiam de Deo rimata est. Sacræ verò literæ, quæ diuina philosophia, verè nominatur, retrogrado procedunt ordine. Nam & à Deo exordiuntur, & in Deum finiunt, & semper de Deo loquuntur, nihilq; pertractant quod ad ipsius cultum in hac vita, & in alia ad fruitionem non pertineat, nec humano ingenio comprehensæ, sed reuelatæ diuinitùs, vt ad veram æternamq; sapientiam, quæ nihil aliud est quàm Deus, perueniremus.*

Hæc omnia mecum ipse cogitans & sæpè dolui, & cum pluribus etiam sum conquestus, quando in literarum studio, pars magna hominum exorbitat. Qui cùm per hos quasi literarum gradus ad supernam patriam conscendere deberent, aut in primo considunt, aut paulisper promouentes, dum opus esset progredi, ordine præpostero descendunt, nunquàm humanæ philosophiæ

caliginem oculis excutientes, nunquàm ad lucem diuinam dirigentes intutum, & quod peius, nunquàm aut ægrè per puri animi ardentem affectum veram ſapientiam, id eſt, Chriſtum cõplectentes. Dixi gradus literarum, quoniam multi ex his qui literas non nouerunt, amoris alis illuc demigrant, quo nulla charitatis expers doctrina ingreditur. Aliud quoq; peccant nonnulli, qui adeò humanam philoſophiam extimeſcunt ab eaq; abhorrent, vt omnino ei ſtudere nephas arbitrentur, quibuſdam malè intellectis authoritatibus permoti (ſed hi pauciſsimi) plures illi qui adeò eius amore inſaniunt, vt ſacras literas aſpernentur, in easq; garriant, & tanquàm aniles fabellas reputent obloquanturq; in religionem, pulchrum putantes & decorum philoſophis errore impietatis inuolui, cũ nihil magis à philoſophi officio ſit alienum. Quapropter breui commentariolo quæpiam de vtraq; philoſophia perſtringere ſtatui, & quantum earum ſtudium prodeſſe poſsit, ſi rectè, quãtum obeſſe, ſi perperam pertractetur, oſtendere, quatenusq; in humanam philoſophiam ſe ingurgitare homini liceat. Monſtrabimus finem eius non rectè poni niſi in adeptione diuinæ, quæ illã numeris omnibus ſupergreditur. Demùm probabimus inanem eſſe conatum noſtrum niſi tàm hac quàm illa ad Dei contemplationem, & amorem capeſſendum vſi fuerimus. Quod exequentes non ardua nimis moliemur, ſed tàm traditu quàm captu facilia, quantùm noſtra tulerit infirmitas, perſcribere conabimur.

IOAN.





IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE,

DE STVDIO DIVINÆ, ET HVMANÆ Philoſophiæ,

LIBER PRIMVS.

Cap. I.

OMNEM SCIENTIAM NOTITIAM'VE, PER SE bonam eſſe, ſed fieri poſſe malam ex accidenti.



RACTATVRVS igitur quomodo diuina humanaque Philoſophia excolenda ſit, inſpiciẽdum arbitror in primis, an omnis ſcientia notitiave veri, quocunq; ea nuncupetur nomine, bona ſit an mala, expetenda an fugienda. Diſcutienda quippe priori loco vniuerſaliora communioraq; ænigmata, vt euidentiùs principalis Scirpi reſolutio conſtet. Nec ego ad præſens diſcuſſerim quid doctrina à diſciplina re nominéve diſſentiat, quid ſapientię nomine importetur, quid diſtet à ſcientia, quid ſibi exactiſſimè velit Philoſophię nomen, & cætera id genus, cùm promiſcuè hæc omnia nomine Philoſophiæ concludi poſſint. Hæc paucula præmiſerimus, ne quiſpiam importuna moroſitate obſtrepens ſarcire poſſit de verbo calumniam. Percunctabimur itaque an veri ipſius cognitio, ſiue ab homine inuenti, ſiue diuinitùs reuelati, obeſſe homini, præſertim Chriſtiano, poſſit, in eóq; inueſtigando aberrare contingat. Et quanquam toto opere de hac quoq; controuerſia tractandum apparet, quæpiam tamẽ in præſenti colligemus, vt commodiùs ad ea quæ tractanda deſumpſimus, deſcẽdamus. Conſtantiſſimè autem poſſum aſſerere cùm magnorum hominum præiudicijs, tùm & rationibus, quamlibet ſcientiam bonam dici poſſe, cùm ſcire ipſum ſit bonum & maximè à natura expetitum, vt teſtatur Ariſtoteles in prima Philoſophia, & ſuffragatur ratio, cùm natura nobis auiditatem mali alicuius non inſculpſerit, quando id potius in authorem ipſius naturæ, quàm in nos, reijcietur: Perfectionem quoq; naturalẽ bonam eſſe & expetendam, nemo ambigit. Quandoquidem id quod imperfectione aliqua dehoneſtatur, minimè ceſſare debet, donec eam abdicet abijciatq; nactum abſolutionem debitam. Conſenſus autem ſapientum eſt, hominem, qua homo eſt, ſciẽtia perfici. Namq; intellectus noſter, hoc eſt, propria forma qua & vegetamur, & ſentimus, & ſapimus, de poteſtate ad actum per ſciẽtiæ habitum potiſſimùm ducitur. Corpori enim cùm copulatur, ſi Ariſtoteli & noſtris Theologis credimus, veluti tabella eſt, quæ nihil in ſe depictum, nihil habet delineatum, nec intereſt an eadem anima ſit, qua vegetamur, qua ſentimus, qua ſapimus. An intellectus ſit animæ potentia, re etiam non tantùm nomine ab ipſa aut rei natura differens, vt Thomas alijq́; permulti conſtantiſſimè volunt: an potius vt alij cõtendunt, ſeorſum ſentiendum ſit. Reijcienda enim & hæc, & ſi quæ huiuſcemodi occurrent controuerſiæ, cùm ſeorſum ſint pertractandæ & ſuſcepto muneri impedimento magis quàm emolumento eſſent, illud fatendum, animam ſcientia perfici. Quod etiam confirmat diuinus Dionyſius libro de diuinis nominibus, aſſerens humanæ animæ bonum in veritatis cognitione cõſiſtere. Ariſtoteles item in Ethicis ſummum hominis bonum in cognitione ſummi veri ſtatuit: Quapropter conſequetur ipſum bonum in ipſius cõſiſtere veri cognitione.

Sed & id liquebit apertè ſi contemplemur tunc nos euadere perfectos, cùm Deo proximi ac ſimillimi quàm poſſumus efficimur, pro modulo noſtræ infirmitatis. At

cùm in eo sit omnis scientia modo quodam eminentissimo & inenarrabili, reptare paululùm erga ipsum paruulorum more videbimur, quanquam genibus terram radentes, si notiones rerum plurimarum acquisierimus. Hinc apud Platonem & Aristotelem philosophiæ laudes: hinc apud Ciceronem exuberantia præconia, apud plerosq; alios moderatiora, atq; etiam apud nostros decens laudatio. Ex his igitur liquere arbitror scientiam omnem bonam esse & expetendam.

Verùm quantum ex monumentis veterum potui colligere, philosophia ipsa multifariam ei nocere potest, qui se totum illius addixit studio, & licet per se suapteq; natura bona sit, verti eam nihilominus in nostram perniciem sæpiùs, atq; per aliud, quasiq; dixeris, ex accidenti malam fieri. Cùm ille scilicet sciendi appetitus nimis exorbitet ob defectum vitiatæ naturæ: Superbia enim vel gloria vana potest esse in causa cur scire aueamus. Potest & scientia iam habita quispiam abuti ad eiusdem gloriæ studiũ, quam veneno dixeris similem, si in proximi opprobrium cõuersa fuerit, aut in catholicæ ecclesiæ detrimentum. Illud quoq; magnopere nõ obesse non potest, cùm, vt eã quis excolat secteturq;, id officij quod ei necessariò incumbit, aut negligit aut prætermittit: Nemo autem officij alicuius expers esse potest, potissimùm Christianus homo: Cui multa vt credat, incumbũt, pleraq; vt cupiat, plurima vt operetur. In primis enim credere oportet quæ docet ecclesia: Cui obeundo muneri plus minúsve quisq; pro ordine eo aut gradu, quem in ecclesia nactus est, obnoxius redditur, vt ab alijs persæpè tum à nobis in Theorematis de necessitate & ordine credendi arbitror monstratum: Ea præterea quæ necessitates religionis concernunt, actionésve aut opera, vt rectè perpetrentur, nobis demandata minimè obliuioni mandanda. Nemo enim addubitauerit sanæ mentis diuitem eum, qui proximo prodesse & potest & debet, magnopere Dei oculos à se auertere iramq; lacessere, qui cùm rogatur, vt opis aliquid afferat egenti, subtilitate aliqua, in qua tum fortè versatur detentus, obdit auribus cæras, vnde pauperi vel mors, vel grauissimum obueniat incommodum. Pari pacto is delinquet magnoperè cui delegata est cura vt populos regat, iuuet, moderetur, si eo contempto, vel malè administrato munere, se totum inutilium quæstionum speculationi mancipauerit: Inutiles non modò eas appello quæ scitu dignæ non sunt, vel quia meræ nugæ meræq; fabellæ, vel quia sciri nullo modo possunt, & qui eas discutere vellet, irrideretur: sed illarum quoq; multas quæ quotidie in corona eorum qui profitentur literas, exagitantur: Nam id est inutile, quod finem eum ad quem est natum, minimè consequitur: Ad intellectũ autem excolendũ sunt ordinatæ, qui videlicet intellectus voluntatẽ adiuuet, vt ea bene instituta recta opera cõsumentur: Hoc enim Christiani hominis op⁹ quo niti debet in cœlũ. Quid ergo mihi an ens vniuocũ æquiuocúmve, an magis sit analogum? Quid an primum sub obtutum veniens intellectus confusius fuerit aut distinctius, substantiáne an magis accidens commune, & cætera id genus, si neglexero discere quæ debeo, & quæ operari aut posthabuero, aut frigidè executus fuero. Quare rectissimè Bernardus in commentarijs in Cantica canticorum optabat in se Dominum Iesum tantillum ordinare charitatis quod dederat, vt sic sibi curæ essent vniuersa quæ sunt ipsius, vt tamen quod sui potissimum propositi seu officij esse constiterat, ante omnia curaret. Magis ergo cauendum nobis ne mandata Dei ob traditiones hominum, imò vanas opiniones deseramus.

Cæterùm ex modo quærendi scientiam aberrare possumus, aut curiosè nimis & auidiùs quàm oportet: quod genus hominum à Seneca etiam, & à Plinio acriter obiurgatum est: Aut ea discentes quæ ne discamus, ab ecclesia cautũ est publico edicto; Aut ab his quoq; à quibus non licet, vt dæmonibus: Quorum ne socij fieremus, magister gentium enixè præcepit. Adde quòd in ipsa etiamnum reuelata sciẽtia falli quimus, si videlicet supra proprij ingenij facultatem rimari abdita satagamus, in eaq; penitùs conari quæ humanos cogitatus effugiunt, de his, quæ sola fide cognosci possunt, demonstrationes desiderando. Peccare quoq; contingit cùm ob nimium studium in valetudinem aduersam incurritur. Quapropter cùm tot mala, id quod esse bonum diximus, circumstent, delibare tutò flores literarum non datur, nisi cautè inter spinas, quibus vallantur manus, consertauerimus. Sed de his satis. Nunc an aliqua humanæ philosophiæ pars Christiano sit necessaria perscrutandum.

CAP.

CAP. II.

HVMANAM PHILOSOPHIAM NON ESSE NEcessariam Christiano, quanquàm vtilis esse potest.



CVm autem ostenderimus philosophiam ipsam seu veri scientiam bonam esse per se, & quispiam fortè compererit eam, quæ reuelata est (vt Thomas Aquinas alijq; permulti docent) esse necessariam Christiano ad capessendam felicitatem, poterit idem ambigere an etiam ea quam humanam dicimus, vtpote ab homine inuentam, & per naturæ vestigia procedentem ad beatitudinem comparandum sit necessaria. At si Christiani principale munus considerauerimus, tolletur quantotenus dubitatio: Nam id in Christo per fidem noscendo piumq; per affectum colendo consistit. Exigit namq; principaliter Christiana vita defecatum animum terrena labe, & opus ad amussim ad Dei gloriam directum: Ob hoc reuelata sunt deitùs diuina præcepta, & tam vetus quàm nouum instrumentum promulgatum. Quæ nec etiam est necesse vt singuli percalleant, sed satis est si quisq; quod ad se attinet, nouerit (vt paulò antè diximus.) Quod si quispiam contenderet, multa ad rectè ducendam vitam facientia in philosophorum gentiliũ libris reperiri, quare asciscenda nobis vt bene beateq; viuamus: Is aliquid diceret, si non perfectiùs & enucleatiùs in diuina scriptura quæcunq; sunt bona, tàm ad spectatiuæ quàm ad practicæ scientiæ partes pertinentia, continerentur, vt in calce operis colligemus: Verùm si quispiam asseueraret humanas literas ad perfectiorem sacrarum literarum eliciendã notitiam conducere, & quanquàm minimè necessarias, vtiles tamen & quoquomodo opportunas esse, ei non magnopere cõtradixerim, & si fortè aliquid possem refragari. Possem, inquam, cùm perfectè sacra eloquia percipi nequeant, nisi eo lumine quo sunt dictata, eoq; potiore, quod intellectus nostri lucerna circumfert, & etiam num sint inuenti qui optimam eorum intelligentiam sunt assecuti, licet in alijs literis ineruditi: Quemadmodum Antonius, & Barbarus ille seruus Christianus, qui plenam notitiam eorum triduanis precibus impetrauit, vt Augustinus scribit. Attamen cùm pauci ad id præfectionis culmen ascẽdant, versandæ sunt sacræ literæ nocturna diurnaq; manu, & si ita libet, vocandæ erunt externæ in famulatum, vt veluti ancillæ dominæ deseruiant, nõ imperitent, vt sacratissimos viros fecisse legimus, & omnifariæ doctrinæ luce posteros irradiasse. Earum igitur philosophiæ partium, quibus boni vtentur ad cultum diuini eloquij, hæc erit vtilitas, quòd illa & scientiæ, & eloquentiæ semina abstrusa in mysterijs, in animo studijs eiusmodi præparato copiosiùs adolescẽt, fœcundamq; segetem parient. Faciliùs enim admittitur in abdita diuinæ sapientiæ eius acumen ingenij, quod in philosophiæ liberaliumque artium studijs quasi super cote limatum fuerit. De ea tamen cognitione loquimur, quæ à sensibus trahit originem, nec ordinem discendi nobis congenitum supergreditur, quo solo nisi superno illo lumine fuerimus collustrati, perfectam & exactissimam intelligentiam non assequemur. Patet itaq; quadamtenus prodesse humanas scientias conducibilesq; esse, nobis non propriè necessarias ad beatitudinem. Alioquin Deus nobis perfecta dogmata non tradidisset, & in monstrando nobis cœlesti itinere aberrauisset. Cùm nullibi mentionem fecerit, oportere eos, quibus supernæ Hierosolymæ ostium aperietur, liberales artes seu primam aut naturalem philosophiam percalluisse, sequeretur, item plurimas quas in cœlo degere credimus sanctorum animas illuc non iuisse, nec esse beatas quando earum plurimæ literas non nouerunt. At postquàm opportunas diximus seculares literas, nec renuendas operæprecium est, ne nimis cupidi earum simus, videamus quid commodi ab eis, quid detrimenti catholicæ ecclesiæ collatum fuerit, quid facturis nobis paulò altiùs exordiendum.

CAP. III.

FVISSE MAGNOS IN ECCLESIA VIROS, QVI DOCTI fuere, doctrinas gentium quanquàm eis non nimium vsi; fuisse magnos qui illiterati: item non cuiusuis esse dignoscere plúsne emolumenti an detrimenti Christianis attulerint gentilium literæ.

DIuersos hominum gradus omnipotens Deus pro vt eius sapientia exegit, cuius nec mensura nec terminus in ecclesia sua extulit, alios doctrinis omnibus excultos, alios literas ignorantes, quorum tamen è numero aliquos ad perfectionis fastigium euexit, vt superbis aliquãdo innotesceret increata sapientia, cùm aliquid etiam per hominem operari vult non creata, quæ illius tenuis imago est, efficereq; quandoq;, cùm ita ordo poscit immensæ prouidentiæ, vt bruta stolidaq; animantia non modò ruditus edant, sed in humanam vocem erumpant, quantò magis vt homines idiotæ seculi sapientes exuperent. Partitis itaq; ordinibus hominum quasi preciosis varijsq; monilibus, sponsam suam ecclesiam Deus exornat. Atque vt à veteri testamento auspicemur, nec altius quàm tempore promulgatæ legis paucula ex multis delibemus, electus est Moses doctus in omni Aegyptiorum doctrina. Is à Deo hausta legis præcepta Israëlitico populo promulgauit, multa docuit, multa perscripsit: attamen nullas eum legimus cuiquam hominum ex tot milibus mathematicas demonstrationes, quibus pollebat Aegyptus, dum per deserta arenosaq; loca degeret, in sabulo deliniasse, quanquàm sub expositis eius verbis subtilissimæ sententiæ latent, in eo præsertim opere quod de mundi edidit exordio, vti cùm alij tùm Ioannes Picus patruus in heptaplo sua mirabiliter ostendit. Prophetas alios temporis etiam decursu suscitauit, quosdam nobiles vrbanamq; elegantiam redolentes, quosdam etiam pòst greges pecorum euntes auocauit, & misit prophetare. Christum autem qui sequebantur Apostoli simplices fuêre idiotæ & plurimùm piscatores: quod nemo est ferè, qui nesciat. Vnde duo potissimùm documenta colligere possumus, vt, scilicet, percipiamus homines eos non peritos grammaticæ (vt Augustinus ait) non armatos dialectica, non inflatos rhetorica, quò magis Dei potentia perciperetur refulgeretque gloria, mundum penè totum paruo temporis spacio sua ad credenda dogmata adimplendaq; traxisse. Deinde edoceamur non in nostra quæ nulla est, sed in Dei virtute fidere oportere: qui humiles diligit & mirabilium facit operum effectores. Paulus Apostolus deinde ad fidem vocatus est, superna voce edoctus legem ad pedes Gamalielis, qui secularibus prius in literis eruditus esset, nec ne certum aliquod argumentum non apparet, nisi Græcorũ Poëtarum fragmenta quædam. Hunc secutus Dionysius Areopagita summus antea philosophus, qui multa theologica opera edidit relatu Pauli, de Deo, de Angelis, de Ecclesię mysterijs, in quibus tamen non adeò multa philosophorum gentilium dogmata immiscuit, sed potiùs quantum ab homine fieri doctissimo potuit, harumque rerum plenissimo, dissimulauit.

Sed ne videar historiam texere, multitudo postea hæreticorum insultauit, qui paruo ex semine pullulantes, in maximum numerum exereuerũt, eorumq; perfidia multis sæculis ecclesia quassata est, & turbulentissimis tempestatibus agitata: Eodem tẽpore in initio scilicet, Arrianæ blasphemiæ, viuebat Antonius. Quem abominandam quoq; illam hæresim spiritu prophetico præuidisse, Athanasius est author, viuebat & multitudo magna monachorum per Aegypti auia desertaq; habitantiũ, sed qui plurimum illiterati essent doctrinisq; gentilium non imbuti. Extitêre apud Gręcos Origenes, Athanasius, Basilius, duo Gregorij, Eusebius, Ioannes cognomento Chrysostomus, tota Græcia & toto Latio celebrati. Apud nos Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus: illi orationibus duntaxat, hi etiã doctrinis aduersus varias hæreticorũ sectas bellantes: Quanquã vna eademq; tẽpestate omnes isti simul alijq; celebres, quos non recensuimus, floruerunt. Demum lõgo pòst tempore Parisienses theologi exeruerunt caput, & quadringentis ab hinc annis in pretio sunt habiti: eos omnes hac appello nomenclatura, qui Parisiorũ gymnasijs sunt enutriti, quiq; philosophiã theologiamq; pulchritudine elocutionis posthabita, tradiderũt nouo quodã

ſcribendi genere, nec Ariſtotelem, Platonémve, nec priſcorum aliquem imitati, ſed per quæſtiunculas & titillantes argutias ſimiles fortaſſe eis, de quibus Cicero mentionem fecit, qui quaſi quibuſdam punctis quod verſabatur in dubio, colligebant. In hoc certè diſſimiles quòd illi quanquàm orationis florem non ſequebantur, minimè tamen aſpernabantur linguæ propriæ idiomatisve proprietatem. Quod ipſi fecerūt, vt eſt videre apud Thomam, Scotum, Albertum, reliquosq; in eo philoſophandi genere doctores illuſtres: Sed excuſandi omnino, cùm is quo tradebant ſua dogmata ſermo tunc eſſet in vſu, Latinaq; eloquentia iuiſſet peſſum: Laudauêre eam, nec imitabantur, detenti à ſeculi illius conſuetudine, homines alioquin iudicio valentes & intellectu ſubtiliſſimo. Vidimus & eruditos & rudes à Deo electos, ad culmen virtutum, necnon qui magna fecêre, aut illiteratos fuiſſe, aut ſi doctos in gentilium literis ſacris potiùs quàm ipſis vſos fuiſſe.

Nunc inſpiciendum magnum ne aliquod emolumentum attulerint eccleſiæ ethnicorum literæ, an etiam detrimentum apportârint. Nam præter faciliorem ſacri textus intelligentiam, quam etiam probauimus, abſq; externarum diſciplinarum adminiculo haberi poſſe nullum vberiorem fructum, ex eis elici conſpicuum eſt, quàm de hæreticis victoriam quibus reſiſtatur, cùm contortis argumentationibus ſuis & cauillamentis inanibus deprauant diuinum inſtrumentum, trahentes in ſententiam imperitum vulgus, eorumq; retundatur & detegatur inſania, vt pietas extra controuerſiam fulciatur, & debelletur impietas. Sed percurramus hiſtorias veteres, actaque eorum qui cum hæreticis pugnauêre inſpiciamus. Ego, vt de me fatear, nunquàm legi, nec arbitror inuenitur qui legerit, vllum vnquàm hæreticum vi aut logicæ deuictū, aut rhetorices perſuaſum, hæreſim abiuraſſe, ita vt in ipſo diſputationum conflictu manus dederit & mutârit ſententiam: Niſi fortè quis mihi, vel de longinquo objiceret Gilbertum Porrectanum & Petrum Abelardi, qui quanquam veterum errorum ſectatores non fuerunt, tamen ſua authoritate pernicioſa dogmata ſerebant, & hunc in Senonenſi, illum in Remenſi concilio beati Bernardi opera ex itineris auio ad rectam rediſſe ſemitam. Cui reſponſum velim Gilbertum, Petrumq; ipſum non obſtinatè ſuos errores defendiſſe, ſed matris eccleſiæ dictis paruiſſe. Quis enim Dialecticæ artis ignarus crediderit doctum hominem, & in pugna literaria exercitatum poſſe argumentationum potentia comprehendi? Nónne quotidie experimur contra manifeſtam veritatem aliquibus pugnari, nec quenquam ſubtili ingenio præditū, quantumq; delira extremaque blacterantem ſyllogiſmo capi poſſe, quin quò velit, non ſe transfert in tuto, ſi non verè ſaltem apparenter, ita vt plerunq; non modò ignarum, ſed ſemidoctum etiam vulgus eludat veri rationem magis à ſe quàm ab aduerſario habitam ſimulans. Vrbanus papa ad Carolum, & habetur XXXVII. diſtinc. Omnem. Non in Dialectica placuit Deo ſaluare populū ſuum. Regnum Dei in ſimplicitate fidei eſt, non in contentione ſermonum. Verùm enimuerò ex aduerſo legi ſimplicem idiotamq; hominem, verſutum nimis & exercitatum in literis, hæreticum paucis verbis deuiciſſe & traxiſſe ad fidem, qui nihilominus diu & anxiè pugnauerat cum doctiſſimis epiſcopis, qui ad concilium illud Niceæ celebratiſſimum euentilandæ veritatis gratia diſputationum cribro conuenerant, nec vnquam ſuperari verbis potuerat, ſed è manibus capere tentantium, quaſi lubricus anguis elabebatur. Interrogatus poſtea ab amicis, quî fieri potuiſſet, vt breui interrogatiuncula illiterati viri penitùs acquieuiſſet, reſpondit ſe prioribus illis, qui ſecum cōflictauerant epiſcopis, pro verbis verba dediſſe, huic autem qui Dei ſpiritu loquebatur, reſiſtere nequiſſe. Legimus quoq; nonnullos gentilium philoſophorum, ad Antonium viſendum perrexiſſe diſſerendi gratia, & breui ab eo ſermone captos ruboreq; ſuffuſos abſceſſiſſe, verbis inquam aculeatis, flammeis, diuinæq; charitatis ardore coruſcantibus, non mundana ſapientia, quam non nouerat, examinatis.

Hæc volui dixiſſe, quia multi hoc prætextu quaſi clypeo ſe tutātes, vt, ſcilicet, philoſophiæ ingeniū mancipare liceat ob hæreticorū pugnas, contemnunt diuinas literas è cœlo delapſas, vt terrigenas (vt ita dixerim) excolant. Diſcant enim, oportet ſpiritu hæreticos captiuari, & eis potiſſimùm literis quæ ab eo in nouo inſtrumēto reuelatæ ſunt. Illud tamen non negabimus vnquàm, ſed aſſeremus ſemper aſſerimusq;, priſcos illos viros, quî & coràm & ſcriptis ſuffulti etiā humana philoſophia hæreticorū retudêre

dêre superbiam,ignorantiamq; detexêre (quid enim aliud est hæreticus nisi superbus & indoctus)multùm ecclesiæ profuisse. Nam apud doctos constat omni veritate stabilita esse ea dogmata, quæ vera prædicat ecclesia omni falsitateq; repudiata, crediderimq; plurimos eorum doctrinis motos afflante semper diuina gratia pernitiosas hæreses deleuisse. Nec illud item inficiabimur,nonnihil factum à Parisiensibus theologis, cùm philosophiam ipsam Peripateticam, cuius in primis fuêre sectatores, non solùm cum diuinis literis stare posse in vniuersum, sed ei etiam magnoperè ostenderint deseruire,iuxta illud elogium: Misit ancillas vocare ad arcem. Attulerunt dubio procul non parum opis opibus ecclesiæ hac sua exercitatione, quo etiam veluti instrumento Christianus homo reliquos erroribus mancipatos reuocare possit ad uiā, ratione etiam naturali si ei soli crediderit. Nec aliud mihi videtur Parisiensium theologia quàm mistio quædam ex diuinis eloquijs & naturalibus rationibus dissultans, pulcher profectò,& honestus modus debellandi aduersarium est,eis ipsis,quibus vtitur,armis vincere. Quare impijs ostendere naturam ipsam,quàm dicunt sequi monstrare nobis creatorem & agnoscendum & honorandum, repudiandas quascunque superstitiones,veram religionem excolendam pulcherrimum est. Quis autem videtur huic muneri idoneus omnibus numeris, nisi qui sit priùs recto corde, posteà placitis etiam aduersariorum instructus. Hieronymus ait: Si quispiam aduersus mathematicos velit scribere imperitus matheseos, risui patebit, opus quippe in refellendis explodendisq; monstris literarū eadem noscere. Et ne longè vagemur,exempla quærentes, quantas nuper Ioannes Picus patruus meus, sibi laudem cumulauit, si modò humana laus Christiano viro æstimanda sit, quantam tulit in cœlis gloriam, quātum thesauri largitus est ecclesiæ, quantum spiritalis alimoniæ posteris impartitus est in opere illo admirando nuper à nobis emisso, quod conscripsit aduersus mathematicos, tollens de medio diuinatricem Astrologiam, semper à doctis & bonis impetitā, nunquàm profligatam, donec ingenij illius super humanas vires omnesq; neruos in eam disperdendam Picus intendit. Quem vtiq; triumphum non adeò cumulatè fuisset assecutus,si(vt mittam summam eloquentiam)& omnifariam philosophiam atq; ipsorum etiam placita, quanquàm vana,non percalluisset.

Cæterùm & bonum hoc ex humanæ philosophiæ studio mihi videtur prouenire, vt multi qui priusquàm eam nouerint, mirè extollant & ferè adorent, admissi postea in secretiora ab amore eius nimio temperent:solent enim cognita, de longinquo impendio nimis existimari. Adiuuat quoq; cōtemplationem directè, vt Thomas Aquinas docet,cùm intellectum illuminet: indirectè quādo errores remouet, quibus pleriq; ob ignorantiā inuoluuntur. Quemadmodum Serapio ille abbas,qui ob ignorātiam hæresim Antropophormitarū offendit. Videtur etiam inflammare animum, & ad æternorum amorem ex fluxis temporarijsq; traducere, vti de se Augustinus testatur lecto eo Ciceronis libro, qui Hortensius inscribitur, quo philosophiæ laudes cōtinebantur. Accedit & illud,sicuti antè monuimus, quòd sacra eloquia cùm faciliùs tùm enucleatiùs apprehenduntur: quapropter ipse Augustinus in libris de Doctrina Christiana diffusè docet & philosophorum dogmata, quæ vera sunt,& eloquentiam ab ipsorum libris quasi ab iniustis possessoribus,in vsum nostrum vendicādā. At parte alia ire nemo potest inficias, non modica literarum secularium occasione incommoda ecclesiæ obuenisse, dum turgidi quidam inani vento superbiæ sola scientiæ possessione suffulti, praua dogmata sparserunt, vel ob populi fauorem emerendum sectatorumq; ambitum, vel ob pecuniæ quæstum: Hinc hæreses vanæ, hinc impietates plurimæ: Quare præcipiebat Corinthijs Apostolus, vt cauerent, ne per inanem philosophiam seducerentur secundùm traditionem hominum,non secundùm Christum. Illud quoque non mediocriter obfuit, quòd multi prætendentes amorem eorum,quorum opera initiati fuerant doctrinis, iurârunt in verba magistri, cæteros paruipendentes: in hos vehementer Hieronymus inuehitur scribens, diaboli instinctu aduersa studia in ecclesia facta,& hinc dictum: Ego Apollinis,ego Pauli, ego verò Cæphæ:nec minus detrimentū est,imò quantò communius vniuersaliusq;,tantò detestabilius, qđ ab his affertur. Qui ergo in negotio occupati sacras literas aut negligunt,aut,vt decet,nō æstimāt,aut tardè capessunt,quos die & noctu(queritur idē Hieronymus)in διαλεκτικῇ arte torqueri,physica perscrutātes,oculosq; trans cœlū leuare,

& vltrà

& vltrà profundum terrarum & abyssi in quoddam immane baratrum demergi, eo vitij genere nostra tempestate non parum multi irretiuntur, curiosiùs quid Aristoteles quàm quid præcepit Christus, vestigantes, semper addiscentes, vt inquit Aristoteles, nunquàm ad veritatis scientiam peruenientes: hinc etiamnum minimè mediocre malum pullulat, quod posteà se diffundit in plurima, quando eius animus qui quotidie in disputationibus versatur, plurimùm à recto in Deum affectu, impeditur, multasque in partes trahitur & quasi lacer in frusta discerpitur, partem scientia sibi vendicat, partem eloquentia, hæc opinio talibus fulcita rationibus in ditionem suam flectit animum: Illa alijs argumentationibus roborata contrà nititur, vt ab ea deficiens ad se declinet manusq; det flexianimo quopiam syllogismo deuinciens. Ita sæpè fit vt cùm Deum velit meditari, succurrat quid Parmenides Melissusq; de entium pluralitate senserint. Credendum ne magis Simplicio in hoc, an Alexandro Aphrodisiensi. Item an vniuersalia à singularibus cogitatione, aut re reìve natura differant, an quantitas sit diuersa res à substantia, & cætera id genus inter literalia prælia versari solita. Virum quendam doctum & sacerdotem mecum olim conquestum memini: Dolebat enim se feruore charitatis destitui, cùm altaris sacramentum attrectate vellet, ob studia ea, in quibus erat assiduus, & tùm in primam philosophiam quæstiones cudebat. Diuiditur itaq; animus ratione affectuum, dum sciri multa præoptantur, atq; cùm in Deum iactare eos volumus huc & illuc vbi scilicet procubuêre, quærendi sunt, vt collecti in vnum Deo offerantur.

Postremò nec parua morum populatio contingit à superbia vanaq; gloria studiorum eorum occasione, quod quisque puto literis deditus experitur, nisi se falli cupit. Quandoquidem bellare cum eis oportet & conferre pedem, fiunt prætereà contentiones, discordiæ, odia scaturiunt: & hoc vnum quod Christiani munus præcipuum magnopere labefactatur, ea, scilicet, virtus, quæ iam recepto vocabulo humilitas appellatur. Eius enim conditio alienis placitis atq; sententijs magis quàm proprijs acquiescere, quæ infringitur corruitq;, cùm nescire ingenio cedere à corrupto seculo, quod corrupta existimatione se in illis studijs mersauit virtus existimetur, & qui impatientes alieni iudicij, cuilibet etiam ignoto insultat, sæpè laudâtur, quasi videantur quibuscunq; literatis indixisse bellum, alienamq; in studijs literarum gloriam, sibi decus & infamiam parituram putent. Quare satagunt calumnijs, aut coràm aut post terga iactatis existimationem eam omnino conuellere, quæ incommoda cùm enumeratis mox emolumentis, si quis simul in libra Critolai, aut Aristophanis appensa diligenter examinet, ad vtrum vergat, vix queat internosci, animaduertetq; diuersas quandoq; à sanctis hominibus super secularium literarum studio prolatas non fuisse sententias sine matura consideratione acerrimoq; iudicio.

CAP. IIII.

HVMANAM PHILOSOPHIAM EATENVS AESTIMANdam, quatenus ad colendum Deum conducere possit, etiam philosophorum Gentilium testimonio.


EX his (vt arbitror) liquet, non adeò extimescendum, vt omnino philosophiã humanã gentiliumq; literas horreamus, nec adeò fidẽdum, vt animũ nostrum penitus remo ipsarũ veloq; cõmittamus, quãdo si recta incesserimus semita, possint prodesse, si deorbitauerimus, non possint, nõ obesse: si eis enim vsi fuerimus ad religionẽ Deumq; per affectũ colendũ, quod cõmodè fieri posse, in calce operis ostendemus, magnũ nobis emolumentum cõparabimus, si ad inanem gloriã finemq; aliquem prauum virtutũ earum, quæ in voluntate consistunt, & propriè non bonũ reddunt habentem, iacturam faciemus. Verùm ex ipsis ad interioris latriæ cultum multa cõducentia possumus eruere, vt palam monstrabimus, quibus purgemus animũ terrenis sordibus & sublunariũ rerum affectiones exuamus, atque alis amoris & fidei Deum nostrum sequamur, qui volat super Cherubin. Hæc fortè à philosophastris quibusdam tanquàm fabellæ aniles irridebuntur, qui se iactant circumferuntq;, cũ tenuerint tres aut quatuor quæstiones in

conspectu

conſpectu vulgi magna etiam vociferatione diſſertandas, in his ſapientiam conſiſtere malè ſano iudicio, imò maximo laborãtes morbo iudicantes, deſpicientes aut ſaltem poſthabentes religionem, in qua quærenda, comparanda & retinenda maximi gentilium philoſophi laborârunt: & quanquàm veræ religionis expertes fuerunt, nomen tamen religionis amabant, & Deum colebant, & ſi alij in ſocietatem alios aſciſcerent, alij eum quem vnicum credebãt, ſuperſtitiosè honorarẽt, nihilominus enixè magnaq; animi propenſione in ipſum ferebantur, omnesq; conatus in componẽdis affectibus afferebant, vt ſupernæ menti purè ſeruirent, & fortè eorum aliquibus qui ſcilicet tali inſtituto vitam degebant, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, innotuit: qua recepta & cuſtodita, beatitate donati ſunt. Noſtrorum enim theologorum qui celebriores habentur, firmus conſenſus eſt, eis omnibus qui ante Chriſti aduentum vixêre, ſecundum inſculptam quorumlibet mentibus naturæ legem, veritatem illuxiſſe: quàm agnitam ſecuti, ſaluati ſunt: Pari pacto ſi qui poſt Chriſti aduentum aliquibus in locis nati, ad quos Chriſtianæ legis fama non perueniat, an verò tales aliqui extiterint, qui naturæ dona illibata cuſtodierint, nonnulli credidêre: Eos tamen de quibus benè ipſi opinantur, videlicet Socrates, Plato, & alij, dijs ſacrificâſſe, memoriæ proditum eſt. Quod nullo pacto vnquàm fieri abſque magna Dei offenſa omnes theologi conſentiunt. Sed ne à propoſito nimis diuertamus, hoc ſaltem liquet naturale lumen cuilibet homini conſertum congenitumq; à Deo eis illuxiſſe, vt mores componendos cenſerent, Deumq; colendum: Sic Socrates philoſophiam (vt ille inquit) euocauit è cœlo, & in vrbibus collocauit: Sic Stoicorum ſtudium eò tendebat, vt affectus animi exuperantes ſedarentur pieq; viueretur. Brachmanes Indorum, Perſarumq; magos nihil exorſos vnquàm, memoria prodidit, niſi priùs orationem emiſiſſent: Platonicæ Pythagoricæq; diſputationes à ſacris precibus ſemper cœptæ, finiebant in eaſdem: Quibus & Porphyrius & Theodorus & omnes Academici nihil vtile magis, imò neceſſarium, vno ore cõfirmant, hoc Proclus apertè determinat, cenſens eis qui ad ſummum bonum peruenire cupiunt, nõ ſcientia & ingenij exercitatione opus eſſe, ſed firmitate, ſtabilitate, tranquillitateq; vitæ. Et idem rurſus apertiùs inquit: Nos per ſcientiam aut operationem vllam ingenij exquirere ſummum bonum, aut ad ipſum aſpirare non debere, ſed offerre commendareq; nos diuinæ luci & præcluſis ſenſibus in illa incognita & occulta entium vnitate quieſcere, aſtruens, hoc fidei genus omni doctrina antiquius eſſe.

CAP. V.

NON EXPEDIRE OMNES CHRISTIANOS literis Gentilium incumbere.


Erùm ſcire illud oportet, quòd ſicuti nullus Chriſtianorũ eſt iudicij & rationis cõpos, qui non ſit aptus ad implenda diuina præcepta ſi voluerit (Dei enim gratia ſe vbiq; diffundit) nec ab ipſis etiã exemptus, quãdo felicitati cõſequendæ ſunt neceſſaria: Ita quẽlibet nõ eſſe gnauũ ad humanã philoſophiam literasq; gentilium capeſſendas, temperandũ ergo eſt à plurimis & ſui buccæq; ſuæ noſcẽda menſura: Multa quippe hominũ genera tractare eas abſq; incommodo nõ poſſunt: Alij in fide vacillant, aut eius habitũ adeò imbecillũ habent & infirmũ, vt ſi ea adirent quæ noſtræ aduerſantur fidei, facilè decipulam incurrerent: Veluti rationes Ariſtotelis de motus æternitate: Auerrois de vnitate: Alexandri de corruptibilitate intellectus: quædã Platonicorum placita: quæ quanquã à noſtris iã pridem exploſa ſunt, nihilominus ſuperno lumine nõ opportunè admiſſo in eorum tenebris facilè caligarent: Alij in gubernandis animabus dirigendiſque ad ſemitam ſupernæ Hieroſolymæ adeò premuntur, vt vix queant niſi cum earum diſcrimine, philoſophię vacare: Pariter dictum & intellectum hoc velim ab omnibus, qui in adminiſtranda populis iuſtitia valdè occupantur, præſertim cùm idoneis miniſtris & adiutoribus indigent. Alij multum à vana gloria vexãtur, impingunturq; paulatim in nimium amorem ſui: Quos vel temperare ab ardore nimio, vel ad tempus dimittere negotiũ, operæprecium eſt: Alijs obtigit hebes ingeniũ, quibus eſt opus aut philoſophiæ ſtudia nõ aggrediantur, aut deſiſtant ab incepto, ni & impenſam & oleum velint amittere.

amittere. Non enim singuli homines ad perdiscendas literas sunt nati, nec omnium est scientia (vt Dionysius ait.) Quapropter impedimenta hæc pensare quisq; debet priusquàm in vendicandis scientijs enixè laboret, & ea vel remouere si potest, vel saltem cautè, & vt decet, incedere.

Illud quoq; animaduersione dignum, trifariam dari opportunum aditum ad philosophiam: Aut medicinæ percallendæ gratia: aut docendi in scholis ipsam philosophiam, aut theologiæ noscendæ: Hoc vltimum munus pluribus hominum gradibus commune est, priora paucis: Nam ex his qui corporibus mederi nolint, paucos inuenies, qui medicinæ velint incumbere, vt artem noscant, nisi fortè principes quosdam viros & per se literas amantes: quiq; docere alios instituerint, non multi sunt: Nam ad medendam ferè semper properant, nisi sacerdotes sint aut clerici, quibus prohibitum mederi, cautumq; lege est, ne docentes in scholis medicos audiant, sicuti nec leges ciuiles profitentes: His ergo omnibus licere per philosophiæ campos vagari manifestum est. Medicus enim à philosopho principia & fundamenta haurit medicinæ, multaq; mutuatur, quibus ad conciliandam ægrotis sanitatem vtatur. Ei verò qui theologiam perdiscere cupit, faciliùs ad id quod quærit, accessus patet, ope philosophiæ, quando per res naturales quasi gradu facto ad diuina conscendimus. Eum autem qui docere & enarrare philosophorum libros instituit, manifestum est in eis ipsis versari oportere. At qui horum generum superfluit, quibus fines rectos præstituere oportet. Quando & aberrare omnes contingat, nisi fini ipsi laudabili ad amussim voluntatem direxerint. Quod facilè constabit, cùm de quatuor discentium finibus disputabimus. Quod autem in primis hæc genera rectè philosophantium reperiantur, vel hinc constat, quòd creatarum rerum naturam vestigare posthabita penitùs notitia Creatoris, pestiferum nimis institutum est teterrimumq;, inane & noxium, si disputandi id gratia fiat & aucupandæ auræ popularis: Cæterùm nec senescendum in philosophorum commentarijs medicis ipsis est atque theologis. Theologos omnes rectè eos appellauerim, qui literis sacris incumbunt, vt Deum cognoscant, venerentur, colant, eiusq; placitis obsequantur, alijsque sint adiumento. Multos tamen non eo inficias dari posse ad pristina studia reditus, aut relaxandi animi gratia, aut rememorandi quæ obliti sumus, aut componendi operis alicuius, aut alio quopiam genere iuuandi se & alios. Eis porrò in primis cauendum qui enarrare Aristotelem ingrediuntur (nihil enim aliud philosophi officium nostra tempestate plerique autumant, malè quidem sano iudicio, & plurimum aberrante) cauēdum inquam, cùm huiuscemodi negocia periculosissima sint, his qui in obeundo eo munere hallucinantur, cùm ob distortos discentiū affectus, tum ob contumelias quibus se riuales (quos concurrentes vocant) afficiunt: Quo vitij genere satagunt captare fauorem ignari vulgi, cuius adeò corruptum iudicium, vt eum qui ad stentoris inuidiam vociferat, exquisitioresq; calumnias iactat, doctiorem credat: quare fit vt multi dum parare sibi aut excogitare argumenta deberent, enixè quærant quasdam histrionum gesticulationes, nouasq; aduersarium vilipendendi formas, vt astantibus imperitis risum excutiant, & ei qui contrà aut opposuerat, aut responderat pudorem, si naturæ mitis, si rigidæ & effrenæ, furorem & insaniam. Nec oportet vt amplius immorer in pudendo hoc errore recensendo, qui nostra tempestate vndique scaturit: vix enim possum sine molestia meminisse nedum, in narrando diutiùs versari.

CAP. VI.

NON OMNES GENTILIVM LITERAS PARI ratione, ad diuinam philosophiam conducere, sed alias magis alias minus.



HOc autem diligenti consideratione pensandum, esse quasdam philosophiæ partes, quæ sacris literis alijs conducibiliores sunt & cognatiores, atque idcircò Christiano homini præ cæteris excolendas, ei præsertim qui se ad diuina eloquia transferre cupit: Alias minus, quales videntur Geometrica, Arithmetica, & Poëtica: nō enim eam cum diuina Scriptura quasi dixeris affinitatem habent, quam & Physica habet, & Logica, & Methaphysica. Adde quòd illæ nō solùm

curæ plurimum & diligentiæ exigunt, sed peritis in eis adeò sunt delectabiles, cùm ob magnam certitudinem, tum ob inueniendi voluptatem, vt vix eas relinquere possint: Continent profectò veritatem, sed earum scientia (vt ait Hieronymus) non est scientia pietatis, quanquàm non minimum facere ad intelligentiam Scripturarum Augustinus censet. Poëtica verò scitamenta ab eo, cuius palato semel sapuerunt, ob carminum præsertim harmoniam, ægrè deseruntur, & incomptiora eloquia vix degustantur: Experiuntur hoc plurimi: Expertus ego: Qui puer in illis mirum in modum oblectabar & etiam in castris me comitabantur. Sed postquàm ad philosophiam & sacras literas me contuli, adeò illis remisi nuncium, vt nec poëtarum libros toto quinquennio ter fortè aperuerim, quandoquidem ab illis trahi, animum & emolliri sentiebam. Sed quid est detestabilius pleriq; poëtarum turpitudines maximas & obscœnitates suis versibus immiscuerunt, quæ Christiano homini non modò attrectanda, sed prorsus eliminanda: Nec temerè multos inuenies qui pulchra alioquin poëmata spurcitijs libidinibusq; non fœdauerint: Quare scribit Isidorus ideò Christianis prohiberi legere figmenta poëtarum, quia per oblectamenta fabularum excitant mentem ad incentiua libidinum: Et hoc idem fuisse in causa credo cur Plato à sua Republica poëtas expulerit, ne scilicet mentes adolescentium obscœnarum fabularum nubibus obcæcarentur: Non ita tamen rem ad viuum resecamus, vt in poëmatis & legendis & cudendis se exercere, qui aliqua animi propensione, ad id negocij feruntur non posse etiam cum laude credamus: Sed non omnibus omnia pari filo conueniunt. Da mihi virum voluntate bene instituta: Qui carmina de rebus Christiano vel credendis, vel sperandis, vel operandis, conficiat, tantùm abest vt damnem, vt accusem, vt etiam magnopere tuter, laudem, venerer & amplectar. Quales apud veteres nostros fuêre Prudentius, Sedulius, Damasus, alijque nonnulli: Apud nostros Baptista Carmelita Mantuæ spes altera, Ludouicus Pictorius Ferrariensis, Vgolinus Verinus Florentinus. A gentilibus autem poëtis ita accipiendum aliquid, Basilius suadet cum excellentia virorum dicta aut facta commemorant, sicut ab oratoribus cùm virtutes extollant, aut in vitia effulminant.

CAP. VII.

PLVRA FVISSE IN CAVSA CVR PRISCI TEMPORIS sacratissimi viri & Gentilium literis vsi sunt aliquando, & alios eis vti posse censuerunt, quæ longo temporis decursu paulatim cessare cœperunt.


Erumenimuerò scire non inconuenit, cur prisci illi ecclesiæ viri sanctissimi atq; doctissimi, non adeò à Gentilium literis abhorruerunt, vt eis aliquando non vterentur: & quantum spectat ad alios, non eò vsque aspernandas eas censuerunt, vt tractari commodè non possent, si modò adesset firmitudo fidei, & rectum etiam examen accederet, omnes ferè priusquàm aut Christiani essent docti, in liberalium artium studijs euaserant. Aut si de Christianis parentibus orti, à pueris fuerunt in philosophiæ studijs enutriti, vt facilè est videre legēti eorum vitas & acta. Dionysium doctissimum fuisse priusquā Paulum sectaretur, nemo est qui nesciat: Origenes puer & literis Gentilium etiam priusquam Leonidas pater martyrij palmam assequeretur, imbutus fuerat: Gregorius & Basilius cōtubernales antequàm ad monasterium accederent, docti in liberalibus artibus euaserant ambo nobiles (vt ait Rufinus) ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, ambo de auditorio digressi ad profitendam rhetoricam rogabantur, quod opus magnificè quidem implebat Basilius, Gregorius verò magnificentiùs contemnebat. Quique cùm se totum Dei seruitio mancipasset, tantum de collegę amore præsumpsit, vt sedentem Basilium de doctoris cathedra deponeret, ac secum ad monasterium manu perduceret. Cyprianus ante baptismum gloriosè (vt ait Hieronymus) rhetoricam docuit: Ipse Hieronymus se dicit in epistola ad Paulinum post seculares literas ad sacras deuenisse, & alibi, Romam ipsum habuisse liberalium artium magistrum dum annum ageret vndeuigesimum: Augustinus dum etiam Manichæorum erroribus detineretur, rhetoricam docebat: Pluresque alij reperirentur, quos requirere nedum recensere fastidium afferret: Qua-

ret: Quare non mirum si ex eorum operibus doctrina ampla ex gentibus etiam petita vndique scaturiat.

Hæc dixerim non quòd perperam factum sit, Christianis etiam adolescentibus tradi liberales artes legendas, imò rectè, vt ex decreto Eugenij etiam confirmatur: Sed ne nimis magnificant ab his qui sanctos viros sequi in hoc volunt, vt Gentilium doctrinam capessant, in hoc non sequi, vt sacras literas colant & rectè viuant: ostendere enim operæprecium est (non eos) postquam thesaurum sacri eloquij reperêre, ad viliores supellectiles nanciscendas nauigasse, sed eis priùs partis, preciosiores & consectatos & adeptos. Cæterùm vt ab alijs ipsam humanam philosophiam tractari posse concederent, multæ se eis rationes obtulerunt. Cùm refellendi praua, aut philosophorum, aut hæreticorum dogmata tum excolendorum ingeniorũ, quo aptiora essent ad imbuendum se diuinis eloquijs, tum etiam eloquentiæ perdiscendæ. At cùm ipsi in præsentia apud nostros nancisci hæc commoda possimus, quid causæ est vt in externis mersare ingenium pulchrum ducamus, totamque vitam mancipare? Quod autem possimus, non difficilè puto posse comprobare, atque vt ab hæreticorum expugnatione exordiar. Quot ab initio nascentis ecclesiæ aduersus hæreticos scripserunt? Quisque enim eos, qui sua tempestate ab infernis latebris scaturibant, pro virili confutabat, eo modo quo suprà diximus, posse hoc negocium obiri: Sed nunc præcipuum contra obstinatos argumentum repertum est, cui respondere nequeunt, hoc est, ignis: Qui aut eos exustos in ciner emq; redactos vento committit, aut falsum dogma abiurare constringit. Quæ pœna si priscis illis hæresiarchis decreta fuisset, non tot opinor hæreses pullulassent: Indictum tantummodo exilium fuit Arrio magni Constantini iussu, cùm in venerando illo concilio Nicęæ pestifera illius dogmata condemnata sunt. Quantum verò pertinet ad confutanda falsa dogmata, ad eloquentiam discendam, ad sacra eloquia facilè intelligenda, quibus muneribus obeundis, Gentilium literas vtiles diximus, & sic ab antiquis opinatum putârim, plus vtilitatis apud nos quàm apud exteros reperiri, suis enim scriptis nobis has fruges pepererunt: Namque eloquentiam cum sapientia miscuerunt, humanam philosophiam diuinæ, quantum licuit, agglutinârunt.

Alij postea surrexerunt, & vetera excoluerunt, & inuenerunt noua, adeò vt facilè quiuis mediocriter eruditus dignoscere queat plus & scientiæ & eloquentiæ in Christianorum, quàm Gentilium commentarijs inesse, plures certè veritates reperiuntur (vt etiam mittam quæ deitùs reuelatæ sunt) in nostris quàm in Ethnicorum lucubrationibus: Etiam si Platonem & Aristotelem nominauerim, quos cùm citò philosophos omnes paganos mihi recensuisse videor, quis verebitur Augustinum & etiam aliquos priscorum opponere Platoni? Thomam, Albertum, Scotum, Aristoteli? Atque vt inter hos aliquid dicamus, facilior enim & promptior comparatio, quàm in primis paribus: quot quæstiones ab eis disputatas euentilatasque inuenies quas ille non tetigit: Prætereà veritates vtriusq; testamenti percaluerunt quarum ille ignorantia laborauit. At tute, inquies, mõstrasse eis iter, quo philosophãdo progredi possent, quod inficias non eo: Sed hac ratione quid colligis? Sic Aristoteles minor, hoc est, indoctior Platone: quid certè meri Peripatetici inficiabuntur: Maior Platone Socrates, & sic deinceps vsque ad Thaletem & vltra, quod est absurdum: Nec ex hoc sequitur, quoscunq; qui philosophati sunt ex prioribus, ipsis posterioribus doctiores fuisse: Non enim hoc tantùm in causa, sed præter ætatis posteræ beneficium, quo priscorum commẽtationes exanimari possint, oportet adesse & ingenij acumẽ, & assiduum studium, & multa alia quæ accedere conuenit ad prouehendum aliquem ad doctrinę fastigium: Hi ergo quos nominauimus quicquid operum Aristotelis ad eorum peruenit manus, didicêre, & plura alia inuenêre ipsi, cùm nec illis temporibus sicuti nec postea in producendis hominibus fuit effœta natura: Defuit illis tantùm eloquentia: quæ non defuit Aristoteli: Sed apud alios eam quærere datum: Neque enim illis etiam eloquentia cedimus: Si enim (vt inquit Fabius) Cicero expressit vim Demosthenis, copiam Platonis, iocunditatem Isocratis, & plures etiam à seipso virtutes extulit eloquentiæ. Quis apud nos non videat esse Ciceronem, sed Christianum, hoc est, aliquem qui eum ad lineam vnguemq; expresserit? Quis enim nõ aduertit, Lactantium Firmianum æquasse ipsum & fortè pręcelluisse in eloquẽdo? In ipso verò Hieronymo

quantum facundiæ fuerit,qui eius lucubrationes non legit,minimè sciet: Taceo Cyprianum, Rufinum, Ambrosium, Paulinum, Augustinum, Seuerum, Hilarium, Leonem, compluresq; alios priscis oratoribus æquandos, & si ea speciatim spectemus, partem philosophiæ quæ practicen paræneticenq; complectitur,ea longè superatos gentiles perspiciemus à nostris, qui theologicas scripsêre summas: Alexandrum, Thomam, Henricum, Albertum, particulariter à Gregorio in libro illo excellentissimo commentariorum in Iob.

Verùm ne simus ingrati nostri seculi hominibus,parum ne emolumenti ab eis rei literariæ collatum existimabimus? vt vereamur profiteri nos ab eis magnoperè & ornatos eloquentia & illustratos doctrina. Possem equidem multos quos antiquitati opponerem numerare, & afferre etiam rationes efficacissimas, sed nonnullorum faciemus mentionem: Quorum præstantiæ quilibet nisi inuidus fauebit, & quantum ad eloquendi facultatem pertinet,proximè accessisse veteribus mihi videtur Ioannes Pontanus,si tamen Ciceronis mensura metiri velimus eloquentiam: Adeò enim eius characterem æmulatus, vt ferè in nullo dissimilis appareat. Sunt tamen qui Pliniano elocutionis genere magis delectentur, sunt qui mixta dicendi genera & varijs exquisitisq; vocabulis perscatentia: Qualia apud Gellium, Apuleium desiderent. Et hæc certè munera à Politiano & Hermolao Barbaro impleta commodè vel mediocriter eruditus agnoscet: Quorum alter probatissimum in scribendis historijs stylum reliquit. Si verò poëmatum faciemus periculum, nullo pacto veteribus inuidebimus, quandoquidem & quod ad elocutionem pertinet,impletum animaduertimus à nostris & explosis erroribus Christianam veritatẽ celebratam: Asciscamus & afferamus in medium cum multis antiquorum conferentes Baptistæ Carmelitæ carmina, *Illa inquam dubiam facientia carmina palmam*: Nemo nisi indoctus non admirabitur, nemo ipsam versuum decoram maiestatem non extollet: At certè nisi stultus inficiabitur superasse eum gentiles omnes materia ea circa quam versatus est: Cùm sancta Christianaq; opera cuderit,illi vana penitùs & inania, ipsi tantùm linguas instituerũt: hic præter id & intellectum & mentem instituit: Ipsi inter dulcia pocula sæpiùs venena propinârunt,hic in ora multorum cum ipsa dulcedine arcana etiam religionis infudit. Apud ipsos philosophorum placita reperies Epicuri multa, nonnulla Platonis: In eius verò libris nõ tàm Platonis & Aristotelis quàm subtilitates etiam Parisiensium theologorũ. In Herculis verò Strozæ poëmatis multum delitiarum apparet. Magna vis carminis tantaq; dulcedo & resonantia, vt Picum etiam ipsum literarum principem non semel ab ore ipsius rogatu nostro sua carmina recitantis pendentem, & obstupentem viderim. De Pictorio nostro nihil est quod dicam, ne dicato mihi Christianorum opusculorum libro gratias referre videar. Vgolini opus sacrum meritò celebrandum est: Quo eleganter Christianæ veritatis mysteria recensuit. Alios prætereo viros celebres, cùm de his præsertim & qui sacra versib⁹ scripsêre, & qui mihi familiares admodum sunt, mentionem facere satis ducam: Neque ego is sum qui priscam illam antiquitatis speciem adeò venerabundus suspiciam, vt quoscunq; posteriores, inferiores prioribus iudicem tantùm propter mille annos. Expendenda quippe sunt authorum merita: Non quo quisq; vixit tempore metiendum: Alioquin Nęuius Vergilio præstaret, Thales Aristoteli.

Præterire nolo Ioannem Picum patruum. Qui simul omnium priscorum virtutes cùm omnifariæ doctrinæ tum eloquentiæ complexus famelicos veritatis animos affluentissimè pauit: In huius ego laudes quotiens incido, vix auelli ab eis possum. Culpor fortasse à quibusdam, cùm videar nimis amori, nimis consanguinitati, nimis beneficijs ab eo susceptis indulgere, sed culpari oportet tot præclara iudiciaq; in eius me laudibus ferè vicerunt: Quot præconia de heptaplo sua inuulgata fuerunt, qua septennaria enarratione mundi exordium à Mose descriptum interpretatur: Ea prophetæ verba pleraq; ingenia contemplantium torserunt, & in ipsis enodandis qui celebriores sunt habiti, laborârunt: scribit tamen Hermolaus Patriarcha Aquileiensis vir seculorum memoria dignus, alios omnes cùm præterierint, quæ Picus dixit, nihil sibi dixisse visos. Sed rogo vt appareat cùm laudamus legitimam subesse causam laudandi? Quis vnquàm veterum totam diuinatricem interemit Astrologiam? Semper ea bestia velut hydra, quotiens vno vel altero capite truncabatur, alia quasi

ceruina cornua suggerebat, vel etiam amplo fœnore multiplicata reddebat: Donec illam Picus doctrina lignis atque igne diuini amoris, vti verus non fictus Hercules exussit. Mitto ipsius cùm in his libris tum in alijs comparabilem eloquentiam: Mentior nisi quæcunque diuersorum virtutes in eloquendo, quas Fabius enumerat, in eo vno eminentissimæ sunt collectæ: Ex quibus certum quiddam magnum & sublime Pici scilicet peculiare dissultat, quod non sit ei commune cum cæteris. Tantùm verò abest vt non seruatus ab eo in eloquendo decor sit, vt à nullo magis, accommodatusq; semper materiæ de qua agebatur sermo. In tractatu de Ente & Vno quietum disputandi genus cernes, dulce, pressum, & explicatum, vt nihil tutè aut detrahi possit aut adijci. In heptaplo cùm omnes rhetorices virtutes insint, hoc vno præcipuè laudatissima, quòd nulla expositio apparet, quæ tàm sublimi & florido dicendi genere sit pertractata: Libri disputationum aduersus Astrologiam omnem laudem superant, siue doctrinam spectes, nouasq; philosophiæ quæstiones ab eo enucleatas, siue eloquentiam. Quod opus quanti faciendum sit, quantumque ex eo Picus celebrandus, facilè apparet ex Epitomate, quod Hieronymus Sauonarola vir celeberrimus conscripsit & vernacula lingua vt ineruditis opem ferret: Sed nos quoque nonnihil dicere non inconuenit: Nam vt de doctrina dixerim primò vt orator, dein vt naturalis philosophus, demùm vt Astrologus Picus ipse in eo volumine præliatur: Nam post priores victorias demum inimici armis quasi Dauid Goliam Gigantem sæuissimum illud monstrũ detruncauit. Primus liber quanquã authoritatibus tum philosophorum Gentilium tum diuinæ Scripturæ tum ciuilis, & pontificiæ legis deijcit Astrologiam. Tamen si flectes oculos ad stylum, nullam vnquàm siue vituperationem in demonstratiuo genere vehementiorem, siue accusationem in iudiciali formidabiliorem deprehendes: Nec tàm loqui videtur, quàm vt de Pericle dicitur tonare & fulminare. Si verò contemplaberis physicas rationes proprio ex ingenio depromptas, nihil vnquàm vidisti admirabilius, his tertium & quartum librum abundè refersit. Quæ puto à posterioribus, qui aut in libros Aristotelis de generatione, aut de cœlo, aut meteororum quæstiones cudent, certatim expetentur, quanquam vbique & commodè locari possunt. De Astrologia nihil est quod desideres, cùm particulare quodque dogma adeò curiosè destruat, vt nihil aliud quàm Astrologicos libros legisse eum appareat, in hoc omnibus extra controuersiam superior, quòd nemo eloquentissimo stylo quæstiones explicatu tàm difficillimas enodauit. Arte verò tanta libri illi sunt cathenati vniuersæque rationes sic connexæ, & dependentes, vt si eis responderi posset (quòd certè non poterit, & si blacterare quisque poterit) nec vna solui posset, nisi omnes soluerentur: Sed puto nec doctus nec bonus Christianus id vnquàm attentabit. Verùm cùm multi sint, qui nimio Astrologicæ huiusce superstitionis amore hallucinantur: multi quoque qui principibus quibusdam viris hoc errore circumactis placere student lucri cupiditate: Coniector facilè futurum vt verè deiectam hanc vanitatem nonnihil erigere falsò conentur, in hos singulatim scribere non est consilium, donec in publicum cateruatim exierint, quod vbi effectum fuerit, ipsorum tum errorum fasces veritatis falce demetentur. Interim quod Ioannes Picus pro doctis & Latina lingua pollentibus, quod Hieronymus Sauonarola pro rudibus Latini sermonis effecerunt, nos pro doctis. Sed ignaris Romani idiomatis fortasse efficiemus Astrologiam iterum, sed Parisiensi stylo, qui crebras argumentationes exposcit, & ornatum posthabet destruentes, quandoquidem non deesse multos scimus, qui vt negocium hoc suscipiamus, desiderant, cùm ob Pici eloquentiam à fructu quem ex libris disputationum eius eruerent, præpediantur, demissionem scribendi modum præoptantes, & illi qui eis familiaris est, per similem omnia alia Pici opera sua quæq; in genere admiranda sunt.

Apologia quæstionum primum ab eo confectum opus dum quartum & vigesimum ageret ætatis annum: Oratio illa mirabilis: Epistolæ partim familiares, partim exhortatoriæ diuinoque amore flammatæ quas ad me scripsit, regulæ beneuiuendi, arma spiritalia, & cætera id genus celebratissima. Sed quid egisset? Si concordiam Platonis & Aristotelis inchoatam absoluisset: Si in hostes ecclesiæ vniuersos perscripsisset: Si vniuersa eloquia sacra, quorum pars cõfecta erat, interpretatus fuisset? Hoc certè fecisset quòd solus futuris seculis satis fuisset: Hæc tamen quæ mors immatura

 abrupit,

abrupit, discussis schedis eius & philyris in vnum magna ex parte collegimus, ramenta quæque lustrantes, quæ præclarissima illa opera paritura erant, si tàm citò, hoc est, tertio & trigesimo ætatis anno nobis sui desiderium non reliquisset. Et quia in certis characteribus & compendiarijs sententijs annotata erant, ea ipsa digerenda & explicanda desumpsimus, speramusque futurum vt nostra opera absoluantur & in lucem prodeant. Verùm præter formam, hoc est, scribendi figuram, quam nostram esse oportebit, multum etiam materię eis addamus, erit necesse, paraphrasi quadam quicquid scripsit complectentes. Librum quoque stromatum earum videlicet rerum, quæ non pendebunt ex alijs, conficiemus, Gellium, Clementem aliosque imitati. Differemus hoc ab illis, quòd sicut materia superabuntur à nobis, ita nos verbis ipsi præcellent. Non enim quæstiones hîc habebuntur, an Patroclus antiquior Achille, an Xenophon Platonis æmulus, quo corporis habitu Anacharsis Scytha dormiret: Sed de Deo, de angelis, de natura corporea, de gradu hominum, de oratione multa conspicientur: Sed nos à plerisque & scribendi filo & exquisitis verbis posthabebimur: Nec mirum cùm hoc nostrum futurum sit illud Pici patrui. Distabimus & illud ab eis, quòd sua ipsi confecerunt opera ex proposito cesim truncatimque perscribentes, vt nunquàm sibi par liber esset, varietateque ipsa expultrice fastidij excoleretur: Nobis autem quod illis arbitrium necessitas exegit, ne tot scilicet tantique labores in tàm præclaro negocio desudati deperirent: Et hoc certè nos coëgit per illius doctrinæ campos ab immatura morte demessos peruagari racematium spicilegiumque facientes. Sed iam nimis fortè multa de Pico, quanquàm mihi nimis non videtur, & si cùm in eius vita tum in alijs nostris lucubrationibus semper eius meminerim, tanta scilicet dulcedo & quasi titillatio recolendæ semper eius memoriæ animum occupat.

Sunt & alij docti homines & magni existimandi: Inter quos Hieronymus Sauonarola noster, vt mittam vitæ & morum integritatem, sanctimoniamque, etiam ab inimicis sæpè confessam, ingenio & doctrina plurimum valet: Cuius opera locupletissimum reddunt testimonium: Nam theoremata illa quæ in Aristotelis philosophiam conscripsit, priusquam se totum orationi contemplationiq; diuinæ mancipasset, magnopere laudanda sunt, ea item quæ lingua materna composuit, vt iuuaret etiam indoctos, de Oratione, de Amore Christi, de Vita viduarum, de Diuinis præceptis, aliaque complura non modò solida sunt & veritatis basi nituntur, sed illius maternæ eloquentiæ plena. Præcellunt verò quæ in diuina eloquia interpretamenta conscripsit. Atque opus illud omni laude dignissimum est, quod de Veritate Christianæ fidei composuit: Illud item quod de Simplicitate vitæ Christianæ prætitulauit quinque in libros digestum, quorum primo Christianam vitam à Deo omnino esse probauit, & quòd est sequens fidem: Ex cuius opere responsiones illæ quæ ab his qui aduersus Christianam fidem oblatrant, dari possent, rationibus eis, quæ à theologis pro roboranda aduersus inimicos fide nostra afferuntur, præsertim à Ioanne Scoto in primo commentariorum in sententias acerrimè confutari possent. Nam quod de rectitudine Christianæ vitæ affertur imaginationi, fortè tribueretur à multis Auicennam sequutis, scripturarum concordiam, martyrum multitudinem, aut creaturæ alicui intelligibili, aut configurationi orbium sideraliq; influxu ascribi (quanquam falsò) posse certissimum est: quæ omnia explodit Hieronymus, cùm nec ab imaginatione procedere, nec à creatura spiritali, nec à cœlo prouenire commonstrat. Alios eminentes viros relinquo, in quorum virtutibus recensendis longior essem quàm proposui: Hos qui se obtulerunt tàm ex antiquis quàm nouis attulisse sat sit: Quibus facilè corrogari poterit, nec scientiam rerum, nec eloquentiam necessariò nos à Gentibus mutuari. Quæ vna fuit causa, quæ ab initio nascentis ecclesiæ impellebat ad doctrinas Gentilium capessendas, eam autem cessare sicut & alias priores ostendimus.

CAP.

CAP. VIII.

CHRISTIANVM HOMINEM CIRCVMSPECTE CAVteq; libros Gentilium legere debere, eisq; præponere eorum opera qui sacris eloquijs interpretandis philosophorum sententias miscuère, deq; scriptorum generibus.



QVod sanè emolumentum cùm scientiæ tùm eloquentiæ, cùm nobis à Christianis fratribus (omnes enim Deum Patrem vocamus) collatum sit, hebetes nimis sumus & malè grati si respuamus, ac inimicorum nostrorum placitis non præponamus. Accedit quòd securiùs animi supellectile ditamur quando auro & argento, quæ illi nobis ex Aegypto magno sui labore apportarunt, tutè tranquilleq; vti possumus: Nam si per Aegypti auia vagaremur, à venenosis animalibus magnoperè cauere oporteret, ne externa quærentes bona interna perderemus: Hoc est (vt sine ænigmate loquamur) in legendis libris Gentilium offendere multa possemus, quæ vel ad malam religionem nos inuitarent, vel obscœna opera suaderent, vel ad superbiam stimularent. Quapropter periculum esset nedum cultum animi quærimus illecti persuasionibus prauis, tam intellectus quàm voluntatis recta instituta desereremus: Multi enim virtutum quas adepti assiduis sudoribus fuerant, eorum studiorum abusu paruo temporis spacio fecêre iacturam. Nec quenquam veterum opinor reperies fauentium eis qui Gentilium doctrinas sectantur, quin in eodem contextu quo illud asserunt, etiam non commoneant obeundum id officij pauidè & circumspectè. Quare Augustinus in libris de Doctrina Christiana, cùm dixisset ad intelligentiam Scripturarum sacrarum conducere liberales artes omnemq; philosophiam, subiunxit vt is qui sic instructus ad versanda sacra eloquia vellet accedere, illud Apostolicum cogitare non cessaret, *scientia inflat, charitas ædificat*: vnde cautè per eorum literas procedendum, ne superbia vitiorum regina menti obrepat, bonaq; cuncta opera inanis gloria commaculet, appetitusq; excellentiæ, quod familiare homini malum, in dotibus prærogatiuisq; intellectus magnoperè consistit. Quia homo rationale animal: Idcirco difficilè fiet, vt qui se alios aut æquasse aut superasse nouerit, animum ab noxia elatione contineat. Tutiùs Christianorum commentaria versare possumus: Nam si quid quo fortè turgeamus, hauserimus, statim propinatur medela, monemurq; sæpè ne circumferamur omni vento doctrinæ, & quòd Christiani vita non in disputando & ostentando disciplinam, sed in humilitate charitateq; perficitur, nocereq; maximopere, & scientiã & eloquẽtiam nisi earum virtutum sale condiantur. Philosophorum verò dogmata in eis quoq; comperies, sed abdicatis superstitionibus, & falsis amoribus repudiatis, iuxta illud Deuteronomij: Quo præcipiebatur mulieri captiuæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, & vngues, corporis amputandas, & sic eam habendam coniugio. Cæterùm & hanc fructum ex nostris potissimùm decerpere possumus: quem in Gentilium libris non inueniemus, quòd scilicet ad Dei contemplationem manu ducimur, & in his quæ ad agendum ambigua videntur, nobis saluberrimè consulitur: hæc enim in interpretum sacrorum eloquiorum libris abundè tractantur: illos omnes qui Christianæ scripsêre eo nomine nuncupauerim. Nam à fine denominantur rectè, atque eis semper erat in votis, vt ad intelligentiam sacrarum literarum sua cõmentaria conducerent, & mores præsertim instituerent & remouerent errores.

Hos quadrifariam, mea sententia, partiri possumus: in antiquos, qui non tãtùm docti, sed eloquentes fuêre: in eos qui theologiam vniuersam Parisiensi stylo scriptitauêre, atque in illos qui scrupulos conscientiæ pro virili extrudunt, qui omnes simul complexi, quartum in ordine, dignitate tamen plurima sibi locum vendicant: Primi trifariam sectionem patiuntur, aut enim docent contemplationes, aut sacri textus sensum eliciunt, aut opera particularia pro arbitrio cudũt. Attamen in horũ numero non modò collocauerim qui ab initio nascentis ecclesiæ vsque ad Parisienses fuêre, sed etiam qui eos imitati sunt, sicque instituti fuêre vt sapientiam cum eloquentia coniunxerint. Primi ordinis doctores, hoc est, antiqui, & qui eos secuti, cũctas ingenij opes cõuertêre ad intellectum Scripturarum, magis rhetoricæ, quàm minutis philo-

ſophiæ ſubtilitatibus inſiſtentes: Pariſienſes verò poſthabita eloquentia ſe totos ad inquirendam veritatem contulerunt, philoſophiæ quæſtiunculas ſacris eloquijs adnectentes, ſiue in quatuor theologicarum ſententiarum libros ſcribentes, ſiue totius theologiæ ſummam complectentes: Tertij ex vtroq; iunctis legibus ciuilibus & pontificijs farraginem decerpſerunt, & ad componendos mores comportârunt: Eorum quos quarto loco poſuimus, officium eſt, hæc omnia Herculea (vt ſic dixerim) audacia aggredi nihilq; relinquere intactum, curareq; quicquid literarium inueniri poteſt numeris omnibus conſumatum, poſteris relinquere. An verò aliquis adhuc id operis perfecerit an non, ſitq; eius conditio vt oratoris perfecti, quem credunt non inueniri, nunc ſub dubio reliquerim: Illud affirmauerim, Ioannem Picum ſi vixiſſet, hæc omnia adimpleturum fuiſſe, & magna iam ex parte abſoluiſſe, & cùm eius ſcripta (vt decreuimus) pro virili collegerimus diſpoſuerimusq;, vt propoſuimus doctis hominibus credo liquidum fiet, multò plura exequutũ eum, quàm nos promiſimus: Quis verò in ſuo quiſq; genere alijs præſtet, nunc non tractabimus, ad alia enim tranſmeandum: Nam poſtquam oſtendimus philoſophiam humanam poſſe ad ſacrarum literarum notitiam capeſcendam conducere, nec tantùm exiſtimandam quantum multi autumant. Nunc de diuinis eloquijs pertractandum: quæ omnino Chriſtiano excolenda ſunt: Poſtea de varijs diſcentium finibus diſputandum, quanquàm miſerè fallantur, qui aut lucri cupidinem, aut gloriam finem ſtudiorum poſuerunt. Demum quomodo & humana philoſophia & diuina ad Dei contemplationem vtendum, oſtendemus, quæ omnia ſequens liber, Deo iuuante, abſoluet.



DE STVDIO DIVINAE ET HVMANÆ PHILOSOPHIÆ.

LIBER II.

CAP. I.

SACRAS LITERAS QVAE VERA ET DIVINA PHILOSOPHIA EST; OMNI STUDIO CHRISTIANO EXCOLENDAS.



VPERIORE libro oſtendimus licere homini Chriſtiano humanam philoſophiam excolere diuinæ faciliùs perdiſcendæ gratia, & ſi ob alias etiam cauſas concedi probauerimus: In has igitur conuertẽdum eſt omne ſtudium, dirigendaq; mentis acies, in quibus euoluẽdis etiam ſi ab incunabulis deſudaremus vſq; ad decrepitam ſenectutem ſemper, vt aſſerit Auguſtinus, quo proficere poſſemus, inueniremus nec ſe excuſare quiſquam, quãquam in philoſophia humana nõ eruditus, ab huiuſcemodi ſtudio poteſt, quando ad quorumlibet etiam è medio intelligentiam ſe demittat. Illa enim ſic loqtur (vt ille ait) vt altitudine ſuperbos irrideat, veritate magnos paſcat, profunditate attẽtos terreat, affabilitate paruos nutriat: Illinc quoq; omnia non ſolùm in agendo negocia, ſed & in diſcendo ſtudia ſunt petenda, hoc eſt, vt non ſolùm boni efficiamur volũtatem inſtituentes, ſed etiam docti intellectum erudientes, vt oſtendemus. Nam quantum ad mores pertinet & liquebit proceſſu, & etiam nobis patebit ſi aduertamus conſenſum fuiſſe Chriſtianorũ omnium ab exordio naſcentis eccleſiæ, nihil magis ad bene beateq; viuendum conducere quàm frequẽtem lectionem diuinorum eloquiorum, iudicauitq; Antonius (vt Athanaſius in eius vita prodidit) ad omnem mãdatorum diſciplinam diuinas Scripturas poſſe ſufficere: Plures rationes ſe ad id monſtrandum offerunt, ſed nolo eſſe prolixior in re non dubia: Suopte ingenio & abſq; alijs adminiculis veritas hæc ſeſe exerit in lucem. Ad hanc notitiam diuinorum capeſcendam veteres theologi omnes exhortantur: Huic iuniores, Innocentius, Ioannes Gerſon, alijq; nonnulli aſſiduè monent incumbendum, & non modò his qui ex officio ad id negocij ſunt obnoxij, vt ſacerdotes & clerici, ſed omnibus cuiuſcunq; gradus & ordinis extiterint, & iure quidem, quoniam nullus ab hoc officio immunis eſt, quòd ſcilicet pro ſua ingenij viriumq; facultate, & ſibi & alijs nõ debeat eſſe adiumento.

CAP.

CAP. II.

SACRAS LITERAS SVPERARE OMNEM DOCTRI-nam, Gentium etiam ipsarum testimonio.

NAm si vtilitas in doctrina, nihilq; detestandum magis ignorantia veritatis, omnemq; scientiam per se bonam esse expetendamq;, & rationes probant & sanctorum hominum confirmant authoritates: cur somniculosi adeò & inertes sumus in euoluendis diuinis eloquijs, omnem scientiam eloquentiamque Gentilium eminentissimè etiam præter id, quod ipsis peculiare est, continentibus, atque etiam ipsarũ Gentium testimonio superantibus? Quis vnquam philosophus de rerum natura absolutiùs Mose tractauit? quis sapientiùs atque prudentiùs? quando rudis & subtilissimus quisque ex eo hauriat pro suæ mentis captu: quod nemini vnquam scriptorum Gentilium contigit. In quo historico veriores deprehendes historias, quàm in diuinis eloquijs? Vbi de amore enucleatiùs, ardentiùs, diuiniusq; scriptum reperies quàm in Psalmis, in Canticorũ canticis? Quęnam moralia præcepta copiosiora cõsumatioraq; visuntur, quàm in Exodo, in Deuteronomio, in Solomoniacis dogmatis, & demum in Euangelijs? vbi exquisitior ars rhetoricæ non fictæ & clamistratæ, sed verè quàm in Prophetis, quàm in Paulo Apostolo cõspicitur. Hinc didicêre qui habiti sunt inter gentes sapientissimi, vnde exclamat Tertullianus, sophistas, poëtas, philosophos de prophetarum fonte potasse: quod certè multi sunt confessi, præsertim Platonici, qui semper Hebræã disciplinam imitati sunt. Numenius philosophus protulit nil aliud esse Platonem quàm Mosem, Attica lingua loquentem. Hermippus Pythagoricus attestatus est, Pythagoram plurima in suam philosophiam de Mosaica lege transtulisse. Scribit Peripateticus Clearchus in libro de Somno Aristotelem ipsum à Iudæo quodam multa didicisse, celebratum illud dogma nosse se quemque, nónne (vt etiam in libris superioribus mensibus à nobis editis de morte Christi & propria cogitanda, meminimus) ex Mosi Deuteronomio sumpsit exordium: quanquam & Chiloni & Thaleti oraculoque Apollinis ascriptum est. Mitto quid Eusebius, Augustinus, Ambrosius asserant de acceptis à philosophorum turba ex veteri testamento sententijs: Quod etiam de nouo plurimi hauserint non difficile esset probatu, quando Amelius ille Plotini discipulus, quanquam inimicus & infensissimus religioni Christianæ theologiam Ioannis Euangelistæ sequi prorsus videtur, cùm inquit: Atque hoc erat illud verbum per quod ea quæ facta sunt, fiebant: Quum tamen semper essent. Quemadmodum Heraclitus voluit, & per Iouem Barbarus ille censet in ordine dignitateque principij constitutum apud Deum esse, & Deum esse, & per ipsum omnia facta esse, & in ipso quod factum est, viuum & vitam & ens fuisse: Hæc ille. Qui veritatem licet inuitus negare non potest, eius, quem tanquam hostis Barbarum appellat (vt Bessarion ait) sententiam probat & accipit fidem.

Sed si ad ipsam lectionem Bibliæ accesserimus, authoritates ad ostendendum, quod volumus, non desiderabimus: Quando ibi cumulatissimè deprehendemus vberrimam non solùm doctrinæ omnigenæ, sed etiam eloquentiæ segetem: Et sanè quantò id magis considero, tantò mihi colliquescit apertius. Legebam superioribus diebus fortè per ocium Tusculanam illam Ciceronis quæstionem, vbi maximo effert præconio verba Aeschinis aduersus Demosthenem inuehentis tanquàm magnam, & vim, & artem continerent, eaq; diligenter examinaui: Nec multò pòst tempore desumpsi in manus Esaiam prophetam Hebræo populo minantem: Nulla ferè similitudo: Adeò hic vehemens, sublimis, copiosus, resonans, terrorem incutiens, & veram artem vndique spirans. Quænám rogo comparatio inter oratoria illa tela ipsius Aeschinis & Demosthenis, aut alicuius alterius oratoris à fabulosa Græcia celebrati, & hæc nostri Prophetæ verba? *Audite cœli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël: Abalienati sunt retrorsum, super quo percutiam vos,* & quæ sequuntur. Illudq; potissimùm admirandum totum Vetus in-

tus instrumentum, cum aliqua parte noui ex Hebræo in Græcum in Latinumq; sermonem versum, eloquentiam (quæ in propria lingua summa ei inest) non perdidisse etiam in peregrina: Et cùm apud nos rudis potiùs quàm eloquens oratio eius videatur vim persuadendi maximã obtinuerit: non mouent, non persuadent sacræ literæ (vt scribit Ioannes Picus patruus ad Hermolaum) sed cogunt, agitant, vim inferunt, legis rudia verba & agrestia, sed viua, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia hominem totum potestate mirabili transformantia. Dignum autem animaduersione est, Augustino authore, quòd sicut quædam est eloquentia quæ magis ætatem iuuenilem decet, est etiam quæ senilẽ: Nec iam dicenda est eloquentia si personæ non congruat eloquentis, ita est quæ viros summa authoritate dignissimos planeq; diuinos decet, & hac Scriptores illos Bibliæ loquutos, ait nec ipsos decuisse alia nec alios ipsa. Eisq; authoribus vbi ipsos intelligit nihil non modò sapientius, sed nec eloquentius videri sibi asserit: Neq; artem vllam dicẽdi eosdem affectasse, sed sapientiam ipsam de domo sua, id est, de pectore sapientis procedentem, tanquàm inseparabilem famulam, etiam non vocatam sequutam eloquentiam: Tantum profectò abest vt lænocinia dicendi fucatasq; orationis illecebras sacra sibi procurent eloquia, vt nihil oderint magis. Demetrius Phalereus (vt Eusebius Pamphilus octauo Euangelicæ præparationis libro author est) à Theopompo audisse affirmauit, nonnullos cœpisse quædã à scriptura Hebraica translata Græca oratione exornare, & illicò magna turbatione perculsos, magno studio Deum orasse, vt scirent cuius rei gratia id sibi accideret: Audiuisseq; per somnium: Quia res diuinas lenocinio orationis inquinarent. Et Theodatum tragœdiarum scriptorem luminibus captum, cùm nonnulla à Iudaica Scriptura ad fabulam quandam transferre vellet. Idem copiosè docet ipsos philosophiæ principes & sequutos Hebraicam disciplinam, & illam summis laudibus extulisse, vtpote præcellentem atque primariam: Nec certè mirandum si reuelata deitùs mysteria hominum placita longè transcendunt: Quando ea ab luce inaccessibili descendentia perspicuis ingenijs suiq; capacibus se infuderunt: Quæ postea vtilitatis publicæ causa diuinoq; iussu inuulgârunt. Eam autem philosophiam quam homines in ignorantiæ tenebris degentes vestigârunt, & multa etiam cum nube sparserunt in populos, multùm subsidere perspicuum est. Nam ipsius authores quanquam aliquo naturæ lumine adiuti viderunt, plura tamen coniectauerunt quàm viderunt, & naturæ infectæ vitio debilitati & propria superbia caligantes.

CAP. III.

OMNES HVMANAE PHILOSOPHIAE PRINCIPES moribus maculatos & doctrina aberrasse, solos diuinarum literarum authores veridicos fuisse.



CÆterùm fides non modò maior, sed nec par scriptoribus vllis habẽda est, quàm ijs qui diuino instinctu sacras literas nobis tradidêre, cùm soli emaculati fuerint mendacijs: Nec scriptores Gentium vlli extiterint, de quibus illud Thebani Cebetis verè proferri non potuerit: bibisse omnes errorem, alios plus, alios minus. Quis enim philosophorum non aliquãdo mentitus est, nõ decursu aliquo temporis fallax deprehensus? de his qui ante Aristotelem fuerunt, facilè Peripatetici fatebuntur, Platonici quoq; multi, quanquã iuratissimi, communionem in Republica fœminarũ (vt alia mittam) malè defendunt: Alij confugientes ad mystica sensa: Alij literæ textu nitentes, vt paulò antè in Bessarione vidimus, explicare se nequeunt. De Aristotele verò (vt Eubulidem Milesiũ ipsum taxantem, Epicurumq; taceam) potest ne defendi de necatione monstrosi puerperij etiam ab Auerroë. Qui dum eum nunquàm errasse dicit, in errores ipse manifestos labitur: Nec nunc an iustè à Galeno & ab Auicenna taxatus sit, percunctabimur. Ipsius Auerrois inspiciamus insaniam, & ne confugiamus ad intellectus vnitatem, parùm ne ipsius deliramentum est, cùm scribat in Physicorum prooemio, nullum in Aristotelis dictis inuentum errorem, & ipse metheorologicos ipsius libros interpretans, asserat esse falsum, non reperiri iridem maiorem semicirculi figura. Quod Aristoteles affirmat socium, quòd suum contrarium vidisse ait, & quanquam (fortè ne sibi contradixisset

dixisset veritus) conatus est philosophi verba aliò flectere, vt videlicet non semper, sed ferè semper id esse intellexerit: ipse tamen Aristoteles excusari se non patitur, qui de huiuscemodi re validissimam demonstrationem attulisse autumauit, asseueranter affirmans nunquàm iridem circuli figuram æquare, sed nec semicirculi superare, quod fide ipsa experientiæ non solùm priscis petita temporibus, sed etiam nostra tempestate comprobata refellitur: Quare dum semel Auerrois cespitasse, formidauit iterum, & quidem impudentius lapsus est. Meminisse puto adhuc Ioannem Mainardum nostrum, virum certè tàm probis moribus quàm sua doctrina præstantem, dum mecum iret Florentiam secundo abhinc anno, vidisse nos iridem ferè circuli rotunditate: Risisseq; simul super Aristotelis errore & Auerrois mendacio. Auicenna quoque errauit in multis, si Auerroi & alijs quàm plurimis credimus, omnes autem diuinorum librorum authores etiam ab inimicis veridici habiti sunt.

Verùm cùm plurimùm referat authoris vita, vel ad arrogandam vel derogandam eius dictis fidem videamus, quàm laudabilem vixerint vitam gentiles philosophi: Credendum est enim, mea quidem sententia, magis probis hominibus veritatem illucescere quàm reprobis: Tum quòd eorum ingenia magis peruia sunt diuinæ lucis, omnis autem veritas quædam diuinæ lucis similitudo: Tum quòd distortis affectionibus non corrumpuntur eorum iudicia: vnde videmus etiam vulgò plurimum fidei habere his quos integræ vitæ fama commendat, quantum Bibliæ authores etiam testimonio aduersariorum moribus excelluerint, apud Eusebium Pamphilum est videre: Sed quis oro gentilium non moribus inquinatus, & probris etiam publicè lacescitus. Primò quantum ad religionem pertinet, deorum plurium cultores fuêre, & licet diuersæ super hoc sententiæ legimus, tamen Aristotelem Iunoni Sospitæ & Ioui seruatori pro salute Nicanoris vouisse statuas: Platonem Patera dijs sacrificasse, Socratem quoque eodem errore inuolutum. Quinimò Aristippus author est, ipsum Aristotelem fœminæ quam deperibat, veluti Athenienses Cereri Eleusinæ solebant sacra fecisse: Platoni puerorum obiectos amores, & priùs Socrati legimus, in quem tanquàm in adolescentium corruptorem sententia lata est, cuius partem Tertullianus à se lectam narrat. Si igitur qui parentes philosophiæ habebantur, & qui sapientissimus oraculo Apollinis censebatur, aberrauerũt, quid de alijs iudicandum? Apud Romanos etiam Cato citra controuersiam sapientis nomen obtinuit: qui tamen & in ipsa naturæ lege exorbitauit: Nam & ipse & Socrates mulieres in communi habendas esse, decreuerunt: De quibus Florens ipse in apolegetico, pro fide Christiana aduersus Gentes, inclamat: O' sapientiæ Atticæ, ô Romanæ grauitatis exemplum: Læno est philosophus & censor: Quare siue ipsam in doctrinam, siue authorum mores, & ingenia à mendacijs custodita pensemus, sacræ literæ mirum in modum doctrinam Gentium excellunt: quòd adeò perspicuum apparuit, vt ipsi philosophorum duces & secuti eas sint & admirati.

CAP. IIII.

PHILOSOPHANTIVM FINES QVATVOR REPERIRI, quorum vnus tantùm laudandus.

POstquàm de vtraq; philosophia tractauimus, humanamq; diuinæ deseruire docuimus, eamq; excolendam esse etiam consensu Gentium ostendimus: nunc quo fine vtraq; tractanda est monstrãdum, posteà quis optimus eorum vsus spectãdum. Nam & si initio primi libri viderimꝰ omnem scientiam notitiamq; veritatis bonam esse per se, malam fieri posse ex accidenti alio eorum modorum quos numerauimus in eis, quæ perperam agi ostendimus, aliqui rectum finem spectabant, licet alio fine in quem voluntas propensiùs ferebatur, distraherentur: potest enim quispiam propter Deum tantùm eiusq; honorem & gloriam & sui proximiq; vtilitatem literis incumbere: Qui tamen appetitu interim malè sano deflectet è semita, & eo, cui necessariò incumbere debet, posthabito, aliud quippiam excolendũ desumet: Nunc de philosophantium finibus per se tractandũ. Potest homo, meo iudicio, multifariam suam de literis notitiã, iam habitam aut quęsitã dirigere, in Deum, proximum, & seipsum: In se autem trifariã, aut ad bona animi permanentia,

manentia, vt sciat tantùm: aut apparentia, vt gloriam captet: aut ad externa, vt pecunias diuitiasq; congreget. Horum finium Bernhardus in Cantica canticorum meminit dicens: esse quosdam qui scire volunt vt sciant, alij vt scientiã vendant, alij vt sciantur, alij vt ædificent ædificenturq;. Intentionem hominum primi ordinis curiositatem appellat, secundi cupiditatem, tertij turpem vanitatem, quarti charitatem atque prudentiam.

CAP. V.


DECIPI EOS QVI FINEM STVDIORVM SVORVM in literis, aut scientia, aut lucro posuêre.



FAlli autem omnes præter illos, qui in Deum suam scientiam ordinant, non difficile est monstrare. Et primò de eis qui aut lucri cupiditate ducti, aut solo amore sciendi in doctrinas se ingurgitãt dicendum. Is animus qui creatarum rerum notitiam, atque etiam creatoris per sensuum vestigia quærit, in eius adeptione non stabilitur: ampliore enim Dei cognitione opus est, & præterea amore speque perpetuò fruendi ipsius: Et sicut naturales effectus si suis causis non substent, virtute propria destituuntur, quando amittunt influentiam eam qua ab ijsdem causis tutantur, augentur, & conseruantur: Ita anima quæ à Deo non modò in fieri, sed etiam in esse (vt verbis nostrorum vtamur theologorum) depẽdet, si ipsi non substet, imò quantum naturæ finit capacitas assimilare se conetur, opere suo frustratur: in eum enim semper & cognitione & amore tendere debet, si quietem nancisci cupit. Quapropter Augustinus aiebat, fecisse nos Deum ad se, & inquietum esse cor nostrum donec in eundem requiesceremus: Quies autem hæc non tantùm ad intellectum pertinet, sed ad ipsam voluntatem qua per amorem ei coniungimur. Nam si effectus perfectio in assimilatione causæ consistit: Infinito autem Dei amore creatura producta sit, sequens est, vt amore in ipsum tendat anima, si quiete & pace donari beariq; desiderat: Quare scientia per se amore destituta, tantùm abest vt nostrum sistere pacareq; animum possit, vt etiam sit causa quòd semper æstuet & fluctuet, & eo magis cùm adeò sit noster intellectus imbecillis, vt nihil ferè sciat comparatione eorum quæ nosce auet: Atque ad ea quæ sunt scitu dignissima percallenda noctuinis, vt docet Aristoteles, oculis cæcutiat. Magis autem exorbitant, qui literis quasi mercatura vtuntur, vt pecunias congregent & mercenarium faciunt studium sapientiæ. Dirigunt enim ordine præpostero internum, bonum ad externum nobile ad ignobilius: Horum hominum genere adeò infectum est præsens seculum, vt sint nonnulli quibus persuaderi non potest quenquam esse, qui ob aliud studijs literarum incumbat, quàm ob lucri cupiditatem. Malè adeò instituti animo, vt non solùm sint boni, sed nec alios bonos credere possint. Duos enim noui, qui philosophi vocantur, quos audiui hanc turpitudinem fassos, hoc dedecus non erubuisse euomere, vt quam haberet scientiam, alter mille aureorum numûm precio, si non deesset emptor, libenter venderet: & alterum qui etiam se equum esse mallet, dummodo copiosa suppeteret alimonia, quàm eò victu viuere quo degebat: & nihilominus non egebat, si metiri indigentiam secundùm communem existimationem voluisset, non secundùm suam insatiabilem & inexhaustam auri cupiditatem.

CAP. VI.

QVANTVM FALLANTVR QVI OB FAMAM, ET GLOriam apud homines obtinendam literis incumbunt, quanq; miserè vitam degant.



QVantùm verò delirent, qui vt sciantur reputenturq; doctrina præstabiles, dies & noctes in versandis libris anguntur, nemo est qui nesciat, nisi qui statum ambitionis non considerârit. Nullum quippe hominum genus tàm infelix quàm quod honorum ambitu feruet, & eorum potissimùm quos literæ pariunt. Qui enim aut ob diuitias gloriam quærit, aut sanguinis nobilitate regumq; fauore se tollit in sublime, faciliùs percipit non à se, sed ab alijs hoc prouenire,

nire,nec difficulter ſpoliari poſſe amatis bonis: At propria induſtria proprij ingenij præſtantia ad nimium ſui amorem hominem ſtimulat, quo ſæpiùs hallucinatur: Iudicans id veluti ſuum & de proprio eſſe peculio,vt nec profectitium,nec Dominicũ agnoſcat: Decipitur autem non ſecus ac ij qui phreneſi capti, aliena omnia ſua exiſtimant. Quid enim habemus quod noſtrum ſit? Nónne cuncta quæ in nobis ſunt, Dei ſunt? Quid ergò oportet ſe extollere, magnificare, oſtentare? Glorietur qui gloriatur in Domino,cùm bona cuncta Dei ſint,nobis ſua gratia infinitaq; bonitate collata. Cæterùm quam ſcientiam tenemus? Hanc certè ſi rectè ſentimus,nullam ſcilicet nos adeptos,nec docti cognomentũ rectè obtinere,cũ multa ignorantia laboremus: Niſi fortè hoc nomen eorũ numero velimus aſſociare, quæ ſunt ad alterũ:Reſpectu, ſcilicet,& comparatione eorum, qui ſunt ignorantiores. Quis enim docti prærogatiuam abſolutè ſibi vendicauit? Cùm infinita ſint ferè,quæ neſciat, & ea quæ nouit partim ab alijs petita ſint,partim an verè ſciat,ſub dubio teneat:Et hæc de rebus corruptibilibus.De eis verò quæ à materia ſunt remota,eſt nihil quod dicam,cùm ad ea cognoſcenda ita ſe habeat intellectus noſter, Ariſtotele authore,ſicut veſpertilionis oculus ad Solem contuendum. Maior homini noticia ex diuinis ſcripturis habetur: cùm in lumine fidei quæcunq; in eis propoſitiones continentur,ſint notiſſimæ.

Sed demus omnẽ noticiam, quæcunq; ab homine haberi poteſt, ei qui finem cognitionis & ſcientiæ gloriam mundi poſuit, illamq; iam ſit adeptus: In ipſa verò & retinenda & augenda quot agones deſudandi,quot ineunda prælia: Sed quæ intùs procellæ tempeſtatũ,qui æſtus, pluſquàm marini,dum audis te rodi,lacerari,modò clàm, modò apertè, & à doctis & ſæpè etiam ab indoctis, qui tuam exiſtimationem penitùs conuellendam ducant,neq; enim ſi in altum aſcenderis,hanc luem effugies, ſed magis in eam incides,cùm liuor inſtar ignis petat alta,feriantq; ſummos fulmina montes,quantò certè magis faſtigio propinquas,tantò magis impeteris. Septem illos ſapientes,quos Græcia celebrat,qui de nomine ſapientum,ſubtiliùs quærunt,illo nõ donant,vt Cicero aſſerit. Socrates poſtquàm oraculi ſententia ſapientiſſimus iudicatus eſt,tantam in ſe conflauit calumniam ab eis,qui ſapientes ſe credebant,vt hac etiã cauſa morti addictus ſit: Ariſtophanes in ipſum inuexit, Melitus accuſauit de impietate,de corruptela adoleſcentum,& poſtea adiudicatus eſt morti: Zeno ſcurram Atticum vocauit vſus Latino verbo. Plato quotiens impetitus,quotiens non tàm in moribus quàm in doctrina morſus & flagellis cæſus: Vnde Platomaſtigorum nomen: Nam vt de Ariſtotelis in eum rationibus taceam, quid Epicurus Metrodorus & alij in ipſum ſparſerunt. Ariſtotelem cùm Eubulides Mileſius tùm alij reprehenderunt, Epicurus vexauit,& quidem contumelioſiſſimè, vt Cicero inquit: Qui etiam nec Pythagoræ nec Empedocli pepercerat: Contra Theophraſtum admirandæ eloquentiæ virum Leontium,meretricula ſcribere auſa eſt, quòd Atticus homo nimis atticiſſaret. Cicero in ipſo ſermone qui tantopere laudatur, & dum viueret, à Bruto, à Saluſtio,& ab alijs,poſt mortem etiam reprehẽſus à multis, qui ſe Ciceromaſtigas nominabant. In vita enim ſemper contradictores habent etiam qui celebriores habentur. Apud veteres vſq; ad Platonis ſucceſſores ſua quiſq; tempeſtate fama præditus habuit æmulum,vt apud Diogenem in Socrate eſt videre: Nec quantumcunq; ſimultates dies lenta præſcripſerit, effugiunt ſcripta celebrium authorum, vituperationem aut contradictionem,quàm vitari non poſſe,niſi ab his qui nihil omnino ſcribunt,fatetur Cicero. Nam de Homero,quem vt Ioſephus contra Appionem narrat, Græcorum authorum antiquiſſimum celebratiſſimumq; conſtat, multa vitia circumferuntur cùm in oratione tùm extra. Nam præter illud vulgatum,dormitare eum quandoque,præterq; Zoili libros ipſum etiam Dion Pruſienſis dicato opere perſequitur, & ſtrenuiſſimum fuiſſe dicit ad mentiendũ: nec vnquam fuiſſe à Græcis Troiam captiuatam. Demoſthenes qui Ciceronem authore Fabio quantus eſt,fecit,aurem ipſius Tullij ſemper non implebat. Quare literis indulgere famæ celebrioris gloriæq; captandæ gratia in vita valdè miſerum,vt docuimus: Cùm ſemper malè audias: Quod his qui ſe ſapientes exiſtimant,ſupplicium eſt intollerabile.

Si verò poſt mortem miſerrimum, nam mitto quantum nihil ad te pertineat,quid de te homines ſentiant cùm exceſſeris è vita, illud nõ negandum,quòd ſemper vt vidimus, etiam mortuus in cineremque redactus diſcerperis: Sed ſæpè etiam tua ope-

ra perduntur & nomen obliteratur. In Homeri poëmate reparando multi laborârũt: Nam ille suos versus non scripsit: Ab alijs postea notati, variè tamen & mẽdosè: Quod vt in vnum redigerentur, Pisistratus Atheniensis curauit proposita mercede vt ad se ferrentur, ascitisq; grammaticis, alij à familia summoti, alij asterisco notati, alij obelisco confossi sunt: Et fortè si ille à mortuis excitaretur, suos non agnosceret. De libris Aristotelis quot penitùs amissi, & hi qui habẽtur quomodo interpolati, & quàm propè fuerunt vt perderentur, cùm infossi terræ negligenterque sunt habiti, authore Strabone, priusquàm eos Adpelliconteius magna mercede comparasset, & Syllæ temporibus Romam asportati fuissent. Sed de ipso etiam nomine authorum nónne controuersia? Celebratur Orpheus eiusque hymni prædicantur à multis, & nihilominus Cicero in libris de Natura Deorum nunquàm fuisse Orpheum dicit, authore Aristotele, & qui eius nomine prætitulati versus circumferuntur secũdùm Pythagoricos, cuiusdam fuêre Cerdonis. Hæc de Gentilibus philosophis. De Christianis verò theologis quis nescit & inter eos etiam fuisse controuersias, veteres dico, atque vt alios mittam: Quotiens Hieronymus de suorum canũ latratibus lamentatur: De Neotericis nihil est quod dicam, cũ libri eorum pleni sint certaminibus, & præter id quod in his quæ ad sacrarum literarum canonem pertinent, omnes conueniunt: In reliquis quot capita, tot ferè sententiæ, & qui veritate magis nituntur, magis oppugnantur. Tum quod omnia iudicia recta non sunt, tum quòd falsa interdum probabiliora veris, vt docet Aristoteles, itaq; nullus à reprehensione vel iusta vel iniusta omnino immunis: Sed & quæ etiam suapte natura sunt vera, ob intellectus infirmitatem magis creduntur quàm sciantur, adeò vt de Aristotele qui quomodo fieri demonstrationes oporteret, duobus libris edocuit, dubitetur à multis an verè ille vnquàm vllã effecerit, potissimùm in naturalibus: A` multis scio negari. Laboramus profectò multa ignorãtiæ caligine: Nam quotus quisq; reperitur qui eum cui est addictus, authorẽ non celebret, sæpe alijs posthabitis, ipsumque tantùm ex antro Heracliti aut Democriti puteo veritatem extraxisse non contendat, alio id obstinatissimè inficiante. Ioannes Scotus ab eius sectatoribus plurimùm extollitur, & rectè, cùm homo vegeti ingenij fuerit & perspicacis, sua inuenta miris laudibus efferuntur: distinctionumque pluralitates (quanquam alij ab Henrico Gandauiensi petitas magna ex parte affirmant) celebrantur. Ab eis verò qui Thomæ sunt astricti, parui, ab illis qui nominales vocantur, nihil penduntur: Adeò vt ab Alliacense scriptum sit, impossibilius sibi videri, vt ostendatur rationibus vera esse quæ de pluralitate ipsa distinctionum afferũtur, quàm quòd personarum Trinitas in vna essentia, quæ fide tantùm tenetur, certissimis syllogismis demõstretur. Mitto quid celebratissimi viri in eum effuderint, & alij etiam illius auditores. Quare decipitur humanum genus cũ gloriam quęrit ex literis, celebremque apud homines de se existimationem. Quando tantum abest vt id assequatur, vt sæpè etiam ob ea ipsa inuẽta, quibus nancisci eam credit, apud multos impensissimè castigationem & flagella patiatur. Crediderim ego diuina hoc prouidentia permissum, vt id vitium in quo facilimus esset lapsus, ijs incommodis sepiretur, & detractoribus ipsis quasi molossis latratoribus stiparetur, qui semper quotienscunque nobis occasio ad incurrendam decipulam præstatur, nostræ nos infirmitatis admonerent, baubatus plurimos circumfundentes inuitantesque, quasi dixeris ex accidenti, vt ex literario negocio asciscere nobis ea procuremus præcepta, quæ inuidię morsus effugiant, & falsæ opinionis repugnantiam minimè reformident: Hoc est, vt cunctas actiones & opera sicuti & in alijs rebus, ita & in literis perpetrata Deo condonemus, vt nos & alios pro virili instruamus: nec quid de nobis sentiatur. Postea curemus, & tàm humana quàm diuina philosophia ad eius agnitionem capescendam consequendumque eius amorem vtamur. Quod quomodo facere possimus, obiter ac veluti in transcursu perstringendum.

CAP. VII.

QVOMODO HVMANAE PHILOSOPHIAE adminiculo in Dei contemplationem possumus ascendere.

DIximus vtilem nobis esse vtranque philosophiam, si ea vti voluerimus, non abuti: Nam humana ope ex ignobiliori omnium entium consideratione quasi gradu facto per scalas ad ens (vt inquit Plato) ipsissimum: hoc est, Deũ omnium entium originem & causam, quamuis ascendere rerũ naturæ ordinem speculantes: Diuino verò adiumento & hæc eadẽ & multò maiora sublimioraq; cognoscimus. Neque enim hîc à me expectari volo, quę diuinus Dionysius in libris de mystica theologia & de diuinis nominibus, quæ Augustinus 10. confessionũ copiosissimè scripserit: quid Bonauentura pluribus in locis præsertim in Mentis itinerario monuerit: quid Ioannes Gerson in plerisq; suarum lucubrationum, quid alij multi: Quid Ioannes Picus in quinto capite tractatus de Ente & Vno, in quo de gradibus agit diuinæ caliginis, nos docuit: Tum in tractatu de Humana hierarchia, & de Vita perfecta, de perfectæ orationis circulo monstrauerit: quæ nos cum reliquis eius operibus perficere, & in publicam dare vtilitatem constituimus: Sed quæ quisq; capere facilè possit, & sicut mihi, ita omnibus hoc perquirentibus, in mentẽ venisse paucis ostendam. Possumus itaq; cũ quid ex corruptibilibus sub obtutũ venit, primã materiam sub simplicibus elementorũ formis, elementaq; in ipso composito cõtemplari. Neq; hîc pedem figere rimantes, an in mixto integræ formæ maneant, an fractæ, an penitùs abolitæ, vt inter Auicennam, Auerroim, Thomam, & sectatores celebris est pugna: Sed mixtorum species speculãdæ: An, scilicet, compositum ipsum animatum sit, an inanime, cuius aduertere sitũ motumq; propriũ debemus, nec perscrutatione ea impediri à generante, remouentéve prohibens, vt Thomas: An magis à principio intrinseco, vt Scotus voluit, patiantur impulsum: Verùm ad animatorum genera trãsmeare: Stirpes Zoophyta Bruta rationalia: Dein ad vniuersi ordinem maximarumq; molium corpora dirigere mentis aciem: Cernere terram libratam in medio, & aquæ sphæram ipsam vallantem quasiq; obruentem: Aëremq; aquas complectentem: Atq; ignem ea omnia continentem: Postea ad cœlos acumine conscendere ingenij motricesq; intelligentias inde perscrutari, earumq; naturam ex animæ nostræ proprietatibus aliquantum conijcere, quòd incorporea, infatigabilis, quòd ens apprimè nobile, ex quarũ vestigatione & potentiæ: & actus, mixtionem, ipsamq; dependentiã perpendentes, ad sublimem primi entis contemplationem peruenimus, quasi nos in totius fastigio collocantes: Inibique speculamur quòd rerum omnium origo & causa, quòd ab eo dependent omnia, ipse à nullo: Incorporeus, æternus, infinitæq; virtutis. Descendere postea per hæc omnia ad nos possumus: Quos participes omnium ferè entium esse cognoscimus, ipsum esse cũ inanimis commune sortitos nutriri, augeri, generare, cũ plantis: sentireq; cum brutis: intelligere cũ separatis illis à materia mentibus, & à colluuione contagioq; sublunarium rerum penitùs eximijs. Quibus omnibus perceptis, summum omnium rerum Opificem Creatoremque & venerari, & instinctus naturæ sectantes diligere inuitamur: alijsq; qui cũ nobis eandẽ speciem sunt sortiti benefacere, neminiq; nocere. Hucusq;, natura duce, perueniri potest. Verùm truncata hæc & imperfecta de Deo cognitio comparatione reuelatæ nobis deitùs sapientiæ. Quando & hæc eadem ibi continentur, & alia postea cùm multa tùm maxima, ad quæ per naturæ vestigia progredi non datur: Sed superno duce lumine, videlicet illo cui nititur Christiana fides, tutò peruenitur: quo obtento prioribus illis adminiculis non egemus: Quandoquidem ea omnia ipsius ope noscimus & quidem eminentius: Sed & emolumentum opportunum, inde ineruditi naturalibus rationibus, & eruditi fide capiunt, & in hoc potissimùm omnes alias doctrinas excellit.

Quoniam fidei & amoris alis cacumina illa, ad quæ philosophi gentium reptantes peruenerunt, docet eminentissimè transcendere.

CAP. VIII.


QVOMODO PHILOSOPHIAE DIVINAE OPE *ad Dei contemplationem perueniatur & perfectiùs quàm humanæ duntaxat adiumento.*



CV'm enim sub exiguo naturæ lumine caligaret humanum genus, libri illi Bibliȩ, quos canonicos appellamus, promulgati sunt: Vetus primò Testamentum, paulatim decursuque temporis aliquo Nouum, qui duo vnus tamen liber dici possunt: quippe cũ recens Instrumentum sit antiqui consumatio: In quo omnia in figura continebantur vmbris & velamentis pluribus adumbrata: donec nouo fulgore collustrarentur. Hæc est lucerna, quam si proficiscentes per huius tenebras seculi, & vmbras mortis gressibus adhibuerimus, & supernam patriam quanquam de longinquo per speculũ videlicet & in ȩnigmate videbimus, & offendicula quæ in itinere partim patent, partim latent, deuitabimus. Exorditur hic liber à creaturarum creatione, finit in consumatione: Docet quomodo per Dei bonitatem in esse effluxerunt, quomodo in eundem redeunt: Et quomodo rationalia quæ recto itinere processêre per felicitatem testentur misericordiam, quomodo quæ exorbitauerunt obstinatè per sempiterna supplicia testentur iustitiam, quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas omnia hæc reuelata: Exordium scripsit Moses, finem Ioannes Euangelista: Vbi prima natura defecit, prouidit gratia. Nam vt paulò antè docebamus, nostra cognitio, vbi ad primam causam, quatenus omnium causa progressa est, canit receptui, relinquitque sub dubio æternitatem mundi: super qua Plato & Aristoteles, Auicenna & Auerrois cum sectatoribus digladiantur: qua sublata, maxima quoque diuinæ bonitatis notitia corruit. Prouidit autem gratia, cũ per hæc verba diuino iussu Moses intonuit: *In principio creauit Deus cœlum & terram:* In quibus verbis continetur quicquid ex tota illa vestigatione per entium gradus nancisci datur, vt apud multos est videre. Sed si quis nouo & eminenti modo id sciscitari cuperet, lecta Ioannis Pici patrui heptaplo, nihil desiderabit. Mira profectò Diuinæ scripturæ profunditas, stupendus ordo: quando nõ solùm per Bibliæ ordinẽ discurrentes, ex quibuscunque libris summas in Deum contemplationes eruere possumus: Sed nec est cuiuscunque libri tàm parua portio ex qua non detur (modò simus capaces) excerpere quicquid docet humana philosophia: Addita etiam num magna religionis capescendæ formandæque voluntatis facultate, & hoc postremo munere mundi superatur sapientia, nec aliquod tàm paruum in ea caput reperire possumus (si modò in ea aliquid parui) quod nos ad Dei cognitionem eleuatos non illuminet, & illuminatos accendat. Cæterum vt etiam meminimus, in Diuinis eloquijs hoc præcipuum quòd ad intelligentiam ineruditorum se demittunt, adeò vt miros arcanosque sibi ex eis intelligentiæ haustus accumulent. Notum illud de beato Francisco à Theologis quibusdam prolatum, eius videlicet Theologiam cœlum transcendere, suam autem humili gradu reptare terram, quam tamen vir diuinus & Christi amore mirum in modum flammatus non de commentarijs Thomæ aut Scoti, qui nondum nati fuerant: sed de diuinis literis diuino amore examinatis eruerat. In fide igitur Christi in primis fortiter standum: Qua duce Deum versus peregrinari tutò possumus, per iter sacris eloquijs quasi viuis lapidibus stratum ad ipsam petram: Petra autem Christus est, qui sui amatoribus seruatoribusque præceptorum, sempiternam felicitatem & repromisit & tribuet.

FINIS.

IOAN-



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE,

De morte Christi & propria cogitanda,

LIBRI TRES.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA, HIERONYMO Sauonarolæ Ferrariensi, ordinis Fratrum Prædicatorum seruantissimo,

S. P. D.



ERITVS sum, Pater religiosissime, ne ingrati nomen aufugiens, eiusdem notæ discrimen incurrerim: Siquidem Ioanni Pico patruo vita functo (qui multa in me beneficia contulit) gratias referre nixus. Dei beneficium ipsius etiam opera ad nos delatũ præteriui silentio: Nam in recuperandis vulgandisq; literarijs illius monumẽtis nullo certè nõ præconio maioribus, atq; etiã scribenda vita tutandisq; nonnullis metaphysicis dogmatis totũ hoc ab eius obitu consumpsi biennium: Taciturnus interim, tametsi non oblitus diuini muneris. Quapropter & Leonis sententiã considerans, docentis nõ esse verecundæ, sed ingratæ mentis tacere diuina beneficia, & pariter animaduertens si flagitium existimatur, cælasse alios quæ pertinent ad salutẽ corporibus conciliandã, in eum qui absconderit antidotũ animi, seueriùs vindicandũ censeri. Venit in mentẽ, quicquid ex hoc concepi emolumenti, si palam facerẽ, posse me simul & idipsum in alios deriuare, & collato deitùs beneficio partim etiã satisfacere: Quippe ob mortis Christi & propriæ consideratione͂ à me habitam, aspirante Deo optimo maximo, intercedentibusq; patrui monitis, cùm prolatis coram, tùm repetitis per epistolas effectũ fuit, vt posthabitis honorũ ambitu, regum fauoribus, popularibus auris, atq; id genus cæteris, quæ Christianam vitam aut labefactant, aut omnino molliunt, breui gyro mea vota sepserim, intrà desideria naturæ contentus. Dicato igitur opere, vtrãq; mortem prosecutus sum, diuturnum silentium redimens: Et eò præsertim consilio, vt ingrati animi labem, si qua cõtracta esset, pro virili abstergerem, & inuitarem legentes hac bipartita recordatione, ad bene viuendi semitam vel capessendã, vel concitatiùs percurrendã: Quod equide͂ simulac dare in publicum cõstitui, te potissimũ delegi, in cuius nomine appareret: Non quod mihi videretur dignũ tua in literis præstantia, tua vitæ sanctimonia, sed vt iusto tibi iure debitũ: Id namq; nobis sæpè tribuisti, vnde ad ipsum elucubrãdũ excitaremur, plurimaq; spiritualia beneficia es impartitus: Quo factũ, vt eade͂ ferè ratio, quæ ad cudendũ me illud impulerit, vt ide͂ tibi dicarem obstrinxerit. Accessit & alia causa neruosior sanè atq; potentior, tuarũ scilicet precũ suffragia: Quibus apud Deum cupimus adiuuari in consequendis ampliter retinendisq; ipsarũ cognitionum fructibus, quos iam degustare occepi, & alijs insinuans stylo manifestaui. Multos enim vidimus qui cùm rectè viuendũ alijs suasissent, id ipsum postea sibi nõ persuaserunt: Tum quòd frequenter à moribus dogma dissentit, tum quòd omnes cũ valemus (vt ille inquit) recta cõsilia ægrotis damus. Quare cũ alicunde mihi petendũ esset auxilium, ad te ventũ est, pater optime, vti ad eum quo adhuc (facessat adulatio, & absit inuidia verbo) & doctiorem simul & prudentiorem & moribus sanctiorem cognoui neminem: Quibus si propheticũ addidero spiritũ, quo præditus, calamitates futuras quæ iam impendunt, iam imminent, diuino iussu auribus Italiæ atq; vtinam non surdis insonuisti, extra omne͂ fuerit cõtrouersiam, siquide͂ tuis precibus diffidam, me magnopere aberrare. Librum igitur hunc nostrũ eo animo, quo nos soles, suscipe, cumq; totũ perlegeris (si tamen per occupationes licebit) fratribus tuis vt legendũ tradas exopto: Qui si tecum inter legendum quod offendat, inuenerint, id totum primis & iuuentæ annis & lucubrationũ condonent rudimentis: ignoscant quoq; nõ tàm celeritati conficiendi operis (id enim quadragesimum

circiter absolutum est diem) quàm emittendi cupiditati. Neq; enim cùm pietatis officium & vtilitatem eam pensarem quæ sententias contemplanti, si modò Christianam simplicitatẽ minus fastidiat, affutura est: Horatiano dogmati acquieui: vt libellum hunc tot apud me premi menses voluerim, quot ille annos præcepit. Vale: in tuis ad Deum precibus memor mei. Mirandulæ XIII. Calendas Nouembris. M.CCCCXCVI.

INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS.

CAPITA I. LIBRI.

CAPITA II. LIBRI.

CAPITA III. LIBRI.

IOAN-

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ IN LIBROS DE MORTE CHRISTI ET propria cogitanda,

PROOEMIVM.



MNES fermè prisci temporis homines, qui sapientes vulgò censebantur, summum illud bonum, ad quod anhelat tota natura, qua potuêre ratione, vestigauerunt: Diuersa tamen pro arbitrio, de ipsius & natura & sede sibi statuerunt, alijs relicta veri semita, per præruptas rupes confragososq́ calles id ipsum perquirentibus alijs proprijs inuentis gaudentibus, atq́ in voluptatum cœno se mersantibus. Et quanquam inter hanc philosophantium turbam nonnulli fuerunt, qui deuium & distortum iter magna ex parte deserentes, recto proximè applicuerint, congenito lumine ferente opem: Omnes tamen obsepti caput ignorantiæ nube, à via perfectæ virtutis aberrauerunt. Quamobrem & iure quidem in cogitationibus suis cunctos euanuisse Paulus Apostolus iudicauit: At promulgatis præceptis diuinæ legis per Mosen Abrahæ posteritati, qui & Dei purißimus cultor extiterat, & cum eo fœdus sempiternum inierat, copiosus veritatis splendor (tametsi quadam vmbra circumdatus) affulsit orbi: quem tamen intueri potuerunt vniuersæ gentium nationes: ne aut sub idolorum cultura craßißimis obtectæ tenebris in præceps ruerent, aut solo humani intellectus hebeti fulgore contentæ, ad Solis iustitiæ radios cæcutirent. Illius enim legis ope, felicitatis verè imago, adumbrata tamen, apparere hominibus occœpit. Sed nec Hebræorum populus, cui data lex illa peculiariter fuit, dignas diuino munere retulit gratias, quandoquidem alienos deos adulterinosq́ sequutus, summi & veri Dei iugum excußit: Ipsumq́ demum ducem, & in Lege & in Prophetis ipsius spiritu afflatis promissum, cuius vestigijs ad beatitudinem perducentibus insistere debebat, hoc est, Christum Dei filium, verum Deum, verumq́ hominem, obstinatione & inuidia neglexit, irrisit, crucifixit. Vnde ob tot perpetrata facinora meritò reprobatus est; & nos electi: qui scilicet Christum colimus, atq́ pro reseranda cœli ianua, ob Adæ scelus occlusa, summa qua genus hominũ charitate complectitur, spōte & libentißimè crucifixũ credimus. Hic disclusis vmbris & velamentis antiquæ legis, finem nostrum non antea plenè patefactum, mundo reuelauit, summam illum duntaxat Trinitatem esse personarum docens, in diuinæ essentiæ vnitate indiuidua, quæ purgatißimis mentibus & cerni dabitur & poßideri. Ad quem etiam consequendum duo necessaria esse tradidit: Amorem videlicet Dei, & proximi: ex quibus tota penderet lex, & veluti de perenni fonte bonorum omnium operum fluenta decurrerent.

Hæc autem duo vt faciliùs & copiosiùs comparari possent, cùm alij alia in suam vtilitatem excogitauerint, aliosq́ docuerint, & mihi idem cogitanti meditantiq́ aßiduè, primùm Ioannis Pici patrui monitis, deinde experientia constiterit, potißimam ad hoc vim illud habere, si mortem Christi iugiter memoria repeteremus, nostramq́ idētidem, quæ futura est, & velocißimis aduentat cursibus, cogitaremus id ipsum alijs insinuare dignum duximus: Rati ea quæ & per se sunt bona, & aliquibus plurima adiumenta contulerint, non posse etiam sanæ mentis hominibus non placere vt patefiant: necnon displicere vt sileantur. Suffragatur nobis & euidens ratio quando ex vna verus paritur amor, quo nulla vis in homine potentior, ex altera timor, quo nulla frenantior: quæ duo apprimè nobis sunt necessaria: Quippe post primi parentis peccatum humana mens hac illac raptatur & discerpitur à parte sensili, quæ semper aduersus spiritum ob vitiatæ naturæ fomitem, concupiscit. Diuiditur autem sensilis hæc pars in appetentiam, cuius amor, & in irascentiam cuius timor, affectio primaria est: Hæ cùm brutæ sint & rationis expertes, fallanturq́ ob id mirum in modum, opportunum videtur, imò necessarium, vt duabus quasi pedicis cohibeantur.

Ad retundendam igitur illius petulantiam & effrenatam libidinem, huius immanitatem & feritatem contundēdam alteri proponi oportere iudicaui, quid amandum sit, alteri præstituere quid timendum, vt nec illa noxium pro salubri appetat, nec bonum hæc pro malo formidet, sed pari inter se concordia rationi deseruiant & famulentur. Quocirca treis libros destinauimus huic muneri: in primo monstrabimus, operæprecium esse vt anima Christum crucifixum meditetur, eumq́ pro amußi sibi constituat, qua cuncta opera dirigat, ne vel aliquid deliret in appetendo: In secundo hoc idem quantum scilicet ad timorem pertinet de mortis pro-

priæ cogitatione tractabimus, vt iraſcētiæ vis intra limites debitos coërceatur: Ex his conuelli extirpariq́ disperdi vitia in vniuerſum, virtuteſq́ eorum loco nec impendio plantari pro virili docentes. Demum applicabimus manus tertio, in quo demonſtrare quoad poterimus, enitemur ex iugi vtriuſq́ mortis cogitatione, & vitia cuncta ſpeciatim ſingulatimq́ explodi, imò prorſus eliminari poſſe, & virtutes acciri facillimè, inſerendas menti vt copiosè fructificent: haſq́ ipſas meditationes ad ea quæ credere debemus, quæ ſperare, quæ operari, maximo eſſe nobis adiumento palàm faciemus, nec non & ad amandum Deum & proximum validiſsimè nos impellere. Sed quemadmodum in primis ceu per communia quædam id factitabitur rationibus, interdum ex philoſophorum theologorumq́ penu depromptis, vt eruditis mos geratur: Ita in vltimo cum facilioribus argumentis, tum particulariùs eadem proſequemur, vt quibuslibet ſatisfiat. Sed iam recidentes præfationis moram, primum librum aggrediamur.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DE MORTE CHRISTI ET PROPRIA COGITANDA, LIBER PRIMVS.

CAP. I.

CVNCTIS REBVS INESSE AMOREM.



PERVETVS & trita ſententia eſt cunctorum in literis benè audientium conſenſu recepta & confirmata, inditum eſſe amorem rebus vniuerſis: Nec modò ſubſtantijs vltrà mundanis à materia ſenſili prorſus abiunctis, ſed hominibus, ſed brutis, ſed plantis etiam, atque ipſis inanimatis: Quæ quanquàm cognitionis & ſenſus penitùs ſunt expertes, ipſo tamen genuino amore intraneæ formæ conſerto, propriam ſedem & locum, quo cōſeruentur, ſatagunt adipiſci: Sic ignem leuitate ſua in ſuperna ferri: terram ſuopte pondere petere centrum: Sic ſtirpes ramos in aërem mittere, radices in terram figere perſpicimus. Hunc amorem ſeu appetitum (promiſcuè enim de vtroque locuturi ſumus) naturalem appellauêre, illum ſenſilem, qui propriam apprehenſionem ſequitur, nec tamen à rationis examine profluit, qualem cernimus in brutis, quæ concito præcipitique curſu concupitas res tumultuanter petunt, & quas peroſa ſunt, fugiunt. Hominis amori rationalis appetitus nomen impoſuêre, vtpote quem ratione moderamur atque in libra appenſum opportuna conſideratione perpendimus, quo flectere debemus. Intellectualis amor ab initio ſpiritibus ſeparatis obtigit, quorum ob ſuperbiam multi in caliginoſi huius aëris baratrum infernasq; ſedes corruerunt: reliquis in gratia firmatis & beatitudinem perpetuam cōſecutis. Qui quantò ſunt perfectiores, tantò vehementioris amoris impetu feruntur in Deum, cui non modò conuenit amor, ſed & ipſiſſimus eſt (vt ita dixerim) amor & charitas infinita, fonſque totius amoris & origo. Qui cùm ſit ſummum bonum, ſeipſum ſummè diligit: quandoquidem amoris obiectum (ita enim recentiores appellant) bonum exiſtere non ambigitur. Cætera verò in tantum diligit, in quantum ſunt bona, ſi quidem ab ipſius intellectu & voluntate eſſentiam bonitatemque accepêre.

CAP. II.

AMOREM ESSE PRIMVM ANIMAE MOTVM. Item animam humanam ſicut & alia naturaliter Deum ſupra omnia diligere.



CÆterùm amor rationalis animæ de quo, reliquis omiſſis, in his libris potiſſimùm verba facturi ſumus, inter cæteros eiuſdē motus (ſic enim motum & Ariſtoteles & noſtri Theologi vſurpant) principem obtinet locum, præſupponiturque vti radix & ſeminarium vnde reliqui profluunt:

Nunquam

Nunquam enim peragere quiremus aliquid, nisi ab amore prouocaremur: Nam & desideramus bonum amatum & gaudemus lętabundique exultamus vel adepti iam vel sperantes. Præterea nec mœremus, nec tristamur, nisi cùm ipsum aut acquisitum amittimus, aut cùm nos spes consequendi frustratur. Ipsa verò anima quæ se intelligit diligitque cùm propriam naturam considerare incipit, protinus congenita intellectus virtute se summum non esse bonum perspicit, imò multa ignorantia obtenebratam, multis pressam calamitatibus, quò fit vt vi voluntatis bonum semper flagitantis sitibunda moræque impatiens ad ipsum summum bonum quærendum transferatur. Bonum (inquam) quod rebus omnibus in votis esse prisci illi sapientes, Aristotele authore, definierunt, quodque, vt diuinus docet Dionysius, ad sui amorem conuertit omnia. Relicta enim rebus vniuersis in ipsa creatione atque ortu scintilla quædam & portio (vt ita loquar) diuinitatis est, qua & ipsam quærant, tanquàm id cuius benigna largitate fluxerunt, eandemq; sicut effectus causam sequantur, amando videlicet & imitando pro naturæ capacitate.

Verùm in ipsa summi boni concupiti vestigatione plurima se offerunt animæ diligenda, tum quòd boni aliquid possident, tum ob similitudinem quandam & eiusdem naturæ participationem: Quandoquidem ab eodem principio ea deriuata in lucem & ad eundem finem tendere percipit: Quæ secundùm diuersos naturæ gradus, cùm diuersis etiam perfectionibus donentur, eadem proportione eodemque tenore ab ipsa distortis affectibus non inquinata diliguntur: In quibus tamen nec figit gradum nec hæret in uestigio: Quoniam eadem vt summum Deum lucrifaciat, omnino post habet: quem supra seipsam nedum supra cætera diligit & æstimat. Nam quod alterius cuiuspiam magisquàm suijpsius est, in illud potiùs naturali fertur amore quàm in seipsum. Cernimus enim sentimusque partes ipsas, ne totum illud, cuius sunt partes, periclitetur & pereat, laboribus, dispendijs, & internecioni se exponere. Legimus pro tuenda patria alios strenuè bellando inter hostes confertissimos oppetijsse, alios sibi certam elegisse atque consciuisse mortem: Quin etiam ipsa manus ad detrimenta corporis summouenda, promptissimè occurrit, ipso id quandoque non cogitante cuius est manus, vt scilicet in se potiùs excipiat irrogatos ictus, quàm totum ipsum vulneretur, grauioremve in alio membro principaliori faciat iacturam: & sanè nihil aliud nobis insinuatur cùm fusti petenti caput manum ire obuiam perspicimus quàm desiderium, quod sibi natura ingenuit, tutandi conseruandique maioris boni præ se dilecti. Sed cùm Deus bonum ipsum fiet & communiùs excellẽtiusq; quàm aut dici possit aut excogitari, sub quo & anima & omnis creatura continetur, quæ hoc ipsum, quod est Dei esse, omnino ambigi non potest. Colligi oportet quod sumus prosequuti Deum, scilicet, à creaturis cunctis nedum ab anima præ se ipsis & diligi & coli

CAP. III.

QVOD IN AMANDO SAEPISSIME NOS ipsos fallimus, & quomodo.



VErùm enimuerò in angelis qui peccauerũt, rectus voluntatis ordo confusus & dissipatus est: Qui tamdiu in primo homine de limo terræ formato mansit integer, quamdiu summi Dei mandatum custodiuit: eundemque transfudisset in posteros, si illud irritum non fecisset: At ob inobedientiæ patratum scelus, vitiata natura originalique iustitia deperdita, particulare bonum concupiscimus, & sequimur, nisi diuina nos clementia adiutet, & qui natura integra nec aliquo paterni sceleris contagio maculata supernaturalis gratiæ additamento ferebamur, ad amandum Deum præ omnibus, (& si opus haberemus ipsius auxilio vt ad id moueremur) nunc læsa & ægrotante opitulante semper eo naturæque medente indigemus. Quo factum vt in amando multifariam falli possimus, atque in primis non flagitando diuinam opem, qua respuere valeamus falsa bona. Quæ caro ipsa spiritui proponit & administrat continuè atque etiam vt acceptet, bellũ mouet: Quippe quòd ei subiecta esse nolit, sed semper rebellis & infesta sit, vtpote quæ à primi Patris obedientia se ab eo tempore subtraxerit, quo ipse diuinis præceptis audiens non fuit. Ludificamur etiam ob nimias passiones, quibus hallucinantur perstringunturq; mentis oculi, vnde persæpè malum pro bono

bono captamus: Nam in quocunque malo & inest & cernitur aliquid boni: Alioquin nequaquàm malum desideraremus concuperemusque, quoniam nemo malum qua malum est diligit, aut affectat, cùm præter voluntatem sit, authore Dionysio. Illius ergo apparentis boni specie decepti sæpè mortiferum pro nectare venenum bibimus: Particulareque bonum multa malitia admixtum auidè haurimus, summoque bono praeferimus illecebris voluptatis deliniti: Hinc accumulamus diuitias tanquàm non morituri: hinc volutabro vitiorum mergimur obliti virtutum quibus iter est ad felicitatem: Nutrimus corpus & excolimus, animam posthabemus & negligimus. Cæterùm & hac ratione deludi possumus, si videlicet bona ipsa ad consequendum summum bonum conducentia, veluti virtutes (quibus omnino nobis opus est) pro summo bono colamus, finem vltimum nobis ipsas præstituentes, vt affecti studio famæ perpetuæ, aut alia quapiam affectione inordinata: Quibus efficitur vt sæpiùs modò huc, modò illuc pro libidine sensuum exorbitemus.

CAP. IIII.

OBIECTVM ALIQVOD ANIMAE ASSIGNARI oportere, quo in contemplando & amando Deo iuuetur: alioquin eam facilè decipi.


D hos igitur euitandos errores oportet finem nostrum ante oculos habeamus: quoniam ex fine apprehenso nascitur amor, indeque operationes & officia suboriuntur: Sed cùm summum illud bonum quod semper anima concupiscit, & sequitur iuncta corpori, non nisi post mortem possidere possit, ideoque in eo quærendo, vel à malo, vel à multis bonis, sed creatis & non summis distrahatur, pro præsentis vitæ conditione (vt sumus antè præfati) & sæpissimè ardentiùs quàm oporteat eisdem inhærendo decipiatur, à veroque bono excutiatur: laborare operæprecium est, vt à salutaribus pestifera secernamus: Quod optimè consequemur, si locum aliquem delegerimus & assignauerimus animæ quo se conferre possit post quotidianas, imò singulis momentis angustias emergentes, tanquam in portum tutissimum & propriam sedem: Quam non adepta mœreat, quam consequuta quiescat, instar rerum naturalium, quæ in proprio loco quiescunt: Ab eoque cùm abducuntur, vtpote vim perpessæ illuc se transferre moliuntur, sed & vnumquodque propriam exercet operationem ex speciei principijs profluentem. Bruta etenim (vt mox diximus) insitos & insculptos habent à natura appetitus infensa cauendi & prosequendi salubria. Habet & hominis voluntas suam inclinationem, amorem scilicet, quem suum esse pondus Augustinus aiebat, eoque ferri quocunque ferebatur. Proprius verò animæ locus (vtimur quippe corporeorum metaphoris ad spiritualia indicanda) is est à quo per creationem prodijt: Cùm eius felicitas nil sit aliud quàm in Deum summum bonum reditus & quies: siquidem in eo & intelligẽdo & amando beatur. Dum verò mortali degit in corpore, terrena prægrauata mole peccatorum quoque sordibus labefactata, propriam sedem ingredi non potest: Alio quopiam loco & proprio propinquiori quàm fieri possit, indiget, vnde scilicet sibi procuratura sit aliquid quietis & pacis, speque interim gauisura, quousque desiderium illud beatitudinis ardentissimum expleatur. Præclarè enim secum agi putabit, si hoc benefica diuina gratia donetur, vt postquã in hac vita felix esse non potest, imò nec forte vacua magna semper suspicione infelicitatis, vmbram quandam beatitudinis & imaginem assequatur, atque in primis obiectum sibi præstituat, quo & in contemplando amandoque Deo, & in euitandis dæmonum insidijs iuuari possit. Similis quippe mihi videtur anima dum in hoc corpore peregrinatur cuipiam volucrum, quam mille quærant insidijs aucupes irretire, si modò aërios tractus deserat cœlique regiones mortalibus inaccessas: Nam sicut ea si terram petat, aut visco, aut laqueis, aut retibus, facilè capitur: haud secus illa cùm proprium obiectũ relinquit descendens, scilicet ad hæc mundana, auro, prædijs, ambitione, corporeis voluptatibus illecta, diaboli laqueos subit, vel difficilimè euadit. Hunc propè imò dum sanctissimos illos monachos in Aegyptijs eremis degentes de animæ stabilimento tulisse sententiam, Cassiano authore, comperimus: Aiebant enim mentis aciem ad rectum esse dirigendam, futurumq; necesse mentem ipsam

ipsam mutari pro incursuum varietate, transformarique in illum statum, qui sibi primus occurreret, nisi haberet quo recurreret, cuive principaliter inhæreret.

CAP. V.

OBIECTVM ILLVD QVOD ANIMAE PROponi debet, Christum esse & hunc crucifixum & mortuum.


Vale autem sit obiectum illud quod sibi præstituere debeat anima hunc exequendum. Diximus locum eius (ita enim libitum appellare) id cuius ope quiescat & beetur, Deum esse, aliumq; illi proximum à nobis in præsentia quæri oportere, cùm eo ipsa frui perfectè non possit dum corpori corruptioni obnoxium manet agglutinata. Quanquàm enim, authore Damasceno, innatum sit omnium mentibus quasique insculptum esse Deum: Idemque sit à Platone priùs, deinde ab Aristotele, tàm in physicis quàm in prima philosophia probatum (vt nostros theologos sacrasque literas omittam) per quos non solùm id ipsum nouimus, sed etiam didicimus Trinitatem esse personarum in vna & indiuidua essentia, quæ est vnus & verus Deus. Adhuc tamen intellectus humanus tanta in luce cæcutit, semperque caligabit, donec exutus carnea deciduaque toga gloriæ lumine perfundetur. Dei enim natura cùm incorporea sit, simplicissima, & infinita, dum sublunarem hâc regionem incolimus cogitatibus nostris imperuia est: Tùm quia omne id quod de ea possumus concipere, immensum excedit (vt diuinus docet Dionysius) tùm quia sine phantasmatum adminiculo non intelligimus, vt scribit Aristoteles & docet experientia. Quapropter ad Christum imaginandum & hunc potissimùm crucifixum recurrendum est, faciliùs quippe passionem illius meditati, eandemque animæ proponentes veluti obiectum circa quod versetur in bonitatis Dei cognitionē deuenimus: Quam licet probè nequeamus vt in se est comprehendere, possumus tamen in Christo animaduersam & mente & imaginatione locupletiùs retinere: Nec propinquius Deo obiectum inuenire possumus: cùm & ipse Christus sit Deus & homo nostræ infirmitatis medicus, & iam deperditæ libertatis assertor: Quem, vt est homo, considerantes, propriæ naturæ vires non supergrediemur, sed manu ducemur ad ipsum, qua Deus est clariùs cognoscendum, ipsiusque beneficia cùm multa tum maxima quæ in nos extiterunt, vberiùs perpendenda. Diuina quoque clementia infinitaq; prouidentia factum putauerim, vt non solùm Christi morte nobis aditus præstetur ad cœlum, vt scilicet Dei & hominum mediator sit, eo modo quo scribi est solitum, sed vt etiam tendentibus in supernam Hierusalem tanquàm dux itineris in mente resideat: Qui & Dei bonitatem humanum genus miseratam in illius morte summè relucentem manifestet, & inter nos & Deum sensus & spiritum confortans medius existat. Etenim sicuti videmus opus esse hominibus obtutu hebetioribus ocularijs specillis grassiores earum quæ videntur rerum species reddentibus, quibus visui vel fortè ob senium caliganti, vel aliam ob causam adumbrato opitulentur: Ita nos crucifixi Christi iugi imaginatione indigemus: Qua ea quibus sumus cumulati beneficia, alioquin ob deprauationem voluntatis & intellectus parùm pensata & expressiùs & copiosiùs eluceant: nec ab hoc studio remotos fuisse Aegypti monachos, imò huc omnes vires intulisse, omnes intendisse neruos comperimus. Statuerunt enim sciri oportere vbi mentem nostram debeamus habere defixam, & ad quam destinationem animæ reuocare intuitum: Quam cùm mens obtinere posset, gauderet, & à qua distracta in se doleret suspiraretque, totiens se à summo bono recessisse sentiens, quotiens se ab illo intuitu deprehenderet separatam, fornicationem iudicans vel momentaneum à Christi contemplatione discessum: À quo cùm paulùm deuiaret obtutus, rursus ad eum cordis oculos dirigendum, velutque rectissima linea mentis aciem reuocandum esse. Didicerunt quippe sanctissimi illi homines ex internis externisque bellis quibus iugiter exagitabantur, quantum opum & virium ex Christi meditatione sibi cōgregarent ad resistendum nequitijs spiritalibus.

Verùm enimuerò & hac ipsa cogitatione similes nos cœlestibus ciuibus fieri perspiciemus, si quod agunt illi in superna patria & quam viuunt victurique sunt, vitam

fuerimus

fuerimus cõtemplati. *Egredientur* (inquit Ioannes) *& egredientur, & pascua inuenient*, diuinitatem scilicet Christi & humanitatem contemplabuntur, & vtrobique lætabuntur summo animi gaudio summaque pace. Christo ergo pro nobis mortuo, reddentes amoris vices, summam ipsius clementiam admirabimur, maximã patientiam mansuetudinemque obstupebimus, & hac exercitatione cùm intellectus, tùm voluntatis excitati concalefactique ad amoris rapiemur fastigia, atque ad actionum obeunda munera vltrò & ardenter properabimus: Donec tandem corruptibile hoc (vt ait Apostolus) induat incorruptionem & mortale immortalitatem.

CAP. VI.

MVLTAS OB CAVSAS CHRISTVM MEDITANdum cogitandumq́, esse, inibiq́, de diuersis iniqui dæmonis insidijs.



Ed cùm habitus (vt Aristoteles docet) qualitas sit, quæ facilè non potest à subiecto dimoueri: qua item vel benè vel malè disponimur ad quidpiam agẽdum, opus eo nobis est, vt Christum fixè, facilè & cum delectatione cogitemus: Nec ob id solùm, vt informemus mentem, hoc est, partem animæ abiunctam ab organo corporeo: verùm etiam vt sensibiles potentias vestiamus, totumque corpus armemus: Pertinet enim ad intellectum habitus, pertinet & ad sensum. Pridem quippe eorum explosa sententia est, qui ad intellectum pertinere ipsum negabant, sed solùm ad vires sensiles intrinsecùs abditas. Et hoc quidem cùm rationibus, tùm Aristotelis testimonio: Qui scientiam, sapientiam, & intellectum (quem principiorum habitum nominant) posuit in ea animæ parte, quæ intelligit & sapit: Atque ea opinio huic aduersans, pariter redarguta est: Qua contendebatur, nullo modo habitum competere corpori, quod Alexander Aphrodiseus peccauit. Sed mittamus hos conflictus & nobis ipsis consulamus, qua ratione deprehensum est à philosophis habitus nobis esse necessarios, ea itidem comprobatur, liquidoque deducitur, imaginariam vim nostram egere habitu ad cognoscendum Christum inclinante. Eo namque imprimis indigemus, vt ad iustas operationes gnaui aptique reddamur: Id enim quod est in potentia, ex sua natura ad multa potest pro diuersis affectibus in diuersà trahi & quodammodo conuerti. Nam si vna tantùm operatione in alterum obiectorum vergitur, potest nihilominus vel facillimè ad alterum duci. Quapropter naturali quodam stabilimento indiget ad rectè operandum, vt sæpiùs idem factitando, hoc est, ex frequentatis actibus (vt ait Aristoteles) habitus pariatur. Rursus nisi potentia illa, seu vis ex se indeterminata per hunc habitum ad alterum contrariorum libentiùs flectat, quod præ altero ducat eligendum, præcedere semper perscrutationem quandam patrandum actum oportebit: Item vt cum delectatione compleantur operationes, necessarius est habitus: Qui quidem ei in quo firmatur, quasi connaturalis effectus eas consimiles reddit operibus naturæ, quæ sine admixta delectatione non consumantur. Inde nobis manifestè constat, actiones nostras ineptas reddi & incompositas, nisi congruo animi delectamento patrentur, quo nos carere oportet, si habitu caruerimus, vnde signum eius esse docet Aristoteles, delectamen illud quod in opere sentimus. De liberis tamen actionibus mentio est, non de his, quæ natura congenita sunt, profluuntque suapte sponte ab animali.

Nos autem quorum mentis affectus circumagi rotarique atque in diuersa discerpi, conspicimus, forti & iugi imaginatione passionis Christi firmare mentem modis omnibus debemus, ne aut obscœnarum rerum imagines in nos grassentur, factoq; impetu & ceu ruptis aggeribus inundent repleantque animum malarum affectionum, aut sensim & amicè irrepentes, quasiq; aliud agere ostendentes, mentem ludificent: Identidemque factitando tàm familiariter sensibilium specierum receptaculo illabantur, vt Christi imaginem non sæpiùs cogitatam, atque ob id habitu non firmatam, expellant. Mille enim nocendi artibus vtitur antiquus hostis, mille semper insidias & præstigia ad fallẽdum, excogitat: Modò bonis operibus decipulas tendit, constitutisque temporibus tentat, modò vi multa nos aggreditur, vt perterrefacti terga

terga demus: Hinc quasi quasdam inducias paciscitur, vt securi nimis ducamus pigros intra tentoria somnos: Inde castra inuadit aperto Marte, vitia apertissimè suggerendo, quibus nos ipsos debellemus deditionemque faciamus. Oppugnat interdum mœnia cuniculis sub specie videlicet, boni animum inescans, vt veluti pisces hamo capiamur. Suadet interdum vt aliquid impendio difficilè aggrediamur, quo vel corpore vel animo defatigati succumbamus oneri. Sæpiùs etiam vt pusillo animo simus speciem indulgentiæ ostentat, quà magnanimos conatus, nunquàm spiritalibus diuitijs non muneratos negligamus. Iam vt diuina ope nimis fidentes debachemur in vitia, facilem ad cœlos aditum pollicetur, tempus repromittens, pœnitentiæ idoneum, priusquàm animam profundamus: Rursumque vt de Dei misericordia, quæ summa est, quæ maxima, desperemus, semitam illam quæ ducit ad vitam senticosam, arduam, lubricam, inaccessam repręsentat: Scrupulos quoq; immittit innumeros variasq; formidines, eoq; omnino nos conatur impellere, vt euangelio fidem abrogantes, instar Sardanapali vitam degamus: Exoculati autem sunt atque etiam in hac vita omnino miserrimi, quibus hoc præstigio dæmon imponit. Non est enim pax impijs, docente Propheta, sed pax multa diligentibus Deum. Quapropter in fide fortiter standum, atque etiam alacriter & strenuè pugnandum.

Verùm operæprecium est vt Christi imago nostræ semper menti resideat, qua veluti subitario milite semperque instationibus parato infesto hosti possimus occurrere, insidias cauere, & quoscunque minimos illius motus aduertere: Hoc enim validissimo præsidio consequi nos posse de iniquo dæmone triumphum, tertio libro (Deo fauente) sumus ostensuri. Illud autem Iob fixum menti tenendum est, *militiam scilicet esse vitam hominis super terram*, ne ludificemur credentes ingredi semper pugnam oportere diuturna consultatione præmissa: Nam continuè cruce Christi armati, continuè stare debemus ad bella parati, eius semper sperantes, semper implorantes opem: Quemadmodũ probatissimos illos priscos monachos factitasse legimus, authore Cassiano: Qui crebras & quasi eiaculatas preces ad Deum emittebant, sæpissimè & mēte & ore versantes versiculum illum: *Deus in adiutorium meum intende.* Quod si Christi imaginatione nos non tueamur, qua veluti & scuto & ense, ab hoste nostro, plus ferè quàm dici potest formidando, singulis quibus nos aggreditur momentis, quò nos conferemus? Mutuatum profectò ibimus arma hac atq; illac, vt vim propellamus inimici, nec fortè illa nobis ita citò comparabimus, vt non præda illius facti opibus omnibus, hoc est, virtutibus spoliemur. Præterea vt in Christo crucifixo delectemur ea qua decet lætitia, eius imaginem retinere in anima debemus iugiterque versare: Tùm, vt hoc habitu, quasi in naturam conuerso, ingruentes hostium copias (vt præfati sumus) proprijs armis non alienis nostris pellamus è finibus. Is enim est habitus quo quis, cùm voluerit, operatur (vt inquit Auerrois) Tùm vt creberrimis insultationibus resistentes non fatigemur: Fieri enim facilè posset, vt lassati nimis præsidio decederemus: Nisi hac Christi memoria quasi naturalia effecta sine anxietate bellaremus: Tum etiam vt ad iusta opera peragenda reddamur alacres: speque maiore nixi & fidentiùs postulemus & copiosiùs impetremus. *Delectare enim in Domino* (inquit Propheta) *& dabit tibi petitiones cordis tui.* & alibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

CAP. VII.

QVID CHRISTI MORTEM COGITANTES AD amandum eum disponimur: triaq; nos potissimùm ad hoc inducere, quodq; ipsa cogitatione pariatur amor, augeatur, & conseruetur.



AT ad amorem Christi hac imaginatione cogitationeque crucis eius magnopere rapimur: Tria enim potissimùm nos ad aliquem amandum impellunt, virtutes ipsius, collata nobis beneficia, expectata dona: Christus autem qua Deus ipsa virtus est Dei Patris & omne bonũ. Et quanquàm omnis virtus (vt inquit Cicero) nos ad se alliciat, faciatque vt eos diligamus, in quibus ipsa inesse videtur: tamen id maximè efficit liberalitas. Quæ autem

 potest

poteſt maior liberalitas excogitari quàm ea, quæ efficit, vt quæ non ſunt, eſſe ipſum acquirant. Quod à diuina Chriſti natura omni mundo eſſe collatum, & teſtantur eloquia Moſi, & fides Euangelica prædicat. *In principio enim creauit Deus cœlum & terram, & omnia per ipſum facta ſunt.* An beneficium vllum eo excellentius humano generi contuliſſe Chriſtus potuit, quod in ara crucis impartitus eſt: Dum vt ipſum in omnes miſerias per peccatum primi parentis delatum redimeret, ac de diaboli ſeruitute eriperet, ſe vti hoſtiam viuentem & acceptabilem Patri obtulit in ara crucis. Expectabiliúsne donum deſiderari poteſt? quàm illud nobis totiens repromiſſum, donum inquam felicitatis æternæ, adeò rarum, adeò ſublime, quòd (ſicuti prophetante Eſaia, & docente Corinthios Apoſtolo, didicimus) *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* Quis ergo creatorem redemptoremque & ipſum ſummum bonum non amet? Quis felicitatis largitorem toto amoris igne non proſequatur?

Sed & illud inflammare nos impenſiùs debet, quòd adhuc in tantum ipſe nos diligit, (quanquam continuis delictis noſtris laceſſitus & offenſus) vt qua infinita eſt charitate, ſi pro ſalute hominum dare iterum proprium ſanguinem neceſſe eſſet, vltrò & ſpontè ſe diſponeret ad luenda omne genus ſupplicia: Eiuſdem enim clementiæ, eiuſdem miſerationis eſt. Quæ proculdubio nobis iugiter ruminanda ſunt, menteque tenenda, idque effecerimus, ſi crucem eius ſæpiùs imaginabimur, in illa quippe relucent hæc omnia. Quandoquidem ex precioſiſſimo illo ſanguine abundantiſſimè pro nobis effuſo, ſummam eius bonitatem perpendimus: Quum ne genus humanum & quidem iniquum diuiniſque præceptis obaudiens periret æternum, ſe tradiderit occidendum: Cuius beneficij animaduerſione reliqua, quibus ſumus cumulati, conſequio mentem ſubeunt: Nam & ipſa morte, æternam vitam reſerauit: cuius aditus ob Adæ peccatum præcluſus fuerat, & ad eam conſequendam nos aptos reddidit. Ob hanc Chriſti iugem imaginationem qui nos tot bonis ſua morte referſit, amor in eum noſter exoritur exardeſcitque. Aſſidua enim tractatione amatæ rei augeri amorem & habitum addubitari non poteſt: licet de modo actionis diuerſi diuerſa protulerint, & ſuper hac controuerſia magna ſint bella pugnata inter poſteriores philoſophos & theologos Pariſienſes (quod doctos non latet) Idem quoque de retentione, quæ fit in ſenſibus, dicendum: Cùm nihil intelligi poſſit à nobis dum corpori conglutinata remanet anima, niſi ſe tali negotio viſum aliquod ſeu ſimulachrum aſſociet, vt ipſi ſingulis momentis experimur, qui & ſi Deum volumus contemplari, Deum ſcilicet purum, actum ſimpliciſſimum, ſpiritum ſine ſimulachro, phantaſmatéve, indiuiduo comite intellectus & aſſecla non poſſumus lucem ſcilicet quandam nobis repræſentante, vel aliud quodpiam id genus, & ex his quæ nouimus & ſenſu percipimus, minus quàm fieri poſſit, corporeum. Accedit quòd quicquid in intellectu recipitur, priùs fuit in ſenſu (de cognitione loquimur, quæ per naturæ veſtigia procedit) iuxta commune dogma Peripateticorum & Pariſienſium theologorum, qui eos ferè ſemper ſunt imitati. Quanquàm qui Platonem & ex noſtris aliquem præſtantem etiam theologum multiſque iam ſeculis celeberrimum, ſequerentur, ſatis aduerſum dogma proferre poſſent.

Seruari verò & cuſtodiri iam natum & adultum amorem experimur, ſi rem amatam iugiter mente verſamus: Si, ſcilicet, intellectiuam ſpeciem ab ipſa re, vel lumine, vel actione, intellectus agentis, aut depromptam, aut illuſtratam, & in intellectu poteſtatis receptam aſſiduè tractando afformemus, ſiue ſolo intellectu (vt communis ſchola voluit) ſiue cum intellectu ſimul & phantaſmate tanquàm partiarijs agentibus (vt placuit Herueo) ſiue aliàs id negotium peragatur, aſſiduè inquam afformemus. Eo enim exercitio opus eſt nobis ne concurſantes aliarum rerum imagines, ſimulachrum, ſpectrúmve dilectæ rei aut offundant aut diſſipent: illæ namque in memoria ſenſili & intellectiua reſeruatæ, vel vi intellectus, vel exterarum rerum ſenſus ipſos ferientium ſæpè agitantur, & interdum quibuſdam quaſi turbinibus exæſtuant. Quanquàm fuêre qui negauerunt & falsò memoriam vllam intellectiuam eſſe intelligibilium ſpecierum receptaculum, & veluti thecam quandam & arculam: Hæc ratio phyſica & experientia ipſa comprobata: Sed & theologica poteſt aſſignari.

Nam

Nam hostis humani generis qui nuncupatur in Euangelio: Homo inimicus, hoc est, malus angelus, qui de sedibus illis empyreis cum socijs cecidit, in superiorem animæ partem illabi non potest: Potest autem in organis sensuum cùm interioribus tùm exterioribus, sed potissimùm nos introrsum tentat fallere: Cùm præstigium hoc suum magis nos lateat, euagantibus exercentibusque se sensibus exterioribus circa propria naturaliaque obiecta: Nec enim commodè exteriùs nobis posset illudere, nisi omnino vellemus acquiescere suggestioni: At si sensus abditos peruaderet permearetque, vel obscœna simulachra commouens, maximè venereorum, vt incitarentur exteriora membra, vel noua effingens & imprimēs imaginationi, faciliùs rueremus in vitia. Quapropter si nostros sensus & exteriores & internos Christi cruce armauerimus, quod vt efficiamus, alio non est opus, nisi vt velimus. Duo namq; officia imaginationi demandata sunt (quod & Thomas in quæstionibus de Veritate intercurrenter & obiter tangit, vt scilicet species sensiles reseruet, intellectuique quotiens speculari voluerit vt præstò sint efficiat) si inquam id effecerimus duo nobis inde commoda prouenient: Primum quòd statim malus dæmon aufugiet, vel nostræ saluti non adeò perniciosè insidiabitur. In tantum sanè peccato superbię illius est deprauata voluntas, vt vinci nullo modo velit, præsertim à Christo. Cuius mors tantarum fuit virium, vt ipsi multam nocendi facultatem ademerit: Cùm homines non eo modo quo ante illam tentare queat, tametsi semper circumeat (vt princeps Apostolorum ait) quærens quem deuoret. Secundùm quod ex ipsa imaginatione vtroque homine ad propensiùs amandum commouebimur, hoc est, & mente & corpore ardebimus, ardore inquam suaui: Qui ara quædam est cœlestis patriæ: fietque vt prophetæ succinere verè possimus: *Exultauit cor meum & caro mea in Deum viuum.* Et iterum: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea.*

Cap. VIII.

FACILIMÈ PECCATORUM CAUSAS mortis Christi cogitatione succidi.



EX hac quoque frequenti meditatione mortis ipsius quodammodo familiares effecti calefactiq; stupendissimi illius beneficij memoria, fundamenta vitiorum ne iaciantur prohibebimus, & iam iacta conuellemus. Etenim inter peccatorum causas à nostris theologis commemoratas has deprehendi tanquàm principalissimas enarrari describiq;, voluntatem scilicet & rationem atque sensilem appetitum: Hæc remotior, illæ proximiores: omnes tamen intrinsecùs positæ & in imis abditæ penetralibus: Nihil enim quod extrinsecùs accidat, quod & antè innuimus, potest nos ad peccādum attrahere, nisi priùs sensus cum ratione ipsa & voluntate operi tàm nephando consentiret. Non concupiscimus enim nisi cognita, & cognoscimus ratione, nec tamen absque sensuum adminiculo, quem ceu ducem quendam aut vna progrediendo sequimur, aut ab eo viam edocti nostro pro arbitrio incedimus. Quum verò falsum offerri bonum videbimus, quod blanditijs & illecebris quasi quibusdam crustis, iniquus dæmon oblinat, ad Christianos, passionem si eius speciem geremus, mente, absq; cunctatione conferemus, indeq; iudicium patrandi operis sumemus: Fieri quippe vix potest vt quispiam anceps consilij factus dubiæq; sententiæ, aut se non voluat ad cogitandum, id quod mens propria familiariter vti solet, perscrutandi saltem gratia, an finis oblatæ rei priori illi fini quadret, quem sibi delegerat præstitueratq;, & exercitio iugi pertractauerat, aut saltem cauere possit quin ipsa talis rei imago menti per habitum fixa, huiuscemodi negocio se non ingerat & immisceat, vtpote quæ totam mentem possidere sit solita omnibusq; interesse negocijs.

Patet hoc in auaro, qui semper de coaceruanda pecunia aut cogitat aut loquitur, cui si præponatur quidpiam agendi commoda occasio, interpelletúrve à familiaribus, exciteturq; ad obeundum officium aliquod, statim an negocium illud lucrum sapiat, conspicatur, nec se cohibere quandoque potest, vt amicos illos non percunctetur munus illud ad quod prosequendum sollicitatur, lucri aliquid nec ne sit pariturum,

turum, quoniam in lucri cupiditate se totum diffudit: Qui si occultare detestatum vndiq; vitium conabitur, eo sæpè inuito odorata illa lucri species nares opplebit. Atque ita reliquis diuturnis & vehemẽtibus animi affectionibus fiet pari ratione: Non secus (quanquam in materia dissimillima) de cruce Christi memoria frequenter repetenda eueniet. Sed vtrum des eorũ quæ diximus, peccato obuiabitur: si primum, protinus suggestionem illam vel immissam à dæmone, vel oblatam à mundo, vel administratam à peccati originalis fomite: cum Christi memoria minimè conuenire deprehendemus: si secundum, ipsa statim per sese perniciosos cogitatus expellet: Nam diuturna possessione stabilita, iugique exercitio validissimè roborata, velutiq; in regio solio posita, illusiones externas & aduentitias peruagari mentem non patietur: Hæc vt philosophi commentamur.

Sed quid vt Christiani philosophi: Nequaquàm profectò ambigẽdum, Christum non permissurum Sathanæ ludificandam illam mentem, quæ in eius recogitanda passione se exercet: Quæ cum Salomone in Canticorum canticis sæpè illud cecinit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus, mihi inter vbera mea commorabitur.* Verùm & id quod prosequimur, commodius expeditiusque liquebit, si obiecta earum potentiarum viriúmve animæ, ex quibus dari diximus originem vitijs perpenderimus. Obiectum sensilis appetitus particulare bonum est, voluntatis vniuersale, rationis verum. Eadem enim cum intellectu potentia est, sed altera fixè, mobiliter altera suum opus peragit. Quare si Christum & in superiori animę parte & in phantasia retinuerimus, cùm ipse sit particularium bonorum optimum, sitque idem vniuersale bonum qua Deus est, atque etiam ipsum verum: Fiet vt sensilis appetitus & voluntas falsum bonum se offerens, appetendum respuant, & ratio ad percipiendam intellectiuam veritatem discurrens, non exorbitet. Facilè enim debitæ regulæ defectus resarcitur, sanatæ rationis adiumento, & ob iugem Christi imaginationem defœcatis internis sensibus apparens bonum reijcitur: Itidemq; respuitur à voluntate, cuius consensu peccatum completur. Atq; ita peccatorum capita abscindimus & conterimus, priusquàm absoluantur perficianturque, Psalmigrapho constantissimè obsequentes, qui nos monuit vt paruulos Babylonis ad petram allideremus.

CAP. IX.

EANDEM CHRISTI CRVCIFIXI COGITATIOnem imaginationémve seminarium esse virtutum omnium



CVm autem compertissimum sit, Christum esse caput ecclesiæ, virtutesque omnifariam, & quicquid perfectionis tùm naturæ, tùm gratiæ desiderari potest, eidem collatas fuisse, dum etiam corpus gereret propria voluntate obnoxium morti: Sequens est, vt quemadmodum membra semoto capite vires amittunt intereuntque, ita ipsi qui membra sumus mystica Christi, capitis eodem amisso langueamus, & spiritaliter emoriamur, & sicuti beneficio capitis corporis residuo virtutes transmittuntur, veluti à sublimiore parte dominantioreque, vbi sensus regiam Galenus posuit, & ante eum Latinus Varro, qui ad Ciceronem scribens, datum illi hoc nomen ait: quòd inde capiunt initium sensus & nerui. Non secus Christi ope quantulumcunque perfectionis virtutisque & inest & apparet in nobis, enanciscimur, possumus tamen (quanquam nostris demeritis à capite distracti) eidem iterum superueniente gratia nec impendio compaginari: Si Spiritui sancto non resistamus, & quàm maxima possumus celeritate, ad ipsum caput commeemus. Quò non carneis itur pedibus, non moribundis artubus, sed intimis & pijs effectibus, maximeque iugi tractatione acerbissimæ mortis, nostræ salutis gratia perpessæ. Qua scilicet & illi quasi conformes reddimur, & audientes aliqua ex parte præcepto euangelico, vt crucem, si non nostram, in vniuersum Christi tamen cum Cyrenaico Simone portantes, si non operibus, exilia, carceres, gladios, sustinendo, pio tamen affectu interim compatiendo, ne stupendissimùm hoc ministerium supra mentiũ omnium captum, ingrati nimiùm obliuioni mandemus. Hoc munus rectè obeuntes ad eas gratias & virtutes, quæ in ipso sunt, participandas apti reddimur: quando illius anima in nostras animas, & illius corpus in nostra corpora,

corpora,virtutes eas,quarum ſumus capaces,abundè infundat,vt in vltima parte ſuæ theologicæ ſummæ Thomas Aquinas ediſſerit.

Ex quo etiam fit vt ad virtutes cunctas adipiſcendas diſponamur,vel vno momento, ſi Chriſtum mente retinemus. Nam ſicut Chriſto homini ob vnionem diuinæ naturæ cum humana,cunctæ virtutes omniſque gratia condonantur: Ita in nos Chriſti virtutes pro noſtra capacitate deriuantur, ſi ei per meditationem indefeſſam intimo amoris affectu coniungamur.Nec multis laboribus ad hoc perficiendum eſt opus, non ad Indos accedere oportet,non Erithrea perſcrutari littora, vbi vbi locorum inuenire eum poſſumus? Quinimò naturali quodam motu in ipſum ferimur, niſi peruerſa voluntate retrahamur. Animas enim Deus ipſe tanquàm ad principium vnde manârunt,& ad finem,quo beantur,ſemper trahit,& naturali ordine,& gratia modò eam vitijs hærendo non repudiemus : nec trahit modò,verùmetiam inclinationem aptitudinemque condonat tendendi in proprium locum, vt optatam quietem indipiſcantur,quod etiam num imitatricem Dei naturam in inanimis effeciſſe videre datur:exempli cauſa in igne, qui cùm mixtorum aliquod elementúmve quodpiam in ſui naturam exurendo conuertit,eidem aptitudinem largitur petendi cœlum,iuuatque vt ad illud perueniat,quo cõſequuto , quieſcat. Peccatorum autem fomite & lege carnis,quam etiam in ſuis membris regnare vidit Apoſtolus, & legi mentis repugnare nonnihil,imò multum ad id muneris obeundum ſegnes efficimur,quodamq; quaſi ſomno impedimur.Quò fit vt imaginari & amare Chriſtum habeamus neceſſe, quorum vtrunque vtroq; paritur.Nam qui diligit, neceſſe eſt vt ſæpiùs amatum imaginetur,cuius rei iudex quiſque ſibi,niſi mentis inops,cõſtituitur:Parte altera iugem imaginationem amor ſequitur,illam præſertim quæ eius rei eſt,quæ inter alias eſt optima,Chriſti videlicet. Qui etiã qua homo eſt (vt Thomas docet) præ cunctis creaturis adeò diligitur, pro intentione verò diuini amoris rerum bonitas intenditur. Quælibet enim res ideò bona eſt, quia à Deo dilecta:Sicut contrà, nos ideò rem aliquam diligimus, quia bona.

Cæterùm cùm inter omnes theologos cõſtet à Deo ipſo bonis omnibus ſeu naturæ ſeu gratiæ nos donari,eiusq; oſtium ſit Chriſtus (vt ipſe de ſe dicit) per quod itur ad Deum,& à quo gratiæ virtuteſque cunctæ à patre illo luminum (vt ſanctus ait Iacobus) deſurſum fluentes ad nos vſque perueniunt: Sequens eſt,vt crebra illius oſtij pulſatione, quæ pia & aſſidua cogitatione pijsq; precibus efficitur,via quæ ducit ad vitam,patefiat nobis.Hæc amor eſt, quo cùm perfectè tenebimur,morum ſtrenuitas (vt inquit Bernhardus) orietur,puritas affectionum, ſubtilitas intellectuum,deſideriorum ſanctitas,operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas,præmiorum ſublimitas : Quod ita eſſe vel hoc conſtabit argumento,ſi ſcilicet mores & acta eorum qui Chriſtum ſæpiùs mortuum cogitant, eundemq; amant,intueamur: Quorum multos in hac vita nihil aliud habere conſpicimus præter victum tenuiſſimum viliſſimumque tegumentum:Qui perpendentes eum quem diligunt noſtræ ſalutis gratia,omnia perpeſſum incommoda,& poſtremò necatum,quaſi quodam diuino œſtro perciti,amoris vicem quoad poſſunt, repẽdere ſatagunt. Affligunt ſe ieiunijs & vigilijs, amplectuntur pauperiem, caſtitatem induunt, propria deſideria, proprias cupiditates,alieno arbitrio ſubiugant,& nihilominus fit, vt hæc incommoda magna cum animi alacritate ſuſtineant: Mortem non modò non formident, ſed vt Chriſto coniungi poſſint,tota mẽte ſuſpirẽt.Vnde datur intelligi, ab eadem cauſa, qua virtutes hæ profluunt,etiam iucunditatem, & pacem animi ſuboriri,quæ tot exterioribus incommodis longè præponderet. Parte alia quandoquidem contrariorum pugnantiumque cauſarum diſſimiles prorſus aduerſanteſq; ſibi inuicem effectus eueniunt,nouimus multos beneficiorum Dei oblitos, Chriſtique mortem veluti ad ignem narratam fabellam cogitantes, vitijs & diuitijs (vt Sidonij verbis vtar) incumbere,luxurioſè epulari,affectare illicitas & inconceſſas veneres, ſuperbiſſimè alijs dominari,qui cùm id agant,vt ſenſuum quibus penitus ſunt mancipati, quietẽ ſibi procurent:edacibus tamen curis ſemper moleſtantur,trepidant ad quæcunque fulmina,ſeditiones ſingulis momentis formidant,hoſtiles incurſus expaueſcũt: Atq; ſibiipſis continuè ſunt infeſti,bellumque gerunt inteſtinum, rodente ſemper patratorum ſcelerum conſcientia.

CAP. X.

CHRISTIANORVM PRIMITIAS SANCTISSImosq; viros Christi mortem frequentißimè cogitauisse: Item ecclesiam ad id officij nos iugiter inuitare, multa quoq; bona inde manare.



X his quæ attulimus, manifestè (vt arbitror) liquet Christi passionis memores nos esse debere. Sed si monitis ipsius Christi audientes esse in primis operæprecium est: Dein eorum sequi vestigia qui omnium fuêre probatissimi, nec non ecclesiæ amplecti placita, identidem ad Christum nos trahentia, necessariò colligetur ante omnia passionem eius à nobis iugiter esse cogitandam: De hoc ipse apertissimè in proprij corporis sanguinisque consecratione monuit commensales Apostolos: Quòd non modò fideli tenacique animo receperunt, sed eorum alij ob illius nominis confessionem crudelissimis tyrannis expositi crucem subiêre, alij capite mulctati, alij corio exuti, alij culminibus deiecti sunt. Sed & alij Christi sectatores varijs & inexcogitabilibus ferè tormentis vexati vita excesserunt. Mortem hanc adeò frequenti cogitatione Paulus Apostolus pertractabat, tanto amore Christum qui pro eo ita mori voluerat, prosequebatur, vt feruentissimo diuinæ charitatis æstu in hæc erumperet verba: *Christo confixus sum cruci, viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus:* & alibi: *Nihil me iudicaui scire inter vos nisi Christum, & hunc crucifixum.* Eandem mortem discipulus ille Ioannis Euangelistæ Antiochenæque ecclesiæ sanctissimus antistes Ignatius tenaci mente in tantum volutârat, vt in eo æstuantissima fornax Christi amoris accensa spectaretur. Inditio sunt stupendæ illius epistolæ, ea præsertim quæ ad Romanos delata est, dum Traiani Cæsaris iussu cathenis circumligatus & obsitus deuorandus bestijs Romam perduceretur: In qua quidem epistola optare scribebat frui posse bestijs ad sui interitum præparatis, & ne sicùt aliorum martyrum, ita suum non auderent corpus attingere, vim eis se facturum pollicebatur vt omnino deuoraretur. Dandam esse in hoc sibi veniam, edocens, quoniam tunc discipulus Christi esse incipiebat, pro quo adipiscendo ignes, cruces, bestias, dispersiones ossium, discerptionesq; membrorum, & omnia in se vnũ supplicia diaboli arte quęsita conflari exoptabat. Cumq; iam belluis exponeretur, & ardore patiendi rugientes audiret leones, inquit: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Atque inter ipsa tormenta positus, semper ore protulit quod animo gerebat, Iesu Christi scilicet nomen. Cuius in corde (longum esset nimis historiam totam recensere) literis aureis inscriptum spiculator inuenit. Franciscum verò ordinis minorum institutorem sanctissimum quis reticebit? Qui tam tenaci mente complexus est Christum, tàm forti imaginatione retinuit, tanto amoris eius flagrauit incendio, vt ab illo stigmatis suæ passionis instar donatus fuerit. Sed nec Clara virgo in monte Falcone oppido sita prætereunda silentio est: in cuius corde Christi crucifixi imago euidenter spectatur: quam me superioribus annis vidisse memini. Ista sanè effectus in corpore videri dantur ob frequentem imaginationem & amorem propensissimum: Nostris verò oculis cernere conceditur quanta illorum animę charitate perfulgeant, quanto ditentur gaudio, quanta coronentur gloria. Videbimus olim si eis similes fuerimus, eandemque semitam percurremus, ad quam capescendam præclarissimis dogmatis incitamur.

Suadet Hieronymus Eustochio ad omnem gressum pingere crucis signum. Inhortatur Grisogonus Anastasiam carcere clausam trophęum crucis tota mente constringere: quam triumphale signum nuncupat ecclesia: quam venerabunda salutat, inquiens: O crux aue spes vnica: quam vt partes aduersæ fugiant fidens & læta demonstrat: Et ne singulas memorem crucis victorias cunctaque priuilegia percenseam, Magno Constantino futurum vt vinceret in crucis signo, Cæsariensi Eusebio, Sozomenoque authoribus, angeli spopondêre: Cuius etiam ope debellauit Heraclitus aduersus hostes, & obstinato corde Iudæus à dæmonũ erutus est potestate, & referente Firmiano, didicimus, gentiles cùm dijs suis immolarent, si astitisset aliquis frontem cruce signatum, ferens sacra nullo modo litare potuisse, nec con-

sultum

ſultum vatem reſponſa reddere. Hoc nimirum eſt ſignum Thau quo ſignatos exterminator angelus nõ percutit. Sanguine illo qui in ea effuſus eſt delibutos cordis poſtes & hoſtia geſtantes, cũ Aegypti primogenitis non interficimur: Aeneus ſerpens in deſerto exaltatus à Moſe, cuius aſpectu ſanitas à ſerpentibus ſaucitatis reſtituebatur, crucis huius typum gerebat: Quæ nunc in medio ſacrarum ædiũ ponitur, vt eum qui in ea pependit, frequenter cogitemus, quo poſſumus ſerpentis illius morſibus mederi, cuius aſtu (vnde tot mala in nos manârunt) Eua decepta eſt. Huius rei ſemper memor pia mater eccleſia, nec dulciſſimi ſponſi oblita, laborum & ærumnarum ſupplicijque acerbiſſimi, quod pro ſalute illi largienda ſubſtinuit commemorationem ſingulis diebus publicè ædit. Hanc enim mortem ſacerdos in miſſæ ſacrificio frequẽtiſſimè repræſentat, cui vt feſtis diebus interſint, filijs edicit, vt etiam ſingulis annis Chriſti corpus in memoriam mortis illius ſumant in cibum, obaudientes dicto penitùs exhęredat, ſanctiſſimaque lege cauit ne eiſdem vita functis exequiarum iuſta perſoluantur: Sed nec humari filiorum ſepulchris indignabunda & iniuriarum ſponſi vindex iuſtiſſima patitur.

CAP. XI.

QVI CHRISTVM SAEPIVS COGITANT ET AD eius amorem capeſſendum ſe præparant, veri Christiani ſunt, veriq; philoſophi: eos autem qui id minimè curant, vtroque nomine falsò gloriari.



AB his conſequens eſt vt oſtendamus eos falsò cenſeri Chriſtiano nomine, qui Chriſti mortem ſæpiùs non cogitant, vt ad eius amorem inflammentur: neq; etiã (niſi vana nomenclatura) philoſophos deberi vocitari. Chriſtianorum nomen apud Antiochiam Syriæ vrbẽ initium ſumpſit: Inibi, vt narrat Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, quàm plurimi etiam ex gentibus ad fidem venerunt eorum prædicatione pertracti, qui ſeditione aduerſus Stephanum commota diſſeminati per omnem locum fuerant. In ea eccleſia erant prophetici ordinis quàm plurimi, cum quibus & Barnabas & Paulus: Quibus omnibus pariter in gratia Dei & vnanimitate de gentibus primũ diſcipuli veluti è perenni fonte ſumpto vocabulo appellati ſunt Chriſtiani. Igitur diſcipuli quibus nõ modò ob tẽporis vicinitatẽ Chriſti paſſio recẽtis erat memoriæ, ſed in eorũ cordibus ſculpta, in mente conſita, in ore frequens, ante oculos poſita, in cunctis functionibus animaduerſa, primũ Chriſtiani ſunt nominati, vtpote Chriſti memores, & Chriſti imitatores: Sed cunctabimur eos Chriſtianò nomine dedignari, qui nec Chriſti mortem ſępiùs ad memoriam reuocant vt compatiantur, nec vitam recolunt vt imitentur: Qui inuiti hæc audiunt tanquàm liberiùs quàm veriùs pronunciata, audiant Cyprianum clamantem: Chriſtianus nemo verè dicitur, niſi qui Chriſto moribus prout valet, coæquatur. Quis eos imitabitur mores quos non agnoſcit, præſertim ſi eiuſmodi ſunt, vt in illos fortuitò impingere non detur, verùm magno potius cum labore comparentur: quis eoſdem deſiderabit abſque cognitione, quis verè & exactè cognoſcet abſque cogitatione, qua in hoc aſſequendo munere omnino eſt vtendum: Cùm quia ex ſe factu difficile eſt, ob continua bella inter carnem & ſpiritum, tùm quia laboramus incaſſum diuina ceſſante ope: hanc autem qua ratione impetrabimus? niſi implorauerimus, qua ratione ad implorandum apti, ad obtinendum idonei fiemus abſque aſſidua pertractatione eorũ quæ deſideramus: vnde colligere poſſumus ex Chriſti meditatione & amore quibus apti reddimur ad imitandum, Chriſtianos nos verè nuncupari, & pari argumento niſi hæc egerimus, fruſtrà Chriſtiano nomine gloriari. Eſſe, inquit Ioannes Gerſon doctiſſimus pariter & prudentiſſimus theologus in magna illa expoſitione in Canticum Virginis cœlorum reginæ, nonnullos arbitrantes ſe ſub Chriſtiano nomine Deum magnificare, qui Filium eius in ſe rurſus crucifigunt & habent oſtentui: Hos tu ergo Chriſtianos vocaueris? quos nec cultores dixeris? Ita enim antequàm Chriſtianorum appellatio per omnem locum diffunderetur, narrat Euſebius Chriſti ſectatores appellatos, vt ex libro Philonis de Vita theoretica decerpſit. Cauſam huius vocabuli vel ex eo ductã arbitratus,

quòd conuenientium ad ſe animas tanquàm rudes & agreſtes excolerent, vel quòd erga Dei cultũ pura & integra conſcientia perdurarent. Quod nomen ſiue Philo ipſe eorum ex actibus collegerit, ſiue initiò ita appellarentur, qui ſecundùm Euangelium viuebant, antequàm nomen Chriſtianorum per orbem ſpargeretur, nihil intereſt, ait Euſebius.

Sed hoc mihi intereſſe videtur omnino, vt nullo pacto Chriſti parum vel nihil memores, vel hoc nomine verè debeant cenſeri, quum nec illis rudes nec agreſtes animas excolere detur, niſi qui priùs Chriſti memoria excultum animum habuerint, & etiam amore concalefactum, atq; ad illius ſequẽda veſtigia propenſum: Nec integra & pura conſcientia erga Dei cultum poſſit perdurare qui Chriſtum mente nõ retinet: cùm vix illis in obſequijs perſeuerare concedatur, quos aſſidua paſſionis illius meditatio non deſerit. Suffragatur nobis phyſica ratio, quando ab eo res denominari debet, cuius ſpeciem gerit: hoc eſt, à propria forma, qua & à ſpeciebus alijs ſecernitur & in propria cõſtituitur: Sic illud animal leonem vocamus, quod & formam leonis præfert, & affectiones eas quæ talem formam conſequuntur, vtque vnico verbo complectar, quæ eandem habent formam, à qua propriè fluunt affectiones, eadem dicimus. Ipſa enim eſt quæ dat eſſe rei, vt inquit Ariſtoteles, & cõtrà quæ eadem forma nõ conſtituuntur, diuerſa omnino & ſunt & habentur, ob materiam quippe non differunt ſpecie hæc ſublunaria, generationi & corruptioni obnoxia: Quando vna eorum omnium, quæ ſub luna ſunt, materia ſit, quæ per adueſtationem & abolitionem ſuccedẽtium ſibi inuicem formarum, quibus res ipſæ diſſimilem & abiunctam à reliquis naturam ſortiuntur, cunctis ceu commune ſubiectum ſternitur, atq; ſub varijs ſpeciebus fluitat. Memoria igitur Chriſti & mandatorum eius obſeruatione ceu forma quadam inter accidentales animi formas perfectiſſima Chriſtianus conſtituitur, & à pernitioſo Iudæorum cultu, ab obſcœnis Mahometi inſtitutis, à nephanda idolorum cultura diſſentit & ſeparatur. Illi enim qui priùs Chriſtiani ſunt nominati (vt antè meminimus) frequentiſſimè Chriſtum cogitabant, ſuæ ipſorum ſalutis gratia crucifixum, vt eundem amarent, cuius & præceptis & voluntati amando propenſiùs obſequerentur: Quæ munera qui obire non ſatagit, fieri ne poteſt vt ſemota videlicet Chriſtiani forma, Chriſtianus vocetur? Nam & ſi baptiſmi ſacri vndis immerſi cunctiſq; ſacramentis noſtræ perfectæ legis initiati ſint, nihilominus finem eorum non curent aſſequi, digni ſunt vt à Chriſti cœtu prorſus eliminentur: Dominici enim corporis & ſanguinis ſacramento, vtpote diuiniori, quo Chriſtus ſecundùm propriã ſubſtantiam continetur, cætera concedunt ſacramenta, ipſumq; tanquàm finem ſpectant, atq;, vt tertio eccleſiaſticæ Hierarchiæ libro inquit Dionyſius, in eo conſumãtur. Id autem inſtitutum eſt vt eius memoria celebretur, ac per ſumptionem eidem vniamur, vitaq; viuamus ſpiritali. Nam niſi Chriſti carnem manducauerimus, ſanguinemq; biberimus, eo ipſo teſtante, non habebimus vitam in nobis, qua omnino immemores mortis illius penituſq; obliuioſi priuantur. Si enim quiſpiam (vt Paulus ait) irritam facit legẽ Moſi ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò maiora putatis mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutũ duxerit in quo ſanctificatus eſt & ſpiritui gratiæ contumeliã fecerit.

Ex quo conſtat vt qui Chriſtiani ſunt nomine duntaxat, non autem & re, peſſimi omnium hominum ſint: hinc maximum peccatorum blaſphemia apud eos frequentiùs quàm apud Mahometenſes auditur, quod hi, quibus nequaquam abroganda eſt fides, & in eorum regionibus ſunt obſeruati, prodidẽre. Hinc perhorrẽda vitia inter eoſdem ſpectabiliùs & impudentiùs ſæpiſſimè impunè & frequenter in multorũ corona etiam cũ laude perpetrantur: quibus de rebus certiores efficimur Chriſtianum nequam deterius inquinatiuſq; eſſe cunctis animalibus, ſicuti bonum excellentius quàm poſſit exoptari: Quorum enim potior eſt generatio (vt inquit Ariſtoteles) eorũ deterior eſt corruptio. Quantò enim quiſquam altiùs eleuatur, eò periculoſiùs & formidabiliùs ruit in præceps. At ſublimiori in loco quiſpiam nequit conſtitui quàm vt Chriſti legi obtemperet: qua cõtempta vel poſthabita ad centrũ corruit. Aliæ nationes quibus Chriſtus non colitur, nõ adeò graui caſu læduntur, hoc idem inter Chriſtianos apparet qui ad eminentiorem gradũ ſunt ſublimati: Vnde Auguſtinus aiebat ſe ſicuti nõ expertũ meliores homines his qui in monaſterio profeciſſent, ita nec deteriores

teriores qui defecissent: Rursus ingratioribus acriora debentur supplicia. At scelerato Christiano nemo est ingratior, cũ scilicet ad veram sit vocatus legem, & prę alijs electus ad veritatem clariùs cognoscendam. Remissiorem (dicebat Iesus) diem iudicij futurum Tyro & Sidoni, quibus non prædicauerat quàm his quibus cũ degebat. Macharium edoctũ mirabiliter nouimus profundiorẽ inter damnatos ad perpetuũ ignem falsos Christianos locũ habituros: Sed omnino eos falsos non dubitamus qui Christi obliuiscuntur. Falsum enim id appellare possumus, quod idęæ talis rei, cuius gerit similitudinem non quadrat, sicut falsum aurum dicimus, quod idęæ auri discõuenit. Christianorum autem idęam in Christo & cogitando & amando consistere paulò antè docuimus. Cùm aũt de mortis Christi cogitatione loquimur, non ita ad viuum resecamus vt intelligi velimus singulis momentis eum qui Christianus sit, de Christo cogitare oportere: Sed vt sæpiùs & noctu & interdiu id efficiat, suademus: Si nomen, quo appellatur, rei quam indicat, conuenire desideret.

Cæterùm nec philosophus propriè potest nominari qui Christianus non sit. Nihil enim aliud sibi vult hoc nomen Græca lingua quàm Latina sapientiæ amator. Christus autem sapientia est Dei patris (vt inquit Apostolus) sapientia, inquam, quæ æterno genita est à Deo, & ipsa Deus & Dei Filius: qui homo factus pro nobis sanctissimum dedit sanguinem. Creata verò sapientia, cuius cultu Græci sapientes se profitebantur, prius quàm Pythagoras Samius interrogatus à Leonte Phliasiorum tyranno, quid hominis esset: philosophi nomẽ sibi ex tempore confinxisset, nullatenus sapientiæ nomine, nisi per quandã analogiam dignanda est. Hæc enim temporaria est, fluxa, sæpè fallax, vel de creatis rebus eruta, vel de diuinis (quanquam subobscurè & multa cũ ignorantia) vestigata: illa stabilis, vera, perpetua: Vnde colligitur eum qui vero philosophi nomine censeri debeat, Christi amatorem esse oportere, qui vera & incommutabilis est sapientia: amator esse non potest, qui non cognoscit aut cogitat: incognita enim minimè amamus, & euanescit amor nisi cogitatione foueatur. Sed iam ad secundum librum exarandum properabimus. Quo diuina ope suffulti, monstrare consilium est, ex nostræ mortis cogitatione eijci à nobis facillimè vitia, virtutesq; coli posse, quemadmodũ de Christi morte mõstrauimus. Atq; cũ ab officio huiusce cogitationis parumper feriati fuerimus, operæprecium fore vt ad mortem nostram pensandam animum conuertamus, vt inde remotis plurimis impedimentis nos circumstantibus ad Christi mortem meditandam reuertamur, eius amoris consequendi gratia: quo muniti & secundam euitare mortem possimus, & veram vitam adipisci.

PRIMI LIBRI FINIS.

DE MORTE CHRISTI ET PROPRIA COGITANDA, LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

NECESSE EST ANIMAM TIMERE: item plures esse timores.

INTER libri superioris initia satis (vt puto) monstrauimus, animam diligere, nec solùm illi amorem inesse, verumetiam cunctis rebus, non modò ratione & intelligentia, sed & sensibus quoq; carentibus: Quæ rationes id astruxêre, hoc ipsum quoque quod molimur asserent, animã scilicet timore aliquo pulsari oportere, tametsi illæ rationes in animis non quadrent. Timor enim absq; animæ parte, vel sensibili, vel intelligibili, quæ futurũ malũ: hoc est, obiectũ timoris apprehẽdit, minimè constituitur, siquidem ex amore patitur timor: Quia cùm aut concupita bona cõsequi non possumus, aut iam possessa deperdere nolumus, omne illud quod in talibus nobis officit, tanquàm inuisum formidamus. Nulli dubium est (inquit Augustinus octo-

octoginta trium quæstionum libello) non aliam esse metuendi causam nisi ne id quod amamus aut adepti amittamus, aut non adipiscamur speratum. At semper amamus aliquid, vt superiore libro docuimus, nec certiores quamdiu viuimus, reddi possumus, aut concupitæ rei cõpotes omnino fieri, aut illa iam adepti nõ defraudari: semper enim nutabunda, semper casura, sublunaria omnia, generationi & corruptioni obnoxia. Quin etiam amantibus nobis Deum summum bonum nihilominus accidit, cùm ob virtutis opera quæ difficilia sunt, tùm ob multiplices imperfectiones nostras, vt semper formidine nõ offendendi laboremus. Adde quòd malum (vt Dionysius & Aristoteles inquit) multis contingit modis : bonum verò vnum duntaxat. Quare colligitur ipso nos timore, dum moribundos hos artus gerimus, non liberari. Sed præclarè etiam nobiscum agi putaremus si vno tantùm pulsaremur: Plures enim sunt quibus angimur: Alium à natura insitum gerimus, alium sępè concipimus ex imminentibus aduersis rebus : Primò ne anima separetur à corporis, fiatque in nobis dissolutio dissipatioque compositi circumuallamur: Cuius & Aristoteles in secundo Rhetoricorum libro, & Ioannes Damascenus in theologicis sententijs meminêre: Secundò ne appetitus noster concupito obiecto careat, assiduè quatimur: Primum naturalem nostros secuti theologos appellare possumus: Secundum accidentarium nominabimus, quando illo natura formidat, ne esse amittat imminente corruptione: hoc metuat ne perfectione aliqua ipsi esse adueniente destituatur.

Rursum quantum ad religionem Christianam pertinet, Christianosque homines, quibus mihi sermo est, multifariam timor diuiditur, siquidem futurum malum, & si timoris obiectum sit, nihilominus & illud quod ipsum malum inferre potest, ipsius etiam obiectum constituitur. Quod Deum metuimus non qua malum (tantum enim abest vt malum censeri debeat, vt etiam summũ bonum sit, & habeatur ab omnibus) sed qua pœnam infligit infinita sua iustitia sceleratis hominibus, nostriq; ob id timoris obiectum constituitur ratione, scilicet, iustitiæ (vt diuinus Thomas ait) qui nihilominus ratione misericordiæ obiectum est spei, quæ timori aduersatur. Potest igitur quispiam malum aufugere, (nihil enim est aliud timor quàm fuga seu expectatio mali) quod minetur Tyrannus aduersus corporis bona, vel fortunæ, quæ inordinatè amentur, & hunc timorem mundanum vocant, eundemque damnant: vtpote quem Christus in Euangelio prohibuerit, inquiens: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt*. Possumus & malum aliud effugere tanquàm naturæ noxium: hoc est, pœnam à Deo iustissimo iudice pro scelere immissam: Hunc metum vtcunque laudant, quantum, scilicet, pertinet ad timorem Dei, de quo in Deuteronomio scriptum : *Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me*. Verùm quantum ad id vituperant, quòd eo possessi à peccato, qua speciali bono oppositum est, non abhorreamus, sed magis vindictę metu atq; ob id seruilem vocitant, cũ seruorum sit flagrorum metu dominos formidare. Tertium assignant timorem, qui sit talis, vt peccatum veluti noxium serpentem deuitare nos faciat, cum ratione diuinæ offensæ, tum ratione seueri iudicij flagitiosis hominibus debiti: hic initialis pauor nuncupatur, quem habere solét, qui ad Deum via vitiorum deserta longo quasi postliminio reuertuntur: Separari enim à Deo metuũt, quem clementissimum parentem (quanquam tot perpetratis facinoribus, tot iniurijs lacessitum & offensum) non effudisse in eos iram, non sumpsisse iusta supplicia sunt experti: Atque hinc se ad gratiam reuocatos crebris diuinæ bonitatis cogitationibus & suspicantur & credunt: Inde tamen ob multa perpetrata flagitia abysso illo iustitiæ immenso detrudi ad inferna luendorum scelerum causa perhorrescunt. De hoc Prophetam cecinisse aiunt : *Initium sapientiæ timor Domini*. Est & quartus timor nunquam satis pro dignitate decantatus: Qui modò casti, modò filialis, modò sancti appellationem sortitus est, hoc nihil aliud metuimus, quàm à Deo disiungi, non vllo scilicet pœnarum horrore, sed diuina bonitate prægustata, infinita potentia cogitata, sanctissima iustitia perpensa, admirabili clementia atque misericordia animaduersa.

CAP.

CAP. II.

TIMOREM MORTIS ANIMAE PRAEPOnendum esse, vt noxia vitet, bona sequatur.



Væ cùm ita sint, curare debemus modis omnibus vt ad hunc filialem timorem & sanctũ proximè quàm fieri possit (nec alio opus est, nisi vt velimus) accedamus: Nulli ostium diuinę clauditur bonitatis, modò pulsare nos nõ pigeat: tantũq; abest vt obseretur, vt etiã ab ipso Deo ad ostiũ marmorei nostri cordis assiduè pulsetur. *Ego* (inquit) *ipse sto ad ostium & pulso.* Nam quotiens cauendi mali vel prosequẽdi boni conscia mens nobis dat signũ, præsentás scilicet præmia illa æterna cunctis, & animę & corporis castis delectamentis affluentia, vel reponens sub imaginationis oculos deplorata illa & conclamata sempiterna supplicia, quibus animæ iunctæ corporibus affligentur: nõ qualia finxêre prisci Poëtę vaniloqui, sed ea ipsa de quibus Christus in Euangelio testatissimã fecit fidẽ: quę item Euangelista Ioannes in Apocalypsi lacum ignis & sulphuris appellat: totiens ab ipso Deo ad benè beateq; viuendum inuitamur: Ipsi autem sæpissimè & vtinam non semper sensuum illecebris abducti, & inanis glorię blandicijs deliniti penè agere recusamus. Quapropter cum Christi cogitatione & amore, de quibus in præsenti libro verba fecimus, non commoueamur, nec hunc filialem & castum timorem possideamus, qui sine Dei amore & quidem magno non est: alius interim ad memoriam reuocandus est timor, qui mentem & sensum sui horrida imagine concutiat: Nam vt Horatianis vtamur versibus:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ:
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Timorem autem non alium quàm propriè mortis ante oculos proponendum primò putauerim multas ob causas. Is enim congenitus est nobis, sed quadã quasi incuria obliuioni mandatus, est & quasi radix & seminarium cæterarũ formidinum: Quoniam ferè omnia incommoda & aduersa tanquã vel mortem corporis, vel proxima morti afferentia metuimus: Nec secundam mortẽ terroris aliquid incutere hominibus videmus, nisi primæ mortis cogitatio primũ cogitatum secundæ præcesserit: Et hoc ipso magis debemus efficere, quia hæc nostræ instantis dissolutionis obliuio ferè omnium malorũ est causa: Quam nihilo magis perhorrescere cernimus homines quàm quæ ad se omnino nón attinent. Duæ nimirum res ad remouendum terrorem potissimam vim habent: Mali formidandi distantia, & patiendi necessitas, his ferè fit vt mortem non paueamus: Fit etiam vt in vitia pręcipites ruamus. Sed quàm in vtroq; magnopere hallucinemur ostendendum. Timor perturbatio est quædã dolórve ob imaginationẽ futuri mali corruptionẽ afferẽtis, authore Aristotele in Rhetoricis. Ex quo consequitur nihil magis timendũ esse quàm mortẽ, quæ non modò futura, sed necessariò futura: quæ non solùm corruptionem inferre potest, sed ipsa corruptio est: Cùm secundùm Themistij sententiam ea nihil sit aliud quàm dissolutio dissipatioque compositi, per quam partes in generalitatem: id est, in naturam suam recurrentes reciprocantesque feruntur vniuersitati. Nec etiam dolor eò vehementior acriorque potest excogitari, quem alteratio illa mortem præcedens & efficiens affert secum: Sed tamen euenit interdum vt hæc mors nobis magnæ non sit formidini, magno non sit terrori: quando, sicut antè ostendimus, eam imminere non cernimus, sed veluti de longinquo venientem eminus aspicimus. Omnes enim se morituros scire, ait Aristoteles, sed quãdo, non de propinquo idcircò non curare. At fallimur & quidem perniciosè, semper est à tergo mors, clanculùm & inopinatè grassatur, vnde etiã eò magis metuenda quò incertior est eius aduentus, quoq; magis minitans, & mille telis semper obarmata graditur ad bellum: bellum inquam, quod continuè nobiscũ gerit. Nam haud vnquam cessat vitalis calor humidũ intraneum naturæ ope per viua corpora diffusum, illiq; veluti pabulũ dedicatum consumere: Quousq; aliquid in nobis vitalis humidi remanet, naturali morte non deficimus, cùm deest, corruimus. Verùm sæpissimè fit & ferè semper vt ab humido nimio excremẽtitioq; calor obruatur: Nec secus q̃ multiplicata annona, cuius horreum capax nõ sit, insupportabili põdere tectum simul cũ habitantibus decidit. Taceo insidias malorũ hominum & alijs & sibijpsis

sibijpsis quandoq; mortem intentantium, quæ tot sunt tamq; variæ, vt ad certum numerum redigi non possint. Quæ omnia si cogitaremus, propè esse mortem iudicaremus, & timore iusto trepidaremus, parantes munitiones & instrumenta bellica quæ præsentanea forent remedia ad propulsandam illius iniuriam, præsertim cùm nulla sit pars vitæ non plena malis, vt rectè ait celebratus ille Socrates apud Xenocratem.

Porrò quo ad ipsam necessitatem pariter fallimur: Nam ea, quorum necessitas excludit timorem, mala sunt, quæ veluti præsentia iam iamq; imminentia existimantur, ne qua ratione euitari possint, succurrit: vt de his qui pœna capitali afficiendi sunt, Aristoteles meminit: At si vel pauxillum spei retineatur, statim timor subintrat quo id quod sperauimus, dubitamus amittere. Vnde potest intelligi, maiorem terrorem nobis infligi iure non posse ex his, quæ in hac vita contingere homini possunt quàm ex propriæ mortis cogitatione. De naturæ non de culpæ malis loquimur, quæ propriè, vt Thomas edocet, cùm in nostra potestate eorum actus consistant, ratione terribilis carent, quam propriè & peculiariter habent, quæ extrinsecùs adueniunt, nec nostræ subsunt voluntati: In morte aut qua nihil terribilius, voluntas nostra non habet imperium. Ea igitur cùm semper minetur se venturam quod futurum est necessariò, nec quando futurum queamus deprehendere. Aduentus hora eò formidabilior, quò incertior nostræ menti debet insidere. Ad hoc enim conditor noster, vt ait Gregorius, latere voluit finem nostrum, diemque nostræ mortis esse incognitum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur.

Posceret hic locus bellum aduersus diuinatricem Astrologiam & professorum eius deliramenta, quæ octoginta sæpè vitæ annos pollicentur, & per singulas annorum reuolutiones securitatem à morte. Sed postquàm Ioannes Picus patruus duodecim libris nunquàm satis pro dignitate laudatis, professionem ipsam proprio ingenio proprijsq; inuentis ex toto deleuit, professoresq; prostrauit, de hac materia in præsentia subticebimus? Relegandi enim illuc sunt studiosi omnes auidique noscēdæ veritatis. Nam superioribus mensibus opera nostra & ab interitu vindicati sunt, & publicati. Sola hoc in loco Christi authoritate suffulti abigemus eorum superstitionem, ne ampliùs quàm susceptum expostulet negocium, euagemur. Is enim in Euangelio vigilare nos monuit, cùm diem & horam mortis nesciamus. Nec puto quenquam (nisi falli cupit) adduci posse, vt potius nugiuendis Astrologis mancipare velit fidem, quàm Deo non audire, mortemque tanquàm imminentem etiam non expectare.

CAP. III.

QVANQVAM MORS EVITARI NON POTEST, aliquibus tamen de causis & timenda est, & ad memoriam reuocanda: Item quomodo ab ipsius memoria quodammodo superetur.




SCire tamen oportet non eo modò mortem esse timendam, quo res aliæ nocumentum nobis afferentes metuuntur, quas tamen euitare procurremus: *Nam hominibus mori semel statutum est*, docente id Apostolo, ratione demonstrante & quotidiana comprobante experientia. Cùm nec illa nostra vincatur superbia, nec leniatur blanditijs, nec ætate tardetur: *Aequo enim pulsat pede pauperum tabernas, regumq; turres.* Cunctos pari metit falce & sepulchris velut depositos retinet, quousque vel secunda mors eos absorbeat, vel secunda aduentante vita beentur. Nudos in lucem ædit parens, nudos post mortē terra deglutit: Quod si à prodigis & sagacibus ad luxuriæ instrumenta ingenijs gulam excogitatis scitamentis, summates homines replens, nō ob id vitæ terminus eis prorogatur, nec eorum cadauera aut purpura aut auro velata ab incorruptione seruātur iuxta illud Ambrosij: Nudi homines nascimur, nulla distinctio inter cadauera mortuorum, nisi fortè quia grauiùs fœtent diuitum corpora distenta luxuria. Verùm mortem ipsam metuere debemus timore iusto & imitati prophetam optare nobis Dominumque iugiter exorare, vt nostræ mentis oculos superno lumine collustret, ne vnquàm obdormiamus in morte, nequādo dicat inimicus noster, prævalui aduersus eos.

ſus eos. Nec mouere nos debet quod M. Tullius plurib. in locis Tuſculanarum quæſtionum aſſeuerat: Mortis enim contemptionem non minimum ait valere ad animũ metu liberandum: Atq; eum qui id quod vitare non poteſt, metuit, viuere quieto animo nullo modo poſſe. Nam ipſi timendam eſſe mortem non ea ratione cõtendimus, vt anxij dies ac noctes formidine illius tanta angamur, vt aſpera illa cogitatione atra bilis excitetur, quæ exuperet & fluctuet, omnemque nobis vitę iucunditatem eripiat: Sed affirmamus familiarem nobis adeò mortis meditationem eſſe oportere, vt per eam à malis cauentes eò deueniamus, vt nõ ſolùm corporis mortem metuamus, ſed etiam ſupplicia illa ad quæ perpetuò & animæ reorum & corpora relegabuntur, horrore magno formidemus. Quippe ſi ſæpe perpenderimus nouiſſimum tremendi iudicis examen, quo quiſque qualis in mortis hora inuentus fuerit, iudicabitur, fieri vix poterit vt magna ex parte (pœna ſaltem formidine) à malis operibus nõ retrahamur. Quis rogo inficiari poteſt mortem eſſe metuendam? cùm aduentus neceſſitatem tẽporis incertitudo comitetur: Quis celeritatem illius abnuat formidandam, cùm aduentare citò poſſit, ſerò non poſſit: Ab ipſis profectò incunabilis ad annum vſque ſexageſimum nec fruſtrà expectari ſingulis diebus poteſt: Vltra id tempus qui ſingulis eam momentis non moratur ad eamque ſe præparat excipiendam omnino inſanus eſt: Nam eius aduentu vel perpetuæ vitæ initium ſumitur, vel perpetuæ mortis. Cæterùm nec alijs armis ad eam oppugnandam & debellandam opus habemus quàm hac ipſa de qua agimus, frequenti cogitatione & pauore: Quem bellandi modum Gregorius memoriæ prodidit docens, ſic mortem cùm venerit, à nobis vinci, ſi prius & cogitata fuerit & formidata. Nam ſi conſiderauerimus quales in morte futuri ſumus, nõ ita in acquirendis momentaneis deſudabimus, ſed potius fragilis & breuis vitæ terminum penſantes, ad illum (mori ſcilicet diſcentes) cunctas operationes dirigemus. Quapropter eueniet, vt ſimul & ſecundam mortem ſupplicijs inexcogitabilibus refertiſſimam deuitemus, & primam etiam num hoc modo ſuperemus, ſi ſcilicet ad eam ſuſcipiendam quotidiano cogitatu commonefacti, & per iuſtitiæ opera diſpoſiti, ex inimica quodammodo amicam faciemus, vtpote quæ nobis accedet ad ſempiterna gaudia non ad pœnam.

CAP. IIII.

COGITATIONEM MORTIS CVM NOSTRAE TVM ALIORVM efficere, vt noſipſos magni non faciamus & abducamur à vitijs: Quot calamitatum conſideratio, quibus humanum premitur genus, ſufficienter non efficit.



SAnè volentes vndique vitia propulſare non vident, vnde plus copiarum, plus armorum aduerſus ea parare ſibi poſſint quàm ex mortis cogitatione atq; terrore, nec quis validior obex malorum reginæ ſuperbiæ poſſit opponi aſſidua ipſius memoria. Nam & ſi multas miſerias à natiuitate homo afferat ſecum, quibus partim commonefactus, partim perculſus, cohibere cupiditates, iramq; frenare deberet, tot, inquam, miſerias ac tantas, vt Plinius arbitratus ſit, ſatis non eſſe, exiſtimare melior'ne homini parens natura, an triſtior nouerca extiterit, vt Epicurũ ſileam, qui etiam atrocius in ipſam inuexit, nihilominus duriora illis obdit repagula extremæ horæ meditatio. Quanquam enim natum ſe nudũ homo cognoſcit, & in nuda humo natali die abiectum, ad vagitus ſtatim & ploratum ad continuos eiulatus: ſeque animal cæteris imperaturum à primo lucis rudimento (quod ne feris quidem contingit) in vincula excipi, manibus pedibusq; deuinctis, atque à ſupplicijs vitã auſpicari: non tamen adeò reſipiſcit quod eſt intelligentiæ lumine & rationis indagine præditus, quin ſeipſum elata mente propriamq; naturã ſupergrediatur, præſertim ſi hæc ingenij improbitas peſſimis auro & argento heris ſit iuncta. Nimirum plerunq; euenit, vt illi quos à materno vtero pendulos purpura ſuſcipit, & delicatè ab incunabilis educatos, eſcæ mari terraq; quæſitæ alere incipiunt, magna poſtea ſtipati ſeruorum caterua obliti friuolam originem, quàm odor à lucernarum extinctu potuit abolere, exiſtiment ſe genitos ad ſuperbiam, fidant viribus & forma corporis, ſola fortunæ complexentur munera: Quæ omnia quanquã facillima leuiſſimaque

maque sunt, efficit tamen famæ celebritas fastuosaq; gloria, multũ vt veritatis a c ponderis habere videantur: vulgò enim qui illa possident, magni æstimantur. Quæ gloria famaq; ad summam nihil aliud sunt quàm meræ nugæ, & quædam quasi nebulæ, quæ spectatæ procul magnum aliquid præ se ferunt, vbi propinquaueris, euanescunt. Inanes profectò vmbræ, & vt ait significantiùs Pindarus, vmbræ somnium.

Sed si homo ad finem vitæ pensandum animum appulerit, animaduertens præter id quod vix est portiuncula sensilis vniuersi, viuendi etiam spacium vix totius temporis esse momentum, id quod caducum & fluxum est, nec magnum, nec eximium existimabit, facileque propriæ fiet conscius ignorantiæ deprehendens falsa illa esse, quæ magnifaciebat nihilq; pendenda: quę si nonnulla promittebant gaudia, illa nihilominus non vera esse, non solida, non expressa gaudia, sed adumbrata, sed imaginaria, seque nõ secus ac eos deceptum agnoscet, qui multis diuitijs sopora nocte ditati, postquam ab auaro somno paulisper sunt excussi, dulcia diu lectum versantes, quęrunt insomnia, donec penitùs expergefacti se cassa cupidine delectatos, atq; inde ludificatos percipiunt: quæ vt aduertamus, quamuis memoriæ futuræ olim mortis efficiat, attamen scintilla spei viuendi diu ex sententia degentibus, nec infirmitate laborantibus, manere adhuc abstrusa videtur, sospite, scilicet, eã præstante natura, vtpote cùm mortis nuncios & anteambulones sępissimè videre detur priusquàm sit moriendum. Hoc iuuenes morbo afflictantur pollicentes sibi quod præstare non possunt: Nec sani & valentes senes liberantur hac peste: Cùm tamen si homo bulla est, eò magis senex (vt Varro scribit) Verùm facillimè resipiscent si reuocauerint, ad memoriam quãtulo serpentis icti dente possint, è vita decedere. Aut etiam Anacreõ poëta ad exemplum succurrat, qui acino vuæ passæ interijt, & Fabius senator prætor in lactis haustu vno pilo strangulatus. At grassari nihilominus nõ desistet in hominem pestis alia perniciosior nobis, quasi congenita vtpote de naturæ per peccatum vitiatæ primordijs pullulans, quæ sine magna difficultate non potest cohiberi: Est enim in nobis propriæ excellẽtię cupido, appetentiaq; diutiùs permanẽdi, qua cùm necesse sit vt careamus, cùm compositum omne ex elementis sit dissolutioni obnoxium & obligatum, ea procuramus agere, quæ hominum aliorum mentibus fixissimè sint permansura: Quorum ope & si in propria viuere hominis substantia non conceditur, illorum tamen in memoria ob ea quæ de nobis cum admiratione conceperunt, viuere præstatur, & nostrum nomen nullatenus aboleri. Hoc Cecilium Plinium intellexisse, puto cùm hæc verba prodidit: Quatenus negatur nobis diu viuere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur, quæ sanè dementia & multos iam egit & nunc quoque non cesset agere præcipites. Quando quid de eis homines sentiant, solicitùs curant, quàm quod propriè & animę & corpori sit in perpetuas æternitates profuturum: Hoc vanæ glorię seminarium esse, & ex desiderio se perendinandi manare scriptum comperimus. Verumetiam nec is bono idipsum animo molietur, & qui probè ruminauerit, non modò se, sed cunctos qui sunt futuri homines morti addictos & obligatos, ipsumq; cœli motũ, hoc est, vniuersalem generationis & corruptionis causam sisti debere, & elementa cum eodem cœlo renouari oportere: quæ noua in Apocalypsi Ioannes Euãgelista suspexit. Et qui probè pariter pensauerit, nullum vera vita donari posse, nisi cuius nomen in libro vitę scriptum fuerit, reliquos sathanæ tradi in æternum mancipium in meditullio terræ religandos, sempiterno igni cruciandos & à morte ipsa, teste Propheta, depascendos. Quare fortiùs vitiorum repagulum mortis meditationem extare colligitur quàm ærumnarum miseriarumq; recordatio, quibus humanum genus assiduè premitur.

CAP. V.

MORTEM COGITANDAM ESSE, INSINVARI NOBIS per illud celebratum dogma, Nosce teipsum: Quod qualiter etiam sanè poßit intelligi, declaratur.


Ed & vetus illud Eulogium, quod pro Apollinis Pythij ferebatur oraculo admiratum vndique, quasique publica (vt inquit ille) præconis voce prolatũ, hoc ipsũ de cogitanda morte nobis insinuat, qđ nec ab Apolline Pythio, nec à Chilone Lacedæmonio (vt Plinio visum est) nec à Thalete Milesio vt

variè

variè ꝓditur, originē traxit: Sed à Mosi Deuteronomio, vt Ambrosio placuit, & à libro Iob, monumentis vtiq; multis annorum seculis, & ante illud oraculum & priusquàm Thales & Chilon nasceretur, perscriptis: Ex diuinis enim eloquijs, non modò philosophi antiquissimi sententias excerptas suam in philosophiam transtulerunt, vt euidentissimum: Sed & ipsi dæmones easdem furati sunt quò sapientiores apparerent, & homines ad sui cultum vanissima superbia prouocarent. Hæc ergo (mea sententia) celebratum istud dictum nobis insinuat: Partes ex quibus compagineris aduerte, vnde veneris curato sapere, quid acturus sis, pensicula, quis sis futurus, quoq; tandem iturus, sæpissimè cogitato, atq; illo animum diligenter appellito. Iam si partes ex quibus es constitutus, contemplatus fueris animam & corpus; formam videlicet & materiam deprehendes: Si animæ spectabis naturam, partemque potissimùm eam, qua intelligimus & sapimus, persuasissimum habebis & incorruptibilem esse & immortalē. Quod enim corruptioni obnoxium est, vel ex accidēti (vt ita dixerim) interit, hoc est, alio quopiam abolito, vel ex se & naturæ propriæ defectu corruere necesse habet, vtroque anima liberatur incommodo: Nam fieri non posse extra controuersiam est, vt quod per se habet esse, rei alterius iactura depereat. At anima per se subsistit, alioquin propriam operationem, quæ etiam corporis non esset, quale est intelligere, non haberet. Non enim per se operari potest, nisi quod per se existit: Anima verò cuncta corpora resq; vniuersas noscere capax est: Quod signum est euidentissimum se in eo intelligēdi munere non communicare cum corpore, cùm sit manifestum, nihil habere eorum quæ nouit in sui natura agnoscentem oportere: Quia notitia careret, nec ipsa sensorio in suis functionib. indiget: Cui scilicet sit affixa, quando illius organi natura determinata vniuersorum corporum agnitionem excluderet. At illa quæ ex se non subsistunt, qualia sunt accidentia, qualia naturales formæ, qualia brutorum animæ ad generationem compositi suboriri, ad internecionē aboleri dignoscimus, quia immersa materiæ vis omnis eorum est. Nec belluarum animæ propriam vllam operationem habent, sed quicquid agunt, commune est cum animali: Neq; capaces existūt præterquàm rerū singularium in organo sensorioq; particulari receptarū. Per se verò corrumpi non posse animam liquidò corrogatur, quoniam id quod ex se alicui conuenit, fieri non potest vt ab eodem separetur. Esse autem per se formæ conuenit quæ actus est: A` seipso verò non separari posse actum quis ambigat? Quid quòd si anima (vt quidam finxêre) ex materia & forma cōsisteret, adhuc eam incorruptio & immortalitas comitaretur. Cùm ibi corruptio non habeat locum vbi contrarietas deest: Generationes enim ex contrarijs & incontraria pariter & corruptiones. Intellectiuæ verò animæ inesse contraria nequeūt, cùm quæ recipiat iuxta suæ naturę recipiat modum, tantumque absit vt contrarijs receptaculum præbeat, vt etiam quæ suapte natura pugnantia, sibiq; inuicem semper aduersantia mox eam introgressa pacem ineant, vnamq; scientiam (siquidem contrariorum eadem est scientia) rationes eorum & simulachra constituant.

Et quid plura de animę immortalitate, quàm omnes ex priscis philosophis, qui prę stantissimi fuerunt, & habiti sunt, asseruisse comperies. Mercurium scilicet Ter Maximum in Asclepio, Pythagoram eiusque pręceptorem Pherecidem, quem Cicero tradit primum de animarum æternitate disputauisse. Et si Apuleio credimus, primus relictis metrorum regulis, prosa oratione philosophiam conscripsit, Platonem in eandē sententiam iuisse conspicies pluribus in locis commentationum suarum, in Timæo, in libris de Republica, in Phædone maximè, in epistola ad Syracusanos: huic veritati non solùm tota illius familia, sed & Zeno atq; ipse Chrysippus, quem Stoicorum porticum fulcire Cicero aiebat, assenserunt: Sed & ipse Aristoteles nónne hoc idem constantissimè asseruit, & in secundo de Anima libro, cùm intellectum à cęteris animæ viribus tāquàm perpetuum à corruptibili separauit: & cùm in primo scripsit, si fieri posset, vt propriam operationem haberet, separabilem esse prodidit quoq; in secundo libro de Animalium genere, intellectum corpori extrinsecùs aduenire. Mitto Priscorum poëtarum innumeram cateruam, mitto Sibyllina carmina, mitto quid Cyrus maior apud Xenophontem loquatur, illis enim antiquis, quanquam cæcutientibus in multis errorum tenebris in tantum animæ est credita immortalitas, vt Cato maior apud Ciceronem ita locutus sit: Quod si in hoc erro quòd animos hominum esse

immortales credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem quo delector, extorqueri volo: Sin mortuus, vt quidam minuti philosophi cēsent, nihil sentiam, non vereor ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. In hunc ferè modum quanquàm exactiùs sanctissima quædam cauillatio proditur, qua redargutum philosophum quendam impium ab religioso nostro homine ferunt. Quæro (inquit) abs te, immortalis est anima, nec ne? Si mortalis, credentes eam immortalem nulla incōmoda comitabuntur. At si fuerit immortalis, & id non crediderimus, maxima in nos detrimēta redundabunt: Non est igitur ambigēdum, illam esse immortalem, nec ab hoc quispiam rectè dissentire potest, nisi mentis emotæ & penitùs abalienatæ fuerit. Missas ergo facientes gentilium authoritates, & rationes etiam efficacissimas à nostris theologis qui Parisiensi stylo scripserunt excogitatas, Gregorium audiamus: qui cùm in commentarijs in Iob multas rationes ad immortalitatem animæ probandam attulisset, adiecit: Qui propter istas rationes credere noluerit, propter fidem credat, cui omnino assentiendum est Christianis potissimùm, quibus loquimur: Cùm ex authoritatibus vtriusque testamenti exploratissimum compertissimumq; habeatur, animam esse immortalem.

Diximus de nostri parte nobiliori: Iam ad alteram, hoc est, materiam transgrediendum: quam si considerauerimus & eius desiderium & appetentiam diuersarum formarum examinauerimus, elementorumq; contrarias qualitates semper pugnantes, mortem gerere semper bellum aduersus nos fatebimur, instareq; eam propinquareque, singulis momentis aduertemus. Cùm exsiccet cōtinuè viuificum humidum naturalis calor, & contra illum sæpissimè superfluum humidum obruat atq; submergat; vt suprà latiùs ostendimus. Quæ omnia nostra mala & naturæ incommoda vitiatæ ex primi hominis peccato manârunt. At si vnde venerimus, perscrutabimur, creatam à Deo nostram animam iunctamq; corpori à parentibus generato & ad formæ susceptionem disposito & aptato noscemus, vt omnes theologi astruunt & philosophi rectè sentientes existimârunt. Verùm si quid agendum tibi cupieris intelligere, audi Augustinum dicentem, fecisse Deum naturam rationalem, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. Hic finis noster, hæc consummata felicitas, ad quam per mandatorum diuinorum custodiam peruenire conceditur.

Si postremò, quis sis futurus, quóve iturus, curæ tibi fuerit sapere, & Trismegistum sciscitaueris, respondebit in Asclepio, Lucio etiam Apuleio interprete, iustam animā in competentibus sibi locis manere permitti: delictorum verò maculis vitijsque obligatam in diuersa semper ęternis pœnis agitatam raptari. Si Platonem etiam percunctari cordi fuerit, audies in Phædone docentem: Animas quæ iustè egêre postquàm à corpore disiunctę fuerint, præmijs affici: quæ perperam detrudi in tartara ad scelerum luenda supplicia sempiterna. Et si ad porticum te conuerteris, omnium ferè Stoicorum, præsertim Zenonis vocem excipies admonentis, piorum sedes ab impijs esse discretas, & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos verò luere pœnas in tenebrosis locis atq; in cœni voraginibus horrendis. Qui philosophi hoc ipsum non docuerunt, qui poëtæ non decantârunt? Nónne apud Homerum legitur fœdifragos homines post mortem supplicijs affici? nónne apud eundem Sarpedon Neoptolemo minatur eius animam in inferno traditurum? Nónne apud alios legimus æternas pœnas in morte timendum? atq; etiam in magnas laxari tartara pœnas? Sed quid hîc quasi nugamenta prosequimur? Adeamus nostros doctores ecclesiæ lumina, veræ fidei propugnacula: qui omnes vno ore fatebūtur: Luere nos pœnas scelerum oportere, nisi per pœnitentiam deleta fuerint: Afferent rationes ex diuina iustitia: quæ nec fallere nec falli potest, cui nullus esset locus, si probis moribus homines, qui hoc in aëre sæpissimè afflictantur, in alia quæ futura est vita, sempiterna gaudia non manerent, & scelestos atq; impios pœnæ æternę: Qui tamen in hac vita vehūtur conspicui, nec eorum luxurię, aut terra, aut mare sufficit, nec est satis auaritię quicquid vehit Tagus, Pactolus, & Hermus. Taceo exempla multa in libris cùm aliorum sanctorum, tum maximè diui Gregorij posita, veluti de Theodorici regis anima, quā Symachum, & Ioannem Pontificem necauerat, asportari visa.

Adeamus quæso supplices, pro hac veritate & clariùs & vberiùs percipienda, Christum

stum Deum & hominem pro nobis beandis crucem perpessum: Qui profectò nos vigilare commonebit, cùm diem & horam mortis ignoremus: docebitque se viuos & mortuos iudicaturum, resurrecturos nos, in ipsoq; iudicij die ante eius conspectum statuendos, probos quidem ad dexteram, improbos ad sinistram, illisq; se dicturum: *Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, nudus & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me.* Quibus percunctantibus quando in illum aut esurientem, aut sitibundum, aut nudum talia pietatis officia impenderint, ingeminaturum. *Amen quippe dico vobis: Quàmdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Qui verò constituti erunt ad læuam, propterea quòd ea omnia quę ab illis fuêre impleta, dimiserint talia, discedentes à magni regis præsentia percepturi sunt verba: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Et ibunt in supplicium æternum: iusti autẽ in vitam æternam.* Itaque si nosipsos probè cognouerimus, non pòst habebimus hæc omnia, præsertim si diem mortis obseruauerimus, quo iter est ad hæc perpetua vel supplicia vel præmia.

CAP. VI.

EOS QVI SVAE FVTVRAE MORTIS SVNT MEMOres sæpißimè, in illius aduentu lætari: at illos impensißimè tristari, qui venturam ipsam minimè frequenter cogitant.



QVis etiam fructus (præterquàm incitatio ad beneuiuendum) ex mortis cõgitatione proueniat, si scire auemus eos vel obiter aspiciamus, qui dũ viuerent, id muneris obierũt, certiores profectò reddemur, factum in eis, vt mortem ipsam quam veluti malum horremus, tanquàm bonum hac vita pręstabilius appeterent. Illã formidabilem esse nemo iure inficiari potest, quando primum compositi bonum abducat, hoc est, esse, cui cuncta adueniunt bona, & velut firmissima quadam basi nitũtur. Sanè corruptionem propriam quilibet horret, per quã formam à materia, hoc est, animam à corpore disiungi necesse est, corpore inquam quod fouet & nutrit: quod tanquàm socium participem & collegam suorum omniũ munerum præterquàm intelligendi conseruari cupit, cui beatitatem exoptat, & procurat dulciorum nexuum, quibus coniuncti & agglutinati extitêre minimè oblita, vtpote cuius ope eidem se perficere capacemq; fieri beatitudinis condonatum sit: Rursumq; illi post primam dissolutionem ad perpetuum consortium vniri oportere, sit à rerum omnium conditore & opifice Deo irreuocabili lege sancitum. At cùm anima crebrò pensat corpus ab ipsa per mortem separandum: Vnde vltimi huius officij, de quo mentionem habuimus, sumatur initium perpetui videlicet consortij æterna trãquillitas felicitasq; sempiterna, inhians cupit experiri, qualia sint illa quæ promissa sunt gaudia, si ad ea potissimùm se præparauerit, & Christum dilexerit, cuius preciosissimo sanguine cœli ianua patefacta est. Compertũ hoc habemus in Paulo magistro Gentium & vase electionis scribente per epistolam, optare se dissolui & esse cũ Christo. Corruptionem namq; corporis illius anima nõ formidabat, quæ per illam in cœlos ad beatitudinem properare satagebat, ipsi corpori post modicum temporis spacium perpetuam vitam & pacem paratura. Quid enim omne etiam temporis spaciũ est ęternitati comparatum: Sed parumper nostros Christianos mittamus, quibus certa de salute spes, quos scilicet diuina clementia certos, superna reuelatione reddidit, sub conditione tamen, si scilicet Dei mandata seruauerint, vel si aberrantes à semita, quæ ducit ad cœlestem Hierusalem ad eandem per pœnitudinem redierint.

Accersamus eos, qui tantùm authoritate philosophorum humanaq; persuasione adducti sunt, vt crederẽt animæ immortalitatem felicitatemq;: Illis enim mortem sæpissimè cogitantibus, cuius ope sempiterna illa cœlestia dari sibi ad possidẽdum crederent, sępè cõtingit, vt etiam ad illa capescenda accensis mors esset in votis: Omnes Cyrenaici Hegesiæ auditores spontè libenterque decedebant: nec certè Cleombrotus Ambratiotes inuitè diem obijt, qui sibijpsi perlecto de immortalitate animę libro

 mortem

mortem consciuit: Quam tamen cęcutiens inter densissimas vmbras duntaxat coniectauerat, tantumq; abfuit vt felicitate illa potitus fuerit, cuius gustandæ gratia migrauit è vita, vt etiam in summam inciderit perpetuamq; miseriam. Is autem quem nuper nominaui, Hegesias prohibitꝰ ob id à rege Ptolemæo dicitur, ne (vt assolebat) in scholis publicè de contemnenda vita dissereret, quia multi audito eo sibijpsis mortem inferebant. Massilienses etiam illi, qui vinum cicuta temperatum sumentes interibant, se mortem non formidare testabantur: *Quiq; suas struxêre pyras viuiq; calentes, Conscendêre rogos* —: Fœminaque illa insulæ Ceæ incola, quæ Sexto Pompeio Valerio Maximo alijsq; spectantibus vltimo hausto veneno decubuit: Atque etiam natio illa Thraciæ, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebrabant. Sit & illud nobis argumento, quod cuiq; terribile est, quod ignoratur, vt quod obscurum, quod tenebricosum sit: Sicut aduersa ratione delectabile, quod illustre, quod apertū, & consuetum habemus. Ob id philosophi illi veræ legis expertes, immortalitatis capti amore sponte seipsos enecabant: Nam & si perperam agerēt (in hoc quippe damnantur) quia tamen eius cogitatio illis domestica fuerat, non solùm cùm moriendum esset, cursu naturæ ægrè dissolutionem tulisset, sed æquo etiam animo atq; libenter, vtpote quos non lateret (quanquam subobscurè) futuram post obitum puri animi felicitatem. Assequuti enim quandam eius vmbram & imaginem fuerant mediocri cōiectura, cruciatumque illum qui in discessu sentitur, magis torquere quàm discessum, quem quasi soporē futurū tradit Timæus: Si præsertim non suffocatione fiat, sed paulatim deficiente natura & tabescente. Alia autem ex parte Christiani pessimi, quorum mentes mortis vnquàm memoria non tetigit, nisi inuitos: qui sepulchri immemores struunt domos, plurimùm mortem perhorrescunt, & in eis diuinum illud locum habet: *O mors quàm amara est memoria tua homini habenti pacem in diebus suis.* Putant enim nequaquam meruisse gloriam nequissimis facinoribus perpetratis, sed supplicia: Atq; idcirco ægrè vitæ huius blandimenta relinquunt, quib. ab initio fuêre deuincti, mortemq; tamen fama vel de longinquo notam ad memoriam reuocant: eò horribiliorem, quò nunquam cogitatam, cuius dies non solùm his nō familiaris, sed semper à vestibulo mentis & sensus expulsus: Atq; eum idcircò tanquàm hostem (& quidem infestissimum) expauescunt. Quibus de causis efficitur vt illud Senecæ verum fateamur: Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.

CAP. VII.

SAPIENTIS ESSE COGITARE DE EXTREmo vitæ momento, insipientis illius obliuisci.



T sanè si nostris hominibus vitæ spacium prorogaretur vsq; in quingentos annos, quos pleriq; prisci temporis vixêre, at si in multa tempora nō protelaretur, modò mortis diem præscirent, saltem quandocunq; veniret: fortè non adeò apparerent insani, qui suas libidines vellent explere priusquàm vitæ metas attingerent: & dum de vita certa spes esset, posthabita interim mortis memoria optatis vellet oblectari blanditijs, vtpote in quorum esset potestate dum immineret dissolutionis dies, per pœnitudinis viam ad Deum salutēq; redire: Sed cùm tam incerti sint quando ventura sit mors, quàm certi sunt eam omnino venturam, non possunt non esse dementissimi qui ita viuāt, quasi non essent vnquàm morituri: Nec aliter de morte cogitent quàm de his quæ vltra Sauromatas & glacialē Oceanum agitantur. At hoc ipsum sapientis officium est: Nam si eius est proprium (vt inter omnes philosophos conuenit suas actiones disponere in finem) vt scilicet nihil deliret amussis, nihil norma denormet, quò minus ex voto affluant optata: erit ex aduerso stulti hominis finē suū nec nosse, nec meminisse: Quî enim fieri potest præter quā casu? vt finem eodē ignorato quis adipiscatur? quando ex illius apprehensione parari, cætera ad id consequēdum opportuna sit necessum. Persuasissimum Christianis est finē primarium & vltimū nobis præparatum, si homines nō bruta fuerimus, esse beatissimæ trinitatis visionē & fruitionem apertam, quā in hac vita nequaquam possumus possidere, sed priùs esse moriendum, vnde vel in vtrunq; hominem beemur

beemur æternùm, vel vitijs oppressi, summoq; bono contempto sempiternas pœnas luamus. Nam diuinis Scripturis edocti didicimus, si spreto Deo bono incommutabili, struendis opibus per fas & nefas ambiendis & cumulandis honoribus, perpetrādis sceleribus inhærebimus, in sulphure & igne pœnas dabimus: Si rursus rerum inferiorum vsu contenti, nostras omnes functiones & munera, cunctaq; quæ agimus in Dei gloriam (vt docet Apostolus) faciemus nostræque semper vigiles prospiciemus saluti, cœlestem nobis gloriam promerebimur. Mortem itaque veluti extremam ianuam qua ad perpetuam vel vitam vel mortem datur introitus, habere in memoria operęprecium est, ne in quærendis & disponendis medijs aberremus. Sæpiùs enim fit vt quæ fini consequendo opportuna credimus, aliò ducāt. Atque ob id adhærentes eis ab illo quod fuerat in votis, assequi longè absimus. Quæret quispiam Romam concedere audiens situm esse lucum in itineris meditullio, quo grassatores permulti degāt, qui peregrè proficiscentes & spolient vestibus & sæpè trucident, alia non detur ire via. Dubitabis ne appellare eum deliri capitis hominem? qui priusquàm domo discedat, Romam versus iter facturus, non cogitet armatus incedere, valido etiam stipatus comitatu, paratus scilicet ad propulsandam vim, si quam inferri Sicarij molirentur, vel si arma fortè desint, aut amicorum seruorúmve cunei, onustus auro & argento inermisque penitùs capessat iter, qui inquam non maluerit leui comitatus canna Romam contendere, villatico indutus panno, & eo etiam longo temporis vsu corroso? Vnde cantare possit coram latronibus, viator vacuus, vtpote cum quo nihil omnino lucrari possit crudelis insidiator. At insaniorem etiam iudicabis illū (nisi & tu eodem laboraueris morbo) qui nullam insidiosi luci memoriam habere voluerit. Sapientem contrà qui quamprimùm periculi fama ad eius aures peruenerit, parare tutū sibi iter procurabit, sapientissimum illum qui priori munitione non contētus, quàm fieri potest, sæpissimè ad memoriam reuocat nemus formidabile, excogitās plurimas euadendi vias, quò tandem optatam Romam perueniat.

Nos verò, qui non Romam, sed Hierusalem: non illa quæ in Iudæa, sed quæ in cœlis peregrini proficiscimur. *Quandiu enim sumus in hoc corpore* (vt inquit Apostolus) *peregrinamur à Domino*, obscuram syluam latronibus obsitam, necesse habemus appellere: Hanc non impunè præterire datur diuitibus, nisi stipati propugnatoribus transmeent, amicosq; præparent, de mammona factos iniquitatis, qui se per pericula comitentur, virtutes asciscant quibus armentur: aut si quam possiderint, cautè custodiāt, ne mundus insidijs, dæmon præstigijs atque fallacijs, sensus illecebris eas deprædentur, quibus inquam resistere populabundis hostibus valeant, eisque inuitis optatam metam attingere: Verùm laborantibus inopia non tanto commeatu, nō valido opus est apparatu: Naturæ dona illibata custodiant, à Deo quærant, crebroque postulent, pauperiem non ægreferant, imò exultantes excipiant: qui cùm operibus careant, etiā impedimento carent: Ditentur virtutibus, quibus acquirēdis non opus est ad Indos nauigent, aut parte sub occidua trans Herculis columnas, vt nostros homines facere solere meminimus, vilissimæ etiam æruginis gratia. Vbi vbi locorum fueris, præstò est virtus, modo illius consortium nō dedigneris. His sanè præsidijs per nemus tenebrosum, & refertum latronum decipulis iter faciētes, Hierusalem perueniemus: tutiores si fama periculi hausta nunquàm illius obliuiscemur, de salute semper & libera euasione cogitabundi. Sed quæso quis nostrûm se moriturum ignorat? Vnde vel ascendat ad cœlum vel detrudatur ad inferos: Quis deprædabundos animarum dęmones, vitæ extrema hora nobis semper insidiari aut non audiuit, aut nō legit? vt socios priùs sceleris efficiat illusione suggestioneq; varia, deinde supplicij. Nullus ergo non stultus qui hæc minimè meditetur: nullus non sapiens qui semper horū memor est, semper sagax & promptus in consideranda morte, quærendisq; & asciscendis sibi omni ex parte adiumentis, necnon dispositus, ad illam quandocunque venerit alacriter suscipiendam. Huc etiam philosophorum omnium rectè contemplantium studium tetendit, hac iter esse ad felicitatem iudicauerunt philosophi: Atque inter theologos constat locum hunc esse certaminis finem: quo, scilicet, strenui milites coronentur.

CAP. VIII.

SANCTISSIMOS HOMINES MORTIS COGITATIONE vsos fuisse frequentißimè, atque veros philosophos nec Christi fidem professos.




Ac etiamnum cogitatione veluti ſcuto in prælio aduerſus dæmones ſe tutatos fortiſſimos athletas eccleſiæ legimus, quod reliquis commilitonib. vtendum pariter tradidêre, eiusq; vim & impenetrabile penè coriū & celebrauêre & habuêre in delicijs, pluſquàm multiplex illud ſuum tegumentum Thelamonius Aiax. Huius tutelæ memor Hieronymus, memento, aiebat, mortis tuæ, & non peccabis. Qui ſe quotidiè recordatur eſſe moriturum, contemnit præſentia & ad futura feſtinat: quod à ſapientiſſimo illo Salomone & quandoq; fuiſſe exploratum & renunciatum proſpexerat. Eccleſia quoq; magiſtra veritatis media vita nos eſſe in morte concinnit, & in ipſius celebrati Ieiunij primordijs cinere per ſacerdotem in caput effuſo, his nos verbis effatur: Memēto homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris: vt ſcilicet quod citò ſumus futuri, velimus nolimus, aſſidua memoria repetamus. His armis in pugna ſæpè defenſus Gregorius in libro illo moralium nunquam ſatis pro dignitate laudato, prodidit memoriæ: nihil ſic ad edomandum appetitum deſideriorū carnalium valere, quàm vt vnuſquiſq; hoc quod viuum diligebat, mortuum penſitaret. Idem Ezechielis prophetiam enarrans, cōditorem noſtrū mortis diem nobis eſſe ignotum voluiſſe commonſtrat, vt dum ſemper ignoraretur, ſemper proximus crederetur. Prodidit etiam Auguſtinus, nihil æquè à peccato reuocare ac aſſiduam mortis meditationem. Sed & audiamus Bernhardum deuotiſſimum atq; doctiſſimum, ſed hoc vltimo titulo vulgo fraudatum, nulla certè ſua culpa, nullo demerito, quando & ob eius ſcripta quæ doctrina ſolida atq; ſalubri vndiq; ſcaturiūt, & ob validiſſimas diſputationes in Gilbertum & Petrum Abelardū (quarum ope ab diſtorto calle erroris atq; mendaci ad veritatis ſemitam redière) docti ſibi nomen vendicauit: Hic acie mentis in Dei contemplatione primùm productus, rurſumq; ad corpus reflexus, talia meditans, ſeipſum alloquebatur: Certum eſt quòd morieris, & incertum eſt quando, aut quomodo, aut vbi, quoniam vbiq; te mors expectat: tu quoq; ſi ſapiens fueris, vbiq; eam expectabis. Hæc tantum occurrere de celebratis hiſce doctoribus, quæ in medium afferentur: quanquam nec difficulter mille huiuſmodi ſententiæ redigi poſſent in iuſtum volumen. Omitto Domini noſtri Ieſu Chriſti monitiones Euangelicas in eccleſia continuè perſonantes, quibus licet nullibi alia mortis noſtræ proteſtatio reperiretur, licet minimè videremus ex viuis quotidie mortuos fieri, tantum adhibere deberemus & attentionis & fidei, vt ferè nihil aliud cogitaremus. Sed & à philoſophis quoq; Gentilibus ignauiæ coarguimur, qui mortis meminiſſe nos oportere diffiniunt. Pythagoras primùm natus tot ſeculis ante virginis partum, atq; ipſe Plato, qui naturæ lumine adiutus, ſagaci mente perluſtrans hominum vitam, cenſuit philoſophiæ ſtudium, cui nauârat, aſſiduam operam mortis eſſe meditationem. Idem exiſtimauit M. Varro, idem M. T. Cicero, quod etiam ſcriptum abundè reliquit, idem Seneca, qui ſtatuit in epiſtolis nihil æquè homini proficere ad temperantiam omnium rerum quàm frequētem huius breuis æui cogitationem, monuitq; in omni actione ad mortem eſſe reſpiciendum: & iterum libro Naturalium quæſtionum adeò familiarem nobis mortem cogitatione efficiendam eſſe, vt poſſimus illi obuiam exire: hoc ipſum conſilium (ne omnes percenſeam ſingulatim) quouſque rectè ſentientes dediſſe nobis comperiemus. Nam quanquàm philoſophorum plurimi conſcij omnino non fuerunt futuræ gloriæ, quæ in nobis ab oſtenſo tramite veritatis non delirantibus reuelabitur (ea enim ſola fide tenetur) ſcintilla tamen æterni luminis omnium menti congenita, quam lumen vultus Dei ſuper nos ſignatum Dauid appellat, veritates eas, quæ ad rectè viuendum pertinent, illos edocuit: Quo circa ferè omnes & oſores vitiorum & amatores virtutum extitêre.

CAP.

CAP. IX.

EADEM COGITATIONE TRES DECIPVLAS INIQVI dæmonis à nobis euitari: Item malis hominibus non esse pacem: Item cauere nos facilè à vitijs, & virtutes acquirere.



X hac demùm consideratione expelli vitiorum origines, virtutes acciri persuasissimum est: Treis sanè decipulas paratas dæmon custodit, quib. propinquantes in easq; vel pauxillùm impingentes, facilè ruamus in vitia: Quæ sunt inane gaudium: ad spiritualia obeunda munera pigra durities: fluxarum rerum affluentia: nec quenquam saluti propriæ benè cõsulentem latent. Præfert enim primò ludicræ nec veræ, sed magnæ lætitiæ speciem: quam postquam hauserint oculi eius, nimia cupidine oblectati hallucinatique fixiori obtutu, primario illam sensui præsentant: mox appetitus in eam spe potiundi progreditur. Quod cùm aduertit qui & astu & dolis aduersus nos dimicat, imaginem illam obtegit & multis adumbrat difficultatibus, quo irascentia excitetur, bonum semper & arduum deposcens: Atq; in hunc modum sensilis homo modò sperat, modò mœret, quousq; voti cõpos efficiatur, sicq; inescatus trahitur ad retia. Hoc quippe in votis est dæmoni vt occupatos semper nos teneat in quib. delectemur, ne mentis oculos vel ad ęterna bona leuemus, vel ad mortẽ quę imminet inferniq; pœnas formidabiles deflectamus: Vnde alia fabricatur decipula, cùm illis quæ videntur, quæ præstò sunt, sensibus impediti irretitiq; ad spiritualia prosequenda, quæ, scilicet, non vidẽtur carneis oculis, non mouemur: ex qua iter est ad tertiam foueam: quandoquidem qui temporalibus stipati bonis, quæ fortè mille insidijs, mille etiam anxietatibus sibi coaceruauerunt, in hisq; cor propriũ mersauerunt, quę futura necessariò sunt, negligunt, ea tantò feruentiùs amantes inania bona, quantò laboriosiùs sunt comparata: Nec enim diabolus amicis suis, hoc est, eis qui posthabito Deo sibi adhærent, mõmẽtaneæ delectationis gratia concedit optata, absq; ærumnarum admixtione: aut eosdem etiam inter partas delitias non affligit, sed aram infelicitatis ex primo amicitiæ momento impertit: *Cùm non sit pax impijs*, testante Propheta, imò Deo per os Prophetæ: quas rogo putandum est moles molestiarum circumstare diuites illos? qui in omne nefas iuêre, vt diuitias sibi & posteris prępararent? quibusq; procellis ærumnarum exæstuant? O si cerni daretur inter nos conscientiæ morsus, quibus semper afflictantur, roduntur, laniantur: præberent inspectantibus nobis triste, sed salubre spectaculum: aspiceremus contemplaremurq; non modò Dei contemptores subterraneo in loco dare pœnas scelerum: verumetiam dum sublimes vehuntur, dum honorantur, dum rogantur, dum auro cooperiuntur, dum eorum felicitati (quæ summa in hac vita infelicitas est) à stultis, qui eos intùs & in cute non nouerunt, inuidetur: Mortis verò dies cùm ad memoriam reuocatur, gaudia illa tàm speciosa, tàm honorata turpia vidẽtur & vilescunt, eorumq; magnitudo decrescit: Quî enim pulchrum videri potest, quod sit magis vmbratilis pulchri similitudo, quàm pulchrum. Quid opus est honorare id, quod nec virtutis capax sit, nec finis possideat rationem, sed mox interiturum, corruptioni obnoxiũ & obligatũ. Cur magnum illud existimamus quod caducũ est, quod semper minuitur, roditur, & ab ipso tempore absumitur: Nónne dementiæ extremæ est sibi tot annorum curriculis, tot laboribus inhiando conquirere quæ vel ictu oculi mors arripiat & transferat ad hæredes, qui persæpè ipsam & luxuriosè disperdãt atque vno etiã in symposio abliguriant. Quod nisi simus insaniores Oreste, postquàm percepimus, oportere nos vel in bonis vel in malis operibus desudare: ad ea conuertemus animũ quæ mansura & stabilia sunt, vnde & cauti instructiq; iter aliud incedemus, eas vitantes insidias, quas in nostram perniciem tetendisse dæmonem ostendimus. Deseremus oblectamenta carnis, auocabimus mentem à sensibus: illoque figemus eius aciem, vnde nobis maximi prouentus operum bonorũ eueniant: Illas struere opes incipiemus, illos effodere & congregare thesauros, quos adueniens mors tãtùm absit vt auferat, vt etiam cumulatiùs reddat. Cæterùm & Apostoli præcepto obsequentes, *affluentibus diuitijs cor non apponemus*, atq; ad implendum illud Christi, alacres & læti descendemus: *Asciscentes nobis amicos de mammona factos iniquitatis, qui cùm*

defece-

defecerimus, nos recipiant in æterna tabernacula. Hac nimirum consideratione hæc vitantur incommoda, hæ vitiorum radices velluntur: Nam multa quæ à malorum hominũ turba patrantur, hac spe factum iri, luce clariùs conspicitur, vt, scilicet, diutinè possideantur: Verùm si adueniente morte, quæ cogitatus plurimos abrumpit cuiusq; hora hinc incerta est semperq; vacillans, inde semper propinquans, semper minitans, talibus longo tempore se vti non posse meminerint. Credendum est fortè vt rapiendi & coaceruandi diuitias ardor extinguatur, & ad capescendas virtutes tantò acrius inflammentur, quantò minus transeundi spacij præscriptum sibi tempus coniectura assequi poterunt: qui nunquàm falli credant, si minimum existimẽt quod residuum est, sicut non nisi perniciosè ludificari, si abesse illud putant à foribus vel pauxillum. Quæ cùm ita sint, excutitur somnus ab eorum oculis, & vigiles fiunt ad prosequendas virtutes. Sed iam properat in finem oratio, poscitque vt exequamur quę libro tertio tractaturos nos promisimus. Quoniam duobus præcedentibus & amare & timere animam ostendimus, pariterq; quid cogitare debeamus, assiduè monstrauimus, ne aut in amando aut in timendo deerremus.

SECVNDI LIBRI FINIS.



DE MORTE CHRISTI ET PROPRIA COGITANDA,

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

QVID SVPERIORIBVS LIBRIS ACTVM sit, & quid deinceps agendum.



VPERIORIBVS libris in vniuersum, sed strictim etiam & cursim docuimus ex iugi cogitatione mortis Christi & propriæ vitiorum fomẽta facillimè posse tolli, virtutum plantari radices, atq; earum etiam incrementa iuuari. Hoc autem quem habemus prę manibus, diuina suffragante ope, confidimus declarare vtraq;, id munus commodissimè obiri posse: Atq; hũc ordinem seruaturi sumus vt nunquàm in aliquo libri capite de vna mentionem habeamus, quin & de altera statim disseramus. Porrò meditationes hæ præter id, quod inter primi libri initia dictũ est, hac ratione sibi quadrant, & consentiunt, vt modò timore mortis & gehennæ depressi, modò concalefacti amore & excitati feruidiùs operemur. Quod si perfecti homines non laborẽt formidine, quando perfecta charitas (vt Apostolus ait) mittit foras timorem: veruntamẽ cogitatio mortis tantum abest, vt eis noceat, quòd etiam illos ad amãdum acriùs accendat: Quandoquidem optati Christi præsentia ad plenum frui se non posse nouerint, nisi priùs anima migret à corpore. Imperfecti verò atq; etiam proficiẽtes, qui, scilicet, aliquid adhuc de mundo diligunt, nec ad vltrà mundana fortiter animum eleuauerunt, cognoscentes amorem fluxarum rerum finiri oportere, destituuntur spe diuturna potiundi, mentemq; alio volunt, salubriori adhibito cõsilio, studiumq; omne in amando Christo conuertunt: atq; hunc in modum inter amorem & timorem positi dæmonum laqueos euadunt. Nam si beneficia, quæ per eius crucem humano generi collata sunt, recolamus, eaq; contemplemur quæ per eandem in nos etiam si rectè vixerimus, existere debent, rapimur in amorem: Iuxta illud Prophetæ: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Rursus cum percussi horrore propriæ mortis, quæ (si tot etiam viueremus annos, quot prisci illi patres ante cataclysmũ vixêre) æternitatis proportione ventura est ocyssimè, recordamur extraria hæc omnia quę sub oculos veniunt appetenda, quib. acquirendis tantoperè laborat humanũ genus, velimus nolimus esse relinquenda, facilè fiet vt contemptis momentaneis illecebris ad eundem Christum amandum ascẽdamus: quo cùm peruenerimus subaratos nos

nos spe futuræ felicitatis noscamus. Nam ex vi amoris in amatum Christum transformati eius naturæ participes pro naturæ modulo fiemus, viamque, veritatem & vitam, quæ omnia illemet sunt, pro nostra capacitate tenebimus. Nemini enim per auia vaganti optatam contingit metam attingere: nec vllus vnquam veritatis ope frustratus errores deuitauit, nec vita destitutus viuere potuit.

Nunc impleturi quod promisimus, primò de peccatis succidendis, secundò de serendis virtutibus, verba faciemus, libatis priùs quibusdam de peccato deq; capitalib. vitijs, ne prolixior quàm esset opportunum, disputatio nostra fieret atq; cõfusior: Et quanquàm de peccato in vniuersum mentio sit habita, nondum tamen eius rationē (quod non est prætereundum) explicauimus, supposuimus enim generalia quædam de eius natura & effectibus, nota videlicet satis atq; vulgata, vt moris est, Aristotelis & philosophorum plurimorum qui antequàm quid sit, id de quo disputetur, perscrutentur, & eius proprietates peculiariaque munera exequantur, quid sit, supponunt, ac quędam præmittunt talis rei munia ab omnibus ferè visa & animaduersa. Veruntamē hoc in loco non de ipsius peccati natura curiosè perscrutabimur, nec de ipsius subiecto, nec de reatu remanēte, nec an quo ad actum sit aliquid, quo ad deformitatem penitùs nihil, & multis huiusmodi quæ diligentissimè à nostris theologis sunt pertractata, sed nonnullas peccati descriptiones speciesq; tangemus.

CAP. II.

QVID SIT PECCATVM, ITEM DE ORIGINALI ET actuali, quod in mortale & veniale diuiditur, & quomodo vnum ab altero discerni queat.



PEccatum siue in operibus naturæ siue artis naturæ imitatricis, siue in moribus illud cõtemplemur: nihil aliud esse videtur quàm deflexio quædam & exorbitatio patrati actus à rectitudine debita, & ab hoc errandi genere rationalis aliqua creatura, nisi omnino per Dei gratiam stabilita non eximitur: Sola enim diuina voluntas cùm ad superiorem regulam non dirigatur (Deo enim nihil superius) ipsissima est (vt ita dixerim) directio & rectitudo, cuius participatu & conformitate cętera rectitudinem & perfectionem propriorum operū assequuntur: quam qui non aduertunt & obseruant non delirare non possunt: Ipsi verò de peccatis hominum duntaxat acturi sumus. Occurrit in primis Augustini sententia definientis: Peccatum esse dictum, factum, vel concupitum contra legem æternā: Cuncta paucis verbis comprehendens ad intellectualis naturæ peccatum pertinentia, formam videlicet & materiam: sortitur enim deformitatē humanus actus, ex ipsa inordinatione ad finem, vel regulam. At duplex est regula, qua nostra metiamur opera, æterna vna de qua locuti sumus quæ Dei voluntas est, & quasi ratio (vt Thomas ait) altera, quæ in nobis est, intellectus, scilicet, cui diuinę suę legis scintillam quandam indidit Deus, qua cognoscimus quid prosequi, quid aufugere debeamus. Quare cùm Propheta seipsum percunctaretur, *quis ostēdet nobis bona:* Respondit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vtrunq; euidentissimè complexus est Augustinus: vnum quod ad substantiam humani actus pertineret, qui quasi peccati materia est, dictum, scilicet, factum, vel concupitum: Alterum in quo deformitas actus inordinatioq; cõsistit, ad formā peccati spectans, per quod iugo diuinæ voluntatis & legis excusso peruersa voluntate feruntur in vetitum. Illorum namq; qui ratione sunt prędíti, peccatū adeò voluntarium est (quemadmodum ipse Augustinus edisserit) vt si non sit voluntarium non sit peccatum. Voluntarium intelligimus non pro eo solùm quòd quis suę spontis existens libera peragit voluntate atque libenter: sed pro illo etiamnum quod quis vel desiderat, vel eloquitur, vel factitat, alioquin omissurus, nisi ratione cuiuspiam noliti ad id prosequendum quodammodo astringeretur. Exempli causa: Minatur stuprator quispiam interitum puellæ, vel vi, vel dolo, redactæ in potestatem, nisi se abuti permittat: laxat illa corpus in illicitam venerem nequaquàm illo cessante hoc ipsum factura: incidit protinus in peccatum nec temporarium aut expiabile: sed nisi priusquā migret è vita debita illud pœnitudine doleat, sempiternis tormētis mulctādū, quoniā ab Dei voluntate legeq; deflectit, quę immobiliter sanxit debere nos malle cor-

le corpus occidi quàm animam. Scit enim, vel ad sciēdum obligata est quibuslibet a-ctibus venereis, præterquàm in matrimonio, deberi perpetuam pœnam, cui veritati consentiens Aristoteles in Ethicis ad Nicomachum, censuit potius moriendum esse quàm turpiter agendum: Edoctus naturali lumine virtutem animi corpori omnino præferēdam. Reliquas Augustini de peccato descriptiones aliorumq; Theologorum vel huius quam attulimus, partes extare deprehenditur, vel ad ipsam reduci posse cō-modissimè: vt illa quæ in primo de libero arbitrio posita declarat, nil aliud peccatum esse nisi cum relictis æternis rebus temporalia sectamur: & in libro Trium & octua-ginta quæstionum, omnem humanam peruersitatem vti fruendis & frui vtendis: Et a-libi, voluntatem retinendi quod iustitia vetat: Vt illa quoq; Ambrosij in libro de Pa-radiso, finientis, peccatum esse præuaricationem diuinæ legis & cœlestium inobedi-entiam mandatorum.

Verùm hoc nomen peccatum non secundùm vnam & eandem rationem de omni peccato dici credendum, sed secundùm Analogiam. Illud Theologi partiuntur in o-riginale & actuale: originale nuncupatur, quo ex parentibus descendentes ob Adæ peccatum inficimur, vnde cuncta fluxêre peccata. Atq; huic malo sacri baptismatis vnda opitulatur, vires tamen animæ ob vulnus ab eo sibi inflictum, pronitatē quandā ad malum legemq; carnis rationi infestam retinent: Quæ quidem lex multis censetur nominibus, cuius nocumentum his verbis Paulus Apostolus expressit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantē me in lege pec-cati. Actuale verò est id, quod conscij nostrorum operum & volentes perpetramus: Hoc in mortale & veniale secatur. Mortale appellârunt, quo aduersus Deum aut pro-ximum libera voluntate delinquentes, digni æterna morte efficimur. Veniale verò vocauerunt, quod temporanea pœna mulctandum sit, qualis est actus ille, qui vel ex sui natura, nec contra Deum sit proximúmve: Sed præter legem Dei, nec decenti cum charitate paratus examussimq; directus ad Dei gloriam, aut ipsa cogitatione aut habi-tu, vel qui ex imperfectione mereatur veniam.

Quod qualiter accidit, breuiter & veluti in transcursu explicabimus, vt commodè mortale à veniali secerni queat. Cùm aut diaboli suggestio sensim obrepit animum, aut eundem illecebra mundi quatit, aut carnis pulsat titillatio, aut delinita appetentia & ex perpetrandi facinoris occasione, nutabunda flectat in malum: fieri minimè po-test vt non citetur ratio cum voluntate, inuiteturq; vel ad acceptandum facinus ob-latum vel ad respuendum & eliminandum: aut saltem non consultetur (nisi id fortè cuipiam insanę mentis accideret, vsuq; arbitrij liberi carenti, de quo peccatorū gene-re in præsentia non est sermo) quæ postquàm seu de consilio requisita, seu ad ferendā sententiam postulata fuerit, ex sublimi illa mentis specula contemplatur, quid quisq; illorum, mundus, caro, dæmon, machinatur in suis finibus suaq; ditione, vel eos tunc excipit vt amicos, blandè & comiter amplexatur, vel vt hostes & quidem perniciosissi-mos fugat & insequitur: Si recipit illos, hoc est, si cōsentit surreptioni, mortaliter pec-catum est, si repellit, consideranda in repellendo diligenterque animaduertenda est vel mora vel celeritas. Nam si protinus simulac cognouerit moliri eos quippiam in sui perniciem ad depellendos ipsos, quanta maxima potest vi, descendit, tantùm abest vt peccet, vt etiam quàm optimè mereatur: Si verò pauxillùm immoretur, non tamen acquiescat illorum dolis: sed hæsitabunda nutet paruo temporis momento, veniale est: Si multo, hoc est, vbi sufficiens ei tempus præstitum fuerit, ad deliberandum quid agere oporteat, & demulcente cupiditate hæreat in vestigio, nec se hostem demon-stret illorum, æterna morte dignum est crimen. Quapropter nostri Theologi tradide-runt ex consensu vero vel interpretato, hoc est, debito ad ferendam sententiam ob-tento temporis spacio, quo quis in peccati considerandi delectationē abutatur, pec-catum fieri. Exempli gratia: Imaginatione quapiam fœminæ pulchræ potiundæ exci-tamur in venerem: Frequentiùs enim hac cogitatione paratur, & difficiliùs noscitur: quam si statim ratione repellimus, optimè agimus, Si in ipsa cogitatione delectamur: quamuis nostræ menti fixum sit, etiam si possemus, tale flagitium nolle committere, tamen æquè ac præsentes illi essemus velle oblectari, mortale scelus perpetramus. At si expellendæ prauæ illi meditationi nos accingimus, & id remissius quàm opor-teret, factitamus, prosequendo tamen absque morula vel interuallo cœptum opus

peragi-

peragimus, & prorſus talis oblati vitij phantaſma ſimulachrúmve eliminamus, æternæ mortis laqueum non incidimus, ſed temporariæ pendendę pœnæ obligamur, hoc eſt, veniali peccato irretimur: Cùm noſtræ ſit ignauiæ permittere ſenſus adeò illudere rationi, vt eam impediant remorenturq; ab eijciendis confeſtim hoſtibus, qui & bellum indixerunt, & iam fines occupauerunt. Quapropter enitendum pro viribus vt cùm primùm paruis cogitatibus pulſari nos animaduertimus, quantociùs eos repellamus: nam quicquid intercidit morulæ, ſemper aut damnum affert aut periculum. Animaduerſione autem dignum, poſſe nos de vitijs etiam obſcœnis abſq; peccato, imò quandoq; cum merito conſiderare, & in ipſa etiam num cogitatione immorari: Cùm videlicet aduerſus illa ſcribere volumus loquíve, deteſtantes eos, qui in ipſis veluti ſus in luto merguntur.

Hactenus de his peccatis, quæ ex imperfectione actus veniam merentur: alioquin pleno perpetrata conſenſu damnationem. Et quanquàm diximus, quoſdam eſſe actus, qui ex ſui natura veniam merentur, qualis eſt ille qui nec contra Deum aut proximum, ex directo committitur, vt cùm quis plus loquitur quàm oporteat, plus comedit quàm ſit neceſſarium, plus tacet quàm expedit, & id genus ſimilia, quæ Auguſtinus enumerat in homelia, de Igne purgatorio, & in decretis repetit Gratianus. Scire tamen oportet ita ex venialibus, ex ſuo genere mortalia fieri: Si videlicet finis ille, ob quem ipſe actus venia dignus producitur, ſit mortalis: Puta cùm plus loquitur quiſpiam quàm oporteat, vt adulterari queat, ſicuti etiam ex mortalibus, ex ſui natura venialia euadunt peccata, ob actus imperfectionem liberique conſenſus carentiam: Plura occurrerent ſcitu digna: ſed cùm tractata ſint à pleriſq; theologorum & præſertim Ioannes Gerſon peculiari commentario hanc materiam proſequutus fuerit: Ipſi quoq; in Dialogo noſtro, de Serena conſcientia ſatis (vt arbitror) explicauerimus, ad ea quæ proſequenda propoſuimus, tranſgrediemur.

CAP. III.

SEPTEM ESSE PECCATA CAPITALIA EX QUIbus cuncta alia exoriuntur & pullulant.



THeologis proditum eſt ſeptem eſſe capitalia vitia, veluti duces exercitus, ſub quibus reliquam veluti gregarij milites merent: his tamen non ex ea metaphora impoſitum eſt nomen quòd capite, ſcilicet, puniri debeant, quale illud capitale decedere præſidio: cùm quia ex imperfectione actus omnia poſſint eſſe venialia: tùm quia aliqua eiuſmodi ſunt ex proprio genere: verùm ea ratione capitalia ſunt appellata, quòd capita ſint, & principia ex quibus oriantur reliqua, eorumq; gratia fiant: Hæc ſunt, inanis gloria, ira, triſtitia, auaritia, inuidia, ventris ingluuies, libido carnis. Cur verò tantùm ſeptem annumerentur, quorum ductu veluti à fonte plura manent, Thomas Aquinas tum in ſecundo commentariorum in Sententias, tum in quæſtionibus de Malo, tum in ſecunda parte Theologicæ ſummæ latiſſimè diſſeruit: Modò ex parte iraſcentiæ & appetentiæ corruptæ rationem afferens, modò ex parte boni & mali: quem modū vt exactiorem ſumus ſequuti. Hæc enim cùm cauſa cæterorum exiſtant ſecundum finis rationem eorum ortus bifariam poteſt attendi: Primùm ex parte peccantis, quia ita diſpoſitus eſt & animatus, vt maximè fini aliquo afficiatur, vnde plurimū in aliqua peccata committenda ruat: qui modus originis eò ſub arte nequit comprehendi, quòd infinitè ferè ſunt ſingulorū hominum voluptates & affectus illiciti: Deinde ex parte habitudinis, & ipſorum inter ſe finitum communionis: & quo ad hoc origo hæc non fugit artem, quando ſæpiſſimè vnum ex alio ſuboritur & prodit vitiū. Quapropter capitalia ea peccata nominabuntur, quorum fines ſi cōſideremus, primarias quaſdam rationes obtinere aduertemus trahendi appetentiam ad ſe concupiſcendos, & ex hoc eorum diſtinctionem pluralitatemq; pullulare noſcemus. Mouet enim aliquid appetitum duplicem in modum, per ſe vt bonum ipſum cùm appetitur, malum cùm formidatur: Atq; per aliud cùm videlicet quiſpiam, vel malum proſequitur, vt bonum aliquod ei annexum cōſequatur, vel itidem bonum ob adiuncti copulatiq; mali horrorem refugit.

Bonum autem triplex (de humanis loquimur) animæ, corporis, rerum exterarum.

Primum, hoc est, animæ ex sola apprehensione sui ingerit cupidinem, qualis est propriæ laudis excellentia, cuius deordinatione inanis gloriæ peccatum emergit: corporis deinde bonum sequenti ordine procedit, quod vel ad tutelam pertinet indiuidui, sicuti cibus & potus, vel ad conseruandam speciem per propagationem sobolis, cui deseruit concupitus excessus: in primo munere gulæ vitium parit: ex secundo autem, nisi debitis fuerit circumstantijs honestatum, scaturit proditq; libido carnis, quam vulgò luxuriam appellant: Tertium hominis bonum extrarium est, vti diuitiæ, quas nimio ardore si aueamus, auaritia prosilit: Verùm quòd quispiam bonum aufugiat ob communionem admixti mali contingere potest, vel ob respectum proprij commodi vel alieni: Inde accidia seu tristitia pullulat, quæ odit spiritale bonum ob connexionem associati laboris: hinc si animus ad nihil exterius prorumpat, obrepit inuidia alienum bonum & gloriam perosa ne propria denigretur & vilescat: Si verò citet vindictam, non valens continere se intra limites prudentiæ, sed cuncta laxans moderantiæ repagula ebullit ira. Nec mouere nos debet quòd superbia & cupiditas hæc ab Apostolo in epistola ad Timothæum, illa à Salomone in Ecclesiaste: omnis peccati radix & initium nuncupata sit? Item superbiam inter capitalia vitia à Cassiano & Isidoro connumeratam, & à Gregorio ab eorum cœtu sequestratam, quoniam ex diuersis considerationibus concordia inter eos paruo labore conciliatur: Sicut enim virtutum duplex finis pensari potest: felicitas, scilicet, communis, vltimusq; & proximus, hoc est, proprium bonum cuiuscunq; ipsarum: Ita & in vitijs (iuxta id quod disseruimus) proprios eorum fines possumus animaduertere. Possumus & communem vltimumque perpendere, qualis ille est qui cæcutientibus nobis bonus apparet, cuius gratia cuncta facinora perpetramus, quando id quod diuina lege cautum est, ne desideremus, nimio furore appetimus. Quapropter in omni peccato duo errata emergunt: Conuersio videlicet animi ad bonum, fluxum, & temporarium: & auersio à stabili atq; perpetuo. Quare hinc exoritur superbia generalissimum vitium, quo se homo Deo non subijcit: Illinc generalissima etiam num pullulat cupido, affectans immoderatè atq; etiam assequens apparens bonum: quò fit vt vniuersalia vitia non specialia pronuncientur. Nonnulli autem superbiam accipientes, non vt vitiorum caput cæteris specialibus vitijs ascripserunt: at Gregorius & eius in hac parte sectatores, influentiam ipsius in cuncta crimina rectè animaduertentes, vitiorum reginam appellauêre: Ipsa enim (inquit in commentarijs in Iob) vitiorum regina superbia, cùm deuictum plenè cor cœperit, mox illud septem principalibus vitijs quasi quibusdam ducibus deuastandum tradit: Animaduertendum verò eam omnino, non esse vnam cum inani gloria, quando illa excellentiam inordinatè prosequitur, hæc illius manifestationem suspirat.

CAP. IIII.

CAPITALIA VITIA MORTIS CHRISTI ET PROpriæ cogitatione iugi exterminari, & quomodo id commodè fiat.



CVm igitur dæmon iniquus animaduertit septem hæc vitia cæterorum seminarium esse & segetem vberrimam: item nostræ animæ vires ob iustitiæ originalis defectum, non omnino robustissimas ignoscat, multas nobis molitur insidias, vt in ea labamur: Maxima quippe affectus inuidia humano generi ad comparandas felices illas sedes destinato, quibus ipse superbia priuatus est, & ad inferos detrusus omnes dolos intendit, vt careamus eius & sui supplicij consortes efficiat. Is itaq; versutissimus hostis, ob diurnam experientiã offendendive luti bellicæ artis peritissimus dux, debiliores partes aduersi exercitus, vt expugnet vigil & irrequietus excogitat: Modò inuidiam explorat, qua de aliorum bonis affligamur: modò vestigat iracundiam, vt cæteris impatienter insultemus: modò accidiam satagit prouocare, vt de diuinis bonis tristemur, & ad querendas oblectationes sensuum deficiamus: Nunc auaritiam prætendit, qua diuitiarum amorem Deo & saluti hominum, & proprio corpori præponamus: hinc gustum delicatis saporibus irritat, quorum gratia vel ieiunia ab ecclesia indicta soluamus, vel in proprij corporis perniciem

niciem crapulemur, hesternoq; mero malè semper oleamus, Deoq; interim posthabito proprium ventrem pro Deo colamus: Illinc renes excalfacit, delinit, scalpit, imaginem obscœnam ostentans, vt veluti sus volutabro mersi in illicitis venereis actibus nos ipsos sepeliamus: Sæpissimè mundi gloriam ante oculos mentis vibrat, cuius splendore hallucinati captiq; eidem insudemus, quo stratagemate sanctissima etiam opera eorum hominum, qui ad perfectionis culmen iam iam attingunt, sæpè vitiat atq; commaculat. Sed hac præda non contentus vltrà progreditur: Perscrutatur rimaturq; qua ratione possit efficere, vt ob nostram sequendam gloriam ipsum Deum, cui soli debetur gloria, floccipendamus: quibus machinamentis antiqui hostis, cui nulla par est, authore Iob, in terra potentia, reliquisq; prælijs, quibus à propria concupiscentia & à mundo petimur.

Quomodo & Christi primùm, & demum propriæ mortis memoria prævalentes esse possimus ostendendum. Nam si gloriæ propriæ stimulus agitamur, Christum repetamus memoria, *qui pro nobis inaniuit semetipsum* (vt ait Apostolus) *formam serui accipiens, factusq; obediens vsque ad mortem crucis*, atque illius gloriæ cunctas actiones nostras & opera condonemus. Si nos auri sacra fames molestat: aut si principatus & imperij cupidine sollicitamur, perpendamus in cruce Christum nudum languentissimo nostrarum animarum amore, qui cùm Deus esset & Dominus orbis vniuersi, percunctanti cuidam de diuersorio priusquàm crucifigeretur, respondit: *Vulpes habere foueas, & volucres cœli nidos, se autem locum quo caput reclinare posset, non habere*: vnde victu & tegumento alijsque contenti, sine quibus vita hæc transigi non potest, diuitias ceu maxima impedimenta calcemus. Si blanditijs carnis & voluptatibus exurente libidine titillemur, voluamus animo virginitatem Christi, mentis carnisque mundiciem, vt ipsius amore in coniugio casti & continentes esse possimus: Cui si non fuerimus astricti quo eidem obsequentius deseruiamus, nos ipsos dissitis (vt inquit ille) fœmoribus emasculemus, spiritaliter tamen ne Originem Adamantium imitaremur: quem Christi audito consilio & hausto, illorum exemplo qui se propter regnum cœlorum castrauerunt, propria sibijpsi execuisse genitalia cōperimus: Vera in hac parte non adhibita, vel non seruata Euangelij intelligentia: Si culinæ nidor gulam exagitat, atque palato saliuam excutit, si gulæ scitamenta cor subeunt, felle & aceto Christum in cruce potatum recogitemus: Cuius nomine multis antè annorum curriculis Propheta id præcecinerat inquiens: *Dederunt in escam meam fel, & potauerunt me aceto*: succurratque menti ieiunium quadraginta dierum totidemque noctium, cuius instar castigare corpus possimus: nobis satis esse arbitrantes necessario nutrimento, vt liberiùs & expeditiùs eius voluntati famulemur. Si cor exæstuat ira, bullitque sanguis, vindictam ciens, recolamus Christum nostri amore à seruo pontificis pertulisse alapam patientissimè, & indutum fuisse veste purpurea, flagellatum, & spinea corona in derisum & contumeliam coronatum, atque etiam latroni qui se blasphemauerat, ignouisse. Cuius exemplo irrogatas iniurias, iactata conuitia, cædes affinium, Christo ipsi ad quem spectat vindicta, condonemus, non obliuiosi gesti illius nostræ etiam instructionis, & commonefactionis causa patrati, quando vt eis qui eum crucifixerant, ignosceretur, Patrem orauit. Si rodimur pectora inuidia animum eo vertamus, pensemusque solem Christi nutu, non modò super eos, qui diuinis præceptis audiunt, sed qui etiam scelestissimè contemnunt deferri, vberemque promiscuè mandari pluuiam: eundemque pro omnibus mortuum, vt omnes felicitate donaret, modò duritie cordis non habeantur indigni. Qua cogitatione excitemur, vt non solùm aliorum bonis inuideamus, sed vt potioribus etiam abundent & affluant exoptemus. Si nos accidia torpentes detinet, & somniculosos segnities illigat, feramus animo Christi laborem trium & triginta annorum indefessum: quem vt nos doceret doctrina, & vitæ exemplo instrueret atque institueret, perpessus est. Subeat mentem corpus eius columnæ alligatum, & à planta pedis ad verticem cæsum: offerantur cordi fossæ manus fossiq; pedes cruciq; confixi, & nos pudeat molles semper ducere somnos, pudeat non rependere vices amoris, nec in bonis operibus statutis saltem temporibus desudare.

Parique ratione hisce vitijs propriæ mortis memoria resistimus, inprimis inani gloriæ, quippe cùm ex fine breui nostræ vitæ finem quoq; gloriæ futurum breuiusculum

agnoscimus. Sed quid nobis post mortem profutura est gloria? Ad eam sanè anhelamus, vel vt honeremur, vel vt diuitijs cumulemur, quæ defuncto homini præstari nequeunt, nec vllam omnino afferre opem. Auaritiæ sitis hac pariter potione restinguitur, quoniam ea vis mortis est, vt vno momento nostra omnia bona, quæ fortunæ nuncupantur, populabunda diripiat. Libidinum quoque incentiua illicitique coitus hoc eodem medio coërcemus, ipsam meditantes corpoream molem, quam tantopere cupimus delectari, post modicum temporis spacium esse à tineis & vermibus vorandam, futurum quoque si illius, vel maris, vel fœminæ dilectæ mors nostram vel paucis diebus præcurrat, vt non modò eiusdem amplexus, & oscula expectamus ardenter, sed nec cernere corpus amatum iam excitata, & ob turpitudinem, & ob fœtorem nausea possimus. Superfluas etiam epulas ea ipsa meditatione frugaliter viuentes aspernabimur: Ne dum in eis semper cogitabundi erimus, desiderantes ad diuturniorem oblectationem Gruis collum, vt Philoxenus ille cupediuora, ab omnibus ferè, & ab ipso quoque Aristotele taxatus. Aspernabimur inquam si mente versabimus, eodem pastu quo nos inpinguamur, vermes quoque pascere & impinguare, quoniam, ipsis saginatis nobis pinguiorem lautioremque mensam in sepulchro sunt habituri. Sed & fortè tempestiuiorem, quando multi sunt gulæ proceres, perditissimique gulones, qui cunctantem mortem & citant & prouocant, comestione superflua. Frenum quoque iræ imponi persuasissimum est, pensantibus nobis mortem quam alijs volumus, & aduersa posse in nos facillimè eorum vita incolumi redundare, qui etiam post mortem, nisi priùs resipiscamus, maleuoli animi pœnas acerbissimas daturi sumus. Eodem scuto mentem armati, non timebimus ictus inuidiæ, perpendentes, scilicet, fieri posse facillimè vt ob nostram mortem, quæ incerta est, & ocyùs vento propinquat. Diuitiæ quas possidemus aliaque bona (hæredibus nostris fortasse hostiatim mendicantibus) bonis illis, quæ nostris æqualibus præripi auemus, adiungantur: perpendentes etiam quòd si voti compotes fieremus, videlicet vt quæ illis inuidemus, ad nos venirent, aut deuoluerentur ad alios, diuturna tamen ob hoc ipsum lætitia nobis exultandum non esse. Inertiam postremò atque ignauiam vigiles & alacres excutiemus explodemusque, lustrantes mente oportere nos insuetum mortis iter incedere, & ob id comitibus atque ductoribus ob latronum populationes opus esse nobis, quos in plumis & vmbra deliciantes asciscere nequeamus: Nimirum diuina ope atque virtutibus indigemus, aduersus mali dæmonis insultus, quæ se somniculosis & semper ociantibus non tradunt acquirenda: In his quippe comparandis multos agones aduersus iniquorum dæmonum cateruas desudare, in retinẽdis, multa bellare prælia necesse est, vt tandem finem optatum & propositum strenuis militibus assequamur.

CAP. V.

SANCTOS HOMINES HOC IDEM FACIENDVM censuisse scriptis, atq; operibus adimpleuisse, idq; parùm à nobis cogitari.



HÆc duo antidota sanctissimi homines nobis reuelârunt, sibique ipsis aduersus pestiferos serpentis antiqui morsus excogitârunt comparâruntq; de his nonnulla superius seiunctim tradidimus, atque ostendimus multos philosophos veræ sapientiæ ignaros, mortem sæpissimè cogitauisse, & cogitandam scriptis mandauisse, nihilominus quemadmodum sumus polliciti, operæpreciũ est monstrare sanctissimos homines fidei nostræ maxima propugnacula vtrunque complexos fuisse. Et alterum, hoc est, Christi mortem, quod philosophorum gentilium pars ignorauit, pars contempsit, prosequutos ardentissimè fuisse, superque omnia celebrauisse. Admonet nos Ambrosius in oratione de Cruce, vt Iesum habentes, qui nos propria morte liberauit in ipsum aspiciamus semper, atque ipsius signo nostris speremus vulneribus medicinam. Testatur Augustinus se dum tentaretur, Christi vulnera ad mentem pro tutela reuocasse: testantur & alij se tartareos canes sæpissimè aduersus eorum salutem oblatrantes, ligno crucis validissimè expulisse, & ab omnibus tutos molestijs ob imaginatam frequenter Christi cru-

ſti crucem quieuiſſe. Prodit Henricus Siſius Chriſtum reuelaſſe, debere crucem & mortem ſuam iugiter à fidelibus cogitari: Idque virginem matrem dilectumq; diſcipulum potiſſimùm effeciſſe, valereque meditationem ipſam ad inordinatam animi triſtitiam repellendam, & ad purgatorij pœnam minuendam. Tradit Ioannes Gerſon in magna illa commẽtatione ſua in canticum Virginis cœlorum reginæ, ſe quondam à grandæua virgine probatiſſimæ vitæ, Vrbano ſummo Pontifici ſanguinis nexu deuincta interrogatum, quódnam potiſſimùm aduerſus dæmonis inſidias ſubſidium cenſeret: Qui dum reſponſum aliquandiu ſuſpenſum libratumq; tenuiſſet, mox eam hoc verbum, crux, ſubintuliſſe. Quam ego vocem (inquit) tanquam de cœlo intonuiſſet, & ita inſonuerat ſuſcepi: Adijciens ſecum multis iam annis reputaſſe atq; etiam ſuper hoc negocio cum alijs contuliſſe, nec illo efficacius aut compendioſius antidotum inueniſſe, quando nullum humilius, nullum diabolico veneno aduerſantius. Noui & ego qui Chriſti vulneribus aſpectis auaritiæ ſitim extinxerint, libidinum calorem ſuffocauerint, ſuperbiæ motus repreſſerint, cæterosq; vel ob iram, vel amorem in nos concitatos tumultus planè ſopierint.

Sed quis hæc mirabundus auſcultet? Nónne (vt ſapientiſſimè ſcribit Ambroſius) paſſio illius noſtra redemptio eſt, mors illius vita noſtra? An mala hæc cuncta nõ ſubſtinuit, vt nos bona omnia ſentiremus? Crudelitatem in ſe exerceri volens, vt nobiſcum miſericorditer ageretur. Quis autem quæſo illud obſeruat, vel duo, vel nemo, vt Perſius inquit? At ſanè ſi nullum hac cogitatione in nos futurum officium aduerteremus: Adhuc tamen & ob beneficia quibus ſumus cumulati, & ob ſperata præmia deberemus, ad id obeundum munus animari. Vidimus multos & nouimus vano mortalium quorundam amore ita illectos, vt nihil ſit tàm arduum, tàm difficile, quod vltrò & libenter illorum gratia non ſuſcipiant, famem perferant, ſitim tollerent, algoribus, æſtibus, non dimoueantur, mille diſcrimina mortem intentantia ſubeant, totumq; (quod maioris eſt dementiæ ſignum) vitæ tempus eorum voluntatibus condonant: Ita vt cùm liberi ſint ſuæque ſpontis, ad totam vitam mancipia fiant, inani ſpecula pellecti conſequendi honores, fortaſsè lugendos, vnde ſæpè factum, vt ab eiſdem cùm homines ſint (& ſicuti Propheta inquit: *Maledictus eſt qui confidit in homine*) in tot laborum præmium, carceres, exilia, mortemque receperint. Alios legimus amore patriæ ſubijſſe mortem, alios virtutis amore & incorruptæ fidei gloria aſperrimis tormentis è vita obijſſe. Et nihilominus videmus Chriſtianos, nec amare, nec cogitare eum, qui eos creauit, qui vt felices fierẽt, mori voluit, & quotidie vt idipſum conſequantur, innumera impartitur beneficia: ſed illius amorem in imaginariam terrenæ miſeriæ voluptatem permutare, nec etiam audire velle ſanctorum hominum vocibus, de hoc ipſo quod ſumus præfati, ipſos ſæpiſſimè commonentibus: Qui cùm de cogitanda Chriſti, & propria morte præcepta tradunt, niſi auribus cæras obderent, quidnam facto opus eſſet, vt reſurgerent à vitijs, intelligerent. Auguſtinus libro ſecundo de Chriſtiana doctrina: Timorem (ait) de futura morte mentem neceſſariò concutere, & omnes motus ſuperbiæ ligno crucis affigere. Ioannes Caſſianus in libello de octo Principalium vitiorum remedijs profert Chriſti & propriæ mortis meditationem remedium exiſtere ſaluberrimum in delẽdis omnibus vitijs: idem aſtruit generale peremptorium eſſe vitiorũ omnium quòd homo ſe credat quotidie de hoc mundo migraturum: & hanc perſuaſionem, non ſolùm nõ permittere vllam in corde reſidere triſtitiam, verumetiam vniuerſarum concupiſcentiarum & peccatorum motus comprimere. Poſſent & alia afferri quibus comprobaretur bipartitam hãc recordationem vitijs omnibus maximè aduerſari teſtimonio probatiſſimorum hominum: Sed cùm iam ſatis hoc (vt arbitror) ſit perſuaſum, quid circa virtutes operetur, aperiendum.

CAP. VI.

VIRTVTES OMNES HAC BIPARTITA COGITATIONE facilè poßideri posse, deq́; pluribus virtutum generibus.



CVnctas porrò virtutes, de quibus superioribus libris generaliter fecimus mentionẽ, eos qui hæc assiduè cogitant, facilè enancisci, fiet cõspicuum. Si ipsarum naturam & ordinẽ vestigauerimus, considerauerimusq́; multifariam eas partiuntur theologi, vt, scilicet, quædam sint ad intellectum pertinentes, quas intellectum, sapientiam, sciẽtiam, artem, prudentiã, nominauêre, aliæ sint morales: Quarum duodecim Aristoteles in Ethicis ad Nicomachum simul cum his quinq; intellectualibus enumerat, hæ tamen ad quatuor reducuntur, quas ipsi principales seu cardinales appellant: Prudentiam, fortitudinem, iustitiam, temperantiam. Sunt & aliæ, fides, spes, charitas: quæ theólogicæ nuncupantur: Tùm quia Deum veluti proprium obiectum spectant, tùm quia diuinis tantùm eloquijs patefacta fuêre, tũ quia eas ipse nobis duntaxat elargitur. Cùm enim sit duplex hominis felicitas, quarum vna naturalis, scilicet sagaci ratione comprehẽdi possit: altera humanos omnes cogitatus includat: vtpote quæ solum diuina reuelatione innotuerit, collustrari nos opus fuit lumine alio potiore eo, quo sumus natura prædi- ti, vt ad eam cùm agnoscendam, tùm capessendam apti gnauiq́; efficeremur. Quod quidem lumen ipsa est Dei gratia, à qua veluti fœcunda radice tria illa præstantissima germina, fides, spes, charitas nostris in mentibus feliciter enascuntur: quorum ope ita ad finem supra nostram naturam eleuatum disponimur: sicuti naturæ adiumento ad finem genuinum humano generi dulci quadam violentia propellimur: conuenientissimum sanè fuit diuinum quoddam lumẽ naturæ lumini superaddi, vt id intellectus videre posset, licet per speculum & in ænigmate, & id posset appetere voluntas: *quod* vt Esaias, Paulusque tradidêre, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Quantum ergo pertinet ad intellectum, radius quidam nobis est præstitus, quo fides gignitur, eoq́; constanter certissimeq́; diuinis veritatibus adhæremus. Duo verò radij voluntati condonati sunt, & primi adiumento in ea quæ iam credidit intellectus, vtpote Deum finem nostrum recta intentione defertur: Cuius cõsequendi facultate animaduersa spes emergit: Secundi verò ope, qui charitas appellatur, eidem se deuincit, atq; adeò obstringit, vt Deum ipsum iam cognitum atq; speratum in tantùm diligat, vt in ipsum transformetur, & vnus ferè cum eo spiritus euadat.

At sanè ex mortis Christi meditatione ad sanctissimæ fidei infusionem reddimur habiles: Cùm videlicet consideramus totum penè mundum prædicantibus Apostolis Christum crucifixum eundem verum Deum, verumq́; hominem credidisse, relicta dæmonum cultura: vnde factum est vt multi Apostolorum vestigia sequuti, totam vitam Christo mãcipauerint: Ab cuius cultu, nec eculei, nec cruces, nec ignes, aut igniti tauri, nec alia tormenta excogitata à tyrannis idolatris auellere potuerunt. Quod cõstantissimum propositum sequendi Christum vt susciperent, nec mundi carnísve oblectamenta eorum animos demulserãt, quæ penitùs contemnebant, nec humana sapientia flexerat, quando eorum doctores Apostoli, nec periti grammatica fuerint (vt Augustinus ait) nec inflati rhetorica, nec armati dialectica: Sed fidei spargendo semina totum orbem peragrabant, suscitando mortuos, linguis loquẽdo omnigenis, cooperante semper diuino Spiritu, & iniquo dæmone aduersante. Ex eadem quoq; cogitatione spes in nobis emergit iam scelerum perpetratorum veniam consequendi, cùm Christum flagitia cuncta dimittentem seipsum dedisse crucifigendum gratia nostræ salutis animaduertimus. At non amare illius mortem quomodo possumus? qui nos per eam & reuocauit ab inferis, & occlusas cœli ianuas referauit. His certè si animamur, vt decet, ac ipsi credamus vt Patri, hæreditatem paternam speremus vt filij, clementissimum, optimumq́; Dominum diligamus, vt serui libertate donati atq; in filios adoptati.

Exurgent etiamnum reliquæ morales virtutes, quæ ex his tribus theologicis enascuntur. Si enim bonum rationis quod principium seu formam virtutum nominant, in considerationis circumspectionisq́; specula collocauerimus, exorietur prudentia

quæ

quæ inter intellectus morumq; virtutes potissimum obtinet locum, si in ordine ad operationes spectante posuerimus, prodet iustitia: Si ad passiones edomandas accommodauerimus temperãtia & fortitudo pullulabunt, quando earum altera rebellium rationi sensuum vehementiam petulantiamq; compescit: altera in capescendis iustis laboribus torporem excutit & retrogredientes à iustis operibus ad labores desudandos impellit: quas virtutes vti ciuiles vbi nobis vendicauerimus, ad purgatorias purgatiq; animi capescendas, de quibus cùm Platonici, tùm nostri theologi mentionem fecêre, prosiliemus. Nam qua methodo faciliùs quàm Christi cruce possumus, & mũdana omnia displicere contemplatione diuinorum, & terrenorum solo vsu contenti esse ad sustentationem naturæ atq; corporis, aduersa contemnere: quæ præclara sunt munia virtutum earum, quæ animum purgant. Qua rursus diuina sola intueri, terrenas cupiditates nescire, earumq; affectiones ignorare, diuinæ menti nostram perpetuo fœdere sociare: quod purgati animi virtutes efficiunt: Hoc quippe clarius est, quàm vt probatione indigeat: de quo assidui Christi contemplatores probatissimis nos exemplis certiores reddiderunt.

Nec sanè vnquàm ad perfectæ vitæ culmen quispiam potuit ascendere, nisi qui aut in Christum priusquam de Virgine nasceretur, aut in iam natum credidit, eundemq; coluit & adorauit: vt opere peculiari seorsum ostendere nobis consilium est, nec magnopere in hoc obeundo munere nos laboraturos credimus, vt videlicet sanæ mentis hominibus idipsum persuadeamus, quando ex ipsis gentilium & legumlatorum & philosophorum præceptis, cum diuinis collatis, ex historijsq;, & locorum, & temporum, & gestorũ facilè liquebit. Quod quidem & ille impius Auerrois in libris aduersus Algazelem tradit, cùm Romanos post susceptam Iesu Nazareni legem sapientiores effectos enarret: Cæterùm mortis propriæ cogitatio, ad easdem acquirendas virtutes nos extimulat: Nam & amissa diutinè viuendi spe præsentia vilescunt, & animamur vt futura speremus, & transeuntium amore deposito ad id amandum excitamur, vt nobis bonum non fluxum temporariumq;, sed perseuerans & sempiternum eueniat: quò fit vt cõtinentes, vt iusti, vt prudẽtes efficiamur. Illi enim qui certò se sciret moriturum, patrato obscœno libidinis actu, decideret nimirum animi propensio, ad id verẽdi flagitij perpetrandum: Quis autem factus est certior, *An Deus adijciat hodiernæ crastina summæ Tempora?* Iustitiam pariter vt amplectamur à morte ipsa commonemur: Inuitatque non solùm ab alienis abstinere, sed etiam à nostris, vtpote à nobis quàm citissimè relinquendis. Inde quoque fortitudinem enasci conspicuum est, cùm viuendi spacium ob futuræ mortis incertitudinem, nihili existimare compellamur. Sed & prudentis officium est metiri agenda recto rationis examine, à quo sæpissimè dimouemur ob affectus earum rerum, quarum cupidinem à mortis meditatione docuimus exterminari: Quomodo reliquæ virtutes ex hoc etiam meditatione oriri possint, facile cuiuis est dignoscere: Quapropter ad ea quæ restant, quæq; præceptu sunt faciliora, transgrediemur.

CAP. VII.

QVID CREDENDVM SIT CHRISTIANO, QVID SPErandum, quid timendum, quid faciendum, quid vitandum, in oratione Dominica, in Apostolorum Symbolo, in præceptis Decalogi contineri.



Vm aliquid superioris ope ad finem suæ naturæ facultatem superantem dirigitur, ei opus est (si præsertim capax est rationis) vt eidem veluti superno architecto obtemperet: Quod quidem nullo pacto peragere poterit, nisi prius crediderit: Nam si propria vi pertingere nequit ad finem illum cognoscendum, nedum consequendum, necessariò duce indiget: alioquin eo ipso carebit. At si finis agnoscitur & nihilominus non deprehenditur, an in nostra sit facultate eò progredi posse, parùm emolumenti ex prima notitia nobis perueniret: Rursus si quæ nostro itineri aut officerent, aut opem ferrent, ignoraremus, quidq; in ipso progressu faciendum, quid vitandum nesciremus, fieri non posset vt illò tutò perueniremus. Cùm autem homo ad æternam felicitatem sit ordinatus, quæ in

ipso Deo cùm intelligendo, tùm fruendo consistit: cuius excellentiam aut explicare, aut concipere, nec suppetit facultas oris humani, sed nec captus mentis angelicæ: Diuini luminis radijs collustrari nos oportuit (vt theologi docent & mox repetiuimus) quibus inter tenebras nostræ ignorantiæ illucescentibus quò esset tendendum, quid faciendum, quid sperandum, quid timendum, quid vitandum, perdisceremus. Reuelata autem ea sunt nobis per Spiritum sanctum, quibus adhærere absque vlla cunctatione debemus, & lumen illud quo hæc appareant, deitùs tradita quoque suscipi possint condonatum. Item quæ peragere nos oporteat, quæ sperare, quæ timere, quæ deuitare, eodem magistro edocti sumus, & paucis: nam quæ nobis, vt credamus, sunt patefacta in Apostolorum Symbolo, præcipuè conclusa sunt: Quid autem formidare, quid sperare, debemus, in oratione Dominica: Quæ ideò nobis data est, vt illorum auersionem, horum verò facultatem assidua postulatione obtineamus: Vt verò bona peragamus & caueamus à malis primæ & secundæ Tabulæ monitis instruimur. Monstrabimus autem nos ad hæc omnia peragenda ex mortis Christi, & propriæ meditatione assidua reddi aptissimos: Nunc de his quæ ad credendum pertinent, summatim dicemus: Ac de reliquis sequenti ordine.

CAP. VIII.

QVAE IN SYMBOLO APOSTOLORVM CONTINENTUR, vtriusq; mortis cogitatione nobis insinuari.


X Symboli articulis Christi mors difficillimus pluribus est visus: Multi enim credidêre vnum Deum cœli & terræ creatorem: multi resurrectionẽ corporum, quod & aliqui ex Gentibus opinati sunt, & Pharisæi etiam fatebantur: Sed vt Christum crucifixum Dei filium fuisse credant, hoc opus hic labor est. Quæ mors Christianis (quibus mihi sermo) credita & culta cùm cogitatur, reliquos quasi secum ducit articulos, omnemq; veritatem Symboli per animam diffundit. Nam mox ingressa mentis vestibulum ipsius Christi diuinitas, cœli terræq; creatio, Virginis partus, passio sub Pontio Pilato illo statim cõtendunt, & cateruatim cõmeant: Et cùm hic passionis Christi articulus cùm propter ordinem, tùm propter duas quæ in Christo sunt naturas in quodam quasi symbolicæ enarrationis meditullio sit positus, connexione cognationeq; quadam eodem loci reliquos trahit. Sed cùm diem propriè mortis ad memoriam reuocamus fit continuò, vt imploraturi opem ad Christi Dei meditationem sustollamur, & subit illico mẽtem carnis resurrectio & vniuersale Christi iudicium, præsertim si cum interiore homine ratiocinati fuerimus, nos cum ipsa propria carne resurrecturos, similesq; angelis futuros: si ea priusquàm moriamur, benè vsi fuerimus, atque eorum beatorũ spirituum consortio deputandos: dicente Domino: *Erunt sicut angeli Dei in cælo.* Quinetiam cũ nos è præsenti vita migraturos percipimus, fit vt sempiternam illam vitam credendorum & desiderandorum vltimum meditemur: Cùm hæc qua fruimur, scilicet, in præsentia ceu rapidissimus flatus à nobisipsis euolet, & propinquet quæ futura est atque perpetua.

CAP. IX.

QVOMODO EX EADEM COGITATIONE AD petitiones Dominicæ orationis excitemur.


Æterùm sex petitiones habentur in oratione Dominica, quarum tres ad Dei honorem & gloriam, tres ad bonum nostrum instituuntur. Ad quas frequentandas recordatione & Christi, & nostræ mortis inuitamur. Cùm enim Christum cogitamus eundem extitisse nobis Patrem, facilè cognoscimus. Qui non solùm cœlum & terram, sed & animas nostras creauit ex nihilo, redemitq; preciosissimo sanguine in ara crucis effuso: quo etiã nos adoptauit in filios: Quapropter hæreditatem, non parentis carnalis & morituri, sed eius qui in cœlis est Patris, & optare debemus & expectare Item si Christi mortis recordabimur, optabimus vt illius nomen & gloria manifestetur, ipsiusque & regnum aduentet, &

modis

modis omnibus fiat voluntas: æquum est enim vt Filius expleri cupiat sanctissimi iustissimiq; Patris desiderium. Rursus si Christum toto corde meditati fuerimus, quotidianum ab eo & supersubstantialem panem efflagitabimus, cuius esu vita perpetuatur, & cùm eum qui talem elargitur panem, imò elargitur semetipsum, innumeris offendisse peccatis recordabimur, indignos nos esse tali munere censebimus: nisi ea ipsa peccata priùs expiauerimus, quæ ob id dimitti nobis postulabimus. Postremò vt mala declinare queamus, & vt à tentationibus illæsi custodiamur ab eo impetrabimus (cùm à nobis quasi ex nobis (vt Apostolus docet) aliquid cogitare non possimus) ab eo inquam cui data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Propria quoq; mors meditatione sui efficit, vt ab appetenda gloria vana abstineamus, qui mox erimus puluis & cinis: Vnde petere excitamur Patris gloriam nomenque per orbem diffundi atque magnificari, Patris inquam illius, qui creauit, qui redemit, qui glorificabit. Rursus cùm appropinquare cernimus diem illum quo sit nobis ex hac vita migrandum, ne morte etiam moriamur æterna, optamus Christi regnum quod perpetuum est in nos aduenire, & illius voluntatem sicut in cœlo ita & in terra adimpleri: *Dei enim voluntas* (vt inquit Apostolus) *sanctificatio nostra est*. Item cùm memoria tenemus compositum, hoc adueniente morte dissolui oportere, à Christo æternæ vitæ alimentum efflagitabimus, panem, scilicet, ipsum qui ipse est, vt de se inquit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Sed & cùm recordamur dandas esse post mortem scelerũ pœnas, æquum est, vt illa deleri per gratiam flagitemus: nam nostræ animæ cymbula prægrauata fatiscensque facinorum pondere nunquàm cœlestis Hierusalem portum ingrederetur. Iterum si cogitatæ mortis horror nostra viscera inuaserit, Deum facilè orabimus vt nos non sinat à tentationibus superari, ne fortè extrema illa mortis hora in peccatis inueniamur, atque etiam obsecrabimus vt à tentante nos diabolo liberet: quem sicuti cruce & passione sua eiecit è mundo: ita & à nostra anima fugari iubeat.

CAP. X.

EASDEM OBSERVATIONES NOBIS CONDVcere ad implenda Decalogi præcepta.

DEcem legis præcepta, quorum tria ad Deum præcipuè spectant, reliqua pertinent ad proximum, mortis Christi & proprij finis memoria, vt obseruemus, excitamur. Quis enim est tàm vesanæ mentis, qui credens & cogitans Christum crucifixum & mortuum ob humani generis salutẽ, cùm ipse homo Deusq; sit, idola colat & dæmones? Quis sortilegijs & diuinationibus vacet, cœlestia corpora regere animas credat, dicente ipso per Hieremiam: *A signis cœli nolite metuere, quæ gentes timent: Quia leges populorum vanæ sunt*. Et clamet Esaias: *Annunciate quæ vera sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos*: & iterum prædicet Chaldæis decipiendos esse à sua scientia, superuenturamque in ipsos calamitatem quam expiare non poterunt. Quis Genethliacorum deliramenta sequatur, Nestoream senectam promittentium? cùm dixerit Christus: *Vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit*. Quis mortalem sibi constituat in Deum, adulationibúsve insistat: cùm eum quem meditatur, protulisse audiat: *Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus*. Et Psalmigraphum cecinisse: *Nolite confidere in principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non est salus*. Rursus quis deos colat alienos? cùm omne quod possidet bonum, illius ope habuerit, cuius morte quam præ oculis habet, erutus est è dæmonum seruitute. At quis mortis Christi cogitator inueniatur qui eius nomen assumat in uanum? Cùm ipse maximè cauerit euangelica lege, ne temerè iuraremus: Vt Zachariam mittamus idipsum prohibentem, & Dauidem Deo ita loquentem: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: An ille mentis emotæ non erit? qui contrà interdictũ ipsius quem mortuum reminiscitur, neq; ob aliam causam quàm vt saluti nostræ cõsuleret, committere quicquam non erubescat? Cæterùm & Christi meditatione tertium impletur præceptum, cùm potissimùm ad hoc sit ordinatũ, vt eum, scilicet, quieta meditari mente possimus. Quippe cùm eius obseruatio illius quietis typum gestet,

qua

qua toga mortalitatis exuti in cœlesti Hierusalem delectabimur, iuxta illud propheticum: *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus.* Quis porrò ab his quæ in festis diebus vitanda sunt, Christum cogitando non caueat? A corporali, scilicet, opera, culpa, negligentia, cauemus ab opere corporali, cùm circa Christi meditationem animæ viribus operamur: Vitamus culpam cũ eius mortis memoria, quæ culpæ radices euellere potest in nostris mentibus moramur: Effugamus negligentiam cùm circa Domini passionẽ piè negociamur: Quoniam & ociositas, quæ multam (vt inquit Sapiens) docet malitiam, eradicatur. Sed & mortis nostræ cogitatione veluti graui quodam aculeo perciti animamur, vt tribus his præceptis pareamus; considerantes ipsius voluntate nos viuere: qui vt eadem seruaremus, imperauit: qua non aspirante redigeremur ad nihilum, nedum morte dissolueremur. Indubia quippe nostrorum theologorum sententia est, & quidem verissima cuncta in nihilum decasura: Si à Deo qua est misericordia & bonitate non seruarentur, vehementiùs quoq; vrgemur, si animaduertimus Deum ipsum eorundem preceptorum contemptoribus post primam mortem secundam tormentis inexcogitabilibus refertissimam & minutum sæpiùs; & etiam extra omnem controuersiam inflicturum.

Quartò etiam ob eam meditationem obeditur mandato: Ex ipsa namque cognoscimus ipsum Deum & creatorem & patrem, & ad eundem amandum disponimur: Atq; etiam decens esse perpendimus, vt illos quorum ope & instrumento nos Deus eduxit in mundum, hoc est, corporis nostri propagatores & amemus, & veneremur, & eò magis quòd huiusce præcepti obseruatoribus vitã longæuam spopondit: Mortis nostræ memoria pariter ad hoc inducimur: Ea enim per mortem relinquenda meminimus, quæ existere possent huic obseruationi maximo impedimento. Atq; ad rationis lumen, *quod*, testante Propheta, *super nos signatum est*, longo quasi postliminio redimus: Nec Pontificis verbis obaudientes sumus, nec illorum pariter, quos in his, quæ sunt spiritus, patres agnoscimus. Rursus mors Christi & propria, vt quinto obediamus præcepto, conducit: Illius namque mortem meditantes, cùm pro omnibus viuificandis susceptam meminimus, fit vt ab astruenda proximi morte, aut spiritali, aut corporali animum auocemus: nec ei aduersemur, qui dum in cruce penderet & latroni parceret, nos edocuit, non reponendam esse iniuriam, nedum non inferendam. Porrò proprij finis memoria, quæ à nobis in proximum deriuari possent incommoda propellit. Qui enim se cogitat moriturum, auri sitim, à qua cruciatur, extinguit, quæ vt plurimum in proximi detrimentum verteretur. Furorem iræ quæ in alios concitatur, temperat, nec rationem permittit obnubilari, dogmati Apostolico consentiens. Simili quoq; obseruatione & memoria fit, vt sextum præceptum nobis sit curæ: Nam si voluntariam perpetuò, pro nobis ditandis paupertatẽ assumpsisse Christum meditabimur, non modò vim inferre alijs, vt ditari possimus, non moliemur: Sed etiam si occasio dabitur, quæ legitimè sunt parta, pauperibus erogabimus, vt Christum imitemur. Ad hoc idem patrandum à propriæ mortis memoria inuitamur: Quando & dignitates & aurum, in quo cõfidunt homines, vniuersum deniq;, etiam si ei dominemur, orbem terrarum morte amitti non ignoremus, quæ forsan & dissiparet, prodigus hæres & pingues ferret in conuiuia mensas. His meditationibus & mœcho frenum imponitur, ne hauriendis libidinibus vacet, cùm se & fœminam, quam deperit, à Dei surripi gratia, & in diaboli progredi seruitutem cognoscit, quodq; eos in puluerem mors sit conuersura: Quem quæso libidinum ignis exuret diutiùs? Si contemplabitur & illud, cuius affectat pulchritudinem, & proprium corpus, vermibus primùm, deinde æternis ignibus, nisi resipiscat, tradi oportere. Item quòd Apostolo testante: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Pari pensitatione & octauo præcepto audientes efficimur: Quando mortem Christi ob falsos præcipuè testes euenisse cognoscemus. Propriam quoq; animam occidere noscimus, quando in Sapientiæ legitur libro: *Os quod mentitur, occidere animam.* Postremò nec rem proximi, coniugem, domum, aliquídve huiuscemodi, aut desiderabimus, aut moliemur vsurpare, quando mors Christi (vt ostendimus) sit opportunissimũ remedium ad edomandam tum effrenam libidinem, tum insatiabilem auaritiã, mortisq; propriæ recordatio vanas & superfluas curas abscindat. Hæc ergo decẽ illa sunt verba, de quibus Matthæus edisserit in Euangelio fecisse Dominũ mentionem & pronunciasse ad vitam ingrediẽdam esse ne-

esse necessaria, quæ mortis Christi & propriæ meditatione (vt ostendimus) obseruari commodè possunt.

CAP. XI.

DVO ILLA MANDATA EX QVIBVS PENDENT LEGES & Prophetæ, facilè cogitantibus eisdem à nobis peragi posse, nec difficulter posse cognosci, quicquid à probatissimis viris pro comparanda felicitate excogitatum est, illuc tendere.

DEi postremò & proximi amorem præfatæ meditationes pariunt. Stultum enim nō amare infinitam bonitatem, à qua quicquid boni cernitur, in nobis emanauit: Nam & quæ diligimus ex caducis corruptibilibusque rebus, ea ipsa vti bona diligimus, alioqui nulla appetendi, nulla desiderandi causa. Summam autem bonitatem suam, summam erga creaturas charitatem, nec clariùs vnquàm, nec spectabiliùs Deus ostēdit, quàm cùm pro seruis redimendis filium tradidit. Ab hac quoque meditatione velut seminario omnis alia bona meditatio exoriri potest: Quem enim meditaris crucifixum, meditaris & incarnatum tui gratia, & illud scis esse Verbum per quod facta sunt omnia, & in quo omnia, & ad quod omnia. Cùm verò mors propria occurrit meditanda, recordare quòd in hac vita nihil aliud habere potes quàm victum & tegumentum, eosq; qui plus habent, certè non habere plus bonorum, sed plus curarum, vnde ad proximi amorem consequendum apti reddimur. Sed si examinauerimus, quas sibi sanctissimi homines vias statuerint ad Deum, & proximum diligendum, comperiemus vtique vel cunctas huc tendere, vel ad hoc disponere, vt scilicet Christum pro nobis mortuum, nosq; morituros sæpissimè cogitemus. Dionysius Areopagita commonet purgari mentem, illuminari, perficiq; oportere, vt diuinæ lucis capax euadat: Anselmus in meditationibus suis, duce timore itineratur ad Deum, Augustinus hoc iter peragens, se loquitur liberatum ab insidijs dæmonum, memoria beneficiorum Dei quibus cumulatus extiterat: Benedictus docet in suorum monachorum regula emendare & instruere conscientiam, vt ad abnegandum seipsos, & sectandum Christum ipsos inducat, Gregorius sanctorum exemplis incitare torpentes & desides satagebat, Bernhardus contemplatione magnitudinis Dei humanæque nostræ miseriæ ad diligendum Deum accendebatur, Franciscus Christo compatiendo & eundem imitando ad virtutum cumulum proficiscebatur, Dominicus extendendæ charitatis studio cœlum promerebatur. Quæ dogmata, iudicio meo, procurare sibi commodiùs hominem, non posse palàm est quàm his meditationibus, de quibus toto tractatu egimus. Id ipsum si ad cæteros, quibus vsi sunt sancti, exercitationis modos te conuerteris comperiturum non ambigo: Quos enarrare vel impossibile est, vel apprimè difficile. Infiniti penè sunt in diuina contemplatione & gradus & viæ, sicuti & in orationibus, quarum species infinitas esse Cassianus edisserit. Sed an hac, quam exposuimus duplici via duces hosce sequi possimus, perspiciamus. Purgatur animus cùm sordes, hoc est, terrenorum immateriales formas, spiritualibus prædilectas ad meditandum diligendumque Christum conuersus abstergit, vnde lumen illud quod iuxta Prophetæ eulogium, super nos signatum est, à Patre luminum descendens, ipsam animam remotis impedimentis ingreditur, quo lumine necessariam veritatem agnoscit & diligit. At quid quæso efficacius potest incutere timorem quàm mortis cogitatio omnium terribilior? Quæ via est si malè vixeximus ad tormenta perpetua: quibus magis commoueri incitariq; beneficijs valemus, quàm beneficio redemptionis. Quod elegantissimè quondam Ioannes Picus patruus his carminibus cecinit:

Nam tua siue aliter sapientia siue potestas,
Nota suas mundo prodere posset opes.
Maior in erratis bonitatis gloria nostris,
Illeq; præ cunctis fulget amandus amor.
Qui potuit cœlo Dominum deducere ab alto,
Inq; crucem summi tollere membra Dei.

Vt malè

Vt malè contractas patrio de semine sordes,
Ablueret lateris sanguis & vnda tui.

Qua solidiori emendatione castigare mentis petulantiã nobis in promptu est, quàm vt futuram nostram mortem sæpissimè cogitemus, qua velimus nolimus ad ponendam superbiam commonemur: Cùm præsertim eò mentem appulimus, vt vermes depasci corpus hoc, quod tantopere diligimus, sit necesse: vnde prodit humilitas oppositus superbiæ habitus. Propria quoque fraudari voluntate ob Christi amorẽ nec durum, nec asperum est, illis quibus exploratum est, Christum, ne Patris æterni voluntas, non impleretur obtulisse se crucis supplicio. Exemplis verò ad benè operandum incitantibus quid amplius egemus, quando sanctus sanctorum omniumq; virtutum absolutissimum exemplar & degens in terris, & in cruce pendens omnifaria exempla nobis præbuerit: Porrò seges vberior ad ei cõpatiendum imitandumq;, item ad charitatem extendendam nobis præstari non potest, quàm crucis ipsius imaginatio, vnde & ad amoris rapiamur fastigia, & ad imitandum, quantum possumus, properemus: Hæc animæ perfectio est: Nam perfectum est illud (vt ait Aristoteles) cui nihil desit: Deest verò animę nihil quando illud progressa canit receptui. Si igitur nec vehementiùs vlla re quàm Christi mortis memoria ad eiusdẽ amorem inflammari possumus, nec certiores effici nostræ miseriæ, quàm propriæ mortis cogitatione, qua ab nimio nostri amore reuocemur: reliquum est vt ad hæc nobis procurãda piæ mentis affectibus properemus alacres, & Paulò conformes efficiamur, qui ex vna meditatione factus securior, ex altera factus ardentior læto animo (quod omnes formidant) mori exoptabat, vt Christo coniungeretur. Idem igitur itęr non formidemus incedere: Et hinc cum Dauide cantemus: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, & ipse à dextris est mihi, ne commouear:* Indeq; cum Salomone eius filio memoremur nouissima nostra, vt in æternum non peccemus.

CAP. XII.

EXHORTATIO AD LECTORES.




Voniam profecti sumus ad metam, decursis propositi operis spacijs, restat vt lectores exhortemur, ne illicibilibus huiusce vitæ delicijs, quasi poculis circeis affecti, mortis Christi & propriæ obliuiscantur. Parùm quippe profuisset, & rationibus probauisse, & auctoritatibus cùm theologorum tùm philosophorum ostendisse, vtrumq; mortem debere à nobis cogitari, nisi sedulò cogitaretur. Aduertamus quæso collatã in nos per Christum beneficia, contemplemur obsecro cœli terræq; creationem, & euocatum ab inferis humanũ genus per preciosissimum illius sanguinẽ in ara crucis effusum. Examinęt vnusquisq; nostrũ si se ab rege aliquo, in quem læsæ maiestatis crimine peccasset, non solùm à supplicio capitali absolutum nosceret vitaq; donatum, sed regem ipsum ne iustitiæ maiestas nõ coleretur, eidem supplicio proprium obiecisse caput: quantas illi gratias habiturus esset, qui, scilicet, perpeti mortem maluisset, quàm reum facinorosumq; (qua esset in eum clementia, quo amore) debitas pœnas luere: A qua morte cùm rex idem reuiuisceret, non contentus collati in scelestissimũ hominem beneficij, ediceret se in regni consortium ipsum reum assumpturum, si ab eo paucula quæpiam, & quidem facilia factu obseruarentur, qui ope regia se non destituendum crederet (modò ipse non resisteret voluntate peruersa) vt omnino ad regnum subueheretur. Transferat hoc posteà de minimis humanisq; ad diuina & immensa, mentis acie cœlum penetret, consideretq; à Patre, Filio & sancto Spiritu, qui est vnus & verus Deus, regũ Rex & dominantiũ Dominus, ex nihilo, quæ est infinita potentia, & bonitate creatum mundum, formatum Adam de limo terræ, in eumq; spiratum vitæ spiraculum, & iustitiæ originalis stola vestitum, eundemq; cùm mox accepti diuini mandati transgressor effectus esset, iustitiaq; ea caruisset, qua & retẽta beatitate donandus erat, & amissa sempiterno supplicio afficiendus, ipsam innocentiæ vestem perpetrato illo facinore omnibus illis ademisse, qui ex eius semine propagandi erant. Atq; cũ humanum genus ita perdendum esset, sic exigente diuina iustitia, quodamque infinito supplicio deceret facinus illud expiari, cùm infinitũ peccatum esset, infinitum Dei Filium effectũ hominem & impiorum manibus crucifixum infinitæ Patris iustitiæ satisfecisse, resurrexisse

à mor-

à mortuis, conſcendiſſe cœlos: iuuareq́; nos quotidie & internis monitis & ſpecialibus angeli cuſtodis noſtri afflatibus, & ineffabilibus ſacramentis ab ipſius corporati Verbi, morte & primordia trahentibus, & efficaciam, vt illo omnino perueniamus. Nihilq́; aliud nos agere neceſſe eſſe: niſi decem implere mandata, vt cœlos ipſos ſcandere poſſimus, & vt inquit Apoſtolorum princeps, effici naturæ diuinæ conſortes, atque de ſempiterno diuinæ voluptatis torrente (teſtante Propheta) potare.

Aduertamus parte altera quotidie tranſire ante oculos notorum ignotorumq́; funera, & velimus nolimus omnino futurum eſſe vt ſubter nos ſternatur tinea, & operimentum noſtrum ſint vermes, atq; ſi terræ orbi dominaremur, nihil inde aliud quàm victum & tegumentum nos reportaturos. Quod ſi ſuperflua quæreremus, quærere etiam nos quanquam inuitos, & animi & corporis ſuperfluos labores, quos etiam facillimè mors perpetua ſecutura eſſet: Ac eum, qui non calcauerit hæc temporaria, fieri non poſſe, vt vera vnquàm animi pace iucundetur: quod licet contingeret, quæ poſtea diuturnitas, quæ ſtabilitas rerum humanarum? Quanquam enim pauci imbecillem hominum naturam contemplentur, nec multi antiquas hiſtorias conſiderare velint, quibus terrenæ fragilitatis admonerentur: noſtras ſaltem contemplari quiſq; debet, quæ & breues ſunt, & ſub aſpectum fiunt, nec niſi conniuentibus nobis non aſpici non poſſunt: Videbit vtiq; opulentiſſimas vrbes vel vno ictu oculi (vt ita dixerim) & abſq; ſanguine mutaſſe regimen: videbit ditiſſimas familias celebratiſſimasq́; ſummo è faſtigio: & honorum & opum ad pauperiem vſq; contemptumq́; deueniſſe videbit plura hominum millia à paucioribus horæ dimidio proſtrata gladio occubuiſſe: videbit potentiſſimos reges, quorum nutu magnæ prouinciæ trepidabant è ſummo culmine eiectos habitosq́; ludibrio: quibus commonefactus exemplis diſcet quàm inania ſunt hominum vota affectare opes, honores, imperia. Dum hæc ſcriberem, id eſt, dum extremā manū operi imponerem à tabellario noſtro Roma redeunte mihi relatum eſt, Ferdinandum iuniorem Neapolitanū regem vita exceſſiſſe: regnum illud trium duntaxat annorū ſpacio quinquies regem mutauit, quorum tres iam diem obiêre. Vidi ego ab hinc ferè ſexennium illius tenere ſceptrū pacatiſſimoq́; ſedere ſolio Ferdinandū Alphonſi illius Hiſpaniarum regis quondā celeberrimi filium, & iſtius qui nunc migrauit è vita, paternū auum: Florebat rex ille copijs, munitiſſimis vrbibus, & natura, & arte, gemmis & auro ſupra menſuram, equis ad bellum tàm ſtrenuis, tàm multis, vt inde veluti è ſeminario per Italiam Galliamq́; confluerent. Filius ei primogenitus erat Alphonſus, nomen aui referens, dux Calabrū cognomento, bello & armis potentiſſimus, ac multis Italię ciuitatibus ſolo nomine terrorem incutiens: Mox ab Aquilone turbo conuoluitur, fama peruolitat Carolū Galliarum regē potentiſſimum, regnū illud inuaſurum: Ferdinandus ille inopinati & ferè ſubiti morbi violentia necatur: Sufficitur eius loco Alphonſus ille tantopere in armis celebratus, tantopere formidatus: Qui ſimulac accepit Carolū Romæ propinquantē, vt inde in eius ditionem mouens bellū inferret, traditis Ferdinando filio regni gubernaculis aptatisq́; ſibi triremibus Neapoli ſoluit, Meſſanam applicat, paulò pòſt obit è vita. At vbi paululùm Gallis Ferdinandus reſiſtit, Neapolim regreſſus patrē paratis nauibus ſequitur, Carolus autē progrediens totū illud regnū tàm citò vicit quàm vidit. Sed cùm poſt ipſius reditum in Gallias, Ferdinandus in Calabrū fines reuerſus eſſet, & multas regni illius prouincias recuperare cœpiſſet, mūdusq́; arridere viſus eſſet, humana deſerens in æterna cōceſſit, ſucceſſori curā relinquēs cū Carolo de regno decernere: Quis belli finis futurus nouit, ille qui nouit omnia, & cui voluit reuelare. Hoc rerū humanarū pōdus, hęc ſoliditas, hęc gloria, ꝑ qua mille diſcrimina noſtri homines ſubeūt, mille ærūnas exantlant: Quātò ſatius eſſet vt paruo cōtenti, dominandi libidinē coërceremus, auri ſitim reſtingueremus, compeſceremꝰ iram, reliquosq́; tum iraſcentiæ tum appetentiæ impetꝰ frenaremus. Exoratos igitur velim quoſcunq; lecturos noſtra hæc qualia qualia ſunt, vt qui ſunt dum legunt, quiq́; olim ſunt futuri, animaduertētes, poſthabitis momentaneæ vitæ, & ſemper labantis mundi promiſſionibus, cogitatus ſuos in Chriſtū iactent, eius mandata cuſtodiant: Quæ ſi quandoq; diruperint, pœnitētia debita reſarciant, eidemq́; actiones cunctas & opera condonent: A quo cùm per mortem ex temporarijs migrauerint, ſempiterna felicitate ſe donatos agnoſcant.

TERTII LIBRI FINIS.



ILLVSTRI PRINCIPI AC DOMINO SVO SINGVLARI COMITI IOAN. FRANCISCO ANTONIVS FAVENtinus S. P.

LEGI missas ad me in patrui tui scripta defensiones, in quibus magnam rerum doctrinam & admirabilem ingenij solertiam planè deprehendi, sumq; inuentionibus tuis mirificè oblectatus, nō solùm propterea quòd video bonas artes tutores optimos ac patronos aliquando habituras, quibus à tenebris à barbarie vindicētur, verùm etiam eò magis quòd de te, si philosophari pergas, nescio quid magnum ac grande mihi facilè polliceor, videbit posteritas me nihil mentitum si vixeris, Deus modò vitam longiorem præstet, quid ad me attinet, equidem non improbabo, quæ in patrui defensionem subtiliter quidē & acutè scripsisti, neq; enim si patruus vixisset, disputationem iam cœptam magis vltrà protraxissem, quemadmodū in postrema oppositione mea sum illi planè testatus, qui per internūcium respondit, se quoq; nihil amplius scripturum: causæ igitur iudices sunto qui legerint. Quòd si ea quæ probè meditatus es, impressoribus danda censuisti, saluo ac integro amici honore id fiat, quemadmodum promisisti. Sunt quidem nonnulla in libello verba, quæ aliquid habent aculei nec omnino parum à quibus facilè potes temperare, si velis, sensu rerū nihil immutato. Quod si feceris, vt spero, non erit ingratum. Causam meam videor mihi satis abundeq; tutatus, & indies facilè tutari potuisse. Sed disputationi modus iam esto. Cæterùm Comes illustris putes velim me tuū esse ac semper fore, quo vti possis arbitratu tuo, bene vale, ex Ferraria die XVI. Decembr. Anno M.CCCCXCV.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVla Antonio Fauentino philosopho insigni S. P.

SAtisfactum est abundè tuis votis, satisfactum pollicitationibus erga te meis, quum verba cūcta, quæ vel aliquid aculei gestare videbantur, de dictatis nostris ademerim: Parcendum est impetui animi, sicubi fortè acriùs actū est quàm oportuit, condonandum est aliquid iustæ defensioni, & eò magis condonandū, quando commune ferè vitium eorum sit, qui commentationibus suis vel accusant aliquem, vel seipsos aut amicos excusant illos, ad quos scribunt insectari maledictis, calumnijs petere, probris lacescere, atq; id genus cætera perpetrare ab officio boni hominis aliena, à quibus nos (testem te cito & iudicem constituo) omnino abstinuimus, decemq; summum aut circiter verba nonnihil aculeata tuo nutu (saluis tamen sententijs) amouimus, neq; aliud consilium elucubrandæ commentatiunculæ credas velim, quàm vt sine tui offensa Picum patruum defenderemus, quinimò maluissem sæpiùs nihil inter vos disceptatum fuisse, vt præclusus mihi scribendi hac de re fuisset, aditus omnisq; occasio sublata. Non enim potest, vel quàm difficillimè potest literarum negotium agi in altercatione positum omni inter scribendum præstito honore illis, ad quos verba fiunt, alioquin dubito. Adde quòd vix sine quodam animi tumore, qui magnopere vitandus est, id muneris obitur: Quòd verò de causæ tuæ tutela dicis, hoc ipsum de nostra dicimus. Sed hactenus de controuersia, sunto (vt rectè scripsisti) qui legerint iudices, modò hi docti sint, & neutræ parti affecti, aut si amore cuiuspiam nostrum teneantur ardentiùs, ad minus oculis eorū præstigium amor non faciat: Cæterùm multùm mihi tribuis vel parùm merenti, magnaq; de me tibi promittis, si modò pergam philosophari. Sed vereor, mi Antoni, ne ab hoc philosophiæ studio de quo mentionem facis, omnino temperem aut fortè desistam, dicam tibi de hac re quid sentio afferri, scilicet, nobis hoc negocium nimis affectantibus multum nocumenti, parum emolumenti. Non hoc ideò dico vt damnem, vt vituperem veritates plurimas aut saltem similitudines veri, quarum notitiam philosophando comparamus nobis. Sed communem vsum aut (vt significantiùs dixerim) abusum culpo, quem nisi vitare magnopere nixi fuerimus, assidueq; & summa cum diligentia cogitatus nostros examinauerimus. Christiani cùm venenum cor irrepit ambitio, quæ postmodum mortiferam pariat superbiam, vnde plerunq; fit vt huius sapientiæ in qua quotidie versamur amatores, sapientiam illam quæ genita est, sed æterna, à quo omnis hæc


hæc fluxa & temporaria deriuata est, omnino posthabeant tumidi, & elati caduca gloria.

Sed videamus oro vnde animo efferamur, vnde nosipsos æstimamus nimis. Nam quantula nostra cognitio? cùm minimam naturalium rerum scientiam teneamus, & illa ipsa quæ ignoramus quo multa, tum maxima, vel tacitè clament in vanũ scilicet, & falsò nosipsos doctos aut profiteri aut existimare: Posset proculdubio, vel rudis homo, & parùm peritus, vel omnino nescius literarum agricola percunctari plurima, etiam sub aspectum sub oculos posita, de quibus philosophus alioquin maximus reddere certam rationẽ nequiret. In percipiendis verò substantijs ipsis à materia sensili prorsus abiũctis quousq; cognitione procedimus, quas lippientibus dũtaxat & noctuinis mentis oculis cernimus? Sed quid de diuinis sumus dicturi, ad quæ nos tantùm cognoscenda, sed etiam vestiganda anhelantes, & anxij cæcutientes, & caligantes obtutus densissimis penè nubibus obtectos dirigimus. Porrò hanc nostram rerum notitiam, nónne aut à libris, aut à præceptore percepimus? gloriari ergo quid opus est, didicisse nos aliena meditata hausisse quasi ab narrante historiam. Sed historiam naturæ, verùm per diuersa studia in amarulentis altercationibus positam, variasq; per opiniones agitatam, atq; ob id incertam: Quod ex ipso nomine opinionis proditur apertissimé. Si quid verò à nobis ipsis, paululùm notitiæ nanciscimur, quid quæso aliud est, quàm incertum quoddam subuolutũ mille inuolucris, mille perplexum fallacijs, hoc negotium veluti, his qui hæc studia vehementiùs, quàm opportunum est, magnifaciunt, succensus, insectarer, nisi hanc materiam speciatim longa quæstione tractauissem, peculiariq; libello dedicassem. His ideò de causis me conuertere statui, ad eos euoluendos libros, quorum propositiones profata sunt, & dignitates, quorum conclusiones, & inerrabili syllogismo colliguntur, & mentem defæcatam (si tamen id curauerimus) reddunt. Sed esto iam finis conflictus literarij, & iamiam epistolæ. Sed vide quàm dispar effectus fuerit, & nostræ & aliorum controuersiæ, finita disceptatione, vel voce vel scriptis agitata. Sæpenumerò inter eos animos, qui discordes fuêre, exercentur odia, simultates, machinantur fraudulenta bella, detractiones honoris, & famæ hincinde scaturiũt. Tu verò & Picus noster eratis ante disputationem compatres, hoc est, spiritali astricti nodo: Nihilominus ob hoc pristina, non est animorum concordia dissoluta. Ego autem nec tibi dum patruus viueret, nec tu mihi nisi nomine notus eras, fecit hæc defensio, vt inter nos ictum sit quoddam fœdus amicitiæ, quod vt stabile sit, dum victuri sumus curato, vtq; rectè pieq; viuendo post hanc mortem, quam expectamus, perseueret æternum, da operam qua ratione potes, idipsum quoq; enitar factitare. Interim quo te amore prosequar experiri non pigeat. Cumulatiùs fortè sum præstiturus quod postulaueris, quàm in calce defensionis spoponderim. Nihil enim tàm arduum quod tui (grauissimi profectò philosophi) propensiùs demerendi causa facturus non sim. Ex arce Mirand. IIII. Ianuarij M. CCCCXCVI.



IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA ANTONIO FAVENTINO PHILOSOPHO INSIGNI, S.

DEFENSIO DE VNO ET ENTE.



VANQVAM Ioannis Pici patrui mei obitu studiorum meorum alacritas omnis, & spes, quæ quasi tota in eo reposita fuerat, elanguit, quippe cùm futurum sperarem, eo viuente, vt philosophiæ studia ad castitatem pristinam, sed magnis ditata opibus reuocarentur. Christianaque fides eliminatis in vniuersum erroribus, hæresibusque depulsis, validissimis in aduersos hostes turribus muniretur: Non tamen sic animo consternatus sum, vt totis viribus non laborauerim ne vigiliæ omnes inchoatæque lucubrationes, quæ ab homine illo in literis vndequaque admirando, profluxerant, penitùs deperirent: quocirca mihi ipsi nostrisque hominibus consulens, quàm maximis potui itineri-

bus, Florentiam contendi, dedique operam qua potui ratione, vt quæcunque ab eo notata fuerant, licet inexpolita, & inexcussa in nostram permitterentur potestatem, non inanes omnino fuêre conatus nostri: nam & si adapertæ adhuc tabulæ non essent, nec notus hæres, adaperta nihilominus ita scrinia fuerunt, vt commentationes cunctas inspiceremus versaremusque. Vidimus in chartaceis illis dispersis codicibus incredibile hominis studium, lectionem omnimodam, conceptus supra captus humanæ mentis admirabiles: Verùm in redigendis scriptionibus non laudandam incuriositatem, hinc inde disiecta dissipataq; omnia, sed de his aliâs.

Dum hæc diligenti cura euolueremus, opusculum eius de Vno & Ente quatuor fermè ante occubitum annis emissum, vnà cum tribus in ipsum à te perscriptis epistolis earumque responsis in manus incidit, quibus ob rei nouitatem non perlectis modò, sed haustis, sed penè, vt aiunt, deuoratis (rumore enim id factum agnoueram, sed quid momenti allatum esset, exploratum satis non habebam) mecum cogitare disceptareque occœpi, an illud publicitùs alijs cum operibus, quæ in vnum redegeram, & publicanda censueram, impressoribus dare deberem, nulla tuarum obiectionum habita mentione: An consultiùs fieret, si & oppugnatum hinc offensaculis, inde propugnaculis promunitum exiret in publicum. Post longam rei discussionem postrema tandem menti sententia sedit: Sanè doctis hominibus obuiam factum notas infamiæ ferre videretur, si accusatores non tantùm expauesceret, sed & in iudicium citare, rectæ quasi parùm fidens conscientiæ non auderet; pariter quoque vt responsis comitatum iret: opportunum esse visum est, veluti ad defendendam causam innocentiæ testibus, quod nostrum consilium laudatum iri à probis viris non dubitaui, quando aut me pati oportuisset defunctum patruum, hominem profectò de me meritissimum, aliqua ex parte famigeratæ doctrinæ suæ tali non promulgato libello defraudari, aut eo solo progrediente nequissimis vituperatoribus ansam semper criminandi relinquere, non accitis in forum, quæ & obiectando, & repellendo pluribus vtrinque epistolis concinnata fuerant. At oblatis nonnullis literis Christophori Saxoli nostri, & ciuis & medici, quibus quartam te super id negocij cudisse epistolam, quæ responsione caruerat (vt aiebas) nobis significabatur: res in dubium reuocata est. Iterumque sententiæ ancipitis factus pensiculandum exactius * liberatum iam iudicium duxi, quando postremus accusator vrgeret causam, nec esset qui patrocinaretur: Inde meum subijt animum titillatio quædam suscipiendæ defensionis, quo me tamen pro tutando silentio verterem, non erat in promptu. Mouebant hinc mentem hominis modestia, in omnesque benignitas, ingenij quoque solertia & acrimonia, in enodandis diluendisque etiam ex tempore difficilibus nodis inexplicabilibusq; scirpis, vt scilicet arbitrarer vltimam epistolam tuam non fuisse tutò delatam, cogitabam inde factu facilè fuisse, vt quod rescripsisset: Si tamen fideli nuncio, tuæ sunt redditæ epistolæ, vel tabellariorum incuria (fit enim id sæpenumerò) vel alio quopiam casu in itinere perijsset. Succurrit demùm in enodationibus priorum quæstionum tuarum, conquestum illum fuisse à te sæpiùs eadem iterari, & de eisdem sæpiùs dubitari, ob id statim totius controuersiæ vestræ capita percucurri, an, scilicet, in primis responsionibus aliqua deprehendi possent, quibus monstrarem fuisse quartæ epistolæ satis in parte factum antequàm scriberetur. Successit ex voto res, tantaque reperi ad propositum facientia, vt si non verbis, sententijs saltem, quantum fieri potuit, obiectionibus vltimæ epistolæ responderim, adeò vt ipsarum nodos ex priorum quæstionum tuarum solutionibus apertos magna ex parte possis agnoscere. Addidimus multa à magnis etiam authoribus pro testimonio petita, quæ omnia non alia de causa factitata à me existimare te velim, nisi vt rudium insolentiumque philosophiæ, & maleuolorum iudicijs occurrerem, ad quos fortè cùm peruenisset fama, quartam te ad patruum meum super ea controuersia dedisse epistolam, cui non respondisset, tulissent actutùm sententiam (qui blacteronibus & inuidis mos est) alia quapiam de causa, quæ iusta non esset, rescribere Picum non curauisse: alioquin, mi Antoni, etiam à principio susceptū opus libentissimè omisissem: Tùm vt controuersijs à quibus abhorrens sum, & si iustissimam causam agerem, non viderer initiari: tùm vt à vero philosophiæ tramite non deuiarem, quem post equos & arma (& si quosdam litera-

*librātum

rum

rum flosculos à pueris olfecerim) post magnorum ducum commertia Ioanne Pico patruo, Ioanneq; Mainardo nostro, ducibus metiri occœpi, quando naturæ notitia non ad literarios desudandos agones, sed ad naturæ ipsius cōditorem agnoscendum ordinetur, philosophicæq; commentationes suapte semper sponte inuitare nos debeant ad penitissima diuinorum eloquiorum vestiganda sensa: hic studiorū omnium finis, his nobis iter reuelatur ad cœlum, si tamen ea non gloriæ nostræ captandæ gratia excoluerimus, sed vt Deum nostrum & faciliùs cognoscere, & feruentiùs amare possimus, vt inde promptiùs quæ mandauit facienda, prosequamur, quæque docuit vitanda fugiamus. En tibi causam suscepti huius mihi oneris tecumq; negotij explicatam, iustissima est, vt videtur idcircò æquo à te animo perferenda, quin etiam arbitrari fortè potui, vt his nostris vti possem veluti internuncijs, in auspicata mihi iam tecum contractaq; Ferrariæ beneuolentia confirmanda. Nam cùm proximis diebus istuc appulissem, qua es humanitate me inuisere dignatus es, atque interloquendum de literis deque morte patrui ac eius operibus multis inchoatis nec consumatis, percepta opinione mea respondendi, scilicet, tibi soluendiq; argumentationes tuas tantum abfore ostendisti, vt offendereris, vt etiam quod facturus eram, laudaueris. Sed ipsum iam negotium aggredientes primæ obiectioni dissoluendæ manus in primis admoliamur: ea est huiusmodi.

Non ideò dictum est, Deum ens non esse, quòd esse in Deo pro essentia est, sed quia esse non est aliud ab essentia, quod longè diuersum est: alioquin ipsum esse lapidis quod sibi pro essentia est, nec ens esset, nec bonum: esse enim lapidis non est essentia, sed ipsum sibi, & esse suum & sua est essentia: cui vel facilimè respondebimus. Sed iubebo in primis eorum te meminisse, quæ ab ipso huiusmodi rei gratia sunt perscripta, ne pugnantia ille verba protulisse videretur. In eo quippe commentario de Ente & Vno (quod etiam in tuarum obiectionum responsis commemorauit) Amelium, Iamblicum, Syrianum compluresq; Platonicos, qui Deum ens non esse dixêre, nō modò non probauit, sed toto tractatu principaliter hoc egit, vt non solùm ex Aristotele, verumetiam ex Platonis dogmate ostenderet Deum, & esse & dici propriè ens. Sed & aliquam loquutionis rationē esse monstrauit, quam qui sequeretur, non absonū erat à veritate Deum appellatione entis dicere maiorem. Atque ob id hoc à se factitatum est, vt & Dionysij authoritatis, & Thomæ ratio haberetur, ne omnino, vt eius verbis vtar, insanire viderentur doctissimi sanctissimiq; viri, qui id dixerunt Deum scilicet, non esse ens, sed super ens, quam sententiam alter millies repetiuit, alter quandoq; vsurpauit: Sed redeamus ad nos. Cùm ergo hoc modo Deum ens non esse dictum sit, hac ratione id prolatum asserimus, quòd esse in Deo pro essentia sit: cui opponis non hac, sed illa assertum ratione, quod esse duntaxat non sit aliud ab essentia, duo hæc diuersa esse penitùs existimans: ego verò alterum alterius dicti aperitionem dilucidationemq; esse contendo. Cùm enim dicitur ens non esse Deum, quia in eo esse ab essentia disseparatum non sit, nil aliud affertur, quàm esse in Deo esse sibi pro essentia, nec per hanc orationem, scilicet, esse in Deo non est aliud ab eius essentia, iudicatur nobis essentiam in Deo esse, vt per verba illius contra quem argumentatus es, liquidò perspicitur: nam tuam obiectionem patruus confutauit, quæ hanc ipsam materiam concernebat inquiens: non enim Platonici, cùm id aiunt, intelligunt esse in Deo essentiam & esse, sed in eo non differre. At esse in Deo locum eum habere quem in rebus alijs habet essentia, vt ei pro essentia nihil sit aliud quàm ipsum esse: quòd autem incongruum omnino credas ipsum lapidis esse, non posse dici ens, & bonum mutabis fortè, sententiam si consideraueris, quæ à Thoma Aquinate, qui quasi controuersiæ iudex à vobis ascitus est in prima parte summæ quæstione 45. articulo iiij. dicantur, palamq; cognosces ipsum esse quod in essentiæ compositionem cadit, nec ens, nec creatum appellari debere, quando formas omnes non subsistentes, & accidentia cæteraq; id genus magis coëxistentia & concreata, quàm creata & entia nuncupari posse pronunciet. Quapropter ab eius sectatoribus potissimùm Capreolo, cùm de entis & essentiæ distinctione fit quæstio, esse ipsum creatarum rerum, nec in verorum entium, nec in creaturarum numero recipitur: quòd si entis appellationem non suscipit, proculdubio nec boni, cùm ens & bonum se mutuo consequantur pariq; ambitu reciprocent.

Secundo loco hunc in modum argumētaris: *Si in negationibus & priuationibus quid*

sint, quæri non potest, cùm igitur sint, non satis est ad quæstionem quid est, formandam scire rem de qua quæritur esse, sed ampliùs scire oportet, & esse & aliquid esse: Quærenti igitur quid est, ridiculè ac irrationabiliter respondetur ens aut aliquid, siue ens primo modo siue secundo modo capiatur: quod si quæratur, quid sit peccatum, vocabuli potius est quæstio quàm rei: Cui obiectioni respondemus, non illum vnquam dixisse in priuationibus, & negationibus non posse quæri quid essent: Sed non posse responderi quod Thomæ gratia protulit, quem te super hoc dubitante in prioribus epistolis, verúmne, scilicet, esset an falsum, citauit his verbis, verum esse fatearis oportet nisi deseras tuum Thomam, quod & nos etiam ab Egidio Romano in secundo commentariorum libro in Theologicas sententias assertum esse reperimus. Satis enim est ad quæstionem, quid est, formandam scire eam rem esse de qua sciscitamur, neque necessarium est, vt qui quid res sit, vestigaturus est, sciat rem esse aut aliquid primo modo, sed secundo tantùm, hoc est, eam esse. Quod si contēderes te intellexisse quæstionē eam formari posse, cui potest affirmatiuè, & rectè responderi. Primùm si putas quæstionem illam, non posse rectè formari, nisi res de qua quæritur, sit talis, vt per eam quæstioni, illi reddi responsum queat, tecum nō venio. Aristotelis enim sententia est, percunctari posse, centaurus sit, nec ne centaurum tamen tale non esse, vt per eum quæstioni, an est, possit responderi, cùm mera sit fabella, merum figmentum: pariter quoque aduersor, si credis hoc idem quærentem nosse oportere: nam plus scire eum non oportet (vt ostendimus) qui rectè quid sit res, percūctatur, quàm eam esse. Qui ergo nouerit rem esse, aliquid non ridiculè respondet, eam esse aliquid nescienti cuipiam, & de hoc percunctanti. Quòd verò interrogantes quid res sit, docere non consueuerimus, eam tantùm vel ens esse vel aliquid, vt absolutiùs respondeamus, euenit: nam exploratum habentes, eam esse aliquid, adhuc quale nam ens esset, rimarentur. Eorum igitur non solùm expresè petitioni, sed & vestigandi desiderio satisfacimus, cùm conceptas & non prolatas quæstiones ipsorum nostris, responsionibus præueniendo dissoluamus. Verba verò illa, quòd si quæratur, quid est peccatum, vocabuli potius est quæstio, quàm rei quæ illius obiectioni contra te factæ fuêre responsum, non multum momenti attulisse videntur: cùm enim tu priùs argumentatus esses ex Thomæ sententia: ens videlicet iuxta primum modum vocari, quod quæstioni quid est, respondetur, quærentique quid esset quòd mundum conseruaret & moueret, rationabiliter Deum responderi, ex quibus colligebas Deum primo modo esse ens, & aliquid respondit ille, vide quantum fallaris, malum secundùm Thomam tale non est, vt quærenti de eo quid sit possimus aliquid respondere vel ens, & tamen quærenti quid est, peccatum, respondere possumus, quod est malum, ideò nihil tibi tua suffragatur responsio hæc, scilicet quod si quæratur quid est peccatum, vocabuli potius est, quæstio quàm rei. Nam non minus est quæstio nominis (quanquàm hîc & ibi diuersa ratio) quid est quod mundum gubernat, quàm quid est peccatum, cùm ille qui mundum gubernat Deus, scilicet quidditatem, vt recentiores loquuntur, non habeat, quod & omnes præter eos, qui in prædicamento eum collocant apertissimè confirmant. Et, vt sanctissimus ait Dionysius, nostræ post Apostolos principes theologiæ, ipsius nec nomen est nec diffinitio, quinetiam nec illis quæ antea dixisti, tuum hoc responsum consonat, quando prius malum ipsum non esse nihil, sed positiuum aliquid dixeris: nunc verò ipsius nominis tantum formari quæstionem confitearis.

Opponis tertiò his verbis: *Si aliquid est ens, ideò iuxta positionē tuā est ens, quod esse est, secundùm rem aliud ab essentia, aliud est (inquis) humanitas, aliud homo, aliud album siue albedo, aliud res alba: igitur si idæa est ens, ideò erit ens, quòd esse idæa est, aliud ab idæa: Idæa autem Deus est, esse igitur idæa est aliud à Deo: est igitur in Deo compositio secundùm rem non solùm secundùm rationem.* Quibus dicimus iam responsum esse. Nam cùm eodem ferè medio quo nunc es vsus, in tertia epistola argumētareris, respondit ille: compositionem illā entis, & essentiæ in diuinis secūdùm rationem esse nō secundùm rem: Huius igitur hypotetici syllogismi quem adducis, primam propositionem verā esse inficiamur: nam & si in creatis rebus essentia ab esse re differat, nō ob id sequatur necessariū est, quicquid quoquomodo dici ens possit ex essentia, & esse siue existentia tanquàm ex partibus componi idææ, igitur quæ creatarum rerum exemplar est essentia, & existentia re distincta nō conueniunt. Sed hæc à nobis in ea fit compositio, cùm illam vt exemplar

exemplar causam essentiæ, & entis siue esse & existentiæ, quæ in creatis rebus inueniuntur perpendimus: quam compositionem pariter, & distinctionem simplicissimis etiam rebus applicamus, & secundùm rationem quando eam intellectus noster fabrefecit, vocitamus, hanc Peripatetici frequentissimè vsurpant vulgatam, vt inquit ille ab Antipatro repetitam, à Possidonio commemoratam in epistolis à Seneca. Ea propter hunc in modum idæam secundùm rationem ex essentia, & existentia dicere possumus esse compositam, & ens vocare eam, scilicet, vt exemplar creaturarum ex esse, & essentia, re differentia, compositarum cōsiderantes: quam compositionem in Deo non ponimus quando eum, non vt aliorum exemplar, sed vt in penitissimo suæ diuinitatis recessu seipso fruentem contemplamur.

Quartò inquis, *Iuxtà denominatiuorum definitionem vnus ab vnitate denominatiuum est: Deus autem iuxta tuam positionem ex similitudine vnitatis vnus dicitur, non ergo ad substantiam Dei spectat prædicatio, qua Platonici dicūt, Deus est vnus: præterea cū dicimus, Deus est vnus, non quid sit, sed quomodo sit significari putas: modus autem ex accidentiū est genere: non igitur vocabulum vnius in Deo substantiuum est, quòd vel Platonicam sectam non didicerim, vel Græcam linguam ignorem: nō enim id satis est ad tutandā Academicorum disciplinam.* Sed facilis responsio: cùm enim dictum sit à Platonicis vnū, quod de Deo enunciatur esse substantiuum, & non denominatiuum tantùm, probè assertum est, & iterum cùm asseueratum sit vnum dici, quia vnitati similis sit, non est incongruum, nec propterea dici potest, non esse substantiuum. Nam & si nomen aliquod ex rei cuiuspiam proprietate, aut similitudine cuidam adaptetur, non ob id sequatur necesse est, nomen illud non esse substantiuum, quando id pro substantiuo nomine accipiatur, quod non per modum adiacentis, sed per se stantis significet. Vnum verò quod de Deo prædicatur per modum non inhærentis, sed stantis intelligi adeò clarum est, vt probatione non egeat. Habes itaq; proprietatem à qua nomen accipitur, cui applicatur, non auferre hoc quod est esse substantiuū: nam Thomas tuus imò noster, cùm in locis alijs tùm in prima parte, illud ad quod significandum nomen imponitur, ab illo à quo imponitur differre refert: verbi gratia: hoc nomen lapis ad significandum substantiam illam, quæ sic nuncupatur imponi, ab ea itē proprietate sibi cognata, qua scilicet pedem lædit, vocitari edisserit: vnde & alio loco docet à grāmaticis fore vsurpatum, vt scribant nomen substātiam, cum qualitate denotare, quòd & Ioannes Scotus libro primo commentariorum suorum in sentētijs affirmat. Vnum igitur, mi Antoni, cùm de Deo annunciamus verè, & vt substantiuum nomen est enunciamus, quia, scilicet, per modum stantis, & concipimus & prædicamus: rursus cùm ab vnitatis similitudine eiusq; proprietatibus, impositum dicimus veritati, quantum fas nobis est, propinquamus, quia scilicet conuenienti vocabulo vtimur, ad indicandum, quanquàm longè ineffabilem illam super omnia creata deitatem, cùm ita omnium, quæ sunt principium sit, quemadmodum numerorum omnium principium vnitas est, & hisce verbis etiam colliges alterius argumenti tui solutionem, de modo quod de genere duntaxat accidentium esse profaris posse, scilicet, in hac prædicatione: Deus est vnus quomodo Deus vnus sit significari, & nihilominus vnius vocabulum in Deo substantiuum esse. Si à quo auspicetur nomen, & ad quod denotandum rei tribuitur, consideraueris, potes etiam breuiusculè ex verbis patrui solutionem tuæ dubitationis agnoscere, cùm ait, quomodo tu Platonicorum potius quàm Dionysij rationem sequi me dicis, cùm nec Dionysium nec Platonicos, vt magna etiam voce gloriaris, vnquā legeris: At scias idē esse apud Platonicos Dei typū esse vnitatē: & apud Dionysium Deum vnicè omnia expeditiorem solutionem, non posset quispiā rectè desiderare: nam cū Dei typū esse vnitatem dicitur ad similitudinē & modum: cùm verò fertur Deum vnicè esse omnia ad substantiam referendum est, quæ tamen esse eadem penitùs asseueratum est, quin etiam apud Gręcam linguam, quam ille probè nouerat, abstractum & concretum significari quandoq; potest eadem voce.

Ad quintæ dubitationis tuæ solutionem afferendam, non opus est multis. Ait ille, si *Deus non esset & aurum esset, esset aurum & non esset aurum.* Tu addis hæc verba, *igitur esset aurum.* quòd si diffinitio veri constat, erit verum nulli quadrans idææ. Adde obsecro & hæc paucula, quæ scilicet ex eius verbis sequi dixit, & agnosces quomodo erit verum nulli quadrans idææ. Quid inquam? impossibile scilicet impossibile

 parit,

parit,& ideò non mirum est, si ex propositione tua impossibili sequi facias quicquid volueris: Nam si Deus non esset & aurum esset, erit verum nulli quadrans idææ,cùm ex impossibili gignatur impossibile: his non solùm dialectici,sed etiam theologi adstipulantur. Si enim Ioannem de Bachone Carmelitam interroges, an fieri possit, vt aurum sit & Deus non sit, in primo sententiarum respondebit tibi, non aliquam omnino rem qualiscunq; ea sit, intelligi posse, nisi priùs Deus intelligatur. Cùm autem de intellectu cunctarum rerum sit, colliges tu an extra omnem controuersiam etiam apud nouitios dialecticos pronunciari possit, aurum esse & Deum non esse fore impossibile. Sed de hoc iterum in calce operis verba faciemus, si Cardinalem Cameracensem postea consulueris, audies hominem in omni etiam philosophia exercitatum in primo commentariorum in sententias dicentem, ex quolibet impossibili contradictionem sequi.

Sexto loco dixisti: *Si neq; verum, neq; falsum esset sedere Socratē, quod ille asseruerat, eò q necessarium nō esset defendere te posse, nō in quolibet negationem verā esse vel affirmationem, cùm in quolibet aut vna, aut altera necessariam nō habeat veritatem:* Quam obiectionem soluentes respondemus: orationē hanc, Socratem, scilicet, sedere, veritatem aut falsitatem quantū de se est, sibi non necessariò determinare, nec propterea sequi de quolibet affirmationē veram non esse vel negationem: verumtamen si eo modo quo ipse docet, intelligis, negare etiam poteris in quolibet, sic affirmationem & negationē veram esse, vt altera pars necessariò vera sit: ait enim me sedere, aut verū aut falsum semper est: quia semper ego aut sedeo aut non sedeo, & quod dicitur me sedere, nec verum nec falsum, hoc est, propositionem hāc ex se sibi, nec veritatē nec falsitatē determinare: quod faciunt propositiones necessariæ. Sed cùm fieri possit vt & sit vera, cùm scilicet sedeo, & sit falsa cùm non sedeo, ex seipsa ad vtrunq; indeterminata est.

Præterea aduersus nōnulla eius verba de bono & malo, vero & falso, quæ in rebus & anima fore protulerat, instas hoc modo: *Si bonū & malū sunt in rebus, verū & falsum in anima vbi est, tua affirmationis & negationis oppositio. Negatio enim nihil ponit, quomodo etiam Chimæra in rebus est & anima: si est omnino nō ens & falsa, cùm nō ens, & malū mutuò conuerti putes.* Sed oro attendas animaduertasq; malum & bonū ea ratione, in rebus etiam pronunciari, quia attendatur circa res, quomodo verū & falsum circa animam: non est enim verum & falsum in rebus, vt scribit Aristoteles, vj. primæ Philosophiæ libro, sed in mente, nec propterea sequatur necesse est, vt res quæ omnino mala est, res vera sit, verū etiam illud & falsum, de quibus eo loci mentionē facit Aristoteles, complexa sunt: nec item sequitur si bonū & malum in rebus sint, ob id ea opponi nō posse contradictoriè: quia malū quod in rebus esse pronunciatur, nō ideò dicitur in rebus fore, vt illud aliquā esse rem intelligatur, sed quia attenditur consideraturq; circa res ipsas, hoc est, in quantum res perfectionibus priuat, & vt nō bona sint, efficit. Chimęra verò ipsa in rebus non est, quia omnino non ens est & omnino mala: tamen si fieri posset à natura, vt esset res, esset & bona, falsa autem est quatenus nihil omnino existens, & nulli quadrans idææ: nec etiam eam in anima esse affirmamus, sed ipsi Chimæræ notionem, quæ vt res quædam est, bona est & vera, falsa verò quatenus Chimæram repræsentat, cùm ipsa Chimæra, & nihil sit & mala.

Probare post hęc credidisti cæcitatē esse verā, quod ille negauerat, & si cæcitatē esse cęcitatē verū esse, nec esset inficiatus nec concessisset. Sed ea lōgè diuersa esse dixisset: huncq; in modū argumētatus es: *Si cæcitatē esse cæcitatē verum est, & quis nō videat cæcitatem esse verā: idē enim sunt: sola enim cæcitate posita, ponitur hoc quod est, cæcitatē esse cæcitatē & ablata aufertur. Vnde eadē ratione Socrates, & Socratē esse Socratē, idē est, & eadē generatione vtrunq; generatur, & per se Deus quoq;, & Deū esse Deū, idē, vtrunq; enim æternū & prima veritas.* Ego verò, mi Antoni, contrà contēdo, quæq; eadē esse affirmas inficior: nam vno eorū quem tu affers posito, non ponitur reliquum necessariò: nam sola cęcitate posita nullo intellectu cōsiderante cæcitas quidē erit, non tamen erit, hoc quod est cæcitatem esse cæcitatē: quapropter etiam soluitur argumentū de Deo, & de generatione Socratis: nam Socrates per se generatur, nō hoc quod est Socratē esse Socratem, cū complexa non generentur. Licet quoq; tibi condonarem ea esse idem, adhuc non sequi dicimus, quod colligebas ob diuersum modū significandi, complexæ scilicet & incomplexæ, cùm nullius sanè valoris esset hæc argumētatio, cæcitas & cæcitatem esse

tem esse cæcitatem, sunt idem, sed hoc est verum, igitur & illud quia pari pacto sequeretur, hoc est, complexum, igitur & illud: quod absurdum est, cùm cæcitas nomen sit simplex non complexũ aut enũciatio aliqua aliud, igitur est cæcitatem esse verã, aliud cęcitatem esse cęcitatẽ, verum esse. Et quanquã hęc pro patrui defensione sufficerent, attamẽ ne credas plures tutandi propugnãdiq; modos deesse, vtq; absolutior veniat ad te responsio, scias velim iuxta Gregorij Ariminensis sentẽtiam dicere me potuisse, & si sola cæcitate posita poneretur, hoc quod est cæcitatem esse cæcitatem, non propterea corrogari colligiq; necessariò ea esse idem: negat enim hanc consequentiam, & multas huiusmodi omni alio à Deo circumscripto Deus est, ergo Deus est Deum esse. Cardinalis quoq; Cameracẽsis negat omnes orationes in quibus aliquid enunciatur, de oratione infinitiua significatiuè accepta, easq; & falsas asserit & incongruas, quod in suo primo Sententiarum libro videre licet.

Conquereris deinde, falsum cum hac conditione diuisum non debuisse pronunciari, hoc est, quamdiu falsum est, idq; hisce verbis enarras: *Si falsum omne simpliciter diuisum est, quod probatum esse non negas, dici non potuit falsum quidam, cum hac solùm conditione diuisum esse, hoc est, quamdiu falsum. Si enim omnis homo simpliciter, & absolutè est risibilis, conditionem nõ oportet adiungere qua restringas dicens: omnis homo est risibilis quandiu est homo, nec propterea restrictio debuit adiungi, quòd non omnia falsa sunt æqualiter diuisa aut falsa: nec enim omnia entia sunt æqualiter bona, absolutè tamẽ bona sunt omnia.* Sed diligenter eius verba perpẽde, quibus poteris omnẽ scrupulũ, & dubitationẽ abijcere. Ait ille, *omne falsum diuisum, nec omne falsum ex æquo falsum: quia non omne falsum ex æquo diuisum, cùm æquè falsa non sint, quæ non sunt necessariò, & semper falsa, & ea quæ semper & necessariò falsa sunt:* Rectè igitur Antoni dictio illa quamdiu adiecta est, propterea, quæ non semper & necessariò falsa sunt quæ falsa: & si vera fieri vniriq; possunt, vel naturæ vel artificis opera, quod & tu in secundis obiectionibus dixisti: veruntamen quamdiu diuisa, tamdiu falsa: semper verò falsa sunt ea, quæ nunquàm in amicitiam redire possunt, vt in secundarum responsione obiectionum abundè visitur, nec similitudo de entibus, & de risibilitate tibi impendio suffragãtur. Nam entia sunt semper, & absolutè bona, licetq; non sint æqualiter bona, aliaq; alijs magis boni rationẽ participent, tamen semper & necessariò sunt bona: quatenus enim entia, eatenus bona, nec possunt fieri non entia & non bona, nisi redigantur in nihilum. Sed potest commodè de falso, & diuiso quod in complexione consistit, non diuisum & verum fieri: similitudo ergo non quadrat. Nam licet non omnia falsa ęqualiter diuisa, attamẽ quatenus falsa, & non vnita & non vera sunt. Adde quòd parùm turbare nos debuit hæc obiectio, quis enim ambiget pronunciari posse hominem (qui absolutè & semper risibilis est) cum hac conditione risibilem fore quamdiu est homo: an improbabitur hæc loquutio à viris doctis homo tamdiu risibilis est, quamdiu homo est.

Decimum obiectionum tuarum caput nihil aliud cõtra eum affert, nisi facilè constare potuisse quod dixisti, *si ratio contrariorum motuum satis ei fuisset intellecta*, at ille nisi excidit conquestus est te non probasse, quod totiens sequi dixisti, scilicet, ex contrarietate prosequendi, & fugiendi contrarietatem boni & mali inferri inquiens: nam si bonum qua ratione bonum sit expetendum malumq; fugiẽdum, sintq; fugere & appetere contraria, quomodo ex hoc sequi probas bonum malumque esse contraria, hoc est quod tibi probandum est, ad quod tamen probandum neq; vllum vnquam verbum fecisti, neque nunc facis: hæc ille negans, scilicet, formam argumentationis tuæ, & hac fortasse de causa cùm appetere ipsum, & fugere non sint propriè motus contrarij, ex quibus contrarios esse terminos colligi possit, & etiam ab ipso Aristotele mutationum aliqua contrarietas assignetur, sexto Physicæ auscultationis libro, quorum contrarij non sint termini, sed contradictorij ens scilicet, & non ens quando generatio ab non ente ad ens proficiscatur, corruptio ab ente in non ens procumbat. Tu verò hanc iterum contrarietatem boni & mali pertractasti, nec aliam adduxisti probationem: rationem porrò contrariorum motuum diligenter illum prospexisse, etiam ab ipsis, vt aiunt, vnguiculis nõ ambigas, quinimò sæpiùs nõ modò tuas aduersus eum de hac contrarietate rationes propulsauit, sed etiam contra te egit quando in secunda epistola deduxit hanc tuam probationem, non solùm inferre malum, & bonum esse contraria, sed contradictoria esse contraria: secundò

cùm

cùm tela tua in te retorsit hoc modo: bonum & malum secundùm te sunt contraria, & vtrunq; contrariorum est aliquid positiuum, & secundùm te non ens est bonum, ergo secundùm te non ens est aliquid positiuum, & aliquid & ens conuertuntur, ergo secundùm te non ens est aliquid positiuum.

Cùm in tertia dixisses epistola, refugere eum ad Simplicium, relictis Latinis interpretibus, quantum ad oppositionem boni & mali pertineret, respondit ille quasi mirabundus: *cur tu qui Boëtianus esse soleres, & Barbarorum irrisor eos tunc rideres, qui posthabitis Latinis interpretibus Græcos sequebantur interpretes*, vel commodissimè innuens te sentire perperam si Græcos Philosophos magnifaciendos non esse duceres: quos Boëtius, quem magno habes in pretio, summo in honore semper habuisset, hisq; & præceptoribus & ducibus vsus esset, quibus replicas rem nõ esse admiratione dignã quamuis dixeris, Latinos non negare Aristotelẽ, quem Simplicius nõ negat, &c. Sed mihi nõ videtur Simplicium negare Aristotelem, cùm rectè interpretetur, nec apparet Latinos interpretes euariare ab Simplicij sententia, quando eam tota mẽte complectantur, & exequantur operibus: si demiratus est negatum à te Latinos expositores Simplicium non sequi, in maiorem fortè stuporem incidisset: si te Latinos nõ negare Aristot. quẽ negaret Simplicius, protulisse intellexisset. Porrò Simplicius quiq; illum sunt sequuti, Aristotelis mentem planè elucidãt, cùm ea ratione bonum & malum contraria esse dixerit, quòd alterum contrariorũ semper habeat rationem, mali & deficientiæ: quocirca primo Physicæ auscultationis libro cõtraria semper secundũ melioris peiorisq; inuicẽ rationẽ comparari tradidit, Pythagoreos etiã imitatus, qui duos rerũ ordines statuêre, quorũ alter sub bono, alter sub malo contineretur, vsusq; sit in ratiocinatiuis libris frequenter externis exemplis, hanc expositionẽ, vt inquit ille Thomas tuus, non solùm Latinos, sed & inter Latinos præcipuus, non solùm refert, sed & probat, cui etiam nos Egidium in secundo Sententiarum, & alios multos, Burleum scilicet, & Esculanum idẽ sentientes annumeramus, quinetiam & Ioan. Scotus cathegorias Aristotelis exponens adstipulatur huic nostræ sententiæ, inquiens: si bonum accipiatur prout cũ ente conuertitur, malum esse nihil, & sic bono nõ esse contrarium: cùm enim vtrunq; contrariorũ extra controuersiã sit aliquid positiuum, necesse est, vt quod nihil sit in rerum natura, quale est malum, contrarium esse pronunciari nõ possit: & licet malum tu nihil esse negaueris ad Thomam prouocans, ipseq; opinioni tuæ non modò non suffragetur, sed & abundè refragetur, quòd etiã patruus in margine tertię epistolę satis ostendit, ab re tamen fore non putamus vel pauca obiter, etiam & in transcursu pro patrui opinione perstringere monstrareq;, non solùm Thomam in ea opinione fuisse, vt malum esset nihil: Sed cateruatim plures Philosophos & Theologos illustres in hanc sententiam pedibus manibusq; descendisse. Augustinum inuenimus de moribus Manichęorum disserẽtem dixisse, nullam naturam esse malum, pauloq; pòst ne quid prõ natura intellexisset foret ambiguum, subiunxit: & ipsa natura nihil est aliud quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Vidimus Egidium Romanum in primo commentariorum libro in patrum sententias scriptum reliquisse, malum secundùm quod malum puram esse priuationem & non aliquid, eoq; modo esse aliquid pronũciari posse, quo & ipsum nihil aliquid esse dici potest, quando vtraq; possint nomine aliquo nominari: In secundo quoque earundem commentationũ libro malum nõ habere, vt eius verbis vtar quidditatẽ, ob idq; non posse responderi quæstioni quid est, affirmat, nihilq; aliud de ipso esse quàm nomen: verbaq; itidẽ Aristotelis de mali & boni oppositione, iuxta patrui mẽtẽ interpretatur, dogmatisq; Simplicij & aliorum proborũ Aristotelis interpretũ: consentit ea, scilicet, propria non esse genera pronuncians, sed aliorum contrariorum propiùs genera dici debere, cùm alterum rationem positiui habeat, altero non habente, nullumq; contrariorum secundùm se esse non ens, sed aliquam naturam & existentiã: id ipsum Gregorius Ariminensis testatur in cõmentarijs, in secundũ Sententiarum librum, malũ scilicet ipsum non esse aliquam, vt ipsius vtar sermone, entitatem, sed puram priuationẽ: hoc idem sensit perspicacissimi vir ingenij Robertus Holchot, quæstione prima commentariorum suorum in secundum Theologicarum sententiarũ librum, hoc idem pleriq; alij iudicauêre, quos in præsentiarũ adducere, mihi scribenti tibiq; postmodum legenti fastidium fortassis afferret: satis erit quantum ad præsens negotium

negotium attinet hos numerasse potissimùm, cum alijs obiectionibus dissoluendis, de hoc iterum oportuerit verba facere, quando illis in locis de malo mentio sit habita. Sed vt eò redeamus vnde digressi sumus. Boëtium tantùm ex Latinis omnibus cōtra Simplicium & reliquos illustres interpretes citare in iudicium videris: quę si tantùm Latinorum numero dignaris ascribere, is vnus erit ex Latinis expositoribus, non Latinè expositores, qui tuæ opinioni suffragari videbitur. Adde quòd nec ille, si eius mens probè perspiciatur nostræ sententiæ reclamat, cùm quæstionem hanc nec exactè pensiculet, nec vltimo rimetur iudicio, sed solùm quid Aristotelis verba strictè & pressè apprehensa expostulent, declaret, qui mos ei familiarissimus in primis editionibus fuit, opiniones Græcorum interpretum varias, secundæ editioni demandans scrupulosè, & anxiè examinandas.

Cæterùm probasse non modò illū, sed demonstrasse existimo: *quotiensciunq; daretur bonum & malū esse contraria, illicò Chimæram aliquid esse in rerum natura absq; vlla controuersia pronunciari posse*, cuius contra te argumentis hoc tantùm respondes, nō perceptum scilicet ab eo qua ratione, bonum & malū contraria dixeris, nihilq; aliud pro te affers: quapropter nihil & ego aduersus te agam, nisi & vidisse illū & percepisse cuncta, quę scripseras, & cùm collibuit, multa de cōtrarijs dixeras recensuisse: meū enim hoc in negotio consiliū est, vltimas tuas obiectiones in patruum dissoluere, eas verò quibus ipse quoquo modo responderat, silētio præterire: verumtamen si aliquid nō plenè ab eo enucleatum tibi videbitur, quòd à me & optes & expostules aperiri, desiderio tuo satisfacere tentabimus, perque tua argumenta & dissoluendo & respondendo pro viribus vagabimur, non enim minutula quæque verborum tuorum responsione carere iudicauit inconsonum: *fatetur ille in primis literis quædam esse omissa, quibus nihil responsum est, ne in leuibus rebus verba prodigeret quædam leuiter tractata, vt qui philosopho homini res potius indicandas, quàm explicandas duxerit.* Quæ verba sic à te velim interpretari, vt nonnulla quorum controuersiæ notæ, sunt etiam gregarijs philosophis operæprecium nō fuisse, abs te philosopho nobili aduersus celeberrimum, & doctrina & fama hominem adduci, qui de rebus altissimis haberet sermonē, quiq; ad ima hæc discutienda, non sine dispendio conceptorū de rebus difficilimis speculaminum descenderet. De hac tamen tua contrarietate sequenti responsione, cùm de semiplenis priuationibus verba fient, nonnihil dicturi sumus.

Miraris prẹterea, *demiratū illum fuisse semiplenas à te fingi priuationes:* quam rem non tàm eo tēpore quàm postquàm iterū id tentare probasti, in admirationē conuertisse illum existimo (si tamē ab eo vltimæ obiectiones tuæ visę sunt) dixerat ille aduersus te, *malum est nihil, ergo nō est semiplena priuatio.* Tu verò eius argumentū hoc modo prosequeris: *ægritudo mala est, igitur nihil est: nō est igitur semiplena priuatio, est autem priuatio quædam ægritudo, non igitur est vel sanitatis vel boni cuiuspiam semiplena priuatio, sed plena potius & perfecta, quod fieri non potest, imperfectæ igitur priuationes semiplenæ sunt, vt ægritudo raritas, turpitudo cæcitas visus, perfecta boni imperfecta:* hęc tu ad verbū. Ego verò, mi Antoni, liberè dixerim, hæc tua verba vel nihil contra ipsum faciunt, quod vt clariùs videas, ea sigillatim recensebo: Ais primò ex ipsius verbis, *malū est nihil, igitur non est semiplena priuatio.* Rectè ambulas, rursus, *ægritudo mala est, igitur nihil est: nō est igitur semiplena priuatio:* huc vsq; etiā probè ꝓgredieris, quia ægritudo quatenus mala, eatenus nihil: rursum ais: *est autē priuatio quædā ægritudo, non igitur sanitas,* &c. vsq; in finem: quibus verbis falsum, meo iudicio, astruitur, pace tua sit dictum, quod ostendere conabimur. Cęcitas enim nō solùm ꝑfecta visus priuatio est, vt ais, sed etiam boni perfecta priuatio dici potest: quia totū illud bonū aufert, quod nata est, auferre, scilicet, visum, quod nō facit ophthalmia, licet etiam illa bonū quod nata est adimere, perimat: illius verò quod nō est apta perimere, nullatenus priuatio nuncupari possit, siue semiplenam siue plenā dicas: priuatio enim vel absolutè cōsideratur, scilicet, vt habitū in cōmuni respicit, velut ad certū & limitatū entis gen⁹ restringitur, puta ad sanitatē totius corporis, ad oculū, ad pulchritudinem, & cætera id genus: primo modo accepta habitum aliquē particularem non priuat, quia priuatio omnimoda, vt Dionysius inquit, libro de Diuinis nominibus, viribus omnino deficitur: secundo modo sumpta quæ singularis à Dionysio appellatur, distinguente eam cōtra vniuersalem illū, quem respicit habitum, priuat: & hoc modo huiusmodi habitus, cui, scilicet, obesse nata est

priuatio

priuatio plena & non alterius rei semiplena est. Quis enim dicere auderet cæcitatem esse semiplenam priuationem hominis vel alterius boni, quod esset in homine: priuatio igitur absoluta, habitum absolutè, & propria & particularis priuatio proprium & particularem habitum respicit & eius limites non excedit. Quapropter ægritudo plena priuatio est, non semiplena siue toti corpori eam ascribas siue particulari membro: febris enim perfecta priuatio est illius temperaturæ, quam nata est corrumpere ophthalmia: etiam & si non totius boni quod in oculo est, tamen alicuius boni perfecta & propria priuatio est, quia totum illud bonum, quod nata est perimere, perimit quando perfectam oculi sanitatem, visum verò non auferat, & quatenus ophthalmia nihil aliud faciat. Turpitudo etiam quia totum illud bonum quod potest auferre, scilicet, perfectam partium composituram quæ pulchritudo vocatur, adimit, perfecta priuatio est, & sic in reliquis considera. Hoc etiam ex superabundanti dixerimus: cæcitas qua cæcitas, malum est, qua malum, nihil est, qua nihil, non semiplena priuatio, quia si semiplena, aliquid positiui relinqueret, quod non facit malum. Præterea nulla priuatio in se omne bonum priuat actu, ergo omnes priuationes essent semiplenæ priuationes, quod est cōtra te, qui aliquas plenas, aliquas semiplenas esse contendis: connexio optima & necessaria, & quòd assumpsimus, hoc probamus argumento. Cùm nullum bonum vnquàm inueniretur: si totalis quædam & vniuersalis priuatio in rerum natura comperiretur, vt paulò antè ex Dionysij verbis innuimus: malum enim priuat particulare bonum, cùm malum in bono sit, & vniuersale malum vniuersale bonum perimeret, si tamen inueniretur, quod fieri non potest: & sic collige non semiplenas, sed plenas semper propriorum habituum priuationes reperiri.

Decimæquartę obiectioni, quæ plures quæstiones continet, sigillatim respondeo, primoq; non omne malum boni aliquid relinquere, nisi in aliquo intelligas subiecto, quod malum ipsum non respiciat, vel illud subiectum, cuius habitus à malo ipso perimitur, accipias, nec illum oppositum huius, quod tamen ei imponis, & pro hypotæsi aucuparis asseruisse: nam ille malum aliquod inueniri quod omne bonum ab eo natum auferri, tollat penitùs, abundè testatus est, cùm in epistolæ secundæ responsione, te de hoc commonuerit: hunc in modum scribens hoc certè considerare debueras, quod de imperfectis quibusdam malis ex ea quam adhuc retinent, bonitatis admixtione conceditur ad ipsam immixta, absolutamq; mali naturam non esse transferendum: & vt planiùs veritatem percipias, nō pigebit explicare vim distinctionis: Malum bifariam considerari potest, absolutè primò & sub propria ratione mali, hoc est, inquantum nihil: secundò in quantum cuiusdam boni priuatio est, hoc est, particulare malum, & hunc in modum malum acceptum boni aliquid subiectum duntaxat relinquit: quod non facit aliud malum, quod omnino non ens est, & nihil, quale Chimæram dicimus, cùm subiectum aliquod aut habitum non respiciat, & hac de causa omnino malum ab ipso, & absoluta immixtaque mali natura vocitatur: hoc inquam malum quod, vt Dionysij, in libro de Diuinis nominibus, verbis vtar, quia subiecto caret, nullo modo nusquam & nihil existens est. Chimæra verò & si potentia dici bona possit, ob potentiā producēdi ipsam, quæ in Deo est, tamē nec ens, nec bonum denominari potest. Si enim hæc connexio, scilicet, aliquid potētia bonum est, igitur bonū est, virium potens esset, in auctorē illius ictus retorquens: adducere eū putarem, vt fateretur omnia q̄ à Deo creari deberent, non autē vi naturæ fieri, & etiam quę corrupta sunt, aliquid esse, & non esse aliquid. Nam si potentia creantis secūdùm eum & essent & bona essent: igitur & necessariò essent aliquid, cùm aliquid & bonū conuertantur parisq; sint ambitus omnino. Quòd verò aliquid esse non posset, sic argumentabor. Ex nihilo aliquid fieri non potest, antequàm creetur, Chimæra secundùm te nisi creetur, esse non potest: creatur igitur ex nihilo, igitur priusquàm crearetur ex nihilo, non esset aliquid: ob potentiam igitur bonitatis, quæ in creatore est, res absolutè bona denominari non potest, alioquin, vt nostrorum dialecticorum sermone vtar, fallacia secundùm quid ad simpliciter, committeretur. Mitto ea consultò, quæ afferantur contra opinionem illam de æternis (vt ita loquar) quidditatibus & potentia obiectiua, & si illismet rationibus sententia tua infirmari fortè posset: satis fit enim desiderio nostro, si Chimæram dici non posse bonam, probauerimus: adde quòd & Auerroëm in hac parte imitati, dicere possumus, ens in potentia, non esse ens, quando in commentarijs

mentarijs in quartum Metaphysices librum partitione quintadecima dixerit, id quod non est actu, non esse ens. Ad illud quod iungis, scilicet Chimæram ob id ens esse, quia licet illa potentia producendi Chimæram in Deo sit, nihilominus potentiam Dei & Chimeræ esse aliam & aliam ratione. Respõdeo primò, negare me posse, Dei potentiam & Chimæræ producendæ diuersas esse ratione: Secundò licet gratis tibi concederetur potentias, scilicet, illas esse diuersas, adhuc tua ratio quid probaret? cùm Chimæra ens nuncupari nequaquã possit ob potentiam se producendi, quæ in Deo esset, cũ tantum absit, potentiam illam nec Chimæram nec aliquid intrinsecũ Chimæræ enunciari posse, vt etiam distent in infinitum. Addis præterea exclusa potentia Dei & cogitatione nostra Chimæram non esse malam, cùm malum priuatio sit, quæ in subiecto participante bonitatem consistit: cui responsum velim eadem distinctione qua paulò antè, cùm Chimæra subiectum aliquod non respiciat, sed absolutè mala sit, licet eam à nobis conceptam, scilicet, ipsam notionem Chimæræ, quam mẽte gerimus, vt aliquid esse, ita bonam esse: Chimeram verò ipsam nec aliquid esse, nec bonam esse, pronunciare possimus.

Præterea gestire videris non improbatum quod attuleris, solumq; Simplicium id non dicere responsum esse. Item ais non dixisse sentire Aristotelem omne omnino ens vel per se vel per accidens esse, nec Thomę aliquid propterea falsum adscripsisse. Verùm & si tot ab illo quẽ defendimus, hac de re dicta sint, vt à me verba fieri opus non videatur, proposuerimque semel ab eo quoquo modo discussa non retractare, hæc tamen ex superabundanti pro patruo dixerim: Simpliciũ scilicet qui à te sæpiùs in iudicium citatus est, contra te sæpiùs testimonium tulisse, quod patruus non semel in respõsionibus comminiscitur. Rursus scire vellem an defendendũ susceperis, non omne ens, aut per accidens, aut per se esse de mente Aristotelis. Ille enim quinto Primæ philosophiæ libro secat illud ens in ens, per se & per accidens, demũ in substantia & accidens secantur, quæ priori partitionis membro continebantur, cũ illud per se in decem partiatur genera: quorũ vnum est substãtia, reliqua accidentia. Vellẽ ego à te nunc libentissimè doceri, qualénam esset illud ens quod nec per se nec per accidens esset: quòd si fortè diceres, diuisionẽ illam in ens per se & per accidens assignationem esse complexentis, vt in primis obiectionibus prodidisti, respondere non dubitarem, te id ostendere verè non posse, nec aut Aristotelis quapiam sententia, nec ratione idonea tuam opinionẽ fulcire, cũ eo loco Aristoteles ens per se in decẽ partiatur genera, quorum vnũ sit substantia: & nouem accidentia, quæ cõplexa entia fore nemo credit quando aduersum complexa distinguantur: eoque loci Auerrois dicat ens per se diuidi per dictiones significantes genera prædicamentorũ: dictio autẽ non est complexum ens, sexto quoque Metaphysicæ idem Auerrois dicit, primã entis diuisionem esse in per se & per accidens: prima autẽ esse non posset quando eam diuisio complexi entis anteiret, nec apud Thomã reperitur quinto Metaphysicæ libro diuidi ens cõplexum, vt asseruisti. Credi verò non potest cũ ens primò sit partitum in ens per se & per accidens, illudque per se sit in decem genera subpartitum, quæ incomplexa esse ostẽdimus: assignari eo loci diuisionem entis complexi, quando illud quod diuiditur de diuidentibus membris prædicari necesse sit, hæcque ob id & si parùm ad negotium pertineant, dicta sint, cùm nec illud tuum dogma Aristotelicorum interpretum placitis, nec rationi consentaneum primori fronte mihi videatur: quod si fortè contrarium probaueris, gratissimum erit à grauissimo philosopho, qualem te profectò existimo, didicisse nonnihil.

Cæterùm dixit ille, *eatenus malum priuationem esse, quatenus priuatio formaliter erat negatio*, cui aduersaris, inquiens, non constare aliam non esse affirmationis negationisq; oppositionem, aliam priuationis & habitus: nec propterea si malũ esset priuatio boni, malũ & non bonũ conuerti necesse esse: quibus responsum velim, aliam esse priuationis oppositionem, aliam negationis, nec illum oppositũ protulisse: sed propterea etiamnum sequi; quòd si malum bono priuatiuè opponatur, malũ & non bonum conuerti necesse esse. Priuatio enim, vt magnus ait Albertus libro primo Physicæ auscultationis, in quantũ priuatio de se vel per se non est, eò quòd de se habet non esse: quinimò & ab Aristotele asseueratum est in prima Philosophia, priuationes esse de genere non entium, cũ priuatio de se sit alterum extremũ contradictionis: & ideò

HH cùm

cùm malum sit priuatio boni & consequenter non ens, in quantum malum est: malum etiã & non bonũ conuertuntur: malũ enim & nihil, vt probatũ est, idẽ sunt: nihil etiam & non ens idem, non ens item, & non bonum idem: quia ens & bonum idem: Quapropter rectissimè dixit patruus, *negationem eatenus esse priuationem, quatenus priuatio formaliter esset negatio:* nam etsi differant in hoc quòd vna earum scilicet contradictio medium non habet, vt ait Philosophus in libro primo Analiticorũ posteriorum, alia vno modo habeat, cũ fiat simul cum opposito circa idem subiectum, tamen quantum ad propositum attinet, essent idem, cũ priuatio de se negatio sit, & nõ ens, nihilq; ponat, quemadmodum probat Thomas pluribus in locis, potissimũ in tractatu de quatuor oppositis. Si verò non ens mala, si mala non bona: ex quibus corrogare potes malum & non bonum omnino conuerti, & ne credas illustres homines defuisse qui hoc asseruerint. Audi Aristotelem dicentem, bonum dici æqualiter enti. Adde igitur per locum à contradictorijs malum non enti. Audi celebratissimum theologum Anselmum Cantuariorum archiepiscopum libro de Casu diaboli proferentem hęc verba: malum non est aliud quàm non bonum, ex quibus colligitur constantissimè malũ & non bonum se mutuò consequi.

Nullæ decimoseptimo in loco inter te & ipsum controuersiæ fuissent, si diligentiùs libellum ipsum de Ente & Vno animaduertisses, & quæcũq; in ea perscripta sunt, cùm de gradibus illis, deq; ipsa caligine ad quam contemplantibus perueniri datur, mentio fit, ad memoriam reuocasses: vidisses in illis tribus primis gradibus posse de Deo aliquid enunciari, in quarto minimè, ibiq; fenestram intelligentiæ librorũ Dionysij apertam qua commodissimè poteras de hoc commoneri: nam nec negat ille, nec negare posset hanc loquutionem esse veram, Deus est Deus: eo modo quo nos possumus Deum & concipere & enunciare, videlicet in illis primis tribus gradibus constituti: sed tantũ negat vllum prædicatum Dei naturã verè posse explicare, in illo duntaxat quarto gradu caliginis, quod omnes etiã, vt mittam Theologos, philosophi rectè sentientes astruerent. Cũ verò hoc nomen Deus quod prædicati officium gerit, in hac propositione. Deus est Deus, non modò diuinã essentiam & naturã non explicet, & declaret, sed & ab ipsa in infinitũ superetur: illud de Deo affirmari posse negauit, quartũ illum gradum caliginis attendens: Agè ergo verba ipsa examinemus quæ hominis mentẽ testabuntur: postea nonnulla adducemus vt planiùs videatur an Deus & quomodo possit à nobis enunciari: deinde ostendemus tuas argumentationes contra eius verba: etiam vt iacent apprehensa nihil concludere. Dixerat ille, *dici diuersè posse Deus est, Deum item ex sententia Dionysij omni appellatione esse maiorem, etiã appellatione hac Dei, quemadmodũ in libro de Mystica theologia habebatur: dixerat alio in loco cũ per hanc dictionem Deus id tantũ concipis, quod significatur per nomen, dictionem hanc non habere prædicati rationẽ, sed subiecti: quando id esset de quo quæritur, quidnam de eo enunciari posset aut deberet: non aũt illud quod de alio enunciaretur: Quare id neq; Simonidi fuisse ignotũ, aut consulenti eum tyranno, cũ item quæreres si Deus dici Deus non posset, an esset aliud à Deo: quærere à te quid conciperes per hanc dictionem Deus, quam de Deo enunciares, si nihil conciperes, nihil errares, quia nihil diceres. Si aliquid conciperes, dicere Deum aliud esse ab eo quod tu conciperes, & conceptum per hanc dictionem Deus explicares, quoniam supra omne illud esset quod à nobis concipi posset:* hęc ille. Credebam ego patere tibi ex verbis ijs verissimam dubitationũ tuarum super hac re solutionẽ. Tu verò contendis à Dionysio non negari Deum esse Deum: lege oro Dionysium capite vltimo libri de Mystica theologia, & epistolã primam ad Caium, & tibi palã fiet omni appellatione Deũ esse maiorem: lege item eundẽ secundo capite Cœlestis Hierarchiæ, & intelliges diuinũ hominẽ, nos edocere diuinæ veritatis similitudinẽ, substantiam omnẽ, vitamq; transcendere, nullã hanc exprimere lucẽ, omnemq; sermonẽ, omnem mentẽ, atq; rationẽ, absq; vlla cõparatione illius similitudine inferiorẽ: ex quibus mentẽ patrui putârim te posse perpendere, vt, scilicet, eo modo dici verè non possit, Deus est Deus, vt per hoc nomẽ Deus vicẽ prædicati gerens, illud quod per subiectũ conamur concipere, declaretur, non quin aliquo modo posset dici, Deus est Deus, quemadmodũ dicitur, Deus est bonus, Deus est sapiens, & aliæ conceduntur pręedicationes, quibus sacri codices pleni sunt, in quibus quoquo modo de Deo aliquid enunciatur: Sed illius natura non explicatur cũ ab illis conceptibus distet in infinitum, quemadmodum satis

apertè

apertè quinto capite libri de Ente & Vno patruus ille meus edocuit, qui super ijs Dionysij verbis q̄ à Thoma adducũtur veluti arbitrabaris, loquutus nõ est, sed super ijs quæ paulò antè sunt allata. Porrò Damascenus in primo libro sententiarum suæ theologiæ scribit esse quædam affirmatiuè de Deo dicta virtutem superexcellentis negationis habentia, verbi causa: Si tenebras in Deo dicamus, non tenebras intelligimus, sed lucem nõ esse: verùm super lucem, lucemq; esse dicimus, cũ tenebræ absint: quam sententiam doctissimus & deuotissimus Parisiorum cancellarius pertractans, inquit sic: Igitur quicquid de Deo affirmatiuè dicimus, includit negationem aliquã. Et paulò pòst: Propterea dicit Dionysium Deum negare esse ens, sed super ens affirmare. Deum esse sapientem, ait Egidius primo Sententiarum libro, sed nõ eo modo sapientem quo nos intelligimus: vnde dicit hanc esse causam cur Auerrois 12. Metaphysicæ has quas Deo attribuimus prædicationes, ꝓpositionibus mathematicis similes esse pronunciet, quorum more, ea quæ intelligimus, sunt in rebus, sed non eo modo quo intelligimus, cùm lineam quæ est in materia, non ea ratione qua est in materia intelligamus.

Sed quid te multis moror cùm vel paucis veritatis huiusce quam asserimus, te certiorem reddere possum, vt, scilicet, cognoscas quicquid de Deo prædicamus longè aliud quàm concipimus & enunciamus significare. Ait ipsemet Iesus Christus Dei virtus & Dei sapientia & veritas, teste Ioannis Euangelio, *Deus spiritus est*. Ait Dionysius libro de Mystica theologia de Deo verba faciens, ineffabilem Deitatem contẽplans, multaq; illi prædicata quæ nos attribuimus remouens, neq; spiritus est, quantum scire ipsi possumus. Vide igitur nolle Dionysium spiritum eo modo, quo nos spiritum scire possumus de Deo enunciari, perq; vltima verba legentes edocere, verùm fore Deum spiritum esse, vt Christi Euangelio consentiret, & tamen nõ eo modo spiritum esse, quo nos spiritum intelligimus, ne Dei naturam à nobis per aliquod nomen exprimi verè posse crederemus. Quanta verò sit Dionysij authoritas, quantũ ipsius sacratissima dogmata, ab omnibus theologis, qui Parisiorum gymnasia coluerunt, sint elata, laudibus & celebrata, licet putauerim te non latuisse, cùm tamen patruus in responsionibus obiectionum tuarum innuerit te inter disputandum Dionysij dicta non magnopere libenter admisisse: scias velim fidissimum illum Pauli Apostoli in Christi fide discipulum extitisse, cuius ope Deus eum voluit, relictis gentiliũ erroribus, veritatem & agnoscere, & sequi, & martyrij corona pro Christi fide donari, Gregorium de eius doctrina, Martinumque Pontificem in synodo Romæ contra hæreticos celebrata magna dixisse: Damascenum aliosque complures summis eum laudibus extulisse, ab hæreticis eius libros occultatos longo tempore fidelium mentes latuisse, verbumq; fuisse Constantini philosophi, qui omnes eius libros memoriꝫ commendauerat, quòd si à pluribus patribus qui cum hæreticis, & sacrosanctæ catholicæ ecclesiæ hostibus, magna bella pugnârunt, Dionysius habitus fuisset, quàm totius eos & facilimè (quod & tardè & magnis exantlatis laboribus postea ab eisdem factum est) de hostibus fuisse triumphum consequutos.

Cùm verò probare intendis Deum dici posse Deum ob nominis rationem, quæ de nomine prædicatur, dico te frustrà (mi Anthoni) laborare: nam non enuncias aliquid de Deo, sed de hoc nomine Deus: quod vt clariùs intelligatur, latiùs explicabo: nam quærã ego à te, q̃d per Aquã pro ratione nominis designasti, concipias, si nihil cõcipis, nihil erras (vt verbis vtar patrui) Si aliq̃d concipis, q̃ro iterũ si cõcipis, tanquã id de quo aliquid possit enunciari: Si hoc modo sumis, etiã nõ erras, quia iterũ illud, Aqua vicem subiecti nõ prædicati obtinebit. Si cõciperes illud quod de eo enũciatur, longè aberrares, cùm in infinitum ipse Deus maius sit omni eo quòd potes concipere, quẽ etiamnum Platonicus Apuleius in libro de Platonis dogmate indictum appellat, & innominabilem, ipsiusq; Platonis hac de re verba sunt ab ipso Apuleio Latina facta: Deũ quidẽ inuenisse haud facile est, intellexisse impossibile: Omnes itaque de Deo affirmationes improprias esse dicamus, quando quodcunq; non solùm dicere, sed & concipere vellemus, ille in infinitum excedat: quinetiam non modò in hoc ignorationis & miseriæ terreno carcere retenti, sed nec in ipsa Dei fruitione qua perfectè beamur in cœlis constituti comprehendere Deum, sed apprehendere tantum, vt nostrorum theologorum verbis vtar, facultas nobis condonabitur.

Præterea pugnare inuicem has propositiones credis, scilicet, *Deus est supra id quod concipi potest, & aliquid de Deo affirmare nõ potest:* & ais, *sit nominis diffinitio supra id quod concipi, & argumentum militabit.* Sed soluitur, cùm enim dicitur affirmationes de Deo adduci proprias non posse intelligi, datur prædicatum nõ reperiri quod Dei naturã integrè repræsentet: Hæc verò oratio scilicet supra id quod cõcipi potest, nihil aliud significat quàm Deum concipi nõ posse, & quid sit Deus, non posse sciri. Dicunt igitur hæc verba non solùm quid sit Deus, sed nõ posse sciri quid sit. Vim igitur negandi potiùs quàm affirmandi obtinent. Sed licet ibidem vt affirment, ob id tamen argumentum tuum non militabit, alioquin de aliqua re nobis ignota, quã quis scire cuperet ac de eius essentia nos percunctaretur, respondere sciscitanti possemus: est id quod nescimus, quod nõ nouimus, quod adhuc mente nõ concepimus, nec concipere quimus: non videretur satisfactum petitioni illius? vt posset hoc dogmate percepto de re illa affirmatiuè aliquid enunciare, sed negatiuè: nisi fortè quis inueniretur qui posset alijs intimare quid esset illa res, quæ vt penitùs hominibus ignota supraq; captum cogitationum omnium foret, ita nec à seipso aut cognosci aut concipi posset: & Simonides igitur, & consulens eum Tyrannus, nouerant Dei nomen maximum quid repræsentare, & tamen vnus eorum quid esset Deus, scire cupiebat, alter se scire negauit.

Præterea vteris tali connexione: *Deus est supra omne id quod concipi potest, ergo Deus concipi non potest, alioquin ipsum supra seipsum foret, non igitur amari potest, nec coli:* Respõdeo Deum à seipso tantùm, sicuti est, concipi integrè posse, & à nullo alio intellectu: nec propterea sequi, nõ posse aut amari aut coli, concipimus enim tantam esse Deitatem omnipotentia præditam in infinitum creaturas omnifaria virtute superãtem, vt eum nisi ex effectibus non possimus concipere, & hac admiratione excitati concalefactiq; in eius amorem exardescimus, concipimus effectus, & eum esse summũ bonum, & admiramur, & colimus, & amamus: nam cognitis his perfectè quæ fecit De⁹, vt Themistij verbis vtar, in admirationem commendationemq; sui omnium animos atq; ora conuertit. Legimus item nos ea quæ reuelata deitùs sunt & gratia eius præditi fide concipimus, id quod concipi ad plenum natura nõ possumus, super omnia duntaxat illum nos amare oportere, vt tandem fracto huius carnis ænigmate possimus eum sicuti est, summo cum vtriusq; hominis gaudio, quæ nostra est felicitas, contemplari. Rursus ad hoc vt aliquid diligamus, non opus est à nobis illud perfectè aut videri, aut cognosci, aut concipi, sed satis est si eum esse vel esse tale, licet confusè & subobscurè sciamus, & hoc vel ex fide vel ex effectibus, itaq; vel modica cognitione præuia qualiscunq; ea sit, nobis est satis ad talem rem amandam: possumus enim quãlibet rem diligere nisi penitùs eius cognitione careamus: ex his enim quæ nouit animus, discit ignota amare, vt ait Gregorius. Thomas quoq; in prima secundæ probat aliquid posse perfectè amari, & si perfectè non cognoscatur & exemplum de Deo inter alia proponit.


Postremò ais, *tantam esse auri potẽtiam putasse patruum, vt vellemus nollemus vel re vel animo ex necessitate Deum secum traheret.* Sed non tantam esse auri potentiam, mi Anthoni, sed impotẽtiam, opinatũ non modò, sed certiorẽ factũ eum crediderim, vt nec ipsum aut esse aut intelligi posset aurũ, semoto Deo. Et quanquàm te ad Ioannem de Bachone relegare possem, cuius in dissolutione quintæ obiectionis mentionem habuimus, tametsi quando tu patrui argumenta recensens quibus astruerat Deum non esse, & aurum esse, pugnare inuicem, nihil respondere velle dixisti: ne caligare videreris in re luce clariori, monstrare consilium est (etiam fortasse te iudice) fuisse operęprecium vt ea dissoluenda susciperes si valuisses: sin minimè applicare saltem manus operi vel fateri ingenuè eius assertiones veras fuisse. Argumenta patrui hæc sunt quæ mox declarabo: Fieri nõ potest vt aliquid sit si non sit ipsum esse: Deus autẽ est ipsum esse: fieri igitur non potest vt aurum sit, si Deus non sit: præterea si Deus non est, igitur infinitum est, si infinitũ est, nihil est, quoniã si infinitũ est, finitum non est: quoniã infinitum seipsum perimit: quemadmodũ & alia quæ contradictionẽ claudunt. Si nihil est, aurum nõ est: fieri non potest vt aliquid sit, si non sit ipsum esse, Deus autem, &c. Cum ipsum esse quod Deus est (vt nemo diffitetur) non sit, cuius participatu nõ modò omnia sunt quæ sunt. Sed ab eo dependent & momentis omnibus conseruantur,

non

non modò vt omnes theologi, præsertim Thomas copiosissimè docent, sed etiam vt à Platone in Timæo asseueratum est, impossibile est aurum esse, quod ipsius esse gratia ipsiusq; participatione existit. Præterea si Deus non est, igitur infinitum est. Entia omnia præter Deum finita sunt certisq; terminis contenta, hancq; quã habet limitatã naturam Dei opere & gratia habere possidereq; haud dubium est: quamobrem Platonem aiunt eius sectatores Deum in Philebo terminum vocasse, quia formis quasi mensuris passim distributis omnia terminaret. Sed & ait Sapientię liber, *omnia in pondere, numero & mẽsura ab eo cõstituta.* Si igitur Deus nõ sit, cuius causa omnia entia sunt finita, nihil erit finitũ, igitur infinitũ: Si infinitũ est, nihil est, quoniã si infinitũ est, finitũ non est: quoniam infinitũ seipsum perimit, quemadmodũ & alia quæ contradictionẽ claudunt, cùm probatum sit, vnum aliquod esse à quo cuncta esse accipiunt, & esse finitum eo semoto, nihil est, nihilq; finitum: si enim infinitum est: hoc est, nõ terminatũ finitumq; ab illo primo, cuius ope & sunt & finiuntur cuncta terminanturq;, sequitur infinitum non esse: Idcirco infinitum seipsum perimit, cũ nihil aliud sit dictu infinitũ esse, eo scilicet modo quo acceptum est, quàm nihil esse: nam si nec finitum sit, nec Deus, extra controuersiam est, nihil omnino esse. Hæc sunt, Anthoni, quæ pro patrui aperienda sententia protuli, quæ fortè & alia continẽt dogmata, nõ enim omniũ est assequi quæ ille conceperat: sed quod & alios etiam sub verborum cortice latuisse sensus existimem, illius me hęc verba mouent, quibus responsionem terminauit: hæc scilicet satis credo esse tibi homini quantumuis ingenioso, sed inaccessa deseramus & teneamus quæ interpretis officio fungendo scripsimus, quæ cũ satisfaciant, meam quoq; claudent responsionem, adductis prius quibusdam, quæ & patrui sententiam roborant & meam in eius verba, quam antè protulimus, interpretationem cõfirmant, pariter atq; elucidãt. Nam deficiẽte primo, necesse est omnia illa, quæ ab eo prodeũt, interire, vt ex Aristotelis octauo Physicę auscultationis libro colligitur. Deus autem, teste eodem philosopho, est primum verum, à quo sunt omnia, alia vera ergo sublato Deo omnia vera perire necessarium est, sed si vera tendunt in nihilum, entia pariter ab interitu non vindicantur, cum æquali ambitu commeent.

Item ammoto illo qui rebus & esse communicat & viuere quis perituras easmet res omnino non videat. Deum autem id rebus ipsis condonare, sententia est Aristotelis primo libro de Cœlo, qui addit etiam quibusdã clariùs, quibusdam obscuriùs esse illud communicari. Præterea quicquid regitur ab arte primæ causæ, pereunte illa procumbit: Totam verò hanc machinam à prima gubernari regiq; causa, testatur Auerrois in secundo primæ Philosophiæ libro, sub qua & aurum contineri comprehẽdiq; nemo potest ambigere. Plura alia possem in medium afferre, ex sacris codicibus, vt multa de ipso Euangelio, multa ex Apostoli Pauli sacratissimis dogmatis, plurima ex alijs, vt ex Gregorio, qui cuncta dixit in nihilũ decidere, nisi ab omnipotenti Deo conseruarentur, ab Augustino super Genesim, & ex S. Thomæ, & à Ioanne Scoto in tractatu de primo Principio, quæ tamen consultò prætereo, quando probasse id naturalibus rationibus, quas exposcere omnino videbaris, philosophorumq; gentiliũ documentis sat sit, quod probari posse ab eo nequaquam credidisti. His igitur omnibus quæ præfati sumus, putauerim bonis ingenijs extra controuersiam futurũ omnes patrui opiniones satis fuisse defensas, etiam fortasse te iudice. Hæc tamen scripsimus non vt tecum cõfligeremus, scripsimus etiam inuitè quod & Ioannes Mainardus noster & Christophorus Saxolus Mirandulanus ciuis noster & medicus atq; tuus olim auditor, testari possent: scripsimus quoq; citra odium, cuius tibi argumentum maximum esse potest, cùm si quid honori tuo vel aliqua ex parte detrahens chartis traditũ iudicaueris, tuo illud arbitratu, priusquàm ad aliorum manus responsio perueniat, dispuncturus dempturusq; sim: & quidem perlubentur cùm te vt hominem diligam, vt philosophum obseruem, vt Christianum colam, quod si mei erga te animi periculnm facere collibuerit, verbis facta præponderasse percipies.

FINIS.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDULAE DE IMAGINATIONE, LIBER.

SACRATISSIMO CAESARI MAXIMILIANO ROMANORUM REGI AUGUSTISSIMO,

Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ dominus, Concordiæq; Comes.



CRIBIT Eusebius Pamphilus, summe Regum Maximiliane Auguste, viderî sibi Gentium philosophos, si aut inter se, aut cùm alijs compararet, claros illos quidem viros fuisse, si verò eos ipsos Philosophis, Theologisq; cõferret, qui veri Dei cultui vacassent, inanes, & friuolos: Sic mihi de te fari liceat, Augustissime Cæsar. Visi enim summa & æstimatione & gloria digni multi, qui hunc, quem tu felicissimè insides Romani imperij thronum, conscendere, si vel inter sese, vel alijs cũ regibus diuersarum gentium, & nationum conferantur: tecum autem collatî (absit tàm instituto meo, quàm à castissimis tuis auribus adulatio) subsidere gradus, nõ parùm multos conspicientur: Tantus enim & sublimis adeò tuarum virtutum cumulus, vt vetustorũ seculorum gloriam, & antiquitatis illius, vndequaq; laudatæ famã superaueris. Vt enim præteream quæ penè puer aduersus contumaces gentes & rebelles populos, non per legatos, sed per teipsum gesseris, fusosq; & fugatos potentissimos hostium exercitus, captas vrbes detriumphata prælia. Vt item decora pacis taceam cũ bellicis certantia, quanta se mihi offert seges scribendiq; materia, si ad acumen ingenij, corporis robur, rerum, linguarumq; peritiam, si ad prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, clementiam, pietatem, reliquasq; in homine raras, in principe rarissimas virtutes me conuerto: Quas Dei maximi optimi munere cumulatè adeò possides, vt tecum natæ, alitæ, imò in alios à te mutuò profectæ videantur. Sed dabitur olim fortasse (vt est in votis) tantillum otij, atq; quietis, vt prosequi latiùs ista, diligentiusq; pro virili possim, futura posteritati in exemplum & profutura. Fecerunt olim virtutes istæ tuæ, magnanime Cæsar, me tibi eò deuinctum, vt nihil antiquius, optabiliusq; mihi in rebus humanis contingere posse arbitrarer, quàm tuæ Maiestati in re aliqua vel belli, vel pacis, vel vtriusq; gratificari. Tanta autem proposito huic meo accessio facta est, ob ea, quæ in me, parum alioqui nisi ex fide meritum, beneficia contulisti, vt ex ipso desiderio quædam propè necessitas suborta sit. Quapropter cùm ad præsens se mihi nil offerat, te dignum existimans, tamen nouarum lucubrationum, qualescunq; illæ sint, dicationem tibi non ingratam fore, librum hunc nostrum, & ad te mittere, & sub tuo nomine publicare voluimus: rati & futurum id apud te non solùm fidei nostræ, & obseruantiæ testimonium, sed & pignus cudendi in tuo nomine, sed & rerum tuarum, vti maiora, ita & meliora. Namq; inter tot fragores armorum, & tumultantis Italiæ strepitus, curasq; à meis finibus arcendorum quoquo modo hostium, suffurati nonnihil otij sumus, vt hæc nostra de Imaginatione meditata cõscriberemus, futura fortasse lectoribus (si qui erunt) non inutilia, nisi & ipsa nos imaginatio nostra fefellerit. Reliquum est, maxime Cæsar, qua te fide, & pietate possum, deprecer, vt sanctissimum illud propositum tuum vindicandæ in pristinam libertatem Christianæ reipublicæ, quàm citiùs fieri posit, adimpleas. Concutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & IESU CHRISTI Domini nostri sanguine circumseptum, & consecratum ouile peius multò perpessum est, indiesq; patitur à lupis sub ouina, quàm sub propria, pelle grassantibus. Agè igitur iam, Cæsar optime, & excitis qua ratione potes Christianis regibus, Te Christo regum omnium regi, oues suas tàm ab hostibus, quàm à perfidis pastoribus iam iam liberaturo, fidum ministrum exhibe.

Mirandulæ, Calendis Decemb. Anno ab Christi incarnatione millesimo quingentesimo.

IOAN-



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, CONCORDIAEQVE COMITIS,

De Imaginatione, LIBER.

CAP. I.

DE IMAGINATIONIS NOMINE, ET QVOD variè appellata est, & quas ob causas.



CRIPTVRIS nobis de Imaginatione, id recto ordine discutiendũ occurrit, quid hoc ipso Imaginationis nomine significetur, vt faciliùs commodiusq; de eius essentia, & proprietatibus, vitijsq; & remedijs disseramus. Ea igitur animæ vis, quam Græci φαντασίαν nuncupant, Latinè imaginatio dicitur, idq; nomen de officio sortita est, ex imaginibus scilicet quas concipit, & effingit in sese. In eam nanq; aduehũtur per quinque exteriorum sensuum instrumenta, visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, rerum, quæ forinsecùs sunt similitudines, speciésve, imaginationũ seges vberrima. Quicquid enim sub sensum cadit, hoc est, corporeum omne, quod cerni, quódve vllo sensu sentiri potest, similitudinem, atq; imaginem sui, quantum potest, effundit, ad imaginationem incorporeæ spiritalisq; naturæ, quæ vires suas inferiori mundo communicat, ad imitationẽ ipsius Dei, qui bonitate sua infinita longè, lateq; diffusa, condidit, & conseruat vniuersa. Bonitatis enim proprium communicare se, nec aliam reddidit Plato rationem, cur Deus mundum condidisset, nisi quia bonus erat: sed de his hactenus, quandoquidem non eorum hic locus. Quoniam autem de sensu phantasia proficiscitur, vt mox explicabitur, visusq; sensuum omnium præcipuus est, ob id vis hæc animæ apud Græcos, Aristotele autore, phantasiæ nomen, de lucis videlicet argumento obtinuit, sine qua videre non est. Phantasia siquidẽ, vt Suidas refert, quasi φαοστασία, est enim, inquit, phantasia τ῀ φανθέντων, στάσις ἐκ διανοίας ἢ αἰσθήσεως: nostra autem potestatis huius nomenclatura tàm potestatem ipsam denotat, quàm eius actum, quem solùm Græcorum nuncupatio videtur significare. Ea ipsa à Platone quandoq; pictura appellata est, idq; propterea crediderim, quòd in eius sensorio pingantur rerum species, afformenturq́ue effigies variæ, proq; voto fabricentur, non secus, ac varias, difformesque rerum formas pictores delineent.

CAP. II.

QVOD VARIA DE IMAGINATIONIS NATVRA, à philosophis scripta sunt: Item differre eam à sensu, opinione, ratione, intellectioneq́;.



E ipsius autem imaginationis natura veteres olim scriptores non consenserunt. Eorum enim perpauci inter eam, atque alias animæ vires discrimen posuêre. Nam & Homerus, & Empedocles, alijque, non modò ab imaginatione sensum non dirimebant, sed ne à mente quidem, atque intellectu, qui imaginatiua potestate sublimior multò, altiorque est, quàm inferior sit sensus vi phantastica. Plato verò (quod ei Themistius, alijque Græci, & Arabes philosophi adscribunt) eam non sensum modò, sed sensus etiam opinionisque complexionem arbitratus est esse. His verò omnibus Aristoteles, quique eum secuti, refragantur exquisitissimis speculationibus decernentes, differre imaginationem à sensu, opinioneque, atque ab intellectualis animæ potestatibus, vtpote quæ propriam in animali sedem, propriasq; functiones sortiatur. Sensus enim si propriè sensilis species per instrumenta quæ affecta, aut læsa non sint, interstitio iusto in se suscipiat, verus est. Imaginatio verò vana plurimùm, & oberrans, cuius componendæ gratia instans commentandi negocium suscepimus. Et ille quidem præsentibus

duntaxat sensilibus fit, à quibus, scilicet, excitatur, exurgitq; & euadit actu, qui priùs potentia quiescebat: hæc verò abdicata etiam, & remota re sensili munus obit suum. Quinimò ea non modò, quæ fuêre, iam concipit, sed quæ futura aut suspicatur, aut credit, & quæ etiam à parente natura gigni non posse præsumit, quorum nihil ad sensum, cuius partes apprehendere, retentareque præsentium rerum similitudines: In somnijs præterea imaginamur, non autem sentimus. Ad hæc qui excæcati sunt per imaginationem, colores, per sensum autem vtpote capti oculis minimè percipiunt. Animalia sine phantasia nonnulla, sine sensu nulla, visuntur. Rursus cùm rem quampiam certè sentimus, non dicimus eam nobis videri, cùm imaginamur autem, hoc loquendi modo vtimur, quibus liquet sensum ab imaginatione differre: Ab opinione item, rationeque, atque intellectione separari eam facilè, vti arbitror, apparebit, si harum officia per se singillatim examinauerimus. Vtitur anima virtute phantastica ad concipiendum proponendumque intellectui sensibilium tantummodò rerum similitudines: Vtitur ratione ad inquirendum de eis, arbitrandumque, quæ à corporeis etiam sequestrantur: Vtitur intellectu ad contemplanda intelligibilia non à materia modò, sed ab omni materiæ similitudine prorsus abiuncta: Opinatur autem anima, cùm ex contrarijs ratiocinationibus anxia deligit (quanquàm non sine formidine decernendæ falsitatis) in vtram oblatæ stateræ lancem potiùs sibi vergendum sit, vt veri notitiam consequatur. Iam imaginari possumus pro arbitrio etiam quæ non sunt, neque esse possunt: opinari autem, vel scire factu impossibilia, in nostra potestate non est. Cùm terreficum item aliquod opinamur, metu cōcutimur: cùm imaginamur, non magis afficimur, quàm si picturam aliquam horribilem contemplaremur, nisi eam imaginationem opinio consequatur. Brutis demum condonatum à natura est, vt visis, & imaginationibus polleant: Solus ex omnibus animantibus homo ratiocinatur, opinatur, intelligit.

CAP. III.

IN QVO CONVENIAT IMAGINATIO alijs animæ viribus, in quo ab eis dissideat.


SEd enim, quanquàm ab eis, quas memorauimus, animæ potestatibus imaginatio distat, non ea tamen intercapedine disiungitur, vt nihil cum eis habeat commercij, sed eò vsque proxima est, vt ex affinitate alterum sæpè pro altero à philosophis boni nominis desumptum sit. In confinio nanque intellectus & sensus posita est, & medium inter vtrunque locum tenet, & sequitur quidam sensum cuius actu paritur, intellectionem autem antecedit. Cum sensu coit, quia & particularia quemadmodum ille, & corporea & præsentia percipit, præstat illi, quia nullo etiam mouente prodit imagines, nec præsentes modò, verùm & præteritas & futuras, & quæ etiam promi à natura in lucē nequeunt: Consentit ei, quia sensilibus speciebus pro obiectis vtitur. Eum verò præcellit, quoniam eas, quæ à sensu derelictæ sunt, ipso etiam cessante, & sequestrat inuicem pro arbitrio, & copulat, quod fieri à sensu nullo pacto potest. Intellectui conuenit, vtpote quæ libera, vaga, nullique rei peculiariter addicta: præcellitur autem, quoniam sensilia, particulariaque tantùm concipit & effingit, ille præter hæc vniuersalia & intelligibilia, absque omni materiæ contagio defœcata. In fœdus præterea superiorum omnium virium venit, quandoquidem officio eo, quod sibi natura impertijt, frustrarentur imaginatione non suffragante, adminiculanteque: neque enim aut opinari, aut scire, aut intelligere anima corpori alligata quicquam posset, nisi ei phantasia species ipsas identidem ministraret.

CAP. IIII.

QVID SIT IMAGINATIO: ITEM DE QVAE-stionibus nonnullis, quæ prætermittuntur, & quam ob causam.



SAtis iam, vt puto, quãtum ad præsens attinet negocium, ostensum est quid imaginationis nomine significetur, quid ea cum alijs animæ aut viribus aut actibus, vel commercium habeat, vel dissidium. Quibus verò ea curiosius perquirere mens est, & Aristotelis, & aliorum, qui eo duce, philosophati sunt, commentationes de anima & legendæ & addiscendæ sunt. Hoc etenim loco satisfactum fore putauerim si ex ijs, quæ in medium attulimus descriptiones, definitionesque eius adsciuerimus. Vt sit imaginatio motus is animæ, quem sensus in actu positus parit, sit animæ vis quæ formas promat ex sese, sit omnibus viribus potestas adnata, effingat omnes rerum similitudines, impressionesque virium aliarum transmutet in alias, sit potentia assimilandi cætera ad se ipsam. Quæ aut omnia, aut plurima, cùm à Peripateticis, tum etiam à Platonicis abundè vestigata, & reperta sunt. Sed neque is quæstionis eius discutiendæ locus, quæ plurimos angit, sit'ne imaginatio à memoria, & sensu communi & existimatiua, seu cogitatiua virtute diuersa, vt Thomas & Latini ferè Aristotelis interpretes decreuêre, an potiùs vt alij, præsertim Alexander Aphrodiseus in institutione de Anima, quam è Græca in Latinam linguam Hieronymus Donatus præclaro vir ingenio, & eleganti doctrina cõuertit: & Themistius in libris de Memoria, & de insomnijs voluêre, sit vnica tantùm sensualis animæ potestas, quæ modò sensus communis, modò imaginariæ facultatis, modò memoriæ nomen pro functionum diuersitate obtineat. Prætereunda quoque nobis & illa quæstio est, quæ plurimos torsit, de loco & sede imaginariæ potestatis, siquidem cor ei Aristoteles tribuit, Galenus cerebrum, arabs Auerrois inter vtrosq; medius procedere, imaginandi vim de cordis regia dixit, & in capitis arcem conscendere, inibique sedem sibi, domiciliumque constituere. Sequestrandæ etenim nobis ad pręsens concertationes eiusmodi, tùm ob earum difficultatem (ardua quippe eiusmodi perquisitio: nam cùm ipsa imaginatio interuallum sit incorporeæ, corporeæque naturæ, mediumq;, per quod coniunguntur, difficile est, vt inquit Synesius, naturam eius philosophia comprehendere) tùm quia exactissimè etiam peruestigata, atque comprehensa huiuscemodi veritas plus nimio proposito operi non conduceret. Illud enim quod plurimum habet momenti: imò fundamentum est susceptæ commentationi, pro liquido & confesso apud philosophos & theologos est, haberi animę vim, quæ rerum similitudines, & concipiat & effingat, & discurrenti rationi contemplantiq; intellectui subministret, & seruiat, cui phantasia siue imaginatio nomen sit positum. Pridem enim Auicennæ explosa sententia est, quæ phantasticam vim ab imaginaria diremit, & illa quoque eiusdem à benè audientibus philosophis exibilata, quæ illi potestatem, & efficaciam super naturæ vires tribuebat.

CAP. V.

ANIMALIVM OMNIVM VITAM, ATQVE actiones, magna ex parte imaginationibus regi.



AB hac animæ potestate non brutorum modò animantium actiones, sed & ipsius hominis vita plurimùm pendet. Cùm enim ad operandum moueatur, nemo nisi aut veri, aut apparentis boni consequendi gratia, appetitusque ipse de cognitione pendeat (quî enim fieri potest vt appetamus incognita?) fateri opus est de ipsa notitia, & desiderium potiundæ rei produci, quam bonam credidimus, & vim motiuam, quam voti animal fiat compos, excitari ab eo quodammodo & impelli. Quoniam autem è sensu cognitio proficiscitur, vt ab Aristotele multifariam prolatum est, & continua philosophantium successione receptum, sensusq; ipse rei sensilis specie informatus ad phantasiam statim recurrit, quasique in ea reponit quicquid forinsecùs hauserit, imaginesque ipsæ diutissimè inibi permanent, & perpetuis sensibus similimæ sunt, corrogari

oportet

oportet ex phantasiæ imaginationisve natura animantium omnium operationis deriuari, siquidem bruta, vt mittamus autoritatem Aristotelis in primo Metaphysices libro decernentis, quod memorijs videlicet & imaginationibus viuant, nil ea pręclarius, altiusq; possident. Cùm enim per quinq; exteriora instrumenta, quæ modò sensus apparitores, modò ianitores, modò canaliculi sensilis spiritus appellantur, deprompta, ex rebus sensilibus species ad eam peruenerit, receptui canitur. Homini autem contingit, vt magna ex parte imaginationem sequatur: Quod præter ipsam experientiã, Aristotelis etiam autoritate didicimus. Accidit enim plerunq;, vt eius ratio aut prępediatur morbo, aut somno detineatur, quæ licet obfuscaretur nunquàm, ob id tamen quod necesse est, eum qui ratiocinatur & intelligit, eodem Aristotele autore, phantasmata speculari, fatẽdum nobis actiones nostras de eius potestatis ingenio plurimùm dependere: Per imaginationem enim ad præsens intelligo omnem sensualis animæ interiorem vim, quibuscunque ea nominibus ab alijs censeatur.

CAP. VI.

QVÀM NECESSARIA HOMINI IMAGINATIO, & quod ex ea tùm bona, tùm mala oriri possunt, inibiq; quo pacto, quóve ordine intelligamus.



IMaginationem igitur non temerè, sed consultissimè homini datam existimandum est: Cùm enim ex rationali anima, & corpore constituatur, quasi compaginetur homo, differatque plurimùm à terrena mole corporis spiritalis animæ substantia, ex re fuit, vt extrema medio opportuno coniungerentur, quod vtriusque quodammodo naturam saperet, & per quod suis officijs anima etiam vnita corpori fungeretur. Quid enim cõmercij rationalis pars cum stupida habitura esset, nisi phantasia intermedia, quæ inferiorem naturam & præpararet ei quodammodo, & cognoscendam apponeret? Vbi nanq; imaginatio rerũ species recepit à sensibus, retinet in se, purioresq; effectas offert agenti intellectui, qui suo lumine collustrans, ab eis intelligibiles species abstrahit, quas in intellectum potẽtiæ reponit, qui eis postea informatur, atque perficitur. Est enim rationalis anima, cùm in corpus infunditur, veluti nuda tabula, in qua nihil pictum, nihil delineatum est, quò fit, vt nihil cognoscat ex sese, sed omnem suam notitiã, scientiamque ex sensibus phantasia intermedia nanciscatur. Hoc Aristoteles ipse, & qui eum secuti Parisienses theologi vna voce pronunciârunt: quanquàm Plato & nonnulli etiam Peripatetici aliter sensisse videntur, quorum opinio etiamsi veritate fulciretur, nihil propositæ quæstioni officeret. Nam & si animam notionibus insculptã descendere in corpus Platonici asseuerant, earum tamen obliuisci fatentur, vnde ei necessarium sit sensus, & phantasiæ adminiculum ad reminiscendum. Verùm enimuerò licet necessaria sit Imaginatio, bruta est tamen, & recti iudicij expers, nisi ducatu potentiæ altioris adiuta, cui audiens hominem beat, obaudiens damnat. Nam si voluptatibus quæ sensus illiciunt, & ad inferna pertrahunt, benè consulta restiterit, atq; ad superna contenderit, rebellem sensum quanquàm inuitum & reluctantem eò perducet: sin accingere se virtutis negocio renuerit, sensibus obtemperans, tanta est eius vis, vt & corpus afficiat, & mentem obnubilet, efficiatque demum vt homo hominem exuat, & brutum induat. Qua de re non difficulter affirmare possumus, cùm bona in vniuersum omnia, tùm mala de imaginatione posse deriuari.

CAP. VII.

DE MALIS PLVRIMIS, QVAE DE IMAGINAtione prodeunt.



SEd quoniam hominum vita lubrica, propensaque ad labendum & operandum, atque vt sacræ literæ præmonent, ab adolescentia sua prona est ad malum, fit sæpenumerò, vt quibus vti ad fœlicitatem deberemus, ad infelicitatem & miseriam abutamur. Nam si duce pergeremus lumine nobis congenito, nihil mali ex phantasiæ vitijs aut alijs aut nobis cumularemus, vtpote quam regeremus rationis imperio, non sequeremur, compesceremus errantem,

non præcipitem impelleremus. Qui enim phantasiæ dominari contendit, in ea persistit dignitate, in qua creatus, positusque est, à qua iugiter inuitatur dirigendam esse mentis aciem in bonorum omnium parentem Deum, nec ab adoptione diuina in quam adscitus est, vllo pacto degenerandum. Qui autem incurui sensus, fallacisque imaginationis dicto paret, amissa protinus dignitate, in bruta degenerat: *Comparatus*, vt ait propheta, *iumentis insipientibus, & similis factus illis*. Sed & deterior mihi, atque vilior iumentis ipsis iudicandus homo videtur, qui spreto diuinæ maiestatis ordine, sua ipse malitia obbrutescit. Ad hoc enim factus, eoque positus loco in ipso ordine vniuersi, vt ad superna, ad Deum conscendat, qui descendere mauult ad infima, & quæ partes bestiarum sunt, suæ oblitus dignitatis, obire. Illa quòd bruta sunt, non ex culpa, sed ex propria forma obtinent. Homo autem qui brutum vita, & moribus euadat, ex phantasia habet, quam sibi principem dominamque constituit, ex propria malitia habet, tantò bestijs deterior, quantò diuinæ maiestatis ordinem destruit, atque peruertit in eam, quæ ad se, vti ad finem proximum facta est, naturam degenerans. Iam neque difficile probatu est, errata vniuersa, quæ tàm in ciuili quàm philosophica & Christiana vita contingunt, ex imaginationis vitio principia sumere. Ciuitatis pacem turbat Ambitio, Crudelitas, Iracundia, Auaritia, Libido. Porrò ambitionis parens & alumna est imaginatio parua, quæ præstare cæteris pulchrum ducit, nulla alioquin, aut virtutis, aut stemmatis habita ratione, quibus ij præfulgeant, quos præire honoribus satagit, qui pernicioso ambitu feruet crudelitatem, iram, atque iracundiam, & parit & alit imaginatio ementiti boni, atque fallacis, quod inesse vindictæ arbitratur is, qui feruido sensu, & imaginatione præcipiti fertur in contumelias, & vulnera, & cædes. Et quid aliud inextinguibilem auri sitim excitat? quid libidinis ardorem incendit? (& quæ ob temporis breuitatem vitia reliqua mittimus, in medium profert) quàm deceptrix imaginatio? quæ ratione posthabita, & iniuriam iustitiæ, & libidinem continentiæ, & mansuetudini feritatem, & liberalitati auaritiam, & paci discordiam anteponit. Cæterùm si ad philosophicæ vitæ functiones intuendas conuersi fuerimus, nil minus incommodi videbimus ei à falsis imaginationibus prouenisse. Et sanè cogitanti mihi vnde tàm varia, tàm multiplex opinionum dissensio deriuauerit, quæ à philosophis illis, Thalete, Democrito, Empedocle, Zenone, Pythagora, reliquis, ad nostra vsque tempora defluxit, nihil rationabilius quàm de fallaci imaginatione statuendum occurrit. Nam vt quisque sensu & imaginatione propensus, ita eius de naturalibus, moralibusque iudicium est, nisi ratione moderetur: Hinc corporeæ voluptati primas dabant, qui phantasia corrupta ferebantur: hinc rerum principia atomi, aquæ existimabantur, & quæ in Philosophia cætera monstra visuntur, & ortum hinc & incrementum accepêre. Animæ namque cùm eiusdem speciei, naturæ've sint omnes, earumque intellectus & ratio abiuncta separataque suis in functionibus à corpore sint, tanquàm perpetuum à corruptibili, vt in de Anima libro Aristoteles decernit, prouenire opinionum fallacia ab eis non potest, quod & Plato innuit in Phedone, tametsi luminis innati per quod veritas indicatur, intentio remissioq; proueniat, iuxta eorum sententiam, qui perfectiores alias alijs animas immitti in corpora iudicauêre, secundùm perfectiorem formati corporis ad eas suscipiendas aptitudinem. At hoc nihil ad diuersitatem, contrarietatemque opinionum facit, cùm operationes contrariæ non ex intentione, remissioneque, sed de contrarijs principijs, formis, speciebúsve prodeant. Verùm cum phantasmatibus vti eas necesse sit, dum in corpore manserint, eaque tum tecta, tum distorta, tum obscura, tum lucida, tum læta, tū tristia, & in diuersis hominibus, & in eisdem etiam pro causarum, de quibus mox dicturi sumus, varietate habeantur, fateri opus est, monstrosarum opinionum omnium culpas, & iudicij defectus omnis, phantasiæ vitijs extra omnem aleam adscribendas. Et cùm ex eo, quod quisq; sibi opinione sectandum delegit, ducatur ferè in agendo genus humanum. Corrogare etiam facilè possumus, ea quæ patrantur peccata, de imaginationis vitio plurimùm pullulare. Subinde quoque colligemus Christianā vitam, quæ & in credendo & in operando consistit, ab imaginatione falsa labefactari. Qua etenim ratione probauimus vanas philosophorum opiniones ab imaginationibus falsis prodisse, eadem quoque statim concludimus hæreses ipsas, hoc est, peruersas in

Christiana

Christiana fide opiniones ortum inde accepisse. Cumque itidem deductum sit ex opinionibus falsis, peruersas fluere operationes, eo ipso etiam deducitur peruersas Christianorum operationes ex opinionibus ipsis, quæ de imaginationibus pendẽt, processisse. Sed de his satis: quo & enim pacto & fallatur & varietur imaginatio, & quibus modis eius morbis afferre opem possimus, deinceps exequendum.

CAP. VIII.

VNDE IMAGINATIONVM VARIETAS.


AB his consequens est, vt vestigemus quamobrem falsæ imaginationes in nobis fiant, & quid causæ est, vt in diuersis hominibus diuersæ, atque in eisdem etiam non conformes pro temporum varietate habeantur. Nam vel fieri nullo pacto, vel certè difficulter poterit, vt veritatis normã vitia & defectus imaginationis corrigamus, nisi eorum causas, quæ remoueri scilicet oporteat, medicorum rationalium more perquisitas, exploratasque habuerimus. Diximus antè, opinionum varietatem, eiusque culpas, atque rationalis animæ defectus omnis ab ipsa ratione, & intellectu, qua scilicet intellectus & ratio est, prouenire non posse, sed ab imaginationis vitio deriuari. Cur autem varietur, fallaturque imaginatio, quibusq; modis errata ipsius ad veri orbitam dirigenda sunt, nondum exprompsimus. Imaginationum itaque varietas, præter Deum rerum omnium causam, ab ipsa corporis temperatura, à rebus sensu perceptis, quibus afficimur, ab arbitrio nostro, à bonorum malorumque angelorum ministerio dependet. Primùm primitùs exequamur quemadmodum sanguine, pituita, bile rubra, aut atra abundat quispiam, sic & eius imaginatio, philosophorum, medicorumque testimonio, huiusmodi naturam sectatur, vt pro eorum diuersitate ad diuersas imagines, hilares, torpidas, truculentas, mœstas, extimuletur, à quibus non secus intellectus spiritalis animæ oculus, in cognoscendo variat, atque decipitur, ac corporeus depictis, variegatisque specillis hallucinatur: vtitur namq; illis corpori iunctus ad veritatem contemplandam, veluti hebeti visu oculus specillis vitreis ad rem sensilem intuendam, eoque pacto, quo & oculus ipse decipitur: si enim vitrea specilla diuersis in locis ponantur, per quæ ipsi oculo rei cuiuspiam imago mõstretur, quanquàm ea suapte natura vna est, vnicamque sui similitudinem proferre debet, pro speculorum tamen, aut distortorum, aut interfectorũ varietate, varias sui imagines in oculum imprimit, vtpote quæ aliter à caua superficie, aliter à conuexa, aliter à cæruleo dehonestata, aliter à nigro deturpata reddatur: Itaque & intellectui euenit quòd ei veritas ipsa, quanquàm suapte natura vna est, pura atque impermixta, ob diuersa tamen contrariaque phantasmata, multiplex infecta, permixtaque præsentetur. Qui autem vel temperatura corporis, vel arte & exercitio, vel speciali diuinæ largitatis priuilegio puriora, simplicioraque phantasmata adepti sunt, ij ad percipiendam rerum veritatem aptiores proculdubio sunt. Huc tendere illud de Sapientiæ libro potest: *Sortitus sum animã bonam:* & illud Aristotelis in libro de Anima, molles carne apti sunt mente. Sed & Cicero in libro de Natura deorum secundo declarat, quibusdam regionibus, atq; vrbibus contingere, vt hebetiora sint hominũ ingenia, propter cœli pleniorem naturã: Et alibi, quòd Athenis tenue cœlum, ob idq; eas præclarorũ ingeniorum altrices esse. Variæ itaque imagines, atque eædem sæpenumerò falsæ de vario corporis temperamenta manant, quod à parentibus, à patria, à victus ratione nanciscimur, vti à causis proximis, particularibusque, quibus effectus speciem sortiuntur. Etenim filij eousque parentibus similes euadunt, vt si quispiam prorsus dissimilis reperiatur, Aristoteles in libris de Animalium generatione monstris eum connumerandũ censeat. Regionibus quoq; alijs alias inesse corporum temperaturas conspicimus, quæ de ratione victus etiamnum immutantur: Videmus enim procera, succulenta, viuida, Gallorum & Germanorum corpora, Hispanorum pusilla atque retorrida, Maurorum nigra atq; decocta: in eadem quoq; regione eundem hominem videmus ob exercitia, ob selectos cibos, aliaq; eiusmodi, de macilento pinguem factum, de tristi hilarem, de somnicoloso vigilem, contraq; de pingui, hilari, vigili, macilentum, tristem, atq; torpentem: hæ proximæ & particulares causæ: cœlum autem vniuersalis & remota

remota duntaxat, non autem particularis, vt fabulantur Astrologi, quorum insania, quia satis abundè à Ioanne Pico patruo meo duodecim libris explosa est, non est cur in ea confutanda, reijciendaque plus operæ insumam.

Ab rebus item extrinsecùs occursantibus, quibus afficimur, varias oriri, easdemq; falsas imaginationes in nobis, hinc liquidò constat, quò obiecta sensus identidem mutant, varieq; afficiunt. Cùm enim imaginatio sequatur sensum, ducaturque ab eo, consentaneum est, vt & variato sensu, varietur imaginatio, eoque labente & ipsa labatur. Sensus autem proprium sensilium, quanquàm aut semper verus, aut rarissimè falsus, in ijs tamen quæ subiecta sunt ipsis sensilibus, hoc est, quibus accidunt ipsa sensibilia, fallitur sæpenumeró. Nam tametsi eum, qui accidit hominem, rectè affirmare possumus, aut nigrum, aut candidum, vel Iacobum autē, vel Ioannem, si etiam affirmauerimus, facilimè decipi & errare poterimus. In communibus quoque sensilibus, id est, in eis quæ adnexa proprijs, adnataque sunt, magnitudine, figura, numero, motu, sæpissimè fallimur. Hinc solis magnitudinem bicubitam existimat imaginatio, hinc breuissimo spatio delineatā, vel hominis vel equi similitudinem magna intercapedine contineri pronunciat, hinc plures sub vnica imagine numeros hallucinatur, hinc quiescere quæ etiam moueantur res, contraque moueri, quæ sedentaria quiete torpent, comminiscitur. In vniuersum præterea fallitur, cùm de eo quod ad plures attinet sensus vno duntaxat in iudicium citato sententiam promit. Ab arbitrio etiam nostro pendere imaginationes ipsas, Aristoteles tertio ad Nicomachū libro author est. Boni item & mali angeli, bona & mala formare in nobis phantasmata possunt: à bonis enim magna veræ prophetiæ pars pendet: nam quanquàm intellectum influit quādoq; Deus, quasiq; insculpit futurorū notas, quamuis item rerum imagines forinsecùs oculis ostendantur, quibus aspectis quid portendatur, affulgēte diuino lumine prophetæ dijudicent, nihilominus Sacras literas reuoluentibus nobis, pauca se offerunt eiusmodi prophetis ostensa diuinitùs, comparatione eorum, quæ visione phantastica patefacta sunt. Nam vt mittam prophetæ Amos, & Zacharię, aliorumque veterum libros, qui toti visis imaginarijs scatent, ipsa Apocalypsis Ioannis imaginaria est, quæ totius ecclesiæ decursum ad vsque damnatorum pœnas, & beatorum gloriam amplectitur, & à Luca in actibus Apostolorum visiones imaginariæ nonnullæ describuntur. À malis item angelis pseudoprophetæ fiunt, qui pro veris falsa venditant: & vera interdum nonnulla ferunt, vt vendibiliori superstitione amentium animos irretiant, illuduntque in phantasmatis virorum, fœminarumque, quas Striges vocant, quorum sensus pernitiosissimè perstringunt. Sed & præter futurorum imagines, præsentium etiam & ad vitæ obeunda munera cōducentium à bonis angelis in nobis afformantur: à malis itidem, sed malæ, aut semper, aut sæpè, qui si quandoque suadere bona videantur, id versutissimo astu peragunt, quo si fides eis habeatur, faciliùs postea ludificent, truculentiusque insidentur. Et de his hactenus, nunc ad alia transmeandum.

CAP. IX.

QVOMODO IMAGINATIONIS MORBVS FALSItasq; de corporis temperatura, deq; obiectis sensuum proueniens corrigi, curariq; possit.



VIdimus causas ob quas & variat & fallit imaginatio: nunc quo pacto vitijs eius resistendum est, morbisq; medendum, pro virili explicemus. Quòd vt commodè exequamur, hinc sumere liceat exordium; Phantasiæ morbi, atq; vitia quæ ob temperaturam contingunt, de siccitate nimia, humiditate, caliditate, frigoreq;, eius organi, vel simplicibus vel compositis proueniunt, à quibus veluti seminarijs cuncta ferè imaginationū fallacia pullulat, hinc fit, vt labilis nimiò plus fiat, fluatq;, identidē imaginatio, nec conceptas rerum effigies retentet. Illinc vt plusquā opus sit, figatur, enixeq; adeò inuestigio hæreat, vt ex vno in aliud simulachrum ægrè demigrare possit. Quas ob res errores multi visuntur, tàm ex organi repugnantia, quod aut debitas metas transilit in negocio, aut moras nimias trahit motio, cùm negocio sit opus, quàm quod ex diuersa humo-

rum mixtione modò impensè tristis, modò hilaris plus æquo, modò acer impendio, modò torpens nimiùm homo redditur. Horum causa in temperaturam referenda est, in qua, vt primas simplicésve omittam qualitates, aut sanguis, aut pituita, aut rubra, aut atrabilis exuperet. Sed & ipsi quoque imaginandi vsui accepta referri potest, qui de subiectis sensuum rebus, quæ appellamus obiecta, proficiscitur, id efficitur cùm ex rei cuiuspiam affectu illius spectrum, simulachrúmve obiectis abdicatisque cæteris, conatu magno complectimur. Et dum pluribus intentus animus curiositate nimia modò vnam, modò aliam imaginem, idque crebrò, & impetuosè pertractat, qui de corporis temperatura manant morbi, corporis rebus curandi, & morbi ipsius naturæ contrarijs, vt sicca nimiùm temperatura in humidam, atq; impensè humida in siccam, frigidaque in calidam, & in frigidam calida eatenus inclinet, quatenus ad æqualitatem debitam, medicorum & consilio & ope reducantur. Qui verò de vsu, affectibusque proueniunt, contrarijs item vsibus, affectibusque curandi, si enim in rei cuiuspiam imaginem propensiùs, quàm deceat feramur, abstrahere inde cogitatum quantum possumus debemus, atque aliò flectere: siquidem euenit interdum, vt ex imaginatione plus æquo intenta, eiusque vsu impendio frequenti, syncopim nonnulli perpessi sint, & ad insaniam etiam perducti, idque eis periculosum valdè, qui contemplatiuæ addicti vitæ imaginationi habenas laxant, quibus Ioannes Gerson prudentissimus theologus plurifariam consulit in eis libris, quos inscripsit de Mystica theologia, & in eo cui titulum fecit de passionibus animę, & alibi etiam multa in exempla reuocans: atque inter alia quempiam citans qui ad solum eius libri aspectum, qui climax Græcè dicitur, labebatur in syncopim, ob frequentem nimiò plus rerum earum imaginationem, quæ in eo perscriptæ sunt.

Si verò mobilis multùm & fluxa nimiùm imaginatio fuerit, quærenda nobis erit vnica imago, vel paucæ, circa quas versemur, vt à tumultu illo, atque concursu specierum vario quiescamus. Pari pacto si nimis tristis quispiam, ad hilaritatem, si hilaris nimiùm, ad tristitiam vt vergat curare debet. Si torpeat conari vt excitetur, si excitatus plusquam decet, residere. Quæ autem res illæ, & imagines q̃uæ vnicuique ad istiusmodi obeunda conducant, quoniam decernere difficillimum, quisque sibi eas, aut ex alijs deligat, aut ex se promat, quomodo ád benè, beateq; viuendum faciant. Nobis duæ olim visæ, quarum vna ad amorem, ad timorem altera excitaremur, quæ tribus libris explicauimus, quos de morte Christi & propria cogitanda inscripsimus. Atqui neque malarum duntaxat, sed & omnium imaginationum multitudinem fugiendam. Proclus Platonicus sensuit, ob id quòd falleret impensè atque distraheret: Quod equidem rectè statutum arbitror, nisi dum pro remedio ad eas quispiam confugeret, qui diu enixeque solius cuiusdam imaginis compedes pertulisset. Cæterùm specilla ea cùm distorta, tùm infecta, de quibus superiori capite actum à nobis, in vniuersum deponenda sunt, & recta atque perspicua desumenda, hoc est, nimirum malarumque affectionum habitus exuendi, bonarumque & paucarum induendi: de illis enim imaginatio falsa progreditur, quæ rectum alioquin iudicium infirmat & torquet. Hoc autem in nostra facultate positum est, sicuti & victus ratio & exercitia, quorum ope imaginationum morbis mederi possumus, quæ aut à parentibus, aut à propria malitia contraximus. Conari item debemus, vt sensum tantis persequatur imaginatio, dum circa propria sensilia munus obijt suum (nam tùm vera, incorruptaque est) dum verò de subięctis communibusque arbitratur, refugiat, quippe quę tam adiuncto, quàm abiuncto sensu oberrabit. Nam si sensus adiunctus cespitauerit, necessariò & imaginatio collabetur: Faciliùs quoque & impensiùs eo corruet, abiuncto & sequestrato sensu, qui rerum vestigia in ipsa imaginatione minus integrè conseruabuntur, quod tum continget maximè cùm sensibilium generum species ad oculum de longinquo deferentur.

CAP. X.

QVO PACTO EIS IMAGINATIONIS MALIS, quæ à nostro pendent arbitrio, rationis vsu succurrendum.

EIs verò imaginationis morbis quæ à nostro pendẽt arbitrio, quanquàm & remedia ea, quæ suprà recensuimus, afferre opem possunt: ratio tamen ipsa medetur, cuius vsu non solùm ab istiusmodi, sed ab omni prorsus imaginationis iniuria liberamur. Et licet hoc ipsum multis, nec difficulter probare possemus, paucis tamen contenti erimus: cuique enim notum, qui brutum penitùs, aut stupida planta non sit, rationem homini sectandam, sensus & phantasiæ illecebras respuendas, non omnibus tamen imò perpaucis exploratum, quàm multa ascribantur indigna humano generi, quæ pro confesso irrationales, vt sic dixerim homines concipiant, alioquin vt falsa à bene instituto animo eliminanda & in fallacem imaginationem iure optimo referenda. Voluptates enim multæ, dolores plurimi, qui iuxta Platonis dogmata simplices, præcipuiq; affectus sunt, à quibus veluti elementis cæteri componuntur, quotidie excitantur in nobis imaginationis vitio, cùm tamen de penitissimis rationis penetralibus proficisci videantur ijs, qui phantasiam identidem, rationem quàm rarissimè consulunt. Sumamus de aliquibus exempla: Aut omnibus aut plerisque malum videtur mors, nec solùm rudibus, sed & ijs qui se literarum gnaros profitentur: illi enim atrocem eam imaginantur, hi præter id, etiam expauescunt ad Aristotelis vocem, eam vltimum terribilium in Ethicis nuncupantem. Si tamen Epicteto philosopho Stoico crediderimus, mors ipsa nihil terribile est: Si Ambrosio Christiano Theologo audierimus, tantũ aberit, vt terribilis iudicetur, vt etiam expetenda proponatur, quippe qui librum composuerit, quem de Bono mortis inscripserit. Si rationem consulamus, ob id terribilem existimatam mortem inueniemus, quòd opinio de morte terribilis est, quam phantasia peperit. Qui enim (vt ita loquar) ad ipsum esse compositi duntaxat respicit, quod recedit, torminaque & cruciatus, qui præire eum consueuerunt, quiq; eam sequi solent, imaginatur: fieri minimè potest, vt non aliquatenus cõmoueatur, non tristetur, non doleat. At qui ratiocinatur quòd mors nihil aliud est, quàm separatio animæ & corporis, quòd absoluitur anima, quòd resoluitur corpus, quod quæ absoluitur, gaudet, si benè in vita egerit, quod id, quod resoluitur nihil sentit, nihil agnoscit ad futuræ mortis conceptum, horrescet. Ad hæc qui percipit mortem ipsam & Dei decreto, & imbecillitate naturæ, quam peccatũ infecit, necessariam fore, nihil tristabitur, nihil angetur: frustra enim ratio de re necessaria tristatur. Sed & pro eo quòd nos mori dicimus, * τελεότην Græci ponunt, laborum quippe finis est mors, molestiarum finis, & melioris vitæ principium. Nanque vt non minus verè quàm & doctè & eleganter capite quinto libri sui de Vno & Ente Ioannes Picus patruus scribit: Incipimus tunc mori cùm primum incipimus viuere, & mors cum vita protenditur, tuncque primùm desinimus mori, cùm à corpore mortis huius per carnis mortem absoluimur. Ab hac morte, Dei gratia se liberandum dicebat Apostolus, & dissolui optabat & esse cum Christo, ratione vtens, imaginationem posthabens, quam etiam philosophorum plurimi superauerunt, sola consideratione calamitatis humanæ, speque melioris viuendæ vitæ. Ea enim quanquàm vanè freti & alacriter hac vita excedebant, & cunctantem mortem sibi consciscebant, aliosque ad idipsum faciendum hortabantur: sicut & Cleombrotus Ambratiotes, & Aegesias, alijque permulti, in hoc laudandi solùm, quod animæ immortali accedebant: quod feliciorem vitam, æternamque paratam hominibus existimabant, in hoc damnandi, quod sibi vim inferebant, quòd ea non procurabant sibi iustis operibus, quibus æterna felicitas comparatur, similitudine quadam imaginaria virtutis in vitium delapsi. Habent enim (quod Aristoteles in Ethicis meminit) vitia nonnulla cum virtutibus affinitatem, vt cum liberalitate prodigalitas, cum fortitudine audacia. Cæterùm & philosophus ille qui nuntio de filij morte suscepto, respondit scire se genuisse mortalem: imaginationem rationis habenis moderabatur, ponẽs se vt philosophum decet, totum in ratione, & à sensibus atque imaginationibus abstrahens: Vnde & ca-

* τελευτὴν

uillum illud in eundem facilè dissuitur, quod moriturum scilicet à mortuo differt, qua de re non de morituro, sed de mortuo dolendũ. Atqui differt si sensum, si phantasiam consulamus, nequaquàm autem si rationem percunctemur, quę omnem temporis differentiam ambit atque complectitur. Quantò igitur minus timenda mors, imò quantò magis desideranda, quibus corporis resurrectio votorũ omnium summa (neque enim resurgere qui priùs non moriatur potest) etenim vita hæc ad mortem transitus est, mors autem ad veram vitam accessus.

Sed & diluendum in hoc loco argumẽtum illud quod maximam habere vim vulgus autumat, quoque plurimùm vtitur in huius vitæ patrocinium aduersus mortem: ferunt enim ob id iure optimo formidandam mortem, quod ab ea Christus dux noster abhorruerit, cùm in Euangelio legatur: tristem eius animam vsque ad mortem, factumque eum in agonia prolixiùs orantem, petentemque, vt si fieri posset, passionis eum calix præteriret. Sed facilè soluitur, plus enim in Christo lætitiæ quàm doloris de sua morte fuisse opinamur, quandoquidem sensui & imaginationi, ratio & intellectus præualuit, quá percipiebat & redimi per eam genus humanum, & suam Patrisque bonitatem diffundi, clarereque, & corpori suo gloriam comparari, & diuinam prouidentiam perpendi ob id quod quæcunque de eo prædicta à prophetis fuerant, ad minimum vsque apicem complerẽtur. Quam autem habebat, prætendebatque molestiam, non tàm de mortis horrore proueniebat, ob quam scilicet appetendam, voluntarieque subeundam de cœlis in vterum Mariæ virginis descenderat, quàm quòd ob mortem, quam sibi erat inflictura Iudæorum natio, reprobandã eam nouerat, plurimosq; itidem ob eandem causam ad æterna incendia damnari. Cæterùm subijt mortem Christus libentissimè, quò ad superiorẽ (vt à Parisiensibus theologis dicitur) rationem attinet: quantum autem ad inferiorem pertinet tristatus, spóteq; vt copiosiùs scilicet quàm fieri posset, bonitatẽ suam in humani generis redemptionem effunderet, sensuali parti, & imaginariæ potestati doloris habenas laxauit: vnde etiam aduersus hæreticos verum eum hominem abnegantes disputãtibus nobis victoria pateret, qui obijcere in eorum oculos possemus doluisse eum ob imminentis mortis imaginationem, idq; in eo sensum operatũ, quod humanæ infirmitati adscribitur. Hæc itaq; inter alia fuère in causa, vt affici corpus suum Christus ex vehementi futuræ mortis imaginatione voluerit, quanquàm de ipsa, quantum scilicet ad rationem pertinet, gauisus sit. Alioquin quomodo martyribus fortior atq; præstantior, quos legimus in atrocissimis cruciatibus positos, præ iubilo mentis exultasse, magnaque alacritate & gaudio tauros, eculeos, cruces, ignes, gladios pertulisse. Sed de morte hæc satis sunto, cuius imaginatio maximum mortalibus terriculum esse solet. Eorum enim quæ diximus consideratione, atq; perspectu reliqua quoq; quæ afferre dolorem videntur, patère facilè possunt, vt mala scilicet, doloresq; quibus ob ea ipsa molestiam capimus, imaginationi ipsi, nõ autem rationi maxima ex parte adscribenda sint. Sic & amissio patrimonij æquanimiter fertur, sic & conuitia & verbera cùm ab opinione imaginationem sequente dolorem infligi commonstret ratio, quod & Epictetus in Enchiridio meminit, commonens nõ eum, qui conuitiatur, aut verberat, iniuriam facere, sed opinionem ipsam velut iniuriari, ab eaque sola homines irritari. Cæterùm & præteritæ res omnes, quarum nos angit memoria, vel hoc ipso pacto examinandæ à nobis sunt, vt abdicata imaginatione ratio consulatur: maximum enim ab ipsa phantasia in nos incommodum deriuatur, cùm id querimur, & tristamur, factum quod non esse factum nõ potest. Ab hoc nanq; quasi perpetuò vulgi cruciatu rationis ope liberamur, vt quę necessaria sunt, vel ob id quod euentis iam terminata fuerũt, vel quia euentura necessariò putantur, ingenuè perferamus, quandoquidem de eis, quæ aliter ac sunt esse non possunt, consilium aut dandum aut sumendum non est.

Diximus de dolore, de voluptatibus ad eandem sententiam dicturi, quandoquidem earum exercitum & arcebimus, & effugabimus rationum copijs, nõ secus ac & doloris machinis, & iræ excursionibus resistimus. Spacium igitur temporis aliquod in primis capiẽdum est, vt Epictetus docet, quod scilicet nos ipsos veluti sepiamus, tùm voluamus animo qua voluptate potiemur, & qua iã potiti pœnitẽtia afficiemur. Etenim quod Aristoteles naturæ interpres tertio ad Nicomachum libro commeminit:

minit:concupiscentia omnis mixta dolori est,tantumque abest, vt satiet,vt etiam augmentum de frequentia capiat, & rationem proprium hominis bonum eliminet. Opponenda quoque & fœdæ voluptati, honesta illa voluptas est, qua quis potitur cùm de illecebris carnis blandimentisque triumphauerit, & illæ Ioannis Pici patrui Regulæ ad vincendas voluptates excogitatæ, nobis ad memoriam reuocandæ sunt. Siquidem in primis considerandum est fœdam omnem voluptatem breuem & exiguam, eamque fastidium & anxietatem comitari, iacturam inde maioris boni,hoc est,internæ pacis & conscientiæ sequi,vitam somno similem & vmbræ instar euanescentem,mortem improuisam pro foribus adstare,ob idque quàm suspectum nobis esse debeat ob diuinæ iustitiæ inuariabilem ordinem,quem in vindictam nostra peccata cient, ne nobis pœnitentiæ tempus concedatur: Pœnam item ante oculos ponendam,duplicem, quam damni & sensus Theologi nuncupant, si à voluptate vincamur,contraque si eam debellauerimus,æterna pręmia proponenda.Demùm quænam exempla superandarum voluptatum Christus ipse & viuens & moriens, quique eum secuti,nobis præbuerint,quibus veluti spiritalibus armis à voluptatibus tuti,& eis etiam infesti sumus. Quæ omnia quanquàm Christiana fides,de qua in progressu operis dicturi sumus, abundè nobis tribuit, tamen & innata ratio nobis suggerit etiam,& ministrat,quoties aduersa nos imaginatio voluptarijs titillat, sed & cum tristibus afficit.

Nam quanquàm de dolore superiùs disseruimus, de ira etiam nõnihil afferamus, cuius vehementiam & immanem impetum sæpiùs, quàm volumus, & quidem molestè,experimur.Suggerit imaginatio aut inferendam, aut reponẽdam iniuriam,totumque sanguinem,& præcordia in vindictam clamore ingenti quasi classico cit:opponit se ratio eousq; impetrans inducias, quoad dum iure,an iniuria id,quod quæritur,factum sit,percunctetur,atque dijudicet:Itur in examen,sciscitatur ratio,atque ita inter percunctandum definit,aut iure factum id quod conquereris aut iniuria: si iure,diligendus tibi ille est,qui fecit,non odio persequendus, habendę illi,atque agendæ gratiæ,quia in te beneficium contulit,non maleficium molitus est: si iniuria, rogãdum iterum restat,si ignorantia videlicet,id fecit, aut malitia:si primũ des,condonanda faciliter venia ob inscitiam delinquenti:si secundum, non adeò illi succensendum,quia sibi ipsi in primis damna intulit,quippe cùm præter diuini iudicij,quę illum manet, vindictam, seipsum etiam statim pœna affecerit.Iussisti namq; (Augustinus inquit ad Deum loquens) & ita est,vt omnis inordinatus animus sit pœna sibi. Quam ob rem ad miserandum, compatiendumq; potiùs, quàm ad inferenda mala inuitari debemus,siquidem cùm eiusdem nobiscum naturæ noster sit hostis, cumq; ab ipso naturæ ortu insculptum geramus, vt similes diligamus:ex eius malo,dolendi potiùs nobis quàm lætandi seges subministratur: tantum abest, vt appetentes inferendi damni simus, quò posteà lætemur. Qui enim aut inferre,aut referre iniuriam quærit,nihil ob aliud id quærit, nisi vt propter ea lætetur & gaudeat. Definiuit enim Aristoteles iram,cui Philosophi, Theologique consensère, vindictæ appetitum: nihil autem appetitur,nisi propter bonum,vt adepto eo, lætitia exoriatur.Sed & hac ipsa ratione deponi ira nec difficulter potest, si cõsiderauerimus,de falsa imaginatione prouenire, vt putemus ipsam hostis nostri naturam nobis iniuriari. At non ipsa natura est propriè,non voluntas,sed naturæ ipsius,voluntatisque malitia: A debito nanq; & præstituto sibi ordine deficit, atq; peruertitur:peruerso autem illo, atq; defectus, aut nihil est, si eorum sententiam sectamur, qui malum nihil prorsus asseuerant:aut si aliquid est,certè accidens est,non substantia:totam ergo hominis substantiam,quę bona est,quæ amabilis,aut pro nihilo,aut pro accidente solo odisse,hominis est,qui ratione careat:At si caret ratione, iam homo non est, sed brutum potiùs, quod huc & illuc pro imaginationis imperio trahatur. Oportet enim quod ab Aristotele decretum est, concupiscentiam omnem non secùs audire rationi,ac puerum pædagogi monitis obtemperare: Quare cauendum nobis enixè,eis,quas suprà diximus,rationibus,ne rationalem partem imaginatio corripiat, néve fulgorem eius caligo sensus obnubilet,ne mancipium dominetur: si enim seruus regnum occupauerit,necesse est,vt aut dominus seruiat,aut exulet, aut occumbat. Sed illud totis viribus conandum,vt peruigil ratio præ mentis foribus adest, assiduè,abigatque ea quæ

parêre sibi recusent phantasmata: & si vim fecerint, optimis armata cogitatibus debellet. Vt & in hac quoque parte Euangelicum illud impleatur in nobis: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.*

CAP. XI.

EISDEM IMAGINATIONIS MALIS, QVAE À NOstro pendent arbitrio, speculatione intellectus optimè ferri auxilium, & quomodo id fieri commodè potest, edocetur.



Erùm enimuerò quantò altius ratione conscenderimus, tantò & potentiùs & securiùs phantasiæ dominabimur: eleuabimur enim à corporeis magis, vnde animæ periculum imminet semper, ne propriũ ipsius opus præpediatur, néve contagijs eorũ inquinetur: siquidẽ maius imaginationi commercium cum ratione, quàm cum intellectu, omnium animę virium puriore, superioreque, ad quem cùm sese reduxerit anima veluti in propria regia, tutissima etiam arce circumsepta, quiescit atq; perficitur. Etenim tota eius perfectio, quod & Priscianus Lydus in Theophrasti commentationes definit, in perspicua ad se ipsam reuersione, & ad intellectum conuersione consistit, contraq; in inclinatione ad corpora intellectus casum contingere arbitratur. Et certè decipi ratio faciliùs potest, atq; ab imaginatione ludificari impensiùs, quàm intellectus: illius enim opus discurrere recurrereque per rerum imagines, vt veri notitiam inuestiget: huius verò simplices rerum notas intueri: Illius vsus hominis proprius est: huius autem vsu quanquàm homines pollent, magis tamen angelorum peculiaris: tantò ratiocinatione perfectior, quantò similior euadit Deo, qui non per discursum, non per plures, easq; simplices rerum notas speciésve, vti spiritus inferioris ordinis, non per vnicam tantùm, vt supremi, sed per propriam, eamq; simplicissimam essentiam, nó modò res ipsas intelligit, quia sunt, sed quia intelligit, & fiunt & permanẽt. Quò fit, vt qui huic intelligendi modo propior est, eò fit à casu atq; errore distantior. Cũ autem rationis opus vti sensitiuarum virium officijs præstat: ita intellectus munere inferius sit: vtpote quæ inter phantasiæ & intellectus munia collocetur, euenit interdum, vt fallatur ipsa ratio, non tàm ob rerum proprietates voraginibus materiæ demersas, quàm ob affinitatem, quam cum imaginaria potestate ab ipso naturæ ortu contraxit. Imperfectum enim, atque imbecille in hominibus rationis lumen, vt qui infimi sunt in numero intelligentium, contraq; perfectior in eis, fortiorq; quàm in cęteris animantibus imaginatio, quæ continuæ species à sensibus haustas illis suggerit, atque omnibus eorum actionibus assistit comes, & assecla indiuiduus, adeoq; in obeundis negocijs omnibus consors, vt sine ea nihil omninò fieri, nihil agi posse videatur. Ob idque sæpenumerò accidit, vt eius opus à rationis intellectusq; opere nonnulli discernere nescierint. Hominem noui ex affecta imaginatione adeò vacillantem, adeò nutabundum, vt de maximo illo supremoq; præfato, quod primùm principium apud recentiores philosophos vocatur, subdubitare sibi videretur, quòd de re videlicet eadem affirmatio & negatio simul verificari non possit.

Quas ob res colligere possumus quod inter capitis huius initia proposuimus, eò nos securius, potentiusq; phantasiæ dominari, quò ab ipsa magis recedemus: atque non solùm in ratione, quod hominis proprium est, nos ponemus videlicet, sed in intellectu, cuius opere cum beatis angelis, hoc est, purissimis illis mentibus Deo iugiter seruientibus similes, quantum per carnis licet infirmitatẽ, euademus. Duo autem nobis obseruanda in primis, si voti compotes fieri volumus, primùm vt ex altissima illa mentis specula contemplantes, dignoscere queamus, quinam sint & quales affectus nostri, quorum impetu ducimur ad agendum: affectus autem Alcinoo philosopho ex Platonis dogmate referente, nihil aliud est, quàm modus animæ sine ratione boni cuiusdam, aut mali gratia. Cognoscuntur autem, vt Platonicus Synesius docet, ex imaginationibus, quas præcipuè promit homo, & in quibus se versat, quando à nullo pulsatur extrinsecus: si bonis igitur imaginationibus, quæ bonos affectus pariant, pulsari nos deprehendemus, restat vt eos sequamur, rationeque & intellectu, & extrinseco etiam opere iuuemus: si malis, aliud nobis se offert remedium,

vt in

vt in sublimi illa intellectus specula positi, phantasiam iugiter obseruemus, temerariosq; illius impetus anticipemus. Enitendum enim à principio Epictetus docet, ne nos imaginatio corripiat, tumque nostri compotes fore asseuerat, cùm per aliquod eam tempus continuerimus: id autem fiet si ad bonum quodpiam obiectum mentis aciem dirigemus, quæ autem illa sint obiecta, quoniam in libris nostris de morte Christi & propria cogitanda superioribus annis pro virili explicauimus, non est cur aliud in præsentia disseramus.

CAP. XII.

QVA RATIONE EIS PHANTASIAE MALIS, QVAE de prauorum angelorum ministerio prodeunt, prouidendum, quoq; pacto omnibus simul imaginationis tenebris, & morbis, solo Christianæ fidei lumine, & vnica orationis ope consulendum.

Restat vt afferamus remedia, quibus sauciam, ob malorum spirituum vulnera imaginationem curemus. Ea autem (quanquã multa sunt) sub vnico tamen Christianæ fidei lumine continetur, per quod & reuelatas in sacris literis & patefactas etiam veri Dei cultoribus, præter Scripturę canonem diuinas veritates agnoscimus, eiusq; fulgore viuifico mortiferas imaginationum tenebras pellimus. Illud enim beneficentissimus luminum parens Deus quasi ducem ad nos demisit vt præparata in cœlis pręmia, quæ, vt Esaias docet, absq; eo videre nõ possumus, commodè cerneremus, & vitam hanc qua viuimus, à suggestionibus fallacis dæmonis tueremur. Non solùm hoc ipso lumine imaginationis morbis, sed & rationis infirmitati & intellectus imbecillitati cõsulturus. Siquidem duplex humani intellectus incommodum: Alterum quidẽ ab imaginatione, de quo iam diximus: Alterum ex debilitate congenita, vtpote qui sicuti in genere intelligibilium vltimus, ita & imbecillior sit, quapropter superiore, fortioreq; lumine indiguit, vt roboraretur: fortissimum enim fidei lumen, omniq; humano robore præstantius, vt rationes mittam, quòd gratia naturã perficit, quòd naturæ donis Dei præstant dona, quę ipse per sese non autẽ intercedente natura largitur, quòd infinita penè hominum millia pro Christi nomine, duce hoc lumine, quo æterna videntur, occisa sunt, qui non solùm non vexati, maximo animi gaudio degebant, sed & inter ipsos cruciatus positi, exultationibus & iubilis, dum torquebantur magis, magis animi sui felicitatem indicabant. Vti ergo debemus hoc lumine aduersus imaginationis vitia, non solùm ob id, quòd fortius, quòd præstantius naturali, quòd ad ea pertingat monstrãda nobis, ad quæ natiuum lumen per sese non admittatur, verumetiam quia eo multa reuelata sunt nobis, in quibus meditandis non solùm & ratio, & intellectus perficitur, sed & phantasia ipsa non minus delectabiliter quàm salubriter occupatur. Duplex enim imaginatio, vel vt significantiùs dixerim, duplex in homine imaginationis gradus: Humanus videlicet & brutalis: nam ad pleraque humana se extendit imaginatio, ad quæ brutalis non peruadit, neque enim ad ornatum, ad ambitionem, ad honores propriè commeat: tametsi animalia quæpiam huiuscemodi delectari videntur, vt equus phaleris, & tubarum sonitu, blanditijs canes: hac pueri potissimùm ducuntur: illa etiam grandæui.

Lumen autem fidei diuinæ Scripturæ veritates, naturæ lumini imperuias perspectas faciẽs, vtriq; imaginationi maximo vsui est, adminiculaturq; & manu ducit, quasiq; supra naturam suam rapit & eleuat. Proponit enim pueris, qui imaginatione ea plurimum viuunt, quam brutalem diximus, vt historias & bella mittamus, quibus remorari simul & delectari possunt: inferorum pœnas & incendia, paradisi præmia atq; delicias, & hæc omnia modo quodã imaginatiuæ potestati congruentissimo, vt quę facilè cõcipiantur, nec difficulter retineantur. Hinc enim offert lacus ignis & sulfuris, tortores, dęmonas, & cætera eiusmodi: inde aurea supernæ Hierosolymę mœnia, preciosis lapidibus redimita, cœlestes mensas, Agni nuptias, Beatorum consortia, psallentes, Angelorum choros, concinnas voces, & quæcunque id genus per sacros codices sparsa. Quò fit vt pueri his delectentur, illis verò tristentur & terrean-

tur, vtriusque verò veluti rebus maximis, & moneantur simul, & à prauis imaginibus abducantur, quod plurimùm habet momentum in pueris ad veram religionem medullitùs imbibendam. Idque Ioannes Gerson memoriæ prodidit, in exemplum reuocans pios quosdam parentes, qui poma infantibus de tecto mittebãt, vt in Deum, in quem acceptum referre debere munus pręadicabãt, pietate debita à teneris (quod aiunt) vnguiculis animarent. Expertus & ego in Ioanne Thoma filio eiuscemodi res identidem ei à vidua quapiam narratas, fuisse in causa, vt non solùm à plerisq; imaginationibus vanis, quas septennis ætas qua nunc viuit, plurimùm ferre solet, ex proposito abstinuerit, sed & multa quæ etiam maturæ ætati conuenire posse videntur, renuerit; spe magna fretus scandendi cœlum ad illas res contemplandas, quas imaginatione concepit. Eiusmodi nanq; imaginibus mouentur impensiùs pueri, quàm persuasionibus vllis, aut rationibus, quarum minimè capaces sunt. Quis enim ambigit, pueros ab patrando homicidio abhorrere vehementiùs, si in eorum phantasiam irrepserit effigies hominis cruentati, crudeliterque perfossi, dilaniatiq;, si metus inuaserit apparendi eius, atque se, vel nocte, vel interdiu, cùm solus erit, persequendi, quàm si Dei naturæque præceptum proponatur nocendum nemini, quàm si id ingeneratur, quod diuina lege cautum est, ne quis auctoritate propria quenquam trucidet: contraque quis neget per ea quæ narrauimus, similiaque eis proposita gaudia ad benè agẽdum animari illos quodammodo, & impelli magis, quàm Philosophorum rationibus & Theologorum adhortamentis (Qui verò florente iuuenta sunt, quia brutales imaginationes nondum ex toto exuerunt, tùm enim (quod maximè seculorum fert abusus) tactus & gustus voluptates quærunt, quæ ferinæ, brutalesque ab Aristotele in Ethicis appellantur, iuuari facilè possunt, frenariq; in eis, atq; etiam eliminari voluptuosa phantasmata, si earum rerum, quas diximus, imagines concipiantur, quæ & ipsæ ad sensus pertinent.

Homines verò ætate profecti, atque grandæui eisdem ipsis etiam iuuari possunt, sed & alijs etiam, quæ magis propria sunt, & quibus ambitioni, auaritiæ & reliquis vitijs, quæ spiritalia vocantur, specialiter resistatur: si videlicet commeminerint, in desiderijs peccatorem semper esse, nec oculum satiari visu, nec aurem auditu, si vanitatum plena omnia, & quòd vniuersa vanitas omnis homo viuens: si præterire figuram mundi huius, si hominibus mori semel statutum, si cœlum nouum & terram nouam, si vniuersale districtumque iudicium, & reliquis, quæ sacra tradunt eloquia, mentem si adhibuerint, facilè ab honorum ambitu & auri cupidine temperabunt. Quæ quisque experiri potest, optima esse remedia aduersus imaginationes prauas, & alias quasdam ad æterna diuinaq; contemplanda. Remoto nanque sacrorum eloquiorum cortice, sequestratoque imaginationis velo, quod cortici literæ iuxta proportionem quadrat: sicuti spiritus ipse sub cortice delitescens, depurato phantasmatibus intellectui respondet, sese in animam infert spiritus, eamq; ad diuinum gustum perducit, quæ inchoatio est quædam futuræ gloriæ, quæ reuelabitur in nobis.

Cæterùm non solùm hoc lumine, quod sacris inclusum literis veluti cornea testa circundatum, in obscura hac & illumine nocte nobis affulget, imaginationis tenebras fugabimus, verumetiàm & doctorum simul & sanctorum hominum lucernulis, quas olim summo studio ad huius luminis fulgorem euigilantes, & sibi & nobis accenderunt: quibus hærendum, cum ecclesiæ consensu comprobatæ fuerint, sed qua nos fide illis adstringere debeamus, quotq; eorum ordines reperiantur, quive inter eos proponendi, ad præsens verba facturi non sumus, quando materiam hanc in theorematibus nostris de fide & ordine credendi prosecuti sumus. Illud autem non omittendum, eosdem nos cõceptus procurare nobis oportere, quibus affectos eos fuisse credimus, quorum præcepta sectamur, quorum vitam imitandam nobis proposuimus, alioquin picæ vel simiæ magis, quàm imitatores homines inueniemur, idipsum Epictetus faciendum monuit, eumque qui in aspera quapiam imaginatione positus sit, optimè agere opinatur, si id peragat, quod aut Socratem aut Zenonem, si in id discriminis incidissent, facturos fuisse arbitretur. Id ego tàm in secundis fortunæ flatibus, quàm in aduersis reflatibus obseruandum censeo, non ad Socratis, Zenonisque, sed ad sanctissimorum Christianorum imitationem, qui & lubricam appetentiæ vim, & tumidum irascentiæ furorem, non continendum modò docuerunt

runt


runt alienæ rationis obicibus, verumetiam, vtpote eorum iniuriam frequentissimè experti, proprijs viribus frenauerunt.

At quia debiles nimiùm nostræ vires ad ea, quæ nobis conducere diximus, adipiscenda, Dei auxilium desuper implorandum est, quod cùm aderit omnia ritè, cùm aberit, perperàm omnia gerentur à nobis. Aderit autem semper, si pro eo impetrando, ad Christum Deum, hominumque, & Dei mediatorem preces effuderimus, qui etiam non vocatus sæpissimè adest, qui ad nostri cordis ostium assiduè pulsat, qui orare oportere nos docuit, & ad importunitatem vsque sub typo viduæ iniustum iudicem exorantis, qui denique daturum se pollicitus est, quid quæreremus, suprema omnium causa, summum bonum, Creator, Redemptor, Pater. Per hoc igitur orandi studium, præter id quod impetramus, quod quærimus, si ad consequendā salutem id faciat, hoc etiam commodo imaginationem fouemus, quòd ipsa etiam per intellectus eleuationem, quantum ei per corpoream suam naturam licet, in Deum conscendit, tumque Dauidicum illud in nobis completur: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Et illud item: *Sitiuit in te anima mea quàm multipliciter tibi & caro mea.* Per cor enim anima, & per carnem sensualis vis, præcipueque imaginaria potestas denotatur. Ex concepto quoque in intellectu, atque voluntate diuini amoris ardore, in sensum calor redūdat, qui terrena omni humiditate consumpta cœlestem accendit sitim, & ad viuum illum fontem perducit, de cuius aqua qui gustauerit, sicuti ad Samaritanam mulierem dictum est, non sitiet iterum terrenorum siti, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: vbi inebriabimur ab vbertate domus Dei, eiusque voluptatis torrente potabimur. Et quidem si Sacras literas diligenter perlegerimus, si acta eorum voluemus virorum, aut qui Christum nondum ex virgine natum, vel fide tantùm, vel prophetico etiam lumine præuiderunt, aut qui natum passumque vel sanguinis effusione, vel verbis tantùm testati sunt, fiet nobis extra omnem controuersiam liquidum, nil magis fuisse eis curæ quàm orandi studium. Sed quid de summi Dei cultore populo dicimus? quando & gentes ipsæ tàm Mosaicæ legis vmbra, quàm Euangelij splendore destitutæ, vota, hymnos, preces, supplicationes, frequentabant, vt Pythagorici, Platonicique ferè omnes, ac Barbaræ etiam nationes, Indi, Persæ, atque Aethiopes, à quibus tantò magis vinci nos pudeat, quātò & quod orandum nobis est, & quid orandum, non à solo naturæ instinctu, suapte sponte Deum quærentis, sed ab ipso Deum iam inuento & cognito sumus edocti. Quod si Plato censuit eum adeò non despici, qui conatur vt iustus euadat, quod nostrum opprobrium, quæ ignominia, clementiam spernere hortantis, identidem, & adiuuantis nos Dei, per sacramenta, per monita, per occultos afflatus. Sed de his hactenus: satis enim beneque actum imbecillitati nostræ videtur, Diuina fauente clementia, hæc ipsa de imaginatione disputauisse, deq; ipsius nomine, de essentia, de proprietatibus plurimis, deque eius vitijs potissimùm & remedijs, quasi per ocium quod à publicis impetrauimus negocijs disseruisse.

Deo laus & gloria sempiterna.

FINIS.

IOAN-



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI, CONCORDIAEQVE COMITIS,

PHYSICI LIBRI DVO:

AMPLISS. PATRI. D. B. S. MARIAE IN PORTICV CARDINALI,

Ioannes Franciscus Picus Mirand. S. D. P.



Terant in fabulis Adonidos horti, & in rerum natura est ephemeron animal: Si cupis eorum vel spectare imaginem, en tibi hunc libellum, dieculæ spacio conceptum vnius, pari temporis interuallo animi gestatum vtero, pari ferè in lucem effusum. An verò diutiùs illis superfuturum, alij iudicent. Tu verò si ipsum existimaueris hortulum, non ea quidem specie, vt admittere poßint fabulæ satum ab ea quæ pulchritudinis antistes habebatur, at fortasse solidæ frugi tutamentum præstiterit. Si abortum censueris potiusquàm legitimum naturæ partum, at perfectæ soboli viam fortasse recluserit. Agnosces certè vel exiguum mei in te amoris & obseruantiæ monumentum. Vale.

LILIVS GREG. GYRALDVS.

Augusti decus vnicum Senatus
Ingentis Bibienna qui Leonis
Ingentes pote sustinere curas,
Hoc meus tibi quicquid est libelli
Picus dedicat: vnus inter omnes
Ausus qui tribus explicare chartis
Formam materiæ appetentis vmbras:
Vmbras (Iuppiter) inuias peritis.
Quare habe tibi, quod perenne fiet
Perennis monumentum amoris eius.

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, CONCORDIAEQVE COMITIS,

De Appetitu primæ materiæ, LIBELLVS.

Cap. I.

PRAEFATIVNCVLA, QVA DOCETVR quid & quomodo agendum.



Cribitur ab Aristotele, primo in libro de naturalibus principijs, Latini primum Physicorum communi voce solent appellare, Materiã appetere formam, sicuti turpe pulchrum, & fœmina marem. Super quibus verbis tanta vt cæteris in locis Peripateticæ philosophiæ inter Aristotelis interpretes varietas reperitur, vt in ipsa varietate quæsita veritas magis latere videatur, ac tanquàm lubricus piscis piscatorum manus eludere. Quæ quidem res cùm digna consyderatione multa, iure meritoque appareat, tentabo sub examine reuocare verba Philosophi, variasque afferre sententias interpretum, atque inde an vero consonent, perpendere: subinde quoque quòd ipse putem, apertè subijcere, ipsamque demùm naturæ speculationem subsignabo, in autoris naturæ contemplationem & cultum debere conuerti.

CAP. II.

DE MATERIAE NOMINIBVS VARIIS, item quid sit, & quomodo agnoscatur.



Erba ipsa quæ tractantur quid significent, & quid id sit quod significatur, diligenter inspicienda esse, tùm Plato in Phædro & Conuiuio, tùm Cicero posteà in primo de officijs libro, tum quicunq; rectè docent, monuêre. Igitur quid materia, quid forma, quid turpe, quid pulchrum, videamus: nam si de appetitu materiæ verba facienda sunt, cùm appetitus sit accidens & affectio ipsius materiæ, videtur vtiq; vt is appetitus cognosci minimè possit eo ignorato, cui accidit ipse, & cuius est & habetur affectio. Materia itaque quoad propositum pertinet opusculum, dici solet propriè, & ex metaphora: hoc autem diuisionis membrum à præsenti speculatione seiungemus: illud relinquetur bifariam distinctam in primam & secundam: & hac etiam dimissa, prima sumetur nobis, de cuius appetitu disseramus. Prima ergo materia ab Aristotele dicitur subiectũ vniuscuiusque primum ex quo quidpiam fiat minimè ex accidenti: vel si corrumpitur quidpiam in quod tanquam vltimum resoluatur, ex quo fiunt quæcunq; fiunt, & in quod ea ipsa corrumpuntur. Differt autem à materia subiectum, vti voluit Themistius in ea quam de natura materiæ digressione primo Physicorum libro conseruit. Sanè Aristoteles ὑποκείμενον: hoc est, subiectum materiam vocat, quod si consideretur in sese, tum materiæ nomen illi veriùs congruat: si verò sub forma, subiecti rectiùs appellatio contingat, tametsi nomen vtrunq; ex ijs habeatur quæ referuntur ad alteram. Voluit item eam in se rem esse quandam, & actu existere, deinde intelligi aliorũ esse: & primum hanc posteriorem consyderationem rationem potentiæ contrahere. Sed enim vnita quidem formæ ipsa semper est: sed consyderari absque illa potest ex ipsa videlicet ad formam habitudine, vnde analogia decreuit ipsam cognosci philosophus Aristoteles, Plato verò notha (sic enim aiunt) ratione, vtpote quæ legitimè nullam sui cognitionem daret ex sese, sed ex formæ complexu dignosceretur: qui cõplexus varius esset & multiplex, subindeq; iugiter mutaretur (quapropter Auerrois censuit, eam ex transmutatione ita esse cognitam, sicuti ex operatione forma deprehensa est) non defuêre tamen & ex Platonis & ex Aristotelis sectatoribus, qui aliter analogiam proportionémve, & notham rationem intelligerent: Namq; ex negatione & abdicatione formarum omnium voluerunt animo quoquo modo vacillante comprehendi, quando ea tantùm legitima, nec proportione, aut relatione vlla nixa cogitatio sit, quæ aliqua rei forma habituq; paratur. Videnturq; ij Platonico ei dogmati nixi, quod eo in Dialogo proditur, qui Parmenides inscribitur, cùm docet negationes in materia priuationem significare, in Deo verò rerum omnium causam. Idem Plato χῶραν: id est, locum videlicet amplum, eam quandoq; vocauit, eandemq; matrem prius à Platone quàm ab Aristotele nuncupatam cùm alij tùm Simplicius prodit, idq; propterea, quoniam suscipiat eam quæ in ipsa fit, formam ex parente rerum vniuersarum: aliasq; itidem matris atq; etiam nutricis, quo nomine vsum quoque Platonem asseuerat, conditiones exponit, sese nanque sub varijs formis spectandam præbens ipsa materia, sui notitiam ex sese non ingerit contemplantibus, sed ipsa ex variatione subministrat, nec ad modum legitimè, quoniam omnes formas amouere & abdicare oportet.

CAP. III.

QVID SIT FORMA, ET QVÀM MVLTAE EIVS appellationes. Item quid turpe, quid pulchrum, quid appetere formam.



Orma verò, siue species quid dicatur, dicendũ venit: nam Forma ab afformando secernendoq; & interstinguendo (quanquàm à μορφὴ Græco nomine per metathesim deriuare nonnulli) Species autem a spectando videtur deducta: sed iure hoc siue illud maius, ab efficiendo operandoque notitiam sui longè lateque diffudit: eadem ratio nũcupata est, quod ex ea vt proditur à quibusdam, vera sumitur definitio. Rei etiam imago dicta est & Exemplar, &

Græco

Græco vocabulo Idea: id autem est dicere species, sicut μορφὴ forma: vt mirer Albertum nomen ad primum exemplar, vt in eo ipsa consyderatur, cùm hac de re ageret, retulisse: Paradigma verò vt est ratio formæ: imaginis autem vt iam est in materia, & illam ipsam imitatur. At species formaq; naturalis, de qua nobis est sermo, suapte natura sese diffundit: spiritaliterq; humanis obtutibus excipitur: quibus & ipsa sensilis rerum moles & distincta, & variè distincta, & effigiata percipitur. Deinde ipsa quæ tàm variè spectatur distincta & afformata, in semet conuerti, agere patiq; cernitur: & modò in vnum cogi, modò dirimi atq; dispesci: ita vt rerum species non iam ab ipso subiecto, sed à forma nomen sortiantur. Pulchri verò nomen tametsi rebus etiam cõpositis simplicibusque tribui quandoq; soleat: nihilominus apud celebres autores, tàm Platonicos quàm Peripateticos, non nisi compositis rebus exactè tribuitur: cõsistit enim in eximia quadam & eleganti diuersarum partium compositione, ex quibus ipsa pulchritudo cõflatur, indeq; dissultat. Turpe verò ex pulchritudinis absentia cognoscitur (est enim eius carentia atq; priuatio) illa perfectum opus suo in genere, hoc imperfectum & mancum, vt hinc satis apparere incipiat, cùm dicitur ab Aristotele, ita appetere materia formam: vt turpe pulchrum, & fœmina marem: non ita accipiendum, vt vno in genere sit facta collatio, sed in longè diuersis: appetere enim idem est, quod desyderare, quod amare: quanquam hoc non ita exactè congruat rebus inanimis. Turpe quo ipsum in sese dum accipitur, id pulchrum esse nunquàm potest: fœmina verò suo in genere potest esse pulcherrima: sed aliter intellexit Aristoteles. qua de re in libelli progressu disseremus, vbi quid alij prius de hoc toto negotio senserint, subsignauerimus.

CAP. IIII.

EXPOSITIO THEMISTII ET SIMPLICII *de appetitu Materiæ.*

THemistius Aristotelis Paraphrastes appetitus mentionem indicat factã, vt ratio redderetur appetentiæ perpetuæ: sed cur inquit (interprete Hermolao) suscipit vicibus formas? appetens diuinitatis est, & discupiens boni: voco autem diuinum & bonum primam formam, & primam causam quò referuntur, collimantq; omnia: & cui quæq; res tendit, fieri quàm simillima quantũ potest: potest autem quantum natura cõceditur: Ipse verò appetitus quid sit, & in quo sit, ipsum si interroges, ijs responsurus est verbis: profectò inquit, verissimũ puto quod dicitur prouidentiam fuisse, quæ & turpi desyderium honestatis, & egenti opulentiæ quantum fit, satis iniecerit. Subdit primæ illi formæ & ab omni abiunctę materia, ijsq; præterea formis, quæ profectæ sunt ab illa, & in materia constitutæ, priuationem contrariam esse & aduersam: Materiam verò referri, & quasi identidem ad formam respectare, cuius sit appetentissima, mox colligit in materia non esse priuationem, quia formam & ipsa simul appeteret, simulq; labem etiam & corruptionem appeteret suam. Simplicius verò differẽtiam inter materiam & priuationem eis verbis factam putat: sed & habitudinem quoq; amborum ad formam subindicari censet. Referam Latinè si potero, quæ hac de re Græcè ab eo sunt scripta. Discrimen materiæ priuationisq; tradit: & eam pariter quę amborũ est, ad formã habitudinem refert: diuinũ enim quiddam & bonũ & desyderabile est forma: & hanc appetit materia ex propria natura, contraria autẽ est priuatio, quæ nõ desyderat suimet corruptionem: siquidem diuinũ illud bonũ & desyderabile, primã appellat formã, separatam, videlicet eam quã & intellectam & primã causam re vera nuncupat, ab omnibus quæ natura constituta sunt, ab ipso ortu desyderatam: vtpote quorũ diuina sit causa: atq; ea ita sunt disposita vti vnumquodq; eorum qua pollet virtute, illius similitudinis desyderio teneatur: ea verò similitudo ipsorum propria perfectio est, perfectio autẽ compositis est, is qui secundũ formam status habetur: materiæ verò perfectio formæ participatio: hæc Simplicius. De appetitu verò, quem ἔφεσιν tàm ipse quàm Aristoteles vocat, Latini vertunt desyderium, verba faciens, eum nõ secus debere tribui docet inanimis naturalibus, ac animatis ὄρεξιν, hunc appetitum Latinè vocant: vndè inter appetitum & desyderium ita diremit: vti hunc animatis, illud autem inanimatis rebus congruere docuerit.

CAP. V.

ARGVMENTA AVICENNAE CONTRA ARISTOTElem de appetitu materiæ: Item ex primo Auerrois & Alberti.



On placuit Auicennæ, Platonem quàm Aristotelem libentiùs secuto, hûc esse in materia appetitum, trifariamq; argumentatur in Aristotelem, quãdo nec animalis is queat esse nec naturalis appetitus: vndè nullo pacto materiæ inesse censet. Facilè dabunt omnes concedentque primam sumpti partem, secundam verò ipse reuincere conatur: deindeq; patefacere in connexo esse veritatem. Primò quia & forma & inclinante virtute, materia ipsa suapte natura destituitur: neq; de ea instar grauium & leuium decerni potest: quæ suis formis, vel tolli in altum appetunt, vel ad ima delabi. Secundò si formam appeteret materia, vel ex eo is dimanaret appetitus, quia careret omni forma: vel indè proueniret, quòd multas vna formas concupisceret, vel fastidio prioris formæ spectaret eò vt aliam subindueret. Tertiò metaphoram non admittit, quam dedecere philosophum existimat, vt qui poëtarum more fœminam maris desiderio teneri tàm graui, tãquàm seriò de rebus naturæ conscripto volumine prodiderit: hæc ex Auicẽna. Auerrois autem Aristotelis opinionem hunc exponit in modum: vt is sit appetitus acquirendæ formæ, cui vtpote rei perfectæ atque diuinæ quoad potest, similis euadere cupit: demumq; Aristotelem appetitus nomine putat significasse id, quod ei inest motionis ad formam suscipiẽdam, ibiq; dirimit appetitum: in naturalem videlicet eum, qui sit sine sensu, qualem plantis natura præbuit ad se nutriendas: & in sensilem, quo pollent animalia, prioremq; illum tribuit materiæ ad omnes formas vicissitudine varia suscipiendas: idq; voluit prodire ratione priuationis, quæ ipsi materiæ connexa commixtaque sit. Cur autem appetitum hunc introduxit? vt ea scilicet dignitate qua polleret materia, non ornari priuationem significaret: & ostẽderet pariter priuationem ipsam cum materia iungi. Nec longè discessit Albertus cognomine Magnus: appetitus mentionem factam indicans ob discrimen priuationis atq; materiæ: eumq; eius gratia innatum putat ipsi materiæ, non vt conseruetur, sed potiùs vt transmutetur in id quod appetit. Ibidem quoque post nõnulla quæ aduersus Platonem dicta fuisse autumat, subiecit appetitum ex incompleta similitudine prodire: quæ compleri procuratur facta in idipsum quod appetitur transmutatione: quò fit vt talis insit materiæ appetitus ob mixtionem priuationis: cùm formæ habeat inchoationem, ad quam desyderat transmutari. Sed ne officeret sibi, regerereturque quod exploserat: priuationem videlicet non posse habere formę cupidinem, vtpote rei perniciosę: id autem ex eo sequi si materia priuationis ratione id efficeret: duplicem propterea priuationem inuexit. alteram quæ sit aduersa formæ: alteram quæ sit aptitudo suscipiendæ formæ in subiecto relicta: cui motus initium, quo ad ipsam attinet materiam, fertur acceptum, atque id causa sit appetitus & desyderij, quam visus est quoquo modo probasse opinionẽ Ioannes Picus patruus in Heptaplo. Mox digrediens Albertus, plurimaq; commiscens, duplicis meminit appetitus, intellectilis & naturalis. atq; hunc bifariam docet posse capi, vti videlicet intelligatur inesse materiæ: vel tanquam subiectæ rei: quo pacto negat eam appetitu pollere: vel tanquam motæ rei à motore scilicet: qui appetitum habet, à quo procedens motus habet etiam vt sit actus rei mobilis. atque hunc in modum materiæ docet inesse appetitum præordinato fine, in quem directè mouetur, quo modo sit dictum ab Aristotele opus naturæ, opus esse intelligẽtiæ: duplicis postcà meminit desyderij, perennitatis videlicet, idq; rei perfectæ voluit aptari: & transmutationis, quod rei docet, imperfectæ congruere.

CAP. VI.

EXPOSITIO S. THOMAE, QVA ET ARGVMENTIS Auicennæ respondet.



Anctus Thomas ex aduerso Auerrois videtur exponere, & argumentis Auicennæ respondet: existimat autem Aristotelem vti priuationem à materia distingui monstraret, appetitus mentionem fecisse. Ideoq; primò probatum ab eo putat & affirmando & ostendendo materiam esse tanquàm matrem, quæ vnà cum forma sit rerum causa naturalium: Priuationem verò non cõstituere & generare, sed detrahere & corrumpere, id quod forma paratur: forma inquam quæ tanquàm diuinum quiddam & optimum habita sit. Deinde idipsum probari existimat ex absurdo, quod sequeretur ni ita decretum foret: vnde appetitus materiæ ductus est in medium, quo pollere non potest priuatio: quò fit vt ni distinguatur à materia, & ipsa quoque appetat, & sui etiam ipsius inde appetat corruptionem. nihil autem est aliud eo decernente appetitus materiæ, sicuti nec omnis alius qui nõ prodeat à cognitione appetitus, quàm naturalis quorundam ordinatio secundùm propriam naturam in finem suum. Atque ita dissoluere conatur argumenta Auicennæ: neque enim actum duntaxat ordinari putat in finem, sed potentiam, qualis materia: quæ tametsi formetur, nihilominus vti alias formas suscipiat, potestatem non admittit. Nec id euenire ex fastidio, aut cupidine consequendi simul contraria, sed ipsa potentiæ conditione: quia fertur in alias formas dum vna tantummodò potiatur: nec etiam figurata inquit Aristotelem locutione vti, sed exemplo: quoniam suprà dixerat, materiam proportione cognosci, cùm sese habeat ad formas, quæ substantiam pariunt, perindè ac sensilis ipsa materia ad formas accidentarias: quanquàm subdit, aduersus Platonem metaphoris à Platone ipso sumptis Aristotelem disseruisse.

CAP. VII.

EXPOSITIONES SVPRÀ NARRATAE PARTIM confutantur, partim exponuntur. Vbi dogma Aristoteleum incipit aperiri.




Erùm enimverò non satis omninò percepisse Aristotelis mentem videntur citati interpretes. vtitur enim Aristoteles ipso nomine ἐφέσεως (nam hoc nomen tribuit inanimatis rebus Simplicius, ὄρεξιν verò non rebus inanimis, sed pollentibus animæ) vtitur inquam nomine ἐφέσεως, quem siue appetitum, siue desyderium nuncupes, vt eo intermedio monstret, tria esse rerum naturalium principia, qualia ipse statuenda præposuit, materiam, formam, priuationem, non qualia philosophi priores inuexerant, eaque omninò inter se distingui docet intermedio etiam appetitu: qui cùm materiæ congruat, formæ non congruet, dedit intelligi materiam à forma dispesci: idipsum de priuatione parauit: & quanquàm anteà dixerat hac de re nonnihil, vt satis constat, vt etiam paulò pòst explicabimus: hoc tamen loco idipsum repetit tantisper dum inter ipsa tria principia discrimen statuat. Alia etiam vtitur ratione, non quæ scilicet iam sumatur ex natura materiæ & consyderatione priuationis, vt antè fecerat: sed quæ de conditione profluat appetentis desyderantisve naturæ. Eorum autem expositorum, quos suprà citauimus, nullus hoc explicuit: innuit Simplicius cùm vtriusque materiæ videlicet atque priuationis habitudinem ad formam citauit. Itaque Aristoteles priuationem non esse idem quod materia decreuit: quoniam appetitus illi ad formam habendam non congrueret: vtpote ad id quo destrueretur (nihil enim est auidum proprij interitus) si illa scilicet sit auiditas inusta natura. Duo itaq; principia cùm statuisset: alterum vti matrem, materiam videlicet, capedinem & tanquàm receptaculũ formæ: itemque priuationem, quæ formæ videlicet aduersaretur: satisque esse docuisset hæc tria ad omnes res constituendas: distingui mox illa inter sese docuit ipso appetitu, qui materiæ quod intimus innexusque esse ob perfectionem naturaliter quæsitam sui, & à duobus illis, hoc est, forma, atque priuatione diuersus & esset & iure merito-

meritoq; haberetur, quando alterum ſemet nō appeteret, alterum ſuimet corruptionem appetere nequiret.

Itaq; nō ideò hunc introduxit appetitum Ariſtoteles, vel vti doceret priuationem dignitate non pollere in rerum generatione: vel vti ſubſignaret, priuationem coniungi cum materia, eos videlicet reprehenſurus qui id negarent: quaſi eos hoc circunſtaret incommodum, quia concedere nequirent hoc deſyderium eſſe naturale. Nam Auicenna tantum aberat, vt hoc putaret abſurdum in philoſophia, vt tribus rationibus ipſum tollere appetitum, & à materia diſpellere tentauerit. Cuius rei mirum eſt Auerroëm hoc ipſo in loco, id eſt, particula octogeſimaprima fuiſſe oblitum: cùm tamen D. Thomas & eius opinionem citauerit, & rationes diſſoluere procurârit. Errare Auerrois præterea videtur, cùm non intellexit comparationem Ariſtotelis de turpi & pulchro, & fœmina & mare: quæ primori fronte ſatis feciſſe illi non ſatis viſa, mox libenter admiſſa eſt: quando ſermo fieret de re ſenſili, quam docuit prçter compoſitionem non intelligi. Melius certè ſanctus Thomas, cui placuit factam appetitus materiæ mentionem: vt inde monſtraretur id non eſſe priuatio quod materia: quando hæc appeteret formam, quam illa neutiquam poſſet appetere (ni ſimul proprium interitum, propriam abolitionem expeteret) quod & anteà Simplicius exiſtimauerat. At optaſſem, vel inde etiam formæ & materiæ diſtinctionem ſubindicatam, ſaltem eam quam ipſemet Ariſtoteles vel explicat, vel dubio procul innuit, quod vel de longinquo, vt videtur, Simplicius animaduertit. ſuprà etenim docuerat Ariſtoteles materiam à priuatione differre, per illa verba, ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερον εἶναί φαμέν. τὸ μὲν οὐκ ὂν εἶναι κατὰ συμβεβηκὸς τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν καθ᾽ αὑτήν. hoc eſt: Nos quidem igitur materiam & priuationem aliud eſſe dicimus, hoc quidem non ens, ſecundùm accidens materiam, priuationem autem ſecundùm ſeipſam. Hoc autem totum quid aliud? quàm alterum eſſe non ens, hoc eſt, priuationem, Alterum ens, id eſt, materiam: ſed ens ex accidenti, formæ ſcilicet complexu, per ſeipſam verò non ens. Mox & ſubiecit materiam quidem ipſam ſubſtantiam ſiue eſſentiam (nam apud eum iacet οὐσίαν) eſſe, non ſimpliciter, ſed ἐγγύς, hoc eſt, iuxtà vel propè, & πῶς, hoc eſt, quodammodo, τὴν δὲ στέρησιν οὐδαμῶς, hoc eſt, priuationem verò nequaquam. Satis itaq; dederat Ariſtoteles intelligi materiam à priuatione differre: & quia illa non ens eſſet, ſecundùm accidens, & propè ſubſtantiam quodamq; modo ſubſtantia: Priuatio verò ſecundùm ſeipſum non eſſet, & nullo modo ſubſtantia. Ac ſanè id videntur ſimul omnes committere, quod locum ipſum non accipiunt, vt in eo fiat inter ipſa principia diſcrimen: ſed in materiam duntaxat atque priuationem: Deinde non ſatis videntur explicare, vbinam ſit ille appetitus. Apparet autem ipſi materiæ illum non ineſſe, ſi Albertum ſequi volumus: ſed in eo ſitum eſſe, vnde motus fiat initium in ipſa materia: ſi etiam ſequi volumus Auerroëm, vbi illa prodit verba: & ſi non eſſet aliquod non habens formam, non eſſet aliquod appetens formam: poſt formam, quo autem pacto propriè tum diceretur appetitus materiæ? num pari pacto appeteret forma & priuatio? quandoquidem ab eo qui motum parat, ita forma iungitur materiæ, & materia formæ: ſicuti priuatio ſubminiſtrat contrarietatem, atque ipſi rem generanti famulatur. S. Thomas idipſum videtur velle: ſed naturalis nihilominus appetitus exactiorem aliquantò mentionem dum facit, materiæ illum potiùs videtur iungere.

CAP. VIII.

AVTORIS RATIONES QVIBVS OPINIO AVIcennæ poßit corroborari.



SEd enim præter Auicennç rationes, quas tueri poſſet, qui ſequi vellet Alberti opinionem, à materia quà ſubiectum eſt appetitum abdicantis: & Auerrois etiã ſenſum, qui materiæ formatæ id videtur dare: poſſent multa adduci, vt monſtraretur ipſi materiæ in ſeſe non eſſe appetitum. Neque enim aliò tendunt magni illius philoſophi argumenta, quàm vt monſtret ipſi materiç tribui appetitum non poſſe, vt in ſeſe vt priuata forma conſyderatur: adijciam quæpiam vt id corroborem. Appetere partes ſunt actus ſecundi: ſecundus autem actus primum ſupponit, & in eo tanquàm fundatur & ſtabilitur: materia verò

actus primus non est, sed pura potentia ad actum facta & parata: quando omnis actus à forma, sicuti & omnis operatio. Nec illa actus distinctio, Ioãnis Scoti subtilitate excogitata: ni fortè illam priùs Themistius aduertit in digressione materiæ, refragaretur. Imaginaretur enim actum quem vocant entitatiuum (liceat mihi per vindices Romanæ linguæ Parisiensi vti vèrbo) illum inquam imaginatur actum, quo fieri posset vt sine forma quiret materia permanere: quod Themistius neutiquam admitteret. Illum enim actum eundem non facit cum eo qui actus primus ab Aristotele nuncupatur, quique aliud non est quàm forma, siue de forma prodiens: quo pacto dicitur anima esse actus corporis: à quo videlicet actu reliquæ functiones, hoc est, intelligere, velle, desyderare, & cæteræ id genus, qui secundi actus nuncupantur, exsurgunt. Dicetur fortassis, ex ipso quod est appetere, cùm de materia id prædicatur, nihil aliud dari, intelligi, quàm inclinationem quampiam & habitudinem ad formam. Esto, sed de illa quoq; habitudine & inclinatione quæstio fiet: ea enim cùm relatio sit, certè accidens est: vt inde actus aliquis existimetur esse. Actus autem accidẽtis per se existere nequit: quoniam omne accidens corporeum formæ aduenit, & eam comitatur velut vmbra corpus: & quanquàm inter accidentia sunt quæ formam propiùs, sunt quæ materiam proximiùs consequi dicantur: nullum tamen est eorum quod non compositæ adueniat rei, quodque aut cerni, aut verè possit intelligi: priusquàm vnum quiddam ex forma, atque materia coaluerit.

CAP. IX.

AVTORIS OPINIO, ET EXPOSITIO ARISTOTELIS verborum.


Vprà docuimus non rectè satis expositum super hoc loco philosophum Aristotelem, colligique inde posset, quæ hac ipsa de re, nostra ferat opinio, voluisse videlicet Aristotelem tria illa rerum naturalium principia constituere, quæ inter sese suapte illorum natura dissidérent: quoniam vni appetitus inesset, qui non esset in cæteris, quæ ab alterutris etiam quà contraria, atque pugnantia dirimerentur, subindeque ipsum appetitum non satis consonè ab omnibus admissum, nec exactè fortassis intellectum atq; perpensum: sed latiùs aliquantò explicanda res est, & præstandum quod polliciti sumus. Itaque quod appetit formam, id aut ipsa forma est, aut priuatio, aut materia: In principijs etenim naturalibus, atque, vt ita dixerim, in ipso primo naturæ sinu, cùm nihil aliud sit præter hæc tria, nihil etiam est aliud quod appetat. An fortè appetit forma? neutiquam: Quando seipsum nihil appetit: id enim appetitur quod non habetur. Adde quod naturalis forma per sese non existit: sicuti nec existit sine forma materia: concurrunt enim, coincidunt, conueniunt ambo in rei sensilis compositione atque conflatu. Quicquid enim in sublunari hac machina spectari, cerni, tangi potest, ex illis duobus conflatur & coalescit: Priuatio quò minus appetere potest (ipsa enim non est quicquam, nisi negatio in subiecto ad formam apto) hoc autem est priuatio formæ: quod autem ipsum non est, nec appetere vtique potest. Ad hæc nihil appetit quod consequi id quod appetit quoquo modo non possit: frustrà enim appeteret. Naturalis autem rei desyderium frustrà esse qui diceret, & toti philosophiæ & ipsi Aristoteli maximè aduersaretur, qui & in secundo Physicorum & in Politicis & in Metaphysicis & alibi naturã quicquam agere frustrà non admittit. Quare si priuatio appeteret, appeteret id quod habere vnquam nequiret: atque idcirco frustrà & incassum talem appetitum natura parauisset. Relinquitur igitur vt materia appetat, quod Aristoteles affirmat. sed hoc etiam nonnulla circunstant incommoda: quæ suprà duximus in controuersiam, cùm & argumenta Auicennæ tractaremus, & opinionem Alberti & Auerrois non dissentientem, & nostras etiam ad id rationes explicaremus.

Quapropter mihi videtur materiam non quâ materia, sed quâ subiectum appetere, subiectum inquam, hoc est, materia formata, clariùs loquar, materia sub forma. Voluit enim Boëthius ille inter Græcos Peripateticos & vetustus & celeber, materiam qualitatibus informatam, materiam ampliùs non remanere. Hæc itaq; materia sub forma: nam suapte natura primò, siue formam, siue dimensionem, adeò ipsa videtur

detur appetere, quia prior quodam ordine spectatur quàm forma: adeò non appetere, quia nunquàm illa caruit: vt hinc verum eum appetitum esse negare quispiam posset. Sub forma inquam aliam formam appetit: qua obtenta, aliam subindeque aliam: adeò vt suapte inclinatione infinitas ascisceret successione perpetua: nec hanc solùm, nec illam signanter: verùm formam ipsam absolutè quod & in communi, sed in particulari eam cui est magis proxima facta: vel ex ipsa formæ quam possidet cognatione: quæ suopte ingenio magis illi propinqua habetur & fit: Quo pacto dicitur ab Aristotele in ijs quæ habent symbolum, faciliorem transitum fieri: vel etiam actione agentis extrinsecùs causæ eò inclinata, atque disposita. Ignis enim & aquæ multa est discordia, actione tamen continua ipsius ignis in aquam, ex ipsa aqua fit ignis: at aër ex aqua ob naturæ minorem in qualitatibus repugnationem faciliùs prodiret. Hinc non frustrà videntur à quibusdam duo in materia appetitus excogitati: quorum alter sit proximæ formæ cupido quædam: alter formam spectet in communi generatimq; & absolutè: quod visus est velle, vel de longinquo Albertus, atque huic appetitui ferri potest accepta generatio continua, illi verò varia formarum vicissitudo. Materia itaque formata quidem, sed sub ipsius tamen materiæ ratione, formam appetit, & particularem, & in communi: siquidem illa nunquam forma caruit: quare non potuit omni forma nudata formam appetere: nec ex sese appetitum habere potest: cùm actus non sit, in quo fundari conuenit appetitum. Inest tamen ei quanquàm sub forma formæ appetitus non eius quam habet, sed alterius, ijs quos exposuimus modis. Atque hinc similitudines illæ quam rectæ sint ab Aristotele excogitatæ, iam iam erit in promptu: id quod turpe est, aliquid est: quoniam ita turpitudo in partium conflatu dissono consistit, vt pulchritudo in eleganti & consono. Quod ergo turpe est, appetit vt sit pulchrum: hoc est, cupit quod imperfectum est, perfici, quà turpe, id est, sub ratione turpitudinis non appetit (turpitudo enim est ipsa negatio in subiecto) ipsa priuatio pulchritudinis, ipsa deformitas, quæ non perficitur ipsa, sed abijcitur aduentante pulchritudine. Quare appetit id quod est turpe, abiecta turpitudine ac deformitate formosam induere speciem & pulchram: quod nihil est aliud quàm turpi explosa forma, pulchra forma vestiri. Vtimur metaphoris: quoniam cùm desunt propria nomina, translatitijs vtendum est, quæ & interdum ex vsu communi loquēdi rem ipsam exprimunt significantiùs, & tanquàm sub oculos ponūt. Itaq; quod turpe est, hoc est subiectum quod afficitur turpitudine, pulchritudinem appetit. Sic & fœmina virum esse suopte ingenio cuperet: non quod turpis in sese fœmineus sexus, sed quia virili imperfectior. Quia igitur subiectum imperfecto sexu affectum est, affici perfecto cuperet: quibus omnibus conficitur materiam formæ desyderio teneri, quoniam perfectam numeris omnibus formam, & omninò pulchram non possidet: nec vllam talē in hac sublunari machina est reperire: hinc variando formæ innatus appetitus: vt materia formam tandem in communi perfectamq; induat: quę quia non inuenitur, alias atq; alias quęrit congenito desyderio semper auida: & quanquàm illi idipsum ab eius autore sit inditum, in ea tamen est, id est, inclinatio ei inest ad formas à primo ortu naturæ congenita.

CAP. X. & vltimum

CONVERTITVR DISPVTATIO AD DIVINAM contemplationem & amorem.


SEd quoniam parum vel nihil potius est actum, nisi nobis ipsis philosophemur, alioqui malè nos philosophari compertum est consensu omnium, qui præclarè in literis audiuerunt: Ideò ad institutionem vitæ & emendationem morum totam disputationem conuertamus: vt Deum ipsum, qui est finis veræ philosophiæ, intellectu quoad fieri potest cognitum, & amemus, & ipso beemur. Ita Pythagorici veteres, ita Platonici quoquo modo, nostri verò qui verè sapiunt, vel identidem vel omninò semper. Possumus ex appetitu formæ in communi comprehendere eam pro modulo suo, infimaque rerum sorte (si tamen res dici exactè potest) Deum quærere. Deus enim quanquàm forma

propriè & omninò exactè dici nequit, quà formæ nomen materiam respicit: nec item actus, quà id vocabuli potentiam innuit: minus tamen impropriè ita vocaretur, quàm vocabulo signaretur materiæ omnium productarum rerum despicatissimæ. Itaq; Deũ pro suo modulo quærit materia: vnde & diuinum quiddam appetere dicta est: quia videlicet forma diuinius quiddam quàm materia existimatur, & si Themistio stamus, ipsius primæ causæ est appetentissima: & quoniam illam consequi nequit: vel tenue ipsius expetit vestigium, id est, sensilem formam: qua induta, quoniam contenta non est & satura, aliam quærit identidem: & quia non habet, quam habet, permutat indiga maioris boni. Habetur enim minus bonum, maioris boni comparatione deterius: minusq; pulchrum, si maiori componatur conferaturq;, turpitudine quadam videbitur dehonestari. Quocirca in votis est ipsa bonitas, ipsa pulchritudo: quibus conficitur, vt prima materia rerum parens sublunarium atq; sensilium, vt indiga est summæ illius bonitatis, ita & sitibunda: propterea que ad illam quoad vires eius suppetunt, anhelat semper. Pudeat autẽ nos, quorum animi sunt multis vitijs quasi maculis fœdi & turpes, ipsa nolle virtutis specie pulchritudineq; vestiri: & ex vario eius habitu, nõ permutato quidem, sed subindè ascito, ad ipsam pulchritudinem rerum diuinarũ totis viribus properare: vt quod Propheta cecinit, *euntes de virtute in virtutem, videamus Deum Deorum in Sion:* pudeat nos vel abiecisse penitùs, vel retudisse aciem congeniti stimuli, & propè innati à naturæ ortu, quo beari cupimus, quando rerum quæ sub obtutum cadunt pereuntium, & singulis momẽtis fatiscentium, vana & vmbratili prorsus imagine decepti, nuntium remittimus supernis donis, diuinitusq; illapsis formis virtutum, quibus fit gradus ad vltimam humani animi formam, hoc est, diuinam felicitatem. Cuius quærendæ appetitio, Dei dono indita & tanquàm inusta naturæ, permutatur desyderio retinendæ formæ ignobilis, & sæpè noxiæ, rerum minus bonarũ, atque afferentium perniciem: vt quæ & stuporem animo, & lethęam quandam obliuionem cœlestium inducat. Adeò amentes, adeò stupidi sumus, vt vinci nos permittamus à rebus omnibus sola naturæ inclinatione donatis, nec mentis iudicio pollentibus, nec arbitrij libertate, quo cæteris præstamus animantibus quid rerum vsi vocabulo sumus? quando & à prima ipsa, de qua sumus locuti, materia superemur, quæ quoquo modo, non autem perfecta res est: nihilominus agitatu continuo eam nobis indicat, quam habere possunt omnes: sed pauci verè volunt, pleriq; non quærunt, nonnulli & posthabent, etiam negligunt felicitatem.

IOAN. FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI, & Concordiæ Comitis, libri de Appetitu primæ Materiæ, Finis.

AMPLIS-



AMPLISSIMO ET ILLVSTRISSIMO D. M. L. CARD. ET PRINCIPI GVRCENSI, AC IN ITALIA PROCAESARI,

Ioannes Franciscus Picus Mirandula Felicitatem.



VPLICI ferè modo nostræ ætatis viri doctrinæ studijs addicti philosophantur: Alij Aristotelea placita, aut interpretantur, aut sequuntur, vel solo in Lyceo versati, vel in Academiæ spatijs decurrentes. quo in genere pleraque iam scripsimus. Alij noua quædam, & si ab antiquis dissideant, commentantur. Qua de re nunc excitandorum causa ingeniorum, placuit experiri de Elementis, si cõtradicere veteribus philosophis probabiliter possem: & hoc de genere maioribus tanquàm præludere monumentis. Dedisti occasionem tu aliquam, vt hæc ad te in præsentia mitterem: excitata nuper abs te de visilibus radijs quæstione subtilissima, quæ diu exagitata in elementis tandem recepta est. Dederis & cumulatiorem spero, vt maiora, ita & meliora scribendi parata nobis propemodum via: quando meæ ditionis rebus tua & autoritate & opera paulò antè compositis, potero quod temporis in peregrinationibus, in exilijs, in tumultibus conterebatur, id totũ domi, & in patria ditione, & pacato in ocio literarum studijs impertiri. Vale.

JOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI,

De Elementis,

LIBER.

CAP. I.

OPINIONES VARIAE DE NVMERO ELEMENTORVM, & eorum quæ ex illis constituantur.



ETVS opinio est à primis vsque deducta sæculis, philosophorum & medicorum firmata consensu, rerum elementa transmutari inuicem, atque misceri: Quo autem numero illa essent, quo modo miscerentur, inter antiquos multa dissensio. Nam qui plura, quatuor, qui pauciora, qui numerosissima, qui infinita fecerint, inuẽti sunt: qua de re & alij plerique, & nos in primo de Vanitate doctrinæ gentium, latè disputamus. Aristoteles, & qui eum sequuti, quatuor contenti fuêre: idque visum etiam Platoni. Sed inter vtriusque sectæ, hoc est, Peripateticæ, atq; Platonicę philosophos nõ parua lis. Quoniam illi res quaspiam eximunt etiam corporeas ab elementis, & eorum mixtionis faciunt immunes: hi nullo pacto: Quintam rerum essentiam commentus est Aristoteles ab elementorum conditione diuersam: eaque & cœlum & stellas, superioraq; illa omnia corpora constituit. Ex Platonicis verò sunt, qui quanquam cœlestia ex ipsis quatuor conflant elementis: plurimùm tamẽ ex igne habere contendant, nec aëris faciant omninò expertes: reliqua aut minimè, aut vix in participatum admittunt. A` cuius sententia non vsquequaq; visi abhorrere, qui materiam in cœlo esse contendunt, eiusdem cum ea naturæ quæ sub elementis cõtinetur, ex quib. omnia postea sublunaria coagmentata sunt atq; coalita: ob præstantiam ta-

men formæ cœlestis, & abiectam rerum terrenarum sortem, hæc transmutari, atque corrumpi subindeq; generari: illa inuiolata & incorrupta permanere decernunt.

CAP. II.

DE MAGNITVDINE, ET QVALITATE ELEMENTORVM, & mixtionis modo, diuersæ narrantur sententiæ.



Odum verò mixtionis varium diuersi reddidêre: nam qui elementa sibi certa & signata magnitudine aliud alio præstare existimârunt, eorum etiam qualitates certo quodam tenore qualitatibus aliorum prȩstare dixerunt: Alij verò quî excedere se quidem elemēta sunt arbitrati suapte mole & magnitudine: qui enim negari id potest? quoniam visu constat, terram ambiri aqua, & aquæ circunduci aërem: quem æthere, siue igne vallari recipi solet: ij nihilominus quota portione alterum præstaret alteri, sciri posse negauerunt. Et hæc, vt mihi videtur, vero similior omninò sententia: quis enim metiri magnitudines elementorum quiret? nedum adeò metiri, vt quod cuique præcelleret, quotaque portione præstaret alterum alteri, exactè censeret? Quæ enim cernuntur elementa ignis, aër, aqua, terra, propriè elementa esse non recipiuntur: sed naturæ quæpiam ex elementis mixtæ, atq; coalitæ: siue ea mixtio à prima rerum conditarum origine facta fuerit, cum prima omnium materia elementis elementaque rebus, quæ ex ipsis coaluerunt, substrata sint: siue tempore succedente postmodùm, idque identidem obtigerit, manente videlicet aliqua puri elementi particula in propria cuiusque sphæra: vt verbi causa. Cùm terræ portio ad terræ centrum, quod ex terra purum, atque impermixtum videtur quibusdam, secesserit: syncerus ignis ad lunæ conuexa migrauerit: media quoque elementa aqua & aër, ad suas quodq; sedes intimas imaque sese in penetralia receperint: quod placuisse videtur Auerroi, quartum Meteororum librum enarranti: quanquàm aliter sensit media in Paraphrasi primi libri Meteororum, dum aduersus Alexandrum Aphrodiseum disputaret.

Certum sanè constansque haberi debet, nullum elementum purum, atque syncerum posse sentiri: quandoquidem sensus ipse ex diuersis conflatus, nihil nisi simile, id est, ex diuersis quoq; conflatum percipere potens est: ea verò perceptio qualitatibus quatuor fieri omnium ferè consensu decretum est. Quarum cuiq; elemēto duas, permutatis tamen vicibus (nam variæ varijs in elementis miscentur) attribuêre: eæ sunt, caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas. Terræ siccitatem & frigiditatem, aquæ humiditatem & frigiditatem, aëri humiditatem & caliditatem, igni siccitatem & caliditatem tradidêre. Itaq; duo elementa penitùs ab alijs duobus diffident. Quȩdam verò aliqua ex parte conueniunt, aliqua ex parte remouentur. Terra cum aqua frigiditate consentit, diffidet humiditate, qua pollet aqua: siccitate verò terra pollet humiditati contraria. Terræ & aëri nulla affinitas: vtraq; enim pugnant qualitate: hæc sicca est frigidaque, ille humens & calidus. Terra igni siccitate iungitur, disiungitur frigore: cùm igni calor obtigerit. Aqua aëri conuenit humiditate: pugnat frigiditate calori contraria. Igni aqua vtraq; pugnat qualitate: hæc frigore & humore prædita, ille siccitate atq; calore viget. Aër igni calore consentit, dissentit humore, quo neutiquam ignis participat. Extrema itaq;, terra & ignis suis qualitatibus parte cōueniunt, hoc est, siccitate: parte dissentiunt, quando hic calore pollet maximè, illa frigiditate. Aqua & aër, quæ medium inter extrema sunt locum sortita, inter se quidem humore consentiunt, frigore dissentiunt atque calore. Vt hinc demirari quispiam possit, cur quȩ maximè distant situ, mundiq; regionem sortita sunt maximè aduersam atque remotam, qualitatibus etiam non maximè distent: atque hinc (vt opinor) fuit Aristoteles hac in re varius, quando in opere de cœlo, terram opposuit igni, ex maxima locorum distātia maximam repugnationem inuectus. in libris verò de generatione, igni aquam opposuit ex pugna qualitatum. Sanè conuenire dicitur ignis supremum sortitus locum siccitate cum terra: Aqua verò igni propior, vt quæ super terra sic collocata: vtraque ab igne qualitate dissentit: nam & quæ ignis sunt, & quæ aquæ conditiones, inter se sic pugnant, vt pugnare magis non possint: & quanquam dici propriè & exactè nequit: vt quæ inter se non pugnant qualitates, ita vt altera expellat alteram, si sit poten-

potentior, non sint aduersæ dissidentesque: vt quæ videlicet sese eodem in subiecto compatiantur, etiam sint maximè intentæ, vt calor & siccitas in igne: quatenus tamen diuersis & pugnantibus conueniunt, eatenus quoquo modo dissidere dici possunt: siccitas enim & cum calore frigiditatis hoste potest (vt ita loquar) hospitari, & ab ipsa quoq; frigiditate suscipitur hospitio: quæ cùm sint aduersa illa, quoquo modo etiam aduersari hæc ipsa inter sese visa sunt.

Sed vtcunq; sese res habeat: ex quatuor istis qualitatibus, quæ primæ dicuntur, nasci cuncta veteres decreuêre. Aguntitaq; inter sese elementa, commercia quędam exercent, seseq; petunt, à natura impetum nacta sese mutuò petendi: Vnde illis Græci nomen fecêre στοιχεῖα, quasi vaderent in sese, visa etiam tanquàm bellare armis videlicet qualitatum contrariarum: ita vt ex pugna illa, modò victoria, modò clades hinc indè spectetur: conuenire etiam inter se visa, & quasi fœdera iungere & nuptias: ex quibus proles exoriretur. Hinc apud priscos illos philosophos, qui sub fabularum inuolucris obnubebant secretioris dogmata philosophiæ, ex lite & amicitia cuncta fieri decretum est: Hinc Iouis & Iunonis nuptiæ: quando ille pro igne æthereve, vnde & Ζεὺς ἀπὸ τοῦ ζέειν, hoc est, à feruore nuncupatus: Iuno pro aëre, quæ & soror etiam dicta, quoniam proxima & cœlo eadem ferè cognatione coniuncta: hinc & Iouis etiam cũ terra matrimonium, quando pro parte illa aëris sumptus est Iupiter, qui potest in pluuias cogi & irrigare terram, quæ suscepto humore parturit & parit: quapropter ille cecinit:

Coniugis in lætæ gremium descendit.

Cæterùm tametsi coire inter se elementa ipsa, talibus (vt exposuimus) qualitatibus prædita, receptum confessumq; sit, & concordi ferè sententia decretum: non tamen quo pacto hæc ipsa ad res constituendas conueniant, incontrouersum habetur, sed res est multarum fœta difficultatum. Alij enim misceri ita voluerunt elementa, vt vnũ quiddam ex ijs conflaretur, quod eorum aliquod non esset, sed ex omnibus quæ iam essent ipsa mixtione abolita, dissultaret: Alij integra manere censuerunt, nec defuêre qui mediam inter has sententiam dicerent, arbitrati nec integra manere, nec penitùs aboleri: frangi tamen & minui sic, vt abiret integritas formæ, retenta nihilominus ipsius virtute & potestate. Tantum ferè de mixtione elementorum, ab ijs qui ante nos scripserunt disputata, certè vberiùs ab illis, sub compendio retuli: vt quid nobis in mentem venerit, commodiùs aperiremus, & contrà dicere sine crebra opinionum repetitione possemus.

CAP. III.

QVOD ELEMENTORVM NVMERVS, ET ORDO, ET *qualitas per certas rationes non decernatur.*



EGo quidem vt quæstionem de elementorum numero non exactè discutiam, illud tamen afferam, eum exactè nesciri: nam & qui philosophorum sententiæ nollent acquiescere, nescio quo pacto astringi possent: quando existimari contingeret aliqua alia esse elementa, quę occulta quadam vi naturæ concurrerent ad res sublunares constituendas: Videri solum ignem, aërem, aquam, terram (quæ cùm pura non sint elementa, ea scilicet quæ oculis cernimus) nihil referre si dicantur alijs etiam inuisibilib. elemẽtis mixta. Qua ratione etiam Phauorinus non admisit septem duntaxat esse planetas: quando conijci nequeat plures esse non posse, qui tamen non videantur propter exuperantiam, vel splendoris, vel altitudinis, paris tamen ad res efficiendas virtutis & potestatis. Fuêre item qui plura statuerent, & Icetes Pythagoreus duas esse terras est arbitratus: cuius de natura & viribus quàm diuersa philosophi protulerint, satis (vt existimo) patefit primo ipso, cuius memini libro de vanitate doctrinæ Gentium. Fuêre item qui pauciora: quoniam de sphæra ignis apud plerosque dubitatum est. Et sunt etiam qui nullam velint sphæram simplicium elementorum, & qui eas volunt, non cõueniunt. Nam Alexander vrere illum ignem noluit, qui est lunæ proximus: nec propriè ignem dici debere contendit. Qua de re est illi cum Auerroë in paraphrasi media libri Meteororum primi contentio: cui tamen decretum est, nullum reperiri omninò purum elementũ,

propter

propter ipsam primorum corporum æqualitatem: quæ cùm sint maximè contraria, sola mixtione coæquentur inter agendum & patiendum. Itaque de numero elementorum si diuinum oraculum æditum non sit, humana ratione non est sententia veridico ore adeo lata, vt ab ea non detur prouocatio.

Sic & de sedibus elementorum, quorum ordo apud plerosque præiudicatus est, à nonnullis etiam ductus in controuersiam. Certè cum Aristotele, & alijs plerisq; philosophis, magnus non sensit Ambrosius in libro sexdierum: qui videtur potiùs ad eũ appellare, cui notum id sit, ignotum autem humanæ coniecturæ. Nam si ordinem in tribus imis conspicimus elementis, pura tamen, vt diximus, illa non sunt, vt propterea consecutio connexúmve non admittatur, si de sphæris impermixtis idipsum afferatur. Porrò circa ipsa elementa, siue ea sint quatuor, siue plura, siue eo ordine posita, quo multitudo censet, siue alio, ac circa qualitates: plures ne sint numero, an tantum quatuor: multa me (si autoritatem philosophorum non admittam) tenet ambiguitas: adeò, vt rogatus sententiam difficilimum videatur quò se animus magis inclinet. Primum omnium hac in re satis constat sensu id nobis non patere: quæ enim sub sensum cadunt elementa, vti suprà satis est habitum, pura impermixtaque non sunt, sed prorsus insyncera, nec vlla omninò simplex & pura qualitas à corpore non omninò simplici & puro dimanat, quale nullum in machina sublunari. Quapropter iure arbitrari de eis sensus nequit, ac per hoc nec intellectus, si Aristoteli standum censeamus: apud quem pro constanti receptum est, nihil esse in intellectu quod priùs in sensu non fuerit. Relinqui itaque videtur ea ipsa de re sola phantasia, cui coniectura nitatur, decerni posse: quæ quàm sit fallax, nemo nescit: eam enim quaque in re tam vanam esse necesse est, quàm vanum fuerit sensus ipsa de re iudicium: siquidem nihil aliud sit phantasia, Aristotele decernente, & consentientibus Peripateticis, quàm motus factus à sensu secundùm actum.

CAP. IIII.

ELEMENTORVM QVALITATES PRIMAS, EARVMQVE naturam, ex rebus quæ de Elementis conflantur & coalescunt, non posse comprehendi.


Erùm enimuerò ex ipso conflatu elementorum maior omninò difficultas oboritur. Si enim quodcunque elementum suapte in natura, hoc est, syncerum & impermixtum, seorsum à nobis persentiretur, daretur vtique aliqua nobis via de eorum qualitatibus, natura, mixtione, iudicandi: nam si aquæ seorsum, vel aëris seorsum deprehensæ proprietates, conditionésve essent: sic & terræ, & ignis. Posteà dum aliqua res ex eis mixta sub obtutum caderet, animaduersis conditionibus ipsius rei, non omninò difficulter præstaretur: vt quas ab hoc, quas ab illo conditiones traheret elemento, quoquo modo fieret iudicium. Quo autem eas modo cognoscemus, cùm ex ipsa re iam mixta necesse habeamus elementa cognoscere? quò fit vt credere magis, aut coniectari, quàm scire opus sit, cuínam elemento quæ propriæ conueniant qualitates. Nam eos qui ita solent argumentari, vt effectum dicant se perpendere in diuersis contrarijsque rebus eundem, proptereaque illum ipsum acceptum debere referri dispositioni aliquæ, quæ illis ipsis contrarijs in rebus eadem inueniatur, facilè non recipio: quoniam ei dispositioni quanquàm vtrique rei communi coniectura quidem id acceptum referri potest, non autem certa ratione: nam & formæ, & variæ mixtioni, & diuersæ sympathiæ tribui etiam potest: vnde non difficulter fallacia non veræ causæ ab Aristotele damnata potest oboriri. Soleo autem ego contrà sic argumentari. Quotiescunque aliquis effectus, cui multæ insint conditiones, à pluribus ijsdemque diuersis dependeat causis: quæ'nam conditio cui causæ afferri debeat accepta, sciri nequit, ni priùs illæ seorsum causæ singulatim exploratæ adeò sint, vt eorum proprietates deprehensæ fuerint: Alioqui, num quæ vnius, alteri adscripseris? & augetur etiam difficultas magis quando plures esse possent causæ, quæ ad effectum concurrerint, quàm quæ vulgò sint existimatæ. Itaq; cùm nisi per ea quæ composita sunt ex eis, possint explorari elementa, ipsa verò per se & seorsum neutiquam detur percipere, coniectura vacillabit.

Dice-

Dicetur fortasse hac in re posse nos via & modo procedere: quando videmus ignẽ, etsi non syncerum omninò atque impermixtum, aquam etsi non suò puroque in elementa constitutam, sed alijs participantem, retinere tamen propriam vim insitam: hanc frigefaciendi & humectandi, illum calfaciendi & exsiccandi. At si ignis ille supremus & simplex non vrit, autore Alexandro, non calet? At si simplicibus, vel saltem minus compositis compositiora plus intentarum possideant qualitatum? vt glacies quæ est aqua frigidior, & plumbũ terra grauius: nam & illud admisit Auerrois in media Meteororum editione: & hoc in libro de Compositione theriacæ aduersus Galenum retulit. At si alio in elemento ignoto vis earum aliqua maior atque præstantior haberetur? at si in permixtione esset mutata conditio? at si dissultaret ex multis ea ipsa vis? puta caloris intenti ex calore ignis & aëris, frigoris ex aquæ & terræ frigore, siccitatis ex igne & terra, humiditatis ex aqua & aëre: Nam siue calor ignis à caloris aëris specie ratione ve differat, frigusque sit aliud specie in aqua quàm in terra: siue in vtriusque vnius eiusdemque naturæ fuerint: effugere nihilominus eas, quæ vndecunque circumstant difficultates, minimè poterunt: nam si alias species caloris in igne, alia in aëre, alia quoq; & diuersa natura frigoris ea habebitur, quæ in aqua & quę in terra. & ita de cæteris fiat qualitatibus iudicium proportione pari.

Ac videtur quidem rationi consentaneum: quoniam diuersæ sunt substantiæ, vt diuersas etiam habeant quæ illas consequantur proprietates. Alius itaque erit calor quo ignis, alius quo aër participet: duo igitur sub vno calores: quæ enim sunt diuersa specie, genere conueniunt. Si dixeris genus abstrahi à speciebus cogitatione nostra, & non subsistere, nihilque prohibere si tantùm sint duæ generis vnius species: Illud quæso responde, quo pacto illas esse in species deprehenderis, si in aliqua alia specie genus ipsum non deprehendisti? quo pacto enim hominem & leonem animalis esse species iudicare iure posses, si genus ipsum in boue & capra, aut aliqua alia animalis specie adseruari non planè constaret? Si maximè sunt species, vt numeri, Aristotele autore, quibus addita videlicet differentia species varietur: oportet igitur adesse id quod per diuersas & varias dissecari differentias queat: habebitur igitur calor tanquàm genus igne superior & aëre, quod in aliqua etiam specie inuenietur. tumque aut elementare erit ille calor, & sic plura elementa: aut cœleste scilicet & quintæ naturæ, & tum id quod est quintæ naturæ siue essentiæ, diuersique omninò generis, miscebitur elementis, quod à Lyceo prorsus explodet Aristoteles. Quod si eiusdem speciei dixeris esse: ergo vnum pendebit ab alio: & sic caliditas aëris pẽdebit ab igne: si vera est illa ab Aristotele in Metaphysicis posita lex, in vno quoque genere esse vnũ maximum, à quo dependeant illius generis cætera: si maximum, ergo prius, quia etiã causa: nisi fortè Petri Aureoli opinio reciperetur, legem illam Aristotelis paulominus abrogantis: Sed certè si alterum deriuatur ab altero, ergo simul æterna non erunt elementa, vt voluit Aristoteles: quando in ęternis id quod est efficiens, prius effectu nõ constituitur apud Peripateticos: ergo neque etiam simul in creatione fuissent constituta. Si verò fingas ambo summa esse, ratio repugnabit & voci, & imaginationi, quæ sanxit duo eadem in conditione penitùs summa & maxima esse non posse: neq; enim illi subesset fundamentum sententiæ, qua statueretur in aëre summum esse calorem: repugnaret enim & sensus & ratio, quando nullo incommodo excedentis qualitatis ab aëre in sese afficitur sensus, sicut ab igne corpora afficiuntur: nec patitur ratio, vt quod ex mixtione temperatum est, quemadmodum calidum cum humido in aëre id eiusmodi haberi queat, vt nequeat propterea remitti ille ex humore calor, quãdo humor non aduersatur calido: sed sese inuicem hospitantur, sicut calor & siccitas: quæ quidem siccitas cùm non auferat igni id quod est comburere: pariter nec humidum calori aëris, si in ea esset summus calor, ne combureret, posset auferre. Atqui cùm tẽperamentum omne ex frigido sit & calido, autore Aristotele in problematibus & in libris Meteorologicis: num aliquod simpliciter calidum, & simpliciter frigidum: simplex, non aliquo modo compositum, aut aliqua alia qualitate fretum, prius elemẽtis quæ duob. pollent qualitatibus, cogitandum esset? Et hæc quidem de concursu elementorum, & primis qualitatibus ad præsens dixerim.

CAP.

CAP. V.

HVMORES QVI EX PRIMIS PENDENT ELEMENTORVM qualitatibus, aut quot sint, aut cuius naturæ, ex ipsa mixtione non posse exactè indicari.



Sed enim cùm mixta sint elementa: & exprimis illorum qualitatibus caliditate, frigiditate, siccitate, humiditate, aliæ generantur qualitates, quæ in viuis & sese mouentibus, locumque permutantibus animalibus vocantur humores, sanguis videlicet, bilis & rubra, & atra, atque pituita: quorum sanguis dicitur sua proprietate respondere aëri, rubra bilis igni, nigra terræ, aqua pituitę: In cæteris etiam rebus aliquod ponunt his humoribus proportione respondens, vt quæ de ipso elementorum conflatu coagmentata sint, & eorum ex qualitatibus coalita, vt propterea dicant res alias calidæ frigidæ've, alias aut siccæ aut humidæ esse naturæ: Mihi videtur, ipsa in elementorum mixtione, atque concretione, qua humores in corpore generantur humano brutoque, easdem euenire difficultates. Primùm quòd plures non sint, esséve possint, aut etiam pauciores, sensu comprehendi nequit. Possunt enim ea ipsa in mixtione latêre, aut in venis alijsque receptaculis ita delitescere, vt natura nos de aliquo cælet. Indicium id potest haberi in dissectionibus cùm aliquod deest, quod adest in aliquibus. Fel enim, quod bilis aut fons creditur esse, aut receptaculum, aliquibus non inesse animalibus, aut non inueniri, scribit Aristoteles: aliquibus verò adeò magnum, vt demirationi sit atque stupori. Præterea cùm humano in corpore mixti sint liquores omnes humoresque: ita vt nihil nisi compositum ex omnibus possit aut videri, aut tangi: quo pacto de natura simplicium humorum, deque illorum proprietatibus habebitur clara notitia? sensu quidem minimè possumus eam consequi: quando nihil syncerum, nihil impermixtum, nihil quod non sit concretum, sub sensum cadit: & mixta confusaque sunt omnia. Vnde & medicis regula est notissima, & prorsus incontrouersa: debere eos ex vena mittere sanguinem, qui humores omneis volunt extrahere: quando in eo & vtraque bilis & pituita confusa interspersaque est: nihil tamen in venæ dissectione, nisi sanguis spectatur. At si non sensu possumus id internotescere: si solis videlicet sensuum oculis intellectus ipse res materiæ obnoxias intuetur: quomodo huius ope fiet discerniculũ? affecto enim sensu re quapiam, mens ipsa intellectúsve coniectura postea quicquam assequitur: vti ex crassitie, tenuitate, colore rubro, flauo, nigro, albo. Conijcit enim ibi synceriorem esse sanguinem, vbi tenuior fluxerit, & rubor insigniùs apparuerit: ibi pituitæ plus esse, vbi dilutior visus est sanguis: vbi verò nigrior, ibi plus atræ bilis: vbi flauus sese impensè præsentauerit, multum rubræ bilis inesse dijudicabit. At neutiquam certò id potest comprehendi: potest enim in aliquo indiuiduo suapte natura nigrior esse sanguis aut dilutior: id enim ex diuersa aliorum mixtione potuit contigisse, quæ non quantitate molis, sed qualitate aliqua & varietate proportionis sit ita conflata.

Dices te effectum deprehendere ex causa, quòd sanguis humidus & calidus, quòd bilis rubra & calida sit & sicca, quòd atra bilis sicca sit & frigida, terræ videlicet respondens. Quæso te, à quo effectu id es nactus? proprio nequaquàm, quia id non potes experiri, quando purum non potes humorem examinare atque perpendere. Si enim pharmacum aliquod ex simplicibus quatuor herbis, aut radicibus compositum haberes: nec alicuius illarum herbarum per sese naturam & proprietatem haberes exploratam: scires tamen hoc totum ex illis quatuor compositum pharmacum, elicere & pituitam, & vtranque bilem, atque etiam sanguinem: nam & Galenus elici sanguinem, & inter alios deligi humores posse non negat. Si, inquam, scires, idque identidem fieri perspiceres, cuínam tribueres electionem sanguinis? cui bilis? & sic de cæteris. Certè nulli vni seorsum: quando nullius illarum per sese naturam vimque nouisses, sed solius compositi ex illis quatuor pharmaci. Ad hæc, si nunquàm daretur vt singulas eorum proprietates nosceres, nunquàm posses, nisi aut casu aut aberranti coniectura, vel de longinquo illud pronunciare: cùm autem constet vt neutiquam detur tibi, purum aliquem humorem posse perspicere, nunquam eius naturã & qualitates seorsum & per se planè percipies. Adde quod sicuti effectus illius,

illius,de quo diximus,pharmaci,posset ascribi non alicui illarum simplicium,quarum meminimus, herbarum radicúmve : ita & tu duos si assignares ex illis quatuor qui educuntur humores, non posses ritè redargui, non secus ac si sanguini alias vires, bili alias, pituitæ alias præscriberes.quòd si fretus colore ignis, des illi ipsi flauam bilem: quo pacto eadem similitudinis ratione aëri dederis sanguinem? nam non conuenit colori sanguinis aër, terræ quomodo bilem atram? nam terra, si Aristoteli credimus in libro de coloribus, suapte natura alba est, quamuis nigra ex aliarum rerum admixtione videatur. Rursum si aëri respondet sanguis, plurimoq; sanguine homo pollet præ cæteris humoribus : cur tamen terrestre animal est, & tàm graue vt tolli nequeat ad cognatum aërem? Ossium causabis naturam, & terrestem partem? Num in eo ergo plus poterit atra bilis, quæ minima est in homine, si sanguini conferatur? At si sanguinem nunquàm vidisti simplicem, nec bilem quoque rubram puram scilicet & impermixtam: quomodo illum purpureum, hanc flauam censebis?

Aliunde igitur color humoribus aduenit,adscitus est,non natiuus,vt enim simplex erit color,& à re simplici manans : quod nequaquam admittent in humano corpore: cui nihil simplex, sed permixta ex humoribus omnia : aut alium omnino humorem præter illos quatuor assignari imaginarive satis oportebit, aut cogitare ex communi mixtione huic talem, illi talem aduenisse colorem : restabitq; tum quærendum, vna cùm sit conflatio ex omnibus, cur tamen quatuor, nec plures, nec pauciores censuerint esse humani humores temperamenti? quando nulla(vt facilè ex ijs quæ dicta sunt, colligi potest) conuincat ratio, maiori eos,aut minori numero esse non posse,eoque magis quod bilis ipsa genus esse videtur : in sanguine autem & pituita genera non constituunt.Est enim bilis rubra, est bilis atra, bilis vtraq; & plures quoque bilis species:vitellina,quam dicunt flauam admodum : & prasina porraceáve : & azinaria, ita vocant Arabes,cæruleam possumus Latinè nuncupare: Sed & Aristoteles in Problematibus,duo atræ bilis genera constituere videtur:calidam & frigidam. Quæ quidem res cùm quòd repugnat ijs,quæ decernunt alij de nigra bile,tum & temperamenti etiam species multiplicabit: nec vllæ præterea aut sanguini, aut pituitæ species tales assignantur: crassitie verò & tenuitate plurimùm & sanguinem à sanguine,& pituitam à pituita secernunt. Nec illud obliuiscendum, quomodo atræ bili,quam terræ suapte respondere proportione magno consensu decernunt,frigidæ scilicet & siccę naturæ, ac tanquàm torpenti & admodum stupidæ, traduntur ab Aristotele effectus maximè calidi & nobiles emotæ mentis:& confertur vino in Problematis, quod aëriæ potius & igneæ naturæ,quàm terreæ existimari omnium penè testimonio constat. Cæterùm aut calor sanguinis differt specie à calore bilis,aut minimé. Si primum des: superius aliquid cogitare oportebit, vnde hæc prodeat diuersitas:nam species diuersas sub vno genere congregari, atq; vniri, suisq; distingui differentijs, inter doctos conuenit. Humoris igitur genus superius comminisceris : nam si dixeris humoris species ex genere quòd non sit humor, pendere, tanquàm proprias geminasq; species ex alieno genere:sine risu & explosione,si in corona literatorum dices,non audieris:igitur plures quàm quatuor humores habebuntur. Si secundum responderis:ad alterum pendere ab altero,minus scilicet calidum à calidiori:tum sanguis pēdebit à bile: vt & quæ calidior habeatur, & igni sua proportione respondeat : tum ergo sanguis bile posterius erit in homine, & ab ipsa pendebit. Quod nec Lyceum, nec medicorum scholæ recipient, apud quos sanguis in animali,& præsertim in homine primatum habet, isq; & fons & origo sensilis vitæ apud omneis existimatur.

CAP. VI.

NON RITE EOS CENSVISSE; QVI VEL QVATVOR vel octo ex humoribus corporum temperamenta duntaxat constituêre.



HInc satis patère potest medicos minus consultè egisse eos, qui quatuor temperamenta duntaxat attulêre,siue etiam octo:simplicia quatuor,quatuorq; composita,atque vnum æquum. Plures enim omninò(vt arbitror) fuerint,si rem ipsam perpendere, & rei naturam ducere in controuersiam

maluerimus, quàm sine disquisitione instar irrationaliũ animantiũ alius post aliũ ire. Medicis autẽ propterea nõ puto succensendum, si rationẽ solùm habuerunt methodi medicæ facultatis, quæ sub quibusdam capitibus cogit multam diuersitatem, ad parandas curatricis artis regulas. Itaque si constituerunt & sanguineum temperamentum & pituitosum, & rubræ choleræ & atræ, vt mittere hos humores è corpore præcipuos, cùm excreuerint, queant, vt aptare quoque illis pharmaca possint, quorum sit proprium illa educere: eis inquam non existimo succensendum, si crassa (vt dici solitum est) Minerua id sanxerunt ad methodum parandæ sanitatis faciliùs consequendam. Sed si ad exactam notitiam id fecerint, minimè recipio: cùm non satis constet, quínam sint, & quot humores, ex quibus illa ipsa temperamenta constituunt. Sed si gratis etiam concedatur eis, vt exploratum sit atque compertum qui & quot humores: maxima etiam restat difficultas in decernendo temperamento: vt propterea sciri nequeat, quot & quæ temperamenta sint constituenda. Nam proportio diuersa mixtionis, diuersas temperaturas parit: & cùm hæ mixtiones non quatuor duntaxat habeantur, sed multò plures, multò etiam plures habebuntur temperaturæ humani aut etiam brutorum corporis. Ipsa enim mixtionis diuersa ratio diuersáve proportio vicem habet propriæ & speciem afferentis differentiæ (nam proportiones numerorum instar habentur) quare vbi diuersa fuerit proportio, diuersa prodibit species temperamenti. Alioquin si eædem specie essent, & ob excedentem duntaxat qualitatem sortirentur species suas corporum viuentium temperationes, sequerentur multa quę explodi oporteret: vnde & illud ex quo sequuntur, pari deberet censura dãnari. Namque in hominum specie diuersæ species proportionum & conflatus, essent eiusdem speciei. Fac enim duos in caliditate excedere: reliqua mixtio sit penitùs alia: puta tres, ille, pituitæ gradus, quatuor sanguinis, vnum atræ bilis habeat: hic quinq; sanguinis, duos atræ bilis, vnum pituitæ: tum enim mixtionis erit diuersa species: nihilominus vna species habebitur temperamenti, scilicet cholerici vel biliosi.

Si, exempli gratia, plurimos vnusquisq; gradus bilis rubræ in temperamento possederit, an eodem etiam pacto hominis maximoperè cholerici eiusdem esset, quo ad temperamentum corporis attinet, eiusdem, inquam, cum leone speciei? manat certè diuersitas specificæ qualitatis à diuersitate mixtionis: adeoq́; variant, vt tua etiam rubra bilis à mea specie differre non iniuria dici possit: non quatenus calida aut quatenus bilis, sed quatenus tua aut mea, id est, quatenus in tuo meóve corpore eam sortitur cum alijs humoribus mixtionem caloris, quam non est in alio atque alio sortita, neque enim ipsa bilis est simplex, sed & ipsa quoq; ex varia mixtione primarum conflata qualitatum: adeò, vt non solùm magis minúsve calida, sed ex diuersa mixtione coalita. Eadem quoq; bilis (vt diximus) in plures diuiditur, sciditurq́; species: & quæque proprias habet operationes, ex quibus species ipsas & indagat & constituit Aristoteles: Diuersa quoq; illis medici adhibẽt remedia. Cæterùm si differrent temperamenta complexionésve (ita iuniores dicunt) calidæ à calidis sola intentione, adeò vti (quod volunt) excedens & alijs præeminens qualitas constituat speciem: temperatio hominis calida à calido equi temperamento, nisi intentione & remissione differret. Si neges, tibi aduersaris, si confirmes, id sequitur absurdi: Quod operationes differũt, & non differt species à qua illæ prodeunt: Alij enim effectus à caliditate humani temperamẽti, alij ab equinę temperaturæ caliditate dimanãt. Si dicatur, ea temperamẽta specie differre propter latitudinem, puta extra latitudinẽ equini temperamenti aut humani cùm quicquam statuas, tum speciem emergere variã, & hoc propter formam (vt aiunt) substãtialem hominis, id est, animam, & formã substantialem equi, quæ sunt specie diuersæ: proptereaq; temperamenta etiam sibi adsciscunt specie diuersa. Contrà stabit ratio: quia intentio & remissio nunquàm variant speciem: Vbi ergo sub eadem latitudine, puta caloris, vel intenti vel remissi, quiddam specie inuenitur diuersum: ipsa speciei diuersitas alicui aliò referenda est accepta. Nec id diuersæ formæ quã dicunt essentialem, dandum est: quia restaret difficultas in hominis cadauere & equi cadauere: ex altero tamen crebrò, ex altero minimè generatur: & alia ex hoc, alia ex illo euenta dicuntur: nec tamen forma substantialis vltima, id est, anima vlli eorum inest. Præterea differunt specie temperamenta membrorum vnius & eiusdem corporis, multò magis alieni: Consecutio nota, & quod antecedit, probatur ex operationibus

nibus,quæ,vt inquit Auerrois,formam faciunt cognoſcere:nam alia cordis operatio, alia epatis,alia ſplenis,alia capitis,alia digiti,& hoc niſi ex varia mixtura: vt mittam cuiuſdam magni viri opinionem, cuiq; membro diuerſam formam facilè concedentis. Et confirmari hæc omnia poſſunt autoritate Ariſtotelis ita in Problematibus decernentis:vbi enim de temperamento, in quo bilis eſſet atra, differeret ita : Vt enim ſpecie inter ſe diſtant,nō quia faciem habent: ſed quia faciem talem,id eſt,alij pulchram, alij turpem: & qui nihil ſuperuacui gerunt, ij ſtata ſunt forma:ſic etiam qui leniter habitu illo conſtant,ij medium tenent: qui plenè, ij iam diſſimiles multitudini euadunt.

Cæterùm in rebus etiam inanimis diuerſam temperaturę mixtionem indeprehenſam eſſe,ijſdem quibus vſi ſumus rationibus,poſſet confirmari:idq; percipi facilè poteſt ex colore.Nam multa rubri,multa albi temperamēta,multa viridis (namq; multæ ſunt differentiæ virentium in genere viridium) ſub genere item colorum,ſub genere qualitatum:aliud enim viride ſubalbidum : aliud quod anatum colla pręſeferunt,alia ſambuci,alia citri,alia oliuę, alia ſalicis viriditas:Diuerſa videlicet ex mixtione temperamenti:ſicut & panis ex diuerſis confecti granis : quæ diuerſarum eſſent ſpecierum: proportio itaq; mixtionis elementorum hæc omnia operatur. Quare cùm quatuor tantùm elementa habeantur, ex quibus quatuor temperamenta conflentur:ſiue ſola compoſita,ſiue etiam ſimplicia : & addatur etiam quæ ſit æqua ex omnibus, non poterunt diuerſiſſimi & mille differentijs effectus inter ſe diuerſi, ex tàm paucis mixtionibus prodire?qui quidem effectus cùm neſciri queant,nec eorū ſanè cauſæ,& multò certè minus ipſa temperamenta : Quoniam quæ illa parit elementorum mixtio,non cognoſcitur: ignoratur enim ipſa proportio.Et hæc tāquàm in tranſcurſu de elementis,& de eorum mixtione ſint diſputata.Romæ Pridie Kal.Ianuarij, M.D.XIII.

IO. FRANCISCI PICI MIRANDVLAE, DE Elementis Libri, Finis.



JOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI, CONCORDIAE'QVE COMITIS AD PETRVM,

De Imitatione,

LIBELLVS.

IOAN. FRANCISCVS PICVS PEtro Bembo, S.



Trum tibi cùm antiquos imitanti ſcriptores, tùm de imitatione mecum diſſerenti, aſſentiri an aduerſari deberem, nondum ſatis, Bembe, iudicaui : quando ipſos etiam veteres qui proponuntur imitandi, hac de re cùm varios tùm animi dubios fuiſſe planè comperiebam : ipſa quoque ratio ſeſe ita præbebat æquam vtrique parti, vt quò vergeret,non ſatis appareret. Quamobrem ſi quæreretur autoritas,ſi ratio deſyderaretur, quibus quaſi germanis ad veritatem indagandam vijs vtimur, lis adhuc ſub iudice manere videbatur.Verùm enimuerò dum cogitarem acriùs,ipſamque imitationem animo voluerem, in eam ſum adductus ſententiam, vti nonnihil quidem imitandum aſſeuerem vſquequaq; verò non putem : imitandum, inquam, bonos omnes,non vnum aliquem, nec omnibus etiam in rebus:quod tute ipſe arbitrabare. Qua quidem in re,vt ita ſentiam,multa me mouent, eoque animus inclinat vti aduerſus te ſtandum facilè exiſtimem : idipſum tibi declarare tentabo conaborq; quibus potero rationibus : vt ſi non ego in te (quis enim in amicum,& talem qualis eſt Bembus id faceret?) ſententiam feram, ipſe tamen fortaſſis litem ſecundùm te dandam minimè cenſeas. Ac primùm omnium ſatis conſtat imitatores à Platone vel inani, vel nullo verius titulo notatos : vt qui proprio digni nomine non habeantur,

nisi quod eis illa ipsa imitatio fecerit: inhonesta verò Flacci nomenclatura damnatos & appellatos seruum pecus. Hinc videas omneis quicunq; aliqua in re autores celeberrimi extiterunt, aliundè quam ex imitatione gloriam, quæ de rebus præclarè gestis exurgit, eamque comitatur vt vmbra corpus, sibi ipsis quæsiuisse: ac potiùs vel intenta contentione aduersatos prioribus, vel adnixos longo eos interuallo præterire, non sequi: Qui enim assecla cupit semper esse, primum sibi nuquàm vendicabit locum. Ad quem videtur vel naturæ propensio, vel nescio qua certè ambitio totis viribus anhelare. At imitatus dicitur Homerus Orpheum adeò, vt carmen quod hic poëmati de Cerere compositio præstituit, in Iliade duobus tantùm nominibus exceptis oculatissimus cæcus ille transtulerit: nullus tamen indè honor est Homero partus: sed quoniam sonora magis grandioriq; tuba res Troianas cecinit, multa illum & vndequaq; est gloria consequuta. Obfuit magis quàm profuit imitatio Vergilio, quoniam prçclarissimo vati, & quod ad iudicium Poëticum pertinet, omnium omninò præstantissimo: nihil ferè magis vitio verti solet, quàm imitatio nimia veterum poëtarum: à quo tamen vitio longè illum abfuisse censeo. Neque enim omneis aliorum imitatus est partes, suos ipse habet numeros, propria tenet lineamenta, dispositionemq; in primis peculiarem & maximè propriam (vt alia taceam) quæ non sint ei communia cum cæteris: æmulator veterum veriùs quàm imitator: & quanquam mutuo si non furto quædam hinc inde quasi signa, veterum atque toreumata carpsit ad ornanda suorum poëmatum ædificia: proprijs tamen illa sunt ornamentis magis conspicua, atq; omnino magis illustria. Cicero quoque neutiquam Demosthenem, quod multis creditur enixus, est imitatus: plerisque sanè in rebus æmulatus suum retinuit filum, & instituta dicendi. Titus Liuius Salustio clarissimo historiarum scriptori palmam vel æquam habuit, vel præripuit, diuersam tamen cucurrit viam ipsius consequendæ gratia. Debita quoque laude nec Corneli⁹, nec Curtius caruêre, & primus illis & alter alteri dissimiles. Quod si Græcam tractes historiam, quæ maior quàm inter Herodotum & Atheniensem illum cùm ducem, tùm scriptorem rerum à se gestarum, differentia styli? vtriusq; tamen laudes amplissimæ.

Ad philosophos si deueniamus Græcos: Aristotelis eloquentia magnopere celebrata est cùm Græcis, tùm Latinis qui Græcè sciunt: Platonis verò nunquàm satis laudata, cùm tamen illius stylus huius sit graphio dissimilimus, nec tamen Atticæ similis Musæ, quanquam celebratissimæ, & Platonis planè dissimili cùm scribendi ordine tùm verbis, quibus hic ipse Xenophon κοινοῖς, Plato autem καλοῖς (vt Græci dicunt autores) vtebantur. Non defuit autem Aristoteli facultas imitandi, eum præsertim, cuius adiutorij limen viginti annos frequentissimè contriuerat: non defuit eruditio, non iudicium: maluit tamen suo in calle præcedere, quàm in lata aliorum via vel secundus esse vel tertius. Inter Latinos verò Ciceronem & Varronem quæ'nam quæso loquendi differentia? neque enim hunc ille quanquam vndecunq; doctissimum, aut stylo imitatus est, aut ordine rerum scribendarum, & modo. Antiqui enim illi præclarissimi viri nunquàm aliquorum imitationi studebant ita, vt in eorum verba, membra, circuitus iurarent, quasi semper infantes, quasi alitibus postponendi, quibus à parentibus extra nidum eductis satis est si ter vel quater volanteis illos aspexerint. Carpebant ex vnoquoq;, quantum satis esse videbatur ad phrasim vel constituendam, vel ornandam, quæ tamen essent vel propriæ cognata naturæ, vel accommoda materiæ, quæ tractaretur. Sic & Celsus & Columella clari, nitidi, pressi & elegantes: in altero tamen egregia mundicies, in altero flosculi fortasse crebriores: imitationem in illis nihilominus vel nullam, vel certè paruam es deprehensurus: genium propensionemq; naturæ eorum quisque sequebatur. Etsi enim homo omnium maximè vim obtinet imitandi, vt hinc & multa & varia discere possit, quod scribit Aristoteles in Problematibus, eaque de causa Poëticam homini naturalem esse, primo quem ea de facultate libro scripsit, est apertè testatus: proprium tamen & congenitum instinctum & propensionem animi nactus est ab ipso ortu, quam frangere & aliorsum vertere est ipsam planè violare naturam. Itaque cùm nostro in animo Idea quædam & tanquam radix insit aliqua, cuius vi ad quodpiam muneris obeundum animatur, & tanquàm ducimur manu, atque ab alijs quibusdam abducimur: colere illam potiùs quàm incidere, amplecti quàm abalienare operæprecium est: nihil enim nostræ consulens

ſulens felicitati, aut à virtute alienum, aut noxium nobis impertijt ipſa natura. Ideam igitur vt aliarum virtutum, ita & rectè loquendi ſubminiſtrat, eiusq; pulchritudinis affingit animo ſimulachrum, ad quod reſpicientes identidem & aliena iudicemus & noſtra. Neque enim eam quiſquam adhuc perfectè attigit, vt hac in re illud etiam poſſit dicier, *nihil omni ex parte beatum:* quandoquidem non vni tantùm, ſed omnibus & vniuerſis diſtribuit præclara ſua munera: vt ex ipſa varietate totius vniuerſi pulchritudo conſtituatur. An putas fruſtrà prudentem illum pictorem cenſuiſſe, omnia ſe vno in fœmineo corpore reperire non poſſe ad venuſtatem? & incaſſum putas prudentiſſimum oratorem eius induſtriam ſecutum, longè etiam illum præteriſſe iudicio? qui vt imaginem illam pulcherrimi eloquentiæ corporis effingeret, omneis delegit viros facundia præſtantes: cùm ille quinq; ſolùm Crotoniatas ſelegiſſet virgines pulchritudine celebratas: nec ſatis illis fidens, formam ipſam ſeu ſpeciem abſolutam eloquentiæ, nulli prorſus adpictam ſola imitatione dignam exiſtimârit.

Imitari itaq; eam debemus, quam animo ſcilicet gerimus dicendi perfectam facultatem: qua & aliorum & noſtra cùm errata in obeundo loquendi munere, tùm virtutes etiam metiamur: ſiue ea ipſa penitùs innata ſit idea, atque ab ipſa origine perfecta, ſiue tempore procedente multorum autorum lectione conſumata. Ea fiebat vt M. Ciceronis aures ſemper Demoſthenes non impleret, ea ipſa Patauinitatem in Liuio cauſabatur Aſinius: Ipſa eadem & Brutus elumbem Ciceronem, quanquàm amicum præcipuum iudicabat: alij Aſianum, tumidum, redundantem, nimiùm viro molliorem: qua etiam factum opinor, vt nec aliquem vnum ſcrupuloſiùs imitandum vel Celſus, vel Fabius præceperint, neque etiam ſi fuerant Ciceronem, quem maximè laudant, imitati. Quid enim cauſæ fuit, vt tot illos varijs non ſolùm in rebus, ſed vna eademq; facultate diuerſos dicendi artifices poſuerint in medium? niſi vt vel ab hoc vel ab illo quod placeret magis, decerperemus: ſiue impulſu acti naturæ, ſiue iudicio. Nam qui non ita cenſent, illud oro diſſoluant: curij qui Ciceronem tàm laudant, quàm qui maximè, illum ipſum tamen non ſunt imitati ſtylo ſcilicet & figura dicendi? Ad id ſcilicet non potuerunt Celſus, Cæcilius, Plinius, Fabius, alij Ciceronis ſæculo proximi: cùm reſtarent adhuc tanquàm reliquiæ & inuiolatæ illæ quidem puri Romaniq; ſermonis, ipſamq; Latinitatem ſugerent cum lacte nutricum? An ignorârunt imitandum eſſe magno ſcilicet & excellenti ingenio viri, qui & alijs de imitatione præcipiebant? Dicendum potiùs videtur eos noluiſſe: ne ſi voluiſſe quod non potuerant afferamus, vel tacitò nos eorum opponamus gloriæ, qui quod illi non potuêre viri clariſſimi, nos ipſi vel obtinuerimus, vel ſperemus. Dicturus eſt fortaſſe quiſpiam, eos qui magis nobis placent, eſſe magis imitandos, quod ego quidem non condemnârim, placet præ alijs Plato, placeat Cicero, non opinione ſolùm, ſed ſtylo Platonicus, eos ſequamur. Nam quanquàm ſua eſt cuiq; propria facies animi, ſicut & corporis: vt duos omninò ſimiles non facilè ſit inuenire, minor tamen in animo noſtro cum aliquibus præ alijs eſt diſſimilitudo: atque per hoc faciliùs erit nobis, vti ſimiles euadamus: meminerimus tamen nos ſimias non eſſe oportere, quæ deteriora ſibi deligunt ad imitandum. Sunt enim qui neuos, qui cicatrices, qui maciem, qui excrementa etiam effingere velint, vel nulla vel minima ratione habita & lacertorum, & viuidi roboris, & gratiæ: Ab ijs nō diſſimiles, quibus magna eſt cura, vt rara quæpiā vocabula, quæ fortè aut Ciceroni exciderunt multa ſcribenti, aut vitio temporum fuêre in eius libros introducta, adeò vt ſi ab inferis excitaretur, à ſe prompta negaret geſtientes ſurripiant, vel etiam quę mancipes librarij integritatem lectionis dum paſſim corrumpunt edidêre, ipſi obſeruent magna cum diligentia.

Superfluum præterea vanumq; exiſtimari debet, ſi ad omnem Rhetoricam portionem imitatio adhibeatur. Inuentio enim tum laudatur magis, cùm genuina eſt magis, & libera: explodique ſolet quæ ereptitia iudicatur, nedum accerſita. Vndénam quæſo illud, *Furem non poëtam fabulam dediſſe?* An etiam aliunde prodijt, vt illi omnes damnarentur, qui dum Muſarum & Apollinis haberentur ludi, aliorum imitatione ſibi quæſiuiſſent vnde probarentur: & ſoli relata ſit à Criticis palma, qui ex ſeſe & ex propria penu eruditi prompſerat obſonium animi: tametſi eo non ita conuiuarum guſtus oblectaretur? Diſpoſitio verò ſequitur inuentionem ita, vt hic qualis fuerit, talem, quo ritè diſponatur, ordinem expetat: ne id quod effingis, quaſi intelle-

ctile corpus orationis, aut vastata nimis, aut pusilla nimis, aut omnino præpostera membra deforment. Tua autem hic vt sit, necessarium dubio procul omni futurum arbitramur: eoq; maiori tibi fuerit adnitendum diligentia, à te ipso videlicet non ab alijs petenda: quò maioribus ingenij viribus in ea perficienda opus est: si Plinio maximè crediderimus, affirmanti & barbaros etiam inuenire magnificè & enunciare: rectè verò disponere & figurare, non nisi eruditis concessum esse. Elocutio verò num & ipsa sequitur inuentionem? quando diuersam ad materiam diuersa phrasis adhibenda est. Num & ipsa quoque dispositionem comitatur? huic enim alia, illi alia tribuenda est: ita vt à te ipso omnis tandem pendeat oratio. Nam de memoria & pronunciatione tacendum puto, quando earum neutra chartis mandetur, & alterum nulla ex imitatione tibi compares, sed ex matris (vt inquit Lucillius) * bulga tecum feras: vt autem hic exercitatione perfici solet: ita exempla maiorum alijs partibus quę referri literarum monumentis queunt, opem ferre non mediocrem iure affirmauerim. Poteris enim inuentionem quapiam de re ab alijs traditam, vel æmulari, vel superare, poteris disponere meliùs, eloqui etiam ornatiùs. Neq; enim quasi vetula mulier, suis est viribus parens effœta natura, vt nostro scilicet hoc sæculo quasi nimio partu lassata defecerit. Nec Deus Optimus Maximus nostræ ætati non est largitus ingenia: vtinam tàm benè excolerentur, quàm bona sunt edita, & non inanibus nugis ac fabulis, quasi glande & siliquis edendis dedita, sua alimonia fraudarentur. Ita enim macerata sunt nonnulla, & quasi tabe consumpta, alioqui suapte natura formosa, vt simulacri & euanidæ vmbræ magis, quàm viui animi effigiem præseferant. Crescunt (vt mea fert opinio) veriùs quàm decrescant ingenia. Multa enim quæ ad rerum spectant notitiam, & nostrum sæculum, & huic proxima nouêre, quæ docta illa ignorauit antiquitas. Lingua certè veteribus illis cùm Græca tùm Latina quasi natiua adfuit, quam ab eorum libris petere nos oportet: quibus maior ea de re fit legitimæ laudis accessio. Illi enim vel nolentes & in Hellade Græcè, & in Italia Latinè loquebantur, nobis Italis quæ Latinè loquamur, nedum Græcè, id nostra est partum & elaboratum industria: inde fiet, æquum rerum æstimatorem si sortiatur nostra ætas, posse eos qui nunc mediocriter loquuntur, præcipuis illis & antesignanis iure præferri, qui scilicet inter Gothos, Vandalos, Hunnosq; versati priscam illam, & tot sæculis abolitam dicendi rationem aut teneant, aut tenere conentur imitatione continua, qua etiam in re mira subtilitas, & fortè nimia. Nam nec cursu solùm veterib⁹ similes, nec gressu vel esse vel videri volunt quidam: sed ita incedere, vt eorum in vestigijs ponant vestigia. At si veterum maiora vestigia fuerint, vt etiam corpora, num in illis minor pes firmabitur, an labascet, si solum maximè subudum fuerit? si verò illa nostris minora extiterint, num excludentur curiosi pedes, & frustrabuntur voto? æquum enim vestigium quod omni ex parte quadret, quis inuenerit? ni calceorum fortassis officina quæpiam è Romanis eruta ruinis formulas nobis quasdam subministrauerit: at quot veterum pedes, tot calcei.

* vulua

Nec ambigas, Bembe, etiam si antiqua sandalia in absconditis thesauris inueneris, & aptaueris tibi, te vnquàm propterea posse à Criticis impetrare, vt antiqua credantur: efficiet hoc inuidia, semper simultas erit in causa, quoad illam ipsam dies longa præscripserit: Neque enim alia habebuntur quàm noua, hoc est, non absoluta, nec omnibus perfecta numeris, quod quidem in signis euenire persæpè sumus contemplati, quæ & si quando præstantiora fiunt quibusdam, quæ vetustis illis sæculis exculpta fuêre, nihilominus, cùm vt noua circumferuntur, imperfectioribus posthabentur: tantùm vana illa mille annorum imago quasi pestis inuasit hominum iudicia. Nam si vetera credũtur esse, si etiam spectator est animi dubius, antiquáne sint an minimè, mira laus: nulla insurgit censura rigidor. At si compertum fuerit recenter edita, prodaturq; etiam nomen opificis, tum mille Aristarchi, tum & sibila quandoque erit audire, tum non tertius modò cadet de Cœlo Cato, sed & Timon atque etiam Momus exurget ab inferis. Nouimus hominem scripsisse epistolas sub Ciceronis nomine, quæ non laudi solùm, verumetiam admirationi maximæ fuerint, eundemq; ipsum epistolis Ciceronis suum adscripsisse nomen, demptis tantũmodò ijs vocabulis quæ prodere falláciã possent. Es'ne, Bembe, crediturus, quòd illæ ipsæ Ciceronis epistolæ & rubras cæras, & virgulas, & asteriscos, & obelos, & sexcentas censorias notas

perpeti

perpeti quiuerint nouæ inſcriptionis cauſa: quæ tamen antea ſub veteri titulo fuerant nunquam ſatis laudatæ & celebratæ. Incaſſum igitur ſategerat ille prioribus in epiſtolis dum verba rimabatur, dum cæſa metiebatur & membra, dum circuitus deligebat, dum numeros mandabat memoriæ, dum obſeruabat lineamenta, vt quę ſcribebat, Ciceronis eſſe viderentur: poterat enim paruo impendio & labore id præſtare titulus, & auferre.

Sed illud quoque ad nimiam auiditatem imitationis compeſcendam facere poteſt: quod mediocris etiam autoris ſcribendi genus, nedum Ciceronis, non imitabile videtur omni ex parte, ſi quæ complexu de illarum * muneris loquendi partium ſuprà diximus, ad memoriam reuocentur. Vbi enim inuentio, quæ quaſi materia orationis eſt, eadem non habetur: nec forma, nec quæ illam nexu inſeparabili ſequitur, diſpoſitio eadem prorſus habebitur: ſi autem ſimilis, quoquo modo, ſi diſſimilis, nullo pacto conueniet. Quotum autem quenquam reperias, etiamſi accerſas Aeſopi gracculum pennis ornatum alienis: qui quæ aliorum ſunt propria, eadem prorſus & impudenter cogitet expromere, & impudentiùs diſponat, & effutiat impudentiſſimé? ſed fac eadem eſſe omnia: mox dimoue lineamenta, verte membrum, varia numerum, tolle circuitum, omnem orationis integritatem ſuſtuliſti: adeò conſtant illa coagmenta nexis omnibus, quæ ſibi propria peculiariaq; adſciſcit, vt ex illis ipſis eiſdemq; ſolis, non alienis, non mixtis, non permutatis, conſletur atque diſſultet. Huc accedit ſcripti genus varium, quod variam ſibi quoque vendicat phraſin: Ciceronis enim orationes, libri de Oratore ad Quintum fratrem, de claris Oratoribus, & alij plerique, magno eloquentiæ inundantur flumine, ſi non potiùs Oceano: ſed ille ipſe tàm vaſtus fluuius vix irrigat Rhetoricos libros: & eos qui de vniuerſitate, & de fato inſcribuntur: idemque ipſe vix ſtillat in Topicis. Mutatur quoque ætate mutata, & ab eodem Cicerone dicta eſt caneſcere oratio: quæ alia itidem eſt dum monet, alia dum reſpondet: diuerſa quoque dum deprecatur, dum interpretatur, dum inuehitur. Varia item pro varijs animi affectibus, & ſæpè corporis, nedum rebus: quæ ipſo ſunt explicanda ſermone. *numeris

Hunc igitur vnum dices imitandum, quem natura produxerit, vt in eo ſuas vires omnis experiretur eloquentia: eoq; fieri vt miſcere, cùm ipſe ſit etiam varius, ipſum Ciceronis filum queas: & quaq; de re quæ tibi dicenda tractandaq; fuerit, poſſis ipſius more, & (vt ſic dixerim) Ciceronianè loqui. At fortè veritas eſſet in connexo, ni duo illud apertè diſtraherent. Primùm, quod propterea quiſpiam non eſſet Ciceroni ſimilis: Huius enim verba etiamſi loca mutent, erunt tamen verba Ciceronis, non autem Ciceronis ea conſtructio, quam ipſe non ſtruxerit: Sed tanquam ex lapidibus illius alius murum confecerit. Cui ſi quidpiam alienæ calcis & intriti miſceatur: ne verò miſceatur, fieri nequaquàm poterit: ſed etſi lapidem lapidi iunxerit, hærentiùs aut minus nimióve plus in dolio merſauerit, nequaquàm Tullianus paries ille futurus eſt. Alterum eſt quod tacitò videris exiſtimare, vt cæteri autores legitimi, non ſint naturæ partus, ſed tanquàm abortiui: ac vt cum eis præclarè agatur, veluti octimeſtres infantes habendi. Si ita reris, ſi ita cenſes, dabitur prouocatio ad eloquentiæ magiſtros antiquos illos quidem & probatiſſimos, ipſum etiam appellabo Ciceronem: propoſuerunt enim non vnum quempiā, ſed multos imitandos: nec id ſatis ad ipſam ideam filum eſſe dirigendum præceperunt. Num igitur mihi quæſo licebit, num & expediet vim Demoſthenis, quanquàm eam expreſſiſſe Cicero dicitur, in ipſo potiùs Demoſthene, vbi ineſſe illam non ambigitur, & demirari & imitari? Sic & copiam Platonis, & iucunditatem Iſocratis, à fonte puro, non à decurrentibus riuis, vbi ipſa miſcetur eloquentiæ lympha, combibere. Adde quod alio hic, alio ille charactere delectabitur, & alia afficietur figura dicendi: vt nec fruſtrà, nec inconſultò varios eiuſdem rei dicendæ modos, quæ chriæ dici ſolent veteres illi, qui eloquentiæ tradidêre præcepta, excogitauerint.

Nec nequicquam habuerunt diuerſa genera dicendi, probari diuerſitate videlicet iudiciorum, à diuerſa humani temperamenti proprietate manantium. Hinc amplum & auguſtum dicendi genus: hinc exile & tenue: hinc ex vtroq; permixtū in quibus qui excelluerint diuerſi, diuerſam quoque ſibi gloriam parauerunt: Hinc & ſiccum & nudum, hinc ſucculentum, & vario eruditionis colore veſtitum: & hæc omnia

introducta sunt, duce natura. Erit enim ille suopte ingenio Laconicæ breuitatis amator: Alius Asiaticæ fertilitatis auidus: hic Atticæ illius & aureæ mediocritatis æstuabit desyderio: Rhodio ille temperamento delectabitur. tot sunt variæ animi voluptates: vt etiam de numeris terminandæ clausulæ & pedibus multa sit inter antiquos, atque inter Aristotelem & Ciceronem orta dissensio. Induebant animum illi varijs habitibus, ceu ipsis quoque vestimentis induimus corpora. Atque vt in his non secus in illis varia materies, variæ figuræ, varijq; colores, & placebant olim, & nunc etiam placent: Sunt enim nostra tempestate plurimi qui panno vestiantur libenter, qui sit contextus ex lato illo Ciceronis stamine, & presso Plinij subtegmine: admittunt etiam tramam Celsi, & Columellæ: alij qui frigus fortasse metuunt, conātur vt euolant scrinia Carmentæ, vnde peplum surripiant aptandum sibi: Nec eo contenti, vetustos illos & cariosos Romanorum augurum & Martiorum fratrum cophinos adeunt, vtq; cùm resciuerint Catonem & Ennium ditasse patriam, in eorum etiam supellectilem prædabundi & populabundi penitùs irruunt: nec desunt qui asinum cùm existiment bellum animal & aureum, de illius pilis sibi lacernam conficiant: Qui verò abalienati sensus hæc signa ducerent, artis medicæ regulis freti, audiant Hippocratem, ętati, tempori, consuetudini quidpiam dandum esse præcipientem. Sed vt in summa dicam: vt varij sunt autores, & in suo quiq; genere probati: varia quoq; humani animi propensio, atque adeò diuersæ in eadem etiam facultate ideæ speciésve dicendi, Lata, Pressa, Mediocris, Austera, Dulcis, diuersaq; quasi fila diuersæ texendæ apta orationi: quibus de rebus apud probatos autores cùm alios, tùm maximè Dionysium & Hermogenem præcepta dantur, ad vnam hæc omnia, quam in mente gerimus ideam, referenda sunt, & habenda est in consilio ratio, mixtioq; paranda talis: vt vna ex omnibus quę nulla sit illarum: sed perfectissima tamen illa quidem, quoad fieri possit, & conflctur & coalescat oratio: tantum abest vt quispiam vnus vsquequaq; sit imitandus: quasi ille Deo præstaret Optimo Maximo, qui nobis vsquequaq; imitandus non proponitur: neque enim potentiam eius possumus, neque sapientiam aut debemus, aut possumus omninò imitari, sed quam ille voluit ex sole illo intellectili nostris mentibus illucescere, eam ipsam excolere operæprecium est, ad ipsius Dei manifestandam gloriam, ad accendendum nostris in pectoribus amorem diuinæ bonitatis: quæ quidem nobis, quoad vires nostræ queunt efficere, proponitur imitanda amore intentissimo, & officijs, qui de illo prodeunt: quibus & boni ipsi efficimur, & vmbratilis huius vitæ peracto cursu, omnino felices.

Hæc habui ad præsens, Bembe, de imitatione quæ dicerem, sex (ni cōiectura fallor) aut septem horarum spacio, eoq; interrupto, ac sine libris, stylo & memoria vsi, quicquid sese obtulit, arripuimus atque compegimus. Scis enim me more tabellarij mutatis etiam ad celeritatem iumentis hucusq; cucurrisse: sed neque inficias iuero, me deprecari culpam: si qua occurrerint errata. Quare si hiulca magis & diuulsa, quàm sonora & pressa compositio, si fracta & stridula, quàm æquabilis, aut numerosa videbitur: veniam præstes oro: sicut & poëticæ venæ in ædendis inter expellendam Venerem atque Cupidinem carminibus arescenti nuper, vt arbitror, præstitisti. Quî enim fieri potest, vt præter hæc etiam ab æquo non absoluar iudice, qui inter Theologogos atque philosophos nostrates istos recentiores, mente quidem plusquam subtiles, sed rubiginosa & plusquàm barbara lingua diutissimè versatus, ad mansuetiora studia, ad Rhetorica delinimēta, numerosq; poëticos interdum quodam quasi postliminio reuertor? Quibus in numeris & exculta illa phrasi, à priscis illis ducta temporibus, si nostro hoc sæculo inter eos qui nunc viuunt, & nobis noti sunt, ipse tibi palmam non vendicasti (quod ego nequaquàm obstinatè negauerim) propior tamen aut es, aut iam breui es futurus primo quàm tertio, Vale.

Romę, tertiodecimo Calend. Octobr.

M. D. XII.

IOAN-

IOANNI FRANCISCO PICO MIRANDVLÆ,

PETRVS BEMBVS S. P. D.

RECTE atq; amanter factum abs te est, quod eius sermonis tuas partes, quem vnà de Imitandi ratione nuper habueramus, etiam tuis ad me perhumaniter scriptis literis perferri voluisti. Quanquam enim propter eximiam tuam in omni genere doctrinarum præstantiam, & meum summum erga te amorem, singula tua dicta inhærescere penitùs in sensibus consueuerint atque memoria mea: tamē ea ipsa prodita literis & stabiliùs atque diutiùs permanent, & faciliùs repetuntur. Tum accidere etiam illud solet, vt ea quæ chartis mandantur, pleniora vberioraq; sint, quàm quæ homines inter se colloquuntur: Addit enim semper aliquid stylus & scribendi mora crescitq; cogitatione ipsa oratio. Itaq; sermo ille tuus, qui me mirificè delectabat, cùm te loquentem audiebam: idem perlectus in tuis literis mihi sanè multò iucundissimus fuit. Quibus omninò literis quoniam me amantissimè prouocas, respondebo non tàm quidem aduersandi tibi studio, quàm tuendi mei: neque tàm refellendæ tuæ sententiæ causa, quàm vt quæ me rationes impulerunt, vt eos laudarem: qui quidem quem scirent in eo scribendi genere, in quo sibi elaborandum esse duxissent, excellere ac præstare cæteris: illum sibi vnum ad imitandum proponerēt: eas tu rationes cognosceres, quas tibi coràm explicandi mihi sanè otium non fuit.

Sed antequàm illò veniam, peto abs te: quoniam initio literarum tuarum ita scribis: Videri tibi imitandos esse omneis bonos: cur in reliquis earum ipsarum literarum partibus, eos qui aliquando imitati sunt, vniuersos vituperes, laudes nullum? hoc si te propterea dices facere: quia malos quidem habeas, quos reprehendas, bonos quos ornes, non habeas. Primùm id quidem verisimile non est, imitandi artem esse aliquam, quæ laudabilis sit: ea verò arte qui sit rectè vsus, neminem vnum inueniri: præsertim in tanta imitatorum frequentia, quantam necesse est, & esse nunc, & fuisse anteà omni tempore, & deinceps semper futuram. Imitandi enim vim, atque sensum ac æmulatione quadam mixtam cupiditatem natura omnibus hominibus tribuit, quæ sedari & comprimi ratione quidem potest, euelli prorsus extirpariq; non potest. Deinde si tibi concedatur, imitatum fuisse rectè neminem (video enim tibi etiam Maronem ipsum bonum imitatorem non videri) cur eam probas artem, in qua tametsi innumerabilia se clarissima ingenia exercuerint, laudem tamen boni artificis, atque nomen, tuo iudicio, nullum est eorum consequutum? ac planè cur non potius ad eorum te sententiam contulisti, qui affirmauerunt imitari non oportere, damnaueruntq; quicunq; id facerent, & quoquo modo? Aequius enim fuerat vel in illos te non inuehi, quorum artem antea probauisses, vel eam artem non probare, cuius amanteis & studiosos homines tantopere fueras, tamq; multis verbis improbaturus: Nam id quidem (quæ tua est in scribendo vis ac eloquentia) facilimè assequeris, vt illos acriter ac vehementer insectere. Quam tu sentētiam si esses sequutus, & tibi campum liberiorem disputandi patefecisses, & mihi laborem respondēdi tuis literis non attulisses. Reiecissem enim te ad Pauli Cortesij epistolam, bellā illam quidem, & cùm argutulam, tùm etiam grauem, qua is Politiani vicini sui docti mehercule, ac ingeniosi hominis, sed (vt mihi quidem videtur) non multùm prudentis, leuitatem fregit, qui profectò Ciceronianam illam scribendi rationem atque formam, qua longiusculè abfuit, sese assequi nullo modo posse cùm videret, ad eos damnandos, qui sibi illum exprimendum sumpsissent, quiq; omnino stylum imitatione aliqua colerent, se conuertit. Itaque Paulus doctè sanè ac prudenter illius dissimulationem reijciens, tibi etiam satisfacere potuisset, si cum illo sensisses.

Nunc autem cùm affirmes imitandum quidem esse, verùm non vnum aliquem, sed omnes bonos, hoc quemadmodum accipias, nō intelligo. Nam si omnes ij, q aliquo

vno in genere boni scribẽdi magistri sunt habiti, pares inter se styli nobilitate, scriptorumq; elegantia extitissent: concedi tibi fortasse poterat id quod dicis, non vni eorum operam à nobis esse dandam, sed planè omnibus. Nunc verò cùm vniuscuiusq; ratio vel ingenij, vel artificij vniuscuiusq;, cùm ingenio tùm artificio dispar esse dissimilimaq; reperiatur, sitq; alius alio præstantior, quid esse causæ potest, quin si melioribus operam dederimus, eos, qui minus boni sunt, negligamus? An si inter illos quicunq; boni dicuntur esse, vnus est omnium longè optimus longeq; præstantissimus: vt quæ singula insunt in cæteris, ea vniuersa in vno illo splendidiora etiam ornatioraque conspiciantur: eum vnum multò omnium maximum atque summum rectè imitati cùm fuerimus, nisi illos etiam, qui boni mediocriter habentur, imitabimur, nihil proficiemus? quasi necesse sit, qui Apellis more pingere didicerit, cuius artem reliqui pictores admirati, primas ei partes sine controuersia tribuerunt, illũ etiam Polygnoti & Thymantis tabulas, à quibus doceretur, adhibuisse: Aut eum, qui Lysippi excellens ac præclarum fingendis imaginibus artificium expresserit, Calamidis signa rigida, vel etiam magis rigida Canachi fuisse contemplatum. Atque illi artifices cùm Alexandri vultum imitari suis artibus cuperent: neminem alium intuebantur, mentem in eum vnum suam atque oculos intendebant. Nos, qui eius scripti simulachrum, quod sit pulcherrimum & perfectissimum, nobis proponere debemus: in quo effingendo studium & diligentiam adhibeamus (cùm illud ante oculos habeamus) ad eorum etiam, quæ non ita pulchra sunt, exprimendas imagines curam atque animam traducemus? Mihi quidem falli, Pice, videtur, qui sic existimat: neque enim ita formati à Dijs immortalibus sumus, vt cùm suppeditare nobis ea, quæ prima sunt, valeamus, sectemur quæ secunda sunt, multò minus quæ sunt infra secunda: Animus enim noster summum quiddam semper atque altissimum suspicit. Itaque, vt dixi, valdè miror te non ita potiùs sensisse, vt alterum eorum statueres, vel omnino imitari non oportere: vel si imitandum quidem esse duceres, non ad ea quæcunq; bona essent, sed ad illa tantummodò quæ optima, quæque perfectissima haberentur, imitationis esse nostræ omnes neruos intendendos.

Nam de Ideis quod scribis, difficile quidẽ est tibi homini doctissimo, & in omnium philosophorum disciplinis & scholis, multa cum laude atque gloria diu versato, aliquid affirmanti non credere, sed quam tu esse in animo tuo insitam, atque à natura traditam scribendi Ideam atque formam sentias, de eo ipse videris. De meo quidem animo tantum tibi affirmare possum, nullam me in eo styli formam, nullum dictandi simulacrum anteà inspexisse, quàm mihi ipse mente & cogitatione legendis veterum libris, multorum annorum spacio, multis laboribus, ac longo vsu exercitationeque confecerim: ad quod nunc, cùm aliquid scribendum est, me conuerto, videoque quasi oculis, sic cogitatione, quæ conficiendo scripto opus sunt, vnde sumam. Antè autem, quàm in ijs, quas dico cogitationibus magnopere essem versatus, inspiciebam quidem in animum meum nihilo sanè minus, quærebamq; tanquàm è speculo effigiem aliquam, à qua mihi sumerem conficeremq; quod volebam: Sed nulla inerat in eo effigies, nihil se mihi offerebat, nihil conspiciebam. Itaque si quid calamo vterer, si quid molirer, non lege, non iudicio quo volebam, sed temerè inconstanterque ferebar, nulla me earum, quas commemoras, Idea speciesq; moderabatur. Neque verò sum nescius, te id cùm diceres, de Platonicorum sententia dicere: qui quæ prima, quæq; præstantia in natu rerum sunt, vel esse aliquo modo possunt, ad diuinas illas imagines speciesq; referebant. Ac ego quidem sic existimo in ipso mundi ac rerum omnium autore & effectore Deo, vt iustitiæ, vt temperãtiæ, vt aliarum virtutum, sic etiam rectè scribendi speciem quandam diuinam illam quidem, & cui nihil desit, atque omnino beatissimam existere: ad quam & Xenophon & Demosthenes, & ipse imprimis Plato, tùm & Crassus & Antonius & Iulius, & maximè omnium Cicero, cùm dictarent aliquid & scriberent, quantum consequi cogitatione poterant, respiciebant: atque ad illius quam animo conceperant imaginem, stylum mentemque dirigebant. Idemque nobis faciendum arbitror, conandumque nobis omnibus, vt ad eius formæ simulacrum scriptis nostris, quoad fieri potest, quàm rectissimè, quamq; proximè accedamus. Quod si in animis etiam nostris Ideæ illæ insident, quas dicis, singulæ in singulis: tum diuersæ inter se atque variæ, prout illas à natura ipsa

ipſa ego pro mea, tu pro tua, pro ſua quiſq; animi corporisq; temperatione initio naſcendi eſt ſortitus: ab ijs ſi cura diligentiaque noſtra ſtylum flectere in quamcunque volumus partem nobis licet: cur non tu eum vnum, qui ſit omnium maximus atque ſummus, imitari nos tantummodò ſtatuis oportere? ſi non licet, cur omnes bonos? Nam & inuidioſum quidem eſt, quod homines poſſunt aſſequi aliquo in genere optimum, id omnibus non proponere: & ſuperuacuum omneis illis bonos imitandos eſſe dicere, quibus animum à ſua ſcribendi ſpecie atque forma, quam à natura traditam poſſident, facultas reuocandi non eſt data. Sin verò, quod eſt tertium atque vltimum, in quorundam animis ideæ illæ atque ſpecies eiuſmodi inſunt, vt ſi quis ſtudium adhibeat, verti atque inflecti facilè poſſint: in quorundam autem eiuſmodi, vt nullo modo poſſint: eodem tamen decidas, eodem labare neceſſe eſt. Nam neque ij, quibus negatum eſt aliquò progredi, ad vllum imitationis genus inuitandi ſunt, neque nõ ad optimum, qui quò libuerit, ſi volent, progredientur, ſunt incitandi: In alteris de facultate ne quid detrahatur, adhibenda cura eſt: ab alteris, vt inepti eſſe deſinant, non eſt requirendum.

Ac ego illis nec imitandum eſſe quenquã ſtatuo, nec verò vllo in genere quicquam conandum, qui prauo, qui tenui, qui inerti ingenio ſunt, qui duram atque implacabilem naturæ ſuæ quaſi faciem præſeferunt: Scribant ij mihi libros, nec ne: vigilent, dormiant, nihil moror. Eos volo, eos alloquor, qui ſi operam dederint, ſi animo non frangentur, nihil non aſſequi poterunt, & quorum ingenia, ſi excolantur, fructus vberes atque magnos ferent. Neque illud me mouet, quod exiſtimem, qui ita formati ſint: vt quibus artibus animum intenderint (quo in genere ſcribendi elaborauerint) ſua illos ſpes non ſit fruſtratura eſſe non mutiliſſimos: Neque enim aut Ciceronem à ſcribendo deterruit pulcherrimos illos de Oratore libros, quòd qualem in ijs ſtatuerit, oratorem eſſe oportere, talem fortaſſe neq; legerit ipſe vnquàm, neque audiuerit: Aut Plato Reipublicæ ſuæ leges propterea non perſcripſit, quòd eas ab vſu atq; conſuetudine gentium lõgiùs abeſſe arbitraretur, quàm quibus vllos populos, vllam ciuitatem eſſe vſurã confideret. Qui enim artem aliquam rectè præcipiunt, non id cogitant, vt omnes aſſequi eam poſſint: ſed id potiùs, vt qui poteſt, ita aſſequatur, vt nihil poſſit eſſe eo in genere præſtantius. Quicquid autem eſt eiuſmodi, qui præſtanti ingenio non ſit, aggredi fortaſſe poteſt, aſſequi atque perficere nequaquam poteſt. Itaque mediocritatem ingeniorum reijciunt, nihil enim mediocre idem atque præſtans eſt: quod cùm fit, puſillum ad numerum res redigatur neceſſe eſt. Præſtãtia enim quæ ſunt, eadem perrara eſſe conſueuerunt, rarioraq; quò præſtantiora. Præſtantium autem rerum paucitas, mediocrium multitudini non modò non poſthabenda, ſed longè etiam anteponenda eſt: Placetq; Nautes ille mihi Virgilianus, qui Aeneam admonet, quo in Italiam tranſmittere faciliùs poſſit: quicquid inualidum ac metuens periculi eſt, eſſe reijciendum: quod cùm eſſet factum, Poëta ſtatim intulit:

Exigui numero, ſed bello viuida virtus.

Ex quo apparet, Poëtarum ſapientiſſimum nõ virtutem modò in illis, quos commemorat, requiſiuiſſe, ſed etiam viuidam, hoc eſt, præſtantem. Quanquàm quidem non ego vlla ſimulacra, quæ nuſquam ſint, quæq; vix animo percipi poſſint (quemadmodum illi duo, quos dico, fecerunt) noſtris hominibus ad imitandum propono: cùm eum vnum, qui ſit omnium optimus atq; præſtantiſſimus, illis propono: Quod ſi facerem, nunquàm me tamen illorum defenderem exemplis. Poteſt enim quilibet cùm oratoriæ, ac rerumpublicarum ratione atque modo conſtituendarum, tùm aliarum planè rerum artes & diſciplinas ita tradere, vt ad excellentiorem ſtatum atque formam velit earum cupidos progredi, quàm cuius ſimulacra oculis cernantur, manibusq; contineantur. Imitatio autem, quia in exemplo tota verſatur, ab exemplo petenda eſt: Id ſi deſit, iam imitatio eſſe vlla quî poteſt? nihil eſt enim aliud totum hoc, quo de agimus, imitari: niſi alieni ſtyli ſimilitudinem transferre in tua ſcripta, & eadem quaſi temperatione ſcribendo vti, qua is eſt vſus, quem tibi ad imitandum propoſuiſti. Sed redeo ad illud quod ais, imitandos eſſe omneis bonos: quæroque iterum abs te, veliſne nos ita bonos omneis imitari, vt eorum cuiuslibet vniuerſam ſcribendi rationem exprimamus: an ſatis habeas, qua quiſque in rationis ſuæ parte maximè bonus eſt habitus, eam nos tantummodò ab vno quoque mutuari?

atque ita multis ex rationum partibus, quibus rationibus sunt alij permulti vsi, vnam conficere rationem integram, qua vtamur? Vtro modo accipi dogma istud tuum malis, vide. Sed priore velle te non est existimandum. Quid enim esse potest absurdius, quàm quas multi species scribendi atque formas, diuersas illas quidem inter se, multumq; sæpè differenteis sunt assequuti: suis eas membris omnibus, suis partibus præditas, vna in scribendi forma ac specie velle vniuersas exprimi atque contineri? quasi existimes, ex ædificandis vnis ædibus multa ædium exempla variarum imaginum atque operum omni ex parte posse repræsentari. Altero modo, si te dices velle: Primùm iam id quidem imitari, non est plurimis ex partibus, quæ stylum singulorum conficiunt, aliquam vnam tibi sumere: vt cùm id sæpiùs feceris, sumere autem ex multis potes, stylum inde conficias tuum. Excerpere, id quidem potiùs dicendum est, aut si libet, etiam mendicare. Ita enim degere homines in victus mendicitate consueuerunt: vt quæ sibi opus ad vitam sunt, non ab vno, sed à multis petant: imitatio autem totam complectitur scriptionis alicuius formam, singulas eius partes assequi postulat, in vniuersa styli structura atque corpore versatur. Neque enim qui Salustianam breuitatem assequutus sit: verbis autem illam aut obsoletis, aut popularibus, structura etiam inconcinna conglutinauerit, Salustium imitari est dicendus: Neque qui Iulij Cæsaris in enarrandis rebus temperantiam expresserit, sermone verò planè rudi in illa exprimenda sit vsus: is erit propterea dignus existimandus, quem Cæsaris imitatorem vocemus? Totam mihi oportet eius styli faciem exprimat, cuius se imitatorem dici vult, quem eo nomine dignum putem. Itaque Cicero cùm eius verbi definitionem traderet, imitationem esse dixit illam, qua impellimur cum diligenti ratione, vt aliquorum similes in dicendo esse valeamus. Súntne ista, Pice, Tulliana verba singula, quæ commemoro? Quî autem fieri potest, vt aliquorum similes esse valeant ij, qui de singulis sumunt quod exprimant, de omnibus, vt nihil assequantur? Deinde, si tibi etiam de verbo concessero, ambitiosè enim tecum agere nihil volo, næ tua ista imitandi multos ratio optari potiùs quàm sperari, fingi quàm teneri, ore dici, quàm reperfici faciliùs potest. Nam neq; qui eodẽ tempore imitari plures vult, quicquam ab vllo proficiet, distrahit enim mentem atque sensum copia, neq; hærere animum sinit: cuius autem in nullo hæret animus, is omninò rectè conficere nihil potest. Neque qui alium, post alium aggreditur, ei quam in vno curam intenderit, non in alio sæpè remittere necesse est. Capimur enim pleriq; omnes nouitate, à qua ita oblectantur quidam, vt etiam illa damnent, à quibus recesserunt: Accedit eodem scriptorum diuersitas & dissimilitudo. Itaque dediscendæ plerunq; sunt veteres perceptiones, vt nouis perceptionibus curam atque animum adhibeamus. Placet enim in alio cum dignitate quædam quasi seueritas orationis, hilaritas in alio, comitas, lusus ipsi multùm probantur. Horum cùm imitari alterum didicerimus, alterum doceri aggrediamur. Reijcere multa cogimur eorum, quæ paulò antè summa industria, summo nostro labore sumus consequuti. Quamobrem frangitur studium, debilitatur diligentia, contentio illa nostra ardorq; omnis animorum elanguescit atq; restinguitur: dum huc illuc tanquàm à fluctibus, sic in exemplorum varietate iactamur.

Postremò, quod tu singulas vniuscuiusq; bonas parteis imitandas esse tantummodò existimas, id si rectè considerabis, quo modo assequi possis, non inuenies. Omnibus enim ex partibus vniuscuiusq; scriptoris conflatur coalescitq; id, quod in quoq; bonum atq; præstans est, omnes eius virtutes, & vero etiã vitia (si qua insunt in illo vitia) eam conficiunt. Nam vt hominum vultus, alius morũ benignitatem, alius alacritatem naturæ, animi alius fortitudinẽ, alius ingenij fertilitatẽ, alius maiestatem, alius venustatẽ præseferunt: eæ autẽ singulæ indoles nõ ex oculorum, aut ex superciliorum solummodò forma, aut oris, aut genarum, aut cæterarum ex aliqua partium qualitate: verùm ex omnibus sui quæque vultus partibus atque membris sunt constitutæ, vt si quis aliquam pictor imitari coloribus velit, is singulas eius faciei partes, cuius est ipsa indoles, antè exprimere cogatur: Ita mehercule in scribendi rationibus insunt eæ, quas laudamus, siue virtutes, siue lumina scriptorum singulorum: quas profectò virtutes præstare nostris in scriptis minimè possumus: nisi etiam vniuersas illas, quarum sunt ipsa lumina, scribendi rationes præstemus. An tu candorem illum puritatemque sermonis, quam in Iulio esse maximam atque mirificam videmus, imitari te posse existimabis:

stimabis: nisi & temperamento fueris vsus tanto, quanto ille maior vsus est, quàm vnquàm alius: propterea, quia ipse de se scribit, ne aut odio in scribendo videretur, aut cupiditate vlla duci? & neglectum eundem eloquutionis expresseris, qui est ab illo vel necessitate institutus: quoniā plurimis agendis, maximis difficillimisq; rebus occupatus, diligentiam in scribendo maiorem adhibere non potuit: vel accersitus industria, ne planè crederetur potuisse: vt existimarent homines: multò plus illum gratiæ scriptis fuisse acquisiturum suis, si plus ei temporis ad scribendum bellicarum rerum occupatio suppeditauisset?

Atq; ipse quidem candor non ex sese, sed cùm ex alijs, tùm ex his duabus præcipuè partibus constare mihi videtur, quas dico. Has si tu duas parteis nō præstabis, candor iam ille tantopere laudatus nunquam mediusfidius exprimetur: sin præstabis: voles autem etiam Ciceronianam illam maiestatem scribendi assequi, quam omnes laudibus vsq; ad cœlum ferunt: neq; hoc quemadmodum optabis, efficies: & illud quod effectum iam erat, perturbabis. Quantum enim addes ad alterum, tantundem ex altero adimas necesse est. Ita quæ per se atq; seiuncta eximia vtraq; pleraq; habentur, eorum neutrum, si permisces, suam pristinam faciem dignitatemq; retinebit. Quod si & candorem Cæsaris, & maiestatem Ciceronis, tum & Salustij breuitatem, & vbertatem Liuij, & nitorem Celsi, & diligentiam Columellæ: si deniq; quod in vnoquoque scriptorum egregiorum proprium esse lumen, tanquam in vultu indoles conspicitur, ea omnia præstanda esse statues scriptis tuis: vereor ne non tàm quidem imitari illos voluisse, quàm illudere: neq; tàm assequi, quàm peruertere videare. Quam tamen si effugies calumniam voluntatis tuæ, illud certè nō euitabis: quin appareat, neminem te illorum non dicam rectè assequi, sed etiam effingere mediocriter potuisse. Deniq; si quis Deus id, quod sponte nostra facere nullo modo possumus, te doceret, artem videlicet quandam nouam ac planè diuinam: quia imitari multos calleres, quemadmodum præcipis: tamen esset vertendum, num illa sanè arte tibi esse vtendum statueres. Quî enim fieri potest, vt qui multos assequi vna scribendi ratione vult, eius oratio non dissimilis, non impar, non sibi diuersa inconstansq; sit, non inconcinna, non parùm cohærens: dum huius lenitatem, illius verò ardorem, alterius ornatum, alterius negligentiam, quæ quidem interdum vt in muliere non fucata facies, sic in scribente gratior est: sexcenta præterea alia varia, multumq; differentia scribendi genera qualitatesque complectitur? Ac mihi quidem vetustissimi Poetæ finxisse Protea videntur: cùm illum modò aquam fieri, modò ignem, modò beluam dicerent: nunquā tamen eodem aspectu plus vnam formam præ se tulisse: non solùm quia id posse fieri non existimabant, sed etiam propterea, quod quo pacto diuersæ facie res inter seque variæ, aptè coniungerentur, non videbant. Sed iam de tuis literis hactenus, vel potiùs de ea tuarum literarum parte, ad quam quidem respondere me operæprecium duxi. Nam ad omnes neque multum necesse fuit: & hæc ipsa satis multa esse possunt, præsertim tibi qui non modò ea, quæ scripta sunt, qualia sunt, rectè perspicies: sed illa etiam, quæ scribi in hanc sententiam possunt, ex ijs, quæ leges, per te ipse facilè considerabis.

Venio igitur ad illam partem sermonis nostri, in qua ea mea sententia fuit, vt dicerem, eos mihi vehemēter probari, qui prosa oratione scripturi, Ciceronem sibi vnum ad imitandum proponerent, heroicis carminibus Virgilium. In quam omnino sententiam non sanè vt primùm eiusmodi res tractare animō cœpimus, statim adducti sumus: sed post multas cogitationes, ac per quosdam quasi gradus ad eam accessimus: vt non temerè illa inuenta finem progrediendi fecisse, atq; in ea quieuisse videamur. Nam initiò quidem illud mihi sæpè veniebat in mentem, vt in philosophiæ opinionibus atq; sententijs, sic in scriptorum generibus & stylo, nullis non legibus subijci, nemini addici, atq; astringi oportere, sed quod in quoq; probaretur, id sequi. Quæ profectò sententia tuæ fuisse sententiæ similis atq; cognata videtur. De qua quidem me tentantem conantemq; eo in genere toto multa, illæ tandem rationes depulerūt, quas superiùs, te vt etiam de tua deducerent, si possent, collegi. Itaq; ea sententia deiectus ad illud me contuli: vt ducerem æquiùs esse, & profectò conducibiliùs, nouam intactamq; ab alijs rationem ac planè suam quenque conficere scribendi: idque putarem omnes homines, nisi inuidi atque maleuoli essent, laudaturos. Quod cùm

Cicero & Virgilius imitandi.

MM placuisset,

placuiſſet,(vellem autem,quantum in eo poſſem,experiri)omnis noſtra cogitatio,diligentia,ſtudium,omnis denique noſter labor irritus atque nullus fuit. Nihil enim inueniebam, quod non vel ab aliquo veterum ſcriptorum ſtylo hauſtum videri facilè poſſet, vel omninò ſi effugeram, tamen cùm ad illorum ſcripta conferebatur, mihi non ſummopere diſpliceret: Quippe quod venuſtatē ſermonis, proprietatem, maieſtatem eorum ſeculorum non redolebat: nullum antiquitatis veſtigium, nullam notam referebat. Ad hanc fruſtrationem laboris noſtri illa cogitatio acceſſit,quòd animaduertebam eos, qui ſe neminem imitari profitebantur, partim ſcribendo parùm admodum profeciſſe: partim etiam ſuis cum libris atque ſcriptis planè inuiſos & deſpectos iacere. Quamobrem ea etiam ſententia damnata aliam inire rationem ſtatuimus,quæ quidem eiuſmodi fuit. Volo autem ſingulos tibi animi mei motus,conſiliorumq; varietates perſcribere: vt ſi aliqua ex parte prodeſſe tibi error meus poſſit, ea ne celere.

Nam quoniam in natura comparatum videbam, vt quoties magnum aliquid atq; arduum moliri homines cuperent, eius facinoris exemplum haberent aliorum, quidem aliquando eſſent conati: ea re multum illis curæ ad id, quod aggredi ſtatuiſſent, multum laboris,multum etiam ambiguitatis,multum deniq; difficultatis demeretur: cogitare cœpi ijs ſtudijs, quibus ſemper dediti fuimus, optandū eſſe: vt quem quiſq; imitari poſſet,qui ſcribere aliquid cuperet,ne deeſſet.Itaq; ſiue vt in itinere conficiendo cùm ducem nacti ſumus, ſecuriore animo viam ingredimur: ſic in reliquis rebus alacriores ad illa ſumus, quorum doctores & magiſtros habemus: ſiue etiam ad omnem excellentem laudis & gloriæ cupiditatem nulla re magis, quàm aliorum æmulatione incitamur: mihi quoq; idem faciendum putaui, cùm poëticis in ſtudijs, tùm in oratoria diſciplina: quod permultos feciſſe intelligebam,vt in vtraq; earum artium,& ducem quem ſequerer,& gloria illuſtrem,quem æmularer,eligerem:mihiq; ipſe quaſi ſignum proponerem, ad quod quidem conatus omnes noſtri cogitationesq; dirigerētur. Id cùm deliberauiſſem,magna me hæſitatio tenuit: deberémne eos, qui mediocritatem non excederent,an illos potiùs,qui eſſent omnium eminentiſſimi,ſtatim initiò aggredi, quos omni ſtudio colerem, ad quorumq; ſimilitudinem me quàm diligentiſſimè compararem. Nam ſi animum ad ſummos adieciſſem, illud verebar, ne me vel rei difficultas ab incepto deterreret: vel certè frangeret ſuſcepti oneris magnitudo, cùm me parum proficere optimorum ſcriptorum longeq; præſtantiſſimorum exemplis comparationeq; cognoſcerem. Sin autem mediocribus me tradidiſſem: equidem ſperabam fore, vt cùm ab illis,quantum vellem, profeciſſem, & facilior mihi eſſet & planè tutior ad eos tranſitus,qui primi haberentur. Sed angebor animo:quod vt odore nouum vas, ſic quo primum rudimento ſtylus imbueretur, permagni intereſſe audiebam:mentem etiam & cogitationem meam,multò libentiùs in ſummis excellentibusq; viris fixam erectamq; detinebam. Vicit tamen ſiue timor ſiue imbecillitas planè noſtra voluntatis propenſionem,qua trahebar. Itaque dedidi me ijs magiſtris inſtituendum,quorum ſcripta non tàm laudarem, quòd bona: quàm reciperem, quòd paratiora optimis commodioraq; ad imitandum viderentur. Eos igitur acerrimo ſtudio, ſummaq; diligentia cùm tàm diu eſſem ſectatus, quoad mihi videretur me eius,quod concupieram, magnam eſſe partem conſequutum: ad illos me contuli, quos eſſe facilè principes omnium hominum teſtimonio ſentiebam: vt eos item ſequerer, animumq; meum atq; mentem ad ipſorum rationes hauriendas imbibendasq; traducerem. Id cùm ſedulò etiam atq; etiam experirer, mea me deluſum ſpe ſanè atq; deceptum cognoui. Non enim ſolùm faciliorem mihi eorum imitationem aliorum ſcriptorum imitatione non eſſe factam:ſed multò etiam difficiliorem,præcluſosq; ad eam aditus potiùs quàm patefactos videbam. Nam, quam mihi vſui putabam fore in ſumptam in exprimendis mediocribus operam, ea ſanè impedimento fuit. Animus enim iam noſter diligenti exercitatione illorum ſcribendi rationibus eruditus atq; aſſuetus, eundem morem diu retinuit: à quo quoniam aberatis, quem de optimis hauriri oportebat: contrà quàm exiſtimaueram fiebat, vt ſcilicet multò minus ad eos exprimendos eſſem idoneus, quàm ſi me nunquam mediocribus tradidiſſem. Quare multis me meis laboribus id vnum eſſe aſſequutum cognoui: vt imitari ſummos incipere mihi certè ne tum quidem liceret, propterea quod ea didicerā,

animumq;

animumq; meum ijs quaſi maculis infeceram, quibus reſidentibus perfectæ rationis vlla in eo depingi rectè facies imagoq; non poſſet. Deleri verò ea, quæ quis diuturno ſtudio in animum induxit ſuum, non tàm ſæpè facile eſt, quàm oportet.

Sed nihil eſt profectò tàm perdifficile tamq; durum, quod non labore noſtro poſſe vinci ſuperariq; videatur: præſertim ſi in eo quantum facere & conſequi poſſumus, contendamus. Itaq; ſumma à nobis adhibita diligentia, è memoria tandem noſtra deletis penitùs ijs, quæ altè tunc imitatione non optimorum inſederant in ea rationibus, omne meum ſtudium ad illos contuli optimos atque ſummos quos dico. In quo quantum profecerim, ſi me roges, ſanè nihil tibi reſpondebo, præter hoc vnum, mei me conſilij non pœnitere: præſertim cùm eorum ſcripta lego, qui aut nullum, aut omnes, aut non tantùm optimos effingere præſtareq; voluerunt. Sed non debebis tu quidem ab hac capeſſenda ſcribendi ratione abſterreri: etiamſi minus tibi id, quod alijs perſuadere cupimus, videmur eſſe ipſi conſequuti. Non enim quantum potuimus, in eo impendimus vel temporis vel laboris, quippe qui etiam vernaculo ſermone quædam conſcripſimus, cùm proſa oratione, tùm metro planè ac verſu. Ad quæ quidem conſcribenda eò maiore ſtudio incubuimus, quod ita deprauata multa atque peruerſa iam à plurimis ea in lingua tradebantur, obſoleto propè recto illo vſu atque proprio ſcribendi: breui vt videretur, niſi quis eam ſuſtentauiſſet, eò prolapſura vt diutiſſimè ſine honore, ſine ſplendore, ſine vllo cultu dignitateq; iaceret. Quare non oportebit te exemplum à noſtris ſcriptis capere, vt quantum nos Latino ſermone optimis imitandis æmulandisq; profecimus: tantundem putes alios, nec eo amplius ijſdem artibus poſſe proficere, ſed id potiùs cogitare, cùm nos certè aliquid ea ſimus via conſequuti (ſi modò id aliquid eſt, quod à nobis confectum eſt) qui quidem tamen alias etiam ſcribēdi vias ingreſſi ſumus: illos, qui nihil agere, nihil conari aliud ſtatuent, præter id vnum, in eo planè eſſe, quæcunq; volent, conſequuturos.

Habes omnem rationem conſilij mei, quoque pacto in eam tandem ſententiam, quæ tibi quoq; vellem, probari poſſet, venerim, quàm perplexis cogitationibus, quibus mæandris, vides: In qua porrò adhuc eò libentiùs conquieſco, quòd alijs prius tentatis omnibus diligenter orationum vijs, ea me tanquàm portus ex longo errore diu iactatum excepit. Hanc qui & initiò ingredi poterunt, & ingreſſi, nunquàm ſe ab eo deflecti ſinent: quemadmodum illi, qui in curſu nihil offendunt, celeriùs curriculum conficiunt, quàm qui lapſi aliquoties ſunt: ſic ipſi ad metam citiùs ſine vlla offenſione peruenient: quamcunq; ijs metam, ſuum ſiue ingenium, ſiue induſtria, ſiue omnino vtrunque ſtatuerit: quod profectò etiam ſub fortuna poſitum, atque caſu interdum videtur: ita multa in vita ſæpè accidunt, quæ auocent ab inſtituto animum, aliorſumque quàm oportet ducant. Sed illud tenere omnes debebunt, & quantum in quoque eſt, niti atque perficere, qui aut Oratoriæ, aut Poëtices ſtudijs delectabuntur, vt cùm Ciceronem, tùm Virgilium ſemel complexi, nunquàm dimittant: nunquàm vllis aliorum ſcriptorum illecebris ab eorum imitatione æmulationeq; reuocentur. Qui ſi non ita omnibus artis atque ingenij luminibus abundarent, ſi non vniuerſis ſcribendi virtutibus præditi cumulatiq; conſpicerentur, eſſent autem ipſi cæteris vna tantùm virtute probatiores, tamen eos nos vnos ſequi tantùmmodò imitarique dicerem oportere: propterea quòd viciniùs ad perfecta rationem illis ducibus, quàm vllis alijs progredi & contendere poſſemus. Nunc verò cùm nulla omnino virtus, nullum ſcribendi lumen, nulla egregia indoles, nulla laus in vllo ſit, quæ non in vtrouis eorum ineſſe, longè etiam præſtantior atque abſolutior reperiatur: multò id nobis erit conſtantius, multò diligentiùs faciendum, ne ſi alios imitandos ſumpſerimus, vel praui iudicij, vel imbecilli animi notam ſubeamus: cùm aut in eligendo non prudentes, aut in aggrediendo timidi fuiſſe videamur: Nam de Vergilio quidem nemo ambigit, omnes in vno illo omnium poëtarum (de Latinis loquor) inueniri poſſe virtutes ſumma ſingulariq; dignitate, addunt etiā admirabiliores multò ſingulas & præſtabiliores, vt ſi natura ipſa hominum rerumque omnium parens, ea loqui verſibus voluiſſet, quæ ab ipſo perſcripta ſunt, nec meliùs affirment, nec omninò aliter fuiſſe loquuturam.

Ciceronem quidam aiunt, verboſiorem eſſe interdum, quàm neceſſe ſit: præſertim cùm de rebus à ſeſe geſtis, deq; Conſulatu illo ſuo mentionem facit: cæterùm illum

 non

Cicero & Virgilius imitandi

Laudatur Virgilius & Cicero

non modò omnium eloquentissimum fuisse, sed ab eo eloquentiam ipsam esse genitam atque natam putant. Ego verò id neque vituperare audeo. Potest enim illi concessisse sæpè dignitas sua, aut inimicorum improbitas, aut Reipublicæ status aliquis, aut alia omnino causa atq; respectus. Quare quæ aliquibus superuacua in legendo videntur, ea in agendo necessaria fuisse à multis poterunt existimari: neq; defendere magnoperè laboro. Id enim si peccatum est, non styli culpa, sed animi vitio contractū est: addo etiam, si vis, iudicij quadam peruersione, dum quæ ab ipsa prætereunda silentio fuerant, ea illi digna visa sunt, quæ recenserentur: stylus verò & scribendi ratio eandem illam egregiā præclaramq; semper indolem retinet, eundem orationis splēdorem ac maiestatem præfert: quamobrem non tàm quidem accusandus esse videtur (si modò accusandus est) quod ea sæpè commemoret, quæ à se reticeri æquiùs fuit, quàm laudandus, quod ita semper loquatur, vt commemorari apertiùs non queant. Quid si ijdem etiam parùm constantem fuisse illum dixerint, aut omnino imbecilliorem, quàm vel ratio, vel eius dignitas postulabat: num erit nobis propterea ab imitatione repellendus? Mihi planè, si idem sentiam, quanquàm quid ego malè meherculè sentiam de tanto viro? sed si ego quoq; idem sensero: mihi eius fortasse vita non vsquequaq; probabitur, orationis autem & styli ratio nihil improbabitur, qui esse optimus in vita non optima potest. Tametsi id quidem etiamsi orationis esse vitium iudicetur: non ego huius imitationis, aut ita partis extendo, præstanda vt vitia sint: nec solùm vt in facie næui, sed vlcera etiam & cicatrices sint exprimendæ, quod qui faciunt, meritò ab Horatio, eo quem tu locum affers, irridentur: Aut modum præfinio sic, vt si quis tam præstans ingenio est, tàm industrius, tàm etiam felix, vt anteire magistrum possit, tamen id fieri negem debere, cumq; is illum cæteris in rebus æquauerit, si prudentiam adhibere maiorem volet, non probem. Mihi quidem & Phidias & Polycletus probantur: quorum alter Eladum sculpendis, alter Ageladem fingendis imaginibus, quos habebant magistros, superauerunt: Et Apelles, qui quidem in picturæ artificio Pamphilum præceptorem suum longissimo interuallo post se reliquit. Itaq; valde mihi illud exoptandum esse videtur: ita animatum, ita institutum esse quempiā: spes vt illum sit omnium hominum eloquentissimum futurum, quod etsi longè maius atq; præclarius est, quàm quod temerè sperandum esse videatur, nulla tamen naturæ lex, nulla præscriptio prohibet, conspici vnquam ne possit. Etenim quemadmodum Cicero inter Latinos extitit (nam de Græcis nihil loquor) qui vnus, omnes quicunq; ante illum boni scribendi magistri fuerunt, excelleret, quod quidem magnum atque diuinum fuit: sic profectò alius existere aliquando poterit, à quo cùm reliqui omnes, tùm etiam ipse Cicero superetur. Id autem nullo modo accidere faciliùs potest, quàm si, quem anteire maximè cupimus, eum maximè imitemur. Absurdum est enim confidere nos aliam inuenire viam posse, quæ melior sit, quàm est illa via, quam Cicero nō tàm quidem inuenit ipse, quàm ab alijs inuentam ampliorem, & illustriorem reddidit: præsertim, cum quo tempore id fieri necesse est, quātum ipsi planè possumus, nondum exploratum habeamus. Quòd si quem maximè imitati fuerimus, etiam assequemur: tum adhibenda cura erit, vt illum anteire valeamus. Sed omne nostrum studium, omnis labor, omnis nostra cogitatio in ijs assequendis, quos imitamur, maximè omnium est insumenda. Non est enim tàm arduum eos superare atque vincere, quos assequutus sis, quàm assequi quos imitêre.

Quare hoc in genere toto Pice ea esse lex potest: Primùm, vt qui sit omnium optimus, eum nobis imitandum proponamus: deinde sic imitemur, vt assequi contendamus: nostra demùm contentio omnis id respiciat, vt quem assequuti fuerimus, etiam prætereamus. Itaq; duas illas in animis nostris egregias plurimarum maximarumque rerum confectrices æmulationem atque spem habeamus. Sed ęmulatio semper cum imitatione coniuncta sit: spes verò ipsa nostra non tàm quidem imitationem, quàm successum imitationis subsequi rectissimè potest. Ac Ciceronis quidem imitatio omnibus, qui * pedestri oratione scribere aliquid volent, opportuna esse poterit, quacunq; illi de re atq; materia sit scribendum: Idem enim stylus aptari rebus innumerabilibus potest. Nec audiendi sunt, qui existimant Plinianam de natura rerum historiam, Ciceroniano scribendi modo atq; via tàm percommodè explicari non potuisse, vt ab ipso est more illo suo explicata: quod oportuisset in infinitam magnitudinem

*prosa

opus

opus excreuisse, si ad illas multiplices innumerabilesque res, de quibus erat scribendum, exuberantiam Cicero suam, ornatumq; sermonis adiunxisset. Neq; enim in omnibus eius scriptis cùm idem sit stylus, eadem tamen amplitudo inesse, idem verborum apparatus conspicitur. Sed quædam vberiora sunt, & tanquam succi plena: quædam exilia & suo tantùm robore nitentia, vt esse quasi sine cortice videantur. Neque si crescere eorum librorum magnitudo debuisset, non propterea fuissent ipsi nobis multò etiam gratiores: cùm quantò plus ab eius calamo atramenti, tantò plus ab ingenio atq; artificio dignitatis & pulchritudinis hausissent. De Virgilio verò non idem possumus dicere, vt idoneus sit, quem, qui carminibus delectantur, imitari omnes queant. Neq; enim qui aut Elegos, aut Lyricos cōficiunt versus, quiq; vel Comœdiarum vel Tragœdiarum scribendarum studio detinentur, horum vllos Vergiliana carminum structura, numerus, ratio ipsa multùm iuuabit: Sed imitentur ij quidem eos, quos habent principes, singulis in scriptorum generibus singulos, atq; illis assequendis superandisq; sese dedant. Quod profectò nos aliquando fecimus: vt in Elegijs pangendis, qui optimus eo in genere poëmatis nobis visus est, eum imitaremur. Heroicis autem conscribendis carminibus qui se dederit: huic certè erit Vergilius ediscendus, ebibendus, & quàm maximè fieri poterit, exprimendus, quemadmodum coràm tibi dixeram mihi videri.

Atq; hanc quidem cùm Vergilij, tùm Ciceronis, tùm aliorum excellentium in suo cuiusque genere scriptorum expressionem non ita intelligi volo, vt præter stylum & scribendi rationem (vti autem me ijsdem sæpiùs verbis non pœnitebit) nihil omninò à quoquam sumendum existimem: Nam & licuit id quidem certè omnibus, & semper licebit. Quis enim opus legitimum conficere potest vllum, qui nihil mutuetur, nihil à quoquam sumat, quod scriptis inserat atq; interspergat suis? Quis non aut sententias, aut similitudines, comparationesq;, aut alias scribendi figuras atque lumina, quis non aut locorum, aut temporum descriptiones, aut ordinem aliquem ac seriem: quis non etiam aut belli, aut pacis, aut tempestatum, aut errorum, aut consiliorum, aut amorum, aut aliarum omninò rerum exemplum aliquod ab ijs capiat, quos multùm perlegerit, quos diu in manibus habuerit, cùm Latinis tùm Græcis, tùm certè etiam vernaculis: vt sunt nonnulli excellentes in ea lingua viri? Itaque liceat, quicunq; id facere vult, vt semper licuit, sumantque ab alijs, qui scribunt, quod videbitur. Sed parcè id & pudenter faciant: non sanè quia sumere etiam rectè multa nequeamus: possumus enim, & multi magni atque clari viri idem fecerunt: Sed propterea, quod præclarius est, illa omnia inuenire nos & quasi parere, quàm ab alijs inuenta mutuari. Maximè verò earum rerum ratio tùm probabitur, laudabilisq; est, si id perficimus: vt quæ mutuati sumus ipsi, ea splendidiora illustrioraque nostris in scriptis, quàm in eius, à quo sumimus, conspiciantur: vt non minor in exornando laus, quàm inueniendo fuisse videatur. Neque enim mihi placet Atilius, qui Sophoclis Electram optimè scriptam, malè transtulisse dicitur: Sed noster Maro, qui ab Hesiodi Georgicorum libris multa sumens, atq; in suos transferens, ea omnia reddidit meliora. Quanquam quidem eius generis ita multa Vergilianos omneis libros referserunt, vt appareat nō tàm illum, quod ex se promeret, desiderauisse, quàm quod anteiret, ex industria quæsiuisse, multoq; plus in victoria, gloriæ, quàm in inuentione posuisse videatur. Qua te quidem de re omni eò monitum voluit, quòd sunt quidam, qui non solùm ea quæ ad stylum scriptionemque pertinent: sed illa etiam, quæ dico, quæque de genere alio sunt, cùm sumuntur, vno imitationis nomine includant. Qui quidem mihi Ciceronem, eo quo suprà commemoraui loco, legisse parùm videntur, vbi ille, quid imitatio sit, definit. Nam si ea profectò imitatio est, qua impellimur, vt aliquorum similes in dicendo esse valeamus, in imitatione autem non styli modo, sed etiam materiæ, ordinis, sententiarum, aliarumque planè rerum extra stylum positarum ratio includitur: quid est, cur non ego Aeneæ, Ascanij, Didonis, tantùm mutatis nominibus, Vergilij Aeneida mihi totam sumam, aut etiam ne mutatis quidem? sic enim illi fuero similior. Quare si nolunt ij parùm hærentia videri dicere, aliud sumere, aliud esse existiment imitari: & cùm Heroicorum Catulli versuum rationem imitatum fuisse Vergilium dixerint, si modò id volent dicere: tum si eum affirmabunt cùm ab illo, tùm à cæteris vel Latinis, vel certè Græcis non poëtis modò, sed etiam Oratoribus

quid sit imitatio

ac Philoſophis multa ſumpſiſſe, veriſſimè pronunciabunt. Ac mihi quidem ipſe interdum videris, cùm tuas literas lego, ita ſenſiſſe: vt vtrum quis aliquem imitetur, an ab illo ſumat, quod in ſua ſcripta transferat, differre nihil duxeris: quod ſi eſt, equidem lætor vnius tantummodò verbi interpretatione mutata, rerum non minimarum, neque ſanè ſpernendarum inter nos magna ex parte controuerſiam poſſe finiri. Quid enim mihi eſſe aut propter noſtram beneuolentiam iucundius, aut propter aliorum exiſtimationem de tua doctrina laudabilius poteſt, quàm nulla me in re abs te magnoperè diſſentire: homine multarum maximarumque rerum diſciplinis erudito, ſummo ingenio, ſumma integritate prædito, & in ſecunda fortuna temperato, in aduerſa erecto, atque in omni vita magno ac probato viro? cuius tàm multi leguntur iam habenturque in manibus egregiè perſcripti libri: vt me non ſolùm opinione hominum facilè vincere, ſed etiam obruere ſcriptis, poſſis. Sin verò aliter ſe res habet, tamen gaudeo nullas inter nos opinionum ſententiarumq; diuerſitates & contentiones eſſe tantas poſſe, tamque graueis, quas profectò vel mea ſumma in te obſeruantia, vel tuus erga me amor non leuiſſimè ferat: præſertim cùm de Amore librum conſcribas, de quo qui cæteros doces, non vereor, ne illud non didiceris: Amandam eſſe imprimis veritatem: idque qui faciat, in eo neminem lædere, aut etiam qui ſe facere exiſtimat: Nam id quidem in multis credi quàm ſciri faciliùs poteſt. Quanquàm non ego is ſum, qui me falli non putem poſſe, præſertim cùm Ariſtoteleos tàm multis in locis libros, atque vniuerſam propè antiquorum philoſophiam, abs te reprehendi videam. Fieri enim poteſt, vt quemadmodum ego rectè me ſentire exiſtimo, qui tibi videor à veritate abeſſe longiſſimè: ita tu rectè ſentias, cùm mihi tamen videatur ſecus. Neque illud mihi aſſumo, vt his literis te, atque cæteros, qui aliter ſentiunt, ad meam opinionem atque ſenſum traducam. Quid enim eſſet ineptius, quàm cui aut Maro, aut Cicero diuina illa ſuorum ſcriptorum tot atque tantorum maieſtate imitandos eſſe ſe non perſuaſerunt, id ei putare me vna mea epiſtola perſuaſurum? Eſt tamen humani animi, & vt ego arbitror, non contemnendi, qua ipſe veriſimilitudine dubijs in rebus cognitioneque digniſſimis ducatur, quàm plurimos velle certos facere: vt aut reprehenſione aliorum ſe corrigere, aut comprobatione confirmare poſſit. Id me vnum voluiſſe, vt exiſtimes, te etiam atq; etiam rogo. Vale Romæ, Cal. Ianuarijs. M. D. XIII.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA,

PETRO BEMBO S. P. D.



ON eram neſcius, Bembe, ſi quæ de imitatione conceperam, ea ad te perſcripſiſſem, fore, vt in irritatos crabrones incurrerem: verùm hoc me conſolabar, quod eorum aculeos plurimum habere dulcedinis, & quidem ſuauiſſimæ, non ignorabam, vt qui ſedem haberent in aluearibus dulciſſimarum apum, quæ tantum Arpinatis mellis ipſo in ictu relinquere ſolerent, vt ſine Pæonijs herbis, ſine vlla vulneris obligatione, ipſa per ſeſe ſanitas accurreret. Qua in re me nihil ſanè fefellit opinio, tantum enim ſuauis acrimoniæ præſeferunt illi ipſi aculei, tantumque me tua ſimul, & pupugit, & oblectauit oratio, vt iterum pungi cupiam, quò poſſim iterum oblectari. Sed quanquam tu es in ſcribendo multò accuratiſſimus, locus autem ad me impugnandum ampliſſimus præberi tibi videretur, quæ tua tamen eſt modeſtia, quibuſdam illum quaſi punctis anguſtum reddidiſti: Nam & paucula quæpiam carpis, & multa præteris ſilentio: multùm verò de tuo imitationis inſtituto & gnauiter & doctè perſcribis. Ego verò ad omnia ea reſpondebo, & nonnulla etiam ſi quando ſeſe obtulerit occaſio, quæ priori epiſtola mea contra imitationem minimè attuleram, non grauabor afferre, quò minus me pœniteat aduerſus moroſos omninò, ne dicam ſcrupu-

ſcrupuloſiſſimos imitatores, diſſeruiſſe. Principiò pugnare hæc mea in epiſtola, aut non cohærere ſibi videris exiſtimaſſe, imitandos eſſe bonos omnes, & imitatores vituperandos. Putaſti fortaſſe idem eſſe imitari ſimpliciter abſoluteque, & bonos omneis imitari, quare cùm alterum laudârim, damnârim alterum, haud rectè à me factum cenſere queant probati rerum æſtimatores. Sed nulla eſt rerum, nulla eſt pugna verborum: neque enim illa eadem, ſed diuerſa ſunt, & ab alterutris longè ſemota: quandoquidem cùm omnes bonos dixi, & vnum etiam quempiam propriè atq; ſignanter excluſi, quem quiſquis demùm ille fuerit qui duxerit omnino imitandum, & irridetur ab Horatio, & à Platone condemnatur. Cur igitur eos laudauerim, quos contempſit antiquitas? Atqui Maronem æmulatorem dixi, qua parte æmulatio præſtat imitationi: tantum abeſt vt eum inter imitatores collocauerim. neque opus fuit, Bembe, vt affirmarem imitari non oportere: quando non vſquequaque, nec vnum quempiam, quod tute ipſe arbitrabare, ſed bonos omneis dixi nobis proponendos, vt imitaremur eis videlicet in rebus, in queis maximè illos excelluiſſe putabamus, nihilò tamen minus genium inuertendum non eſſe penitùs admonebam, ſed dirigendum eſſe filum orationis ad cognatam animi propenſionem ideamq; dicendi: Laudaui ſanè eos, qui ab vnoquoque excerpant ſibi id, in quo ſimiles meritò vt euadant, conari debeant: damnaui qui vniuſcuiuſpiam ſcriptoris næuos, cicatrices, vitia, excrementa effingere procurant: quæ ita in corporis oratione quantumuis eximia cernuntur, ac in humanis perſæpè corporibus.

Potes igitur, Bembe, percipere me & dialecticæ regulæ illius non eſſe oblitum, repugnare ſibi ipſi inter diſputandum fas non eſſe: & fruſtrà me ad Pauli Corteſij epiſtolam abs te fuiſſe relegatum: nõ propterea ſolùm quod alia eſt inter te, & me, quàm inter illum & Politianum fuit controuerſia, ſed quoniam quæ Paulus conatus eſt, aſſequutum non magis illum vel aliud agens ſubiudicaui, quàm Politianum Tullianam ſcribendi rationem adeptum fuiſſe. Qua etiam in re tibi non aſſentior, quandoquidem potuiſſe illum exiſtimo quemcunque voluiſſet ſcriptorem effingere: eiusque rei aliquando præbuit indicia: Sed maluit ab eruditis haberi ſe hominem, quàm aut ſeruum pecus, aut ſimiam. Ac ſimilitudo illa parentum quam nati referant, parùm iuuit Corteſium: quanquàm iuuenem ingenioſum, & benè de literis merentem, extrinſecùs illa tantummodò cernitur: Nec omnes næuos repræſentat, nec capillorum aut vnguium, quæ multi affectant contemnenda præſegmina: ſuntq; multi qui diſſimiles parentibus habentur, egregio tamen colore muniti & faciem & membra præſeferendo: ſi non ſimilia, at notæ minimè deterioris: iudicanturque ſæpenumerò non degeneres, ſed longè præſtantiores: vt mittam, quod hæc filiorum erga parentes imitatio, natura conſtat, non arte: vt potior ſit illa ſimiæ comparatio, quàm nati: cùm hic affectatis geſticulationibus patris vultum, aut corporis reliqui habitum referre nequaquam poſſit: illa quoquo modo vel de longinquo hominum: quorum è numero cùm nequeas omni ex parte pulcherrimum, quod effingas corpus inuenire: miror te pulcherrimum quod imiteris orationis corpus, vno in ſcriptore prorſus inueniſſe, quod fieri non poſſe, tuo ex Cicerone reſcire facilè potuiſti. Adde quod ſublunaria iſthæc, vt etiam tibi anteà planè teſtabar, non ſunt omni ex parte beata: cùm diſtribuat natura parens non vni tantùm, ſed multis ſua munera, & ſuas vnicuique rei propriasque virtutes elargiatur. Ex quo fit vt pulcherrimum illud quod quæris orationis artificium, ipſa in natura, inque animo potiſſimùm tibi vnde eius proxima origo in verba & literas deriuatum, ſit indagandum: non autem vna vniuſcuiuſpiam autoris in pagina, in omnibus potiùs, aut in plurimis omnium: quando vti in vniuerſo hoc quod oculis cernimus, animantium omnium habitaculo, variæ ſunt rerum efficiendarum ſparſæ virtutes, non coactæ vnam in oram: ita nec vno in autore quaſi angulo quopiam humanæ Reipublicæ integra & perfecta eſt norma loquendi conſtituta: cuius quidem rei priori in epiſtola multis te admonitum volui.

Sed quoniam ſatis ea non fuiſſe deprehendi: quoniam iterum dubitas, & quid hæc ipſa ſit perfecta in animo ſpecies ideáve dicendi, curioſè ſciſcitaris: haud equidem dubitabo ea de re plura differere: & quanquàm te ad Ciceronem relegare poſſum: nihilò tamen minus & quæ ipſe ſentiat, & quæ ipſe putem, vt omnis tandem à

te scrupulus extrudi possit, & tuas hac de re dissolutas argumentationes agnoscere queas, susque deque narrare protinus aggrediar. Quid (ait Cicero) malus, quàm cùm tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, iudicare quæ sit optima species & quasi figura dicendi? à bono ad optimum dijudicandum loquendi difficultas innascitur. Dices fortasse, Bembe: quæsiuit illud ipsum Cicero: deinde inuenit, & qualenã esset, expressit. At illum ipsum audi hæc verba promentem: Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit: non enim quæro quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse præstantius: fingit igitur Cicero qualem nec vidit, nec nouit. At certè vidit in animo, quod enim fingitur ad alicuius imaginis exemplar: si nulla extat extrinsecùs imago, ad eam ipsam imaginem quam mente gerit, quisquis ille fictor fuerit, id ipsam fabricari necesse est. Arrige aures, Bembe, & Ciceronis, non meis hauri verbis, quid ipsa de Idea orationis decernendum sit. Ego, inquit, sic statuo, nihil esse in vllo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, vnde illud, vt ex ore aliquo quasi & imago exprimatur: quod neque oculis, neque auribus, neque vllo sensu percipi potest, cogitatione tantùm & mente complectimur. Idem postea de Phidiæ artificiosis imaginibus cùm disseruisset, non ex animali exemplo, aut sculptis simulacris eas duxisse illum affirmauit, sed in ipsius, inquit, mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eaque defixus ad illius similitudinẽ artem manumq; dirigebat. Vt igitur in formis & picturis est aliquid perfectum & excellens, cuius excogitatam speciem imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa non cadunt: sic perfectæ eloquentiæ speciem non videmus, effigiem auribus quærimus. Has rerum formas appellat Ideas ille, non intelligendi solùm, sed etiam dicendi grauissimus autor Plato: easque gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: Cætera nasci, fluere, occidere, labi, nec diutiùs esse vno eodem statu. Qua de re magis miror te ab ipso, quem colis, Cicerone, tantopere desciuisse, qui affirmes, te non tua ex mentis penu, sed ex veterum libris traxisse, & multo annorum spacio, multis laboribus, ac longo vsu exercitationeque, & styli formam & dictandi simulacrum: nec vllum antea spectrum, nec vllam prorsus imaginem benè dicendi tuo in animo conspexisse. Verùm enimuerò quando tu id fortasse nimia ex modestia & reris, & scribis: vt quod tibi ipse egregiè loquendi munus acceptum referri debet, id antiquorum virtutibus, quas æmulatus fueris, tribuatur: ducam te per lineas quasdam sine mæandris vllis, aut labyrinthis, quoad te ipsum & ad tuas animi dotes faciliùs peruenias: liceat enim mihi de te id, quod tibi de te ipsi non licet & loqui, & scribere.

Tua illa, Bembe, commodè, aptè, Romaneq; dicendi virtus, nisi à te ipsa penderet, frustrà Ciceronem legendo triuisses: Quo pacto enim fieri queat, non video (nisi nos ipsos ignoremus) vt Ciceronis cuipiam vni præ alijs scriptoribus placere possit oratio, qui eius ipsius orationis vel perfectam, vel inchoatam imaginem mente non gesserit, quando ea ipsa quispiam & ducitur, & quærit, & iudicat: simile enim simili (vt erat Democriti, nec sine ratione prouerbium) diuinitùs copulatur. Sed quid loquar de Tulliana oratione? illa ipsa in vniuersum, qua de re tantoperè loquitur Cicero, species Ideáve dicendi insidet animo: quæ nisi insedisset, quo pacto fuisset tanto studio à multis atq; ab ipso etiam authore quæsita. Quod enim omninò ignoratur, quæri omninò non potest. Itaque si norat eam Cicero, sanè aut ex se, aut aliunde illam nouisse dixeris. Si aliunde, vndénam quæso? ex aliorum libris? at fuisset inuenta ex aliorum animo: sed quónam pacto animus animum diuersum potest intueri, nisi verbis veluti signis atque indicibus, & quibusdam quasi speculis ad animalem reddendam imaginem natura fabricatis? quæ quidem imago quoniam diutiùs manere nequit, literarum notis tanquàm vinculis continetur: eam Platonici à primis illis Ideis fluere sanxerunt. Sed vbinam illæ Ideæ, & quo pacto inde manarent animales imagines, inter eos non satis conuenit. Degenerare quidem ipsas cùm deorsum exciperentur, plurimorum consensu decretum est: adeò vt rationum potiùs cùm illaberentur in animos, quàm Idearum appellatione dignas existimarent, pro captu etiam & varia excipientium animorum conditione diuersas, quanquàm suo in fonte nullam varietatem patiantur. Atque hinc potes animaduertere minus rectè sese habere quod scripsisti, Xenophontem, Demosthenem, Platonem, Ciceronem, alios

alios in ipso mundi ac rerum omnium, autore Deo, rectè scribendi speciem contemplatos: cùm enim inter sese diuersissimi & sint, & habeantur scriptores, aut exemplar diuersitatis, aut ipsos imitatores, vel omnes, vel plurimos, siue hebetudinis, siue inertiæ damnaueris: ad eam veriùs quam proprijs quisq; in animis habebat ab ortu naturæ insculptam. Et tanquàm inustam imaginem respiciebant, quam & corporis temperamentum moderabatur, quod vnusquisque obtinet ab alio diuersum: Illud tamen non ignorandum, sublucere ipsa in mente perfectius quoddam simulacrum: quo congenita ipsa & ex corporeis sensibus dissultans dicendi propensio, & augeri possit & perfici, atque ad excogitatam speciem imitando referri. Qua ex re percipere facilè poteris, cur non vnum aliquem censuerim scriptorem omnium maximum atque summum, sed omnes bonos imitari oportere. Deest enim ille maximus, si perfecto illi quem gerimus animo, ipsam committas. Dici enim non facilè possit, quantum is qui summus habebatur, ipsa collatione decrescat: ex omnibus autem faciliùs multò perfectio ipsa conflabitur. Siquidem propriam vnusquisq; bonorum, & peculiarem orationis virtutem sortitus, non iniuria existimatur, sic, vt animum etiam & corpus, à quo illa ipsa pendet oratio: quæ sanè ab exemplo petenda est: perfecto illo quidem, non vno aliquo chartis commendato: magis autem ab omnibus bonis ea quam sæpè diximus, & nunc, vt eam ipsam inculcemus: videtur opus ratione, qua sparsæ scilicet sunt virtutes ipsæ & disseminatæ: adeò, vt vnusquisque illorum proprium insigne gerat, quod non sit ei commune cum cæteris: Tenenda autem sunt sua cuiq; non vitiosa, sed tamen propria: ita enim censet Cicero, atq; id ipsum paulò pòst repetens: expendere, inquit, oportebit quod quisque habeat sui, eaq; moderari, nec velle experiri, quàm aliena deceant. Id enim maximè quemq; decet, quod est cuiusq; suum maximè.

Súntne ista, Bembe, Tulliana verba singula, quæ subiecit: sicuti & alia ex alio eius autoris opere sumpta, & sub oculos posita? Ergo sequi debemus proprium animi instinctum, & inditam innatamque propensionem: deinde varijs aliorum virtutibus vnum quiddam quasi corpus coagmentare. Sic pictor ille celebratus, populum se dixit habuisse magistrum: sic ille alius quinque non vnam virgines adhibuit ad simulacrum in Crotonis phano pingendum, quoniam vno in corpore non poterant, quæ excellentem pulchritudinem omnino præsentarent, reperiri. Praxiteles verò cùm vnà ex Phryne renudatam, & ex mari surgentem Venerem effinxit: Cupidinem verò nullo ab animali exemplo, præterquàm ex affectibus, quibus intus afficiebatur, expressit: satis dedit intelligi ex animo magis quàm ex afformata quapiam & in materiã expressa imagine posse pulchritudinem effingi & manifestari, quando Cupidinem ipsum multò excellentissima pulchritudine præstitisse matri memoriæ proditum est. Ex animo itaq; qui trahunt suo, & qui ex multis aliorum in eloquendo virtutibus vnum quasi corpus eloquentiæ conficiunt, ij optimè dicuntur imitari, non furari, aut mendicare: quòd ij præstant qui in concerpendis clausulis & hemistichijs veteris cuiuspiam autoris consenescunt, ij ipsi, si fortè eueniat, vt sine illo quem colunt, peregrè proficiscantur, aut casu quopiam impediantur, quo minus eius ipsius compotes sint, scribere illis nihilominus incumbat, hærent in vestigio, nec hiscere verbum possunt. At si nunquàm loquantur nisi ex commentario, aut nunquàm loquentur, aut parciùs omnino quàm Lacones, deque aut nullis, aut paucissimis rebus fiet oratio: Ergo vis orationis, quæ conciliatrix est humanæ societatis, semper erit ex commentario petenda? O vanitatem operosissimam, ô seruitutem incomparabilem hominum, instar auium caueis inclusarum: quæ voces humanas & nullas nisi quibus identidem ferulæ etiam magisterio assueuerint, reddere nequeunt.

Ac sanè Marci Tullij de imitatione definitio, quam attulisti, nobis abundè suffragatur, tantum abest vt refragetur aut noceat: nam aliquorum similes esse oportere docuit, qui imitarentur, notæ alicuius: id autem est imitari virtutes, vitia relinquere: similis enim potest quispiam esse Ciceronis in facilitate, & perspicuitate, & maiestate, Cæsaris in elegantia verborum, & candore, Salustij in breuitate, & sententiarum grauitate, Columellæ in ornamentis, Celsi in nitore, Plinij in lenitate. Idemque poterit elumbe illud, quod redundans, & Asianum, si quod tamen est, at certè & antiqui & magni autores ita sensêre, in Cicerone damnatum effugere, eiusdẽ autoris repetitiones

optimi authores imitandi

virtutes quaerendae autorum dãnata.

tiones nimias declinare, cauere à ſiccitate Cornelij, à nimijs Columellæ floribus, à neglectu Cæſaris, ab obſoletis & Catonianis Saluſtij verbis abſtinere. Neque enim tua illa recipio, imitatores cuiuſpiam autoris totam eius ſtyli faciẽ exprimere oportere: quod ſi næui illam infuſcârint, quid erit cauſæ vt nequeant lucem pro tenebris reponere? ſi etiam vulnera malas, aut naſum deformârint, frontem aut oculos tantum nequeam imitari? quaſi aperta Lacenæ, & operta Theſpiæ non potuerit Apelles duntaxat exprimere? aut Lampetæ ſupercilia tantùm? aut aliqua ſolùm ex ijs, quæ apud Philoxenum laudauit Cyclops in Galatea? poterit inquam id præſtare is, qui ita erit animo affectus: vt quod eſt vniuſcuiuſque optimum, & experiatur & agnoſcat in ſeſe: vt id tandem ſequatur, & ab eo quod illi eſt aduerſum, penitùs abhorreat. Neque enim eum, qui huic obeundo muneri ſit aptus, volo vt mentis emotæ, vt obliuioſus, vt tardus ſit: ſed perſpicaci ingenio, memoria tenaci, ſolertia præterea & induſtria nõ mediocri: neq; etiam volo, vt ex hoc & ex illo quicquam decerpat, vt ex modis loquẽdi diſſimilibus, ita orationem tanquam ex diuerſis pannis centonem conſuat: ſed vt conſlentur omnia, exq; ijs ipſis tua propria phraſis, quæ nulla ſit eorum: præclara illa tamen, & digna laude coaleſcat, atq; ita inſtar apum diuerſis ex floribus non ipſos exprimes flores, ſed dulciſſimum illud aut Hymetium, aut Hyblæum mel coagmentatum. Atq; hæc quidem ſatis (vt puto) futura ſunt pro refutandis ijs, quibus noſtra de multorum imitatione & Idea animi propria reijciebas: reſpondi enim ad Epicheremata omnia, quanquàm ſingulis non eodem modo.

quomodo imitandum sit.

Nunc, quod neminem vnum, quod tamen tu conducere exiſtimas, imitari oporteat, & de tuo inter imitandum inſtituto verba faciam. Imitari nos vnum quempiam omnibus in rebus & modis ſcriptorem, nec debere, nec poſſe prioribus literis patefactum exiſtimabam: atq; ex ijs quæ hactenus diſputauimus, opinor abundè confirmari potuiſſe, ſed minutè magis tractanda res eſt, & exemplis etiam, vt arbitror, munienda. Si nullum tuum iudicium, Bembe, in ſcribendo ſequare, ſed autoritati cuiuſpiam autoris omnibus in rebus pareas, quid tandem ex ipſa tua imitatione conficies? ſimilis dices fiam. At quónam pacto? imitabor, inquies, omnia quoad ſimilis euaſero. Sed ſi prorſus eadem nõ dixeris, & eodem modo, eiſdem verbis, figuris, liniamentis, numeris, diſſimilis & eris & iudicabere: Atq; hac ratione imitator nõ fueris. Quoniam talis niſi à propoſito recedas, eſſe non potes, niſi ſimilis euaſeris. Sin autem ea omnia præſtiteris, ſimilẽ tute ipſum fortaſsè factum arbitraberis: alij vel illum quem imitaris, nõ te qualem vis haberi, eſſe decernent, aut furem aut merum exſcriptorem iudicabunt. An ignoras proditum memoriæ Criticum illum Ariſtophanem, conſenſu docti illius cœtus ad Philadelphi literarium certamen congregati, eum damnaſſe furti, qui materiam ex ſeſe non fabricaſſet orationis, hoc eſt, non propria eſſet vſus inuentione? quid putas futurum fuiſſe ſi alicuius autoris cæſa & membra furto ſuſtuliſſet? tantùm priſca illa ætas monebat ſtudioſos literarum, vt homines tandem vellent ſe eſſe, non ſimias: quod ſubſequuta ſecula cuſtodiſſe illud ſit indicio: quod & Terentius à furis nomine maximoperè abhorruit, & Manlius gloriatus eſt ſeſe non furtum, ſed opus editurum, vt qui neminem vnum ſequeretur: quaſi tacitò doceret imitatores nimios à furibus nihil omnino differre. Dices non eſſe neceſſarium vti nos aliorum inuentione, vt ſimiles habeamur ijs, quos duximus imitandos, ſed opus eſſe noſtram, qualiſcunque ea fuerit, veterum nominibus, tropis, numeris, clauſulis, periodis, tanquam proprium corpus panno peregrinisque coloribus circumueſtiri: Sed laruæ, ſimulacra, & euanidæ vmbræ potius quàm homines dicentur ijs ſimiles, quos cupiunt repræſentare: deerit enim viuidum robur & ſpiritus. Atqui prioribus in literis oſtendimus inuentionem, quæ tanquam materia orationis & eſt, & habetur, & diſpoſitionem, quæ illi aptetur, & elocutionem, quæ vtriſque conueniat, ſequi oportere: Si ſecus fiat, riſus non demiratio excitabitur: quemadmodum fieri quandoque aſſolet: cùm pictores quidam poſtremi ordinis nec ſymmetriæ vllius, nec colorum, nec vmbrarum memores, extrema quæpiam lineamenta ducunt præclaris pictoribus fortè ſimilia, actutumq; autumant ſe illos probè fuiſſe imitatos: ſed euenit vt ſuis quas pinxerint imaginibus poſteà nomen inſcribant eius ipſius quod repræſentare cupiebant animalis: alioqui quídnam eſſent moliti, haudquaquam internoſceretur. Quod ſi paulò etiam eruditiores fuerint, ni tamen ex animo idipſum prom-

pſerint,

pserint, simulacri, quale autor ille prompsit, quem imitantur, neutiquam similes futuri sunt, etiam si omnem operam, curam, omnem deniq; diligentiam posuerint in imitando. Est id ipsum sæpenumerò videre in curiosis imitatoribus: qui scribendo cùm nequeant, quem maximè vellent imitari, similes sese tamen haberi & cupiunt & dicunt: non minus & amantes & admirantes sua quàm suos Delphini filios. Ac memini olim me hospitio ad multos menses quędam excepisse virum doctum alioqui, nec malorum, vt videbatur, morum: sed tanta in effingendo Cicerone cura, ne insaniam dixerim, laborabat: vt semetipse dum quod volebat, omnino non posset assequi, penè cruciaret: quapropter sæpè quæ composuerat dum recitaret, vt qui se filium esse non nosset, exclamabat identidem repetebatque: Audite simiam Ciceronis. Fit etiam quandoque, vt vel vnum tantùm ex multis detur assequi: & id quod propriè maximeq; imitandum esset, peruertatur. Quod olim à discipulo quodam Apellis factum me legisse memini. Nam cùm magistrum imitaretur in Helena pingenda, ac simulacrum gemmis, margaritis, auro, purpura referfisset, Helenæ pulchritudinem sibi ipsi expressisse videbatur: non ita tamen visum Apelli, qui diuite cultu pulchritudinem imitatam admonuit. Hoc ne aliud quàm manum & colores non conuenisse cum animo, cui iudicandæ pulchritudinis & arbitrium & potestas? An putas, Bembe, vllos nostri temporis Ciceroni fore in loquendo similes, nisi in intelligendo etiam similes fuerint. Sanè Augustinus eos non probat, qui linguam Ciceronis tantùm, non autem pectus admirantur: vt qui probè nouerit eruditam & ornatam linguam, nisi ab exculti pectoris imaginibus prodire potuisse. Hoc quid est aliud, quàm cum forma conuenire materiam, & elocutionem inuentioni, atq, dispositionem ad vnguem iungi, & tanquam (ita dixerim) ferruminari oportere? Sed finge quæso te materiam eandem, aut non dissimilem, finge etiam potiorem nobilioremque inuenisse: putabísne propterea posse te illam ipsam Tulliana elocutione pertractare? vbi enim eædem erunt periodi, cæsa, membra, pedes & numeri apud illum semper varij? quæ quidem varietas indeprehensa est. Alij enim habentur in actionibus (nam illa omninò est popularis oratio) alij in libris Philosophiæ, quibus doctis scribebat, alij in epistolis, atq; ijdem etiam sæpenumerò diuersi, vt diuersi erant & animi affectus, & res de quibus agebatur, & homines quibus sua sensa per literas significabat: periodi cęsis, membrisq; constituuntur: hæc verò nominū verborumq; compositione, atq; conflatu constant. Illa verò compositio atq; commistio tàm est varia, quàm sunt in oratione clausulæ: quas magis ad numerum nosse non potes:

Quàm scire quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Sola enim verbi cuiuspiam transpositione variantur: Nec pedes & numeri stati sunt atque perpetui, eos ad aurium iudicium (quod est quidem longè diuersissimum) Cicero delegauit. Quare non semper ab exemplari, quasi à prætoris edicto, aut à duodecim tabulis petendi sunt, sed ex animi auriumq; sententia. Neq; enim audiendi qui etiam à bonis iudicijs explosi, existimant sese Ciceronis imitatores esse: modò duo nomina vel ad summum tria in calce periodi scrupulosè etiam obseruârint, vt illud esse videretur, quoad numeros sæpè repetierint, & tui & mei loca quātum spectat ad elegantiam, diutissimè pensitârint, quasi hæc ipsa etiam quandoq; ille non variauerit, diuersis & pedibus & numeris & lineamentis vsus. Atqui gratis etiam tibi pro vetere nostra amicitia concedo, vt istiusmodi sandalia, de quibus priore epistola fecimus mentionem, è Romanis ruinis tibi asciueris, vt in vestigijs Ciceronis inoffensè possis ambulare: do etiam vt tuis pedibus instar Sicyonei calcei eleganter aptentur. Ad reliqua corporis membra cùm perueneris quid fiet? neque enim ex sandalijs homines vestiūtur, amictus alij asciscēdi sunt: sed quoniā eorū nomina veriùs quàm rem tenemus, & figurę magna ex parte nobis cōpertæ nō sunt, periculū erit, opinor, ne paludamentū pro toga, ne lacernam pro abolla, ne tunicam etiā pro chlamyde capias: tanta est antiquarū vestium nostris temporibus ignoratio: puto etiā quandoq; deligi incōsultò posse pro sago masturcā & sarrabaram. Sed eò etiam procede, vt imagineris Apellem te, aut Zeusim, Phidiam etiā & Praxitelē & Lysippū & Pyrgotelem excitasse ab inferis, vt tibi nō vestes, sed corp⁹ Ciceronis reprēsentēt: Vbi enim magni illi artifices tibi vel penicillo, vel * cœlo, vel arte fusoria imaginē eius ipsius sub oculos posuerint, *stylo.
suo ipsorum erunt officio perfuncti: Pictus tamē ille vel marmoreus, vel æreus Cicero fuerit,

fuerit,non carneus. Do etiam aliquid plus: carnem,quæ Ciceronis fuerat,assequantur imitando,at animum,at spiritum non, quibus illa ipsa caro informabatur. Num igitur verus ille solùm habendus Cicero, qui scilicet formam orationis concipiebat animo,& viuidum robur adijciebat, & gratiam, mox huiuscemodi omnes promebat animi motus, interprete lingua? Oportet itaq; gerere animo conceptus Ciceronis, esse præterea instructos rerum multarum, & magnarum doctrina & experimentis eos, qui se existimant viuam linguam Ciceronis esse consequutos: ne si Tulliano careat spiritu, eos Cato nuncupet Mortuaria glossaria. Dices fortasse te verba primùm obseruaturum, inde numeros & lineamenta structuramque omnem, nihilq; prorsus afferre quod non sit etiam allatum à Cicerone,nec alijs omninò loqui de rebus velle, quàm de ijs de quibus ipse disseruit. Hoc furari erit, Bembe, non imitari:hoc Aristophanes ille non ferret, tantùm abest vt probaret, quando etiam vt pœna afficeretur, censuit, qui quæ alijs dixissent, suis in lucubrationibus ipse retulerit: idque eius iudicium totius penè Græciæ, quæ cùm maximè literis florere credebatur, consensu publico est approbatum.

Venio ad imitandi rationem, qua te ipsi proposuisse dicis Ciceronem prosa ratione, versu Vergilium, & quàm tibi dediscere & aboleri ex animo phrasim perdifficile fuerit, quam ex fontibus autorum secundi ordinis imbiberas, vt quæ impedimento esset hauriendæ celebratissimorum autorum elocutioni: nequaquàm enim tibi rem futuram cum ijs, qui se neminem imitari profiterentur, quoniam scribendo parum admodum profecisse tibi viderentur: & cum suis libris atque scriptis planè inuisos, ac despectos iacere. Ego quidem ni te viderem, Bembe, tàm Ciceroni addictũ quàm qui maximè, & in eius solùm verba (quod dici assolet) iurare:sed apices etiam literarum,& puncta, quibus interstinguitur lectio, tanquam in arcanis custodire: conarer in id, vti docerem fieri non posse,vt sis omninò similis Ciceroni. Hoc enim aperit ratio naturæ, quam ars imitatur, quæ eadẽ omninò esse non potest vbi est naturæ ipsius in temperamento diuersitas. Hoc dictat Idea, siue species ipsa dicendi: quæ ita sese habet, vt numerus, autore Aristotele, qui vel additione vel detractione vnitatis tàm variat: vt sine vlla autoritate quilibet etiam è medio possit videre idipsum esse τῶν ἀληθῆς. Quod si dixeris te ex imitatione, si non similem, propinquum tamen aliqua ex parte fieri: Ipse quidem tibi vt gratulabor, quod imitando profeceris: atque inter imitatores quando ita voluisti, egregium tibi locum vendicaueris, ita tamen non assentiar solum Ciceronem, quanquam eximius ille, & extra omnem aleam haberi prosa oratione, sic numeris omnibus consummatum, vt despectis cæteris in nobis omninò sit proponendus: in quem nostra studia & cogitationes dirigamus: seligenda potius ea in quibus eminet, & asciscendi cæteri sunt: qui quanquam aliqua re inferiores,præstare tamen alijs in rebus existimentur: Quod non solùm ijs quibus vsi sumus rationibus,tueri possumus,sed exemplo veterum omnium boni nominis scriptorum, qui non illum vnũ,sed multos potiùs imitati sunt: & seipsos in primis secuti, hoc est, propriã animi Ideam propensionemq; dicẽdi: qua de re priori in epistola lõgo quodã discursu fecimus mentionẽ: quorum exemplum sequuti sunt nostra tẽpestate plurimi,inter quos Hermolaus Barbarus ciuis tuus, Ioãnes Picus patruus meus, Angelus Politianus,& qui ijs ętate anteibat Theodorus Thessalonicẽsis. Magnos hosce viros fuisse nec tu negaueris, nec vllus arbitror, qui inter viros bonos & de literis benè audientes locum obtinuerit. Eorum ne aliquis te quæso, Bembe, Ciceronẽ est imitatus figura dicendi? De Hermolao id afferre non potes,qui sese totum Plinijs addixit,Theodori sectator,qui in transferendis Aristotele & Theophrasto, Plinij, Celsi, Columellæ delectatus est charactere, eis autoribus, quos interpretabatur, consentaneo: Verbis sanè quibusdam Ciceronis vtitur,at non phrasi: alioqui satis ei nõ fuisset quantum chartarum, aut in Piceno,aut in ripis Bænaci decennio cõficitur: etsi quando aut epistolas scribit, aut in vertendis autoribus Græcis, & Latio inferendis procœmiatur,dici iure non potest Ciceronis assecla. Patrui stylus(vt de incomparabili ingenio & doctrina sileam) Ciceroni magis accedit quàm Plinio, sed proprium quiddam & peculiare præsefert. Politianus varius in dicendo, vt qui diuersos quandoque voluerit effingere, crebræ tamen in eo acutæque sententiæ: multaque lectione & eruditione non vulgari sua refersit opera. Si hos, Bembe, nullum antiquitatis vestigium

ſtigium redolere putas, ſi inuiſos & deſpectos iacere: quoniam vel omnes, vel earum aliqui ſe neminem imitari fortè profiterentur, tibi non ſubiraſcar quidem: monebo tamen vt dicas meliora. Viuunt enim in memoria hominum, victurique ſunt, & fortè magis quò magis hominum ſtudia proceſſerint: neque enim reijcio Pindaricum illud, ἁμέραι δ᾽ ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

De me verò illud tantùm afferam, benè mecum actum putaturum fuiſſe, ſi valuiſſem Ciceronem effingere tantiſper dum poteſt dici: vide quàm bellè is egerit, qui in imitatoribus arcendis ipſe egregius imitator eſſe videatur: magnopere tamen lætitia non exultaſſem, illam potiùs imitationem maximi facerem, de qua Paulus loquitur Apoſtolus. Nam quanquàm rectè loqui præclareque differere Dei donum eſſe non ambigo (quatenus elegans dicendi munus in bonis ducitur) ſi rerum tamen honeſtarum, & quæ ad felicitatem conducant, pondus non ſubſit, erúntne aliud verba Ciceronis quàm

—inanes ſine mente ſoni, nugæq́ue canoræ?

Propterea cenſui me meis in ſcriptis, vt in omni vita, res magis quàm verba præſtare oportere, maioremque omninò vim impendere in dirigenda ad normam veræ religionis animi affectibus, quàm in oratione ad Ciceronis amuſſim lineanda, & illo eſſe videretur fine terminanda.

Atque hactenus de noſtra controuerſia, quam augere potius viderer potuiſſe quàm minuere, ſi quæ à Græcis rhetoribus quibuſdam & nonnullis Latinis afferuntur, euentilaſſem: ſed noſtra quàm aliena ad præſens attuliſſe fortè præſtiterit. Tu autem amicè potius quàm eleganter ſcriptam epiſtolam contemplatus, cui nec iuſtum triduum impendi, boni conſulas quæſo: neque enim egi, vt qui quartanam laudant, aut qui ſcribunt encomia Therſitæ, & Bombylos panegyricis perſequuntur: Scilicet putáſne tempus mihi ſupereſſe ad exercendum ingenium, quod vix poſſum tueri, ne tot moleſtiarum, quibus premor, molibus planè ſuccumbam: putasque præterea me non ex animo locutum, ſed ad oſtentationem potiùs, vt qui nolim alijs cõuenire. Vera loquor, aut ſi decipior, falſa tamen me ſcribere non putaſſe exiſtimes velim, & libertate potiùs ingenij ductum quàm ſeruitute. Illa enim ipſa libertate fretus, phiſophorum etiam qui maximi fuerunt noſtra ætate, non probare doctrinam ſæpenumerò ſoleo: vt qui religionis noſtræ res tàm ratas certasque habeam, vt nihil certius exiſtimem: hominum verò ſenſibus propriaque induſtria nitentium doctrinas & placita tàm probem, quàm ſeſe mihi aut vera offerunt, aut veri omnino ſimilia. Vale.

FINIS.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI ET CONCORDIAE COMITIS, IN THEOREMATA SVA,

De Fide & ordine credendi,

PROOEMIVM,

AD IVLIVM SECVNDVM Pontificem Maximum.




AN librum de Fide & Ordine credendi, quem mihi ipsi & meditatus fueram & scripseram, alijs quoq; communem facerem, Iuli Secunde Pontifex Maxime, pugnantes mihi se rationes obtulerunt, hinc enim superfluum videbatur de catholica Christi fide quicquam afferre, cùm tot & tanta in eius defensionem & probationem cùm prioribus, tùm nostro seculo edita in lucem scirem, vt facilè foret arbitratu, nostra hæc aut inde eruta & ceu pedissequa, aut inania, & inferioris saltem notæ iudicanda: Non defuturos quoq; suspicabar qui studium hoc nostrum vel hac ratione criminarentur, quòd in fidei causa argumenta & probationes debere tolli à nonnullis iudicaretur. Parte alia cogitanti mihi, nil gratius veritate purgatis mentibus haberi, & ea quidem cuius quasi alis cœlestibus ad primariam ipsissimamq; (vt sic dixerim) veritatem homines peruehuntur. Subinde collegi fieri facilè posse, vt qui fidem ipsam à pueris imbibissent, non ingratum etiam haberent librum, qui & ipsam fidem adstrueret, & eius ordinẽ quempiam, fortè antea non omninò euolutum planè admodum explicaret. Sed & illud Euangelicum (Messis multa, operarij pauci) non inconcinnè & hac nostra posse tempestate proferre succurrebat: cùm veritatis frumenti tanta superfuerit copia, vt omnis frumentatorum numerus impar habeatur, & in ipsis etiam agris quorum demessa frumenta, pauculæ aliquando spicæ ab imbecillæ facultatis hominibus reperiantur quæ aut sagacium aliquando messorum oculos latuerint, aut visæ etiam manus effugerint, vel demùm si eos spicæ ipsæ non præterierint, quandoq; tamen grana ob Solis ardorem è gluma exciderint, quibus subcinericius confici panis possit ad famem egenis & mendicibus tolerandam. Hæc omnia voluenti succurrebat & illud, criminatores si qui insurgerent ab Apostolorum principe non admittendos. Cui placuit reddẽ rationem de ea quæ in nobis est fide, eosdem quoq; pariter arbitrabar ab ipso Eusebio, Hieronymo doctissimo pariter & sanctissimo viro repellendos, qui optauit tàm nostra probari quàm alienos errores aboleri: quid? quod constabat Augustinum in retractationum suarum opere duodecim vltimos de Ciuitate Dei libros à se conscriptos affirmasse, ne quisquam reprehenderet quòd redarguisset aliena, non autem nostra asseruisset, atq; post eos innumeri ne dicam decem aut centum tùm doctrinæ tùm sanctitudinis titulo insignes viri succurrebant laudibus cumulati ob fidei defensionem, ad Christi hostes illidendos fouendosq; animos imbecillium.

Hæc ipsa cùm exactè mecum ipse discuterem & aduersas rationes hasce velut appenderem in libra, contemplarerq; eas quæ vltimo loco relatæ sunt, præponderare prioribus, atque ipsum verum & bonum bonis iudicijs superfluum haberi non posse, nec eos redargui cui qui veritati robur adijciunt, sed illos quibus mens non est fidei placitis assentiri ni ratione vincantur, hac ipsa in lance quæ iam vergebat superpositum ingentis ponderis calculum inspexi, quòd & in cœlis, scilicet sacrarum literarum præconio corona decernitur iustis qui & docti fuerint, aliosq; ad iustitiam erudierint, & fidem pro virili aduersus oppugnatores propugnârint, atq; in terris dignitates palàm positæ sunt quibus idem efficere procuratum est: Hinc etenim diuini & ecclesiastici iuris interpretes honoribus & laudibus fulgent, quorum alteris in vniuersum, alteris magna ex parte id onus incumbit: Liberalium quoq; Artium magistri & Medicinæ & Legum ciuilis doctores, qui huic ipsi muneri nonnulla subministrant, pariter decorantur: Sed isthæc quæ in terris sunt, apud nos vel paruo habita, vel pro nihilo habẽda sunt, & ad ea parãda nobis

da nobis festinandum, quæ & Deo ante omnia placeant, & hominibus consulant ac honores non infimos nutabundos, & momentaneos, sed supremos, sed stabiles, sed perpetuos decernant.

Quæ igitur ante sexennium meditari cœpi ad propriæ conscientiæ pacem firmandam inter tot turbines contrariarum opinionum, quæ de credendis rebus tàm in vniuersum quàm particulariter occurrebant, colligenda modò duxi quasi membra dispersa ad vnius corporis & compaginem, & ordinem, quæ Geometrarum, Arithmeticorumq́ more per Theoremata disposui, quibus illud vnum præponendum sum ratus, fidem Christianorum veram esse, vt ex eo veluti principio sequentes conclusiones & Theoremata quodam quasi pendulo nexu cohærentia deducerentur. Vt enim illi de puncto & linea, vnitate & numero pari & impari, & quòd sint & quid sint præfantur, ita nos & esse & veram esse fidem nostram posuimus, sed quanquam apud illos sua ipsa principia non probantur supponanturq́ solùm definianturq́, non ideò tamen ab reputandum est, fecisse nos, si quod posuimus principium, probauerimus: neq; enim præiudicatum apud omnes philosophos est, quin sua esse principia quilibet literarius artifex probare possit. Illi præterea solùm ad discipulos scribunt sua, quos (vt Aristoteles docet) credere oportet nec Geometriæ ipsius aut Arithmeticæ facultatis terminos egrediuntur, in qua prima negari principia, ab eisdem cultoribus nequeunt. Ipse autem non instituendos solùm nostros, sed & cõuincendos aduersarios suscepi in asserendo, principiò vbi & nostris & alienis præliabimur armis: & nimirum veritatis fidei tam ampla vis est, vt & per se suos doceat, & tàm proprio quàm alieno milite aduersarios prosternat & obtruncet, ceu Dauid ille cui & funda pastoralis propria & superbissimi Gigantis ensis ad proterendum ipsum & iugulandum vsui fuere. In Theorematis autem vbi iacta fidei fundamenta sunt, eisq́ vel aduersarij deiecti, vel nostri firmati nostris præcipuè vtimur armis, rationibus inquam quæ fidei nituntur Theologorum sententijs, Canonum Decretis, eorumq́ interpretum placitis, superfluos testimoniorum aceruos prætereũtes: Ad hæc vulgatis atq; protritis, quantum fieri potuit, omissis, rara potiùs quæpiam & probata consciuimus. Ea autem quæ necessaria creditu sunt, primò posuimus congruenti ordine pendentia: Deinde quæ alterius ordinis & liberiora: mox in ambiguis quid videretur agendũ, deq; vario credendi ordine diuersis tempestatibus seruato disseruimus, quinq; & viginti Theorematibus omnia complexi.

Postremò quid cuiq; de propria felicitate credendum sit, pro viribus insinuauimus stylo humili & plerunq; Parisiensi quàm Romano similiori quoad Theorematum expositionem attinet: neq; enim non intelligi volumus ab ijs qui parùm in Latio versati sunt, neq; etiam illos non sequi necesse habuimus qui Latina posthabita non modò facundia, sed etiam lingua sua dogmata tradiderunt, quorum locutionis modos vt aliquando amplecteremur, sed & capita & loca signaremus more nostratium, & eorum etiam verbis vteremur qui vel sacras literas vel Pontificias leges nouissimè per Barbaras quæstiunculas interpretantur, consentaneum duximus. Alia tamen ex parte Latinam linguam penitùs non posthabuimus, adeò vt si quandoq; admisimus barbariem, non affectauerimus, ne delicatos etiam palatus omnifaria ferculorum immundicie absterreremus: curauimus denique vt à quibuscunq; literarijs professoribus intelligeremur, quandoquidem hoc operis (quoniam ad omnes pertinet) commune omnibus esse debet: Et tibi, Maxime Pontifex, qui præsides omnibus, dedicatum.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI, ET CONCORDIAE COMITIS, THEOREMATA:

De fide & ordine credendi.

PRINCIPIVM PRIMVM.

FIDEM CHRISTIANORVM VERAM ESSE.

Expositio primi principij.



VANQVAM de veritate Christianæ fidei à veteribus Theologis, nō parùm multa scripta sunt, ad eandēq; & asserendā & propagandā nonnulli ætatis nostræ viri doctissimi, validissimas rationes scriptis mandauerunt, minimè tamen alienum putaui si probationes aliquas afferrem, quibus & ipsamet propugnaretur fides, & expugnaretur impietas: Id enim cùm veritati ipsius Christianæ fidei nostræ in vniuersum adstipulabitur, tum maximè ei quod struere proposuimus, operi principium optimum, & ceu solidissimum erit fundamentum. Quis enim eis quæ de fide Christiana pendent (in progressu operis tractanda nobis) assensum præbuerit, cui prius non constiterit fidem ipsam inconcussa adeò veritate fultam: vt aut arbitrari falsam, aut veram ambigere non liceat: principia siquidem è quibus ductę conclusiones persuadent, num præcognita modò, sed pro ipsius rei natura, de qua tractatur, firmiora esse conuenit apud eos, qui hærere sequētibus voluerint: quòd & si fallātur in discursu plurimi, idq; pro vero firmoq; habeant, quod falsum est, quod nusquàm constabit aut constitit: ni falsa tamen principia tanquā vera tenerent, vel quæ vera sunt, perperā intelligerent conclusionibus eis quæ ex illis pendēt, & quasi profluunt, nullo se pacto concrederēt: Quod cùm spectatiuis in rebus cōtemplatriciq; scientia visitur, tùm etiā in moribus & statuendis humanæ vitæ finibus atq; religionis vel delectu vel obtentu liquidò cernimus: Neque enim Aphri, Aegyptij, Arabes, Mahometem sequerentur, nephariosq; ritus obseruarent, ni versutissimi præstigiatoris obcæcati placitis, ante omnia autumarent, & quidem obstinatissimè prophetā eum fuisse, ac sibi ad felicitatē cœlitùs destinatum. Hebræi quoq; ob id quòd Mosaicæ legis cortici cohærent, vmbratiles vanosq; ad hanc diem ritus frequentant: Oraculis dæmonū & fatidicis sacerdotibus delusa gentilitas, & coluit idola, & obscœnæ vitæ dedita more pecudum vitam peregit: nulla deniq; non religio reperta est, quæ principia sua vera non opinaretur, & supernis reuelationibus tanquàm basi nō niteretur, veris nostra falsò creditis, reliquæ, vt palàm fiet, quæ religionis nomine indignè censentur, vsique internuntijs quibusdam sunt, quos diuinorū gnaros arbitrabātur. Sic & apud Diodorū legimus, Galatas vsos fuisse philosophis tāquàm Deo proximioribus ad impetrandū: Aristoteli sanè cōformes in decimo Ethicorū ad Nicomachū libro statuēti, sapientes viros curæ esse eis. Sic Indi Brachmanis fidebant, Druidibus Galli, Gymnosophistis Aethiopes, Magis Persæ, Auguribus, Sibyllis, vatibus, oraculis, & plerisque diuinantibus Romani: alijs quoque & similibus nationes, aliæ quos sapientes & Deo propinquos autumarent. In hoc enim ferè genus humanum conuenit, duce se aliquo peritissimo diuinorum conscio egere, cuius præceptis audiens beatitudinem assequantur: quippe cùm supra facultatem mortalitatis sit collocata, non cuilibet se præbet expositam, & cognitu quoque difficilima est: nanque philosophicarum rationum capaces non multi temerè inueniuntur. Atq; ille quidem ad ipsius finis notionē quanquàm promouent, non producunt, quam diuinus ille cùm sit & supra sensum, supraq; rationem positus, ad eum vestigandum humani cogitatus fatiscunt.

Summa

Summa itaq; Dei clementia & prouidentia inexcogitabilis mortalium erroribus opem tulit (neq; enim in re necessaria deesse homini voluit) quæ creatam à se naturam operibus ex ea progenitis & extremè laborātibus adesse semper & suffragari firmissima lege sanxit: Tritum quippe illud apud philosophos, naturā, cùm postulat necessitas, nō deesse. Peculiari autem Dei populo Prophetæ dati & Messias: id est, Christus promissus est, cui audientes felicitatem adipiscerentur, obaudientes pœnis plecterentur. Ad arrogandā autem derogandámve Prophetæ fidem in ipsis exordijs cōditarum legum non tàm quid traderetur, quàm quis traderet, examinandum fuit: si enim de rebus ipsis, quarū notitiam superno duce diuinoq; Propheta comparamus nobis, vi naturæ & sagacis intellectus facultate instrui commoneriq; possemus, eius ope non necessariò egeremus. Ad eum igitur qui cœlitùs missus creditur, dirigenda est mentis acies, quibusq; virtutibus abundet, diligenter inspiciendum, quas vbi deprehenderimus, cœlesti nuncio iure optimo conuenire, eum ipsum qui eis pollet, dignum proculdubiò habebimus, cui fides penitùs mancipetur. Sic & Abraham ille, & Moses, & alij cùm virtutibus insignes, tùm sanctitudine inculpatæ vitæ conspicui, tum miraculorum & futurarum rerum prædictione clari, diuina legatione fungi se etiam tacentes, profitebantur: Contra quoq; idolatrarum auctores institutoresque & abominandi Maomethis placita, cùm ex dogmatis vanis, inconstantibus, & recto iustoq; aduersis, tùm ex vitijs immanibus quæ continent, fouent, docent, prouehunt, à malo dæmone proficisci constat.

At sanè si Iesum Christum ducem & magistrum nostrum Deum esse, ne dum iustū verumq; Prophetam monstrauerimus, extra omnem controuersiam apparebit eis omnibus, quæ nobis ipse tradidit, sine vlla cunctatione fidem obstringendam atq; ea quæ repugnant ceu fabulas & deliria contemnenda, quā nec dementes opinarentur à Deo Optimo Maximo mendacium hominibus pro summa veritate excolendum tradi. Principium autem accommodatissimum nostræ institutioni tùm erit insumendum, cùm illud verissimum & ab omnibus receptum præfati fuerimus: Fuisse videlicet quo tempore rerum potiebatur Tiberius Cæsar & pro eo Pontius Pilatus Iudæam administrabat, hominem quendam Hierosolymis, cui nomen Iesus, atrociter vexatum & morti crucis addictum, hoc ipsum non modò sacra testantur Euangelia, sed & Iudæi asserunt, & Romanarum rerum scriptores memorant, & Græci quoque oratores atq; philosophi affirmant: tametsi eorum nonnulli probrosa verba in derisum & contumeliam effuderunt: Si quidem & Cornelius Tacitus mendaciorum, vt inquit Florens loquacissimus, & Dion, & Tranquillus suas historias bile in Christum Iesum & sectatores effusa fœdauerunt, Epicureus, item Celsus, Libanius, Porphyrius, Iulianus, Proculus Platonicus, Hierocles & Dei hominumq; subsannator Lucianus, Christum & eius legem adlatrārunt, tùm sua freti superbia & erroris turbine circumacti, tùm vt de Christianis ipsis quasi vindictam sumeret, quos acerrimos idolorum oppugnatores nouerant, tùm vt vel principibus illis vel populis adularentur: Quorum insaniæ à Ioanne Grammatico, ab Origine, ab Eusebio, alijsq; compluribus & patefactæ & refutatæ sunt, sed non eos nunc taxandi locus satis fuerit enarrasse apud hos quanquàm hostes crucifixi Christi, quòd tamen supposuimus mentionem factam. Et prætereà Iudæorum multi post inflictam Christo mortem libros quàm plurimos ediderunt ignominijs & maledictis refertissimos, tametsi Iosephus & Philon inter eos eruditissimi honorificam de Christo mentionem fecerint. Hunc igitur qui crucifixus fuit, qui mortuus, qui Iudæis scandalum dictus, Gentibus stultitia, ex his quæ mundo viuens gessit, quæque Apostoli eius atque discipuli, & sectatores peregêre, non hominem modò sanctissimum, sed etiam Deum fuisse verissimis & constantibus (vt arbitror) rationibus, Deo fauente, ostendemus: Hinc autem sumere liceat exordium.

Cultus Dæmonum quibus sub simulachris fictisq; imaginibus obscœna sacra fiebant, & humano etiam sanguine litabatur, annorum quatuor millia aut circiter perdurauerat: neq; enim ad viuum nunc resecanda res est, opus enim longiore subsellio, quàm de supputatione temporum inter celebratos auctores non conuenit. Tanta itaq; inuaserat nationes vesania, sollicitante dæmone, & se Deum fingente, vt multa ab eis fierent aliquando, religiosaq; putarentur, quę non solùm obscœna atq; nepharia

ria humanæ naturæ intra suos limites consistenti semper fuère, verùm & brutis quoq; animantibus flagitiosa & abominanda. Miscebantur memoribus Persæ incestis nuptijs, obijciebantur à Bactris senes canibus ad hoc ipsum nutritis, apud Scythas mortuorum sepulchro infodiebantur viui, qui ab illis amati fuissent: Massagetum ac Derbicum mos erat, propinquos & affines suos, qui iam consenuerant, immolare atque eorundem carnes epulari. Carthaginenses & alij non pauci proprios etiam filios iugulare, & dæmonibus, quos deos autumabant, sacrificare consueuerant. Non impiè autem neque sceleste, sed piè, sed legitimè se, sed religiosè facere existimabant: & dijs ipsis placere, qui hoc & mille alia id genus impia flagitiosaq; iugiter expetebant, & terrarum orbem præter Hebræos (quorum etiam pars quandoque exorbitabat ad ipsos deos deficiens) varijs huiuscemodi immanitatibus repleuerunt, & coli se omni scelerum genere procurârunt: obcæcatis adeò in vniuersum nationibus, vt iacentem in aperto decipulam non aduerterent: oraculis autem potissimùm & responsis dæmones alliciebant, ac impiæ superstitioni & pestilentissimæ fraudi futurorum prædictiones ferè semper ambiguas, sæpè falsas, quasi honestamentum, diuinitatisq; indicium prætendebant.

In hunc cultum vel frustrà vel exiguis certè viribus pugnauerunt veri Dei cultores Abraham, filij atque nepotes, Moses item, Iosue, Dauid alijque Israëlitici populi duces & reges, quẽ tamen oppugnatum acerrimè, & expugnatum constat, simulac Christus doctrina sua terrarum orbem collustrauit. Nec solum id nostri affirmãt, vti etiam magnus ille heremi cultor Antonius: Oracula, inquiens, aduentu Domini nostri Iesu Christi indicto silentio obmutuisse, suosq; captiuos perdidisse, sed & præclari gentium scriptores Hadriani Cæsaris tempestate oracula penè prorsus defecisse commemorãt, quos inter Plutarchus boni nominis auctor diutiùs percunctatus, est, cuinam causæ factum id tàm grande adscriberetur. Fugere igitur dæmones cœpêre impensiùs post aduentum Christi, qui statim à sectatoribus cultus & ab eius apostolis, qui diuersas orbis plagas ad publicationem Euangelij sortiti, prædicatus adeò celebratusq; est, vt ab innumera multitudine, ab omni sexu & ordine, per orbem vniuersum victo detriumphatoq; dæmone magna cũ indignatione & Iudæorum & gentiũ adoraretur, & iam millesimus supra quingentesimum annus euoluitur, ex quo persequente Herode, aduersantibus Romanis rerum Dominis, reclamantibus Iudęis, obstantibus diabolis, sensus demùm & carne repugnãtibus, sanctissima hæc religio quæ prius sub mysticis prophetarum velaminibus, & vmbra legis Mosaicæ multis annorum millibus quasi in magistris (ita dixerim) vtero delituerat, & nata & aucta & propagata est, vixq; vllus tam semotus orbis angulus reperitur, in quo aut in Christi honorem extructæ ecclesiæ non fuerint, aut eius saltem nominis fama non personuerit. Quod regnum igitur huic vel magnitudine, vel victoria, vel gloria, conferendum est: quando non solum ab Oriente sole ad Occidentem propagatum est (extremos enim vtriusque oræ reges & populos vt medios taceam Christi legi subiectos esse perspicuum est) sed ad terras etiã, tàm Romanis olim gentium victoribus quàm Alexandro illo, orbis terrori & nouos orbes perquirenti prorsus incognitas prolatatum: vt eos omittam quos Christianorum Hispaniæ regum classis nostra ætate per Antarcticum polum huic ipsi quem cernimus oppositum adnauigauit: hæc adeò nota, cõpertaq;, vt veritatis hostes tametsi frontem perfricuerint, negare vereantur.

Libet autem primùm ex aduersarijs sciscitari, quænam vis illa tàm potens fuerit vt malignos dæmones ex mundo iam ferè debellato subactoque tàm celeriter expulerit? Porrò Constantini principis virtutem & religionem in causa fuisse contendere nequeunt, quando, vt antea narrauimus, aliquot ante secula Hadriani videlicet Augusti principatum oracula desierant, & post Constantinum fuère, vt Iulianus impius ille desertor, qui vero Deo posthabito atque contempto, dæmones & idola coluère. Atqui nec Gentium philosophi, in humanam aliquam potestatem id vnquam referrent. Vt enim supremo Deo bonisque angelis inferiores ob eorum malitiam, scilicet, dæmones ipsi imbecilliores que, ita hominibus potentiores sunt, quoniam vniuersam spiritalem substantiam supra hominem collocatam apud rerum naturæ gnaros compertissimum est, atque etiam Iudæis ipsis notissimum, qui in libro Iob, libro vtique apud eos etiam sanctissimo legunt,

non

non esse in terra potentiam quæ dæmoni comparetur. At si fortè quispiam qui paulò sapientior, quàm par est, sibi videretur, contenderet non dæmones illos fuisse, sed figmenta hominum fallentium imperitorum mentes, suæ inscitiæ ruditatisque latebras quantò ocyùs proderet. Tulit certè hæc nostra ætas nonnullos, quibus dum aut notitia rerum ob adiunctum laborem nauseam excitat, aut sancti mores & incorruptæ vitæ ratio molestiam parit, spiritales substantias quasi fictitium quoddam deridendumque commentum exibilant, quæcunque inter mortales admirabilia videntur, humano astu, & excogitatæ fallaciæ referentes accepta, vt qui nec dono fidei ob prauos mores pollent, nec rationum earum, quas cùm Philosophi Gentium, tùm Christiani Theologi parauerunt, ob literarum & incuriam & negligentiam capaces euaserint. Hos breuibus interrogatiunculis monebimus, vt à sua illa sapientia desipiant, si sapientiæ esse compotes cupiunt.

Respondeant quæso si Philosophi illi prisci toto orbe celebres quos cõsuluisse oracula, statuasque vouisse, ex Romanis Græcisque historijs pro liquido est, atq; confesso, moti ad id peragendum sint, nullo hallucinati præstigio, quod vim mortalitatis excedere videtur, nulláne ludificarentur habita ratione? Rursus rogentur negaréne simul velint, omnem historiam tàm Græcam & Latinam quàm Barbaram mirabilibus dæmonum præstigijs adstipulantem? quòd si fortè eis concesserimus, vt oracula ipsa prauorum hominum dolis, & fallacijs tribuantur, quod Eusebius Pamphili in quarto Euangelicæ præparationis libro omninò non confutat, illud certè dissoluant, operæprecium est, quænam fuerit causa, cuius vi innumeri templorum dæmonis sacerdotes & vno eodemque tempore & in diuersis orbis plagis cogerentur, vt à fallendi voluntate desisterent. Hæc cùm diluere non possint, cum impijs quibusdam & reprobis hominibus astrologicò fato id forsan imputare ambient, qui nihilominus facilimè reuincentur: Incorporeæ namque substantiæ potestati cœlestium corporum non subduntur, cùm pati id nequeat à corpore (de naturali actione loquimur) quod aut expers penitùs corporis est: quales angeli habentur, aut corporeo instrumento non egent, in proprijs muneribus obeundis, quales rationalium hominum intellectus. Porrò si hoc etiam illis concederemus condonaremusque vt cœli videlicet natura, spiritales & separatas mentes afficeret, quoniam id tuerentur, vt alicuius constellationis vis syderumque quantumcunque velint potentium configuratio, tot annorum curriculis perdurârit parilique potestate, tot & tantas prouincias afflauerit: quando mathematicorum celebratorum consensus est, partita in cœlo esse terrena dominia, diuersosque planetas, diuersis & temporibus & regnis imperitare, & ij quoque refelli possunt Astrologi non minus mendaces quàm impij, qui tot retrò seculis terminum Christianæ fidei sæpè præfinierunt, qui ea postea & seruata & propagata stolida atque fallaces deprehensi sunt. Non potest igitur cœlo aut nostra religio (quod & aliàs dicturi sumus) aut dæmonum expulsio referri accepta: sicut nec vlla diuina miracula, quod à præcellenti illo Ioanne Pico patruo meo in suis aduersus Astrologiam disputationibus abundè demonstratum est. De casu prætereà temeritateque fortunæ nullo pacto hæc deduci possent: Namq; vt mittam quòd Christus ea ipsa se facturum pollicitus est, multis nimirum seculis annorum prænunciata sunt per Esaiam, aliosque prophetas, nec vno sub rege nec eodem tempore præcinẽtes, per Sibyllas item diuersis temporibus, diuersis regionibus ortas, de quibus Varro ex Latinis auctoribus gentium diligentissimè, Maroque & Tibullus & alij nonnihil ex nostris Lactantius accuratè, Augustinus posteà, & alij meminêre: Iustinus quoque philosophus & martyr in suo illo quod de Græco in Latinum sermonem interpretati sumus opere, inquit: Cumeæ se vidisse mansiunculam Sibyllæ, quæ de Christo prædixerat & lenticulam qua eius condebantur reliquiæ conspexisse, edoctumque ab vrbis incolis & modum & ordinẽ quibus in dandis responsis vtebatur.

Adde quòd non potest quicquam esse casu factũ, quod omnes habent in se numeros varietatis, vt in libro de Diuinatione à Cicerone confirmatur. Quid igitur restat quod celebre hoc miraculum toto Orbe conspicuũ credi possit effecisse? An dæmon fortasse quispiã, qui aut alios dæmones, aut se ipsum expulerit: Sed rogo, quisnã aut se aut sua regna demolitur? rursus respondeant cuiúsnam rei gratia hoc operatus

est, bonæ'ne an malæ? si illud respondebunt, refellentur statim: nam qui pessimus est dæmon, bonum sibi non præstituit finem, & tam patens tam vniuersale & diuturnũ, quale orbi terrarũ attulit Christiana religio, alioquin iam nõ pessimus, sed optimus censeretur. Si secundũ dicent, vrgebuntur acrius cùm non modò à bono ad malum, sed à malo ad optimum viuendi genus facta translatio, nobis extra controuersiam declaret, dæmones nequaquam sibi pro bono duxisse, vt à mundi huius principatu deijcerentur, Christo vbique terrarum culto & adorato. Colligamus igitur oportet huiusce rei quam quærimus causam, aut Deo ipsi, aut Christo homini diuina virtute operanti, necessariò tribuendam esse: illud si concedatur colligitur subinde veram esse hanc fidem quæ Deum ipsum habeat auctorem: si hoc dixerimus, tantundem in aduersarios obtinebimus: operante namq; Deo per Christum hominem, indicatur nobis eum eiusmodi fuisse (etiam qua homo) vt ad tàm præclara munia peragenda diuina selectione dignus haberetur, sitasque in eo virtutes illas fuisse, cuius fulgore obcæcatæ hominum mentes illustrarentur. At cùm se Dei filium dici crediq; voluerit, Deus dubio procul est, alioquin & arrogantissimus ipse omnium censendus esset, pessimoq; superbiæ vitio maculatus, qui falsò Diuinitatem sibi attribuisset: nec non diuinæ prouidentiæ lex incusaretur, vtpote eum cum sectatoribus nõ puniens, sed magnificiens, sed exaltans, sed signis atq; portentis glorificans, quem constaret maiestatis reum, mille & quingentis & eò amplius annis, terræ, cœli, angelorumque dominium sibi contra ius & fas vsurpauisse.

Cæterùm & vis ea qua vsus est Christus, in trahendis ad se hominum animis, extra omnem aleam nobis aperit, se ab homine qui etiam Deus non esset, proficisci minimè potuisse. Nam quòd ex omni hominum ordine, sexu, ætate, numerus (vt sic dixerim) innumerus paruo temporis decursu ad Christum colendum confluxerit, vniuersa quæ videntur abijciens, vt quę non videntur assequeretur, quanquàm & multis & maximis incommodis septa, in aliam causam quàm in diuinam reijci non potest. Neq; enim Apostolis inerat fucata illa, & illecebrosa eloquentia, quæ sensus demulcens multum virium ad persuadendum semper obtinuit, rudes illi & rei istius expertes: Neq; promissę credentibus voluptates, quoniam non sensili oblectamento, vllisve illecebris, sed cruciatus & mortis inuitamento trahebantur, præmonebanturque priùs per multas tribulationes in Dei regnum introire oportere: sed neq; recepto iã per alia tempora inueteratoq; vsu alliciebantur, sciunt vel ignorantissimi in opposita consuetudine mundum tùm ferè consenuisse: Nec inconsideratione certè aut imprudentia, notissimum nanque stetisse diu tum mundum in huiusce rei disquisitione perpensioneque, quoque magis in examen veniebat negocium, eò clarius cognoscebatur, impenseque adeò diligebatur, vt & summi in rebus agendis viri maximiq; philosophiæ patroni crucis (quæ tùm credebatur) stultitiam amplexi sint, sanè nec argumentis sensui naturalive rationi consentaneis: quid enim ab animis hominum remotius videbatur: quid magis abhorrens à sensu communi? quàm Deum crucifixum credere, id namque *Iudæis scandalum* (vt Paulus ait) *Gentibusq; stultitia*: sed neque imperatoria edicta, ea enim mirandum in modum aduersabantur, quæ æreis etiam tabulis insculpebantur, quò minus fieri deletiles possent: confingebantur & acta Pilati, in quibus omnis in Christum blasphemia conscribebatur, & puerorum præceptoribus mandabatur, vt eis traderent memoriæ commendanda, extortæque itidem indignissimis quibusdam mulierculis per quæstionem fabulæ flagitiosæ, spurcaque commenta aduersum Christianos, vrbibus ac prouincijs proponebantur decantanda, cùm tamen omnium sanctissimi & essent & haberentur Christiani, nec in eos, vt monstrabitur, sæuiret quisquam, qui priùs in se ipsum immanibus vitijs non sæuisset.

Plinius Secundus (non qui de naturæ scripsit historia, qui ad spectanda Vesuuina incendia cupidè nimis, cautè minus accedens, excessit è vita) sed Cecilius ex sorore nepos cùm in administratione prouinciæ Christianorum plurimos interficeret, multitudine perterritus à Traiano petijt, quid opus esset facto, testatusque est, nihil apud eos reperiri, nisi quòd dijs sacrificare nolebant, & canebant cuidam Christo vt Deo, vitari tamen ab eis homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Sed qui tùm rerum potiebantur, pro bonis eiusmodi operibus eorum fortunas fisco adscribebant,

bebant,& quòd est acerbius, exquisitissimis supplicijs corpora trucidabant, quod non solùm apud Eusebium in historia, & alios ex nostris est videre, sed & apud Gentium monumenta. Explosa quoq; iam pridem eorum sententia, qui vim cœlorũ auctricem Christianæ religionis existimabant, siquidem corpus ad corporea potiùs, quàm ad incorporea sectanda diligendaq; disponit, atq; ad omnes orbis plagas eadem syderum configuratio extendi nequiret, si qua etiam inueniretur, quæ in mores hominum influeret: namque, vt diximus, diuersa apud Astrologos dominia, nec tàm diuturna, nec ad diuersos homines, diuersis regionibus, diuersis tẽpestatibus ortos promiscuè commouendos vim haberent. At qui nec multitudini quispiam hoc imputauerit: duodecim nanq; in primis duces habuimus inermes, illos quidẽ inopes & omni prorsus auxilio, præterquàm diuino destitutos, in quos non solùm Senatus, Populusq; & Imperatores Romani qui tùm rerum potiebantur, potẽtiæ suæ machinas exercuerunt, sed & ipsi Philosophi, Oratoresque, & Rhetores, vires omnes scientiæ suæ & eloquentiæ exacuerunt. Nam & Porphyrius, & Celsus, & Libanius, & Lucianus, Syrus, & alij, quos antè diximus, aduersus Christum, & sectatores acerrimè inuecti sunt, qui tot annorum seculis omnifariam oppugnati, tantum abfuit, vt expugnarentur, vt & in obsidionibus quas pertulerunt munitiores, & in perturbationibus securiores, & in cædibus numerosiores, atq; viuaciores perseuerârint. Sed quid dicã de internis & plusquã ciuilibus bellis, quib. nostra fidei Christianæ Respublica atrociter quassata est, ab ipsis primordijs ad nostra tẽpora, de Simonis inquã, de Nicolai, de aliorum hæresi, qui sub Apostolorum tempore virus sparserunt: de Menandri, de Basilidis, de Hebionis, de Cerinthi peste, de Arrio postea, de Sabellio, de Macedonio, de alijs innumeris. Quid de tepidis illis dicam, qui sub ouina pelle rapacissimũ lupum gerunt, quos aut mitigat illa mansuetosque reddit, aut capit, aut detegit, suisque ouibus vitandos indicat. Quo enim vnquàm tempore ab hæresibus, aut veteribus extirpandis, aut nouis allidendis, aut subnascentibus veluti abortiuis enecandis, aut ab ostendendis occultis hostibus amicitiam simulantibus, quieta ecclesia perseuerauit? vt illud maximum eius fidei veritatis argumentum haberi possit, & cum externis eam hostibus & cum internis simul bellasse & vicisse: Si enim externa pace vel ocio interno vsa fuisset, non mirum quispiam fortasse putaret, si aduersarios domuisset: Sed cùm externis armis, & intestinis incendijs vna petita sit, nec succubuerit, imò victrix triumphauerit, triumphetque Dei opus esse negari etiam ab inimicis non potest.

Verùm enimuerò si ad egregia facinora consideranda mentem appulerimus, nullam sectam religionémve Christianæ religioni comparari potuisse vnquam deprehendemus. Conferenda ei fortasse erit Phœnicũ illa Theologia à Sanchoniate Beritio collecta, quam Philon ille non Hebræus, sed Byblius in Græcam linguam transtulit: aut Aegyptiorum, quæ à Manete explicata: aut Græcorũ, quam Cornutus philosophus edidit, Atlantiorúmve: aut Phrygum, quas quidẽ plenas monstrosis fabulis, & meracissimis nugis, tum Eusebius, tum Theodoretus, tum alij luce clariùs monstrauêre: aut mores demùm vlli vel nationum vel philosophorum conferendi? quorum opiniones & Aëtius & Plutarchus, idem quoque Porphyrius addita eorum vita cõscripsêre. Pro miraculo ferè habebatur priusquam de virgine Christus nasceretur, si vel vnus philosophus vacaret à vitijs & ea pro veritate, pro virtute factitaret, quæ non modò monachi virique ad virtutum culmen anhelantes, sed & fœminæ innumerabiles effecerunt: si quem diuitias abijcientem comperissent, instar prodigij æstimabatur. Post Christum verò quodnam seculum est inuenire, quo multa hominum millia quibus diuitiæ contemnuntur, non reperias? si quem in cœlibatu viuentem conspexissent, stupebant vrbes, atqui maximas Christianorum cateruas vitam duxisse cœlibem compertissimum. Mundum extasis tenebat cùm philosophorum nonnulli, vt Empedocles, vt Zeno, vt Anaxarchus, & Egesiæ sectatores, & si qui alij rarissimi mortem libenter obire videbantur: sed quot quæso martyrum Christi millia, & vt veriùs dixerim, quot millia millium, magna etiam cum alacritate cruciatus & mortem expetiuêre? qua de re suprà quàm dici poterat, Gentes admirabantur, idipsum literarum monumentis referentes, quos inter Arria-

nus

nus philosophus ex Stoica secta scriptum reliquit, Christianos omnes mortem contemnere. Porrò hanc hominum animis vim inspirare vt fisi promissis Christi pauperis ludibrio habiti, & crucifixi, eiusq; amoris impetu compulsi, parentes, diuitias, patriam, honores, visibilia omnia, & propriam deniq; vitam nihili facerent, diuinæ opus esse potentiæ quilibet, nisi insanus iudicauerit. At si Christianæ vitæ particulariùs opera perpēdamus, nihilosecius diuinitatem Christi comperiemus, & nihil minus telorum inde aduersus hostes nobis vendicabimus, quàm ex dæmonum exilio & orbis vniuersi conuersione retrofecerimus.

Diluenda tamen nobis priùs vulgaris quædam calumnia est, qua frequēter ab impijs petimur, qui vitio dant nobis credendi simplicitatem, ob idq; & leuitatis nos & vanitatis nomine culpare non desinunt. Quæ quidem calumnia in eos ipsos aduersarios repellitur, si animaduertere voluerint quolibet in officio quò exerceri malint, ante omnia se credere oportere, & si Porphyrio ipsi, cui magis hęrent quàm Christo, fidem habuerint, cognoscēt sibi fide & infirma opinione opus esse, etiam in ipsa philosophia, nec solùm in initio (quòd & Aristoteles docuit) discentem, scilicet, credere oportere, sed etiam postquàm ad finem peruenerint. Scientia enim illa quam fidei opponunt, omnem prorsus ambiguitatem tollit: At qui ipsemet Porphyrius in libro de Anima ad Birithrum scribit, nullum esse in philosophia locum non dubitabilem: Idem ad Anebonem Aegyptium, inquit, de rebus philosophiæ multa dicta esse à Græcis philosophis, verùm ex coniectura, cùm eius principia ex fide traxerint, & ad eundem iterum: Apud nostros quidem pugna verborum, & si quis adhuc veritati propior, examinandum: principium igitur non solùm, sed & finis philosophiæ, eodem auctore, nutabundus & vacillans est, & fortè non iniuria. Quis enim in Aristotelis libris, vt philosophos leuioris notæ sileam, firmū, & inconcussum extra cōtrouersiam conspicit? nisi dum aut vestigia sensus non deserit quæ omnibus nota, aut à primis intellectus principijs non flectit, quæ omnibus innata. Quis in Platone locum omni ex parte communitum adeò offendit, vt rationis armis expugnari non possit? præterquam vbi de Deo aliqua ex veteri Hebraica disciplina aut mutuatus aut suffuratus est. In ipsis autem rerum naturalium principijs, quot diuersa? quot pugnantia? cùm Plato Ideas materiam & opificem varijs nominibus arbitretur: Aristoteles priuationem inueniat, formamque & materiam exprimat, ipsumque Platonem impugnet: Arabum quoque philosophorum, hoc est, Arabica lingua scribentium, alius (quòd cum præfatione veniæ sit dictum) corporeitatis formam subnectat, improbet hoc alius & interminatas dimēsiones comminiscatur, alij alia: At in causis, alter plures, alter pauciores introducit, contentus hic quatuor, pauperiem ille perosus, & exemplarem, & organicam concausas immiscet, veluti agendis rebus commodam supellectilem: Quòd si primi & qui sapientissimi habiti & probatissimi, in ipsis principijs aduersi sunt & pugnaces, quæ pax, quæ conuentio minutorum philosophorum? quæ concordia literatoriæ turbæ in conclusionibus? quorum tot diuersitates, quot scriptores, & quisque nihilominus sectatores habuit & suo seculo floruit. Sanè eorum qui alternè contradicunt, alter verus, falsus alter sit necesse est, afferunt autem probabiles pro sua opinione rationes, & ex antro Heracliti, aut Democriti puteo extractas contendunt, nihilominus nil certi ex eis, nil solidi, quo possit humana mens quiescere. In secta Platonis diuersæ Academiæ tum Lycea sub Proclo, tùm Itala sub Plotino, tum Aegyptia sub Iamblicho: In secta verò Peripatetica quæ nunc plurimùm & præ alijs viget, quot particulares inueniuntur sectæ? in ipsius dico Aristotelis interpretibus, Alia Græcorum, Arabum alia, Latinorum alia: Græci inter se pugnant, vt notum est illis, qui vel mediocriter eos legerunt: Arabes eos ex parte sequuntur, ex parte impugnant, inter se verò contendunt, & alter alterum lacerat quòd vel in commentarijs Auerrois abundè visitur. Latini & Græcos & Arabes partim laudant, partim refellunt, inter se verò pugnant acerrimè, sed & qui inter hos insigniores habentur, sectatores & ipsi habent, & diuersas constituunt scholas. Quare aut fugit veritas, aut magis latet: quò enim quæritur magis, dubitatur de ea magis. Pauca enim nota sunt, & hæc vel sensu ipso vel fide nota: fide, inquam, quia magis creditur doctores ipsos qui præeliguntur vera dixisse, quàm sciatur, adeò semper

quæ

quæ per rationis diſcurſum cõfirmata ſunt, diſcurſu etiam rationis infirmantur. Melior multò noſtra conditio, quorum omnes fidei propoſitiones eis ipſis, quas philoſophi proſata & dignitates nuncupant, certiores ſunt, vtpote diuino lumini nixę, ſed & in ipſis principijs firma & inconcuſſa concordia noſtrorum theologorum quamuis pleriſq; in alijs diſcordent, quæ potiſſimùm de philoſophis ſumuntur.

At quæſo, quid damnent, animum aduertamus, vt eorum pateſiat ſtultitia: Leuitatem nominant Dei oraculis ſtatim credere, quæ ſumma ſapientia eſt: ſtatim autem hominibus credere grauitatẽ & prudentiam nominẽt, neceſſe eſt, ſi ſuos ſequi, quos & admirantur, duces voluerint. Pythagoras quippe ſilentium ſuis diſcipulis impoſuit, percunctandiq; eis adempta facultas eſt, quibus id ſolum pro ratione erat, quid ſilentij magiſter, nulla etiam cum ratione dixiſſet. Plato in Timeo ſcribit, de alijs dæmonibus dicere & eius generationem noſſe maius eſſe, quàm vt præſtari poſſit, credendum autem illis qui anteà dixerũt. Et Socrates ipſe apud Platonem de pœnis inferorum & bonorum præmijs loquens, hæc ſunt inquit, ô Calicles, quæ cùm audiuiſſem, vera eſſe credidi, & ipſemet Plato in primo de legibus Iuuenem de eiſdem dubitare nephas eſſe prædicat, & Theognis fidelem virum magnopere celebrat. Quod autem credere priuſquam noſſe opus ſit, Parmenidem antiquum philoſophum audiant dicentem, ea, quę abſunt, mente fieri, præſentia nec fieri poſſe, vt quiſpiam intelligibilibus niſi ſolo intellectu propinquet. Quomodo autem ſolo intellectu (de primis enim principijs non loquimur) niſi fide inter media: nam ſenſus ipſe eò pertingere non poteſt, ideoque ab ipſo philoſopho excluditur: Quod fortè animaduertit Ariſtoteles cùm inquit: Iuſta proportione reſpondere ſenſile ſenſui & intellectile intellectui: intelligibilia quippe fidei proponuntur, ad quæ ſenſus ipſe ſua natura non migrat. Qua de re ſicut oculus lumine eget, vt viſibilia contempletur, non ſecus ad cognoſcenda diuina fide indiget mens, vterque enim medio ſibi cognato indiget, quapropter quòd oculus in corpore, fides in mente. De philoſophis illis omnibus ante Platonem & Ariſtotelem, quos miro ſtudio coluit antiquitas, quanquàm in varias & pugnantes ſectas diuiſos quid ſumus dicturi? quando quiſque eorum non caruit diſcipulis, qui eos etiam fide, non ſcientia (quî enim fieri poteſt, vt ſcientia in ſe pugnans ſit & varia?) ſequebantur. Romæ quoque in Capitolio dedicata olim Fides erat, eademque à Marco Seruilio Scauro, antè autem ab Attilio Calatino fuerat conſecrata, quòd Cicero diſputans de Deorum natura commeminit. Et in Orphicis hymnis ſiue eius auctoris, illi ſeu alterius Cecropis fuerint, Fides cum alijs deis aduocatur. At quæſo fide ne ducebantur, an ſcientia, Ariſtoteles & Theophraſtus cùm illi philoſophiæ ſtudium Apollo conſuluit, cùm poſtea vouit ſtatuas pro ſalute Nicaronis, vt Philoponus, vt Laërtius meminere, & cùm hic de ſacrificijs commentus eſt, vt Porphyrius refert. Num & Auerrois ille, qui occaſionem minimè credendi multis præbuit, credidit an demonſtrauit feliciorem quandam eſſe vitam, cuius compos fieri non poſſet ratiocinatio, opinione certè id non ſcientia vſurpauit, vt ex epiſtola eius de continuatione intellectus & ex commentarijs de anima colligitur. Quid quod & Auicẽna & Algacel prophetas eſſe probant, creduntque multa ad quæ humana per ſeſe ratio non adſurgit, & Auerrois idem credidit in paraphraſi de Diuinatione per ſomnum: Pythagorici quoque & Platonici oraculis credebant, idem & aliæ ſectæ philoſophorum ferè omnes. Atqui & ipſe, cuius nuper mentionem fecimus, Algaceles in exordijs Metaphyſices ſuæ radicem actiuæ diſciplinæ, per quam futura compararetur fœlicitas, fidem eſſe cenſuit.

Sed quid remotiora conſectamur, prima literarum elementa diſci à quoquam non poſſunt, qui docenti non crediderint: ſic & liberales & mechanicæ artes comparantur, ſic & fide ipſa ſe philoſophi ſectis addicunt: fide enim non ſcientia tenent hos eſſe Platonis libros, illos Ariſtotelis, alios alterius, & eorum titulis acquieſcunt, quos nihilominus potuerunt ſupponi & ſurripi, vt adulterini pro legitimis ſumerentur mille de cauſis, adde quod de ſingulis librorum partibus addubitari poteſt, ipſiúsne quem titulus præfert auctoris propriæ ſint, an alterius vel odio corrumpentis, vel per inſcitiam aut negligentiam in transſcribendo inuertentis, immutantis, detrahentis. Hinc apud Diuum Hieronymum & alios

exno-

ex nostris ille ad scriptores librorum obsecrationes, obtestationesque vt integrè & accuratè ab exemplari transcriberent, sed & contingere facilè potest vt expopulationibus regionum vrbiumq; direptionibus librorum pereat integritas, victorum immanitate atque Barbarie contingere potest & metu: vt de Aristotelis & Theophrasti libris narrat Strabo: Cùm enim eos Neleus Bibliothecæ vtriusque philosophi compos Scepsim detulisset, eius posteri ob metum Attalicorum regum terræ illos infoderunt & humiditas ac tineæ labefactârunt, inde ab Apellicone corrosiones emendare cupiente erroribus repleti sunt, quos quanquàm corrigere tentârint nonnulli, præsertim dum eos Rom. ex Athenis remeans victor Sylla vexisset, constare nihilominus qui potest? redditíne priori integritati an temerati magis fuerint? Adde quod Andronicus peripateticus eos postea in tractatus distribuit, suppositiones proprias in vnum colligens, quemadmodũ Porphyrius in libro de vita Plotini præceptoris memoriæ prodidit, qui & eius ipsius libros emendauit & in Enneadas distribuit. Credunt igitur nunc Platonici hos Plotini libros, credunt Peripatetici illos Aristotelis & Theophrasti fuisse, creduntque nec satis constanter, cuius Aristotelis: nam multi Aristoteles, multi Orphei, multi Homeri, multique in literis prẹcellentes viri cognomines fuerunt, sed & agricolis quoq; ciues, sed & nauigatores nautis credunt, quis enim se liquido commiserit elemento,

—digitis à morte remotus

Quattuor aut septem si sit latissima tæda, qui priùs nõ crediderit incolumẽ se ad portum perferri. Quis obrueret sulcis semina, qui nõ crederet & imbres & Solis tepores opportunè affuturos, eorumq; beneficio terræ vim excitatam, & cõfotam multo cũ fœnore messem reddituram: quid plura? credũt medicis ægroti, filij parentibus, alter alteri mercator, & in auro argentoq;, & preciosis lapidibus coëmendis, aut ferrum & indicem lapidem exploramus, aut gemmarijs fabris fidem habemus. Si autem & in his quas memorauimus, & alijs humanis in rebus, ad quas propria & natiua peruenit industria, fide opus est, si vna viuere homines velint, alioquin dissipetur humana respublica, & quam ciuilis pollicetur vita, felicitas pereat. Ad comparanda diuina fide opus non erit? ad quæ non solùm noscenda, sed & vestiganda lincei Aristotelis & Platonis oculi, ceu noctuæ ad Solis iubar caligauerũt. Summa ergo prudentia, summa grauitas diuinis oraculis, diuinis verbis credere, & quidem purè atque simpliciter, eoque maximè, quo nihil obesse credulitas hæc potest, summè autem prodesse, quæ & intellectum enubilatum illustrat, & voluntatem defæcatam, & accensam conuertit in Deum. Vnum illud verissimè ab Apostolo dictum est: *Charitas omnia credit,* qui idem docuit accedentem ad Deum credere oportere, quia est & inquirentibus se remunerator. Monuit quoque priùs Propheta Esaias non intellecturos eos, qui non crediderint. Sanè quantò simpliciùs, quantò puriùs creditur, tantò inoffensiùs vita hæc ducitur, & ad eam quæ expectatur, cautiùs alacriusq; peruenitur. Legimus quoque apud legum ciuilium auctores, simplicitatem in legibus amandam esse, vt in institutionibus legalibus titulo de fide commissarijs hæreditatibus visitur. Item in eodem volumine, titulo de legitima Agnatorum successione, simplicitatem legibus amicam didicimus.

Sed iam vnde digressi sumus, reuertàmur: Probandum enim nobis erat ipsa opera Christianæ vitæ, quæ ab hac fide profluunt, testari nobis Christi diuinitatem, idq; faciendum nobis est, eius inprimis fine ante oculos posito: Quippe cùm optimum Christiana vita sibi finem præstituerit, & in eo adipiscendo optima etiam num instrumenta præparauerit, fructusque vberrimos, & admirabiles mundo, præclarissimorum operum prompserit apud eos omnes, qui à ratione non abhorrent, reliquit indubium se diuinitùs hominibus datam ad eos de terris ad cœlum transferendos: In primis siquidem Christiana vita semper anhelans, & sitibunda videndi fruendique Dei est, nihilque in votis aliud est homini verè Christiano, quàm vt ei se coniungat. Quod cùm assequi nequeat, nisi priùs vniuersas labes absterserit, terrenam affectionem omnem (quoad fieri potest ab eo qui carneus est) demittit, seque in diuini amoris abyssum sustollit, quo veluti torrentissimo igne defæcatur animus, & abiecto sordium pondere in superna leuis effertur: nanque in cœlestem aulam quæ maxima fulget puritate, nihil coinquinatum, nihil non purum admittitur: de qua quidem compa-

comparanda puritate traduntur varia ab excellentibus philosophis, præcipuè Platonicis, qui quanquàm per transennam ad felicitatem aspicerent, eam tamen arbitrabantur haberi ab eo non posse, qui non solùm ciuili benè vteretur vita, sed per purgatoriam ad eam quæ purgati animi dicitur se transtulisset. Ab exacta nihilominus Christianæ vitæ puritate longissimè defecerunt, non solùm enim opus homini qui ad virtutum culmen aspiret, vt affectum à fluxis temporarijsque rebus auocet: sed & seipsum exuere oportet, atque ab amore proprio tanquàm ab animi veneno prorsus abstinere, quod quidem Ethnici philosophi nec plenè cognouerunt quidem, ne dum assecuti sunt, quàm qui inter eos purgatissimi proprij amoris cœno veluti sus luto volutabantur, & ad fastigium virtutis quantò magis propinquare se credebant, tantò magis elongabantur: siquidem ij quos de sensibus obtinebant triumphi, eorum mentem superbiæ machinis debellabant. Nos econtrariò qui non in edomanda duntaxat parte sensili positam victoriam scimus, totis viribus contendimus, vt mentis arcem, nosmetipsos scilicet vincentes expugnemus, & ad Deum ipsum quicquid boni molimur, quicquid nostrum est quod magis videtur quàm est, quicquid denique nos ipsi sumus, qui quòd sumus, eius gratia sumus, referamus. Hæc nostræ Christianæ legis deuotio humanæ naturæ perfectio est.

Sed quæ lex (rogo) vel proximare huic potest, aut eam vel delonginquo aspicere, Minois fortè, aut Zaleuchi, aut Lycurgi? quanquam & ab antro Iouis ille, & isti à Pallade, & ex Pythio oraculo, vt fabulantur, Gentes suas leges traxerint, quæ eis ipsis quibus refertæ sunt obscœnitatibus, dæmones auctores vel inuitè fatentur: facessat Charondas, Apis, Demonax, Pagondes, Archias, Eudoxus, Philolaus, Pittacus, Nestor: facessat Draco, & Solon, & Clystenes: facessant quicunque celebrati Gentium legislatores, qui nec eam, quam natura promittit rectè viuendi regulam, aut inuenire, aut inuentam tenere potuerunt, ne dum ad eam quæ supra naturam est, quæ humanos hebetat cogitatus pertingere. Optimum enim hoc viuendi genus, nemo præter Deum potuit homines docuisse. Cùm enim ab eo non modò philosophorum naturæ ipsius interpretum decreta, sed & ea quæ diuinitùs tradita est lex Mosi superetur, perficiaturque fateri oportet, non ab indigniore id auctore fluxisse, ab eodem siquidem prouenit, qui vitiatæ naturæ morbis opem tulit, & nubila ac subobscura Moseos dogmata Sole suæ iustitiæ serenauit, lucem ipsam adeò diffundens, vt orbis vniuersus, nedum vnus, vel pauci, aut sola obstinatorum Iudæorum natio in tenebris & vmbra mortis sedens collustraretur: Rarissimi nanque philosophorum adhortamentis, vel ad virtutis imaginem trahebantur, rarissimique aut pœnis aut præmijs legislatorum vel capessebant virtutes, vel compescebantur à vitijs, sed nec alijs populis vt eisdem viuerent legibus, persuadere potuerunt, inclyti illi & famigerati legum positores: Neque enim Minos qui Cretentibus leges tulit, easdem Siculis aut Carthaginensibus, aut Græcis imposuit: Charondas Italos & Siculos, primus legum freno compescuit, Tyrrhenos autem, Celtas, Iberos, Celtiberosque non flexit. Qui autem suscepêre Cretenses, Itali, Siculi, non multò post Romanarum legum iugum, excusso Minois, & Carondæ iugo, subiêre. Zaleucus leges Locrensibus posuit, sed neque Acarnanes, neque Phocenses, sed neque alios Locrenses atque eos quidem non longè positos, sed vicina vrbem incolentes vt easdem amplecterentur induxit. Lacedæmonijs Lycurgus leges dedit: Nec eius tamen gloria, nec Spartæ superbia (vt ille inquit) nec Pythij Apollinis autoritas, aut Argiuos, aut Tegeeates, aut Mantines, aut Corinthios propinquius multò habitantes coëgit, Lacedæmoniorum leges suscipere, certè nec ipsos Phliasios fœdere iunctos, & eorum auspicijs militantes: quas equidem leges vbi emendârunt Lacedæmonij, tantus suo auctori dolor iniunctus est, vt in secessu inedia tabefieret, quod Florens affirmat.

Prætereo legislatores alios: Apim Argiuorum, Philolaum Thebanorum, Pittacum Mytilenensium, Nestorem Pyliorum, Solonem & Draconem & Clysthenem Atheniensium, qui paucos homines singuli suarum legum habenis moderati sunt, qui eis etiam spretis Romanam postea Rempublicam secuti sunt. Senatus autem ipse Populusque Romanus quibus seruitutis frenum imposuêre, eosdem nihil-

ominus omnes suis legibus non frenauerunt: Aethiopes enim qui Thebis Aegyptijs vicini sunt, Laci, Sauni, Abages, multæque Ismaëlitarum nationes Theodoreti ætate, vt ipse commeminit, Romano imperio ea tempestate subditæ erant, Romanis nihilominus legibus non viuebant. Sed quid gentium legislatores commemoro? Hebræorum gentem, lex Mosaica à Deo ipso tradita Mosi, vix potuit frenare: Christus autem per duodecim Apostolos suaue illud iugum suum omni terrarum orbi quàm latè patet, imposuit, & ipsos etiam Romanos gentium victores domitoresque subiecit: sed cur aliqui id excusserint posteà narrandum. Non potuerunt qui semidei ferebantur olim philosophi syllogismis suis, non potuerunt legislatores vel licentia vel pœnis vel præmijs, non potuerunt concessa Israëlitis instituta, & cærimoniæ promissionibus & minis, vel minimam hominum portiunculam flectere multorum seculorum decursu: terrarum autem orbem vniuersum Apostoli suis (quasi dixerim) solœcismis flexerunt. Sed quo turbine impulsi sunt, quo tracti fine qui Christo hæserunt, non alio certè quàm ipsomet Christo principio & fine, vniuersæ naturæ, quem perfectissima ea, de qua mox diximus, vita constituit, ad exemplar in quod respiciat, quod imitetur, quod ardeat, in quod totis denique viribus die noctuque contendat: ab eo nanque pendet Christiana vita, sicuti effectus à propria causa, neque enim alijs in hominibus præterquàm in eis qui Christo hunc in modum sunt addicti, vita ipsa omnium perfectissima cernitur: Mirabilia adeò promens opera vt ambigi non possit testari eam auctoris sui Christi diuinitatem, atque vt pauca de multis attingamus: compertissimum magistra rerum experientia est, veros & non impuros Christianos ea mentis libertate, & gaudio pollere, vt perpetuam pacem, & tranquillitatem animi ob crucifixi Christi contemplationem adeptam inter sæuissimas mundi tempestates retineant, eaque gustata facilimè & fortunis renuncient omnibus, & sensuum oblectamenta refugiant, & gloriam denique humanam non floccipendant solùm, sed sanctissimo quodam odio persequantur.

In eremis quoque innumeros ferè homines habitasse memoria prodidit, quos felicissimè sola Christi contemplatione vixisse, eorummet relatu scriptisq; didicimus, & ad id vitæ genus visu perhorridum, gustu quàm amœnissimum sapientissimi philosophorum, relictis tum sensus tùm intellectus oblectamentis euolârunt, vti ad finem quo percepto quiescit humana mens. Neque enim perficit omnino & satiat hominis animum philosophiæ studium, quod præter auctoritatem Platonis & Aristotelis & Auerrois ex opinionum etiam diuersitate atque conflictu satis apertum est, præcipuas autem illas & maximè optandas finis conditiones in Christo reperiũt, qui eius se cultui mancipârunt, vt scilicet, solus sit satis, solus desiderium impleat, ad se trahat, proq; eo adipiscendo cætera contemnantur, quo adepto, & quies oboriatur & perfectio, quis, rogo, bono Christiano quietior? Atqui cũ sine voluptate quies esse nequeat, nullo pacto adipisci quietem sanctamque voluptatem quis posset, solo Christi amore omnibus alijs relictis, si ipse, vt creditur, Deus non esset? Cæterùm & perfectus est & omni virtute pollet, qui Christi amore contentus est, demùm ad quicquam aliud nũquàm vniuersalius, firmius, diuturnius (ac vt sic dixerim) vniformius, inclinata est humana natura, dum ex omni Gente, vt præfatum est, ex omni ætate, ex omni sexu, ex omni ordine innumeri Christo adhæserint. Cùm enim speciei alicuius indiuidua, vniformia, habentur eorum inclinatio, si orba, mutila, aut manca non sint speciei ipsius, naturam recto ordine consequitur, qua de re si in quidpiam inclinantur, proprium eum finem esse censendum est: sin verò indiuidua, difformia sint, id quò & perfectiora & plura vergunt indiuidua, finem esse perspicuum est: verùm cùm vel omnes homines vel plurimi ad religionem in communi capessendam contendant, & qui affecti melius ad Christianam, veluti ad id in quo generis ratio seruatur, dubium esse non potest proprium hominis finem in Christo, & repositum esse, & reponendum. Quos autem affectos meliùs, purgatioresque veris Christianis inueniemus? quos neque inflat ambitio, nec fluxarum rerum, aut amor inebriat, aut timor perterret, quos nec irascibilis furor præcipitat, nec libido in bruta deformat: quòd si quando populi & nationes Christo olim addictæ ab eo recesserunt, vitijs quibus æstuasse illas compertissimũ, superbiæ maximè & obstinationi adscriben-

ſcribendum eſt. Vti enim diſpoſitio ad finem conducit, non ſecus indiſpoſitio auertit à fine.

Sit & illud nobis argumento diuinitatis Chriſti & fidei noſtrę veritatis, quòd cùm neceſſe ſit, vt lætitia omnis amori aliquo nitatur, ſi vana eſſet fides illa, & inanis amor mortalium mentibus inſitus, cuius gratia tàm diuturna tam admirabilia perpetrata ſunt opera? Nulli dubium ſapienti quin citò euanuiſſet, & tantò quidem celeriùs, quantò ſanctiùs defæcatiusque viri illi vixiſſent. Illud quoque non minimas obtinet ad perſuadendum vires, ſi cogitauerimus eos, qui fide Chriſti imbuti, Deum ſæpiſſimè eius nomine deprecantur, darique ſibi virtutes & dona poſtulant, omnino exaudiri, atque ad perfectæ vitæ culmen euadere: atqui ſi Chriſtus Deus non eſſet, blaſphemias in Deum acerrimas iacerent, qui eius nomine Deum obſecrarent. Impiorum igitur blaſphemijs Deus annueret, vota compleret, quòd ne extremè quidem delirantes faterentur. Quòd ſi verus ipſe cultus non eſſet, ex aduerſo fieri oporteret, vt qui inani videlicet ſuperſtitioni ſedulò vacarent, non modò à benè inſtituta ad perfectiſſimam vitam ſcanderent, ſed & à ſanctimoniæ culmine quod olim eſſent adepti, in miſeriæ barathrum laberentur. Cæterùm qui fieri poteſt vt in id inſaniæ deueniat quiſpiam, vt alteri omnino poteſtati præterquàm diuinæ poſſit tribuere, quod Chriſtus & piſcatores eius diſcipuli ſimplicibus & inaffectatis verbis intellectus hominum adeò firmauerint, eundemque affectui (rem profectò difficilimam) adeò inierint, vt pro ea fide quam ſumpsêre de huiuſcemodi rebus, quæ ſenſus humanos effugiunt, & humanam rationem ſuperant, aduſque tormenta & lubentiſſimam ſanguinis per vulnera & mille neces effuſionem decertauerint. Si hoc ipſum in rebus quæ de noſtra aut mente aut voluntate deduci poſſunt philoſophi, qui habiti ſunt excellentiſſimi, efficere non potuerunt, cur credamus potuiſſe Apoſtolos rudes & indoctos orbem vniuerſum ad ea, quæ non videntur, quæ ratiocinatione non colliguntur, quę ſupra noſtras omninò ſunt vires, humanos adeò ligare animos, vt inde nec tyrannorum minis, nec mundi illecebris, nec dęmonum tormentis euelli potuerint. Atqui facilimè conſtare omnibus poteſt, modò vitiorum nube mentis oculos non obcæcatis, Chriſtianam fidem, & vitam, ſolius Dei eſſe munus, in terras cœlitùs miſſum, quo fungentes rectè mortales in cœleſtem patriam ſe ſuſtollant: à ſenſili enim hominis parte pendere eam non poſſe, ob admirabilem eius ordinem diſpoſitionemque: & cum ipſo ſenſu continuum bellum adeò clarum eſt, vt pluribus non ſit opus comprobare. Sed neque ab imaginatione procedere eam (quanquàm ſuperiùs diximus) non eſt difficile comprobatu, quòd quidam malè affecti opinati ſunt, Auicennam Arabem ſecuti: vt enim ille ſexto ſuo de rebus naturæ libro plurimas, quæ dignæ admiratione ſunt, operationes imaginariæ poteſtati retulit acceptas, non ſecus nonnulli Chriſtianæ vitæ opera ad propriam cauſam Deum videlicet, verum omnium opificem comparare non auſi, ad imaginationē Chriſtianorum confugiunt, quæ adeò fixa, adeò vehemens ſit in diuinitate Chriſto tribuenda, vt ea conficiat opera, quæ noſtra mortalitas plurimùm demiratur.

At ego eos percunctatus fuerim, potentioráne in hominibus ſint ea quæ illis à natura indita ſunt, an quæ iam adultis eis extrinſecùs aduenerunt: Primùm dubio procul niſi extremè deſipiant, fatebuntur, illud enim notiſſimum primorum principiorum notionem ab ortu naturæ nobis inſculptam firmiſſimam robuſtiſſimamque ac prorſus indeletilem eſſe: Concluſionum autem notitiam aduentitiam eſſe, & ſæpenumerò vacillantem, & obliuioni obnoxiam: fortiùs igitur figi genuinam quàm inſititiam cognitionem, & inperturbatiùs operari pariter annuent. Illud quoque deinceps vel inuiti concedent phantaſmata ea (ſiquidem, auctore Ariſtotele, ſunt his qui intelligunt neceſſaria) quæ naturali cognitioni deſeruiunt, figi vehementiùs, quàm quæ accidentali & potiſſimùm quæ falſæ opinioni famulantur: cognitionem item Dei inſitam nobis bonorumque morum normam per naturæ veſtigia procedere, econtrariò eam, quam de Chriſto eiuſq; operibus habemus fidem, ex accidenti atq; forinſecùs nobis proueniſſe manifeſtiſſimum eſt. Si igitur Chriſtiana vita tot tantorumque admirabilium operum effectrix (vt aiunt) ab imaginatione defluxit, debuit certè philoſophorum vita, quæ circa naturales notiones phantaſmataq; verſabatur, quidem enixiſſimè maiora multò admirabilioraque effeciſſe: Si enim, vt receptū eſt,

fortior naturalis cognitio quàm accidentalis, potentiorque illi, quàm isti famulans imaginatio, nō potest non videri Socratis, Pythagoræ, Zenonis, & sectatorum vitam præclarissimam euasisse, quæ primis intellectus principijs penitùs inseruiebat, quę in Dei natura speculanda, in inquirenda prouidentia, in redigendis moribus ad normam rationis tota penè se mancipauerat, & eadem frequentissimè imaginabatur: videmus nihilominus Christianorum vitam, quæ penitùs accidentali huic cognitioni crucifixi Christi reliquisq; fidei mysterijs se addixit, philosophorum illorum vitæ adeò præstitisse, vt comparatio collimari non possit.

Culpari nanque in multis eorum philosophorum vita potest: non laudari in omnibus Christiana vita non potest. Illi enim multos deos vel crediderunt, vel non creditos coluerunt, quorum vtrunque benè institutæ, beneque moratæ naturæ aduersatur, quod de Pythagora cùm alibi, tùm in ipsis versibus quos vocāt aureos, videre licet, siue eius illi fuerint, siue Philolaus eos de illius dogmatis excerpsit: De Socrate alijsq; philosophis ex ipsorum & vita & actis abundè constat, quos Tertullianus in Apologetico, & nostrorum plerique nec certè de nihilo taxauêre, Speusippum dico, Zenonem, Anaxagoram, Aristippum, sed & ipsum Pythagoram, Socratem, Platonē, & Aristotelem. Cicero ipse philosophos redarguit, eorumque cum vita & vitijs oratione mirabiliter pugnasse prodit: idem Seneca, idem Cornelius nepos effecit, ne in eos solùm nostros homines inuexisse putes. Illud (quantum ad præsens attinet) commonuisse sit satis quòd eorum nonnulli qui celebriores habiti, Deos ipsos scriptis & derídebant & contemnebant, atque eosdem mox in templis sub eorum imaginibus venerabantur, quemadmodum inter alias ipsorum insanias, hanc quoque Theodoretus quem suprà citauimus, in elegantissima sua de angelis & dæmonibus oratione redarguit. Sed cur in philosophos priscos aut paucorum auctoritate aut rationibus, aut nostrorum Theologorum sententijs inuehemur, eorum vitam culpaturi, quando & seipsos penè omnes aliquando lacerârint, & à Luciano quem suprà citauimus, Samosatheno, plures eorum paruo adeò pretio venditi sint, vt Epicteti lucerna, & vendibilior multò habita sit & preciosiùs venierit, parasitosque fuisse eos alio in dialogo monstratum ab eo sit. Et quanquam amorem virtutum, & vitiorum odium ferè omnes præ se tulerunt, culpati tamen de vitijs plurimis & particulatim, de iracundia, de libidine: Socrates, de libidine, de gulæ vitio: de adulatione, Plato: de libidine, item & adulatione Aristoteles, sed & de auaritia (nam Clearchus Peripateticus scripsit) oleum, quo lauabatur venundare eum solitum, & olei item vasa ab exactoribus publicorum vectigalium, dum in Chalcydem pergeret, comperta in naui eius esse. Quod si tres isti qui omnium sanctissimi habiti sunt, & dubio procul celebratissimi, his vitijs testimonio etiam ipsarum Gentium polluti sunt, quos eorum impollutos, quos mundos censebimus? An fortè Tyaneum Apollonium producent in medium? qui ipse vti sanctior inculpatiorque alios reprehenderit, culpasse nanque eum dum in Babylonia esset Philostratus narrat, quòd Aeschines Lysaniæ ad Dionysium pecuniæ gratia Siciliam appulerit, & dixisse item Platonem eadem causa ter Charybdin præternauigasse, damnasse & Aristippum Cyrenaicum, & Heliconem Ciciceum & Phitonem, qui se Dionysij thesauris immersissent, calumniatum quoque fuisse Eudoxum Gnidium, qui in Aegyptum amore pecuniæ perrexerit, & Speusippum Atheniensem, quòd in Macedonis Cassandri nuptijs poëmata frigida lucri cupidine recitârit. Solus ergo hic Apollonius seu Pythagoreus philosophus, seu magus solus inquam dignus, & laudari ab alijs & alios reprehendere.

At qui plures & ipse deos coluit, & Aesculapij à secretis fuit, qui in ægrotis etiam curandis vehementer se gaudere sacerdoti retulit, dum id, teste Apollonio, facere contingeret, qui quidem Aesculapius Deus habitus à Pindaro canitur, fulmine à Ioue necatus auaritiæ merito, qua nocenter medicinam exercuit: quid quòd, duce dæmone, Apollonius ipse iter arripuit? quid quòd se ipsum, & laudauit, & extulit, & alia egit, vt de illo dici à laudatoribus etiam suis iure potuerit, quod ille de Babylonijs magis percunctanti Damidi olim respondit: sapientes quidem omnes, non tamen perfectè: At quis fortè mirabilia eius opera nobis ingeret, vel ficta, vel quæ dæmonum virtute, Deo permittente, contigerint, quibus Hierocles Pythago-

Pythagoreus fretus apprimè insanijt, & insaniæ virus in nostros, quoad potuit, sparsit: sed his supersedendum ad præsens, quādoquidem Eusebius Pamphili redarguit eius dementissimas nugas, dicato opere quod Zenobius Acciaiolus prædicatorum ordinis è Græca in Latinam linguam vtranque probè percallens, nuper conuertit. Nos quoque in nostris, qui adhuc sub incude afformantur de rerum prænotione libris, quantum Deus optimus dederit, & Apollonium, & Hiarcham, & Brachmanas, & omne superstitiosorum genus impugnabimus. Sed afferant interim quæso quotam orbis portionem, Apollonius ad sua dogmata traxerit? suis linteis amicierit? cui hominum numero sua olera propinauerit? sed & quot sapientes viri, quot reges eius philosophiam professi fuerint? nullos vel certè paucos est inueniri, quanquàm ab aliquibus honoratus, ab aliquibus etiam vexatus est regibus. Quot Myriades vtriusque sexus hominum pro eius nominis gloria sanguinem fuderint? nec vnus quidem: quot populi, quæ nationes ob eius doctrinam & exempla viuendi mores & instituta in melius mutauerint? nusquam hoc auditum, ad quas orbis plagas eius celebritatis fama personuerit? Ad paucos certè angulos extensa est, quanquàm Philostratus illustris & laudatæ facundiæ vir, octo voluminibus id procurârit. Certè & ipsius Apollonij liber Trophonij consultis refertus, cum ipso Antio deletus est, & ipsius statuæ cum ipso Tyanæ templo in quo repositæ fuerant, periêre: sed longiore disputatione in confutandis Apollonij nugis atque præstigijs in ipso, cuius nuper mentionem fecimus de rerum prænotione volumine, vtemur: non solùm ei Christum, sed quemcunque Christianorum rectè viuentem præponentes, qui nec alios, qui verè Christiano nomine censentur, culpârunt, sed nec culpari quidem possunt, nec dijs sacrificârunt, nec dæmone ducti sunt, sed Deo, nec gloria intumuerunt, & vniuersum tamen orbem eorum primitiæ Apostoli ad se traxerunt, prioribus institutis pro nihilo habitis, tormenta & neces pro delicijs habentes, quoquò te verteris, vbi vbi terrarum fueris, Christi nomen & peruenit, & magis indies ac magis intonat, nec à celebrati oratoris verborum phaleris, sed à simplicibus piscatorum verbis disseminatum, quorum vita perfectissimum extra omnem aleam veritatis argumentum fuit, nec eorum solùm, sed & omnium qui sequebantur: ita vt in admirationem sapientissimos Iudæorum, Iosephum, atque Philonem conuerterit, & Christum & sectatores laudare, literarijs suis monumentis persuaserit, adeò vt parùm abfuisse videatur, quin Christiani effecti suæ legis, cuius zelo tenebantur, cortici nuncium remitterent. Sed enim vita ipsa quæ imitanda proponitur, non solùm inuenta est vlla præstantior, sed nec aut inueniri, aut excogitari potest, eius verò persecutorum nulla fœtidior, nulla damnatior, finisque eorum vita ipsa miserior.

Nam vt paucos commemorem, quid Nerone persecutionum principe fœdius? quid crudelius? quid Domitiano insanius, & contemptibilius? quid amborum nece miserius? quibus persecutoribus gloriandum Christianis est. Cùm adeo sæui, adeò truces, scelesti, fœtidi, & fuêre & habiti sint, vt eorum condemnatione liberati, persecutioneq; laudati credi iure & meritò possent: neque enim malum, ab eis qui pessimi erant, sed bonum damnabatur, & (vt ad eos inquit Florens) Probatio innocentię nostræ, iniquitas vestra.

Pilatus qui iniquam in Christum sententiam tulit, quem vitæ finē meruit? seipsum propria interfecisse manu, apud Græcorum Romanorumque historias Eusebius inuenisse retulit. Herodes primus pari se nece damnauerat: Secundus Herodes diuinitùs percussus interijt. Aurelianus fulmine perterrefactus, mox occisus. Diocletianus sibi ipsi manus intulit, vel vt alij scribunt, Senatus decreto perfracta gula, miserrimam animam effudit: Maximianus turpiter, & infeliciter occisus. Maxentius & victus simul & gurgite absorptus est: Mordacissimus Lucianus & Christi legis irrisor, canum morsibus laceratus interijt: Iulianus ille impius apostata, cùm in Persas proficisceretur & Christianorum sanguinem dæmonibus deuouisset, desolato exercitu vulneratus occubuit. Horum cultum perniciosissimis dæmonibus dicatum, mancipatumque, horum vitam vel luxu & libidine effœminatam, vel superbia & ambitione abominabilem, vel truculenta sæuitia immitem & feram: tantò magis & impiam & inhumanam deprehendemus, quantò diligentius Christianorum vitæ

comparauerimus, quæ non modò immanissimorum principũ, & vt dixerim significantiùs, brutorum beluarumque vitæ, ob nitorem castitatemq; demittere se ad comparationem, nisi cum dispendio nequit, sed philosophorum etiam ipsorum, quos coluit antiquitas vitæ doctrinæque conferri sine pudore, & periculo non potest: In ea enim (vt omittam cætera) quicquid humana docet philosophia, comprehensum est, de qua ipsos etiam Gentium philosophos sua dogmata traxisse, & Clemens Alexandrinus & Atticus Platonicus, & Numenius, & Hermippus Pythagoreus voluerunt, Eusebius quoque & Florens & alij non parùm multis rationibus adstruxerunt: Sed & sublime adeò struxit ædificium, vt culmina ipsos Ethnicos philosophos latuerint, qui nec etiam fundamenta attingere, nisi summa cum difficultate potuerunt, quæ quidem & regibus, & imperatoribus manifestata, diuinitatis Christi magno argumento fuerunt.

Antoninum Pium, prodit memoria, cùm audisset id in prouerbio Christianis esse: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: eò admirationis prouectum vt Christo statuam consecrârit. Sed quid concepisset, si altiora sublimioraq; intellexisset? quæpiam namque minuta vitia ad solam cogitationem pertinentia, quæ rationem habere malitiæ videntur, effugit Christiana religio, non solùm Ethnicis illis regibus, sed & philosophorum principibus vti prorsus incognita, ita exposita, vt in ea, aut sæpenumerò aut semper impegerint, quædam prosequitur bona adeò celsa, adeò lucida, vt illorum penitùs obtutus effugerint: Gloriam quæ in hominum extimatione consistit, Gentilium philosophorum vita percoluit, Christianorum vita neglexit. Quòd si rerum naturæ comtemplatio, quæ vera censetur, cultores suos è terra vel paululùm potuit eleuare, cur in Christo contemplando, si ficta res est, & prorsus imaginaria, vt perfidi contendunt, veri Dei cultores ad æthereas sedes benè compactis cùm voluntatis tùm intellectus alis perlati sunt. Sanè vel hinc poterit colligi, quàm apertè delirent veritatis hostes, potestatis imaginariæ robori præclarissima Christianorum opera tribuentes, quòd vel rarissimi reperiuntur, qui forti imaginatione polleât, qui autem ea efficiant quæ ipsi eiusdem tribuunt potestati, Myriades innumeræ, quibus philosophi multi, & quidem præclarissimi continentur, quos à phantasmatis vanis illudi, ne ipsi quidem contenderent: quis enim nisi sensu communi carens, nisi literarum expers, hæc ipsa asseueraret de Dionysio Areopagita summo philosopho, atque Theologo, de origine nõ solùm Plotini, sed & Porphyrij eius hostis, & nihil ob aliud hostis, nisi quia Christianus esset, laudibus celebrato: quis ea ipsa Iustino adscriberet, nõ minus philosopho doctissimo & eloquẽtissimo quàm martyri glorioso: quod cùm alia de eo præclarissima testimonia, tùm ipsæ eiusdem lucubrationes comprobant: quis & de alijs plurimis id auderet mussitare, quorum & vitam & doctrinam infensissimi hostes non laudare non possunt? Sed qui imaginationis vitia Christianorum persecutoribus ipsique Porphyrio hosti eorum acerrimo tribueret, nihil à veritate summoueretur, quando nihil irrationabilius, nihil stultius potest de quoquam cogitari, quàm sese velle interficere, vt ipse de se ipso in Plotini vita fatetur, qui dum præceptorem laudat, semet nesciens & imprudens sempiternis vituperat opprobrijs.

Postremò & ipsa miracula naturæ vires superantia à Christo & Apostolis perpetrata, quæ nisi aut Deus, aut Dei virtute fultus homo potuit operari, Christianæ fidei veritatem impensissimè adstruunt: At quis fortè ea ipsa negauerit? sed eò stultitiæ vnde ad negationem processit inuita statim confessione relabetur, emotæ nanq; mentis est, id negare quod omnes affirmant. Hebræi nanque quod astruimus, quanquàm nolentes concedunt, quapropter & fabulam, illam suam finxêre, qua Christũ asseuerant, in virtute nominis quatuor literarum mirabilia operatum, philosophi non iuêre inficias: propterea quemadmodum & Celsus Epicureus in magiam mirabilia Christi opera referre conati sunt. Ea ipsa miracula Maomethenses affirmant, asseuerantes, prophetam Christum fuisse de Virgine natum, & mirabilium operum effectorem. Gentiles id ipsum fatebantur, vnde inter Deos, quos Roma coluit, Christum recipiendum esse, Tiberius Cæsar adiudicauit, & accusatoribus Christianorum per edictum, mortem minatus est. Vespasianus ac Titus ad Christi opera, & potentiam expauerunt. Legimus & Hadrianum statuisse Christum inter Deos recipere, atq;

atq; Alexandrum Seuerum eidem templa excogitasse, & coram eius statua in matutinis orasse: Pium quoq; Antoninum eidem ipsi statuam tanquam Deo sacrasse, simul tamen & alios Deos venerebãtur impiè, atq; ob hanc etiam causam maximè consentaneum, vt ab eis Christus non sit publicè cultus, qui prauum & dæmonũ & hominũ vita functorum cultum prouehebant: Et se deos etiam credi volebant. Siquidem Hadrianus, vt cæteros taceam, diuinos honores Antinoo quẽ deperibat, deferri voluit, cui & cognomina quoq; vrbs & templum extructum est. Idem Imperator, & Plotoni basilicam & L. Ceionio Helio Vero, templa & sibi quoque viuenti, cùm in Europa aram posuit, tum in Asia templa nonnulla dedicauit, consentaneum, inquam, vt à Christo colendo publicè abstinerent, qui publicè nepharia sacrilegia perpetrabant: mouebantur autem illius miraculis & famæ celebritate, quòd si qui perfidia ducti, aliter opinarentur, illud respondeant, cur Christum alijs quos falsò colebant dijs sociare voluerint? non ob id certè quòd crucifixus fuerat, quòd pauper, quòd ludibrio & contumelijs affectus, sed ob mirabilia eius opera atque prodigia. Cur credamus & Philippum iuxta Eusebium primum ex Imperatoribus Christianum fuisse, sine miraculis, aut visis, aut creditis? Ac sine eisdem Constantinum primum, auctore Firmiano, Christianum principem verum Deum & agnouisse & honorasse. Primum certè & extra omnem controuersiam qui Christum palàm publiceq; coluerit, qui colendum lege mandauerit, qui Crucis ostensæ miraculis victoriam contra hostes consecutus sit.

Sed quid de Christi miraculis ambigant homines, quæ etiam dæmones diuina virtute coacti fatebantur, hoc non solùm nostra, sed & Gentilium habent monumenta, vnde & à Milesij Apollinis oraculo dictum est: Christum prodigiorum effectorem & sapientem fuisse: & Porphyrius, quanquam hostis acerrimus, in libro de responsis inquit: Christum à dijs maximè pium & immortalem pronunciatum, & Hecatem deam de Christi anima interrogatam respondisse: viri pietate pręstantissimi fuisse illam animam & in cœlum conscendisse. Hæc dæmones, sed minimè libenter, qui de obsessis etiam corporibus coacti pellebantur. Paulus Apostolus scribit in ostensione signorum & prodigiorum se venisse: quis autem ambigat, falsum eum asseruisse illis à quibus statim de mendacio redargui potuisset, num ille tàm demens vt assereret? num hostes tàm stupidi vt mendacia nõ obijcerent? quod tamen eos fecisse nõ constat. Alij quoq; Christi discipuli & Euangelistæ miracula palàm prædicabant, atq; scribebant, atque eo quidem tempore, quo innumerabiles adhuc viuerent, qui aut Christum vidissent, aut videre potuissent, à quibus (nisi compertissima verissimaq; asseuerassent) conuinci facillimè de mendacio poterant, & palàm publiceque fallaces impostoresque iudicari. Nec diuitiæ vllæ, aut principum protectio, aut mundi gloria phaleratęque eloquentiæ facultas, quę nulla eis inerat, à falsi eos infamia vindicasset. Tertullianus in Apologetico Gentes exprobrans: Videtis (inquit) ad Iesu nomen eijci dæmonia? Scribit & Firmianus coram eo qui fronti crucis signum impressisset, nec sacerdotes dæmonum litare potuisse, nec consultum vatem dare responsa Iulianus Cæsar, quem suprà nominauimus, cui apostatæ cognomen, dum magnum quempiam secutus esset in specum, voce dæmonis audita expauit, signoque se crucis munijt, quo dæmon territus fugit, eum postea admiratione perculsum impio commẽto magus delusit, quòd, scilicet, dæmones perinde ac homines id supplicij genus formidabant. Daphnio item Apollini sacrificaturo dæmones siluêre ob id quod vicinum Babilæ martyris sepulchrum metuebant, ita ipsi interrogati de silentio sacerdotes retulêre. Porphyrius quoq; maximus Christiani nominis hostis in libris, quos aduersus nostram religionem conscripsit, fatetur, nullam Gentibus vtilitatem à dijs prouenisse, vbi Iesus coleretur.

Illud certè non vni tantùm aut paucis hominibus, sed orbi vniuerso admirationi maximè fuit in defectu luminis Dominicæ passionis tempore, quòd Soli præter solitum cœli cursum, præter debitum congressionis tempus, Luna coniuncta sit, & per horas plures supra Solis diametrum (rem iterum stupore plenam) obstiterit: & quod mirabilius multò, ab Oriente digressa, & vltra mediam cœli regionem ad congressum euecta, iterum ad Orientem resilierit: quod & Dionysius A-

reopagita & Apollophanes in Heliopoli diligentissimè obseruârunt. Vnde ipse Dionysius scribit ad Policarpum, qui Apollophani impio hoc ipso miraculo, quod ambo, scilicet, viderant, probè consuleret, in memoriam reuocans quod tum ipse in hæc verba prorupisset, præclare Dionysi, diuinarum sunt vicissitudines rerum, qua in epistola mentionem fecit de eo quod prius Soli acciderat miraculo, Iosuæ, scilicet, tempore, ministri & successoris Mosi, qui Iesu Christi typum gessit: De eo item quod Ezechiæ regis tempestate factum est, quo perterrefactos etiam Babylonios prodit, quodque apud Persas in monumentis relatum, atque à magis ob memoriam celebratum est. Super terræmotu quoque Dominicæ passionis tempore Apostoli & Euangelistæ accusati de mendacio fuissent, nisi & ipsi Gentiles idipsum pro comperto habuissent, à quibus etiam literarum monumentis, nonnihil relatum, vt putem, cùm alia tùm Plinij me verba mouent, ita in secundo Naturalis historiæ libro scribentis: Maximus terræ memoria mortalium extitit motus, Tyberij Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Scribit & Eusebius in commentarijs Gentilium se legisse Solis defectionem factam, Bithyniam motu terræ concussam, & in vrbe Nicea arces plurimas corruisse, anno decimo octauo Tyberij principatus. Phlegon quoque Olympiadum supputator, libro tertiodecimo eadem ferè commemorat, quæ omnia eis ipsis quæ Euangelistæ scribunt, apertissimè congruunt. Dominus enim Iesus quasi annorum triginta baptizatus est à Ioanne, is autem anno XV. Tyberij prædicare cœpit pœnitentiam, & inde Christus exorsus tribus annis, vt etiam refert Ignatius in epistola ad Trallianos, Euangelium prædicauit, vt extra controuersiam credi possit, præter Firmiani auctoritatem, decimooctauo Tyberij principatus anno eum crucifixum. Sed nec nostri tum martyres ea ipsa miracula in Gentium oculos in ipsa præsidum ora ingessissent, si vlla ex parte vel rerum monumentis vel testibus infringi aut labefactari potuissent: nec tanto animi ardore, tanto vigore fidei inter alia dixisset ad pręsidem inclytus ille Lucianus presbyter Antiochenus: Requirite in annalibus vestris, inuenietis temporibus Pilati Christo patiente, fugato Sole interruptum tenebris diem.

Sanè & horum omnium super quibus veluti solidissimis veritatis basibus rationes ad fidem roborandam fundauimus, semper in Ecclesię decursu visa vestigia: nam & fugatos dæmones, & in optimos atq; diuinos viros ob Christi cultum euasisse plurimos, Augustinus, Gregorius, alij apertissimè & asseuerantissimè testantur, & se vidisse miracula scribunt, quæ & nostra etiam tempestate visuntur. Eusebius infinita ferè enarrat miracula quæ viris & fœminis sanctissimis etiam in ipsis martyrijs Dei virtute contigerunt, vitæq; sanctorum Patrum qui in Aegypti eremis habitârunt, ab Athanasio à Hierotheo magnis viris perscriptæ hoc ipsum comprobant, & ipsorum quoque ab alijs descripta præclara facinora idem confirmant. Gesta quoque Bernhardi illius Magni, Gregorij, Martini, Ambrosij, Nicolai, Francisci, Dominici, & innumerabilium aliorum fidem cumulant, & veluti lucidissima diuinorum testium nubes cæcutientium infidelium oculos ingreditur. Sed & nostris quoque temporibus (vt diximus) eadem vestigia conspiciuntur: Nam & expelli dæmones ab obsessis corporibus, Christi virtute palàm est: à sanctissimis item viris & fœminis visibilia cõtemni, atque per eadem, quæ diximus, Christianæ vitæ purgatissima opera de terrenis cœlestes reddi. Miracula quoque ob sanctorum virorum merita Dei virtute fieri. Allocutus ipse sum multos fide dignos homines, qui in proprio corpore vera miracula experti sunt, & iureiurando etiam interrogati idem affirmârunt: alios qui etiam suis oculis viderunt: ego quoque vidisse & sensisse miracula sine mendacio affirmare potuerim. Illud autem, quod non vni tantùm aut pluribus, sed ferè in propatulo est, non reticuerim. Adseruantur Neapoli in Campania Ianuarij martyris reliquiæ, adseruatur & in vase sanguis post eius trucidationem piè collectus, qui è regione membrorum positus ebullire quodammodo incipit & liquefieri, atque ad pristinam veri sanguinis speciem redire: semotus autem & aliò collocatus in densum cruorem coit, coagulaturque eam retinens formam, quæ cruori multis seculis effuso conueniat, donec iterum reliquijs ipsis argentea theca reconditis ex aduerso opponatur, nec id quoque semper euenit: Nam dum regionibus illis aliquid immi-

net malum, vel turbatio impendit, minimè liquefit, sua illa quiete vexationem portendens: Ita incolę longa experientia didicêre. Ego meis oculis cruorem illũ qui cõcretus & teter sua natura manet, obiectu capitis rubescere, liquere, & ceu ebullire vidi, perinde ac si è venis tùm fuisset emissus: vidi, inquã, meis oculis & ratione cõprehendi opera naturę fieri id minimè posse: testatissimũ enim apud philosophos à formæ priuatione, quod aiunt, ad habitũ eiusdem, reditum non dari: & qui non credũt, experiri possunt, si cruorem vbi coierit, & post menses aliquos ne annos dicam in terream puluereamq; massam redactus fuerit, ad sanguinis formã (& ne de verbis calũniam sarciant) si non ad formã, ad sola tamen accidentia formã sequentia ruborẽ scilicet, liquorem, fluxum & reliqua reducere possint. Audiui quoq; ab ijs qui viderunt spinam esse Rhodi, qua sacratissimum Christi caput pupugerunt impij, dum Coronã spineam vertici imposuerunt, quæ singulo anno in die eo quo Christi passionis memoria in catholica nostra ecclesia celebratur, vidente populo, floreat: Monstratur ea in vase translucido ex vitro, vt admittatur aspectus nec oculorum acies possit obtundi, ante horam illam qua Christus crucifixus creditur, nullam spina ipsa motionẽ prę-fert, non coloris mutatio, non vlla adiectio in ea visitur, proximante tempore rubere incipit, & oculis omnium circunfusis atq; cernentibus, albus quidẽ flosculus in verticem paulatim exurgit, qui hora elapsa desinit & euanescit. Aliqua quoq; & paria & etiam fortè maiora sparsa & disseminata mundo sunt, quibus & incredulis ad cõuersionem excitatio, credentibus verò ad perseuerantiã confirmatio iugiter oriatur: quę qui non videt, cæcus, qui non audit, surdus, qui audita non credit, insanus, qui maiora aut crebriora desiderat, vt credat, insolens & prophanus: vbiq; terrarum decãtata, vbiq; nota compertaq; sunt, creditaq;, nisi ab eis, quorũ ob penitissimã malitiã, iusto diuinoq; iudicio oculi mentis obcęcati sunt, vt iuxta diuina eloquia videntes non videant, & audientes non intelligant.

Solent & quædam rerum capita recenseri, quibus scripturę Diuinę veritatis ostendatur, quę verè Augustinus cõmemorat diuersis in locis, & Parisienses Theologi repetunt atq; confirmãt, in quibus explicandis multi laborauerunt, præsertim Ioannes Scotus in prologo sententiarum theologicarum, quæstione secunda, quem postea B. Bernardus sequutus est in libro de Christiana religione: illa omnia ad ea, quæ probauimus, conducunt, & nonnulla etiã ex eis capitibus tetigimus & amplificauimus roborauimusq;, sumuntur rationes illæ ex Prophetarum prænuntiatione, ex scriptarũ rerum concordia, ex autoritate scribentium, diligentia recipientium, rationabili sensu, irrationabili aduersantium errore, stabilitate Ecclesiæ, miraculorum claritate, testimonio Iosephi & Sibyllarũ, Dei approbatione. Sed cùm nunquã desit insanis occasio garriendi, posset quispiam qui malè Christianus esset, nonnihil aduersus earum aliquas, alioquin satis validas, rationes moliri: Nã si astrologicæ vanitati nimis, Christianæ veritati minus, addictus esset, multa illorum quæ vti diuina prorsus adstruũtur configurationi syderum aliqua adscriberet, alius fixę imaginationi, vel Epicurum vel Auicennã secutus tribueret: alius aliud effunderet: Huic autem insanię occurritur in diuino illo opere de Veritate fidei in Dominicæ crucis triumphum atq; in primo libro de Simplicitate Christianæ vitę docetur: fidem ipsam & vitam Christianorum ab creata aliqua substãtia dependere non posse, sed ab ipsamet Dei gratia & oriri & conseruari: quapropter nihil aliud nobis ad præsens in istiusmodi aduersarios dicendũ. Futurum sanè & procul omni dubio speramus, vt qui intersperſi mundo sunt, populi & reges, Maomethis deliramenta amplexantes, & qui Iudaica perfidia detinentur, quiq; vel omnino, vel quadantenus ita diuina prouidentia permittente, iustissimè de causis insaniunt, abdicatis erroribus ad Christi veritatem colendam aliquando conueniant, eius gratia illuminati, atq; pertracti, idem quod nos crediturі, & sub vno pastore vnum ouile fieri. Quantum autem ad præsens attinet opus, satis ad eos coarguendos, satis pro nobis confirmandis sit, hæc ipsa de veritate Christianæ fidei disseruisse, quam quidem fidem præter Diuini luminis beneficium, suadet nobis ratio, dæmones fatentur inuiti, confirmant euenta populi, nationes, Græci, Barbari, summi Philosophi, viri sapientissimi, vniuersus deniq; orbis, omnis natura, diuina miracula.

THEO-

THEOREMA I.

FIERI NON POSSE VT QVISPIAM SINE CHRISTI Fide beatitudinem consequatur, eaq; priuari neminem, qui naturæ saltem leges omnibus ab ortu inditas custodierit.



X eo quod suprà posuimus stabiliuimusq; principio primi huius Theorematis probatio colligitur: nam Christi fides, quæ (vt probauimus) vera est, impietatem omnem & falsas religiones abijcit, earumque sectatoribus æternam pœnam comminatur, de hac fide in Euangelio scribitur, *Qui non credit, iam iudicatus est*: & iterum, *Qui non crediderit, condemnabitur*: & Apostolus affirmat, *placere Deo sine fide* (infusa videlicet) *neminem posse*, quanquàm Christus ab hoc munere eximatur, etiam qua homo, & beatissimus ille Smyrneorum episcopus Polycarpus martyr ad Philippenses scribit: Credite in illum qui resuscitauit Dominum nostrum Iesum Christum ex mortuis, & dedit ei gloriam, & sedem in dextra sua, cui subiecta sunt omnia cœlestia, terrestria, & subterranea, cui omnis spiritus deseruit, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, cuius sanguinem requiret Deus ab eis, qui non crediderunt in eum. Et sanè diuinæ hoc iustitiæ latæ & legis ordo decernit, tametsi absolutæ potestati terminos non adscribimus, pluraque alia in hunc sensum reperire non est difficile, quibus indubiæ Theorematis veritas adstruatur, quæ vel hac quoque ratione concludi potest. Nam quòd rationem finis habet, id quispiam ratione pollens, adipisci ex se non potest, si non cognoscit, nec etiamsi cognoscat assequitur, si non potest eò proprijs viribus peruenire: ad ipsum autem Deum finem optimum ordinatur homo, in quo contemplando & amando sita est rationalis intellectualisque naturæ beatitudo: is verò cùm incomprehensibilis sit nobis, & à mortalium cognitione remotissimus, decens fuit, vt sui notitiam insinuaret hominibus. Oportet enim finem ijs esse præcognitum, qui suas in eum actiones directuri sunt, alioquin conatus eorum omnis eluderetur: propterea fidei donum mundo Deus impertijt, vt & doctis & indoctis veritas communis fieret, ea namque quæ de Dei natura, de felicitate humana, vi comprehendi possent, rarissimis, sed & longo temporis interuallo atque errorum etiam multorum admixtione innotesceret, quo factum, vt inter doctissimos Philosophos, qui Christi fidem non habuerunt, de hominis felicitate nunquàm constiterit: semper enim inter eos altercationes & literaria bella durauêre. Fidei autem Christi ope tàm rudium quàm doctissimorum hominum animi pacatissimi redduntur, vnicoque ferè momento anus decrepita ampliorem diuinorum notitiam nanciscitur luminis fidei beneficio, quàm vllus philosophorum eleuatissimæ mentis vnius seculi spacio conquisierit. Ad hanc vestigandam multis sudoribus continuisque laboribus atque anxietatibus opus non est.

Præuenit ipsa nos Christi liberalitas atque clementia, & ad credendum dulcissimè inuitat, vt per bona opera ad æternam felicitatem moribunda corporis dissoluta compage perducamur. *Ego* (in Euangelio inquit) *sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*: Quibus verbis iugis inspiratio nobis insinuatur, qua ad fidem & ad sancta opera capessenda identidem inuitamur. Tres autem vocationis diuinæ modos magnus ille & Deo plenus Antonius commemorat, in prima septem suarum epistolarum, quas Aegyptiacæ misit ad diuersa monasteria, posteà in Græcam, indeque in Latinam linguam, quod Hieronymus quoque in libro de viris Illustribus meminit, translatæ sunt: primam vocationem aptauit Abrahæ secundam scriptæ legi inuitanti, & suppliciorum metu & promissionum bonis, tertiam eis conuenire dixit, quos à vitijs ad se Deus per flagella vocat: subdit tamen putare se, eos prius à spiritu vocari, qui ingrediuntur ex toto corde certamen. Et quidem cùm rationi rectè, tùm diuinis eloquijs apprimè consentaneè decernit, quibus docemur per illam ostij pulsationem ad ipsum Deum nostrum suscipiendum iugiter inuitari: sic enim, vt mihi videtur, Deus prima omnium causa atque actus (vt sic dixerim) ipsissimus communicare se creatæ substantiæ, quæ capax beatitudinis est, eamque perficere

cere non cessat, modò illa ex proposito non aduersetur, quemadmodum prima materia pura, scilicet, corporalium, ac nuda potentia suscipere omnem formam apta parataq; semper est, modò vis agentis non desistat. Ostij illam pulsationem, Ioannes Picus patruus meus præclarissimo vir ingenio & admiranda doctrina in sua Heptaplo perpendens, ad hunc modum scribit: Pulsat assiduè animum tuum spiritus motor, si obaudias tibi, relinqueris tuo corpori tuæ infirmitati miser, & infelix: si admittas statim Deo plenus per orbem religionis, ad Patrem, ad Dominum reportaris in eo vitam possessurus, in quo & semper, etiam antequam fieres, vita fuisti.

Peruetus quoque & pia theologorum sententia est, ijs ipsis etiam qui in insulis & terris remotissimis nascuntur, ad quas Euangelici prædicatores non commeant, fidei veritatem illucescere, modò se prauis moribus indignos non reddant, aut diuinę, aut angelicæ reuelationi. Atq; ad hanc comprobandam veritatem scribit Rogerius ad Clementem, repertum quendã, Alexãdri eius nominis quarti Pontificis tempestate, quem angelus de Christi fide docuerit, cùm in insula quadam remotissima naturæ leges custodisset. Naturæ autem lex ab ortu eorũ indita hominibus, duo hæc in primis continet: Bonum sequendum, malum fugiendum, Deumq; ipsum primam bonitatem interna religione colendum monstrat, ita vt eius munere ob rectæ vitæ custodiã præmia expectentur. Scribit Ioannes Damascenus, cognitionẽ, quòd Deus sit, naturaliter omnibus insertam. Mitto quæstionem an possit demonstrari quòd sit, & de notitia simpliciter, & quoad nos, non enim hic locus: Apostolus inquit, *oportet accedentẽ ad Deum credere, quia est & inquirentibus se remunerator*, sed & eos qui eiusdem naturæ secum participes sunt, diligere debet ad eundem finẽ, qui hoc effecerit custodieritq; quocunq; loco, quacunq; regione, quocunq; terrarũ, etiamsi Antichthon nobis fuerit & aduersum orbem inhabitauerit, de Christi fide certior fiet: Eius enim fidei lumen, quasi Solis iustitię fulgor instar corporei huius Solis radios circunquaq; diffundit, & qui obstacula non posuerit collustratur: quid dixi huius Solis instar, & non magis hunc instar illius, cuius imbecillis imago est, radios fundere, sanè puritas atq; simplicitas in animis hominum perinde est, ac in rebus corporeis perspicuitas. Quòd si obstinatus Iudæus obiecerit, non solùm se naturæ, sed Dei leges custodire, nolleque orare vt illuminetur de veritate, quàm tenere se dicit, nec secus sibi conscientiæ ingeri scrupulum, si de sua dubitat fide orando, videlicet vt illuminetur, ac nobis si de nostra dubitaremus. Respondendum in primis, non intelligere eos Dei legem, quam peruertunt, nos autem implemus verosque nos Israëlitas esse, qui Christum, scilicet, Deum vidimus, veros Iudæos, qui eum confessi sumus, verum Abrahæ semen spiritale, qui opera Abrahæ facimus: *Credidit enim ille Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Ad idq; ea afferenda quæ sanctissimi pariter, & doctissimi viri aduersus eorum perfidiam meditati sunt. Tum illis hoc postremo loco vbi, scilicet, Aspis aures occluserit, ingerendum ingeminandumque, vt hoc saltem animo teneant, quòd si falsa esset eorum fides, eam sequi nolint, recteque viuant, cupientes Dei voluntatem implere, eamque vt scire possint, ipsum identidem deprecentur: neq; enim difficile admodum fuerit vt illuminentur, si hoc pacto sepem obstinationis euulserint, malitiæq; renunciauerint. Ad Timotheum prima epistola scribens, Apostolus ait: *Qui prius blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus, misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* & Dominus in Euangelio ait: *Si quis voluerit facere voluntatem eius, qui misit me, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ex meipso loquar.* & Propheta dicit: *Bonum esse Deum Israël ijs qui recto sunt corde:* & iterum: *Exortum esse in tenebris lumen rectis corde,* & cum eodem Propheta Ecclesia quotidie clamat precaturque: *Benefac Domine bonis & rectis corde:* hoc autem nostræ fidei lumen (ô miram Dei bonitatem, ô profusissimã liberalitatem) euidentissimæ rationes, admirandaque & creberrima prodigia confirmant, eamq; (si de particularibus, qui illuminantur, mentio fit) quandoq; præcedunt, comitantur quandoq;, quandoq; subsequuntur.

Idem contra hęreticos in vniuersum dicendum est, qui quanquàm Christiana glorientur fide, in ea tamẽ iure meritoq; nõ censentur: fieri enim non potest, vt Christiana pollere fide possint, qui Christo & eius dogmatis aduersantur, quales omnes hęretici, qui Antichristi veriùs dicẽdi sunt iuxta Apostolica dogmata: Repetitq; gloriosus ille martyr Polycarpus ad Philippenses, eum Antichristũ esse, qui Christum in carne

venisse

venisse negat. Et Hieronymus in Explicatione Nahum Prophetæ scribit, tot esse Antichristos, quot dogmata falsa: Hi autem si integrum etiam naturæ lumen custodirēt, ab errore, atq; hæresi vocari facilè possent: namq; si puro atq; impermixto veritatis amore tenerentur, omni sequestrata imbibiti veneni affectione, omni ambitione deposita, omni contentionis studio ablegato, omni propulsata scelerum caterua, veritatis eos lumen affatim collustraret. Dei enim gratia, à qua illud profluit lumen, naturā perficit, si proprij ea amoris & vitiorum omnium inquinamēto nudata fuerit. Huius autem luminis beneficio, & totum Catholicæ ecclesiæ corpus sub Christo proprio capite, & sub R.P.V. ostenditur: Monstratur pariter innumera tàm marium, quàm fœminarum multitudo, qui huic V. etiam capiti substitêre, & salubria dogmata atq; decreta hauserunt, semper multitudo, inquam, moribus sancta, clara doctrinis, visis reuelationibusque diuinis admiranda, stupenda miraculis, & postremò donata priuilegio absolutæ & consummatæ beatitudinis. De Mahometensibus plura non attinet dicere, quandoquidem eorum leges & instituta naturæ legi moribusq; ex ea manantibus aduersari absque vlla disquisitione palàm est, quæ si ab eis abijcerentur, diuinæ luci hauriendæ idonei aptique fierent, quibus id dici posset, quod olim Photinus Lugdunensis episcopus, & martyr respondit interroganti se pręsidi, de Deo Christianorum: si dignus, inquit, fueris scies: Nec quidem vt Simonides responsum dedit, qui se dixit nescire quid Deus esset, non vt alius ille qui comeatu deliberandi, & petentem tyrannum & se frustratus est, sed scire se ostendit martyr, & docere noluit, nihil ob aliud, nisi quia indignus erat, qui petebat: non poterat enim crudelis præsidis tenebrosa anima erroribus plena radiantem lucem veritatis admittere: neque enim *in maleuolam animam* (vt scriptum est) *introibit sapientia.* Rectissimè igitur respondit, si dignus fueris, scies: hoc est, si à malitia descitueris, si veritatis amore exarseris, & superbæ obstinationi obluctatus fueris, scies: si dignus eris, hoc est, si naturæ leges illibatas custodieris, diuina gratia docereris: Idem omnes quicunque sint hostes Ecclesię assequerentur, modò diuino impulsi eorum animos, vt ingrediatur veritas crebriter quatienti, freti ipsi sisiq; copijs superbiæ reginæ vitiorum non obstarent, contraq; niterētur, & de his ad præsens satis.

Cæterùm cùm fides firmum assensum denotet, pij quidam homines terrentur, si quando in seipsis nebulas quasdam fidei lumen aliquatenus obumbrantes experiuntur, quibus consulendum vt confidāt alacriter, & ad Deum preces fundant cū Euangelico illo patre exclamantes: *Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam:* Apostolosq; imitentur, qui tametsi crederent, nihilominus augeri sibi fidem à Domino postulabant, nec solùm in ipsis rebus credendis gradus habentur, vt putauit Guilermus Altisiodorensis inter initia Theologicæ summæ: Sed & intentior in alijs ipsa fidei lux, in alijs remissior apparet, in eodem etiam homine id accidit sæpenumerò pro diuersis actibus, & corporis dispositionibus, & mentis exercitijs, & dæmonis etiam tentationibus, quibus assiduè circumuallamur. Quapropter formidare nō debemus amisisse fidem, si nobis ipsis aliquando videamur, non ita confidere reuelatis veritatibus, quemadmodum aut solebamus, aut cuperemus: conatus enim ille aduersus tentamenta indicio est fidem esse constantem, qui & ipsam quandoque auget, & meritum cumulat: sed neque fides illa quæ montes transfert nobis ad salutem consequendam necessaria est, à communi enim, hoc est, ab ea qua opus est omnibus qui Christiani esse volunt distincta discretaq; est, quod super epistola Pauli ad Romanos Athanasius Theologus celeberrimus docet.

THEOREMA II.

FIDEM CHRISTIANAM EX SE NVLLO PACTO promere hominem posse, sed liberalißima Dei clementia dono dari.


SI enim beatitudo Dei dono & fide intermedia hominibus datur, sequens est vt fides ipsa donum sit Dei: qui enim finem nobis sua clementia impartit, & ea ipsa quæ ad hunc assequendum finem necessaria esse voluit, pariter elargitur, media nanq; fini conueniri iustaq; proportione respondere consentaneū est: consentaneū & illud, vt sine Deo eiusq; ope ad Deum nō perueniatur, vt ad id

ad id quod infinitum est, sine infiniti virtute non accedatur: sed & illud ipsum constabit, si ea quæ vltima in vno quoq; genere sunt, considerauerimus: animaduertemus enim (vt Ioan. Picus patruus olim perspexit) id quod vltimum in aliquo genere est, ea non possidere perfectè, quæ illius generis sunt, sed ope auxilioque superiorum egere, qua de re fit vt noster intellectus vltimus eorum intellectum, qui ad æternam ipsissimamque veritatem intuendam creati sunt, ad perfectum opus suum, id est, eius qua beandus est veritatis cognitionem non perueniat, nisi superiori lumine adiutus fuerit. Sic & videmus Lunam, quæ vltima cœlestium est, Solaris luminis receptione indigere, quo affatim collustretur. Lumine ergo fidei cùm nostræ id facultatis nõn sit, sed æterni quædam quasi scintilla luminis à Deo nostram procurante salutem illuminamur. Scribit & Paulus ad Ephesios Dei donò fidem hominibus dari, in hunc modum: *Gratia*, inquit, *estis saluati per fidem, & non ex vobis, ne quis glorietur, donum enim Dei est*. Et Polycarpus quem suprà citauimus, in epistola ad Philippenses ita scribit: Vt possitis ędificari in fide, quæ data est vobis, quę est mater omniũ vestrorum. Ne aũt credamus liberũ nobis non esse vt veritatib. Christianę fidei assentiamur, animaduertẽdum est, duo hæc requiri ad faciendũ nobis de re aliqua fidẽ. Primum vt quæ credi debeant intellectui proponantur: Secundũ vt is cuius intellectu comprehensa res est, voluntate consentiat. Verùm cùm fides (vt Apostolus ait) sit argumentum non apparẽtium nostri intellectus, vis quã ex sensib. cognitionem nancìscitur ad eam pertingere non potest: Ideò opus habemus, vt de ijs quæ ad fidẽ pertinent diuina ope erudiamur. *Fides* enim (inquit Apostolus) *ex auditu, auditus aũt per verbũ Christi*. Vt aũt ijs ipsis, quę fidei sunt, assensum præbeamus, firmissimeq; hæreamus, duplex causa potest animaduerti: Exterior vna, quę hominẽ ad fidem inuitat: Interior altera, quę illã & inchoat & perficit. Prima enim, quanquã multum habet efficaciæ, verbi causa doctorum virorũ rationes, sanctorũ persuasiones, visa miracula, nihilominus ea ipsa per sese tantum non obtinent roboris, vt certã faciant in nobis fidem: eorũ enim qui miracula fieri vident, credit alius, alius aduersatur, quod non solùm Sacris literis multifariàm videre datur in miraculis Moseos & Christi, sed nostra etiam tempestate palàm factum est, quapropter & secundam interiorem videlicet causam adesse oportet, hoc est, Diuinam gratiam, Diuinum lumen, Diuinum afflatum, vt Christianæ fidei prorsus assentiamur. Hoc Augusti ipse apertissimè fatetur, qui se quandoque in hoc deceptum ait, dum crederet fidei consummationem in Deum vti in causam esse referendam, eius autem initium de nostro arbitrio pendere; erat autem huiusmodi opinio Diuinis scriptis aduersa cùm alijs, tùm ei sententiæ potissimùm, quam suprà ex Apostolo recitauimus, qui & alio loco scribit, *non posse nos cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed nostrã sufficientiam ex Deo esse*. Ex hac radice oppositi errores duo manifestãtur: fuêre enim qui asseuerarent, sed falsò, posse nos omninò ad credendum cogi, cùm alij eodẽ viso miraculo ad veritatem redeant, alij volũtate peruersa in errore stabiliantur. Fuêre & parte alia nonnulli, qui contenderent esse omnino in libera hominis voluntate credere nécne, apprehensa duntaxat re per terminos eam significantes, nullà alia concurrente causa, quod equidem & Aristotelis dogmati & autoritati Augustini & multis Theologorum aliorum placitis contradicit. Quam opinionem Picus patruus in octaua apologiæ suæ quæstione olim refutauit. Inter vtramq; igitur opinionem positi, definiunt liberum esse homini, hoc videlicet pacto credat ánne, propterea quod alijs omnibus ad hoc adhibitis, vt actus ille credendi producatur, adhuc in facultate hominis, inquiunt, est credere velit nécne, nullaq; ratione adstringi potest. Quæ sententia cùm aliàs per se vera tùm maximè conformis dogmati D. Thomæ, Aquinatis decernentis credendi actum liberũ esse, sed nihilominus ad eum producendũ cõcurrere, & internam inspirationem Dei, & externam persuasionem: Idipsum quoque, & alij boni nominis autores affirmauêre, quanquàm nonnihil differunt inter se: Nam alij cẽsent ad gignendam fidem concurrere oportere rationis euidentiam: Alij internæ inspirationi magis tribuerunt, quam quidem non solùm illius fidei causam dicunt, quæ per dilectionem operatur, sed eius etiam quæ charitatis est expers, quam Theologi vocant informem, vt apertè Thomas testatur, & ante eum Guilielmus episcopus Parisiensis, alijq; permulti, & post eum etiam plurimi Theologorum.

Animaduertendum autem duplicem haberi fidem, alterã quam ipsi nobis acquirimus,

mus,aut doctorum hominum autoritate permoti, aut proprijs rationibus à nobismetipsis persuasi, quæ acquisita nominatur: alteram verò quæ dono Dei conceditur hominibus,& infusa appellatur,de hac autem Apostolum mētionem habere persuasissimum est,cùm decernit Deo placere quenquam non posse, qui fide non polleat: infantes verò baptizati Deo non placerent, quibus acquisita fides non est, & qui in cunis decedunt, ad beatitudinem non peruenirent,cùm nec aliorum rationibus persuaderi,nec per se ratiocinari vllo pacto possint. Vt autem infusam hanc fidem acceptemus,quæ bifariam diuiditur in eam,videlicet,quæ charitati iuncta est, & illam quę seiungitur ab ea prorsus & separatur, nostri est arbitrij: quapropter & alia opinio redarguitur,qua quidem freti asseruêre ipsum(vt sic loquar)credere, si pro assensu Deo capiamus,quo hæremus ijs,de quorum veritate nobis non constat,nisi aliorum testimonio,quemadmodum Augustinus in commentarijs super Ioannem scribit,quid est fides,nisi credere quod non vides, nostræ facultatis omnino non esse. At illud nostri prorsus arbitrij & facultatis esse,si rebus à Deo reuelatis,firmatisq;, per miracula non solùm assentimur,sed etsi enixè statuimus,sequi ea omnino adusq; mortem indesinēter velle,& vt semel dicatur,fidem eam duntaxat,quæ per dilectionē operatur, in nostra facultate sitam esse. Enimuerò scire illud oportet,quòd tametsi ad roborandam fidem multæ in medium rationes adducantur, non ob id tamen sequitur, vt aut perperam,aut absq; merito credamus,quod autumare quispiam posset vulgata illa Gregorij autoritate motus. Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum, quam quidem posteriores Theologi multipliciter declarauêre. Alij enim, vt Albertus cognomento Magnus, in tractatu de Eucharistia, de sufficienti & pleno experimento intelligendum docet.Bonauentura in primo Commentariorum in sententias, id verum consentit, si rationi per sese duntaxat quispiam assentiatur,eas tamē quę pro fide adducuntur rationes,confundere dicit aduersarios,delectare perfectos, fouere infirmos:nec secus Deum probabilibus argumentis infirmorum fidei opitulari,ac eorum charitati beneficijs temporalibus opem ferat, quæ res à Guilermo Altisiodorensi aut omninò,aut maxima ex parte tractæ videntur:Apud eum enim in exordijs Theologicæ suæ summæ eadem ferè scribuntur. Diuus Thomas in secundo summæ volumine sic exponit,atq; ita intelligēdum definit: si ratio videlicet illa & experimentum fidem præcedat, hoc est, dum quis ad fidem nisi efficacibus rationibus id suadentibus non pertrahitur, quòd si eam sequantur,vt, scilicet, adiumenta atque suffragia homo quæritet, vt id ipsum quod iam credidit,roboret,atq; confirmet, non modò meritum minui,sed augeri definit. Sed & diuus Hieronymus, vt alibi notauimus,scribit optare se,vt Lactantius Firmianus, tàm nostra probasset,quàm aliena destruxerat.Fides autem ipsa cùm stabilis perseuerat & inconcussa manet, seruiunt ei, & ancillantur humanæ rationes,non dominantur. *Est autem* (vt inquit Apostolus) *fides ipsa substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium*: vnde ex re Altisiodorensis scripsisse videtur, dictum olim fuisse à quopiam, argumentum apud Aristotelē dici illud quod dubiæ rei adstruat fidem, apud Christum verò argumentū fidem esse, ex qua ratio producatur: In comprobando quippe, & asserendo, principij vicem, & vim sibi meritò iureque fides ipsa præscribit: neque enim propter rationes credimus, sed propterea rationes inuenimus, quia iam credidimus; prius enim credendum est, Esaia docente, mox intelligendum, & ex lumine ipso fidei, collustratur mens ad alia clariùs atq; synceriùs percipienda.Possunt igitur rationes quæri ad fidei assertionem, nec dubitauit Richardus de sancto Victore in lib.de Trinitate ad fidei explanationem non solùm probabilia,sed necessaria argumenta non deesse, quod à vero non longè abesse crediderim,si de ijs demonstrationibus intellexit, quæ sapientibus solùm mētem firmant:sicut enim Seuerinus Boëthius quasdā esse propositiones decernit, quibus tàm rudes, quàm eruditi notis terminis statim assentiuntur: quasdam verò quæ sapientibus tantùm cognitæ sunt,verbi causa,incorporalia non esse in loco, & quemadmodum Auerrois in commentarijs secundi Physicorum, idem penè de inductionibus affirmat.


Ita ego duo genera demonstrationum arbitror esse. Alterum quod omne quasi ligat iudiciū,& in tres diuiditur species: In demonstrationes, quia est, & propter quid, & quæ ex his cōflatę simpliciter demōstrationes appellātur,mathematicis disciplinis

accom-

accommodatæ, in quibus idem nobis & naturæ notum est, quarum Aristoteles in posterioribus analyticis meminit & Auerrois plura multis in locis commẽtationum suarum in Aristotelis philosophiam: Alterum verò quibus sapiẽtes duntaxat & intellectu perspicaces firmissimè, & extra omnem aleam consentiunt. Sunt enim nonnulli præclaro adeò intellectus lumine donati, vt penè sine difficultate veritatem exquisitissimè perspiciant ad quam alij non pertingant, aut nisi cum labore. Statim enim ij percipiunt, si ea, de qua quæritur, res sit quid consequatur, tum & si non sit quid pariter eueniat, quid item rem illam, vel sit vel non sit, sequatur, vt ad se ipsa, vt ad alia refertur, quid ad alia quoque, vt se vt illam respiciant. Quòd si de ipsa demonstratione habeatur mentio, eius medium virtute non actu demonstratam, conclusionem ingredientem, quàm totius cernunt vniri in eo & contineri propositionum vim momento ferè contemplantur, dependere à prima propositione, etiam tacita atque suppressa prolatæ mediæ veritatem, ex eaq́; conclusionem fluere, prædicatum subiecto contineri in eiusq́ue natura includi sine discursu anxio cognoscunt, ex quibus per se veris propositionibus quæsita veritas reperiatur, potiùs quàm inueniatur. Sed & de eis ipsis, quia est, demonstrationibus si habeatur sermo, & ad illa ipsa quæ fidei sunt, aptentur, puto aberit parùm quin hostes ipsi fateantur eas nostrę fidei veritatib. magna ex parte suffragari: At inquies, si demonstratio habetur de eis, ergo fides non est? dices vtique aliquid, si de primo genere loqueris, deq́; proprijs & pręcipuis demonstrationibus habebis sermonem, at fortè nec tu ibis inficias, quin creditis quibusdam atque suppositis, aliud quippiam firmissima connexione deducas, supposuimus autem in probatione principij aliqua fuisse etiam ab omnibus credita, aut quæ negari rationabiliter nequeũt, ex quibus veritatem fidei comprobauimus: Dices iterum eos qui illa ipsa, quæ supposita sunt, & credita viderunt, fidem non habuisse: Respondeo aliud eos videre potuisse, aliud credidisse, quòd si de illis etiam ipsis fidem non habuisse, vt de alijs quæ aut anteà, aut in futurum apud nos contigerunt habere eos potuisse fidem, cùm futura aliqua crederent, quæ posterior ætas aut vidit, aut videt, & quantum ad hoc attinet, vt quisque eorum credat, par in vtrisque conditio, sed de his satis ad præsens. Ad delectationem, item & solamen eorum qui credunt rationes queri commodissimè, & possunt & debent, cùm nihil libentiùs, vt inquit Bernhardus, intelligamus, quàm quod iam fide credidimus, demùm ad fouendam, roborandamq́ue infirmorum & debilium fidem, rationes ipsæ & vtiliter & salubriter perquiruntur.

THEOREMA III.

EOS OMNES QVI DONATAE FIDEI HABITV NON CArent quibuscunque oblatis fidei propositionibus aut assentiri aut pertinaciter non repugnare.



SI enim, vt probauimus, fides Christi Dei est donum, necessarium hominib. ad salutem consequendam, sequens fuerit, vt qui eius habitu non carent ad credenda illa òmnia quæ fidei sunt apti atq; habiles reddantur: diximus habitum ad differentiam actus & obiecti. Nam fides pro actu ipso fidei interdum sumitur, actu inquam interiore credendi, aliquando pro actu exteriori protestante fidem, vt etiam exponit Scotus in quarta dist. prima q. 6. pro habitu item acquisito sæpenumerò accipi manifestum est, quandoque etiam pro obiecto fidei, & hoc quidem multipliciter: Nam & pro aggregatione multorum, quæ credi debeant, iuxta illud Hieronymi ad Damasum, hæc est fides Catholica, & apud Athanasium in Symbolo, fides autem Catholica hæc est. Quandoque pro re ipsa particulari per propositionem significata: aliquando etiam pro ipsa credendi ratione: verbi causa pro autoritate diuina, quæ, vt docet Herueus 15. q. quol. secundi, considerari potest, vel vt obiectum cognitum, vel vt medium cognoscendi, & hoc item dupliciter, vel vt per se notum ipsum ab eo dici, qui mentiri non possit, ex quo propriè generari scientiam docet: vel vt non per se notum, & id, aut propterea quòd per se non cognoscatur, id ab eo dici qui nequeat falsum dicere, aut quia non per se notum est, autoritatem ab eo proferri, aut quia neutrum eorum deduci ex per se notis potest, ex quibus nullo modo scientia, sed ineuidens credulitas suboritur: aliquando item alias fides

appellata ob varias vocabuli eius considerationes, vt apud Græcos & Latinos Theologos videre licet. De habitu igitur iure nos mentionem fecimus, qui diuinitùs datur, vnde multiplex in nos emolumentum deriuatur: etenim quod docet Thomas per eum faciles promptique ad Catholicas veritates credendas reddimur, atque ad oppositos errores hæresesq; refutandas circumspecti. Verùm Scotus in tertia distinctione 23. dari, inquit, infusam fidem, vt anima perficiatur actu primo, vt item actus secundus perfectior euadat: perfectiorem enim haberi gradum actus secundi ex infusa fide, quàm ex acquisita solum, demùm vt assensus fiat, quem non solùm, & omni ex parte à voluntate dicit pendere, propterea quòd multi intentiùs vellent credere quàm credant, & ad hoc firmandum Apostolorum petitionem citat, affertq; precem Ecclesiæ de fidei augmento: Adducit postea rationes propositum probantes, propter assensum non dari fidem infusam, tùm quia non minus fit assensus per fidem acquisitam, tum quia securitas, &, vt ille inquit, indeceptibilitas non ex parte habitus, aut assensus prouenit, sed ex obiecto secundùm quod ipsum presentatur, verè aut falsè, quas rationes ipse alijs soluendas relinquit, ponitque sub dubio, ita vt quoad tertium istud emolumētum pertinet, neuter appareat, idē in 4. dist. &c. 4. sub dubitare de eodem videtur, & de eisdem in quolibeto q. 14. Nihilominus negari ego minimè posse arbitror, quin aliqua detur assensio ex habitu, cùm ex eo & facilitas & delectatio suboriatur, vt Aristoteles 2. Ethic. libro declarat: Cur enim in infusis negabitur, si in acquisitis conceditur. Cùm tamen opera gratiæ, operibus naturæ præstent & efficaciora sint, & cum ipso habitu fidei non modò assentiri firmiter, sed mori etiam martyres voluerunt, quòd si dixerit quispiam hæreticos etiam aliquando in sua obstinatione perire, id certè acquisito habitui, & obstinationi tribuendum, cùm infusum nō habeant, & pauci id quidem martyrum comparatione: Innumerabiles enim martyres fuêre, inter quos & puerorum & puellarum myriades, quibus acquisitus habitus idipsum vt facerent non persuasit, & sanè habitus, vt inquit Auerrois 3. de Anima, est quo quis vti potest cùm voluerit: sed nec prima ratio quicquam officit: namque assensus qui ex acquisito prouenit habitu, infirmus est, & cum formidine, qui autem ex infuso, firmus atque securus, Deo iuuante, cuius est opus: sed nec secunda item obstat, quandoquidem non tam est ex obiecto certitudo, quàm ex assensu inclināte, scilicet Spiritu sancto, & magnam certitudinis lucem suggerente, quam præsentati obiecti veritas conspicitur, alioquin ex acquisito habitu minimè conspicienda, & coniunctio item quædam cum ipso obiecto ex ipsa cognitione propemodum experimētali dependet peculiariter.

Diximus quibuscunq; propositionibus oblatis quæ fidei sunt, vt sub his terminis, tàm eas quæ reuelatæ sunt, quàm illas quæ in ipsis inclusæ sæpenumerò ex eis deducuntur comprehenderemus. Multa enim quæ explicari manifestariq; oportet in Sacris literis, occuluntur, multa item sunt per Apostolos tradita, quæ in canone Bibliorum non concluduntur. Eadem tamen vtraque vim obtinent, & sub Catholicis veritatibus continentur. Catholica autem veritas ita describitur. Propositio per diuinam reuelationem habita mediatè vel immediatè, explicitè in propria verborum forma, vel implicitè in bona & certa consequentia: Dicitur in descriptione per diuinam reuelationem, vt alij modi veritatis perspiciendæ secludantur. Nam quanquam omnis veritas à Spiritu sancto est, vt Ambrosius, vt Augustinus, vt alij scribunt, nihilominus veritas supernaturali semper lumine non patefit, mediatè etiam vel immediatè reuelantur diuinitùs veritates: Christus enim per se ipsum multas, multas etiam per Angelos, per Prophetas antiquos & nouos, per Apostolos, per Doctores patefecit. Dicta autem est in propria verborum forma explicitè, aut in certa & bona consequentia, vt nouerimus multas à nobis propositiones credi oportere, tametsi in canone diuini eloquij perscriptæ non sunt, quæ tamen ex eis euidentissimè sequuntur: Solent autem catholicarum veritatum species multæ numerari. Quælibet enim propositio in Bibliorum canone contenta, hoc est, in Nouo & Veteri testamento catholica veritas est, & sublimem locum obtinet, ea item quæ ex ipsius diuinæ Scripturæ verbis necessaria & certa connexione dependet, catholica veritas est, quæque ab Apostolis reuelata atque recepta est à credentibus hæreditaria successione. Item quæ in vniuersalibus concilijs stabilita, atque Ecclesiæ vniuersalis consensu recepta. Item quæ ab Apo-

ab Apostolica sede eisdem conditionibus emanauit: nam ibi declaratur quæ de sacris pendeat eloquijs, & quæ aduersetur illis, ea quoque quam pro hæreticorum confutatione doctores per concilia & vniuersalem Ecclesiam probati definierunt. Cæterùm & quæ particulari alicui personę ostensa diuinitùs est, quanquàm hęc neminem, nisi eum, cui patefit, obligat & obstringit priusquàm ab Ecclesia probetur. Postremò quæ ex qualibet istarum septem euidenti, & certa consequentia deducitur, sed de his in progressu. Habitu igitur illo, de quo locuti sumus, in catholicas veritates omnes inclinamur, & quanquam aliqui intentiùs, remissiùs alij, nihilominus nulla vnquàm formido stante habitu, facit vt repugnetur siue dissentiatur: quapropter in Theoremate diximus, aut assentiri, aut non repugnare: quod intelligendum volumus de ijs quæ propriè spectant ad fidem, vt infrà copiosiùs edocebimus, cùm mõstrauerimus inter Catholicos ductores fuisse dissensiones, sed nos in eis quæ sunt de substantia fidei: nam cùm fidei lumen forma quædam supernaturalis sit, & quælibet tàm naturalis quàm supernaturalis forma propriam inclinationem habeat, sequitur, vt qui habitu fidei pollet in ea quæ de substantia fidei sunt, tendat: Sicut enim ignis per formam suam quæ leuitatem ei tribuit, fertur in sublime: terra autem per suam, qua & grauitatem obtinet, tendit ad centrum: ita supernaturalis illa forma fidei, propensionem homini tribuit, vt veritatibus ijs quæ eodem lumine reuelatæ sunt assentiatur: Cùm fidei lumen eiusdem sit speciei in omnibus, & qui reuelârunt, & qui reuelatis assentiuntur.

Sed quoniam de lumine facta mentio est, animaduertendum est, quatuor haberi spiritualium luminum genera inuicem quasi subordinata: Primum naturale est veluti basis & fundamentum aliorum, quorum omnes rationis capaces participes sunt, de quo lumine in Psalm. dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Secundum fidei lumen est, quo ijs quæ reuelata nobis sunt ab Apostolis, scilicet, & Prophetis, cæterisque qui diuinos libros scripsêre assentimur. Tertium prophetiæ, quo videlicet Prophetæ ipsi præuident futura. Quartum gloriæ, quo Deo ipsi supremo lumini, &, vt inquit Iacobus Apostolus, luminum Patri qui omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, felicissimè coniungimur: de quo item in Psalmo legimus: *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Mitto vulgatam illam de hoc lumine inter Thomam & aduersarios quæstionem: Sat enim nobis sententiam hanc, & præclarorum Theologorum opinione firmatam, & Sacris literis omninò conformem. Sunt & aliæ veritates quæ sapientes fidem, aliæ quę ad fidem impertinentes nuncupantur: Item quæ sapere hæresim, quæ temerariæ, quæ scandalorum effectiuæ, eorum enim vocabulis vti libet, dicuntur: de quibus alijs in Theorematis loquemur: sed in præsentia sat sit, vel has commemorasse, quas Catholicas vocauêre, vtpote à Catholica ecclesia, quæ mater est fidei susceptas, de cuius iudicio & autoritate deinceps dicendum, vt clarè liqueat quibúsnam propositionibus assentiendum necessariò nobis sit, si felices esse cupimus, quibusque in nostra sit facultate positum, assentiri velimus nécne.

THEOREMA IIII.

QVICQVID SANCTA CHRISTI ECCLESIA CATHOLICA necessariò credendum, & obseruandum, aut expresso iudicio, aut tacito decreuit, credi oportere.



SI enim credendum est eis quæ sunt reuelata diuinitùs, vti declarauimus, nec vnicuiq; fiant reuelationes, neq; etiam vniuscuiusque sit passim iudicare quid ex eis quæ fidei sunt, & iam reuelata consequatur, consentaneũ est aliquam esse in terris potestatem, cui sit hoc decernendi munus demandatum. Etenim multa in dubium reuocari possent, vtrum continerentur in ijs quæ fidei sunt, sequerentur ne ex eis, an magis aduersarẽtur. Quapropter regulam tradi nobis aliquam & normã oportuit, qua huiuscemodi negotia metimur & veritas, exploso mendacio, clarescerct. Norma autem hæc & regula iudicium est ipsius Ecclesiæ, *quam sibi in fide & iustitia*, vt ex Propheta Osea habebitur, *Christus desponsauit*, cùm eaque vsq; ad finem seculi in Euangelio se mansurum spopondit: huic

quoque vt fidem haberemus, Apostoli nobis in symbolo reliquerunt, vbi scriptum est: *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam.* In symbolo autem edito Niceæ, cuius sanctiones tanquam Euangelia recipere se Magnus Gregorius aiebat: Additum dicitur hoc verbum Catholicam, & deinceps Apostolicam, de quibus infrà tractabimus. Præterea si Nouo testamento, vt suprà tetigimus, & infrà latiùs explicabimus, prorsus assentiendum est, sequens videtur vt iudicium Ecclesiæ in omnibus sanctissimum habeatur, quod Euangelium ipsum probauit, & Christianis legendum & obseruandum tradidit. Scribit enim Augustinus contra epistolam fundamenti, Euangelio se non credidisse, nisi priùs Ecclesiæ fidem habuisset, de illa Ecclesia habens sermonem quæ ipsa Euangelia recepit probauitque, & ab apocryphis & falsis segregauit. Nam quòd Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, suscipere, eisque indubiam habere fidem debeamus, non autem illis quæ nomine Thadei, Andreæ, Barnabæ, & Nicodemi circumferebantur, ex eius autoritate Ecclesiæ sumptum est, quæ quatuor illa suscipienda decreuit, & fidelibus publicanda. Hæc autem primaria illa Ecclesia est Apostolorum, scilicet, & discipulorum Christi, eorumque omnium qui fidem ipsam Christianam suis laboribus & sanguine confirmârunt, nunc in cœlo felices & Deo coniuncti, quam nobis Apostoli credendum tradidêre: neque enim tùm alia militabat in terris, pauca numero, sed amplissima viribus, vtpote in qua spiritus primitiæ repositæ fuerant: Ab hac sequens Ecclesia originem traxit eorumque dogmatis insistit, quæ adusque seculi consummationem perduratura est, in qua eadem fides, eademque ad protegendum Euãgelium perseuerat autoritas. Quo autem tempore exordium habuerit Ecclesia inter Theologos, apertè non conuenit, sed si diuersa supposita, & diuersa consideremus tempora, ad concordiam facilè reuocari omnes poterunt. Ab angelis enim sumpsisse eam exordium dici poterit, si Angelorum tantùm cõsortium animaduerterimus, neq; hoc profectò sine autore. Augustinus enim hoc sensit, tàm in Commentarijs Psal. quàm in libris de Ciuitate Dei, consentitque Bernhardus super Canticis: si autem Angelorum bonorumq; hominum consortia intueamur, ab iusto Abel ortam Ecclesiam dicemus, quod & Augustinus voluit in expositione Psalmi, & in libris de Ciuitate Dei. At si Noui testamenti decursum aduertamus, ab Apostolis Ecclesia deriuata est. Hoc Nicolaus Lyra super Psalm. 86. Hoc & ipse Apostolus innuit 2. ad Thessalonicenses, cap. 2. epistola scribens: *Elegit nos Deus primitias*, quem locum Ordinaria glossa exponens ait: vt essemus primitiæ omnium credentium in salutem. Hæc igitur ipsius Ecclesiæ præclarissima initia sunt, quæ nec finem vnquàm adusque mundi huius terminum habitura est, autore Christo in Euangelijs, & Paulo confirmante ad Ephesios, & in prima item ad Corinthios epistola, quod & Noui Testamẽti enarratores sequuntur, & multi Theologorum probant, præsertim Petrus Alliacensis in quæstione Vesperiarum, quibus ego addiderim, videri per illa Christi verba ad Apostolos: *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi*, mansuram non modò Ecclesiam & perseueraturam, vt aliqui aiunt in ea fidem, sed & spem etiam & charitatem: si enim ibi Christus, ibi etiam via, veritas & vita, ibi eius gratia, ibi omne quod ad felicitatem consequendam facit: sed & illud non omiserim, quod cùm semper verum futurum sit, vt hæc verba verè proferantur sanctam Ecclesiam Catholicam, videtur sequi futuram semper fidelium aliquam collectionem, quæ & sancta erit: sancta autem quomodo esse potest, nisi & spe etiam & charitate, non solùm fide polleret, tametsi & fide ipsa vocarentur sancti Apostoli & Apostolici viri inter Ecclesiæ primordia.

Dicta autem catholica est multas ob causas: nam quia toto Orbe diffusa est, ideò catholica, hoc est, vniuersalis appellata est, diuersorum autem hęreticorum Ecclesiæ, vt scribit Augustinus in tractatu de symbolo, ideò catholicæ non dicuntur, quia per suas quasq; prouincias continentur: Nostra autem hæc à Solis ortu vsq; ad occasum vnius fidei splendore diffunditur: Catholica item ob id vocata est Ecclesia, quia ex omni tribu, lingua, populo, & natione, vt in Apocalypsi legitur: *Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, lingua & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.* Et Petrus Apostolus inquit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni Gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Quantum item ad hominũ cõditiones attinet, catholica nominata est, iuxta illud Apostoli ad Coloss. 3: *Vbi*

non

non est masculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia in omnibus Christus ob vniuersalem quoq; veritatem in ea contentam, catholicę nomen obtinuit. Qua de re Seuerinus Boëthius in principio libri de Trinitate inquit, articulos fidei vniuersales esse, non habentes instantiam cùm fidei non possit subesse falsum, sed ob vniuersalem doctrinam, cuius magistra est: per eam etenim de visibilibus & inuisibilibus edocemur, de cœlestibus & æternis terrenisque, deq; omnibus quæ ad instructionem hominum, salutemq; totius humani generis & necessaria & vtilia sunt, quemadmodum Augustinus ad Volusianum scribit, & in libris de Ciuitate Dei disputat, & Anselmus probat. Demùm propter vniuersalia præcepta, quæ tempus omne ambiunt, gentesq; vniuersas complectuntur: etenim synagogæ præcepta, & vni tantùm populo tradita sunt, & ad præfinitū tempus spectant, siquidem omnia in figura (vt docet Apostolus) illis contigerunt, & Christo sole iustitiæ exorto, legis nubila discussa sunt. Hæc & huiuscemodi causæ assignantur, cur Catholicam sanctam Ecclesiam dixerint Episcopi illi sanctissimi in Niceno concilio, vbi pestifera Arrij dogmata condemnârunt.

Additum deinde est hoc nomen, *Apostolicam*, quemadmodum Magnus Albertus scribit, vt aduersus eos, qui peregrina & noua dogmata in Ecclesia introducunt, autoritatem & antiquitatem eius ostenderent, sed & his etiā rationibus ducitur, tùm quia Christus Apostolos elegit, quos quasi fundamenta instituit Ecclesiæ, vt Augustinus ait. Tùm quia per Apostolos Christiana fides per Orbē prædicata est: quanquam eadem res (vt sicuti idem Augustinus primo Retractationum libro docet) quæ nunc Christiana religio nuncupatur, fuit apud antiquos: neque defuit ab initio generis humani, quousq; Christus veniret in carnem, vnde vera religio quæ iam erat, tunc cepit appellari Christiana, prædicātibus Apostolis apud vrbem Syriæ Antiochiam. Scribit & Leo Pontifex in tertio die de Domini natiuitate sermone, quod prædicauerunt Apostoli, hoc annunciauerunt Prophetæ, & gratia Dei qua semper est vniuersitas viuificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non concepta. Scribit & sanctissimus ille Episcopus & martyr Ignatius ad Philadelphienses: Vnus enim Deus Veteris & Noui testamenti, vnus & mediator Dei & hominum ad facturam intelligibilium & sensibilium, prouidentiam gerens omnium: vnus quoq; paracletus, qui operabatur in Mose, & Prophetis, & Apostolis: omnes enim sancti in Christo saluati sunt, in ipsum sperantes, atque expectantes, & per ipsum salutem adepti sunt, qui erāt digni dilectione, & digni laude sanctificati à Christo Iesu, testificantes in Euangelio spei communi. Cęterùm quanquam scribit Apostolus ad Ephesios, *ædificatos eos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quod fundamentum est Christus*, vt idem ad Corinthios scribens asserit: Nihilominus Concilio placuit, Apostolicam eam nominasse, tùm quòd ex interpretatione huius nominis Apostolus, quo nihil aliud significatur, quàm missus, is etiam qui mitteret intelligeretur, atque, vt inquit Augustinus, vtrumque simul daretur intelligi & Apostolos, scilicet & Christum, qui etiam à Paulo est Apostolus nuncupatus. Scribens enim ad Hebræos: *Considerate*, inquit, *fratres Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum*: tùm etiam quia Apostolos explicuisse magis Christianam fidem constat, quàm Prophetas, clariusq; eam per terræ orbem diffudisse, vnde tempus illud plenitudinis appellatum. Illud quoque Ioannis Euangelistæ afferunt in Apocalypsi scriptum: *Muros ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis 12. nomina duodecim Apostolorum & Agni*. Huius igitur Ecclesiæ iudicio non audire flagitium maximum est, nec secus quàm Deum spernere: illi enim Ecclesiæ quæ Christum in carne sequebatur, & vitæ verbum ex eius ore sumebat, ab eodem Christo dictum est: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit*, vt refert Lucas decimo cap. sui Euangelij. Ex hac autem vniuersa postea militans defluxit Ecclesia, quæ ipsius fidem & sacra dogmata suscepit, adusque finem seculi perduratura. Qua de re non potest ei quilibet verè Christianus non audire.

Huius autem iudicium, aut expressum, aut tacitum diximus, quia fieri non posse à multis creditur, vt ij omnes in quib. est fides, ad ferendā de ea sententiam congregentur, sed nec ꝓpriè nisi ad Prælatos Ecclesiæ pertinet iudiciaria & obligatoria (vt sic dixerim) potestas: ad seniores etiā Scribas & Pharisęos de necessaria legis interpretatione He-

ne Hebræorum populus referebat. Sed & Christus Apostolis Euangelium docēdum prædicandumque commisit, vnde & apud Apostolorum successores eadem residet autoritas, vt quid sequatur, quídve aduersetur fidei, ex ipsis Sacris literis dijudicent, & quanquam omnium sit, qui doctrina pollent ac fide, & legere Sacras literas, & addiscere, & inde sensa, quæ ad augendam, confirmandamque fidem faciant promere, sua tamen inde eruta sensa aliorum sensibus non præiudicant, cùm in eos vtpote qui subiecti non sint, ferre sententiam nequeant: si ergo Ecclesiæ præsules, cùm legitimè cōgregati fuerint, pro tota Ecclesia ferunt sententiam, & ipsa videlicet eiusmodi decretis apertè suffragante hoc expressum iudicium appellatur. Tacitum verò id potest nominari cum sanctionibus aliquibus, quæ videlicet, aut ad fidei robur, aut ad sanctos attinent mores, non fit contradictio ab Ecclesiæ corpore: nam si ab vniuersitate fidelium reclamaretur, tunc infringi & demoliri viderentur. Hoc autem quomodo aut fiat, aut fieri possit, inter autores non conuenit, quamobrem de huiuscemodi iudiciorum firmitate, nonnihil disserere consentaneum est, illud autem inprimis vel discendum, vel ad memoriam reuocandum, iudicij vel consensus taciti nomen, etiam ab autoribus Gentium vsurpari solere: nam tacitum etiam consensum Plinius in septimo naturalis historiæ libro appellat: Consensus, inquit, Gentium tacitus primus conspirauit, vt Ionum literis vterentur, & iterum secundus consensus in tonsoribus fuit, & iterum tertius apud eum Gentium consensus legitur: quæ ideò non dicimus, vt ex autorib. eiusmodi Gentilibus nostris reb. maior accedat autoritas, sed vt nouerimus, non modò res ab eis verè narratas, & egregijs disputationibus collectas Sacris literis ancillari, verùm & locutionū modos sæpenumerò Theologorum seruire sententijs, nec tàm remotam esse vt quispiam ineruditus forsan arbitrabitur, si expressi, si taciti iudicij mentionem fecerimus, de huiusmodi iudiciorum igitur vt promisimus, firmitate nonnihil disseramus.

Theologorum multi etiam iuris interpretum plerique voluêre Concilium ipsum, si vnà cum Pontifice Maximo in eis controuersijs, quæ aut ad essentiam fidei, aut ad necessarios benè Christianeq; viuendum mores pertinēt, sententiam ferat, nullo pacto errare posse, qui validissimis dubio procul & rationibus, & autoritatib. nixi sunt, quas ferè colligit Ioannes de Turre cremata in tertio eius voluminis libro, cui summa Ecclesiæ titulum fecit, visum & alijs Pontificem summum in his ipsis causis aberrare non posse. Tum rationes eius sententiæ, quam Lucas scribit Christum dixisse: *Ego pro te rogaui, Petre, ne deficiat fides tua*, tùm ob id quòd fides Christi in Ecclesia Romana stabilis perseuerauit, in qua nulla hæresis, vt Ruffinus ait in expositione symboli, sumpsit exordium. Addo ego nec incrementum, quam quidem Romanam Ecclesiam sicuti hæresis vitio ad hoc vsque æui destructa non est, ita nec in posterum demoliendam adstruunt, multis ad hoc autoritatibus suffragantibus quæ in pontificiorum decretorum libro reperiuntur, atque etiam operibus ipsis sanctorum doctorum atque Pontificum fauentibus. Restiterunt alij affirmantes errare posse Concilia & iam errasse, vt Ariminense illud tàm celebriter damnatum, Ephesinum quoque secundum: Item Constantinopolitanum illud de ponendis imaginibus, sed & Aquisgranense, cuius sententiæ de matrimonio raptæ, Hieronymi determinatio præponitur, propterea si hæc aberrauerunt, alia quoque errare posse dicunt. Qua de re fatentur nonnulli Concilia ea, siue vniuersales Synodos, in quibus autoritas Pontificis summi non præsidet errare posse, non autem ea quibus interuenit, instant illi ex aduerso Ephesinum secundum legitimè fuisse congregatum, præsidentibus etiam legatis Pontificis, nihilominus in euersionem fidei agitatum, & in eius correctionem à Leone Pontifice, Chalcedonensem synodum institutam. Rursus quia dari remedia videntur, dum Concilia discrepant, cui videlicet standum, adhærendumque magis innuitur, aiunt & apertè, etiam significatur aberrare vniuersalia Concilia posse: Imò an priori posteriorive magis innitendum, Augustinus ab Hilario, Leone, Isidoro dissentire videtur. Sed cùm sibi inuicem contradicunt Concilia, alterum aberrare oportere, cùm altera contradictionis pars vera necessariò sit, altera falsa. Quod autem Pontifex ipse errare in iudicando possit, asseuerantissimè à plerisque pronunciatur: aiunt enim notissimum esse Pontificem summum hæreticum fieri posse, & deponi à sede. Addunt alij statim eum esse depositum, vbi

vbi hæreticus est, subduntque Liberium Pontificem Arrianæ prauitati subscripsisse, Marcellinum idolis sacrificasse, Anastasium perniciosè aberrasse. Nihil autem obstiterit, inquiunt, vt hæreticus quispiam factus, sententiam suam defendere non possit, & asserere, & credendam tradere eò præsertim, quòd hæresis vitium voluntatis obstinationem includat: Adde quòd si quis ob metum vti Marcellinus idolis sacra fecit, alius quoque, vel ob metum, vel aliam ob causam poterit aduersus Catholicum dogma sententiam ferre, sed quandoque accidisse, vt qui præses Ecclesiæ creditus est, iure non præsideat, aut præsidere omninò non possit: olim enim prodit memoria fœminam Pontificem creditam: & nostro seculo memini hominem quendam doctum & moribus probatum, sua etiam in religione honores consecutum, qui consuleret, quanquam non omninò publicè eum qui Pontifex credebatur, Pontificem non esse, ob id quòd priusquam à duabus Cardinalium partibus eligeretur Pontificis officiũ exercuerat, cautum autem Ecclesiæ legibus est huiusmodi hominem tantum abesse, vt Pontifex sit, vt etiam ad Pontificatum ineptus & impotens habeatur, vt qui irrogato, scilicet, anathemati subiaceat: sed & alium meminimus Pōtificem creditum & ordinatum, quem tamen prȩstantes viri putarent, nec Pontificem eum esse, nec esse posse, vtpote qui nullum Deum credens, omnem infidelitatis culmẽ excederet, pessimaque eius opera in coëmendo Pontificatu, in omnigenis scelerib. exercendis id ipsum testabantur, sed & pessima quoque dicta confirmabant: namq; fassum eum affirmabatur domesticis quibusdam nullum se Deum aliquando etiam dum pontificiam sedem teneret credidisse: & Alium audiui Pontificem summum qui viuẽs familiari cuidam apparuerat, apud se animarum immortalitatem minimè creditam: Mortuus verò eidem per vigiliam apparuit diuino iudicio manifestans se quam mortalem crediderat animam, immortalem tum maximo cum damno & perpetuis cum ignibus experiri. Si hæc ita sunt, inquiẽt, & errare in fide Pontifex, & errores potest quo vero decernere? sed quanquam tales etiam essent, nec prauum dogma diffunderent, nec publicè notum esset, vt Pontifices habendos puto, & si priuatim sciretur, existimo publicam venerationem subtrahi non debere, quoad dũ certiores fierent Ecclesiæ primores prælati, & seculi principes primarij, qui de subrogando capite (cùm hæreticus est) solliciti esse debent: sed hoc non omnium est dignoscere, nec temerè decernendum, alioquin schismatibus latissima porta aperiretur. Autoritatem verò illam Euangelij multipliciter interpretantur, de fide primum intelligi eam debere aiunt, quam Petrus confessus est, inquiens: *Tu es Christus filius Dei viui*, de vltima quoque ipsius Petri fide, qui quanquam negaturus Christum fuerat, ad eum tamen rediturus erat, & in eius gratia stabiliendus. Et quamuis de perseuerantia fidei in Ecclesia Romana intelligi posse non negent, propiorem nihilominus hunc Euangelij sensum credunt, cùm ob alia, tùm ob id quod à plerisque negatur ex Scripturis diuinis colligi, fidem Christi necessariò in Ecclesia Romana vt particularis Ecclesia est, ab vniuersali distincta vsq; ad finem seculi perpetuandam, & qui hoc afferunt, sententias quoq; illas quæ in Decretorum libro ad hoc ipsum confirmandum ponuntur, nihil adstruere putãt: Inter quos Petrus Alliacensis, & Car. Cameracensis in quȩstione Vesperiarum hoc sensit: Abbas quoque Panormitanus primæ ferè autoritatis inter professores Pontificij iuris, super titulo de sententia excommunicationis, in capitulo eo, cuius initium est à nobis: secundo loco posito asseuerat vniuersalem duntaxat Ecclesiam in fide & eius articulis errare non posse, & ad hunc sensum cap. illud, cuius initium à recta in lib. decretorum positum, 24. quæst. 1. interpretandum docet. Idem quoq; Nicolaus Lyra videtur asserere dum Ecclesiam in aliquib. non consistere docuit dignitatis vel officij ratione. Ex quib. omnibus liquet varias de firmitate iudicij Conciliorum & Pontificis sententias à doctorib. ferri, nec adhuc aliquid (quod sciam) promulgatum est, cuius vi ad alterutrum credendum obstringamur.

Quod vel hoc argumẽto manifestè satis apparere potest, quod Ioan. de Turre cremata inter postremos eorum, qui de huiuscemodi rebus scripserunt, nullã de huiusmodi decreto, mentionẽ faciat, quod nequaquàm tacuisset ecclesiasticæ pontificiæque dignitatis & diligentissimus vestigator, & magnus assertor: Quin etiam in secũdo libro eius voluminis, quam Ecclesiæ summam nuncupant, post ea obiectamenta adducta quæ videbantur ei infringere omnia ea, quæ de Pontificis inerrabili iudicio protu-

protulerat, fatetur illis sine præiudicio sententiæ melioris respondere velle, qui dicẽdi modus indicat nullam in oppositam partem sanctionem promulgatam esse: vtcũque sit cùm de arduis huiusmodi quæstionibus habetur mentio, quæ hinc oppugnãtur, hinc defenduntur à pluribus atq; eisdem primoribus, vel Legum ciuilium, ecclesiasticarúmve interpretibus, vel Theologis, ad Ecclesiæ vniuersalis iudicium mentis acies dirigenda est, quæ si vtramq; tolleret opinionem, & pro vtraq; parte scribentes doctores non redarguit, aut damnat sine præiudicio, quis eam sequi poterit, quæ sibi veritati propior videbitur, qua de re suo loco in sequentium Theorematum explanatione disseremus. Idem autor in tertio libro eiusdem voluminis, dum loquitur de diuersitate sententiarum inter Concilia, & disputat antiquioríne an magis recentiori acquiescendum, qua de re infrà tractabimus, scribit se credere Concilium legitimè congregatum errare non posse, nihilominus si contingeret, vt aberraret, quid postea agendum sit, edocet: ex quo etiam colligitur assertionem hanc, Concilium legitimè congregatum in causis fidei falsum iudicare non posse, apud eundem autorẽ veritatem indubiam non continere. Nullus autem Christianus addubitauit vnquam Iudicium vniuersalis Ecclesiæ errare posse, & in ferenda sententia si contingeret, & in acceptanda ea quæ à Pontifice ecclesiæ capite, & vniuersali Concilio eam repræsentante proferretur, quæ quidem cùm recipitur, non secus suscipienda est, ac si eam tota Ecclesia vnica voce sanxisset. Hoc autem innotescit cum huiuscemodi Concilij, vel Pontificis decretis ab Ecclesia publicè non resistitur, & ab eis præsertim, qui doctiores sanctioresque habentur, imò consentitur: Leges enim (vt Augustinus ait) instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem cum moribus vtentium approbantur. Innotescit quoq; ex doctoribus communi ferè consensu probatis qui & doctrina & fide celebres habiti sunt, hoc est, si eorum dogmatis, vel consona, vel aduersa sunt quæ decernuntur, de quibus in sequentibus sumus locuturi. Diximus postremò in Theoremate necessariò credendum & obseruandum, quia non quicquid recipit Ecclesia, & legit, id propterea verum ab omnibus necessariò credi debet, nec quicquid docet obseruandum, id propterea obseruari necessariò compellimur, (vt infrà docebimus) Namque in alijs præterquàm in ijs, quæ pertinent ad substantiam fidei, & mores ad Christianam viuendam vitam necessarios errare eam posse creditum est: Cùm autem dicimus ad fidem & mores, nihil aliud est dictum, quàm ad substantiam fidei simpliciter & absolutè: nam & mores necessarij ad fidem pertinent, de quibus præcepta, & in lege, & in Euangelio habentur: diximus nos tamen bifariam & fidem & mores, vt & intellectum & voluntatem, practicamq; & speculatiuam cognitionem notaremus, pro fide partem sumentes eam, quæ ad credenda tantùm spectat, non autem operanda: pro moribus verò quæ ad practicam & operationem pertinent, quæ tamen sub necessaria fide continentur: in alijs inquam præterquam in ijs quę ad hanc fidei substantiam pertinent, falli ea potest & fallere, quod & Thomas cùm alibi tùm in quolibetis vbi de canonicatione sanctorum pertractat, & Panormitanus Abbas eo in loco, quem paulò antè commemorauimus, adstruunt, decretalium quoque epistolarum textus ipse confirmat, falli Ecclesiam posse quandoque & fallere. Scribitur enim atque huius rei exemplum sæpè contingit videre falsis eam indicijs & testibus motam nequissimis (quæ tamen vera autumet) hominem cogere posse, vxore quam desponsauit relicta, cum alia fœmina tanquàm legitima coniuge habitare, sed nec illa ipsa iudicijs suis omnibus aut assentiri, aut parere nos cogit. Quæ autem sub hoc numero comprehendantur, & quæ in nostra facultate, quasi reponantur, sequentia Theoremata indicabunt.

THEO-

THEOREMA V.

VETVS ET NOVVM TESTAMENTVM DIVINARVM LITERArum, credendum, singulisq; sensus eorum literalis sententijs incunctanter adhærendum esse.



SI quemadmodum probauimus Ecclesiæ iudicijs, decretisve credendum est necessariò: sequens est vt Veteri, Nouoq; testamento singulisq; eorum sententijs adhæreamus, quę omnia Ecclesia ipsa vniuersa recepit, probauitque & credenda nobis obseruandaque mandauit: in ea etenim diuina nobis insinuatur voluntas, eiusq; ope de his omnibus, quæ ad consequendam salutem, vel necessaria, vel vtilia nobis sunt, instruimur, sed ad sectandas virtutes, fugiendaque vitia non erudimur modò ipsa lectione, sed etiam flammamur, atque in diuinum amorem, nisi obstinata voluntate obstiterimus, transformamur: Verùm etsi ostenderimus vtrumque Testamentum Deum habere autorem, fuerit dubio procul manifestum, ea vti diuinas leges, & consulta à nobis & credenda esse, & obseruanda: hinc autem non difficulter probatur, aut enim creatura bona, aut mala eius inuentrix fuit, aut ipse Deus naturæ autor. At sanè seu malus homo, seu dæmon iniquus malorum omnium caput prodere id nunquàm posset, quo mala omnia prohiberentur, quæ mirum in modum patrari affectat, & quo suaderentur bona & promitterentur, quibus totis ipse viribus aduersatur. Quippe cùm in Sacris literis nil aliud tradatur, quàm sectandas esse virtutes, fugienda vitia, pœnas improbis paratas, probis præmia: homo autem benè institutæ mentis nequaquàm id sibi arrogaret, quod Dei solius est proprium, alioquin non iam bonus, sed pessimus iudicaretur, quandoquidem mendacium omne damnabile probant Sacræ literæ, quantò magis in re tam seria tantiq; discriminis mentiri, & æternam felicitatem promittere, comminari sempiternas pœnas, & cætera id genus, quæ supra hominem sunt: hæc enim ad Deum ipsum duntaxat omnium conditorem spectant: Sed & in ipsis Sacris literis prænunciata fuerunt nonnulla de futuris, ad quæ non attingit ratio multisque annorum millibus, ea posteà euenerunt: Nec tàm ad Hebræos, quàm ad exteras quoque nationes, Chaldæos, Assyrios, Persas, Babylonios, Romanos pertinentia, quod equidem neque casui, fortunæ've propter admirandum eorum ordinem, neque humanæ sagacitati ob multifariam rerum ipsarum varietatem miramque locorum & temporum intercapedinem potest adscribi. Adde quòd ipsæ literæ purgant singulari prærogatiua, illuminant & perficiunt cultores suos, quod nulli unquàm dogmati concessum est, solæque dæmonum, & idolorum cultum subuerterunt, & expulsis erroribus veritatem mundo disseminârunt, & quantò magis oppugnatæ, tantò magis propugnatæ fuerunt, doctissimis etiam Gentium philosophis pro tutandis eis mortem subeuntibus. Quibus rationibus colligere possumus, ipsum Deum autorem & esse, & haberi debere vtriusque Testamenti, & qui ea promulgârunt scripseruntque diuino spiritu actos fuisse.

Vetus autem & Nouum testamentum appello libros illos, qui ab ecclesia Catholica in canone Bibliorum recepti sunt, tametsi Vetus testamentum propriè illud vocetur, quod datum est in monte Sinai, vt Augustinus ait in libro Retractationũ, nixus verbis Apostoli, sed iuxta Ecclesiæ consuetudinem Testamentũ vetus illud vocamus, quod à Prophetis & sanctis viris ante aduentum Christi in carnem editum est, & ab Hebræis summa semper religione seruatum, de cuius libris Iosephus in libro contra Appionem scribit, omnibus Gentis suæ hominibus insitam hanc, & quodãmodò ingenitam esse fidem, credere Dei ea esse consulta, & his iugiter inhærere ac pro ipsis si ita poposcerit res, libenter & animam ponere, tantoque sęculo iam præterito, neque addicere illis quicquam nec auferre, nec transformare quempiam vnquam præsumpsisse: Idem ferè de antiquitate Iudaica scribens edisserit, & Philo in lib. cui de hypotheticis titulum fecit: mirum sibi videri ait, duobus annorum millibus, & eò amplius nec verbum vnum immutatum fuisse, centiesq; vnumquemq; Iudæorũ mori malle, quàm Mosaicæ legi derogare: In enumerandis autem libris huius Testamenti quod ita appellauimus ex cõsuetudine Ecclesiæ distinguẽtes ipsum à nouo, de quo sumus acturi, varij varia prodiderũt: suntq; apud nos in autoritate libri multi eius voluminis, qui

qui nihilominus ab Hebræis non recipiuntur. Athanasius Magnus in epistola trigesima nona ad monachos de Canonicis libris ad hunc modum scripsit, & ita nullo ornatu, sed simplici sermone, & rudi quasi verbum verbo redditum est, nec aliter in re tàm graui & tanti præiudicij interpretari voluimus. Sunt igitur Veteris testamenti libri numero omnes 22. tot enim (vt audiui) & elementa Hebræorum esse traditum est, ordine autem & nomine vnusquisque sic habet: Primus Genesis, item Exodus, item Leuiticus, & post hunc Numeri, & reliquum Deuteronomium, post hæc Iesum Naue, & Iudices, post hunc Ruth, & rursus deinceps Regum quatuor libri, & horum quidem primus & secundus in vnum librum numerantur, tertius autem & quartus, similiter in vnum. Post hæc autem Paralipomenon, primus & secundus similiter in vnum librum, post hæc autem liber Psalmorum, deinceps Prouerbia, deinde Ecclesiastes, & Cantica canticorum, ad hæc etiam est Iob, & quod reliquum est, Prophetæ duodecim quidem in vnum librum numerati, deinde Esaias, Hieremias, & cum ipso Baruch, Lamentationes, Epistola, & cum ijs Ezechiel, & Daniel, & hæc quidem Veteris testamenti. Noui rursus Euangelia quatuor, secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Ioannem. Deinde post hæc Actus Apostolorum, & Epistolæ Catholicæ vocatæ Apostolorum septem ita, Iacobi quidem vna, Petri verò duæ, deinde Ioan. tres, & post istas Iudæ vna: ad hæc Pauli Apostoli sunt, Epistolæ quatuordecim ordine ita scriptæ ad Romanos, ad Corinthios duæ, & post has ad Galatas, deinceps ad Ephesios, deinde ad Philippenses, & ad Colossenses, & post has ad Thessalonicenses duæ, & ad Hebræos, & statim ad Timotheum duæ, ad Titum, & vltima quæ ad Philemonem: & rursus Ioannis Apocalypsis: Hæc quidem sunt fontes Saluatoris. Verùm etiam ex maiori diligentia addo etiam hoc scribens necessariò, quòd sunt & alij libri extra hos non canonizati quidem, firmati autem à patribus, leguntur autem accedentibus ad fidem, & volentibus cathetizari sermone pietatis: Sapientia Solomonis, & Sapientia Sirach, & Hester, & Iudith, & Thobias, & doctrina vocata Apostolorum, & Pastor: Et tamen dilectissimi & illorum canonicatorum & horum lectorum, nusquam Apocryphorum memoria, sed hæreticorum sunt, inuentio scribentium quidem, quando volunt istos, largientium autem & addētium istis tempus vt tanquàm antiquos offerentes, occasionem habeant cum his decipere integros viros.

Ioannes Damascenus quoque ait in libro Sententiarum: Sciendum autem quòd viginti duo libri sunt Veteris testamenti secundùm elementa Hebraicæ vocis: viginti duo enim elementa habent ex quibus quinque duplantur vt fiant ipsa 27. duplex enim est Caph, & Mem, & Nun, & Pe, & Zade. Ideoque libri secundùm hunc modum 22. quidem numerantur: 27. autem inueniuntur, quia quinque ex ipsis duplantur, copulantur enim Ruth, Iudicibus & numerantur apud Hebræos liber vnus: primus & secundus Regnorum, vnus liber, tertius & quartus Regnorum vnus liber, primus Paralipomenon & secundus vnus liber, primus & secundus Esdræ liber vnus. Ita igitur componuntur libri, in Pentateuchis quaternitatibus, & manent alij duo, vt endiatheci, id est, dispositi libri sint: ita quinque legales Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerus, Deuteronomium: hæc prima est pentateuchos, quæ & legislatio: deinde alia pentateuchos, quæ vocantur graphia, id est, scriptura, à quibusdam autem ista hagiographa, id est, sacra Scriptura, quæ sunt ista: Iesus qui Naue, Iudices cum Ruth, Regnorum primus cum secundo liber vnus, tertius cum quarto liber vnus, & duo Paralipomenon liber vnus, hæc secunda Pentateuchos: tertia Pentateuchos versificales, libri Iob, Psalterium, Prouerbia Solomonis, Ecclesiastes eiusdem, Cantica canticorum eiusdem: quarta pentateuchos est propheticus, qui 12. prophetarum liber vnus, Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel, &c. deinde Esdræ duo in vnum copulati librum, & Hester: panaretos autem hæc est Sapientia Solomonis, & Sapientia quam pater quidem Sirach composuit Hebraicè, Græcè autem interpretatus est, qui huius quidem nepos Iesu, Sirach autem filius virtuosi quidem & boni, sed non numerantur, nec iacebant in arca: Noui autem testamenti Euangelia quatuor quod secundùm Matthæum, quod secundùm Marcum, quod secundùm Ioannem, quod secundùm Lucam. Actus sanctorum Apostolorum, per Lucam Euangelistam, Catholicæ Epistolæ 7. Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna, Pauli Apostoli 14.

Apocalypsis Ioannis Euangelistæ, & canones sanctorum Apostolorum per Clementem. Hæc illi ferè ad verbum, neque enim sensum tantùm, sed & verba reddere voluimus, & qui Græcè nesciunt, à nobis nil aliud quantum ad hoc attinet exigant, Damasceni verba exscripsimus, Athanasij interpretati sumus. Nazianzenus de huiuscemodi libris multa carmine iambico, & item Amphilochius scripsêre.

Sed ferè consonat Hieronymus, cui maxima habetur fides in Ecclesia, in ijs præsertim quæ ad sacrarum literarum translationem spectant, eius enim traductione vtitur Ecclesia Romana potissimùm, præter Psalmos à 70. interpretibus versos, is inquam Hieronymus in prologo Galeato inter canonicos libros Veteris testamenti hosce duntaxat enumerat: In primo ordine quinque Mosis libros ponit, Genesin, Exodum, Leuiticum, Numerum, Deuteronomium, quos propriè à Iudæis Thorat, id est, legem dicit appellari: in secũdo Prophetas collocari ab eisdem dicit, Iosuæ videlicet librum, Iudicum, Ruth, quanquàm Ruth liber & Cynoth, hoc est, Hieremiæ threni inter hagiographa à nonnullis scriptitentur. Quatuor item libros Regum, Samuel & Malachim prænotatos, Esaiam quoque, Hieremiam & Ezechielem, & duodecim Prophetarum librum: In tertio constituit hagiographa, librum videlicet Iob, Psalmorum, Solomonis prouerbia, Ecclesiastem, Cantica canticorum: Danielem, item & duos libros Paralipomenon, duos Esdræ, & Hester librum. Hi sunt quos pro canonicis haberi ab Hebræis commemorat, quanquàm à nostris aliter numerentur. Subditq; ipse Hieronymus prologum illum Scripturarum, vbi hæc narrat quasi galeatum principium libris omnibus, quos de Hebræo vertit in Latinum, conuenire posse, vt noscere queamus, quicquid extra commemoratos libros est, inter apochrypha esse ponendum, dein subiungit: Igitur Sapientia quæ vulgò Solomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber, & Iudith, & Tobias, & Pastor non sunt in canone, & Machabęorum quoque primum librum Hebraicum se reperisse: Secundùm Græcum esse meminit quod ex ipsa phrasi probari potest. Libros verò Noui testamenti Hieronymus ipse in epistola ad Paulinum hosce commemorat, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, Euangelia: Pauli Apostoli Epistolas quatuordecim (tametsi eam, quæ ad Hebræos scribitur, poni extra numerum à plerisq; dicat) Actus item Apostolorum quos Lucas conscripsit, Ioannis, Thadei, Iacobi, Petri, Epistolas, & Ioannis Euangelistæ Apocalypsim.

Augustinus autem 2. libro de doctrina Christiana horum omnium mentionem facit præterquam libri Pastoris & apocryphorum Esder & Baruch: distinguit tamen eos alio ordine, quàm Hieronymus, aitque sequendum vsum Catholicarum ecclesiarum, inter quas esse illas docet, quæ Apostolicas sedes & Epistolas habere meruerunt, subditq; modum qui seruandus esset in fide præstanda, voluminibus eiusmodi cùm non singulæ ecclesiæ singula reciperent, quod factum puto, ob ea volumina quę inter Apocrypha à Hieronymo numerantur. Ruffinus verò Aquileiensis in expositione symboli diuinas Scripturas numerans cum Hieronymo concordat, circa ordinem tamen euariat: Libros autem illos Thobiæ, Iudith, Machabæorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Pastoris: quanquàm in canone non reponit, Ecclesiasticos tamen dicit nuncupatos, eosdemq; iuxta maiorum autoritatem in Ecclesijs deberi legi, non tamen proferri ad autoritatem fidei confirmandam. Nicolaus quoque Lyra in præfatione in librum Thobiæ dicit, neque eum, neque Iudith, neque Machabæorum, neque Sapientiæ, neque Ecclesiastici, neque Baruch, neque vltimos Esdræ in canone haberi: recipi tamen in Ecclesia legiq; ad mores informandos: quanquam eorum autoritas ad probanda ea quę in contentionem veniunt, minus idonea reputetur: Nixus, vt puto, Hieronymi autoritatibus, pluribus in locis commentationum suarum de huiuscemodi disserentis, atque etiam in procœmio libri Iudith, & in Epistola ad Cromatium & Heliodorum, quæ parabolis Salomonis præponi assolet, in quibus idem ferè de Thobiæ libro, Iudith, Machabæorum, Ecclesiaste, & Sapientia refert, quamuis in prologo libri Iudith eum dicat à synodo Nicena in numero Sacrarum literarum computatum ferri. Idemque archiepiscopus Florentinus scribit, licet autem 3. Ecclesiasticæ historiæ libro nonnulla de huiuscemodi rebus Eusebius tradat. Robertus item Holchot, & recentiores non parùm multa scripserint: atque primus omnium Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica hierarchia canonicos libros generatim tradiderit, firmiter tamen hærendum credo sententiæ Hieronymi, cuius autoritas me mouit,

 ne mul-

ne multò altius, quàm à suo tempore de librorum horum ordine disputarem, cùm & illis floruerit temporibus, quę doctis hominibus abundabant, & multa ex gestis veterum Theologorum legerit, quę nunc periêre, peritissimus quoque fuerit & Gręcę & Hebraicę literaturę, & demùm eius testimonium ab ecclesia pro sanctissimo habeatur.

Cęterùm scire conuenit, Antiqui testamenti volumina per Nouum probari. Dicit enim Christus vltimo capite Lucę: *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi & Prophetis & Psalmis de me.* Rursum quoque in Euangelio scribitur: *Donec transeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Et paulò pòst subditur: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Tota quoque Apostolica doctrina, quæ & scriptis & voce promulgata est, Noui testamenti autoritate firmata roborataque est, dum Christus ad Apostolos loquens ait: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Hanc Noui Veterisque testamenti autoritatem Christiani doctores omnes vna voce prædicârunt, vna voce extulerunt, præsertim Augustinus in principio libri primi de Trinitate, & libro de Vnico baptismo, & in Epistola ad Hieronymum, ipse quoque Hieronymus multifariam, sed & omnes denique tàm Latini doctores, quàm Græci. Literalis autem sensus in Theoremate mentionem habuimus, quia ex eo efficax ad res fidei probandas argumentum sumitur: is autem est quem diuinæ Scripturæ primarius autor Deus per voces intelligi voluit, cuique innituntur alij tres sensus diuinorum eloquiorum proprij, qui per res ipsas significantur, diximus sententijs singulis, cùm quælibet veritas sententiaque supposito fidei lumine euidentissimum sit principium, ex quo conclusiones elici deducique possunt. Qua de re prudentissimus Theologus Ioannes Gerson dici posse ait, tot esse fidei articulos, quot in Sacris literis veritates continentur, tametsi (vt inquit) fieri possit restrictio in loquendo ad eos qui in Apostolorum symbolo conclusi, Trinitatis, incarnationisq; mysteria recta (vt ita dixerim) linea concernunt. Hæ quoque conclusiones maximè propriè de fide dicuntur, quæ ex Veteri scilicet, Nouóve testamento trahuntur, vel quæ ex ijs quæ tractæ iam sunt, certa connexione dependent.

THEOREMA VI.

QVICQVID APOSTOLORVM RELATV VTI NEcessariò credendum obseruandumq; ecclesia suscepit, credi & obseruari necesse esse.

SI enim Nouo testamento credendum necessariò est, in quo principem locum Euangelia obtinent, sententijs quoque Apostolorum credere necessarium erit, qui Euangelia probauerunt, & quibus dictum est: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* & alibi: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure audistis, prædicate super tecta:* ij autem quàm aliqua scripsêre, non tamen omnia, pleraque autem literarum monumentis minimè relata, verbo tradita sunt, qui mos in mysterijs plurimùm non solùm apud veri Dei cultores, sed & apud Gentes, Indos, scilicet, Aethiopas, aliasque nationes seruatus est, nec solùm in mysterijs, sed & in communi vita & legibus idipsum à Lacedemonijs obseruabatur. Rursus cùm fides nostra hoc veluti fundo hæreat, quòd quicquid à Deo reuelatum est, verum sit: Nanque, vt sapienter Thomas docet, reuelationibus ijs, quæ factæ Apostolis & Prophetis sunt, quos constat canonicos libros scripsisse, nostra fides innititur, sequens est, vt si alia eiusmodi non scripserint, sed reuelârint, pari pacto eis inhærere nos oporteat. *Fides enim* (vt ait Apostolus) *ex auditu, auditus autem per verbum Christi:* Multa autem Christus ipse effecit, quæ mandata literis non sunt, quemadmodum ex Matthæi Apostoli Euangelio colligitur, & ipse Ioannes in fine Euangelij sui manifestè profitetur. Sed & Paulus apud Lucam in actibus Apostolorum sic loquitur: *Meminisse nos oportet verbum Domini nostri Iesu Christi, qui dixit: Beatius est dare quàm accipere,* quod tamen nullus Euangelistarum retulit: Vnde Hieronymus scribit hoc in Euangelio non legi, neque omnia in eo scri-

eo scripta esse, sed forsan Paulum hoc ab Apostolis audiuisse, vel à Spiritu sancto percepisse, cuius opinionis & Nicolaus Lyra commeminit, eandemque repetit. Scribit & Augustinus libro 3. de Baptismo paruulorum illa quæ non scripta seruat vniuersalis ecclesia ab Apostolis accepta esse, docente Christo, sicut Paulus de corporis & sanguinis Dominici communione in prima ad Corinthios Epistola scribit: *Quod accepi à Domino, tradidi vobis: cætera autẽ cùm venero, disponam.* Idem Augustinus quod & in Decretis distinctione vndecima relatum est, scribit ecclesiasticarum institutionum, quasdam in scriptis, quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam verò consuetudine roboratas approbauit vsus, quibus par ritus & vtriusque pietatis debetur affectus, atque huiusce rei exempla ibi multa congerit: idem in libro de Christiana fide, vti eadem Decretorum distinctione videre datur: Catholicam, inquit, ecclesiam per orbem terrarum diffusam tribus modis existere, autoritate Scripturarum vniuersali traditione, & propria particularique instructione: totam autem ecclesiam duobus illis prioribus modis constringi, hoc autem tertio priuatam tantummodò & particularem quamlibet ecclesiam gubernari.

Quapropter etiam aduertendum, quòd consuetudines Romanæ Ecclesiæ prout distincta est, contra vniuersalem Ecclesiam non obstringunt vniuersos: nam hæc propriè vt talis, scilicet Ecclesiæ consuetudo, vniuersalis traditio non est, vnde & Hieronymus ad Euagrium, vbi dixerat orbem vrbe maiorem esse, de Romana quadam consuetudine loquens ait: Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem, videmus etiam nostra ætate Ecclesiastica officia iuxta Romanam consuetudinem, quibus clerici quotidie vtuntur, diuersa esse ab illis, quæ apud Mediolanensem Ecclesiam sunt, diuersa à monachis, diuersa à prædicatoribus diui Dominici, diuersa à Carmelitis, à Carthusiensibus: quinimò alijs prouincijs alia sunt, vt nuper cùm essem in Germaniam, audissemque in Augustæ Vindelicorum templo seruari diuini officij ordinem alium, ab illius Ecclesiæ canonicis, diuersumque omnino ab eo, quo Romana vtitur curia, admirans percunctatus sum ab Ecclesiæ Decano, qui fortè proximus erat quid sibi vellent, quòd ab alijs clericis dissentirent, aliumque omnino ordinem & in Psalmis & in antiphonis, & reliquis cærimonijs seruarent: respondit, ita esse in vsu Germanis, totque ferè diuini esse officij diuersitates quot diocœses: quinimò aduertendum multa quæ in Decretis numerantur Apocrypha, & ita apud Hieronymum habentur, nihilominus in officijs diuinis legi: multa item quæ apud aliquos vera non creduntur, exemplum sit de conceptione Virginis, quam cùm originali peccato conceptam, & olim doctores multi & quidem sanctitatis titulo insignes tenuêre, & nunc à prædicatorum ordine passim tenetur sanctificatamque in vtero, & ab originali mundatam prædicatur, quam tum ab omni etiam originali labe semper immunem & Romanæ curiæ officium canit, id præsertim quod recens confectum est, & à Minorum ordine defenditur prædicaturque, & per Xystum quartum eius nominis Pontificem decretum est, posse quamlibet harum aduersantium opinionum sine peccato, hæresisque vitio credi. Sæpè item nouæ & sequentiæ & orationes componuntur, quare non omne quod legitur in Ecclesia, eandem fidei vim possidet, vt etiam hoc in libro alibi fusiùs probatum, quinimò canitur, quandoque quidpiam & publicè oratur, cuius oppositum petendum à Theologis suadetur, exemplo hoc pateat: oratur pro Pontificis vitæ prorogatione in Ecclesia, præsertim in die passionis Dominicæ indistinctè, & nihilominus si malus & incorrigibilis & Ecclesiæ hostis Thomas docet, vt eius mors precibus à Deo postuletur. Sed iam ad propositum redeundum est.

Alexander Pontifex eius nominis tertius in Decretali epistola quæ sub titulo de celebratione Missarum reposita est: Sanè, inquit, multa tàm de verbis, quàm de factis Dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ etiam Apostoli vel supleuisse verbo, vel facto exposuisse leguntur: hæc ille ad verbum: Quapropter hæc omnia vtpote à Christo eiusque discipulis manantia credenda nobis, & obseruanda sunt: Sanctus enim spiritus quo Christi ecclesia regitur, omne id quod ei ad consequendam felicitatem vel necessarium vel conducibile esse voluit, modò scriptis, modo verbo, modò occulto quodam afflatu edocet: videmus enim multa (vt diximus) quæ

tanquàm necessaria seruantur, cùm tamen verbo tantùm, non autem sacræ Scripturæ literis explicata sint. Alia quoque est reperire quæ nec Sacris literis, nec Apostolorum vocibus insinuata nobis sunt, sed Ecclesiæ duntaxat autoritate sancita, quam Spiritus sanctus afflauerit, nec secus videtur in Ecclesia agi, quæ corpus est mysticum, ac in naturali corpore agitur, in quo quanquam principalium membrorum, maximeque necessariorum habeatur cognitio, multa tamen sunt necessaria membra, necessarijque meatus, quæ nihilominus latent: quorumque aut medicinæ scientia, aut dissectionis ars notitiam sibi nullam vendicârunt: nec secus item diuinis huiusmodi in rebus ac etiam in humanis agitur, in quibus sæpenumerò parem, id quod scriptum non est, cum scripto iure obtinet firmitatem, vt non solùm apud Decreta Pontificia & apud Decretales epistolas de consuetudine, sed etiam apud Legum ciuilium libros. ff. de iustitia & iure, & alibi etiam cognosci potest, præsertim libro primo institutionum titulo de Iure naturali, vbi inter alia multa ita ad verbum scribitur, Ex non scripto ius venit quod vsus comprobauit: nam diuturni mores consensu vtentium comprobati legem imitantur: & non ineleganter in duas species Ius ciuile distributum esse videtur: Nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum Athenarum, scilicet & Lacedæmoniorum fluxisse videtur, in his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, vt Lacedæmonij quidem magis ea quæ pro legibus obseruarent, memoriæ mandarent: Athenienses verò ea quæ in legibus scripta comprehendissent, custodirent, & eodem libro, titulo de legitima patronorum tutela hæc habentur: Quæ & ipsa legitima tutela vocatur, non quia nominatim in ea lege de hac tutela caueatur, sed quia perinde accepta est, per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. Item libro tertio titulo de Acquisitione per arrogationem ita scribitur: neque lege 12.tabularum, neque prætoris edicto, sed eo iure, quod consensu receptum est, introducta est.

THEOREMA VII.

VERITATES OMNES QVAE EX ILLIS, QVAS IN SVperioribus Theorematis memorauimus, certa & nota consequentia deducuntur in lumine fidei vel euidenti lumine naturæ necessariò credendas, & obseruandas esse.



Concesso enim id quod antecedit, & hoc quod sequitur, vt dialectici probant, si nota consecutio concedendum est, qua de re quicquid de his quæ propriè & absolutè diuinitùs reuelata sunt, creditur, id ipsum de eis quæ ex illis certa & nota connexione dependent credendum est: quamuis enim in propria verborum forma in reuelationibus illis veritates huiusmodi non continentur, nihilominus eis virtute & potestate insunt. Diximus non tantùm in lumine fidei, sed etiam euidenti lumine naturæ, quoniam consequentia hæc lumine naturæ, ne dum fidei euidentissima est, nec aliquis vnquàm philosophus negaret, Christus, scilicet, verus homo est, ergo Christus habet cor, sanguinem, cerebrum, neruos & venas; de veritate enim naturæ humanæ est, vt eiusmodi res habeat, ob hãc causam Ioannes Gerson fuisse aliquando ait, vt sine temeritate vel fidei discrimine quæstiones fidei ad Paganos philosophos perferrentur, vt acutæ, scilicet, mentis homines & in disciplinis versati noscerent dijudicarentq;, supposita tamen (quanquàm ab eis non credita) fide Christi, quid euidenti & necessaria consecutione sequeretur aduersaretúrve: quemadmodum olim Niceæ factum memoria prodidit, dum ibi generalis synodus haberetur. Nostris autem temporibus, fauente Deo optimo maximo, tanta pollent philosophia Christiani homines, vt amplius opus non sit pro veritatibus discutiendis Ethnicos & infideles conuenire, & quia in Theoremate hoc nomen veritates posuimus, non sic accipiendum volumus, vt negemus verum aliquando non esse credendum, etiamsi ex Sacris literis euidenti connexione non sequeretur: verum enim omne à Deo est veritate suprema: sed de propositionibus catholicis illis intelligimus si quando ambigitur necessarióne an probabiliter tantùm sequan

sequantur: Nam si probabili duntaxat connexione deducerentur, assentiri eis Christianorum obligaretur nemo, nisi qui eas sequi necessariò crederet, verùm id erroneę conscientiæ sic arbitranti, non autem propositioni ipsi adscribendum esset.

THEOREMA VIII.

DE TERMINATIONIBVS QVAE A CONCILIO VEL Pontifice summo fiant super eis dubitationibus, quæ substantiam fidei concernunt quoad dum vniuersalis ecclesia non reclamaret, necessariò credendum esse.



Fieri enim facilè posset, vt de propositione aliqua ambigeretur, probabilitérne an magis necessariò ex sacris eloquijs sequeretur id ipsum quoque de Apostolorum reuelationibus, quas diximus, posset contingere: Quapropter cùm difficultates huiusmodi & controuersiæ altercationesq; suborirentur, quibus turbaretur Ecclesia, cōsulendus esset Pōtifex maximus, vel ad Concilium generale, si tùm eius adesset copia, transmeandum, & tales esse illas fidei causas, inquit, Ioannes Gerson, quæ ad summum Pontificem vel sacrum Concilium referendæ sunt, si super eis Decretum aliquod, quod credendum obligentur omnes fieri debeat, tùm enim contra sentire non licet, sed tanquàm diuinæ leges suscipiendæ sunt, tametsi in propria verborum forma canonicis diuinorum eloquiorum libris non scribantur, sic & de ciuilibus rebus apud Imperatores olim factitatum est, vt perinde acceptæ aliquæ per interpretationem sint, ac si verbis ipsarum legum introductæ essent, vt est videre in Institutionibus de legitima patronorum tutela quod & suprà tetigimus: prolatæ autē olim sanctiones huiusmodi in controuersijs fidei plurimę sunt, vt ex Conciliorum actis & Pontificum decretis facile est videre, easq; summatim colligere sategit Ioannes de Turre cremata in libro quem Summa Ecclesiæ nuncupauit, dum hæreses & errores omnes in eis condemnatos congessit, exorsus est à prima Nicena synodo, & adusque concilium Constantiense peruenit, in quo Ecclesia diuturno illo schismate vexata sub Martino eius nominis quinto Pōtifice quieuit. Decernunt autem Pontifices Conciliaque quandoque per sese, cùm aliquid videlicet aut nouum, aut quod nouum videtur dogma, moliuntur, quandoque etiam doctorum virorum autoritate, cùm particularia, scilicet, aliqua eorum dicta confirmant autorantque. Scribitur enim in determinatione quinti Concilij, quod & Thomas Aquinas refert in 4. libro aduersus Gentes, sequimur per omnia sanctos patres & doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nicenum, Ambrosium, Theophilum, Augustinum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum, & suscipimus omnia quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Animaduertendum autem non temerè, sed consultissimè particulam illam, de recta fide & condemnatione hæreticorum, appositam: neque enim quęcunq; dixerunt, probata adeò sunt vt contra sentire non liceat, & ad hanc sententiam Ioannes de Turre cremata scribens inquit, cùm ecclesia doctorum aliquorum opuscula probat, non ob id intelligendum est, omnia in eis contenta probari, sed eam duntaxat quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt: in constitutionibus etiam sextæ synodi; nonnullorum doctorum opuscula probata sunt, quod etiam in Decretis legitur distinctione 15. Animaduertendum autem non omnia verba & particulas, quæ in Pontificijs Epistolis & constitutionibus ponuntur, eandem vim obtinere; pleraq; enim vice procemij quandoq, funguntur, nonnulla disputantur interdum, aliqua sæpenumerò narrantur, quædam item probabiliter afferuntur, sed ad illud propriè respiciendum est, quod decernitur, quod sancitur, quod propriè vel mandatur, vel prohibetur.

Cæterùm illud maximo argumento est, cùm doctorum opuscula probantur non omnia eorum dicta probari, quia multorum probantur libri, qui tamen in alterutrum scripsêre, contrariaque & pugnantia chartis mandauêre. Augustinus enim de opere sex dierum Geneseos scribens, ab alijs doctoribus eisdemque sanctis discordat, idem

à Hieronymo de autore Psalmorum, de reprehensione Petri à Paulo, de cessatione legalium dissentit: Gregorius à Dionysio de ordinibus angelorum euariat: Item Hieronymus cum Augustino non sentit, de sanctis in fine mundi morituris, & de prædicatione Euangelij in omnem terram. Eidem Hieronymo, Augustinus, Ambrosius, cæterique de promotione bigami aduersantur: Aliæque huiuscemodi multæ inter ipsos controuersiæ reperiuntur, quarum multas in prima Apologiæ suæ quæstione Picus patruus commemorat, sed cùm eorum dogmata circa rectam fidem & hæreticorum condemnationem vel à Concilio, vel à Pontifice probantur, sequenda & obseruanda sunt: repræsentat enim Concilium legitimè congregatum vniuersalem Ecclesiam. Pontifex autem Ecclesiæ caput est Petri successor, Christiq; vicarius, cui si ad pontificatum habilis canoniceq; electus fuerit, necessariò Christiani omnes subesse debent, quemadmodum per multos canones ab Ecclesia vniuersali receptos ostenditur, & Thomas probat contra errores Græcorum, atque à Bonifacio eius nominis 8. Pontifice exprimitur, & à Martino 5. eiusdem nominis Pontifice in Epistola Decretali de Concilio Constantiensi confirmatur. Quòd si quis fortè obijciat, non videri sibi sanctos illos priscos Pontificem veneratos ita fuisse, vt primas illi in vniuersa Ecclesia palàm, publiceq; concesserint, sed neque eum pro ambiguis controuersisque fidei rebus sciscitatum semper miserint, imò & in faciem restiterint, atque in scribendis Epistolis non secus eos ac alium quempiam Episcoporum honorare visi sint. Respondendum censeo priscæ illius Ecclesiæ simplicitatem fuisse in causa, vt eiusmodi dignitatis fastigium omni ambitione dimissa, omni admissa humilitate spectaretur. Tum & illud addi fortasse posset, temporaria illa bona quæ nunc Ecclesiastici homines possident, occasionem dedisse, vt & aliqui Pontifices se nimis extulerint, & veluti Deos honorari suspicique voluerint, & subiecti illis Episcopi nonnulli & sacerdotes ob auaritiam, & ambitionem in ea ipsa opinione continuis eos adulationibus confirmârint. Sed huc appellere animum eos oportet, Christum videlicet Ecclesiæ caput esse, nec à Christianis hoc negari posse, nihilominus tanta ob eius humilitatem familiaritate secum iungebantur discipuli vti & simul discumberent & in gremio etiam recumberent, Petrum item, quanquàm oues ei suas Christus pascendas commisit, nihilominus à Paulo reprehensum esse, quia reprehensibilis erat, idque patienter eum, & Christianè tulisse, sed & illud etiam subdendum, quòd occupata tùm maioribus in rebus Ecclesia, non erat otium de summi Pontificis primatu curiosè perquirere disputareque, quousque eius se potestas extenderet, quídve posset in subditos, quid non posset, contra Gentes enim, contra hæreticos quæ grauior expeditio prælium tunc erat, nec sciscitatum celebriter adeò Pontificem in fidei controuersijs propter bella & persecutiones mittebatur: sed conuentus agebantur quibus absq; Pontifice in causis fidei quãdoque quid sanctum, quid prophanum esset decernebatur, expulsis autem idolis, profligatis hæreticis ad eiusmodi soluẽdas difficultates Theologi, & Iuris interpretes mentem appulerunt.

Enimuerò & ipsam Pontificis autoritatem sanctissimi probatissimique viri, Franciscus, Dominicus, alij dictis factisque confirmârunt, & se suosque sectatores eius obedientiæ humilimè subdiderunt, idque faciendum multis sanctorum virorum fœminarumque reuelationibus confirmatum est: sed nec defuit Pontifici autoritas priscis seculis apud omnes Ecclesias, quanquàm non ita celebris & prædicata. Legimus enim placuisse Nicenæ synodo, vt eius acta ad Syluestrum Romæ vrbis Episcopum mitterentur, quæ vti Euangelia se recepisse fatetur Gregorius: Legimus item sanctam synodum Leonem Pontificem, sanctam & vniuersalem appellasse, nouimus quoque eius extimationis anteactis seculis eum fuisse, vt publicis in negotijs ea egerit, quæ soli & summo Ecclesiæ capiti conueniant, quod cum alijs ad fidem pertinentibus (quanquam diu Græca natio negasset) suorum tamen doctorum libris quasi proprio milite victa manus dedit, eorumque Imperator Florentiam se contulit ad Eugenium Pontificem, vti verum Christi vicarium & recognoscendum & venerandum, tumque inter Græcos & Latinos inita consensio est, ipsiusq; consensus & vnionis paginam Imperatoris ipsius manu signatam confirmatamq; meis ipse oculis inspexi. Credunt alij ad premendam aliquandiu Romani Pontificis maiestatem illud fuisse

fuisse in causa, quòd Constantinopolis Imperatores suos nimis Episcopos extulerunt, Roma tùm præda Barbaris facta, Imperatorem posteà Phocam decus sublatum reddidisse & publico decreto sanxisse: nunc etiam pertinaciter Pontifici Romano Græci obsistunt nec obediunt, nec vllo pacto Spiritum sanctum à Filio procedere aut profitentur, aut credunt: hac amentia capti, quod in Nicena id synodo non est prolatum, sed cur ipsi synodo credunt, cùm eius decreta ab ore Christi proprio, aut Apostolorum prolata priùs non sint. Aperiant oculos aliquando & considerent Ecclesiam ipsam mysticum Christi corpus perinde ac naturale hac in parte agere, quod nisi saucietur, remedium non quærit ad vulnera. Ab Arrio enim vulneratus opem procurauit, quam Niceni Concilij sanctio tulit, nec eos moueat quod nihil addendum, minuendumque symbolo diceretur, id enim (vt sileam cætera & quòd declaratio non additio) hac in parte maximè intelligendum est, vt ea quæ in Arrium, & contra hæreses sancta erant ne mouerentur: quid enim insaniæ est autumare voluisse Concilium occludere vniuersali Ecclesiæ inposterum viam ne in hostes profectionem statueret cùm oporteret, cur & ipsi Græci posteriora Niceno nonnulla Concilia recepêre, in quibus condemnatæ hæreses sunt, de quibus mentio nulla apud Niceam Bithyniæ facta, quid quod in eis quæ legi, Niceni concilij gestis in decimo Ecclesiasticæ historiæ, aut quæ ex antiquis Bibliothecis mihi asciui, nulla mentio est de processione Spiritus sancti etiam à Patre, vtpote quæ in controuersiam adhuc & disputationem minimè venerant, tùm enim contra Arrium de Filij diuinitate, non autem de Spiritus sancti processione contendebatur. Sed rogo quid consequentiæ est? Concilium Niceæ mentionem non fecit de processione Spiritus sancti à Filio, sed à Patre tantùm, ergo credendum est non procedere à Filio, nónne pari pacto dicendum esset, hæreses omnes quæ post illud Concilium condemnatæ sunt, quæ pro hæresibus etiam perniciosissimis habentur à Græcis, pro hæresibus haberi non debere, ob id quod Niceæ non sunt damnatæ, simili argumento & de prioribus hæresibus, quæ aut in Euangelio, aut in Actibus Apostolorum redarguuntur. Resipiscant aliquando & credant, si venenum illud tùm alicui Ecclesiæ membro propinatum esset, Concilium ipsum decreta salubria quasi per manus alexipharmaca porrexisse, actutumque fuisse adiectum (Filioque) neque enim (vt diximus) vbi morbus non est, adhiberi medelam oportet. Legant, oro, suos doctores antiquos & celeberrimos & commonebuntur erroris, legant & Trapezuntium, Gregorium qui aduersus suos Græcos, Græcè de hac materia scripsit: audiant & nostrorum Theologorum, Thomæ præsertim rationes, processionem Spiritus sancti à Filio validissimè probantes, admittantque in ima animi penetralia, & à suis tenebris restituentur in lucem: & si supernaturalia quærunt, hac de re vtique etiam non deerunt, quæ amplam fidem facere possunt, vnde & Brigida sanctissima fœmina diuinis reuelationibus clara, minata Græcis est, ob id quòd Romanæ Ecclesiæ præceptis & dogmatis se non subderent (in hoc enim & alijs nonnullis dissidium est & pugna) eiusque minas diuina vltio secuta est. Perstitisset vtinam Græca natio in suscepto Latino dogmate sub Eugenio, perstaret fortè & eius imperium, quod paulò pòst perfido Mahometo in prædam datum est, hærent nihilominus eorum plurimi crassissimis ignorantiæ & obstinationis tenebris, nec ita correcti emendati adhuc sunt.

Verùm enimuerò dubitaui plerunque, mirandum mihi aut lamentandum magis? Lamentandum certè, eò ignorantiæ deuenisse nonnullos, qui docti haberi volunt, vt fidem ijs habeant autoribus, quos nihil prorsus de ipsis quos edebant, literis nouisse perspicuum est. Scribit Decretalium Glossator hæc ad verbum, & est aliud symbolum maius quod cantatur in Missa in Nicena synodo factum propter Græcos, qui non credebant quòd Spiritus sanctus procederet ab vtroque, de con. distinct. 5. capite vltimo & penultimo. O rem plenam ignorantiæ, & quæ possit Romanæ Ecclesiæ hostes in risum excitare, & in eorum obstinatione firmare, cùm eiusmodi afferri videant aduersum se, quibus confirmentur nihil nostra, sua verò non infirmentur, sed roborentur, id ipsum enim fuit Græcis erroris occasio de processione Spiritus sancti: quòd bonus Glossator pro sanctione aduersus eos producit:

nihil enim habent illi verisimilius pro inani sua opinione, quàm quod in Nicena synodo id quod nos proferimus & confitemur, decretum non fuit: nec dum enim lis orta fuerat, vt antè meminimus, siquidem à venenata Nestorij arbore infectum hoc malum prodijt, quæ post Nicenum concilium à disseminatore, zizaniæ dæmone plantata irrigataq; est: qua de re Theologos consulere debeat, aut historias, quorum ope veritatis particeps euasisset, aut Decretorum saltem glossam & eius maximè distinctionis, quam citat accuratè legere: Sed cùm notiora hæc sint errata, vt vix sine pudore redarguendis eis insistatur, commonere tamen pios lectores operæprecium est, vt istiusmodi glossis & Decretorum & decretalium & ciuilium etiam Legum, non adeò fidem mancipent suam, vt examinandæ diligentiùs, non suscipiantur, vbi maximè de rebus fidei aut Logicæ Physicæque disciplinæ, aut de proprietate linguarum etymologiarumque nominum remotiorum, aut de historijs locorum & temporum habetur mentio: insulsa enim multa, pleraque ridicula, falsa nonnulla, omnia ferè parùm considerata huiusmodi in rebus afferuntur ab eis, qua de re si ocium suppeteret, de insignioribus erratis, quò commonerentur rudiores, librum conficerem, nihil calumniatorum morsibus perterritus, vt è tenebris veritas hac etiã in parte afferetur in lucem: Sed hæc in præsens satis sunto, vt illud etiam omittam quod bonus ipse Glossator in definitionem fidei ab Apostolo datam obloquatur, & veram definitionem non esse dicat, quod equidem parum verene dicam præsumptuosè prolatum est, mitto etiam quòd septem tantùm articulos fidei contendat, mitto alia quæ in ipso procœmio simul erant (occupatiores enim sumus quàm immorari possimus) sed danda eis etiam venia facile est, id enim ætatis vitium fuit, perierant enim tum & in dissuetudinem abierant bonæ literæ, & excultiores exactioresque disciplinæ pessundabantur, eorumq;, præcipuum studium fuit in ijs, quæ ad agendas causas faciebant. Sed iam ad propositum reuertamur.

Diximus in Theoremate quoad dum vniuersalis Ecclesia non reclamaret, quam particulam ob eorum opinionem addidimus, qui credunt posse fieri, vt Pontifex summus & Concilium aberret. Hoc autem si contingeret (vt aliqui voluêre) dubio procul ab Ecclesia reclamaretur: neque enim credendum diuinam prouidentiam, quæ in ijs quæ necessaria sunt, nunquàm deest, pati, vt qui rectè fidei adhærent ad credenda ea cogantur, quibus fides destruatur, sed nec promissionem falleret, quam spopondit Ecclesiæ. *Desponsabo*, inquit, *te mihi in fide:* & iterum, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi:* Hoc autem per gratiam intelligendum est, in qua fides includitur, cùm per essentiam, potentiam, atque præsentiam, vbique terrarum & locorum sit. Et quanquam vltimum hoc promissum Apostolis factum est, nihilominus vt Chrysostomus in commentarijs in Matthæum scribit, ob id quòd Apostoli adusque consummationem seculi mansuri non erant, sicuti vni corpori fidelibus loquitur: Id ipsum quoque & alij Euangelici enarratores interpretantur. Fidem namque vniuersalis Ecclesiæ deficere omnino non posse: hac ipsa autoritate motus Thomas Aquinas determinauit, cùm alibi, tùm in quarto libro commentariorum in Sententias dist. 16. Reclamaret autem Ecclesia, obsisteretque aut Pontifici, aut synodo decernenti, non modò contra veritates diuinorum eloquiorum, & quæ ex eis necessariò sequuntur, verùm etiam si aduersus Decreta conciliorum eorum, quæ ab Ecclesia olim pro fidei integritate recepta & probata sunt, quicquam moliretur, sed esto, inquies, reclamabunt aliqui aduersus Pontificem Conciliúmve aut vtrunque. Sed non omnes: pars enim adhærebit & Concilio & Pontifici decernenti, aut si omnes ignobiliores erunt, nec paris dignitatis, autoritatis, & doctrinæ, vt cum his qui in Concilio fuêre, conferendi sint. At sanè considerandum est Deum ipsum qui corpus suum mysticum, hoc est, Ecclesiam regit, non secus hac in parte acturum, ac vis quæ in humano corpore dominatur, vt enim hæc humores mouet, ita ad finem propositum perducit, quare Deus ipse excitans aliquos ad reclamandum, tantam eis virtutem inderet, vt sequeretur effectus hac in parte corporeæ dissimilimus virtuti, quæ ab humoribus ipsis, morbique malitia sæpenumerò præpeditur, nulla autem eum resistentia potest detinere, nulla violentia frangere, quin & crescit in aduersis diuinum opus & in oppugnationibus fortiùs exurgit: Itaque si Dei esset afflatio,

afflatio, & pauciores præponderarent multitudini & ignobiliores præstarent ijs, qui fulgerent auro honoribusq; tumerẽt: exemplo sint pauci Christi discipuli aduersus Gentes, Romanorumque potentiam, exemplo Athanasius ferè solus in Oriente qui cùm Arrianorum Myriades conflixit & vicit: si verò perperam reclamaretur suscitáne dæmone non Deo, vexarent quidem ecclesiam, se ipsos autem perderent, suspecta autem haberi deberet omnis reclamatio, nisi expresè euidentissimeque per eam ostenderetur aliquod fuisse determinatum, quod & Conciliorum decreta in rebus fidei, quæ iam ab vniuersa ecclesia recepta atque ab omnibus catholicis doctoribus probata sunt, reuocaret, & sacris Euangelijs aduersaretur. Scribit Ioannes Gerson cùm alibi, tùm in opere de Vita spirituali animæ: Pontificem aut Concilium aut Ecclesiam non posse immutare traditiones (vt ille inquit) datas ab Euangelistis, & eos qui contrà sentiunt, delirare scribit, nec habere quoad hoc vt aliquid esse purè de fide constituant, parem autoritatis firmitatem, cùm de illis sit dictum: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Additque hanc esse Ecclesiam ob cuius autoritatem Euangelio se credere Augustinus dicebat. Scribit quoque Isidorus & ponitur in Decretis distinctione quinquagesima ad hunc modum: quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius Concilij magis sententia teneatur, cuius antiquior & potior existit autoritas, concordatque sententiæ Leonis ad Anatholium episcopum scribentis: nullam videlicet synodum quantumlibet sacerdotibus copiosam debere se aut comparare, aut præferre Nicenæ synodo diuinitùs consecratæ: de eodem quoque & de Chalcedonensi concilio Nicolaus Pontifex ad Michaëlem Imperatorem scribens, eorum sententias diuinitùs inspiratas dicit: Sed & prisca illa Concilia vti Euangelia recipi debere: Et Gregorius Pontifex, & alij sensêre, & Ecclesiæ vniuersalis autoritas probauit, quanquam Augustini sententia est, prouincialia Concilia debere vniuersalibus cedere, & vniuersalia priora posterioribus quandoque emendari, qua de re plura in libro secundo de Baptismo contra Donatistas loquitur: & id ipsum puto omnes concederent in his rebus quæ nec ad fidei substantiam, nec ad necessarios ad beatam vitam mores, quod idem est (vt diximus suprà) sed ad iura duntaxat humana pertinent: tùm enim posterioribus adhærendum: scimus namque per Gangrensem Concilium, Apostolorum canonibus præiudicatum esse de presbytero fornicario, quod equidem in 82. Decretorum distinctione legi potest. Item per Constantinopolitanum sextum Niceno concilio derogatum de sedibus Patriarchalibus: huiusmodi autem constituta mutare diuersis temporum conditionibus non inconuenit.

Quòd si quis fortè dixerit Concilia legitimè, & in Spiritu sancto congregata qualia ea, quorum suprà mentionem habuimus, fuisse creduntur, aduersari inuicem non posse, cùm idem sit Deus nec sibi ipsi cõtradicat vnquàm. Responderi potest nullam esse in huiuscemodi rebus contradictionem, sed diuersitatem, cùm diuersa Spiritus dictet facienda, quæ diuersis tempestatibus congruant. Multa enim veteris legis instituta, spirante Deo, mandata sunt, quæ tempore gratiæ cessauêre, in quo & multa etiam alia conscripta mandataque & in eodem etiam statu diuersa, quæ diuersis, scilicet, mundi ætatibus, statibus, temporibúsve quadrarent: illud verò quod vel ad fidei substantiam, quoad credenda tantùm vel ad necessarios mores pertinet, quoad credenda & operanda simpliciter, stabile semper perpetuumque perseuerauit: neque enim vnquàm necessariæ fidei aliquid per se vel additum, vel diminutum est, sed opportunè potiùs declaratum: neque item Decalogi præcepta, quæ necessarios ad beatitudinem mores includunt, immutata vnquàm sunt, sicut & cærimoniæ & legis iudicia, aliaque particularia nonnulla: consentanea veritati videtur hæc dubitationis huius solutio, tametsi in expositione quinquagesimæ Decretorum distinctionis ab interpretibus aliæ adducuntur: Quæritur enim ab Hugone & alijs quî fieri possit, vt in canonibus sit contrarietas, cùm per Spiritum sanctum conditi dicantur, quemadmodum habetur in 25. causa, quæstione prima, in cap. *Violatores:* & hoc ipsum inter alia responsum affertur, posse videlicet dici sanctos patres per Spiritum sanctum non semper locutos, atque in hunc modum vel ignorantes vel scientes contraria, controuersaque protulisse. Cæterùm Pontificis summi iudicio tunc Ecclesia aduersaretur, cùm illud idem Pontifex faceret, quod si à Concilio fieret, Ecclesiam ipsam aduersatum

uersatum illi iri diximus, & eò vehementiùs quòd facilius est, ipsum solum errare, quàm vniuersum Conciliū. Ioann. Gerson in libro, An liceat in causis fidei appellare à summo Pontifice, propositione quarta, ita scribit: in causis fidei nulla determinatio iudicialis Episcopi, imo nec Papæ solius præcisè, vt est Episcopi vel Papæ, ligat fideles ad credendum, quòd ita sit de veritate fidei sicut prætendit sua declaratio: quoniam tàm Papa, quàm Episcopus deuiabiles sunt à fide: obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis talis determinatio, quòd dogmatizent (vt eius verbo vtar) oppositum talis determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi, vel per sacram Scripturam, vel per reuelationem, vel per Ecclesiæ seu generalis Concilij determinationem. Idem libro de Examinatione doctrinarum in prima parte principali eiusdem operis, consideratione secunda, eadem expresse determinat, inquiens: concluditur tamen ex hac radice duplex veritas: Prima quòd determinatio solius Papæ in ijs, quæ sunt fidei, non obligat vt præcisè est talis ad credendum, alioquin staret in casu, quòd quis obligaretur ad contradictoria, vel ad falsum contra fidem. Secunda Veritas est, quòd sententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos, & apud illos qui manifestum contra fidem deprehendunt errorem & scandalum grande fidei suo silentio fieri, si se non opponerent: agnoscunt quòd si fieret persecutio sententiarum & pœnarum contra eos, sciant beatos esse qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, hæc ille: & subdit posteà de remedio generalis Concilij: aduertendum tamen doctorem ipsum de errore non suspecto aut credito, sed de manifesto fecisse mentionem & vsum eum verbis fuisse firmis: nam pro leui causa, & suspicione inani, posset quis superbè in hæresim labi, vel vanæ gloriæ cupidine, vel zelo, qui non est secundùm scientiam aliosque decipere, exemplo sint hæretici & ipse Arrius, qui iactabat persecutionem se pati ab Alexandro Episcopo Alex. propter veritatem omnia vincentem, vt in Epistola scripsit ad Eusebium Nicomediensem Episcopum: Veram isti ecclesiam apud se contendebant, & qui contradicebant catholici eos hæreticos nominabant.

Quare manifestis Scripturæ diuinæ autoritatibus insistendum, nec eis quidem vulgi ore aut insipientium expositis, sed sano probatorum virorum iudicio, accedente etiam ratione naturali supra fidem fundata, quotidie enim nouæ exurgerent hæreses, si quilibet vel indoctus, vel insanus, aut diuinas Scripturas, aut canones interpretari vellet, vt verba sonant, nulla habita ratione vel antecedentium vel sequentium sententiarum, vel aliorum etiam aut eiusdem Scripturæ sensuum, aut Ecclesiæ canonum: Considerari enim oportet ea quæ afferuntur, consonent ne huiusmodi prioribus an aduersentur, vel magis non dependeant, & veluti indifferenter se habeant: sed & quid consequatur si ita sit, quid item consequatur si non sit, tùm perspiciendum quid opinionem ipsam sequatur, quantum ad se, & quantum ad alia attinet, quid item alia vt se, vt illam concernunt, vt suprà diximus, tùm demum legendi doctores qui catholici habentur & probati, aut expresso aut tacito consensu Ecclesiæ, aut saltem qui boni nominis sunt, nec in aliquo expresse reprobati, quòd si illa ipsi tanquàm diuina placita, aut ecclesiæ super diuinis intelligendis promulgata Decreta recipiunt, securiùs accedendum quàm absque eis aliqua etiam ratione duce pergeretur: videntur enim multa sæpè aut Pontificis aut Concilij decreta non rigidissimè declaranda, quæ si, vt sonant verba, intelligerentur, multos anxios redderent; recipiunt enim sanas interpretationes, sicut & ipsa etiam diuina eloquia recipiunt, qua de re quandoque Ioannes ipse Gerson cognomento Christianissimus meminit, & in libro, An liceat appellare in causis fidei, & alibi sæpè.

Sed iam reuertamur vnde digressi sumus: Idem Gerson in quæstione, An liceat appellare in causis fidei, scribit, quòd nullus homo etiam Papa potest per suam determinationem de propositione non hæretica facere hæreticam. Et priùs Ioannes Scotus in quarto commentario in Sententias, distinctione 11. in secundo principali, q. 1. de Decreto concilij Lateranensis sub Innocentio tertio in materia de Eucharistia scripsit, non fuisse in potestate Ecclesiæ facere istud verum, aut non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum, inquit, à Deo traditum ecclesia explicauit directa in hoc vt creditur à spiritu veritatis: affirmatq; quicquid ibi traditum post solēnem declara-

declarationem ab ecclesia factam, tenendum esse de substantia fidei, cùm scripturæ eo spiritu sint expositæ quo conditæ, & ecclesia catholica eodem spiritu exposuerit, quo tradita est nobis fides, vtpote spiritu ipso veritatis edocta. In ecclesiæ igitur catholicæ Sancto spiritu afflatæ autoritatem refert, quod de fidei esse substantia decretum est. Idem Gerson in libro de Vita spirituali animæ, Corollario. 10. ait: nullam traditionem, vel regulam, vel legem, vel determinationem puri hominis, qui fallere potest, & falli, obligat, vt præcisè talis est, subditos ad credendum eam tanquàm veritatem fidei, aut diuinam legem licet possit obligare sub pœna politica ad non repugnandum exterius: & Panormitanus Abbas, vt etiam diximus in capite *à nobis*, 2. de sententia excommunicationis super illa verba: *Iudicium autem Ecclesiæ*: affirmat solam vniuersalem non posse errare in fide, aut eius articulis, adducitque capite à recta 24. q. 1. Alia quoque ad propositum afferri possent, præsertim Cardinalis Cameracensis, qui putauit solam vniuersalem Ecclesiam in fide errare non posse: Archidiaconus quoque Bononiensis distinctione 19. decretorum in cap. *sic omnes*, inquit, cautè enim ibi positum Apostolicæ sedis decreta & non Apostolici, cùm sedis Apostolicæ sanctiones siue sententia in iudicio prolata à Romano Pontifice intelligatur ea, non quæ occultè, malitiosè, aut inconsultè per solum Romanum Pontificem aut aliquos ei fauentes non vocatis, alij seu contemptis in fraudem profertur. Sed quæ ab ipso Romano Pontifice, qui maturo priùs & graui sapientium virorum & Cardinalium maximè Concilio rem ipsam examinauerit, profertur. Aduertendum tamen diligenti consideratione non omnes dispensationes, aut concessiones particulares, Pontificum sanctiones, Decretaque vocari posse, cùm aliud sit ita facere, verbi causa: dispensare in matrimonio contracto per verba de præsenti, aliud est legem condere, aut promulgare, quòd ita fieri iure meritoque possit: hæc enim dispensatio à probatis Theologis fieri non posse creditur, tametsi Canonum interpretes plurimi contrarium crediderint, quapropter aliud est sanctionem promulgare quòd fieri, scilicet, possit contra Theologorum sententias: Aliud est dispensationis actum producere, & sequi aliquorum interpretum sensa. Sed quod ad dispensationes in vniuersum attinet (si aliud non constiterit) pro dispensante in dubijs credendum propter amplam ligandi atque soluendi autoritatem à Christo traditam, præsertim si res ipsa in facto, vt aiunt, constaret, aut de inualiditate contractus per testes probaretur, ita tamen credendum, vt propterea non obliuiscamur *autoritatem datam esse in ædificationem, non in destructionem* (vt dicit Apostolus) & vt dicitur claue non errante: debet enim, vt inquit Innocentius in cap. *quando de iure iuran.* & Baldus notat, præmittere clauem discretionis ante clauem potestatis: & sæpenumerò dispensationes dicuntur, quæ appellari dissipationes possent: qua de re beatus Bernhardus plura in libro de Dispensatione & præcepto, & in libro de consideratione ad Eugenium. Diximus autem in dubijs, quia verè dubia esse debent, hoc est, paribus vtrinque rationibus ambigua, si dispensatori sine disquisitione accedendum: nam hoc prætextu multa contra fidem & bonos mores agitari possent: Si enim à Pontifice quicquam dispensari diceretur, quod esset verè contra Christi legem, si quicquam mandaretur quod hæresim sonaret, statum Ecclesiæ diceretur turbare, minimeque ei parendum esset, ita etiam Hostiensis Cardinalis voluit, idemq; Ioan. Antonius in cap. *Proposuit de conces. preb.* & Florentinus in l. sed & loci. ff. fini. regun. Scribit & ipse Ioan. Gerson in libro de Vita spirituali animæ positas in Euangelijs propositiones hasce: Petrus fuit Apostolus, Petrus accepit autoritatem ligandi & soluendi, quæ de quocunque successore Petri formatè, non ita à Christo, aut Sacris literis habentur, & hoc ipsum ad minus præsupponere oportere eum, scilicet, de quo formarentur, ritè Petro succedere, quod humana duntaxat traditione cognosci dicit: nisi fortasse de quibusdam vti Clemente, Syluestro, Gregorio quòd ritè Petro successerint, vniuersalis ecclesiæ autoritate determinatum quispiam assereret: Idem autor paulò pòst infert tantum licere Episcopi aut Pontificis summi institutiones in dubium reuocare, quantum de eius autoritate vel in Episcopatu, vel in Pontificatu summo ambigere licet: Verumenimuerò si tàm Pontificis, quàm Concilij Decreta ab vniuersalis ecclesiæ iudicio tacito saltem, vel, vt aiunt, interpretatiuo suscipiuntur, assentiri eis oportet: siquidem vniuersalis ecclesiæ decreta ea iustè appellari possunt, vel quæ per

Ponti-

Pontificem eius caput, vel per concilium quo præsentatur in rebus fidei necessarijs decreta, & approbata sunt ab ipsa Ecclesia, alioquin non qui contradiceret solùm, verùm etiam qui dubitaret, hæreticus censeretur, dubitaret inquam adeò, vt pertinaci animo nollet acquiescere, quippe cùm nesciens non delinqueret: perniciosè etenim vt Ioannes Gerson docet, is qui in fide dubius est, ob id infidelis dicitur, quia de eis dubitat quæ fide explicata credere tenetur: ille quoque qui paratus correctioni est, dubitat nihilominus ex animi infirmitate pertinaciam abigens hæreticus putandus non est.

Namque ille propriè dici hæreticus potest, autore Thoma in 4. commentariorum in Sententias, distinctione 13. qui à fide Christi, quæ Catholica dicitur, discedit, contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem: & Bonauentura eadem Sententiarum distinctione de hac ipsa re verba faciens, hæreticum eum esse ait, qui diuinæ legis ignorantia, vel contemptu pertinax inuentor erroris, aut alieni sectator, catholicæ veritati mauult aduersari, quàm subijci, alij alia tradunt, hoc autem conueniunt de ratione hæresis esse pertinaciam, quæ iuxta Ioannis Gersonis sententiam firmam denotat inhæsionem, ad alteram partem contradictionis, cùm remotione probabilitatis alterius: fuerunt enim multi qui in fide errauerunt, & nihilominus quia obstinato animo & pertinaci suam opinionem non admiserunt, beatitudinem etiam non admiserunt: vti Cyprianus martyr, & Irenæus, & Papias Hieropolitanus, & alij: Esset autem assignare & alias hæretici definitiones, & quot modis quispiam hæretici nomen sortiri possit, quæ omnia commodè satis haberi possunt, & ab Archidiacono super capite *quicunq; de hæreticis* lib. sexto decretalium Epistol. & à Ioann. Cardinali de Turre cremata in 2. parte quarti libri summæ suæ cap. 13. & ab alijs recentioribus, quibus aliorum colligere sententias studium fuit: quid item sit pertinacia & quot modis quis eo nomine dehonestari possit, sciri potest ab eodem Ioanne Cardinali eadem sui lib. parte, & à Ioan. Gerson in tractatu de protestatione circa materiam fidei, & ab eisdem pariter edoceri, quid sit propositio pertinens, aut impertinens ad fidem, quę temeraria, quæ erronea, quæ iniuriosa, quæ scandalosa, quæ seditiosa, quæ hæretica, quę sapiens hęresim, quę sapiens fidem: quorum ille in eadem summa, hic in libro de Veritatibus fidei necessariò credendis abundè nos docent. Nec ab re fuerit hoc loco ad memoriam reuocasse, aliud esse nouitijs in causis quę emergunt credere rem, vt sic dixerim, iuris, aliud facti rem: verbi causa, tenere aliquam propositionem esse hæreticam, & hominem quempiam hęreticum, differunt. Primùm enim propriè & exactè sub fide cadere potest & verti in dubium quasi quęstio iuris sit, tumq; in eam partem flectendum est, quæ iudicatur à ministris, quibus decernendi munus incumbit: possunt enim illi perspicere doctrinę regulis quid ex illa propositione sequatur fidei nostræ vel aduersum vel consentaneum: hominem autem hęreticum esse, non statim eo modo perspici potest, quia non sic constare potest hominem illum sic vel sic credidisse, si ille negauerit, nisi per testes constiterit & tunc res ipsa in facto, scilicet, vertitur, vtrum ille vnquàm sic vel sic affirmauerit: si verò ille fateretur tùm res ipsa à facti ad iuris quæstionem delabitur, itaque faciliùs perspici posse videtur propositionem vt sic hęreticam esse, quam hominem eo crimine, nisi id cõfiteatur, maculatum: dixi nouitijs in causis, quoniam qui nunc diceret Arrium aut Sabellium non fuisse hęreticos, hęreticam propositionem assereret, quia eos sacra Concilia vniuersalis ecclesię consensu damnauerunt cum suis propositionibus hęreticis, quas illi vti veras obstinatè defenderunt.

THEOREMA IX.

VERITATES ILLAS QVAE SPECIALI PRIVILEGIO cuipiam reuelantur diuinitùs, atq; eas etiam quæ ex ipsis euidenti connexione sequuntur, ab eo ipso duntaxat cui reuelantur, necessariò credendas & obseruandas esse.



V'm enim fides nostra (vti ex his quæ diximus, manifestum est) huic propositioni veluti fundo nitatur, quòd Dei reuelationibus credendum sit: sequens est, vt is cui talis sit reuelatio ad præstandam illi fidem necessariò obstringatur, alioquin obaudiens Deo & contumax censeretur: & quanquàm cæteri ad præbendam huiusmodi reuelationibus fidem non cogantur, neque enim alijs reuelationibus præterquam his quæ superioribus Theorematis recensuimus, præbere assensum necessariò debet fidelium vniuersitas, is tamen cui fit reuelatio non secus ac Euangelio & credere ei & parere debet, si vera, scilicet, & dubio procul diuina reuelatio fuerit, quam claritas & certitudo maxima comitatur: Nec secus supernaturale Prophetiæ lumen intellectus fugat tenebras, hominemque de ijs ipsis quæ reuelantur, certiorem facit ac naturæ lumen, prima scientiarum principia nota, & extra omnem ambiguitatem perspecta reddit. Quemadmodum in opere nostro de Rerum prænotione, quod habemus in manibus, ostensuri sumus. Quapropter veluti is prætendere excusationem non posset, qui de primis illis notionibus, quas philosophi scientiarum principia nuncupant, vel ambigeret, vel falsas arbitraretur ob claritatem luminis naturalis animæ congeniti: ita nec ille excusatione dignus haberetur, qui patefactas sibi diuinitùs veritates, aut aspernaretur, aut non admitteret, atq; eò magis quòd vehementiùs dubitationum nebulæ effugantur, ob propheticum lumen diuinitùs animæ immissum, quàm ob naturale illud quod ab ortu naturæ nacti sumus. Consentaneumque est, vt ea quæ Deus supra naturam operatur, efficaciora, validioraque sint eis, quæ natura ipsa Dei ministra in lucem prodit. Factæ autem huiuscemodi reuelationes multæ olim sunt post antiquos Prophetas & Apostolos, eosque, quorum mentio in vtroque testamento habetur, vt Carpo illo Cretensi Episcopo, de quo Dionysius honorificentissimè loquitur, vt Ignatio martyri, vt Cypriano martyri, quod etiam in decretis 13. q. 2. habetur, vt Antonio, vt Ioan. Heremitæ, Benedicto, Ambrosio, Francisco, Dominico, & alijs penè innumerabilibus, quemadmodum in eorum libris, vita, & gestis relatum est, vt alios ad præsens omittam. Animaduertendum autem diligenti consideratione, quod & alibi latè explicabitur, ne angelus Sathanæ se in angelum lucis quandoq; transfigurans, vel ob nimiam mentis hebetudinem, vel ob occultam pertinacemque superbiam, vel ob curiositatem nimiam nullo rationis freno cohibitam, aut mares aut fœminas vel eis credentes perniciosè ludificet.

Fiunt autem varijs modis reuelationes ipsæ, quandoq; in somnijs, quandoq; in vigilia, modò intus animam, modò extra, modò in imaginaria potestate, sed & ad auditum voces quandoq; perferuntur, quandoq; extrinsecùs figuræ oculis opponuntur, quæ omnia vnum & idem lumen manifestant. Sed vtcunq; fiant, si diuinæ reuelationes ipsæ prophetico spiritu conditæ fuerint, certissimum de veritate ipsa hominem tranquillissimumq; reddunt. Succurrat nobis ad exemplum Abraham, qui ex Diuina reuelatione filium immolare voluit, quod tamen minimè faciendum lumen naturæ dictasset: Maiori ergo lumine opus erat quàm naturæ lumē, si hac de re Abraham fieri certior deberet: succurrat & Paulus Apostolus, qui tametsi Euangelium quod prædicabat cum Petro, & alijs contulerit, vt ab Ecclesia probaretur, nihilominus tantum aberat vt de sua reuelatione dubitaret, vt etiam scriberet, etiamsi angelus de cœlo aliud vobis euangelizauerit, anathema sit, quod & ab Ioan. Gerson notatū est in 3. gradu opusculi, quod de Veritatibus necessariò & probaliter credendis conscripsit: sed & vidi, & audiui qui non solùm priuatim, sed & publicè contestaretur, dubitare se magis posse an duo binarij quaternarium efficerent: itemque an totum maius esset parte sua, quàm id quod de futuris reuelatum erat sibi, aut falsum esse, aut à Deo non prouenisse. Idem mihi & alij de reuelationibus ad se factis asseruêre, quanquàm &

nonnulli mentiti sunt, vt dixi: veros autem expertus prædictores sum, expertus & falsos. Si quando autem ambiguitas in anima prophetæ resederit, aut diuina prorsus reuelatio non est, aut saltem non pura, & impermixta, sed vel phantasmatibus ipsis, vel tempori, vel conditioni alicui, vel naturali rationi (vt sic dixerim) conglutinata: quæ si Propheticus aderit spiritus, dignoscuntur: sic & Augustinus in libris Confessionum suarum de matre loquens ait: dicere eam solitam discernere se quid interesset inter animam suam somniantem & Deum reuelantem: scire autem illud oportet, quòd tametsi illi, quibus huiusmodi reuelationes non fiunt, eis, vt diximus, credere non obligantur, spernere tamen & nihili facere eas non debent, sed *probare* (vt Apostolus docet) *vtrum ex Deo sint*, quo autore etiam cautum est prophetias non esse spernendas, *probanda omnia & quæ bona tenenda*, quod faciendum Theologi multi docent. Et Ioannes Gerson in eo præsertim libro, cui titulum fecit de Probatione spirituum, & solitarius ille in probationem reuelationum sanctæ Brigidæ: illud autē in primis & ante omnia attendendum, considerandumq́; si prophetarum eiusmodi vita defæcata sit vitijs, & clara virtutibus, si præterea audacter & Sacris literis cōsentaneè pronūcient: sed & illud non omittendum, fieri posse vt ex comprobatione vniuersalis Ecclesiæ, doctrinæ huiusmodi, & prænunciationes credi ab omnibus & obseruari debeant.

THEOREMA X.

CVM EPISCOPVS IN SVA DIOCOESI PRAVA ALIQVA dogmata, aut fidei, aut bonis moribus aduersa damnat, eos qui ei subduntur eiusmodi sanctionibus acquiescere debere.



SIcut enim Pontifici summo in ijs, quæ ad fouendā fidem & optimos mores conseruandos spectant, quicquam decernenti acquiescendum fidelibus omnibus est, vti ex supradictis colligitur: Ita iusta proportione faciendum seruandumq́; est subditis erga suos Episcopos, qui quamuis ea non polleant autoritate, multa tamen vigent & docendi, & corrigendi, & puniendi. Quod & Apostolica autoritate cōfirmatur: *Obedite* (inquit Paulus Apostolus) *præpositis vestris*, sed & in Decretorum libro monentur Episcopi, vt suas Diocœses hæresibus expurgent: quî autem fieri hoc posset, nisi eis fides haberetur, decernentibus, scilicet, quod rectum est, & à prauis noxijsq́; dogmatis vera monita secernentibus: hinc & prauitatis hæreticæ inquisitores Episcopis adiumento sunt, hinc per Episcopos & vniuersitates articuli cōdemnati circumferuntur: nam & alia vti hæretica prorsus eliminant. Alijs verò vti temerarijs & periculosis saluti subditorum consulentes eos interdicunt, quàm prauum autem & noxium aduersari Episcopo, scribit beatissimus martyr Ignatius multis in locis Epistolarum suarum.

THEOREMA. XI.

EA QVAE AD CONSEQVENDAM FELICITATEM necessaria sunt & credere, & quærere vnumquemq; oportere.



SI enim, vt suprà diximus, fides Christi ad felicitatem necessaria est, sequens est vt comparanda nobis, si felices esse cupimus, necessariò sit, alioquin in nosmetipsos manus inferemus, & ab æternis bonis excluderemur. Quid? quod si cuipiam necessaria ad victum alimonia non suppeteret, minimè dubitandum eum sibi ipsi mortem illaturum, si de annona non prouiderit, vt se à famis vendicet iniuria, quantò igitur minus ambigendum, consciscere sibi eum æternam mortem, qui & necessarium animæ pabulum, hoc est, necessariam fidem: *Iustus enim* (vt scriptum est) *ex fide viuit*: aut ignorauerit, aut cognitam non comparauerit, & eò magis, quia opus non est argento auróve, aut multis laboribus: Necessarius quippe animę cibus, & credenda tenere dogmata & obseruare operanda. Pudeat homines suæ salutis memores inertes, segnesq́; esse in comparandis sibi perpetuæ salutis & felicitatis dogmatis, cùm pro momentaneo consequendo regno tot quotidie labores, tot ærumas seculi principes desudare videant, cùm pro augenda re familiari

Institor

Institor ad gelidas securus nauiget arctos,
Per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes.

Diximus autem in Theoremate necessaria, ob id quòd quemadmodũ lucrari nimis, & thesauros parare ingentes necessarium non est, pro alendo corpore: Ita quamlibet rerum etiam ad religionem spectantium notitiam, adipisci pro consequenda felicitate non est necesse, vt in sequentis Theorematis declaratione explicabitur.

THEOREMA XII.

ALIVM ALIO PLVS, PRO GRADVS, OFFICII, DIGNItatis varietate, & credere, & nosse oportere.



Istincti enim sunt hominum gradus, distincta officia, & dignitates in humana republica, neq; omnibus omnia, vt in Prouerbio dicitur, pari filo conueniunt. Alij igitur plus, alij minus, pro maiori minoríve intellectus luce, pro officio, pro dignitate, & credere, & nosse debent: alioquin vel demandati officij munus exequi, vel susceptæ dignitati satisfacere non possent: ab vnoquoque enim (vti Gregorius inquit) exigit Dominus quantum dedit, & autore Apostolo: *Qui ignorat, ignorabitur.* Quapropter Episcopum & Theologum multa oportet credere, & exactè nosse, de quibus illiteratus agricola rationabiliter, quanquàm non pertinaciter, ignorare & ambigere posset, verbi causa: genuisse Abraham filios de ancilla, & de libera, fuisse Mosi sororem nomine Mariam, quæ lepram ob peccatum contraxerit, Absalonem patrem Dauidem persecutum: & multa id genus, quãdoquidem in Noui & Veteris testamenti lectione Episcopum & Theologum & versatum fuisse & versari oportet: ab altero nanq; ex dignitate, ab altero ex officio notitia huiuscemodi exigitur. Quis item pari ratione negauerit Põtificij iuris interpretem in sanctionibus Ecclesiæ legendis assiduum ad credenda multa, quæ vniuersæ Ecclesiæ consensu decreta sint adstringi, de quibus nõ modò rudis homo & literarum expers, sed & Theologus aliquando si dubitaret (semota tamen animi pertinacia) iure culpari non posset: nec secus de professore ciuilis iuris, deq; eo qui philosophiam naturalem, rationalémve profitetur decernẽdum, siquidem ab eo plus exigi, cui plus commissum est, & naturali rationi, & diuinæ legi apprimè consentaneum, sanè ob hanc causam aliqua ex Sacris literis deducta connexio euidens & necessaria Theologo, Christianoq; philosopho esse debet: quam tamen ineruditus aliquis, aut insolens literaturæ, vel falsam, vel probabilem duntaxat absq; conscientiæ præiudicio poterit arbitrari, vtpote qui ad id credendum non adstringitur, vel ob tenuitatem naturalis luminis, vel ob inexperientiam & imbecillitatem discursus, quandoquidem id ipsum aut ab Ecclesia non audit seruari, aut à prælatis tanquàm necessariò credendum declarari. Ab huiusmodi enim hominibus id propterea non exigitur, quia eis commodatum non est, sicuti Episcopo, Theologo, Philosophóve Christiano: si enim Episcopus qui in sui consecratione vtrunq; diuinarum literarum instrumentum scire profitetur, illa ignorauerit quæ ad eius officium pertinent, non excusabitur: pari quoque ratione, & Theologus, qui præceptorũ Decalogi seriem explicitè & dearticulatè non nouerit crediderítque, paratus etiam illa ipsa ad eam saltem normam docere, quæ sit in vsu eorum, qui Sacras literas profitentur: Neq; enim humani iuris mos est, eum admittere, qui rerum earum ignorantiam, quæ ad sui officium conditionemque pertinent, in excusationem adducere & allegare voluerit. Quota autem fidei proportio, hoc est, quænam sint ea rerum capita, quæ necessariò credenda sint, ingenio, scilicet, rudibus & inexpertis literarum inter doctores omninò non conuenit, cùm alij plus, aliquanto minus alij definiant canonum interpretes, præsertim Innocentius super cap. primo de summa Trinitate & fide catho. putat fidem implicitam sufficere ad excusandum ab hæresi, nisi verbis obstarent facta iuxta Hostiensem ibi & Baldum in Margarita alij alia. In directi. iuris libro primo scribitur, simplicibus & fortè omnibus laicis satis esse credere Deum esse, & malorum pœnas, & bonorum præmia. Alios autem articulos implicitè hoc modo, vt credant verum esse quicquid credit Ecclesia catholica: clericis verò, & quibus animarum cura demandata est maximè & prælatis hæc satis non esse, sed oportere eos explicitè & distinctè omnes fidei articulos nosse, & alia quædam: sed Episcopos vltrà procedere oportere, ita vt opponere & hæreticos persequi nouerint.

Ioannes Scotus in 4.distinc.5.q.1.ait, aliqua esse ita simpliciter de substantia fidei, quæ omnes etiam simplices post tempus aliquantulum vsus rationis tenētur, ista explicitè credere, sicut sunt articuli de incarnatione, & Christus est natus, & mortuus, de quo sunt solennitates speciales in Ecclesia, & quos potest concipere, quia sunt de Christo homine. Alia sunt explicitè requisita de substantia fidei obseruanda à maioribus Ecclesiæ, vtpote quòd Deus est trinus, & huius pertinentia spiritualia & imaginabilia, & illa distinctio potest haberi ab Augustino 14.de Trini.cap.1. Alia sunt, quę nec necessariò sunt explicitè credenda, ab istis nec ab illis, quia non adhuc illorum veritas est declarata & determinata per Ecclesiam, cuiusmodi sunt multæ conclusiones necessariò inclusæ in articulis creditis, sed antequàm sunt per Ecclesiam declaratæ & explicitæ, non oportet quandoq; eas credere: oportet tamen circa eas sobriè opinari, vt, scilicet, homo sit paratus eas tenere pro tempore, quo veritas fuerit declarata: Beatus Bonauentura & Richardus in tertio Sententiarum putant eos solùm, quibus docendi alios munus incumbit, oportere fidem explicitè nosse, simplices autē & rudes implicitè non solùm, sed & explicitè quædam credere necesse esse, quæ Ecclesiastica consuetudine passim manifestantur, vt Trinitas personarum, quæ signo crucis docetur, vt natiuitas Christi, vt passio, vt resurrectio, peccatorum remissio, quæ Christianis, scilicet, notissima: qui autem extra Ecclesiam sunt, nec eius cognitionem vllam nacti, satis esse ea credere, quæ in lege naturæ credebantur, qua de re suprà dictum à nobis. Sanctus Thomas in tertio Sententiarum distinc.25.definit, non esse de necessitate salutis, vt homo omnes articulos fidei explicitè cognoscat: Idem autem secunda secundæ.q.2.ait, quòd post tempus gratiæ reuelatæ, tàm maiores quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi, præcipuè quantum ad ea quæ publicè in Ecclesia (vt ille inquit) solennizantur & publicè proponuntur, sicuti sunt articuli incarnationis. Alias autem subtiles considerationes circa incarnationis articulos, tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere, secundùm quod conuenit statui & officio vniuscuiusq;, hæc ille ad verbum: & articulo præcedenti eiusdem quæstionis dixerat explicationem fidei peruenire ad inferiores homines per maiores, & quemadmodum superiores angeli à quibus inferiores illuminantur, pleniorem notitiam diuinorum ipsis inferioribus habent, iuxta dogma Dionysij: Non secus oportere de rebus credendis, vt ij scilicet ad quos aliorum eruditio spectat, pleniùs ea nouerint explicaturi cùm tempus expostulat.

Ioannes Gerson qui satis proximus seculo nostro fuit, & de huiusmodi rebus accuratè scripsit, tradit apud omnes rationis capaces, illud esse debere generale symbolum, quod Paulus Apostolus proposuit Hebræis inquiens: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* verùm apud Christianos, quibus apertior veritatis & fidei facta reuelatio est, non satis esse cognitionem hanc, sed esse opus vt symbolum Apostolorum explicitè, nedum implicitè credant, idipsúmque protinus, cùm ad annos discretionis (vt ille ait) peruenerint, addiscant: deinde esse multa ad fidem pertinentia, quæ scire eos oporteat, ad quæ etiam noscenda paruo cum labore perueniant, in sermonibus, quos ad populum sacri concionatores habent, in picturis, in collationibus mutuis, in obseruationibus Ecclesiæ publicis: quandoquidem quæ fiunt publicè, iuxta canonem ignorare non licet, additque vulgi homines minimè excusari, si bonos angelos, si malos esse non crediderint, si item aliqua, quæ præceptis Decalogi insunt, prorsus ignorauerint, vti idola non colenda, non periurandum, & id genus nonnulla: in compendio autem Theologiæ aliter dicitur, sed quia ab eruditioribus ipsius autoris esse opus non putatur, quanquàm sub nomine Gerson editum est, ideò satis sint, quæ de eius sententia suprà attulimus: In alijs autem crediderim ego non solùm literarum inexpertibus, sed & gnaris (modò id ad eorum officium expresè & extra controuersiam non pertineat) satis esse si recta voluntate dubijs in rebus ad Deum per orationē conuersi fuerint, credere cupientes quicquid ille mādauerit, & quia Ecclesię præceptis acquiescendū de eius volūtate est, ipsi Ecclesiæ crediderint. Si eos illa ad alterā partem eorum, quæ in dubium venêre, credendam obstrinxerit, sin autem quidpiam tradiderit, non tamen vti necessariò credendum. Sed in hominis id facultate arbitrioq; reposuerit, ea poterit pars deligi, quæ pia magis aut rationibus, aut doctorum virorum autoritatibus visa fuerit.

THEO-

THEOREMA XIII.

EIS CREDERE (SVPERIORA SEMPER EXCIPIMVS) quæ ab aliquo vel aliquibus particularibus creduntur adstringi neminem, sed sanctæ duntaxat Ecclesiæ Catholicæ fidei adhærere quemlibet oportere.



SI enim cogi posset quispiam ad ea credenda, quæ aut solus vel Pontifex, vel Episcopus, vel Theologus, vel Collegium, etiam aut Concilium particulare crederent, contingeret sanè vt ad pugnantia contradictoriaq; credenda cogi etiam posset: ponamus enim eiuscemodi homines falsis adhærere dogmatis, vt factu non solùm possibile, sed etiam facile est, cùm hominis natura ad labendum & errandum facilis & prona ad malum sit: illisq; vt nihilominus sumus præfati assentiri quispiam cogeretur, & parte alia cùm ad credenda vniuersalis Ecclesiæ dogmata, quæ semper vera sunt, quilibet obnoxius sit: Restat vt colligamus homines ad pugnantia, controuersa, contradictoriaque dogmata posse obligari. Catholicæ autem Ecclesiæ non solùm iudicio, sed & fidei committere nos debemus, & tutò possumus quæ speciali Sancti spiritus prouidentia regitur, ne in fide aut fallatur, aut fallat, quam etiam vt crederemus, Apostoli nobis symbolo tradiderunt. Euangelium enim nobis Dei indicat voluntatem, Catholica Ecclesia Euangelij nobis aperit sensum, eiusdem verò Catholicæ Ecclesiæ doctrina & voluntas per antiqua potissimùm, & probata Concilia, per Romanæ Ecclesiæ sanctiones, perque probatorum Theologorum consensum nobis innotescit. Cùm ergo ambiguitas aliqua circa ea quæ credenda sunt, nobis occurrit, de qua certiores ex eis, quæ suprà diximus, reddi non possumus: Ad Ecclesiæ debemus autoritatem ire, eique nostra committere, atque nos ipsos ad eius iudicium remittere: In quod deniq; vniuersa dubia resoluuntur, remittere inquam non solùm ad Ecclesiæ iudicium nos debemus, quod semper rectum, semper verò euangelico sensui consonum, & quadrans, sed eius etiam fidei, quæ semper recta, semper integra, & impolluta, fides nostra omninò copulanda est. Illi enim Theologi & Iuris interpretes, qui credunt aut summum Pontificem per se, aut Concilium, aut vtrorumq; conuentus aberrare in promulgandis, quæ ad fidem spectant, sententijs non posse: nihilominus inficias non eunt, quin ante ipsum ferendæ sententiæ momentum, non solùm in conuersatione communi labi, vti Cephas etiam à Paulo reprehensus, non solùm manifestis criminibus immergi, quorum multi Pontifices notati, sed etiam possint à fide omnes deuiare: quod de sancta Catholica Ecclesia Christi sponsa nequaquam potest addubitari, de cuius priuilegio, & quòd in ea semper fides vigebit, suprà diximus.

Cæterùm Archidiaconus multas Ecclesiæ significationes posuit: Alij quoque doctores interdum meminêre, & aliqua etiam propria inuenta quandoque commemorârunt: sexdecim autem modis capi Ecclesiam posse colligit Ioannes de Turre cremata. Quæ autem sit Ecclesia catholica, id est, illa vniuersalis, in qua pura semper fides permaneat, & pro qua tantùm (vt inquit Panormitanus in cap. à nobis, secundo de senten. excommunicationis) Christus orauit, ne in fide deficeret, aut in quibus essentialiter (vt ita dixerim) consistere ea possit, diuersi diuersa prodidêre, adeò vt assertiones multas, & diuersas legerim. Alliacensis Cardinalis in fine quæstionis vesperiarum, decem assertiones adducit diuersas. A' propria tamen vocabuli significatione recedendum ipse non putarem, vt primò ea propriè principalissimeque sancta Catholica ecclesia diceretur quæ omnes rectæ, & Apostolicæ fidei, & non fictæ charitatis homines complecteretur, quanquàm in aliam etiam acceptionem minus propriè accipi potest, vt ea sit, quæ Christianos omnes, tàm informis quàm formatæ fidei cōplectatur, & ambiat, tertio pro capite eius Pontifice summo, & pro principalioribus membris, hoc est, illis qui Iurisdictionem & duplicem clauem in ea obtinent, capi considerariq; potest: & hinc liquet non omnibus esse in promptu noscere Ecclesiæ sententiam & sensum. Prima difficultas hinc oritur, quòd quæ sit Ecclesiæ primo modo dictæ sententia scire difficile sit, cùm discernere in promptu non sit omnes eos qui in ea concluduntur: sed nec Ecclesiæ secundo modo acceptæ deprehendere sensum

exactè possumus, cùm omnes & singuli Christiani toto orbe diffusi ad ferendam sententiam conuenire nequeant, sed nec omnibus decernendi potestas iudiciaria collata est: principaliora autem huius mystici corporis, id est, Ecclesiæ membra, spirituales præsides & sacerdotes sunt, ad quos respiciendum, quorum semper aliqui rectè credentes & agentes inuenirentur, quandoquidem Ecclesiæ perfectio & sanctitas sine eis non est: ita nanq; scribit beatissimus Ignatius Episcopus & martyr ad Trallianos, sicut Episcopus forma est patris omnium, presbyteri verò sicut cōsensus Dei, & coniunctio Apostolorum Christi: sine ipsis enim Ecclesia electa non est, neq; congregatio sancta, neq; collectio sanctorum. Porrò Ecclesiæ in tertiam significationem acceptæ non semper, & absque controuersia iudicium scire possumus, præsertim cùm schisma fit: Nam tùm pars quælibet se Catholicam asseuerat Ecclesiam, & partem aliam aduersam, vel non consentientem, maledictis & anathemate persequitur, quid igitur agendum? credendum Pontifici summo est, sed eorum nonnulli perniciosè aberrauerunt: exemplo sint Marcellinus, Liberius, Anastasius: dicet aliquis errasse eos quidem, sed erroris sui nullam tulisse sententiam, respondere alius posset parùm differre quin suam sententiam verbis quis aut factis ostendat, in his maximè qui præsunt, quorum vita subditis proponi ad exemplar debet, siquidem (vt ille cecinit)

—componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis:
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Sed & affert idem fortassè nihil obstare, quin suam sententiam quis, aut obstinatione & metu, aut blanditijs scribere, & promulgare possit: Quid ergo? Episcopo summo & Cardinalibus, sed pari pacto errare eos posse suspicandum est, quod multi affirmauêre: Maiori igitur parti? Sed Christi tempore deficientibus in fide Apostolis, integra & omninò perfectissima fides in sola Virgine domini Matre remansit, & Arrianæ hæreseos feruente persecutione, Athanasius ferè solus pro Catholica fide agens inuentus est.

Fidei ergo Catholicæ Ecclesiæ in primam significationem susceptæ committere tutò nos possumus & debemus, & aduertere quoque quid agunt capita illa, quorum semper aliqua sana fore Ignatij martyris monstrauit autoritas: De sententijs autem & iudicio suprà satis, & infrà dicemus: in illis enim ad Romanam Ecclesiam caput & magistram Ecclesiarum mentis acies dirigenda est, atque huic ipsi Ecclesiæ, hoc est, Apostolicæ sedi Petri, Christi vicarij, sanctissimi viri adhæserunt semper, & dictis scriptisque fauerunt: Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Bernhardus, & alij ferè innumerabiles, Franciscus, item Dominicus, & sanctissimi quique eius sectatores, & alij viri miraculis & doctrina celebres, etiam ab ipsis penè exordijs Christianæ doctrinæ: Nam apud Areopagitam Dionysium obseruauimus, Petrum Apostolum, cui succedunt Romani Pontifices, supremum discipulorum fuisse, eundemque Matthiam Apostolū diuina sorte declaratum in duodenarium sacratissimum numerum suffecisse, & apud Cyprianum insignem doctorem eundemque martyrem, legimus Petri cathedram Ecclesiam principalem, vnde inquit vnitas sacerdotalis exorta est: eis autem qui eiusmodi disceptationum capaces non sunt, satis esse putauerim, si in Ecclesiam sanctam Catholicam quæcunque illa propriè sit, crediderint, eiusq; se fidei & iudicio in ambiguis rebus cōmiserint. Sunt alij qui ad Ecclesiæ Romanæ non solùm sententiam & iudicium, sed & eam quā docet fidem recurrendum putant: solet enim dici à multis fidelium sæpenumerò id se credere quod Ecclesia Romana, qua de re Baldus Legum interpres in libro qui Margarita dicitur, ita scribit: Non debet quis dicere, credo id quod credit Papa, sed illud quod credit Ecclesia, hæc ille: verùm iuxta eius doctrinam diligenter considerandum est, quod alibi in autentica. Quas actiones, de sacra sancta Ecclesia voluit Ecclesiam Romanam pro iurisdictione temporali, pro Ecclesia cathedrali Lateranensi, & prò ipso Papa accipi posse. Hic autem non huic Ecclesiæ, scilicet, ipsi Papæ, sed Ecclesiæ, hoc est, fidelium collectioni credendum ait: Ecclesia enim propriè apud Gentes (vt Suidas refert) populi congregatio dicebatur, & ἐκκλησιάζω verbum in congregationem voco, & ter in mense apud Athenienses congregatio fiebat, & vocabantur Ecclesiæ κύριαι ἀπὸ τῦ κυρέω κυρῶ, id est,

decerno;

decerno: tum enim de rebus ciuilibus decernebatur, vocabantur & Ecclesiæ σύγκλητοι, cùm de necessarijs rebus & subditarijs consultatio fiebat. Apud nostros autem in hunc significatum, nomen ipsum receptum est, vt Ecclesia fidelium conuentus & cõgregatio dicatur, decretaque à fidelibus credita & seruata, Ecclesiæ decreta vocentur, & quod ab vniuersis creditur, fides Ecclesiæ dicta est, & quãuis iuxta Theologorum quorundam & Iuris interpretum aliquorum dogmata fieri posset, vt Romana Ecclesia quæ particularis Ecclesia est, contra vniuersalem distincta in fide aberraret, vt aliàs dictum: nihilominus errasse eam totam nunquàm deprehenditur, quanquam particulares aliqui Pontifices in fide exorbitauerint, vsq; enim ad Hieronymi & Augustini tempora inuiolatam fidem docuit, quod & doctorum ipsorum dogmata in ipso decretorum libro reposita attestantur, & post eos Parisienses Theologi, præsertim Thomas multis in locis eam vti fidei magistram venerantur, postea quoque & ad nostra tempora nihilominus Catholicæ & stabili doctrinæ nixa perseuerauit, Catholicos semper doctores, tàm Græcos quàm Latinos in decernendis quæ fidei sunt secuta, sed nec in ijs quæ ad fidem spectant, quicquam vti necessarium, aut credendum, aut obseruandum vniuersaliter prædicat, quod ab vniuersali Ecclesia receptum non sit, vtpote speciali quodam priuilegio vti caput est Ecclesiarum ob Apostolicam Petri sedem: Ita veritatis magistra quæ de fidei controuersijs aduersus hæreticos semper victrix triumphauit, quæ hac etiam tempestate, qua ad summum vitiorum multi peruentum putant, qua à multis qui norma esse morum deberent, palàm publiceque peccatur, synceram nihilominus fidem docet, Petro videlicet Apostolorum principe cathedram ipsam ab impietate & successorum sceleribus præseruante, quemadmodum suam Moses ab iniquissimis Scribarum Pharisæorumque facinoribus præseruauit, qui quoniam in ea sederunt quæ docebant, hoc est, Mosi doctrinæ conformia, non quæ ipsi peruertebant seruanda docuit Christus, quæ autem faciebant vitanda: Qua de re Augustinus in quarto de doctrina Christiana libro inquit: illa ergo cathedra non eorum, sed Mosi cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita, docere autem sua cathedra illos non permittebat aliena.

THEOREMA XIIII.

AVT SANCTORVM ECCLESIAE DOCTORVM OPINIOnibus, aut eorum miraculis, aut gestis, aut reuelationibus, quatenus eorum duntaxat sunt, assentiri neminem cogi.



QVanquàm enim proborum doctrina, reuelationes, & prophetiæ spernẽdæ non sint, aut impugnandæ, nisi de euidenti errore constiterit, nihilominus habere fidem eis nullus cogitur: quicquid enim legendum Ecclesia recipit, vim ei obligatoriam pariter non impartit, alioquin ad credenda agendaq; ea quæ inuicem cõtradicunt aduersanturq; fideles adstringeret, cùm multæ Doctorum Ecclesiæ sententiæ, & placita pugnantia inter se sint. Sed neq; iugum vnquàm aliquod subditorum ceruicibus imposuit, nisi de eo priùs expresso aut tacito, vt suprà asseruimus, iudicio mentionem fecerit: recepit autem Ecclesia ipsa non parùm multa dogmata, & ad erudiendum intellectum, & ad inflammandum affectum à sanctis doctisq; hominibus excogitata, quæ nihilominus aut falsa, aut non vsquequaque recta esse possent, non quòd eatenus credantur, qua falsa sunt, sed quia latet quandoque mendacium, seq; sub specie veritatis insinuat: falsa enim permulta (vt Aristoteles ait) probabiliora sunt quibusdam veris. Addidimus hæc verba, quatenus eorum duntaxat sunt: Cùm ex diuinis libris multæ ab eis petantur sententiæ, etiã in propria verborum forma, quibus assentiendum nobis necessariò est: Non qua eorum libris inserta, sed qua diuina, & à sacris eloquijs mutuata sunt. Multa item postea eorum dicta à Concilijs sumpta, & autorata fuêre (vt suprà diximus) de quibus alioquin disputare nephas non erat, & pari pacto, de gestis, miraculis, reuelationibusque, dicendum: liquet autem euidentissimè ex ijs controuersijs, quæ inter sanctos doctores ab Ecclesia receptos viguêre non obligari nos ad præstandam fidem eorum scriptis, quandoquidem

quidem ad credenda contradictoria redderemur obnoxij, quod fieri nullo pacto potest: quoniam altera contradictionis pars necessariò vera est, altera falsa: sunt autem huiusmodi plurimæ in sanctorum scriptis dissonantes contradictoriæque sententiæ, quod & antè meminimus. Augustinus sex dierum Geneseos opera simul facta scribit, alij Ecclesiæ doctores non simul, sed ordine eo quod indicare videntur Sacræ literæ, hoc est, successu condita asseuerant, quod Augustinus cognitioni angelicæ in verbo & proprio genere tribuit. Idem Augustinus à Hieronymo de Psalmorum autore dissentit, certant item inter se sub reprehensione Petri à Paulo: Item super cessatione Legalium, item de sui ipsius interfectione discordant: A' Gregorio Nazianzeno, ab Hieronymo, ab Ambrosio, idem Augustinus & alij de angelorum creatione dissentiunt, quoniam hic simul cum empyreo cœlo creatos eos affirmat, illi nõ cum cœlo, sed ante visibilem omnem mundum per multa secula extitisse, & Deo seruisse prædicant: Gregorius item Pontifex & Dionysius de ordinibus angelorum discordant, sanctus Thomas, & sanctus Bonauentura discordes, & altercantes multis in rebus inter se sunt: Mitto alios doctores non omnifariàm (vt isti) probatos, & Guilhermum Ocham, qui de actibus Hierarchicis, cum Dionysio non sentit: Scotus quoque in tertio commentariorum in sententias beato Anshelmo non consentit, quem etiam Robertus Holchot in multis deceptum ait, ob ignorantiam logicæ disciplinæ: sed & multa id genus controuersa pugnantiaque eorum in libris non difficulter reperies.

Cæterùm & ipsi quoque doctores de suismet dictis ambigunt, errauerint in eis videlicet nec ne, vt est videre in primo & secundo Augustini libro de Trinitate: Item ad Vincentium & Hieronymum & Fortunatum. Scribitque Guido Carmelita, quòd Augustinus ipse licet loquatur humiliter, nihilominus loquitur veraciter: Hinc liquet error glossæ illius Decretorum, super distinctione nona, loqui, dicentis, Augustinum secundùm illa tempora, quibus adhuc illius aliorumq; doctorum opera non erant autentica, quæ hodie teneri iubentur vsque ad minimum Iota, per illud quod scribitur distinct. 15. hæc illa ad verbum, quæ quidem manifesto & pingui errore marcescunt: si enim omnia quæ illis insunt libris, qui distinct. illa 15. ab Ecclesia recipiuntur, credere cogeremur, protinus ad contradictoria non parùm multa, quæ illis pariter insunt credenda, adstringeremur: ex eis enim opusculis, cùm illæ quas suprà tetigimus, controuersiæ colliguntur, tùm aliæ multæ colligi parua cum difficultate possunt; prætereo quòd nulla ibi iussio est, vt comminiscitur, sed scio vndénam bonus alioquin nauta in hunc ipsum scopulum illiserit. Numeratur ea distinctione Leonis Pontificis ad Flauianum epistola, cum alijs quæ legenda recipiuntur opusculis, de eaque ita ad verbum scribitur: Cuius textum aut iota si quisquam idiota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit: bonus autem glossator, quod de sola illa epistola, de idiotis, de disputatione dicebatur, & ad omnia pariter opera, & ad omnes hominum gradus, & ad fidem etiam parùm consultò censuit referenda. Colligamus igitur quòd tametsi sanctorum Ecclesiæ doctorum scripta, & sententiæ cum honore suscipienda & veneranda sunt, nihilominus libertas nobis non aufertur aliter sentiendi quàm ipsi senserint, cùm aut manifesto Scripturæ testimonio, aut vniuersalis Ecclesiæ sanctioni necessariò non nitantur, tum enim acquiescendum esset omnibus si conuinceretur ex Sacris literis pendere, de qua re plura Ioannes Gerson in libro de protestatione circa materiam fidei consideratione decima, aut etiamsi à Concilio iudicialiter probaretur, qua de re suprà diximus in expositione octaui Theorematis: qua autem talium doctorum propositiones sunt præcisæ, aut qua probabiliter tantùm ex Sacris literis deducuntur, nullatenus obligant, cùm ob alia, tùm quòd eorum placita (præterquàm in his quæ ad rectam fidem & necessarios mores pertinent, in quibus omnes conueniunt) & dissonantia, & varia, & contraria etiam sunt, & quod est sequens, vero semper non hærent: quam ob rem cõscientiam nostram minimè obstringunt, quod & Petrus de trabibus in primo commentariorum in sententias cõfirmat, & Ioannes Scotus celeber Theologus in quarto commentariorum in sententias distinc. 7. vbi de sacramento confirmationis agitur, nobis insinuare videtur.

Idem de gestis eorum reuelationibusq; dicẽdum est, cùm quia Christiana fides eis solùm

solùm reuelationibus necessariò nititur, quæ in canonicis libris continentur, qua de re suprà dictum est, tum etiam diui Thomæ autoritate confirmatum, qui pariter monuit, quòd huiuscemodi acta & gesta relatu hominum produntur, qui & falli, & fallere multifariam potuerunt. Ioannes quoque Scotus tertia distinct. quarti libri scribit: Apostoli tametsi errare in suis vel actibus, vel verbis potuerint, vt homines, nihilominus, nec Apostolorum vllum, nec prophetarum, in quantum scriptor alicuius partis diuinorum aliquo modo errasse, nixus autoritate Augustini ad Hieronymum quæ ponitur in decretis distinc. 9. cuius initium: *hoc ego solis*, & illud, si ad Scripturas diuinas admissa fuerint, vel officiosa mendacia. Et ipse etiam Scotus in quarto eadem distinctione & quæstione priùs docuit, nullum teneri ad aliquod præceptum diuinum, nisi per aliquem idoneum & autenticum sibi promulgetur, vel fama veridica & testimonio bonorum cui debet quilibet rationabiliter credere, quod de lege duntaxat positiua, non de ea quæ interius corde scilicet, insculpta est, intelligere se dicit. Ioannes item Gerson Christianissimus cognomento Theologus in declaratione compendiaria veritatum earum quæ aut de necessitate salutis credendæ sunt, aut de sola probabilitate, aut de pietate fidei tenendæ, scribit non omnia quæ tradidit, vel tolerat Ecclesia, publicè legenda esse, de necessitate salutis credēda, sed illa duntaxat quæ sub definitione iudiciali tradit esse credenda, vel opposita reprobanda, concurrente vniuersali totius Ecclesiæ consensu implicitè, vel explicitè, vel interpretatiuè, & in libelli progressu de huiusmodi verba faciens, demùm subdit, quòd legendas & miracula sanctorum, vitas patrum, visiones deuotarum personarum, recitationes & opiniones sacrorum doctorum omnia suscipi ab Ecclesia & legi permitti, non ideò, quia determinet talia de necessitate salutis credenda, sed quia proficiunt ad commouendos affectus pios fidelium, & de huiuscemodi materia: Idem doctor sparsim per sua opuscula, in prima præsertim parte voluminum agit, quæ ad res fidei potissimùm pertinet, eruditè quidem & doctè, & Euangelicæ veritati, & sanè rationi consentaneæ. Non est autem prætereundum silentio præter Diuinas scripturas vtriusq; Testamenti & canones statutaq; Conciliorum atque Pontificum, quorum etiam in decernendis causis vsus præcipuus, quod plurimi Theologorum doctorum, & expositorum Scripturæ diuinæ gradus in Ecclesia reperiuntur: alij enim probati, hoc est, recepti nomine expresso sunt, alij in vniuersum, qui, scilicet, in nullo à S. Romanæ Ecclesiæ consortio deuiauerunt, vt in decreto Gelasij videri potest distinc. 15. Alij postea probati & parem cum illis autoritatem sortiti, vt Gregorius Magnus Romanus Pontifex quemadmodū refert gloss. distinc. 9. cap. vt veterum. & Archidiaconus super distinc. 20. probatus posteà Bernhardus Magnus, vt refert Archiepiscopus Florentinus in summa sua, alij per Romanorum. Pontificum epistolas probati, vt Thomas Aquinas: horum etiam in numero Alexandrum de Ales repositum, beatus Bernhardinus affirmat. Probati alij multi Ecclesiæ consensu tacito, hoc est, pro Catholicis semper habiti & laudati, tàm in vniuersum, quàm in particulari, & horum maior admodum numerus, & vix explicabilis. Damnati autem expressis nominibus multi, Arrius, Macedonius, Sabellius, & alij hæresiarchæ, vt in eadem 15. distinctione visitur: *Alij hæretici in vniuersum*, vt ibidem habetur.

Sunt & aliqui, qui aut hæreses, aut errores habuerunt, & nihilominus præter errores illos vsui alioquin fuêre catholicis doctoribus, & etiam laude insigniti, vt Irenæus, vt Papias, vt Lactantius, vt alij: vel quia contra alios hæreticos scripsêre, vel quia non obstinatè in hæresibus perseuerârunt, vel quia alijs in rebus probandi, quemadmodum & Aristoteles, & Plato, & alij ex Gentilibus sequestratis eorum erroribus, & adducuntur & afferuntur à nostris, & eorum sententiæ apud Catholicos diu in pretio fuerunt, sed & declarati posterioribus seculis per sanctos doctores fuêre, qui eorum commentationes interpretati sunt, vt Boëtius Seuerinus, vt Thomas Aquinas, vt alij, nisi enim periculum simplicis animi fuerit, aut particularis & expressa prohibitio Ecclesiæ vetet, nihil obest hæresiarcharum etiam libros legere, vt bona fortè (veluti aurum ex luto) inde eruantur, vt eorū quoq; errores refellâtur. Hieronymus quoq; de Viris illustribus loquens, Lactantium, Origenem, Arnobium, aliosque scriptores non omni ex parte bonos legendos docet, vt bona eorum eligantur, & vitentur contraria iuxta Apostolum dicentem: *Omnia probate, quod bonum est tenete:* & in decretis distinc.

distinc. 37. etiam scriptum est ex Concilio Carthaginensi, perlegere Episcopos debere hæreticorum libros pro necessitate, aut tempore. Alij item libri Apocryphi nuncupantur. Absconsa enim, id est, non patefacta vsquequaq;, neq; clara eorum vel doctrina, vel autores: hos numerat etiam Gelasius 15. distinctione, sed eorum multi magna in autoritate, & fuerunt olim & sunt. Liber enim qui Pastoris dicitur, inter apocrypha ponitur, inter eos autem suprà computatum diximus, qui præter canonem Testamentorum in Ecclesijs legebantur, sicut & Sapientia quæ Salomonis dicitur, & Ecclesiasticus, & Thobias, & alij: & de eo scribit Hieronymus in libro de Viris illustribus, quòd reuera vtilis est liber, & quòd multi scriptorum veterum de eo vsurpauerunt testimonia. Opuscula etiam Cassiani dicuntur apocrypha, & nihilominus maximo olim fuêre vsui, & nunc sunt: Nam & à beato Benedicto laudantur in regula monachorum, & beatus Dominicus in Cassiani lectione profecisse dicitur, & sæpe à beato Thoma, vt post philosophiæ studia animum ad pietatem reuocaret, lecta Cassiani ipsius opera perhibentur. Animaduertendum autem cùm dicitur opuscula probari, non omnia in eis contenta probari, alioquin Cypriani error probaretur, cuius probantur opuscula, & multa etiam contradictoria probarentur, cùm ipsi sancti in pluribus discordes & contradictorij sint, vt antè diximus. Intelligendum ergo in eis probari, quæ veræ fidei sunt, & in condemnationem hæreticorum, & in bonorum morum documẽtis, pariter cùm Apocrypha, aut mala opera dicuntur, non omnia & omninò intelligendum. Aduertendum & illud malè & perperam multa librariorum incuria posita esse in ipsis Decretorum libris, qui corrupti & adulterati multifariàm sunt, exemplo sit illud in ipsa distinc. 15. ne multa cõmemorem quod ordo diuini officij iuxta Romanæ ecclesiæ morem, qui in vsu est, ibi ab hæreticis perhibetur conscriptus, & ipse Archidiaconus super ea distinc. dicit multa esse in eo capite, quæ in multis codicibus non sint posita. Hæc & multa alia, ne dicam millia reperirẽtur, vel librariorum, vel impressorum vitio deprauata de interpretibus canonũ, qui Theologos sequuntur, consequenter dicendum esset: si autorati eo modo fuissent Ecclesiæ decreto, vt enim illi diuina interpretantur eloquia, ita isti canones, vel ad eos intelligendos, & condemnandos errores, vel pro discernendis causis litibusq; dirimendis fabricatos, bifariam autẽ explanatores ipsos, id est, inter antiquos & nouos diuidere possumus, antiquos inquam nouorum comparatione: nam omnes ab annis cccc. aut circiter floruêre, autoritate præstare videntur neotericis antiquiores, quanquàm examinanda potiùs merita quàm ætas, & quis legum ecclesiasticarum sensum rationabiliùs expresserit aduertendum.

THEOREMA XV.

VLLIS HOMINVM DICTIS SCRIPTISVE QVAE AVT fidei substantiam, aut mores ad salutem necessarios non concernunt, habere fidem cogi neminem, superioribus autem temere & inconsultò, refragari non decere.

DIximus suprà indubiam apud omnes Theologos sententiã haberi, Ecclesiam ipsam in ijs quæ ad fidem aut necessarios pertinent mores, aberrare non posse, in reliquis autem falli eam posse & fallere, quod & non doctorum modò consensu fulcitur, sed etiam ipsius Ecclesiæ decreto, quod ab Innocentio, eius nominis tertio Pontifice maximo scribitur, vti datur videre in quinto Decretalium epistolarum libro, titulo de sententia excommunicationis, eoq; iuris Ecclesiastici interpretes omnes cateruatim commeant, Theologi quoq; hoc ipsum adstruũt, Thomas præsertim in quolibetis, vbi de sanctorũ canonicatione mentionẽ facit, quam quidẽ materiam latè prosecutus est Ioannes Picus patruus in Apologia, & Nicolaus Abbas Panormitanus diligenter pertractat, eo maximè loco, vbi capitulum illud à nobis secũdum pertractat, titulo de sententia excõmunicationis: si autem Ecclesiæ iudiciũ in eiusmodi negocijs necessariò verum non est, & quod est sequens minimè obligatorium, vt fide illud teneamus, quantò minus & Cõcilij ipsius, & Pontificis summi & cuiuslibet alterius iudiciũ in huiuscemodi negocijs poterit aberrare: cogimur autem eis duntaxat enixissimè adhærere & indubiam habere fidem, quæ indubiæ

dubiæ veritati nituntur, aut inniti videri debent, qualia post ipsius Dei iudicium, ipsa vniuersalis Ecclesiæ decreta sunt, quæ aut ad Christianæ fidei substātiam, aut ad mores Christiano viro necessarios potissimùm pertinent. Diximus inniti videri debent, quoniam Theoremate octauo diximus, nullo pacto refragandum decretis Pontificis vel Concilij, nisi vniuersalis reclamaret Ecclesia, & præsertim si pœna subderetur non acquiescentibus, & tales illi essent, qui nec aut persona, aut doctrina ita pollerent vt possent ad vniuersalis Ecclesiæ iudicium prouocare. Animaduertendum autem in alijs, vti diximus, dictis scriptísve vt assentire non cogimur, ita dissentire temerè non debemus: si enim satis superq; leue, & temerarium censeretur prudentis hominis iudicium, nulla etiam dignitate & officio insigniti, falsum arbitrari, nisi euidenti id testimonio constaret, quantò magis iniuriosum & mulcta dignum eorum iudicijs inconsultò fidem abrogare, qui aut maiestate verenda, aut vitæ puritate in terris præfulgent: quod si in dubijs conscientiæ casibus aliquis se tutum putat, postquàm peritum quempiam doctorem consulerit, quî ei ambigendum, qui Pontifici maximo iudicāti crediderit, episcopis maximè & sanctis clarisq; sacerdotibus suffragātibus? Sed & experientia magistra rerū nos docuit, Conciliorū omnium præterquàm paucorum decreta ab vniuersitate fidelium summa cum veneratione recepta, summorum quoque Pontificum epistolæ & Apostolicæ sedis sanctiones, magno cum honore ab Ecclesia Catholica susceptæ sunt, multaq; eorum præconia in decretis 19. distinctio. reposita visuntur: quæ quidem in eis etiam quæ aut substantiam fidei, aut mores ad salutem necessarios non spectant, sed ad communem vitam, & lites & iudicia, maturè integreq; deliberant.

Animaduertendum item eos longè aberrare, qui ab eis non minus putat nephas discedere, quàm ab Euangelijs, vti Gratianus decretorum cōpilator putasse videtur, ob Augustini sententiam perperàm intellectam, mirum in modum hallucinatus. Est enim in Decretis distinctione 20. Augustini textus ex secundo, videlicet eius de Doctrina Christiana libro decerptus, vbi doctor ille præcellens canonicos libros Noui & Veteris Testamenti recensens, scribit in versandis sacris literis sequēdum esse vsum Catholicarum ecclesiarum, inter quas illas esse non dubitat, quæ & sedes & Epistolas Apostolicas habere meruerūt, de eis, scilicet, intelligens Ecclesijs, in quibus Apostoli vti Episcopi sederunt, & ad quas suas epistolas trāsmiserunt, vti Romanā ecclesiam, Thessalonicēsem, Ephesinam, Hierosolymitanam, & reliquas. Nondum enim à Christiani nominis hostibus captæ regiones illæ populatæq; fuerant: putauit autem Gratianus, & qui eodem cæco hac in parte duce in supinum istum errorem inciderunt, inter canonicas scripturas decretales, quoq; Romanorū Pontificum Epistolas, quorū tamē eo in libro nulla prorsus habetur mentio ab Augustino numerari, quem introducit de eis epistolis loquentem, quas sedes Apostolica, hoc est, Romana misit ad alios & recepit: nusquam autem hoc apud Augustinum, cuius textum exactè & legere & intelligere Gratianus debuerat, & ex puro fonte, non turbulentis riuis potare. Animaduertere & illud debuerat doctorum intelligentiam ex causis dicendi sumendam esse, vt Hilarius 4. de Trinitate libro docuit, & post eum Pontificia iura titulo de verborum significationibus voluêre, & mox considerasse præcellentem Augustinum, qui eum se cudere librum ob doctrinæ diuinitùs reuelatæ intelligentiam profitetur, nullo pacto de summorum Pontificum decretalibus epistolis locutum, quod etiam ex ipsismet verbis Augustini sequentibus innotescit: Inquit enim, totus autem canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: quinq; Moseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeri, Deuteronomio, vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, & sic deinceps libros omnes, tàm Veteris, quàm Noui testamenti recenset, nulla de epistolis decretalibus Pontificum habita mentione, nec de Apostolica Romana sede verbum faciens, neque id etiam ad propositum libri pertinebat in vniuersum, neque ad vllam eius partem, neque Pontificum epistolæ eo tempore congestæ in vnum fuerant, vt exactissimam vim legis obtinerent. Quemadmodum sub Gregorio nono, quem Augustinus multis seculis præcessit, edita est illa quinq; librorum compilatio, & vt vim haberet legis, ipsaq; tum in iudicijs & scholis vniuersi vterentur statutum est. Præcessit & Augustinus Gratianum non parùm multis annorum curriculis, præcessit Isidorum illum Hispalensem, ex quo ille plurimùm

traxit,

traxit, præcessit & plurimos eorum Pōtificum, qui decretales scripsêre epistolas. Cæterùm quæ ruditas, arbitrari epistolas eas, quæ de rebus temporalibus etiam minimis quandoq; editæ fuerint, & quæ contrariæ inter se reperirentur, vt ipse Gregorius Pōtifex in prooemio decretalium asserit, Diuinis scripturis conferendas esse, vel vt de longinquo, ne dum æquandas? Mitto quod Papæ lex ius diuinum non dicitur, vt etiam in cap. *non debet de consanguini. & affini.* quod & Siculus Abbas confirmat inter alios. Mitto quod errare in fide potest, vt etiam fauentes ei plurimùm canonum interpretes volunt: præsertim ipse Innocentius eius nominis quartus Pontifex in cap. primo de sum. Trini. Mitto quòd eas etiam vocat decretales, epistolas Gratianus, quas Romana ipsa ecclesia ab alijs recepit, quæ decretalium nomine nullo pacto censeri possunt: Mitto quòd decretales ipsæ epistolæ truncatæ sunt, & eorum partes dimissæ, partes admissæ, prout compilatori visum est in iudicijs expedire. Mitto quòd reuocari possunt, per eosdem, aut posteriores pontifices, quòd per consuetudinem etiam contrariam abrogari, quæ nullo pacto canonicis Diuinæ scripturæ libris conuenire possunt, in quibus nec inueterata consuetudo, nec pontificum vlla reuocatio potest obesse. Hoc autem dixi nullam aliam ob causam, quàm ob veritatem manifestandam, atq; vt autoritas & fides per vera testimonia, quæ certè non desunt decretalibus epistolis arrogetur, non per falsa & commentitia derogetur: Neq; enim desunt epistolis decretalibus laudes, & veræ & propriæ, quorum illa præcipua est, quæ calumniam pati non potest vniuersalis Ecclesiæ consensus, vbi eas probauit, fuitq; inter alios plurimos Ioannis Vicleff errores, & hic quoque in magno illo Constantiensi Concilio condemnatus, quòd epistolæ videlicet decretales apocryphæ essent, & à fide Christi seducerent.

THEOREMA XVI.

DISSIDENTIBVS PONTIFICE SOLO, ET CONCILIO vniuerso inter se, Pontifice & Doctoribus inter se, Concilij Episcopis & sacerdotibus inter se, in causa fidei decernenda, quid agendum videri.



VLta diu circa primam Theorematis partem disputata sunt. Fuêre enim qui dicerent, Concilium in causa fidei præesse Pontifici; fuêre qui Pontificem Concilio præponerent, & circa ipsius synodi collectionem: Alia etiam quæstio vtrum sine Pontifice, vtrum eo refragante conuocari colligiq; posset. Et sanè si rectæ fidei fuerit, nullū mihi videtur dubium ad eum pertinere, vtpote Petri successorem, & Christi vicarium, sed cùm ritè Concilium conuocatum est, & inter disputandum ambigitur, quid decernendum sit, si fortè Pontifex quicquam solus vellet, vniuerso reclamante Concilio, tùm iuxta multorum doctrinā, nec Theologorum solùm, sed ecclesiastici Iuris interpretum, non admodum secura eorum consensio, qui relicta illorum sententia, ipsi hæreret. Scribitur enim in decretorum glossa distinc. 19. Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, vbi de fide agitur, & tunc synodus maior est Papa, quamobrē Archidiaconus Bononiensis glossam ipsam probans inquit: Periculosum esset fidem nostram vnius hominis arbitrio committere. Ad hanc fermè sententiam Bernhardus loquitur, inquiens: Quæ maior superbia, quàm quòd vnus homo toti cōgregationi iudicium suū præferat, tanquàm solus habeat Spiritum sanctum. Huc quoq; & illa tendit Glossa nonæ causæ quæstionis tertiæ, cuius initium, *Nemo.* Maior enim, inquit, orbis est vrbe, ipse tamen crediderim si causa ipsa nunquam anteà definita sit, fieri difficulter posse, vt Pōtifex solus aduersum omnes sentiret, nisi aut diuino spiritu, aut spiritu erroris insignitus duceretur: vtrum magis putandum esset, ex præcedenti vita atq; doctrina rimari oporteret. Illud tamen aduertendum officij dignitatem multum habere momēti, qua vti, scilicet, vellet omnipotens in veritate manifestanda, sed nec illud contemnendum, si adeò illius maneret sensus, ex re etiam esse, vt alij pleriq; ipsi accederent antequàm sententiam ferret, quoniam *Deus autor est pacis, non dissensionis:* In causa verò antea definita & recepta Pontifici accedendum esset, cuius etiam sententiæ in causa fidei iuxta Thomæ sententiam acquiescendum est magis, quàm cuiusuis doctoris opinioni.

Si verò

Si verò inter se Concilij Episcopi dissentiant (cæteris paribus) parti maiori adhærendum videtur: hæc enim vltima Theorematis pars naturæ luminis beneficio claret. Addubitari enim vix potest maiorem partem (cùm paria sint cætera quæ ad rem faciunt) sectandam non esse: Ad exactam autem considerationem eorum quæ offerentur credendorum, sic ipse arbitror statuendum: aut enim prodesse potest, & nihil obesse quod credendum proponitur, aut è contrario obesse, nihil autem prodesse, partim obesse, aut vtrum profuturum sit, an nociturũ nesciri: quæ primo ordine statuuntur, admittenda sine cunctatione sunt: Iuxta illud Sapientis: *Innocens credit omni verbo.* Et Apostolus ait: *Charitas omnia credit.* Secundi autem ordinis res reijciendæ omninò & ablegandæ sunt, secundùm Sapientis sententiam dicentis: *Qui citò credit, leuis est corde.* Tertij ordinis res eò deducendæ, vt mente saltem & cogitatione, si re ipsa fieri non potest, profutura discernamus à noxijs. Quarti autem ordinis examinandæ iuxta illud Apostoli: *Nolite omni spiritui credere, sed, probate spiritus an ex Deo sint,* putoque ex hac radice suam illam credendi artem traxisse Ioannes de Sabunde in libro quem Theologiam naturalem vocat, qua docuit comparanda contradictoria liberandaq;, & in eam lancem demùm vergendum esse, quæ secura magis & conducibilior videretur: quòd si quispiam errore non crimine cespitaret, vt quod obesset, prodesse crederet, puto non perniciosè falleretur, ni quoquomodo sui ipse erroris obliqua volũtate dux efficeretur. Lumen enim connatum, de quo iam plura, instar corporalis luminis operatur, vt enim huius beneficio luminis collustrantur oculi, quo munere ab offendiculis plurimis cauemus, & rectà incedimus, ita illius illuminatur mens, cuius postea fulgore voluntas, & ad bona peragenda opera & ad cauenda mala perducitur: sed ex iure quoque Pontificio eiusque interpretibus probatio colligitur, vbi enim maior pars, ibi præsumitur esse Ecclesia, vt 56. distinc. Apostolica, iuxta glossam: deducitur item particularius ex capite cuius initium: *In cunctis*, titulo de ijs quæ fiunt à maiori parte capituli: illûc quoq; ea tendit sententia, quæ ponitur distinc. 15. cap. eo. cuius initium, *Sicut:* sed & Concilij Toletani decretum extat sub hac forma: quòd cùm quælibet synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quippiam definitur, si pauciores per nescientiam vel contentionem fortè dissentient, aut commoniti plurium sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore, aut confusione abscedant, aut excommunicationis annuæ luant pœnam: dictum autem est, *cæteris paribus*, quia si pars maior contra Diuinas literas, contraque ea quæ violare nephas est, decernere quicquam vellet, reliquis qui pauciores essent contranitentibus, numero minori adhærendum esset, quemadmodum accidit in Ariminensi Concilio, & in Ephesino secundo: quinimò simplici potiùs Rustico & infanti & aniculæ quàm & Pontifici maximo, & mille episcopis credendum, si contra Euangelium isti, illi pro Euangelio verba facerent, & hanc ob causam non simpliciter absoluteque, sed sub conditione Toletani Concilij sanctionem editam esse crediderim: nanque nescientiæ atque contentionis duntaxat mentio facta est, pari pacto & de bonæ probatæque conscientiæ viris, & de suspectis vel malis, de doctis quoque & indoctis, deque rei claritate & obscuritate intelligendum est, vt omnia videlicet præter numerum paria censeantur.

THEOREMA XVII.

DISSIDENTIBVS SVMMIS PONTIFICIBVS IN schismate, diuersaq; & varia dogmata proferentibus cui credendum.


Ieri enim potest, & sæpenumerò cum pernicie factum est, vt pluribus de summo Pontificatu contendentibus, vnusquiq; eorũ se Pontificem iactet, variaque & pugnantia dogmata disseminentur, atque alij alium, & multi sæpè nullum quasi acephali sequantur. Quapropter dare operam pro viribus oportet, vti vero Pontifice cognito & honorato reliqui reijciantur. Ad hanc autem notitiam exactè consequendam difficilè quispiam admittitur, siquidem Cardinales ad quos Pontificalis electio ad præsens ecclesiasticis sanctionibus pertinet, scindunt se in partes & studia contraria, ex eisque veluti contrarijs testibus, quinam

eorum canonicè electus fuerit, dignosci planè non potest. Igitur perorationem in primis consulendus est Deus, vt beneficè veritatis radio mentem illuminet: Dein rationes perquirendę, boniq; & docti viri consulendi sunt: paribus autem (si hoc fortasse contingeret) rationibus & testimonijs, is esset sequendus, cui diuina ad probatū vel virum, vel fœminam reuelatio facta adstipularetur: semper enim prophetica responsio, cæteris paribus, præponderare debet, & eius præsertim viri aut fœminæ, cuius testimonium & prudens ingenium, & spectati laudatiq; mores & immaculata conuersatio laudauerint: At si fortè hinc inde reuelationes contrariæ pugnantesq; proferrētur in medium, & vtra vera, & quod est sequens diuina haberi deberet, internosci nō posset, cùm alteram esse falsam, alteram veram, si inuicem contradicunt, necesse sit, ei Pontifici adhærendum magis, si cætera videlicet paria sint, qui alterius sectatores, ob pœnæ videlicet periculum, maledictis & anathemate insectaretur: quòd si vtrique Pontifices diuersarum partium sectatores maledictionibus persequeretur, nemoq; ab infligendis cēsuris abstineret, adeò vt in hac quoq; re par causa redderetur, ei qui melior doctiorq; palàm haberetur accedendum censeo: At si in hoc quoq; ambigeretur, sic arbitrandum puto, vt qui operam pro viribus impenderit, in cognoscendo vero Pontifice, sequi eum qui sibi iure sequendus videtur, tuta conscientia possit, & rectiùs multò, mea quidem sententia, is aget, quàm qui neutrum sequitur, vt quandoque in schismatibus contigit, quibus inerat pars quæ neutralis vocaretur: nam tametsi fieri posset vt ille falleretur, & Antipapam pro Papa veneraretur, nullū ob id crimen incurreret, quando istiusmodi ignorantia inuoluntaria omnino & inuincibilis esset, cùm paratus, scilicet, est animus perquisitæ atq; agnitæ veritati inquam, totus adstipulari. Huic sententiæ Vlricus Theologus in summa sua non discordat, docens eum qui peritiores consulit de re ea, quæ alioquin expressa autoritate non fulciatur, vtrum sequenda sit nécne, posse in quam maluerit partem, sine dispendio vergere, dum sibi id faciendū dictet conscientia: hac motus ille ratione fuit, quod Deus ab homine non requirit, quod eius superet vires, atq; ob id eum qui totis viribus veritatem perquisiuit, non posse cum pernicie errare, etiamsi mendacium sub specie veritatis nesciens amplectatur.

Huic quoque & diui Thomæ autoritas fauet, qui in summa sua secundo volumine secundæ partis scribit, eos propriè schismaticos dici, qui ex intentione ab vnitate Ecclesiæ se diuidunt. Animaduertendum quoque puto, si eorum alter irrationabilia vnquam, aut præcepta, aut consilia subditis tulit, altero legitimè pręcipiente (nam ad eius remotionem operari possent subditi) cùm de potestate ambigitur, quemadmodum etiam Scotus in 4. commentariorum in sententias distinc. tertia scribit, quanquam huiuscemodi eorum præcepta consiliáve quamdiu Prælatus est, contemnere non licet, minimè obseruando iuxta illud Dominicum: *Super cathedram Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi:* nihilominus non licet etiam reputare, ea bona & falsa opinione teneri laborandumque esse ad correctionem vel amotionem præcepti, aut ipsius prælati fatuè præcipientis. Cæterùm sicut is qui in fide errat, non est censendus hæreticus, si paratus est corrigi, vti Theologi & Iuris interpretes omnes volunt, cùm pertinacia sit, vt inquiunt, de formali ratione hæreseos: quod vt mittam Theologorū sententias, notatur etiam ab interpretibus canonici iuris in cap. *hæc est fides*, in decretis causa 24. quæstione prima: Et secunda causa quæstione tertia, in cap. *dicit Apostolus:* & in decretalibus titulo de summa Trinitate & fide catholica in cap. *damnamus:* pari & validiori etiam ratione schismatis vitio maculatus censeri non deberet, qui Antipapæ crederet, quousque, scilicet, de veritate quæ tum iacet in obscuro cōstiterit: Alioquin damnandi essent sancti illi viri qui diuersis Pontificibus credebant, obediebantque in diuturno illo schismate, quod per Martini eius nominis quinti Pontificis electionem Constantiæ sopitum est. Namque sub Vrbano sexto, & Bonifacio nono, Catharina Senensis, & Brigita vixère sanctissimæ fœminæ, sub Clemente sexto, & Benedicto duodecimo, Petrus de Lucinburgo, sub Benedicto, item Vincentius ordinis prædicatorum clarissimus. Qui autem rudes omninò & inexpertes literarum sunt, adeò vt huiuscemodi controuersiarum capaces non euaserint, modò rectæ intentionis fuerint, excusari crediderim, si suis Episcopis audiunt, cùm ad hæc exactè noscenda nec diuina, nec humana lege cogantur. Quid enim istis necessarium sit suprà do-

prà docuimus, quam ob rem suos sequi Episcopos debent, quibus illud Iob aptari potest: *Boues arabant & asinæ pascebantur iuxta illos.* Et illud Apostoli: *Obedite præpositis vestris & subiacete illis.* Ioannes Gerson de schismate copiosè scribit, quare qui exactionem huiuscemodi rerum notitiam cuperet, librum eius adire potest.

THEOREMA XVIII.

DISSIDENTIBVS PROBATORVM THEOLOGORVM vel iuris interpretum opinionibus, posse quemcunq; tutò eam sequi, quæ sibi magis consona videtur veritati, cæteris autem paribus illi esse tutiùs hærere, in qua plures, & qui doctiores sanctioresq; sunt habiti, conueniunt.



SI enim probati sunt, nihil aut Sacris literis, aut ecclesiasticis sanctionibus aduersum proferent, probantur autem aut expresso iudicio, aut tacito cõsensu: hoc est, aut sententia, aut quod est frequentius vsu publico vniuersalis Ecclesiæ. Augustinus multiq; tùm Græci tùm Latini doctores probantur in decretis distinc. 15. per Gelasij Papæ sententiam, beatus quoque Bernhardus, beatus Thomas & alij summorum Pontificum literis probantur (vt suprà diximus) alij quoque vsu publico Ecclesiæ pariter probati sunt: hoc est, pro catholicis habiti: Qui hos igitur sequuntur, etsi dissideant, etsi à vero quandoque recedant, perniciosè tamen, hoc est, aut contra fidem, aut necessarios mores errare non possunt: quandoquidem in illis omnes conueniunt: damnatos autem ab Ecclesia doctores & hæreticos, non modò non sequi, sed & persequi & damnare oportet, alioquin Arrij & Nestoris, & aliorum principum hæreseos sectatores excusarentur, quòd suos doctores magistrosque sequerentur, qui Euangelicam fidem apertè demoliebantur. At si res de qua sit controuersia indirectè, vt aiunt, & secundariò ad fidem pertineat, hoc est, quamuis in Sacris literis quoquomodo contineretur, non tamen palàm expliciteq;, qui aduersam falsamque opinionem tueretur nixus doctorum autoritati, dignus venia haberetur: veritatis nanque portum tenere se credens in mendacij scopulum, vel nulla vel certè parua culpa delaberetur. Scribit ad hanc sententiam Monaldus veritati præiudicium non negari, cùm inter diuersas probatorum doctorum sententias illam opinionem quis amplectitur, quæ magis sibi videtur consona rationi: fauet & Thomas in secundo volumine secundæ partis summæ, quæstione 11. quòd si huiuscemodi opiniones aut ad substantiam fidei, aut ad necessarios mores minimè pertineant, pro libito quis & absque discrimine quam maluerit partem, sectari potest: tunc enim vt in quolibetis scribit idem Thomas locum habet illud Apostoli: *vnusquisq; in suo sensu abundet.* Diximus cæteris paribus eam præponendam, in qua plures & qui doctiores sanctioresque sunt habiti, conueniunt, quod quidem probabilissimum: id enim in quo omnes conueniunt, vt sapienter Aristoteles docet, non potest omninò falsum esse: parum autem referre existimauerim vtrum omnes aut plures, & meliores dixeris: sed & persuasissimum nobis esse debet eos non modò qui doctiores, sed & sanctiores sunt clariùs, & exquisitiùs cæteris veritatem agnoscere & agnitam sectari, adstipulatur illud Ecclesiastici: *In multitudine seniorum salus.* Et illud item: *Ne despicias narrationem seniorum, & in prouerbijs eorum conuersare, ab istis enim disces sapientiam.* Quis enim ambigat, tutiùs se hominem eius iudicio committere, quem probatæ perspectæque bonitatis agnouerit, quàm qui bonitatis, aut expers, aut indigus doctrina duntaxat pollet: Et diuus Ambrosius in libro de Paradiso scribit: neminem debere se alteri credere, nisi cuius virtutem probauerit.

THEOREMA XIX.

IN CONTROVERSIIS FIDEI NVLLO VNQVAM MOdo definitis posse quemlibet rectæ mentis, quam maluerit opinionem tutò sequi.



Equitur hæc ex præcedentibus : nam cùm veritas non eluceat, & quæri nihilominus pro virili debeat, potest quis tutò alteram sequi doctrinam, altera abiecta, cùm inuicem, scilicet, contradicunt. Quapropter si rectæ mentis fuerit diuino se iudicio in ipsa electione committit, quando ab eo nonnisi veritas quęritur: *Bonus autem Deus ijs qui recto sunt corde*, sic accusari iure non posset, etiam qui erraret, quando nec voluntatis vitio, nec pernitiosè in errorem laberetur, & ob hanc causam inoleuit fortè consuetudo apud multos in præfatione disputationum suarum, quas aut voce habent, aut scriptis vt protestentur bonæ se esse mentis, erga catholicam fidem, & quanquam aut verbo aut scriptis protestatio ea an esse possit quandoque sine culpa. Abesse tamen ab animo sine culpa nō potest: paratus enim vnusquisque esse debet, non solùm Ecclesiam, sed & quemlibet se rectiùs sentientem audire, & sequi. Scribit & Ioannes Gerson hac de re in libro de Protestatione circa materiam fidei consideratione secunda, ita ad verbum: Protestatio generalis vel specialis de ipsa fide non infert: quòd protestans errauerit, similiter nec reuocatio conditionalis: hoc est itaque perspicuum, quòd homo quantumcunque fidelis dicere potest, protestor, quod nil intendo dicere, nec puto dixisse contra fidem, & si oppositum contingeret vel contigisset, illud ex nunc reuoco vel retracto: Subditque nullum esse vel fuisse de errore notatum, qui sic protestaretur, aut reuocaret, referre tamen ait protestari, vel conditionaliter reuocare circa ea, quæ clarissimè & explicitè sunt de fide, & ea quæ difficultatem habent aliquam: in illis enim inquit fas est dicere cum Apostolo ad Galatas: *Si quis vobis aliud Euangelizauerit, etiam angelus de cœlo, anathema sit.* Rectę autem mentis eum appellarem, qui Dei honorem super omnia, & desideraret & quæreret, sibique & alijs perpetuam cum Deo felicitatem in cœlis: Illud semper arduis præcipuè in rebus animo voluens, identidemq; rogans: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra:* quod idem est, ac si Dei honorem, & nostræ animę salutem expresè quæreremus: vult enim Deus honorem sibi debitum deferri à nobis, idque in bonum est nostrum, quo sanctificamur. *Hac est enim,* inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra:* qui autem in cœlis sunt, nihil ab hoc aut euariant, aut euariare possunt, vtpote iam Deo iuncti charitate perpetua, eiusque voluntati adeò conformes, vt quicquid ille vult, constantissimè velint, suaque de felicitate perpetuò tenenda, nihil solliciti, sed omni quæ possit à nobis in præsens optari, certitudine certiores sunt. Hæc autem nobis esse in votis debent, & quicquid agimus, eò dirigendum est.

THEOREMA XX.

IN CONTROVERSIIS FIDEI OPINIONI EI ADhærendum esse, quæ & Euangelio magis consona est, & fortiori ratione munita.



X supradictis prima pars liquet, sed & rationi efficaciori adquiescendum esse, persuasissimum est: cùm autem rationem nomino non eam tantùm intelligo, quæ naturali duntaxat lumine prædita est, sed de ea loquor potissimum, quæ Christi fidei iam susceptæ pio & frequenti obsequio famulatur, quemadmodum à nostris Theologis fieri solitum est.

THEOREMA XXI.

IN CONTROVERSIIS FIDEI QVORVM PARTES VEL naturali ratione, vel Euangelico testimonio roborari æquè videntur, ei tutius est hærere quæ censuram aut infligit, aut cominatur.



DIximus suprà eam partem cæteris partibus tenendam, quæ aduersarios execrationibus & anathemate insectaretur: additum est autem in Theoremate verbum æquè ob id, quòd si cuipiam constaret, partem alteram Euangelicæ inniti veritati ab ea metu pœnæ nullo pacto recedendum esset, quod & antè diximus. Christi enim sententia est: *Beatos eos esse qui persecutionem propter iustitiam patiuntur.*

THEOREMA XXII.

IN CONTROVERSIIS FIDEI SVSPENDENdum aliquando iudicium.



SI enim dubietas exoriretur, quæ'nam partium Euãgelicę veritati niteretur magis, pręcipitanda nullo pacto sententia foret, periculosum enim & impium in casu fidei tàm seria, tanti discriminis, quicquam temerè diffinire. Quamobrem librato iudicio veritas, quę se mentibus fidelium ingerat expectanda est, & in eo quod intercedit tempore orandus est Deus pro impetranda discretione spirituum, & sacræ literæ consulendæ sunt, quod magnus ille Athanasius in Arrianam blasphemiam scribens faciendum censet: Illud quoq; accedit quòd homo sibi nimiùm credens, in superbiam facilè labitur, & inde in hęresim facilimè delabi potest: ex aduerso autem pensandum non semper & omnifariam alijs credendum esse, etiam maiori parti, exemplo sint Christi discipuli pauci contra innumeros aduersarios, Martyres, contra orbem vniuersum, contra varias hęreticorum sectas & populos, pauci doctores, potissimùm dum sęuiebat rabies Arrianę blasphemię, dum profugus Athanasius Christi seruus in pœnã falsi dogmatis ab ipsis hęreticis poscebatur, dum Hilarius pariter exulabat, qui sibi soli & non alijs credebant, iudicãtes se in Christum credere, aduersariorum autem numerosissimam turbam Christum plasphemare. Nec officit, si quis dicat fretos proprij ingenij rationibus, & armis doctores ipsos, in aduersariorum exercitũ vim fecisse: oppugnabantur ipsi potiùs, sed Christo pro eis pręliante expugnari non poterant: afferebantq; hęretici rationum suarũ cateruas, & Diuinę scripturę autoritate pro se prima fronte probabiles, & ita visas populis, & Principibus, & Episcopis multis, veluti cùm Arrius illud adducebat Christũ contra ipsum Christum: *Pater maior me est*, & cætera id genus, quibus aduersus Deum magno impetu magnoq; fragore adiuti etiam Imperatorum edictis, militabãt. Quare qui probabilitati inconsideratè accessissent, aut multitudini fisi fuissent, aut fauori Principum & Episcoporum concessissent, mortis laqueis capiebantur. Quapropter nobis considerandum est, multa esse falsa, probabiliora quibusdam veris, *& stultorum etiam* (vt inquit Sapiens) *infinitum esse numerum*, & Principes & Prælatos Ecclesię quandoq; aut ignorantia, aut malitia decipi: non enim Scripturas diuinas quilibet intelligit, quas docet Spiritus sanctus, nec nisi eos quos vult, & pręsertim quos humilitatis raro priuilegio donauit, quę sine literis literatissimos philosophos vincit & vicit. Exemplo sit philosophus doctissimus à simplici Episcopo Nicęę superatus, & in sententiam tractus, qui cùm primùm aduersus doctorũ Episcoporum tela se defendisset, mox ab indocto & inermi, sed humili Episcopo prostratus, ad Christum in triumpho libens, & alacer ductus est: Colligamus igitur suspendendum aliquando iudicium in causis fidei controuersis & ambiguis, ne laqueis diaboli, quorum mundum repletum in visu vidit Antonius, irretiamur, & ostenso ei remedio, scilicet, humilitate vtamur & oratione, quorum ope & vestiganda & amplectenda veritas, quæ per Dei gratiam nobis innotescet: possumus enim iudicium suspendere, non solùm in his & perquirendis, & cogitãdis, & iudicandis, sed etiam in omnibus etiamsi esset vltimus finis, secundũ aliquos, vt refert Gerson in libro de perfectione cordis, suspẽdere in-

dere inquam, hoc est, nec velle, nec nolle assentiri, sed non accederetur fortè à multis doctioribus huic opinioni, quoad vltimum finē, credentibus non solùm nos debere vltimum finem velle, sed non posse, nolle ei assentiri: in dubijs autē aliquando idipsum & debere & posse cōtingere: quam difficultatem ideò tetigi, quia multi dubitarent, & posse iudicium suspendere, cùm in sensu inclinationē aduertunt, imaginationem & sensum ab intellectu & voluntate perperàm distinguentes.

THEOREMA XXIII.

IN CONTROVERSIIS CHRISTIANAE FIDEI ERRARE perniciosè neminem qui recto sit corde, & pro veritate noscenda, preces ad Deum indesinenter fuderit.



Etus enim & trita Theologorū sententia est, quemlibet fidelium à Deo exaudiri, qui pro se piè & perseueranter orauerit: pro se autem & piè orat, qui pro fidei veritatē noscenda diuinum implorat auxilium, & eò maximè cum humanum deest, & inter fidei proceres cōtrouersia suboritur, dum Pontifex à Concilio dissentit, Concilij partes inter se diffidēt, & vtrinq; ratio, vtrinq; doctorum virorum autoritas. *Bonus autem Israël Deus ijs, qui recto sunt corde,* luce suæ veritatis humanæ caliginis tenebras discutit, si perseuerantiæ virtus nunquam satis laudata precibus ipsis adfuerit: *Petite* (inquit Christus in Euangelio) *& accipietis, pulsate & aperietur vobis.* Recti autem cordis eos, quod & aliàs diximus, appello, qui Dei facere voluntatem desiderant: huiusmodi autem homines illuminari permaximè ex Euangelio colligimus. *Si quis enim* (inquit Christus) *voluerit facere voluntatem eius qui misit me, cognoscet de doctrina.* Hoc autem verbo pernitiosè vsi in Theoremate sumus, ob id quod tametsi quempiam errare Deus (occulto sub iustissimo tamen iudicio) sineret, citrà tamen ęternæ mortis culpā id fieret: adest enim semper bonæ voluntatis viris diuina protectio, quæ noxium peccati virus abigit à conscientia, immunesque & illæsas sanctorum virorum animas custodit & seruat: Multi enim erroribus & de mille annis, & de iteratione baptismi maculati, beatitudine tamen donati sunt, & ab Ecclesia celebrati, vti Papias Episcopus Hieropolitanus, Cyprianus Carthaginensis, Victorinus Pictauiensis, Irenæus Lugdunensis: & alij. Fieri enim facilè potest (quod Hieronymus voluit pro defensione librorum Clementis) vt non solùm ab hæresis pœna defendatur, cuius scripta ab imperitis librarijs paulatim corrupta sunt, sed qui vel simpliciter errauerit, vel alio sensu scripserit, vel innocenter quędam & minus cautè locutus est. Nullo nanq; pacto credendum beati Cypriani & aliorum quos suprà memorauimus errores, voluntatem eorum obstinatione maculasse. Sed intellectum duntaxat, quandoquidē nulla obstinatione in eis permanserunt, quos nondum Ecclesiæ consensus (vti posteà factum est) inter perniciosos errores computàrat. Suprà item retulimus de iustis & beatis quibusdam viris fœminisq; quibus diuturnum illud schisma non obfuit, vt à vero futurorum bonorum Pontifice Christo separarentur: oculi enim eorum semper ad Dominum, qui euulsit ipsorum pedes à laqueis.

Animaduertendum tamen non inconsultè dixisse nos in Theoremate in controuersijs fidei: hoc est, in eis difficultatibus, quæ de suscepta iam fide Christi penderent, ne intelligeremus, si de ipsa fide Christi in vniuersum suboriretur dubitatio, veráne an falsa esset, orare super hac controuersia nos debere vt veritas patefieret: hoc est, vtrum eam credere tenereq; deberemus ánne: neque enim id orare oporteret: nam qui oraret & suppeteret superno lumine collustrari vtrum Euāgelio credēdum esset, proculdubio aberraret, quia minus firmus stabilisque in Euangelica veritate persisteret, quî enim fieri posset, vt qui syncerè & cunctàter (vt oportet) Euangelio crederet, peteret postularetque, vtrum illi credere deberet ánnon: firmiter enim credendū sine disquisitione est. *Semel* (inquit Scriptura) *locutus est Deus.* & idipsum secundò non repetit. Et iterum: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et iterum: *Ego Deus, & non mutor.* Et alibi: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et alibi: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Sed si quis fortè obijceret Iudæos se hoc pacto posse excusare, quòd videlicet de lege Mosi, vtrum credendum ei sit, am-

sit, ambigere non possunt, nec ob id errare eos, si nō orauerint Deum, vt eis manifestet vtrum Euangelio credere debeant: parique pacto & Mahometenses, & alios à Christi fide alienos: Respondendum Iudæorum fautoribus est, quanquàm & alia hac de re scripta à nobis suprà sint, exorbitare eos multifariàm: neque enim petimus ab eis, vt de lege dubitent, sed vt ipsam legem intelligant, & ad medullas penetrent relicto cortice, quod si obstinatione sequestrata facerent, inuenirent Euangelium, & Christum discerēt, qui illos legem perfectè doceret Euangelio insinuato. Mahometenses verò & quicunque alij nostræ legi aduersi, debent de eorum legibus dubitare, in quibus multa non solùm contra diuinam legem, sed & contra ipsius naturę decreta, quæ omnes seruare oportet, immixta sunt: Gratias igitur quàm maximas habere Deo Christiani debemus qui superno lumine gratiæ suæ nobis affulserit, quo discimus Euangelio simpliciter credendum, & in Euangelij expositione catholicæ, & in Ecclesiæ catholicæ sensu percipiēdo, doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, & in doctrina Romanæ Ecclesiæ noscenda, probatorum ab ea doctorum, & præsertim Theologorum sententijs, atque consensu: Ita enim superno illo lumine didicimus, & in celebratissimorum doctorum scriptis sparsim, postea hæc ipsa vel expressa, vel immixta inuenimus: quibus autem demandatum non est officium, vel docendi plebem, vel prædicandi ij minimè adstringuntur ad notitiam exactiorem, vel habendam, vel pro viribus quærendā de rebus fidei, & qui iuxta vires, necessaria discere satagerūt, satis fuerit. Si in vniuersum Romanæ Ecclesiæ hoc pacto acquieuerint, vt illa credere velint, ad quæ illa obligare fideles, per edicta & præcepta sua voluit: quare cùm inextricabilia menti suæ occurrerint, ad obligatorium illud iudicium Romanæ Ecclesiæ se referent, tumque vel posteà exquisitior ei veritas patefiet, in eoque adimplebitur, quod in Psalmo scriptum est: *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.*

THEOREMA XXIIII.

EADEM SEMPER NON FVISSE NECESSARIO credenda, neque eundem ordinem seruatum.



MVlta enim implicitè olim Sacris in libris cōtinebantur, de quibus nulla alioquin suborta lis fuerat, nulla sanctio per catholicam Ecclesiam promulgata: atque ob id quispiam ad ea explicitè credenda minimè astringebatur: postquàm autem definitum est per Ecclesiam, sequi ea necessariò ex Sacris literis & summi Dei esse consulta, credenda explicitè nobis sunt: Atque in hunc modum nonnulla per Ecclesiæ decursum declarata non sunt. Inter prophetas quoq; Veteris Testamenti posteriores prioribus exactiorem quandoque & distinctiorem quarundam rerum notitiam cōsecuti sunt, vnde & Dauid canit: *Super senes intellexi.* Apostolos etiam clariùs & exquisitiùs nonnulla percepisse quàm veteres illud indicio est, quod Paulus ad Ephesios scribit: *Potestis intelligere prudentiā meam in ministerio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum.* Vnde & Gregorius scribit per successiones temporum diuinæ cognitionis augmentum creuisse, de qua re latè, scilicet, Thomas disputat in prima parte Theologicæ summę, vbi de Angelorum cognitione pertractat. Sed & varius diuersis temporibus ordo credendi seruatus, quanquam huic semper veluti fundo nixa est fides nostra diuinis reuelationibus credendū esse. Christi nanq; discipuli, vt testamenti Veteris ad pręsens mittamus, Ecclesiam hunc ordinē seruauēre, vt quæ ab Christi ore hauserunt, & crederēt, & seruarent, eodemque tempore, & ab ipso Deo illuminabantur interiùs fidei lumine, exteriusq; per signa & miracula ab eo patrata roborabantur. Primi autem qui post ascensum Christi in cœlum credidēre, ab eisdem & Apostolis & discipulis fuerunt edocti, & sic deinceps adusq; nostra tempora per successionem (vt ita dixerim) hæreditariā Christianis hominibus, tùm voce tùm scriptis fidei notitia peruenit. Nos autem qui ab incunabulis cum lacte nutricis hanc fidem imbibimus, parentibus nostris ordine temporis priùs credimus, cùm ea nos edocent, quæ ad fidem pertinent, & paulatim ad audienda Euangelia relegant, quæ Christianorū primitiæ priscaq; illa sub Christi tēporibus pullulans, & Sancto spiritu ampliter fœcūda Ecclesia ab apocryphis scriptis segregauit, & à Christianis omnibus custodiri, & pro verissimis haberi oraculis decreuit.

Sed & alium credendi ordinem animaduertere est, priùs enim quàm vulgarentur Euangelia, & priùs etiam quàm Matthæus qui primus omnium suam de Christo Hebraicis literis contexuit historiam, ad scribẽdum animum appulisset, fides ipsa inter Christianos feruentissimè splendebat, atque ob id priùs Ecclesiæ credebatur, quod etiam apud antiquos patres obseruabatur. Namque antequam Moses res gestas ab mundi genesi exordiretur, in Abel, Noë, Abraam, & reliquis iustis, fides sancta & immaculata permanserat. Cæterùm Euangelium quod & ab Ecclesia ipsa probatum roboratumque est, sua posteà autoritate confirmat Ecclesiam, eiusq; nobis dignitatem ostendit: nihil enim de Christi factis de Veteris testamenti firmitate nouimus, nisi Euangelicæ legis beneficio. Sed & alius quoque ordo inter ea quæ ad gignendam roborandamque fidem concurrunt, attendi considerarique potest: quandoque enim nullo apparente miraculo, nulla efficaci ratione animum subeunte illuminat intellectum Deus, & propè impellit ad suscipiendam fidem: posteà succurrunt mẽti parata miracula fidem ipsam confirmantia, trophæa martyrum, ipsius fidei sanctitas, & mundities, iniquitas & inconstantia alienarum legum: Aliquando item è contrario accidit, vt prodigia videlicet, & signa in Christi virtute ab eius sectatoribus facta adductæque rationes infidelium animos moueant, posteà Dei gratia, quæ fidem parit, illabatur in mentem. Verùm enimuerò in quolibet eorum quos recensuimus credẽdi ordinum, propositioni huic veluti principio niti oportere manifestum est, Deo & diuinis reuelationibus credendum, quod vt faciamus, in causa est lumen illud diuina clementia nostris animis supernaturaliter inditum, de quo in alijs Theorematis mentionem fecimus.

THEOREMA XXV.

CHRISTIANORVM QVEMLIBET SVB TOTIVS Ecclesiæ & capitis vnitate spiritaliter nutriri, augeri & perfici, quemadmodum sub capite & tota hominis compage membra corporea.



ET sacris literis & Theologorum monumentis Ecclesia corpori assimilata est, & Christi mysticum corpus appellatur, siquidem vniuersalis Ecclesiæ caput Christus est, cuius vicem in terris summus Pontifex gerit, collata Petro hac potestate, vti dogmatis Euangelicis multifariàm instruimur, & eo potissimùm loco, vbi Christus pascendas ei oues mandauit, qui primatum inde super omne Ecclesia percepit, cui hæreditario, quasi dixerim, iure succedunt omnes qui legitimè ad Apostolici culmen throni deliguntur, vti sanctorum hominum voces & Ecclesiasticæ sanctiones attestantur: sicuti autem in naturali hominis corpore fluit à capite ad membra vis salutaris, indeque & nerui, & sensus initium capiunt, vnde caput dictum esse, & Varro & Latinæ linguæ autores alij voluêre: sic & in mystico Ecclesiæ corpore datur animaduertere, in quo à Pontifice ad Ecclesiam vis potestasque fluit à supremo, vero & proprio capite Christo deriuata. Fieri autem potest, vt & vicarium caput ægrotet, quemadmodum & naturale, & sicuti noxios hoc humores, ita illud praua dogmata immittat in corpus, quod cùm accidit, pro medela laborandum, & si desperatur salus, abscindendũ: hoc est, cùm immani & diuturna ac desperata conclamataque criminis, præcipuè hæreseos sanie marcidum est, subrogari, sufficique quantoties aliud debet. Quemadmodum à doctoribus præsertim Theologis probatis & celebratis traditur. Quandoquidem principale caput Christus, immobili stabilitate perseuerat semper qui vicaria capita dum corpori suo mystico expedit, & substituere & amouere potest. Igitur sani capitis influxum suscipere membra, hoc est, sana Pontificis dogmata subditi debent: Alioquin veluti membra viribus destituta & viuifici corporei caloris expertia, atque ob id emortua, anathematis mucrone abscindi proijcique & possunt & debent. Capitis autem malè sani & deliri vitanda contagia sunt, ne & ipsi artus pestilenti humore tabescerent. Posset autem euenire vt corporis mystici membra, quemadmodum & naturalis demissum susceptumque virus statim non persentiant, atque ob id tabescere occipiant: Quapropter ad oculos, hoc est, eleuatos doctos & contem-

contemplabundos viros, qui in Ecclesiæ corpore oculorum vice funguntur in ipsa infirmitate recurrendum, quorum hausto consilio in vnum conueniendum est, ad iam receptam saniem tabemque expellendam & pro tutanda conseruandaque corporis mystici ad Christum caput, à quo pendet vnitate, hoc est, ipsius mystici corporis vita enixissimè & adusque vltimum spiritum laborandum. Animaduertendum autem, quod & Ioannes Scotus in 4. Sententiarum, prima quæstione quintæ distinc. meminit, vbi de baptismi sacramento disputat, quòd in corpore humano vita vna est omnium partium, quæ ab eis ordine quopiam participatur in corde priùs, dein alijs ei membro propinquioribus, & ita deinceps: quare deriuari vita ex vna parte in aliam nequit, nisi ea qua deriuatur pars eadē vita vixerit: in mystico verò, hoc est, Ecclesia non ita omnino euenire, cùm vna vita numero in ea nō sit, nec oportere membrum illud, quo vti ministro in alia membra vita trāsfunditur, propinquius esse vitæ principio, quo ad participatum ipsius attinet vitæ, sed in gradu ministerij duntaxat: & de venis affert exemplum, quæ si in corpore (vt inquit) non viuerent formaliter, media tamen essent cæteris partibus in ministranda vita, quapropter vt hic de malitia baptizantis ministri protulit, quàm non officere voluit baptizato, si & forma & intentio seruetur Ecclesiæ. Quod & omnes pariter quos vnquam viderim, Theologi affirmant, & ipsa Ecclesiæ sancit auctoritas. Non secus nos de malitia capitis docentis regentisque putare possumus, quam nihil officere opinamur, modò & catholica ab eo seruetur fides atque doctrina, tametsi vita illius & mores publica debent honestate fulgere, verùm si defuerint fidesque languerit, quid agendum, suprà innuimus, quod latiùs à plerisque & doctrinæ & sanctitatis titulo insignibus declaratum.

Animaduertendum quoque est, quòd quemadmodum omnia quæ ad victum & ornatum naturalis corporis spectant, omni ex parte necessaria non sunt, non secus esse quæ ad mysticum pertinent, sed sicuti vescimur delicatis cibis, & naturam roborantibus, quibus nihilominus sospite vita carere possemus: induimurque grossioribus indumentis frigus duntaxat propulsantibus mollia eliminantes: Ita iuxta proportionem de spiritali, & cibo, & vestibus statuendum. Quippe cùm inter ipsa Ecclesiæ dogmata alia ad conseruandam spiritalem vitam sint necessaria: alia vtilia quidem, sed quorum vis ad tuendam per se naturam non faciat, sed quodam quasi adiumento compendioque sit ad comparandam fœlicitatem: alia quoque quæ non incongruè mutatorijs comparentur, vtpote quibus quisque pro arbitrio vti possit, modò corpus ornent, non dehonestent: huiuscemodi variæ sunt doctorum hominum sententiæ, quæ quanquàm sæpè inuicem contradicunt, & in aperto non est, vtræ veriores sint, nihilominus earum quælibet sine veræ fidei præiudicio sumi potest. Postremò illud sciendum non secus per lumen gratiæ diuinitùs animæ inditum homini innotescere, se, aut in ipso corpore, hoc est, catholica Ecclesia esse, vt se firmiter quibuslibet membris charitatis ferrumine conglutinet, aut extrà manere quò minus non desit facultas, quin ad ipsam statim commigret, non secus, inquam, innotescere, ac per naturale lumen cuicunque ciui liquet, se aut in benè morata, beneque constituta ciuitate degere, aut sub tyrannide versari, atque ob id sibi tutius futurum, si ad vrbem quampiam se conferat, in qua suæ ipse saluti commodiùs & liberiùs consulat.

THEOREMA XXVI.

QVID CVIQVE DE CONSEQVENDA æterna felicitate credendum.


AB his igitur consequens est, vt si quispiam catholicæ Christi Ecclesiæ addictus non fuerit, statim ei se connectat, & quodammodo corporetur: Alioquin pereundum illi æternùm fuerit, quoniam extra Ecclesiæ fidem salus non est, neque ei vllo pacto naufragium mundi vniuersale vitabitur, qui in Ecclesiæ nauicula vti olim Noë cum familia tempestate diluuij in ea, quam fabrefecerat, arca non reponetur: vnitatem enim Ecclesię quique sancti viri ab Apostolis ad nostra tempora semper prædicârunt, de qua sanctissimus

mus ille martyr Ignatius ad Philadelphienses scribens inquit: Vna enim prædicatio, & fides vna, & vnum baptisma, & vna Ecclesia, quam fundauerunt sancti Apostoli à finibus vsque ad fines in sanguine Christi proprijs sudoribus & laboribus: at hoc quoq; satis non esse ad beatitudinem adipiscendam deprehendemus, si succurrerit verè & omnifariam Christianos, non autem quadantenus, hoc est, solo nomine nos esse oportere: non enim dicere, sed esse beatos facit. Idem scribit Ignatius ad Magnesianos, & vt inquit Iacobus Apostolus: *Fides sine operibus mortua est:* Peccata igitur primùm per contritionem, confessionem, satisfactionemque, quæ sacramenti pœnitẽtiæ partes sunt, iuxta Ecclesiæ doctrinam protinus diluenda: quòd vbi effectum fuerit, de nanciscenda felicitate benè credi poterit, idque tantò intentiùs, quantò intentior perpetratorum facinorum dolor euadet, firmiorque & inconcussior voluntas ab eis in posterum abstinendi, & diuina mandata custodiendi, quod etiam mirum in modum roborabitur, si & cœlestium rerum delectatio & terrenarum fastidium, demumque præsentis ceu odium vitæ, & futuræ desiderium accesserit, obsequentes diuino & admirabili Antonio per secundam epistolam Arsenoytas monenti, in hunc modum: Tollite corpus quod estis induti, facite illud altare, superponite desuper omnem delibationem vestram, omnemque malignum instinctum relinquite in conspectu Domini, extollite manus cordis vestri ad eum, id est, sensus agendarum & precamini Deum, vt donet vobis illum inuisibilem & magnum ignem, qui descendens cœlitùs comedat altare & omnia quæ in eo, vniuersique sacerdotes Baalim, qui quidem existunt operationes aduersæ timeant, fugientes à facie vestra, quemadmodum tempore Heliæ Prophetæ accidit: tunc demùm videbitis vestigium hominis in mari, adducens vobis specialem imbrem, quod est Paracleti spiritus consolatio: hæc ille. Cæterùm quanquàm eiusmodi signis consequendæ fœlicitatis spes emergit, non adeò tamen ijs insistendum, vt vltrà non pergamus: nam tametsi ob ea credere possumus esse prædestinatos ad gloriam, pollereque diuina gratia. Certò id tamen scire non possumus, cùm *nemo* (vti scriptum est) *vtrum odio vel amore dignus sit, sciat:* Adde quòd in via Dei non progredi retrogradi est, fierique posset, vt qui temerè & inconsultò beatorum gloriam sperarent, damnatorum pœnis affligerentur: Quare dum viuitur laborandum, & ab occultis, sed tamen iustissimis Dei iudicjs formidandum, ea nihilominus moderatione, ne spes vacillet, neque enim minus iniquus dæmon nititur vt nobis spem adimat, quàm vt præsumptionem immittat, quò fit vt inter spem & timorem ita nobis sit incedendum, vt à timore tamen quàm à spe longiùs recedamus. Diues enim diues profectò Deus in misericordia est, & nos iam per Iesu Christi vnigeniti eius sanguinem, qui semper memoria tenendus est, adoptauit in filios: infinita insuper & nullis vnquam terminis angustata diuina bonitas, omnes in hunc mundum venientes illuminat, omnibus modò vitiorum obicibus non obstiterint, gratiam impartit, omnes ad felicitatem inuitat, collustrat, iuuat, moderatur: *neq; enim sufficientes sumus* (vt ait Apostolus) *cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: Qui* (vt idem ait) *operatur in nobis velle & perficere.*

Quandoquidem nostrorum omnium actuum tàm naturalium quàm eorum qui gratuiti vocantur, auctor & causa est. Deus enim primus auctus & prima causa, omnibus rebus intimior esse dicitur, quàm ipse res sibi quippe cùm omnia per illum sint, ab eoque & in essendo (vt sic loquar) & in eo quod per hoc verbum fieri significatur, dependeant: boni insuper omnis dator cùm summa ipse & suprema bonitas sit. Nam si maximum in vno quoq; genere est causa omnium, quæ illius generis sunt, quantò magis id quod est simpliciter & absolutè maximum. Quamobrem rectè iureque Iacobus Apostolus censuit: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum à Patre luminum proficisci:* quid enim aliud cooperamur Deo quàm eam, qua nos trahit, gratiam non repellentes, sed sequentes, quod nostri arbitrij est. Nam cùm liberos nos ab ipso ortu naturæ effecerit, & nostra quoque in facultate posuit, supernis afflatibus obsequi mallemus, an reluctari: Animaduertere hinc & iustitiam Dei & misericordiam commodè possumus, & quàm verum illud Oseæ Prophetæ sit: *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Namque ob culpam, quæ tota hominis est, Deus iustè pœnam infligit: neque enim eorum culpæ, qui ad perpetua relegantur

legantur supplicia, sed pœnæ tantùm diuina præscientia causa est, quemadmodum exquisitissimè Thomas docet: Nostri autem & meriti & præmij primaria & efficacissima omnino causa est Dei prædestinatio: quoniam eius remota gratia, quæ gratis libereque conceditur, alioquin iam non gratia, nemo vnquàm aut potuit aut poterit quicquam beatitudine dignum operari, sed nec quicquam boni prorsus agere. Illud aut gratiæ gratũ facienti, hoc gratis datæ, sic enim Parisienses Theologi loquuntur, attribuendum.

Hinc eius quoque virtutis quæ humilitas dicitur, radix emergit, quando omne quod in nobis bonum est, Dei est, & in peccatis etiam nostris id quod rationem non habet mali, hoc est, ipse actus, ipsa operatio, Deo tribuendum est: nobis autem relinquenda duntaxat illa deformitas, illa exorbitatio, ille defectus, in quo malum culpæ propriæ visitur, qui à nobis fomitem vitiatæ naturæ sequentibus exit identidem. Quid ergo gloriamur, quid superbimus, cùm in nobis quod nostrum propriè sit, nil nisi malum, nil nisi nihil sit, & eo etiam bono quod beneficentissima Dei liberalitas nobis impartit, sæpè numero, & vtinam non semper abutimur, libero arbitrio non vtentes benè: vnde & sanctissimi illi viri profundissima humilitate radicati, vt Franciscus, vt alij, cunctis hominibus hac ratione se deteriores existimabant, quòd si in alios quæ in se beneficia experiebantur, contulisset Deus, meliores multò quàm ipsi essent euasuros opinabantur: quæ omnia ex Scripturis etiam diuinis elici, ad producendam, fouendam, firmandamque humilitatem, possunt, vnde & scriptum est: *Iustitia vestra sicut pannus menstruatæ.* Et in Euangelijs: *Nihil sine me potestis facere.* Et iterum, &c. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, quoniam serui inutiles sumus.* Apostolus quoque inquit: *Quid habes quod non accepisti, & si accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et Propheta iterum: *Accedite ad Deum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Ex hac humilitate perfectio pendet amoris, ex eoque itidem profertur humilitas (annexa enim & indiuidua, seque inuicem sequentia producentiaque sunt) qui enim summè Deum diligit, minimè certè vel parum seipsum amat: sicut is qui se diligit summè, Deum ipsum diligit minimè, ex intentione quippe amoris in Deum, is qui ad seipsum est amor, remittitur & euanescit: sicut ex amore proprio is qui in Deum est amor fatiscit, contraque ex sancto quodam odio sui, quòd de humilitate nascitur, amor exurgit in Deum impenseque intenditur, amor quippe in bonum fertur: quare cùm nihil in se nisi malum agnoscat humilitas, id odio prosequitur, rursusque cùm quicquid est boni, Dei sit, qui est summum bonum, enixè & maximè in id fertur.

Vt autem nos ipsos nimis, Deum autem minus diligamus, qui tamen summè diligendus est, illud occasionem præbet, quòd quæ circa & infra nos sunt, beare nos posse autumamus, & quidem tam falsò quàm pernitiosè: fluere enim necesse est eum semper qui aut diuitias, aut honores, aut corporis libidines summè diligit, quæ fluunt, scilicet, labunturque continuè: neque enim firmare animum potest, quod fluxum, varium & nutabundum est, quod etiam possessum mille à nobis præripi modis potest, vtque longissimè retineatur, mors ipsa velimus nolimus omnino diripiet: quare cùm ea impensè diligamus, id etiam quod ipsi omni ex parte sumus & propter quod ea ipsa quærimus, magis diligimus, & à Deo longiùs recedimus, quo solo beamur. Diligere enim Deum summè debemus, eoque perfectionis, vt euehamur curare, vt postpositis & fastiditis omnibus mundi illecebris & noxijs carnis voluptatibus, Dei voluntati nos omnino tradamus, & Christo conformes effecti, pro eo pati desideremur: in primis carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs crucifigere optantes, *& abstinentes à carnalibus desiderijs* (vt Petrus inquit Apostolus 1.Ep.c.2.) *quæ militant aduersus animam*, mundum minimè diligentes: *quoniam omne quod in Mundo concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, & Mundus transit, & concupiscentia eius*, vt ipse dilectus Deo Ioannes monet: *atque ita cum Christo resurgentes, quæ sursum sunt, sapere debemus* (vt ait Apostolus) *quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram*, & in ijs quæ nos premunt tribulationibus alacres perseuerare, & Deo gratias agere, cùm ob alia, tùm quod pro momentaneis afflictionibus piè tolleratis æterna præmia repromisit & tribuet. Sed quia parum hæc nobis in precio quandoque habentur, multum

autem

autem quæ infra, aut extra, aut circa nos ſunt momentanea & peritura oblectamenta, efficitur, vt in nobis & vani amores & ſuperflui timores viſantur, quæ ſi aut contemneremus, aut poſthaberemus, quòd faciendum & Ethnici quoque philoſophi & maximè Stoicus Epictetus in Enchiridio monuêre, nil amore conſequendi angeremur, nil retinendi auiditate infatuaremur, nil timore amittendi perturbaremur, torqueremurque: quicquid pes noſter calcaret, noſtrũ eſſet, quicquid ſperneremus poſſideremus, modicis & eiſdem neceſſarijs rebus contenti, quibus aleremur, vt ad id quod ſupra nos eſt, & ad quod editi in luce ſumus, poſt huius exilium vitæ in eo perpetuè feliciſſimeque victuri veheremur. Ex eis quoque ad id venitur, vt ſcriptum eſt, *quod non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit*, quia ſi iuſtus Deo reddet quod ſuum eſt: iuſtitiæ ſiquidem officium, vnicuique quod ſuum eſt reddere, at ſi Deo quod ſuum eſt, reddiderit, omne vtique bonum reddet: omnis autem actio quatenus actio bona: vnde quicquid fiet in vniuerſo, ſi ad eius voluntatem referatur, iuſtè fieri perſuaſiſſimum habebit: igitur cùm malis pœnę etiam affligemur iuſtum id putabimus, & ob noſtra peccata fieri. Nam ſi dixerimus quòd peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus: vniemur ergo Deo id volentes quod ille vult, tumque iuſti erimus, non ergo contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. Nam ſi bonum & delectabile eueniet, triſtitia recedet & exulabit: ſi malum, hoc eſt, aduerſum iuſtè id factum putabimus & Deo conformabimur, atque gaudebimus etiam Dei voluntatem cognoſcentes & gratias agentes. Qui autem ſecus egerit, ſemper angetur iuxta illud: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Pax enim (Auguſtino teſte) eſt tranquillitas ordinis: vbi ergo ordo erit? ſi voluntas inuenietur aduerſans cuncta ordinanti Deo? Conformabimur ergo in iuſtitia volentes quod vult Deus, noſque odio habentes quò ad malum, hoc eſt, actus à nobis patrati deformitatem attinet: & ipſum Deum ſummis viribus diligemus, hinc autem arra vitæ æternæ datur: nam vbi cùm nullum malum ſit & omne bonum, non poſſumus non amare bonum quod Deus eſt, nec aliquid poſſumus ibi odiſſe, & cùm bonum quod in nobis eſt, Dei eſſe, & à Deo iugitur manare deprehendimus, id totum in Deum referimus, Deum in ſeipſum & nos non in nobis, ſed in Deo amantes, nihilque eius voluntati remurmurantes, ſed totos nos in eum abijcientes, quo cùm peruenerimus immobili, ſcilicet, enixè hærentes, mobilibus non mouebimur, ab eius, ſcilicet, nutu omnibus in rebus noſtris omni in tempore pendentes, ſemper læti, ſemper alacres: plura enim ſunt quæ nos terrent, quàm quæ premunt: imò multa terrere poſſunt nil premere, non volentes: ſiquidem rectiſſimè canit Eccleſia: Nulla nobis nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas: poſſumus enim quicquid accidit aduerſi, mutare in proſperum, ſi Deo ſemper hæſerimus: *Qui* (vt inquit Apoſtolus) *facit cum tentatione prouentum*, vt ei etiam, ſcilicet, hæreamus magis, vnde nobis Dauidicum illud: *Paratum cor meum Deus.* Paratum cor meum ſemper canendum eſt, indeque ſincerè Dominico præcepto audientes, identidem & ore, & corde, & opere, ad Deum clamabimus: *Fiat voluntas tua*, quam veluti polum obſeruantes, ex huius tempeſtuoſi pelagi fluctibus in portum cœleſtis felicitatis deducimur.


Voluntatis autem huius ſigna multa deprehendimus, tùm ex diuinis eloquijs, tùm ex Dei familiaritate per orationem inita, tùm ex ratione ipſa, tùm per leges probatas & canones, per conſulta prudentum, per doctorum auctoritates virorum bonorumque placita, per concurſum intellectus, & voluntatis in vnum, eorum, ſcilicet, qui & fidei lumine, & charitatis ardore præfulgere videntur, per miracula vires naturæ ſupergredientia: de quibus aut omnibus aut pleriſque ſummi argumentum poteſt diuinæ voluntatis, & præſertim cùm omnia iſta quapiam in re ad fidem faciendam cõcurrunt: ſiquidem eloquia diuina, ita diuinæ voluntatis haberi ſigna debent, cùm quicquam aut prohibent, aut præcipiunt, aut concedunt, quemadmodum humana verba humani animi ſigna colliguntur. Oratio verò cùm hominẽ Deo propinquum faciat, faciliùs ibi diuinæ voluntatis placitum hauritur, vnde tot reuelationes, tot viſa Prophetarum: ſed & humana ratio iuxta id quod in Pſalmo ſcriptum eſt, ſignum quoddam & lumen Diuini vultus appellatur. *Legum quoq; conditores Dei ope*, vt ſcriptum eſt, *iuſta decernunt*, & prudentia gubernatrix optima vitæ à Deo homini tributa, quæ bonitati & doctrinæ iuncta, veluti nocturnæ cæcitati faces prætendit. Fides

autem & charitas, illa ignorantiæ, hæc malitiæ tenebras dispellit: miracula postremò vtpote ipsius Dei opera suum testantur auctorem: cùm autem hæc (vt diximus) diuinæ voluntatis habeantur signa, in horum præcipuo signo, scilicet, diuinorum eloquiorum signa quoque futuræ nostræ felicitatis inesse percipiemus. Cùm enim ibi quæ credenda, quæ speranda, quæ petenda, quæ operanda præcipiantur, si hæc ipsa nobis comparauerimus, & fugauerimus aduersa pariterque, si beneficiorum Dei & memores & grati erimus, si peccatorum pœnituerit, si cauere in posterum destinauerimus, arram quandam beatitudinis nos consecutos nec iniuria putabimus, & eò firmiorem, quò plura signa cócurrerint diuinæ voluntatis: *Quæ* (vt inquit Apostolus) *sanctificat nos. Hæc enim*, ait ille: *Voluntas Dei est, sanctificatio vestra.* Ad Deũ igitur eundum, & de eius infinita bonitate fidendum, & nihilominus recta virtutis semita incedendum, & perfectæ vitæ, quantum fieri potest, propinquandum.

Huic autem comparãdæ perfectioni quanquam plura conducant, potissimùm tamen religio, doctrina, operatio, conducere videtur, quanquam sine doctrina exurgere ad culmen charitatis nonnulli potuerint, vt Antonius, vt Franciscus, vt alij, quos non literarum studium, sed ipse Deus edocuit. Religio autem fide, spe, & charitate comprehenditur: fide initium, spe augmentum, charitate consumationem capit: Fide, inquam, Christi de qua & eius credẽdi ordine superiora Theoremata composuimus, spe verò fruendi Christo, charitate & comite & duce, ad hanc religionem & diuinis afflatibus, & vita rationaliter instituta, & promissionibus cœlitùs promouemur: doctrinam autem in vniuersum intelligo, sed præcipuè quæ de diuinis eloquijs promitur, quæ've de sanctorum eorum interpretum lucubrationibus comparatur: interpretes Theologos voco & veteres & nouos probatos à catholica Ecclesia, qui solido fidei fundamento nixi rationes etiam quærunt, ad eius vtilitatem & sacrorum eloquiorum explanationem, qui & secundùm sacra eloquia Veteris & Noui testamenti & vniuersalis Ecclesiæ cócilia & sanctiones iudicant: de alijs verò iudicant, vtpote quæ inferiori ordine collocantur. Sunt aũt nonnulla quibus ea quæ diximus eloquia, copiosiùs quandoq; & lucidiùs intelliguntur, quæ conuenire huc possunt: horum in numero & Pontificiæ & ciuiles leges, necnon liberalium artium & moralis naturalisque philosophiæ studia reposuerim, earum partem, studium: potestas partem sibi vendicat: Studio enim doctrinæ illæ acquiruntur, quas postea interpretandi honoraria facultas comitatur, potestas quoque non interpretandi modò, sed & condendi leges ab Imperatore inferioribus Principibus datur, vt cunque sit huiusmodi doctrinæ quoquomodo religioni famulantur: exterior autẽ operatio & doctrinam & internam religionem sequitur: ea enim quæ & religione concepimus, & doctrina tenenda nouimus, forinsecùs operatione complemus, & quanquàm omneis homines absolutè huic & numeris omnibus consumatæ vitæ, de qua sumus locuti, multas ob causas idonei aptique non sint, omnes tamen apti, omnes idonei ad perfectam, & sempiternam vitam consequendam: Qui religione tantummodò, hoc est, fide, spe, & charitate, freti, Deo in hac vita propinquant vt in alia eidem coniungantur. Cùm autem fidem dico, opera etiam simul intelligo & charitatem sine quibus mortua est, cùm spem nomino, operum etiam memor sum, quia sine operibus iustis non spes, sed præsumptio, & in charitate iustum intelligo ordinem quoad Deum, & super cœlestia, & nos ipsos, & eos qui supra, qui iuxta, qui infra sunt, quæ quidem charitas si operari desint, charitas non est. Religioni igitur & operibus eius omnes idonei, omnes apti, non omnes doctrinæ, quanquàm & doctrinæ adminiculo, & sibi & alijs prodesse plurimum potest, qui eam charitate condiderit & se in omnibus Deo commiserit, scriptum est: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt.* Item: *Qui doctus fuerit, fulgebit sicut splendor firmamenti: Et qui ad iustitiam erudierint plurimos, erunt sicut stellæ in perpetuas æternitates:* sed de his aliàs fortasse maiori otio. Qui ea igitur quæ suprà retulimus, obtinent signa, felicitatem se adepturos sperare possunt, quanquam & aliqui eos gradus præteruecti certiores consequendæ beatitudinis redduntur, cùm ex rationibus de propriæ conscientiæ lumine, deque familiaritate cum Deo per iugem orationem inita depromptis, tùm ex siti Diuini honoris quem super omnia quærunt, & suæ proximique salutis, vocibus item & promissis sanctorum hominum ac Prophetarum, quemadmodum olim multis diuina largitate con-

TT cessum

cessum est, vt illos mittam admodum paucos, quibus per manifestissimas reuelationes idipsum significauit Deus omnipotens, nunquam satis laudatus semperq; laudandus, cui per infinita sæcula regnum, potestas & gloria.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, DECLARATIO CAPITIS,

In Christo Pater, & Christus in nobis,

quod ex octauo de Trinitate libro Hilarij sumptum est, & positum à Gratiano in decret. de conse. dist. II.

AD D. COSMVM PASSETVM.



EFFLAGITASTI, Iurisconsulte doctissime, vt meam tibi sentẽtiam aperirem super caput: *In Christo Pater, & Christus in nobis:* de Conse. dist. ij. quod ex Hilario decerptum est. Quoniam id tibi, captu mentis difficile admodum videretur, nec extra suspicionem esses, quin malè transpositum iaceret, & quod sæpè in compilationibus eiuscemodi euenire solet, inuersum. Recepi facturum me, quod postulaueras, minimè tùm aduertẽs animo, ne mihi ea ingeri possent, quæ apud Græcos olim in prouerbijs vsurpabantur, cùm se doctiorem quispiam docere moliretur: ea cùm postea occurrissent, & à proposito penè diuertissent, eò me demùm contuli, vt hac in re meum erga te obsequium, importunè aliorum calumniæ præferendum consererem. Accipe igitur paucarum horarum negocium, vt si Ephemeride vita dignum non habeatur, minimè demireris: Ad faciliorem autem sensum Hilarij percipiendum, qui multis obscurus videtur, paucula repetenda sunt, quibus opinor, eius mens qualisnam hac in re fuerit, patescet. Sed neque aggerabimus extranea, nec expositorum quempiam sequemur, quoniam nec integrum id tibi aut gratum futurũ existimaui, cui declarationes quoque veterum notæ atque protritæ sunt, nec meo quoq; instituto id ipsum expositionis genus consentaneum. Repetenda, inquam, illius quæpiam sunt, vt dictorum intelligentiam ex causis dicendi sumamus, quod Pontificis iure cautum est, titulo de verborum significatione: & ab ipsomet in primis Hilario promulgatum, qui quidem vt Hieronymus ait: aureo locutus est ore, & Augustini testimonio multo etiam auro & argẽto & pretiosa veste spoliauit Aegyptios. Ab eius igitur fonte ad flumen recto naturæ progressu deueniamus. Tria vnitatum genera obseruantur apud eum ex quibus aduersum hæreticos & bellum & victoria. Vnum enim Pater cum Christo, vnum Christus nobiscum, nos cum Christo vnum. Mouerat igitur quæstionem Hilarius aduersum hæreticos his verbis: *Eos nunc qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo vtrúmne per naturæ veritatem, hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis.* Personantibus enim catholicis doctoribus in surdas Arrianorum aures filium Dei homousion, id est, consubstantialem Patri, reclamabat illi, non eiusdem esse cum Patre substantiæ contendentes, verùm eiusdem voluntatis duntaxat: quapropter excellens hic Theologus sacris verbis alijs, quæ Christus etiam protulerat, quemadmodum & illa super quibus bellabant hæretici: *ego & Pater vnum sumus*, temerariam & impiam eorum opinionem refellere aggreditur: perfecta siquidem apud Sacras literas expositio ea est, quæ de eisdem sacri textus verbis exprimitur. Docet ergo multarum vnitatum Christum meminisse, & illarum quamlibet maiorem esse vnitate & concordia voluntatis. Dixisse item Christum, esse vnum se nobiscum, nosque vnum cum eo esse ex Sacris

Sacris etiam literis colligi:has autem vnitates maiores esse vnione concordis voluntatis iusta proportione confirmat,vtpote quæ naturales sint:& ita apud Euangelicam doctrinam habeantur: quapropter optima consecutione deduci putat,si vnitas quæ inter Christum & nos est,maior sit quàm vnitas concordiæ & voluntatis: Quia, scilicet,naturalis & sit & habeatur: sequi necessariò vnitatem eam, quæ inter Filium & Patrem Sacræ literæ prædicant, naturalem esse debere, atque idcircò maiorem omnino concordis voluntatis vnione, quod negabant hæretici: quos hoc etiam sequebatur incommodum, vt inuitos concedere oporteret, maiorem esse vnitatem inter Dominum & seruos, quàm inter Filium & Patrem:quæ naturalis est secundùm naturam diuinitatis,sicut & naturalis illa secundùm naturam humanitatis & veritatem sacramenti.Hæc totius disputationis summa, hæc argumentorum tota vis quæ satis videtur ad vesanam eorum impietatem & execrandas blasphemias de hac ipsa vnione refellendas.

Hoc autem ordine disputatio instituitur. Primò quæstionem mouet vtrum,scilicet,Christus in nobis sit per veritatem naturæ,an per voluntatis concordiam:Partem primam quæstionis probat,ex qua planè colligi potest,maiorem esse hanc vnitatem vnitate concordis voluntatis: inde quoque deducitur: non minorem esse vnitatem Christi,cum Patre quin & maiorem,quatenus vnio illa naturæ sit diuinæ:ex quo sequetur contra hæreticos quæsita conclusio: maiorem esse vnitatem Christi cum Patre quàm vnio voluntatis: & hanc esse diuinæ naturæ vnitatem,quam illi de medio auferre conabantur: particulatim igitur hæc ipsa probantur,quare ait in primis: *Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus? qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit,& naturā carnis suæ ad naturam æternitatis,sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscetur.* Duplicem modum naturalis vnionis insinuat, cùm & Christus humanitatis assumptione nobiscum vnitus sit, nosque illi vniamur eius carni,sub sacramento communicantes: quo posito probatur quod primo proposuit.Nam cùm vnitas nostra ad Christum & econtrà naturalis sit,adiuncturus est, & naturalem esse oportere eam, quæ Christi est ad Patrem:& paulò pòst sequentur verba illa quæ Gratianus pro principio sui capitis desumpsit,quare ita colligit:*Ita enim omnes vnum sumus,quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est:quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget priùs non naturaliter,vel se in Christo,vel Christum sibi inesse.* Ex quo enim naturalis, hæc inquit naturalis,& illa,quòd si negaueris,nec illa vtique naturalis erit,sed cur? *Quia in Christo Pater & Christus in nobis vnum in ijs esse nos faciunt.* Quæ sunt prima capitis verba & rectè concludit. Nam si vnum nos cum Christo & Patre,& nos vnum cum Christo sumus,vnione naturę:sequens est vt & ille vnum sit Patri naturæ vnitate, quæ voluntatis vnioni præponderet: & quanquam vnio nostra ad Christum dissimilis in aliquibus sit,vnitati Christi ad Patrem,hac tamen in re similis,quòd vtraque naturalis, & maior vnione concordis voluntatis,tametsi vnitas illa naturæ diuinæ, hæc autem humanæ naturæ vnio prædicetur: cùm autem hæc ita se habeant, vnioni voluntatis hæ ipsæ præstant vnitates: vnum enim in Christo sumus, quia & ille nostram sibi naturam inijt,& nos eius nobis carnem sumimus, & ex sacramento proprietatis naturalis, perfectæ vnitatis sacramentum euadit,quare inquit: *Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit,& verè homo ille,qui ex Maria natus fuit,Christus est, nosq; verò sub mysterio, carnem corporis sui sumimus,& per hoc vnum erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis: quomodo voluntatis vnitas asseritur,cùm naturalis per sacramentum proprietatis perfectæ sacramentum sit vnitatis?* Sed vt eorum retundat vesaniam, docet non secus de diuinis loquendum rebus ac diuina præcipiant verba,& ne illi alias fortasse vniones,vel vnitates optarent. Commodè hoc in eorum ora, quasi offam ingessit,contentos nos, scilicet,esse debere supernæ doctrinæ,& acquiescere diuinis oraculis oportere,quibus docti & commonefacti sumus, hanc vnitatem naturalem esse & maiorem omnino, atque (vt sic dixerim) magis vnam concordis vnione voluntatis,vnde subdidit: *Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem prædicationem, cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas est. Quæ scripta sunt legamus,& quæ legerimus intelligamus, & tunc perfecta*

fectæ fidei officio fungemur. Sed vt clariùs aperiret, quæ non humano aut sæculi sensu tractanda essent, subdidit ea esse quæ Christus nos docuit, de vera eius in nobis permanentia: hinc infit: *De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atq; impiè dicimus, ipse enim ait : Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus, qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Ex quo cōcludit quod præstaturus scilicet erat naturalem hāc esse vnionem, & maiorem vnione voluntatis: quare ita corrogat: *De veritate carnis & sanguinis, non relictus est ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est, & hæc accepta atq; hausta id efficiūt, vt & nos in Christo & Christus in nobis sit. An'ne hoc veritas non est? contingat planè ijs verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant: est ergo in nobis ipse per carnem, &c.* Quibus ex sententia positis atque probatis id quoque ipsum ex abundanti colligere procurat, diuina alia veritate, nec vtique ab re: nam quanquam Christum in nobis & nos in Christo esse monstrauit, illatum est tamen hoc duntaxat ad vltimum. *Est ergo in nobis ipse per carnem, &c.* Vt reliquum verò per se etiam inferret, id est, nos ipsos in eo esse subiecit. *Quòd autem in eo per sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur dicens: & mundus iam me non videt: vos autem me videbitis, quia ego viuo & vos viuetis, quoniam ego in Patre maneo, & vos in me, & ego in vobis.*

His autem omnibus veluti collectis copijs vniuersis ac ordine dispositis, in aduersarios impetum facit, quos cedere oportet, alioqui funduntur fuganturque. Solam namque voluntatis vnionem illi ipsi inuexerant: Aduersum quam tot disputata sunt vt claruerit vniones eas, quæ inter nos & Christū Sacræ literæ prędicārunt, maiores esse oportere concordis voluntatis vnione: siquidē naturales eas & veras esse, de Sacris libris citatæ auctoritates asseuerārunt, de quibus illud erui possit vt non modò vnitas Christi ad Patrem, vnitas naturæ sit, non autem solius voluntatis. Sed & quòd maior sit haberi que debeat ea vnione, quam inter nos & Christum esse probauimus, vtpote ad quam veluti gradatim ascendatur: Alioquin necesse non erat illorum graduum meminisse, nisi maior fuisset Filij ad Patrem vnitas, quàm seruorum ad filium: & ad Patrem nihilominus daretur assensus homini, secundùm suæ naturæ facultatem, cùm fieri non posset, vt perfectè adeò vniretur, quemadmodum & Filius qui in eo est per naturam diuinitatis, ac nisi per Filium eundem fieri ipsa vnio posset, quare subintulit: *Si voluntatis tantùm vnitatem intelligi vellet, cùm gradum quendam atque ordinem consumandæ vnitatis exposuit.* Et ne inuehi gradum & ordinem autumarent alium ab eo qui de diuinis sententijs in testimonium allatis duceretur, declarat ordinem eum & gradum consumandæ vnitatis nil ob aliud introductum, *(nisi vt cùm ille in Patre per naturam diuinitatis esset, nos contrà in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursum in nobis per sacramētorum inesse mysterium crederetur.)* Quomodo autem vnitas hæc ipsa per mediatorem consumaretur, docuit subdens: *Ac si perfecta per mediatorem vnitas doceretur, cùm nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, & in Patre manens ipse maneret in nobis, & ita ad vnitatem Patris proficisceremur, cùm qui in eo naturaliter secundùm natiuitatem inest, nos quoq; in eo naturaliter inessemus ipso in nobis naturaliter permanente.* Sed quia addubitare quispiam posset, vt tametsi naturalis vnitas Christi ad Patrem intelligatur, nihilominus non videri quo pacto nostra ad Christum vnio ea naturalis esse posset, quæ per sacramentum communicatæ carnis efficitur, auctoritate sacri eloquij, ambiguitatem tollit, vnde sequitur textus: *Quàm autem in nobis naturalis hæc vnitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meū, in me manet & ego in eo.* Docet enim hoc intermedio nos Patri vniri. Nā si nos sumus in Christo, & Christus in Patre, in Patre vtique sumus, & si non eo omnino modo quo Filius (hoc enim fieri penitùs impossibile) eo tamen modo quo nostræ cōuenit naturæ: quę enim in Christo est humana natura, diuinæ coniuncta est in vnitate suppositi. Assumptione verò naturæ illius humanæ nobiscū vnitur Filius, nosq; illi per cōmunicati sui corporis mysteriū vnimur: nā licet in Eucharistia sit humana Filij, diuinaq; natura, q̄n & per cōcomitantiā (vt aiunt) Pater etiā & Spiritus sanctus, ex vi tamē sacramenti, ibi corp⁹ est Christi, quòd quia à diuinitate minimè disiungitur, ipsaq; diuinitatis essentia indiuidua est, quā & Pater habet & Filius & Spiritus sanctus. Ideo inibi tota est indiuisibilis diuinitatis natura: vnimur ergo Patri p̄ sumptionē Christi, qui est in Patre:

Quapropter

Quapropter cùm de esu Dominicæ carnis & sanguinis per quem in Christo manemus, & ille in nobis dixisset, adiecit: *Non enim quis in eo erit nisi in quo ipse fuerit, eius tantùm in se sumptam habens carnem, qui suam assumpserat.* Quòd autem ex hoc sacramento perfecta fiat vnitas, alijs Scripturæ diuinæ verbis insinuat sequens: Perfectè autem huius vnitas sacramentum superiùs iam docuerat dicens: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo per Patrem, & qui manducat meam carnem & ipse viuet per me: viuit ergo per Patrem & quomodo per Patrem viuit, eodem modo nos per carnẽ eius viuemus.* Sed quoniam in similitudine adducta dissimilitudo summa notari posset, namque non eo modo per carnem eius viuimus, quomodo viuit ille per Patrem, à quo eandem habet essentiam & vitam, vt cætera prætermittam, remouet calumniã Hilarius dicens: *Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur, vt id de quo agitur secundùm propositum exemplum assequamur.*

Sed quatuor adhuc restant adusque finem disputationis: nam primò quemadmodum etiam per carnem Christi viuimus, exponit: Dein quemadmodũ postea victuri sumus, insinuat, cùm in Patria superna viuemus spiritali & æterna vita, cuius arram spiritaliter viuendo tenemus: Obiter prætereà taxat hæreticos, docens Christum per Patrem spiritaliter viuere, & ab eodem eandem prorsus cum eo naturam per natiuitatem habuisse. Demùm perorat, epilogumque constituit, confectæ disputationis, quo veluti trophæum debellatæ hæreticæ prauitatis erigitur. Primùm autem primò exequitur dicens. *Hæc verò vitæ nostræ causa est quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus.* Secundò condictionem ponit futuræ vitæ subdens: *Victuris nobis per eum ea condictione qua viuit ille per Patrem.* Ex quibus aduersum Arrianos Christi diuinitatem, ex naturali, scilicet, à Patre natiuitate, naturalique vita & vnitate colligit, & ex ijs quæ iam posuerat, infert propositum, inquiens: *Si ergo nos naturaliter secundùm carnem per eum viuimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo naturaliter secundùm spiritum in se Patrem habeat, cùm viuat ipse per Patrem? Per Patrem autem viuit, dum natiuitas non alienam ei intulit diuersamq; naturam: dum quod est & ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur, dum in se habet Patrem per natiuitatem in virtute naturæ.* Consentaneum dicit, si nos per Christum viuimus, eò quòd in nobis carnẽ eius habeamus, Christum qui per Patrem viuit, quemadmodum suprà testatus est, naturaliter & secundùm spiritum per Patrem viuere, quem, scilicet, habeat in se: idcircò autem viuere, dum per natiuitatem eandem habet naturam, non diuersam. Siquidem Filius Dei, eandem habet naturam quam Pater, sed habet à Patre, nec per aliquam naturæ dissimilitudinem separatur ab illo, verùm quoniam ille à nullo est, ipse à Patre est, & in se habet Patrem per natiuitatem in virtute naturæ, habet sanè Patris essentiam, non autem Patris proprietatem (vnicuique enim Trinitatis personæ tota indiuidua, diuinitatis essentia communis est, & quælibet eandem totamque habet) proprietates verò vnicuique personæ distinctæ sunt. Frustrà igitur hæretici comminiscebantur, solam inter Christum & Patrem voluntatis vnionem, frustraque illam ex nostra ad Christum vnione trahebant: nam quanquam vnio voluntatis non negetur inter Patrem & Filium, non negetur item inter fideles seruos, & Filium ac Patrem, nihilominus naturalis etiam hæc, tàm per assumptionem nostræ humanitatis à Christo, quàm per nostram carnis eius in mysterio sumptionem naturalis, & ille quin & multò magis, quia per naturam est, perque eandem prorsus diuinam essentiam Filio per æternam natiuitatem communicata, quamobrem disputationi terminus ponitur, & quæ dicta sunt, peroratione colliguntur, quare Hilarij tibi iam Epilogum sume: *Hæc idcircò à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantùm inter Patrem & Filium vnitatem hæretici mentientes, vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo tanquàm nobis ad Filium & per Filium ad Patrem obsequio tantùm ac voluntate religionis vnitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis, naturalis communionis proprietas indulgeretur, cùm & per honorem nobis datum Dei Filij & permanentem in nobis carnaliter Filiũ, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitis, mysterium verè ac naturalis vnitatis sit prædicandum: Responsum igitur à nobis stultitiæ furentium ad demonstrationem tantum in annis mendacij, ne imperitos fallerent vanæ ac ridiculæ assertionis errore.* Nil clarius euidentiusque quàm ex hoc Epilogo percipere potes & paucis, quod nos pluribus sumus executi: neque enim totidem declarare possumus, sed &

breuiores etiam fuimus, quàm aut rei magnitudo, aut tanti scriptoris auctoritas exigebat, benè actum videbitur nobis si tibi fecerimus satis. Habes itaque super hac re quid senserim, suppleui multa quæ Gratianus omisit eodem fonte hausta, totam tibi textus Hilariani seriem & exscripsi simul & exposui. Castigaui, vt mihi visum, nonnulla ex vtroque textu, sed de alterutro nihil, vt arbitror, euagatus, nihil alienum expiscatus sum, quid sibi vellet litera conatus exprimere, qui præter ea moliuntur, ipsi viderint: In hoc albo esse eruditos omnes planè sentio: Declaratores omnes id tantum curare oportere, vt auctorum quos interpretantur, mētem patefaciant: Idcircò enim chartis exaramus nostra, vt literis veluti mutis signis ea exprimamus quæ in anima gerimus, sic & Aristoteles viua signa, hoc est, voces ipsas notas esse censuit, affectionem earum quæ sunt in anima. Vale & si quid erratum, corrige.

F I N I S.



IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYRIS ADMONITORIVS GENTIVM LIBER,

Ioanne Francisco Pico, Mirandulæ Domino, interprete.

ADMONITIONIS erga vos meæ, viri gentiles, initium sumens, Deum deprecor, & mihi ea suppetere, quæ me deceat eloqui: & pariter vobis prȩstari, vt à priore contētione soluti, & ab errore maiorū liberati, ea quæ profutura sint, in præsens deligatis: minimè existimantes quicquam vos illis contumeliæ irrogaturos, si quæ contraria sunt ijs, quæ illi minus rectè existimârunt, ea vobis nunc vtilia videbuntur. Exacta namque rerum perscrutatio, ea etiam ipsa, quæ sæpenumerò rectè se habere visa sunt, alia omnino quàm priùs apparuerant ostendit, quandoquidem veritatem ipsam examinatio diligentior extorquet. Quoniam itaque nobis de vero Dei cultu sermo proponitur, quo nihil antiquius existimatum ab ijs puto, qui tutò in primis vitam ducere curauerunt, iudicij illius formidine, quod post vitæ huius finem euenturum est, quodque maiores nostri, & legum positores, & prophetæ diuinitùs prædicârunt, sed & qui sapientes apud nos existimati: Neque poëtæ duntaxat, verumetiam Philosophi quos veram diuinamque sententiam nosse censuistis. Ante omnia mihi videtur operæprecium, vt nostros vestrosque diuini cultus prȩceptores examinemus, quinam & quot, quibúsve orti temporibus: vt qui ex progenitoribus suis religionem falsi nominis perceperunt, nunc saltem resipiscentes à vetere illo errore liberentur. Sed enim clarè dilucideque ostensuri sumus, nos ipsos eam, quæ secundùm est patrum nostrorum religionem, secutos. Quósnam igitur, viri gentiles, vestræ religionis magistros esse dicitis? Poëtásne? Atqui nil vobis proderit apud viros poëtarum gnaros hoc ipsum effudisse: Norunt enim deorum generationem ab illis supra quàm dici possit, deridiculè constitutam, quemadmodum licet ab Homero nobis discere, primo apud vos & præcellentissimo poëtarum: quippe qui dixerit generationem deorum ex aqua principium habuisse. Ita enim scripsit:

Oceanum diuûm genesim, Thetymq; parentem.

Est prætereà meminisse operæprecium, quæ de eo loquatur, quem illi deorum primum autumant, & quem sæpenumerò nuncupant hominumque deûmq; parentem. Siquidem inquit:

Iuppiter humani dispensat munera belli.

Ipsum quoque non belli solùm in exercitu dispensatorem, sed eius etiam criminis,

nis, quod in Troianos filia ipsius periurio commisit, causam fuisse commemorat. Hunc ipsum & amore captum, & affectum molestia, & plorantem, & à dijs alijs insidias passum Homerus idem introducit, & aliquando super suo ipsius filio talia conquerentem:

Hei mihi, quandoquidem charum Sarpedona cogunt
Fata Menœciadæ forti succumbere dextra.

Et aliquando pro Hectore:

Odij cura coquit, oculis dum mœnia circum
Errantem video, sequitur dum comminùs hostis.

Quæ verò de alijs loquatur dijs, cùm insidias in Iouem moliti sunt, nouerunt hi qui in eiusmodi versus inciderunt.

Quondam cœlicolæ vinclis vincire tonantem
Constituunt, Iuno, Neptunus, & Attica Pallas.
Quod nisi terrores centum gemini Briarei
Ollis irruerent, iecissent vincula collo.

Sed & quæcunque de amatoria Iouis ipsius petulantia narrantur ab Homero, opportunum est vobis suggerere ijsdẽ carminibus, quæ apud eum Iupiter in Iunonem loquitur ad hanc sententiam:

Non ita me domitum recolo mortalis amore,
Siue deæ nemini perfusam pectore flammam:
Non Ixioneæ flagrantem coniugis igne.
Acrisioneæ Danaës aut vulnera sensi,
Exarsi sed nec Phœnicis membra puellæ
Alcmenæ, aut Semeles Dircæi ad mœnia Thebes:
Non me sic Cereris, Latonæ've impulit ardor,
Non quæ cura tui coniunx mihi deniq; sedit.

Atqui arbitror consentaneum, vt deinceps ad memoriam reuocetis, quæ in Homerica poësi de alijs dijs, & quæ illi ab hominibus perpessi fuerint, enarrẽtur. Martem namq; & Venerem à Diomede vulneratos affirmat, aliorumq; deorum affectus enumerat: Ita enim nobis à Dione filiam consolante licet colligere, ad quam in hunc modum verba facit:

Sustine nata precor, quid enim tolerauimus omnes
Cœlicolæ alternos hominum mea nata dolores?
Gradiuum fortisq; Ephialtes natus Alæo,
Atq; Othus pariter crudeli compede nectunt.
Trisq; decem iacit menses constrictus in ære.
Et quondam Iuno dextram perfossa papillam est:
Amphitryoniadæ percussa tricuspide telo.
Nec non veloci percussus Pluto sagitta,
Cùm natus Iouis hic torua latus ægide tecti
Strauerat ad Pylios iactatum vulnere campos.
Tunc Iouis ad solium gemebundus, & inclyta Olympi
Tecta abijt, tergum pulsa afflictante sagitta.

Si autem ex aduerso reliquorum pugnæ deorum meminisse conueniat, id vobis vester hic poëta suggeret dicens:

Tantus cœlesti rumor percrebuit aula,
Cùm sæua alterni ruerent in prælia diui.
Neptunum contra bellabat Phœbus Apollo,
Aduersus Martem certabat Pallas Athenæ,
Iunoni obstiterat bello pharetrata Diana,
Latonam telis volucer Cyllenius vrget.

Hæc & similia de dijs vos Homerus edocuit: nec Homerus modò, sed etiam Hesiodus. Quapropter, si excellentissimis Poëtarum fidem habetis, quibus deorum vestrorum genealogiæ conscriptæ sunt, necesse est vos aut eos tales existimare, aut eosdem credere omnino deos non esse. Quod si nec Poëtis accedendum putatis, quoniam asseritis mendacia illis affingere licere: multaque eos de dijs procul à

veritate fabulari, quósnam alios diuini cultus præceptores haberi putatis? aut quo pacto illos eum ipsum didicisse existimatis: fieri namque minimè potest, vt quæ tàm magna sunt tamque diuina, cognoscantur ab ijs qui priùs illa ipsa ab optimè conscijs non didicerint.

Allaturi profectò estis sapientes atque Philosophos: ad eos enim tanquàm ad munitissimum præsidium confugere consueuistis, vbi quis Poëtarum dogmata de dijs vobis ingesserit. Postquàm igitur ab antiquioribus & primoribus decet exordiri, hinc initium sumens, vniuscuiusque sententiam exponam, quæ ridiculòsior multò est, quàm Theologia Poëtarum. Thales itaque Milesius, qui naturalem philosophiam primus exorsus est, rerum omnium principium aquam esse definiuit: Quippe qui dixerit ex aqua produci omnia, & in aquam rursus omnia resolui. Post hunc Anaximander ex eadem Mileto profectus, infinitum esse rerum omnium principium affirmauit: Iam enim ex eo omnia gigni, atque in idem vniuersa corrumpi. Tertius Anaximenes, & hic quoque Milesius, aëra principium dixit vniuersi, ex quo res fierent, & in quem eædem resoluerentur. Metapontinus Heraclitus vniuersitatis principium ignem esse affirmauit, & generari ex igne omnia, quæ in ignem quoque finirentur. Anaxagoras Clazomenius rerum principia homiomerias: id est, similares particulas esse dixit. Archelaus Apollodori filius Atheniensis, infinitum aëra, & quæ illi adiacent raritatem, densitatemque vniuersi esse principium asserit, qui omnes à Thalete quadam successione deducti, eam quam illi naturalem vocant philosophiam aggressi sunt. Deinceps veluti ex alio fonte Pythagoras Mnisarchi Samius numeros commensurationesque, & quæ in ipsis sunt, harmonias, principia nuncupat, quæque ex vtrisque componuntur, elementa: Ad hæc & vnitatem & sine termino binarium. Epicurus Neocli filius Atheniensis, corpuscula ratione speculabilia rerum principia dicit esse, & ea quidem vacui expertia, ingenita & incorrupta, tùm nec frangi posse, neque ex partibus conflari, immutationi subiacere, proptereaque ratione spectabilia nuncupari. Empedocles Metoni Agrigentinus quatuor elementa, ignem, aëra, aquam, terram: duasque principales potestates, amicitiam & litem existentium rerum principia commentus est, quarum altera quidem vniat, altera verò dispertiat. Videte igitur, quæ'nam eorum, qui apud vos sapientes appellantur, confusio suborta sit: eorum, inquam, quos præceptores religionis vestræ confitemini: Siquidem hi rerum omnium aquam principium esse definiunt, ignem illi, alij alia ex his quæ suprà commemorata sunt. Quibus in rebus probabiles quasdam rationes adduxerunt, vt suum dogma confirmarent, idque ostenderent aliorum placitis esse præferendum: Hæc, inquam, ab his tradita sunt. Quomodo igitur, gentiles viri, tutum fore putatis eis qui suæ consulunt saluti, vt arbitrentur se ab illis verum Dei cultum discere posse, qui sibijpsis nunquam persuadere potuerunt, ne alternas seditiones exercerent, néve pugnantes contrariasque sententias afferrẽt? Verùm enimuerò, qui à primario illo vetustoq; errore desciscere noluerint, nequaquam ab his, quorum meminimus, sed à celeberrimis, consummataque virtute Philosophis, Platone videlicet & Aristotele, religionis normam se cepisse contendent: quos verum perfectumque Dei cultum didicisse volunt. Ego autem eos qui talia memorant, libenter in primis rogârim, vndénam edoctos illos affirment? Impossibile est enim, qui adeò magna diuinaq; à quibusdam conscijs non perceperint, eos aut illa nosse ipsos, aut eadem alios posse docere.

Secundo loco & rectum & opportunum putamus, illorum examinare sententias, quas vtiq; nouerimus, ni alter alteri videbitur aduersa ꝑferre. Quod si hos ipsos minimè inuicem consentire deprehendemus, fore puto, vt eorum facilè nobis ignorantia dignoscatur. Sed enim Plato, ac si cœlitùs descendisset, & vniuersa quæ in cœlis sunt, diligenter conspexisset, supremum Deum in ignea dicit esse substantia. Aristoteles autem in libro ad Alexandrum Macedonem, suæ ipsius philosophiæ compendiariam quandam sententiam exponens, clarè manifesteque Platonis opinionem euellit, affirmans Deum in ignea substantia non contineri, sed quintum quoddam & æthereum corpus transmutationi minimè obnoxium effingit, in quo Deum reposuit, non vt alij, quos, inquit, malè sentientes de Deo, ignea illum substantia collocasse. Deinceps ea, quam in Platonem effuderat, calumnia

non

non contentus, Homerum quem ille iam à ſua republica tanquàm mendacem repulerat, tertium, vt inquit, eorum à veritate ſimulachrorum imitatorem, in confirmandis ijs, quæ de ęthereo corpore aſſeruerat, in teſtimonium vocat. Scripſit enim ſic: Igitur & Homerus inquit:

Iuppiter excepit nebulis & in æthere cœlum.

Cupiens Homeri teſtimonio fide dignam ſui ipſius opinionem oſtendere, ignarus tamen, quod ſi Homero vtatur teſte, vt ſe vera dixiſſe demonſtret, multa eorum quæ vera eſſe arbitratus eſt, falſa apparebunt. Thales enim Mileſius, qui primus apud eos philoſophandi ſumpſit initium, occaſione de Homero ſumpta, ſuas de principijs opiniones commentatus eſt. Ariſtotele namque dicente: Deum & materiam rerum eſſe principia: apud eos omnium antiquiſſimus Thales, vniuerſitatis principium in aquam refert, ex qua omnia generentur, & in quam vniuerſa procumbant: coniectatus in primis, quòd animalium omnium ſeminarium principium humidũ eſt, deinceps, quòd plantæ omnes humido aluntur, atque fructificant, eoq; deſtitutæ protinus areſcunt. Sed his coniecturis nõ contentus, Homerum tanquàm idoneum, cui fides habeatur, citat ita dicentem:

Oceanus geneſim qui cunctis omnibus affert.

Cur igitur Thales ita in illum iure non exclamat? Quam ob cauſam, ô Ariſtoteles, in deſtruendis Platonis opinionibus accedis Homero tanquàm veridico, noſtram autem impugnaturus ſententiam, veridicum non putas Homerum? Quod item veſtri iſti valdè admirabiles Philoſophi nihil inter ſe conſentientes appareant, alijs etiam in rebus, ex ijs quoque dignoſci facillimum eſt. Nam tria rerum principia Plato poſuit, Deum, materiam, & ſpeciem. Deum quidem effectorem omnium: Materiam autem, quæ primæ rerum generationi ſubiaceat, & illi ipſi vt creet occaſionem ſubminiſtret: Speciem verò, vniuſcuiuſque faciundæ rei exemplar. Ariſtoteles eius principij, quam ideam ſeu ſpeciem nuncupamus, nullo pacto meminit. Duo autem ſtatuit principia, Deum & materiam. Plato rurſus in prima illa ſphæra ſuprema cœleſti, & à planeta quaſi dixeris inenarrabili, primùm Deũ & ideas collocat. Ariſtoteles verò poſt Deum primarium non ideas, ſed intelligibiles quoſdam deos ipſe conſtituit. At in hunc modum de rebus cœleſtibus alternè diſſentiunt, vt noſſe deceat illos, quorum notitiæ res quæ in promptu nobis ſunt, non patuerunt, de quibus inuicem ſibi aduerſantur contradicuntque, eoſdem non videri dignos fide, vt cœleſtia doceant.

Quod autem nec eorum ſermo conueniat de anima humana re quidem præſentanea, ex his vtique manifeſtum, quæ cùm vterque de illa diſſeruêre. Plato quidem tripartitam illam arbitratur, cuius altera portio rationalis habeatur, iraſcibilis altera, tertia concupiſcibilis. Ariſtoteles verò minus communem animam conſtituit: in quo ſcilicet corruptibiles particulæ comprehendantur: Sed id ſolum quod ratione capax eſt, animam eſſe dicit. Atqui Plato animam omnem immortalem clara voce teſtatur: Ariſtoteles autem ἐντελέχειαν illam nuncupans, non immortalem, ſed mortalem eſſe voluit. Et ab illo quidem ſemper mobilis, ab Ariſtotele verò immobilis definitur, vt quæ omnem motionem ipſa pręueniat. Quibus in rebus aduerſa pugnantiaq; viciſſim ſtatuere redarguuntur. Enimuerò ſi quis diligenter peculiares eorum opiniones conſiderare voluerit, inueniet vtique illos in eiſdem ipſis non perſtitiſſe. Siquidem Plato tria interdum rerum principia conſtituit, Deum, materiam, ideas: interdum quatuor: adiecit enim animam vniuerſi. Et rurſus cùm ingeneratam materiam dixiſſet, eandem poſtea generatam aſſeruit: Et cùm proprium ideæ principium aſſignauiſſet, & per ſemet ſubſiſtere affirmauiſſet, mox illud in intelligibilibus poſuit. Cùm item omne quod genitũ eſt, corruptioni obnoxium antea dixiſſet, aliqua poſtea illorũ dicit poſſe nõ ſolui neq; corrũpi. Quid igitur cauſę eſt, vt nõ ſolùm ad alterutrũ, ſed ad ſeipſos etiã tumultuentur, qui apud vos ſapientes exiſtimãtur? Ob id videlicet euenit, qđ ab eis, qui nouerãt, diſcere poſthabẽtes, ſibimet pſuadere maluerũt, ꝓprio humanoq; conſilio cœleſtia poſſe cognoſcere, qui nec ea quæ ſunt in terris, potuerũt. Cur quęſo humanã animam veſtrorũ Philoſophorum alij in nobis, alij circa nos eſſe dixerunt? Et ſanè neque in hoc ipſo conuenire ſatis curauerunt, ſed veluti propriam ignorationem differenter partientes, de ipſa quoque anima tumultuari rixariq; delegerunt.

gerunt. Eorum quippe nonnulli ignem dicunt esse animam, hi aërem, illi mentem, alij motionem, euaporationem alij, potestatem alij fluentem ex astris, alij autem motiuum numerum, alteri aquam generationis effectricem. Et vt generatim dicatur, inordinata quædam & malè consona apud eos inoleuit opinio. Hoc solo bonis iudicijs digna laude existimata, quod alterutros errabundos, nec hęrentes veritati redarguere delegerunt.

Postquàm igitur fieri non potest, vt quicquam veri cultus à vestris præceptoribus condiscatis, cùm satis idoneam suæ ignorantiæ fidem ob alternas rixas nobis effecerint, sequens puto, vt maioribus nostris accedatis, qui præceptoribus vestris longè antiquiores sunt, quique de propria nihil phantasia vos edocebunt, neque ab alterutris diuellentur, nec inuicem quicquam demolientur, sed quàm procul ab omni contentione, procul à rixa Dei cognitionem suscepêre, eandem vobis insinuabunt. Neq; enim aut ipsa natura, aut humana intelligentia magna adeò atq; diuina hominibus cognouisse possibile est, verùm supernè sanctis hominibus demisso dono, quibus opus non fuit aut arte, aut litigiosà ve differerent, sed seipsos diuini spiritus operationi puros exhiberent, vt diuinum illud cœlitùs descendens plectrum, quod viris iustis tanquàm citharæ cuiusdam, aut lyræ instrumento vtitur, cœlestium & diuinorũ cognitionem vobis reuelet. Quapropter veluti ex vno ore, vnaq; lingua, & de Deo, & de creatione mundi, & de hominis formatione, & de humanę animæ immortalitate, & de eo quod post hanc vitam futurũ est iudico, deq; omnibus quorum nobis cognitio necessaria est, consequenter, & inter se consentientes nos edocuerunt: quæ vtiq; diuina dogmata diuersis & locis & temporibus præbuerunt.

Incipiam igitur à Moyse, qui apud nos est primus & legislator, & Propheta, exponens primùm tempora, quibus natus est, eorum etiam testimonijs vtens, quos dignos existimatis quibus fides habeatur. Neque enim ex diuinis solùm, quæ apud nos habentur historijs, hoc ipsum demonstrare tentauerim, quandoquidem illis adhuc propter antiquum maiorum vestrorum errorem credere noluistis, sed ex vestris & nihil à nostra religione discordibus historijs: vt percipiatis, omnium siue historicorum, siue sapientum, siue Poëtarum, siue Philosophorum, siue legum positorum, qui apud nos sunt, primum nostræ religionis magistrum Moysen vetustiorem multo fuisse, vt gentilia nobis declarant monumenta. Temporibus enim Ogygis & Inachi, quos plerique vestrorum terrigenas putauerunt, facta est Moysis mentio veluti ductoris & principis Iudaicæ nationis: eius namque Palæmon in primo Græcæ historiæ meminit, & Appion Possidonij tùm in libro aduersus Hebræos, tùm in quarto historiarum, referens tempestate Inachi regis Argiuorum Amaside in Aegypto regnante, Iudæos quibus præerat Moyses, defecisse, ijsque Ptolemæus Mindesius consentit, qui res Aegyptias literarum monumentis commendauit: quique Atheniensium gesta conscripserunt, Hellanicus & Philocharus: qui res Atticas vt Castor, & Tallus, & Polyhistor Alexander: ampliùs Iosephus & Philon, qui Hebræorum historias chartis mandauêre, Moysis tanquàm antiquissimi, longeque vetustissimi Iudæorum principis meminerunt. Hic igitur Iosephus antiquitatem vetustatemque historiæ ex ipsa etiam librorum inscriptione monstrandi cupidus, ipsam in hunc modum exorditur: *Flauij Iosephi Iudaicæ antiquitatis:* vt qui vetustatem ipsam historię nomine Antiquitatis expresserit. Sed & Diodorus apud vos historicorum omnium probatissimus, qui bibliothecas compendio conclusit, & triginta continuos annos in Asia atque Europa, vt ipse scribit, ambienda consumpsit, nec non plurima proprijs oculis hausit, quadraginta suæ historiæ libros reliquit: Quorum primo cùm retulisset, se à sacerdotibus Aegyptijs didicisse antiquum primumque legislatorem fuisse Moysen, ita de eo ijs ipsis verbis mentionem fecit. Post antiquam apud Aegyptios vitæ constitutionem, quam deorum, heroumque temporibus fuisse fabulantur, multitudini dicunt persuasisse scriptis vt legibus, eisdemque gubernari, Moysen, magno animo virum & probatissima vita celebratum. Idem paulùlum progressus, dum vellet antiquorum legislatorum mentionem facere, primum citat Moysen, de quo his in hunc modum verbis scribit. Apud Iudæos quidem Moysen, quem vocant Deum, siue ob admirabilem diuinamq; notionem, quam decernit hominum multitudini profuturam, siue ob excellentiam & potestatẽ, quibus vulgus

ipsum

ipsum susceptę legi libentiùs obsequitur. Secundum inter legis positores Aegyptios Sauchnim fuisse commemorant, insignem prudentia virum. Tertium Sesochosin dicunt regem, qui non modò inter Aegyptios bellicis negocijs præcelluerit, verumetiã bellacem gentẽ legum positione frenauerit. Quartum Buchorim statuunt, & eundẽ leges dedisse & commercia hominũ iudiciaq; constituisse, cuius memoriam in multis ob ingenij acumen vsq; ad hoc tẽpus manere. Post hunc legibus multa addidit Amasus Rex, quẽ tradunt & de his, quę ad monarchas pertinent, deq; omni Aegyptiorum œconomia pręcepisse: Hunc admodum perspicacem, iusti æquique amatorem. Sextum dicunt Xerxis patrem Darium Aegyptiorum legibus addidisse.

Hæc viri gentiles de Mosis antiquitate literis mãdauère, qui alieni sunt à nostra religione, & ea ipsa se ab Aegyptijs sacerdotibus didicisse retulerunt, apud quos nõ solùm natus est Moses, sed etiã Aegyptia eruditione dignus est habitus: A filia enim regis in filij locũ ascitus, propterea q; multa diligẽtia enutritus est: quemadmodũ historiographorũ sapientissimi Iosephus & Philon memorię prodiderunt, qui & eius vitã, & gesta, & generis dignitatẽ conscribendã sumpserunt: Hi ipsi Iudæorũ acta monumentis referentes, Mosen Chaldæo genere memorant oriundũ: Nam quũ eius maiores grassante fame ex Phœnicia in Aegyptum migrassent, ibi hominẽ natum affirmãt, quem ob excellẽtem virtutem honorare Deus proposuerit, & suo generi principem legislatorem ac exercitus ducem præfecerit: quum videlicet populum Hebræorum ex Aegypto in propriam regionem reuerti. Huic itaque viro Deus inprimis diuinum atq; propheticum in sanctos viros descendentes donum elargitus est, & primum nostræ religionis futurum magistrum præparauit. Inde & prophetas reliquos, qui eodẽ præditi fuerunt dono, & eadem quoque nos edocuerunt. Hos ipsi nostræ religionis præceptores fuisse dicimus, nihil à propria & humana mente, sed ex collato supernè dono nos erudientes. Vos autem vbi ex antiquo patrum vestrorum errore opinamini, ijs ipsis obedire non oportere, quósnam magistros vestræ religionis dignos fide promittitis? Fieri profectò non potest, quod sæpiùs diximus, vt qui a Deo magna atque diuina à scientibus non didicerint, aut ipsi scire, aut rectè alios docere possint. Sed vbi satis res philosophorum vestrorum ex ijs quæ suprà narrauimus, redarguimus, tanquàm omni ignorantia, omnique nugacitate plenas, dimissis ipsis, sicuti & poëtas priùs dimiseratis, ad oraculorũ fallacias conuertimini: ita enim quosdam narrantes audiuimus. Reliquum igitur putauerim, vt quæ à vobis priùs acceperam, eadem vobis in præsentia referam. Dum enim quispiam, vt ipsi dicitis, ab oraculo percunctaretur, qui iam olim religiosi viri extitissent, in hunc modum oraculum respondisse fatemini:

Qui per se genitum Hebræi coluère tonantem,
Chaldæiq; simul Sophiam diuinaq; nôrunt.

Quoniam igitur ab oraculis vestris discere posse veritatem putatis, & ex historijs pariter, quę de Mosis vita conscriptę sunt, ijsq; à nostra religione alienis, cognouistis Mosen ex Hebræo & Chaldæo genere cum prophetis reliquis oriundum, nihil inopinabile existimabitis, si virum hunc ex pio genere oriundum, & vitam agitantem dignam pietate religioneque maiorum, magno hoc dono Deus honorare destinauerit, eundemque prophetarumque omnium primum ostenderit. Necessarium autem existimo rationem haberi temporũ, quibus vestri floruère philosophi, vt noscatis eam quæ vobis istos attulit, ætatem recentiorem & propinquam admodum esse. Sic enim Mosis antiquitatem faciliùs cognoueritis. Ne autem de temporibus differens, pluribus argumentis vsus rem protrahere videar, hinc puto mihi exordiendum esse: Socrates Platonis, Plato Aristotelis præceptor fuit: Hi autem Philippi & Alexandri Macedonis temporibus floruerunt, quemadmodum nobis Atheniensium rhetores planè testantur, præsertimque Demosthenis contra Philippum scriptæ orationes. Quod autem Aristoteles Alexandro dum regnaret, conuixerit, qui Alexandri ipsius gesta conscripserunt, abundè manifestant. Facilè ergo est vndecunque colligere Mosis historiam, omni exotica historia longè antiquiorem. Minimè namque ignorare vos decet, nihil esse gentilibus historijs exactè mandatum ante Olympiadas, nec vllam antiquam extare conscriptionem, quæ aut Græcorum, aut Barbarorum gesta significet, sola Prophetæ Mosis præcessit

cessit historia, quam afflatione diuina Hebręis literis ipse pręscripsit: Neque enim adhuc erant Græcæ literæ, sicut earum præceptores literarum declarant, asserentes Cadmum ipsas ex Phœnicia primùm attulisse, & Græciæ tradidisse. Et primus inter vestros philosophos Plato testatur eas posterius inuentas: quippe qui in Timæo scripserit, Solonem inter sapientes sapientissimum ex Aegypto redeuntem, hæc ipsa Græciæ retulisse, quæ ipse ab Aegyptio sacerdote, nec sanè vetusto, audiuerat ad se dicente: O` Solon, Solon, Græci semper pueri estis, nec apud Græcos senex quispiam. Et rursus: Omnes, inquit, quod ad animas pertinet, iuuenes estis, neque antiquam vllam opinionem, aut quicquam longæui temporis in illis habetis: nescitis autem multa secula multis vobis peracta esse, & ob id quod literis caruistis. Quapropter sciri conuenit omnem historiam fuisse Græcis exaratam literis, quæ posterius inuentæ sunt, quibus vtique literarum elementis, si quis rectè memorari voluerit, omnem inueniet conscriptionem memoriæ commendatam, siue antiquorum poëtarum, siue legislatorum, siue philosophorum aut rhetorum. Et ab ijs pariter historijs quæ foris sunt, edocebitur, Ptolemæum Aegypti regem quum bibliothecam illam in Alexandria præparauisset, atque vt eam consummaret, vndecunque libros conduxisset, certiorem deinde factum, antiquam historiam Hebraicis conscriptam characteribus, summa diligentia aduersari, cognoscendorum voluminum cupiditate addictum, viris septuaginta sapientibus, Hebræam simul & Græcam linguam edoctis, ab Hierosolymis accersitis, volumina illa vt interpretarentur, mandauisse. Vt autem ab omni perturbatione semoti, citiùs interpretationis officio fungerentur, iussisse illis non in vrbe, sed ab ea procul septem stadijs intra Pharum paruas exædificari domunculas, interpretum numero pares, vnicuique scilicet suam, & eorum vnusquisque priuatim demandatum munus exequeretur. Adstantibus verò ministris præcepit, haberent quidem omnem in curandis illis diligentiam: prohiberent verò ne inuicem obseruarentur, vt & interpretatio exactior, & consonantia simul comprehendi posset. Postquam autem cognouit septuaginta viros non solùm eadem sententia, sed eisdem etiam dictionibus vsos, & nec verbo quidem alternam consonantiam interrupisse: sed eadem omnino, & de eisdem simul scripsisse: stupefactus, ac constanter credens interpretationem diuina virtute confectam, omni quidem honore dignos interpretes, tanquàm Dei amicos perpendens, multis donis affectos in patriam redire iussit: libros autem illos diuinos, vt decebat existimans, illic reposuit. Hæc vobis gentiles viri, non fabulæ non fictæ historiæ instar attulimus, sed quæ Phari accolæ nobis tanquàm patria nunciârunt, & quæ vidimus, ipsi illa protulimus, qui in Alexandria quum essemus casularum vestigia in Pharo, veluti reliquias custodiri conspeximus: quæ licet vobis ex alijs plerisque discere, & præcipuè à sapientibus atque probatis viris, Philone atque Iosepho, qui rem hanc historiæ mandauêre. Si quis autem eorum è numero, quibus contradicendi studium in vsu est, contendat libros hosce non ad nos, sed ad Iudæos pertinere: propterea quòd in synagogis eorum vsque ad præsens adseruentur, affirmetque frustrà nos religionis nostræ cultum inde didicisse, ex eisdem libris norit, eorum doctrinam non illis, sed nobis conferre. Quod autem adhuc apud Iudæos custodiantur quæ nostræ religioni vsui sunt, diuinæ rebus nostris consulentis prudentię opus existimamus, ne si eos ex Ecclesia duntaxat promeremus, ansam maleuolis calumniandi pręberemus: quę illis videlicet adimitur, quum ea ex Iudęorum synagoga proferimus. Quò fit vt ex ipsis, quos illi custodiunt, libris, clarè manifesteque appareat, doctrinam illam à sanctis hominibus literis traditam, ad nos ipsos pertinere.

Est igitur operæprecium, gentiles viri, vt futuri prospicientes, & illud quod non modò nostri, sed etiam alienigenæ prædicârunt, iudicium contemplantes, imprudenti maiorum vestrorum errori non assentiamini: nec si quid illi vobis tradiderunt aberrantes, id verum putetis: sed in periculum formidandæ infelicitatis oculos figentes, diligenter quæratis & perscrutemini, quæ monumentis mandata sunt ab illis, quos, vt ipsi dicitis, magistros habetis: Multa enim eos, quanquàm inuitos, diuina prouidentia hominibus consulens, loqui de nobis coëgit: & maximè qui ad Aegyptum profecti, & à Moyse, & reliquis maioribus religionis emolumen-

emolumentum consecuti sunt. Neque enim plerosque vestrûm latere puto, quos & Diodori, & aliorum docuit historia: quod & Orpheus videlicet, & Homerus, & Solon, qui leges Atheniensibus scripsit: sed & Pythagoras & Plato, & alij nonnulli in Aegypto fuêre, qui simul ac ab historia Moysis eruditi sunt, illis ipsis contraria definiuêre, quæ priùs amplexati fuerant. Quæ enim postea primus, vt ita loquar, multi Dei cultus vestri magister Orpheus, Musæo filio, & reliquis legitimis auditoribus de vno & solo Deo prædicârit, necessarium puto vobis suggeri: Ad hunc enim modum cecinit:

Quos licet affabor, portis exclude prophanos,
Luciferæ Phœbes Musæe aduerte propago,
Vera loquar, quæ nota prius, quæ in pectore dudum
Conserta, æternæ non præstant munera vitæ:
Diuino assideas verbo, quod conspice semper:
Quod mentis nauem flectat: tu scande per arctum,
Et solum spectato ducem, qui præsidet orbi.
Is per se genitus, solus qui cuncta creauit,
Omnibus assistens: nemo est qui hunc viderit vnquàm
Mortalis, sed cuncta procul cernuntur ab ipso,
Atq; malum, vnde bonum, miseris mortalibus infert,
Et rigidum bellum, lachrymas, sæuosq; dolores:
Nec quicquam est aliud, non magni regis alumnum
Quem neq; conspicio tectum caligine densa,
Mortales oculi quoniam mortalibus insunt,
Atq; Iouem penitùs non possunt cernere regem,
Hic siquidem firmum sortitus in æthere cælum est,
Aureus huic thronus est, pedibus iacet arida tellus
Et dextra Oceani velocis littora cingit.
Hunc metuunt celsi montes, hunc flumina, pontus.

Et rursus alibi dicit:

Iuppiter & Pluto, Phœbus, Dionysius vnum est.
Sed cur bis loquimur? Deus adstat in omnibus vnus.

In iusiurandis autem sic:

Per cælum iuro te, quod Deus inclytus edit,
Perq; Patris vocem primam, quam protulit ipse.

Quam quidem vocem Dei verbum nuncupat, per quod & cœlum & terrã, & creaturam condidit vniuersam, sicut nos docent diuinæ sanctorum hominum prophetiæ. Quibus cùm & ipse nonnihil operæ apud Aegyptios impendisset, didicit Dei verbo vniuersam creaturam conditam esse. Quapropter vbi dixerat:

Perq; Patris primam vocem, quam protulit ipse:

adiecit hæc & coniunxit:

Hac & consilijs mundum firmauerat omnem.

Quo in loco vocis nomenclatura more poëtico verbum expressit. Hoc autem ita se habere declarat, quod paulò antè intercesserat:

Diuino assideas verbo, quod conspice semper.

Nec non opportunum putauerim, vt memoriæ succurrant, quæ de vno & solo Deo prisca illa & valde antiqua Sibylla suis vos oraculis edocuerit: cuius tanquàm fatidicæ & Plato, & Aristophanes, & alij pleriq; meminerunt, quæ quidem in hæc carmina vocem resoluit:

Vnus enim Deus est, solus, non editus, ingens,
Omnia conspiciens, non visilis Induperator:
Quem moritura caro potis est comprendere nunquam.

Deinde alicubi sic:

Immortales enim calles deflexi mus ipsi,
Nec non insulsè manufacta sacrauimus, atq;
Idola infectos hominum testantia mores.

Et rursus alio loco in hunc modum:

Fœlices illi in terris omnino futuri,
Qui summum coluêre Deum, & laudare priusquàm
Degustent quicquam, freti pietate, putârunt
Qui mutos lapides, qui templa, altaria bruto
Sanguine quadrupedum fœdata, refellere discunt,
Vnius inq; Dei laudem procumbere norunt.

Hæc illa quidem Sibylla cecinit. Homerus autem abusus poëtica licentia, cùm opinionem Orphei de pluralitate deorum in primis imitatus fuisset, fabulosa quidem pleraque ex eorum multitudine meminit, ne Orphicæ poësi non succinere videretur, quam adeò sibi proposuerat imitandam, vt ex primo ipsius poësis carmine, suam ad illam conuenientiam significârit: Cùm enim ita Orpheus in principio sui poëmatis dixisset:

Iam frugiferæ Cereris dea pande canenti. Ille ita:
Iram Pelidæ rigidi dea pande canenti.

Deligens, vt mihi quidem apparet, ita exordiri, vt etiam à poëtici metri ratione decideret, ne primus videretur deorum nominis meminisse. Paulò autem pòst & suam de vno Deo opinionem apertè dilucideque declarat, cùm ex Phœnicis persona ad Achillem quodam loco infit:

Nec si pollicitus Deus ipse auferre senectam,
Et mihi florentem circumfudisse iuuentam.

Ipso enim pronomine Deum verè existētem expressit, & alibi quoq; ex Vlyssis persona Græcorum multitudini loquitur:

Non plures numero, sed princeps vnicus esto.

Verùm huic quoque bono contrarium malum opere ipso declarare constituit, quando ex deorum multitudine, bella, lites, seditiones, alternas insidias enarrauit. Quippe monarchiam ipsam inexpugnabilem esse contingit. Atque hæc ab Homero desumpta sint.

Quod si opportunum quoque iudicaueritis, vt à scena quoque de vno Deo testimonia producamus, audite Sophoclem dicentem: Vnus reuera, vnus est Deus, qui terram struxit & cœlum, qui maris nitentes vndas, & ventorum minas, mortales plurimi corde aberrantes, in animæ perniciem simulachra struximus lignea, lapidea, vel auro tecta, vel elephanto: quibus festiuitates & sacra fecimus, piè in hũc modum colere existimantes. Hæc ita Sophocles. Pythagoras autem Mnisarchi, qui suæ dogmata philosophiæ per mystica symbola exposuit, vti declarant hi, quibus etiam vita conscripta est, de vno Deo sensisse videtur ea, quę digna sua in Aegyptum profectione habeantur: Quippe cùm rerum principium vnitatem constituerit, & hanc ipsam omniũ bonorum causam existimauerit, allegoricè docuit, vnum & solum esse Deum. Hinc autem manifestum fiet, hęc ita se habere, quando & vnitatem & vnum non parum inuicem differre decreuit: Illam enim in intelligibilibus, hæc autem in numeris collocauit. Sin autem vos Pythagoræ sententiam de vno Deo clariùs cognoscendi cupido incessit, illam ipsam audite, ita enim se habet: Deus quidem vnus est, neque vt nonnulli suspicantur, extra mundi ornatum, sed in ipso omnino est, atque omnes vniuerso in circulo generationes considerat, annos omnes & secula temperat, potestates dispensat, & opifex omnium quæ in cœlo sunt, principium, illuminator, & Pater omnium: cunctorum prætereà quæ in circulo sunt, mens, motus & vita. In hunc planè modum Pythagoras. Prætereà Plato, vt visum est, Moysis, aliorumque Prophetarum de vno Deo demonstraturus doctrinam, quam dum esset in Aegypto, percepit, sed ob ea nihilominus, quæ Socrati acciderant, veritus ne in se Anytum quendam & Meletum excitaret, quibus apud Athenienses accusaretur, asseuerantibus eum iniustè in Deos agere, eos renuens quos ciuitas recepisset, metu videlicet cicutæ: varium quendam, & rectum inuolucris sermonem de dijs molitus est, quò eorum posset opinio stare, qui plures deos autumarent, eodemque pariter ijs assentiri, qui contraria illis arbitrarentur, sicuti facile est deprehendere ex ijs quæ scripta reliquit. Cùm enim antea statuisset, omne quod factum est, oportet dissolui, postea deos factos asseuerat. Cùm item rerum principia Deum & naturam esse voluerit, necessarium est vtique eum affirmaturum, factos ex materia esse deos. Si

autem

autem de materia, ex qua malum quoq; proficisci putauit, qualésnam illos esse deos conueniret, qui de materia prodirent, sapientibus considerandum reliquit. Propterea namque ingenitam materiam affirmauit, ne consequio dici videretur, Deum mali effectorem: de ijs enim dijs qui creati erant à Deo, ita dixerat: Dei deorum quorū ego creator sum: Eius verò Dei qui verè est, rectè meminisse visus est. Qui enim audiuerat Deum Moysi in Aegypto dixisse: *Ego sum existens.* Quando scilicet eum Deus ad Hebræos missurus esset, hinc intellexit nullum sui peculiare nomen insinuasse: neque enim Deo proprium nomen aptari potest: quippe cùm nomina subiectis rebus, quæ varia & diuersa sint, declarandis manifestandisq; apponantur, Deo autem neq; quisquam fuit prior, qui nomen imponeret, neque ipse seipsum nominare oportere constituit, vnus & solus existens, qui idem per suos Prophetas testatur inquiens: *Ego primus, & ego * postea, & præter me non est alius Deus.* Ob id igitur, vt suprà dixi, proprij nominis alicuius Deus non fecit mentionem, cùm Moysen ad Hebræos destinasset, sed vi cuiusdam participij se vnum & solum Deum mysticè docuit: *Ego enim,* inquit, *sum existens:* ex opposito videlicet seipsum distinguens, existentē ab ijs qui non existunt, vt qui prius decepti fuerant, agnoscerent se non illis qui existunt, sed planè non existentibus applicuisse. Quoniam autem Deus nouerat primos homines antiquæ parentum deceptionis meminisse, quam humani generis osor dæmon ludificandi gratia excogitauit: tum cùm ita illos allocutus est: Si mihi credideritis, Dei mandatum prætereuntes, eritis sicut Dij: eos enim nominauit deos qui non sunt, vt qui alios esse deos putassent, & seipsos quoq; fieri posse deos existimarent. Propterea Moysen affatus est: *Ego sum existens:* Vt per hoc participium, *existens,* Dei existentis, & eorum qui non sunt, differentiam edoceret. Qui autem dæmoni decipienti homines crediderunt, ausique propterea diuinis obaudire præceptis, exierunt è paradyso, deorum quidem nomenclaturæ memores, verùm non satis edocti, an dij alij præter vnum Deum inuenirentur. Neque enim erat æquum, vt qui mandatum primum, alioqui obseruatu facilè, non custodissent, erudirentur ampliùs, sed potiùs vt iusta pœna plecterentur. Vbi ergo de paradyso expulsi, arbitratique sunt ob solam se inobedientiam eiectos: ignari alioqui id etiam fuisse in causa, quod eos qui non erant dij, deos esse crediderant, deorum nomen hominibus de se propagatis tradiderunt. Quò fit, vt prima isthæc de dijs mendax phantasia, à parente mendacij originem traxerit. Aduertens itaque Deus falsam de pluralitate deorum opinionem, eamque veluti pestilentem quempiam animæ morbum tollere cupiens: primùm quidem apparens Moysi, ad eum inquit: *Ego sum existens.* Oportebat enim, existimo, eum qui futurus erat Hebræi generis princeps & imperator, existentem Deum ante omnia cognoscere. Quapropter huic primò apparens, eo modo quo fieri potest vt homini Deus appareat, ad eum inquit: *Ego sum existens.* Dein illum ad Hebræos destinaturus in hunc modum illis dicere imperat: *Existens misit me ad vos:* Hæc igitur Plato cùm in Aegypto didicisset, mirificè ijs delectatus est, quæ de vno Deo tradita fuerant: Moysis tamen mentionem facere ob id, quod vnum solumque Deum edocuerat, sibi apud Athenienses tutum non putauit, veritus Areopagum. Id autem quod à Moyse benè scriptum perceperat, non tanquàm illud ab eo didicisset, sed veluti propria afferens opinione, in Timæo, opere quidem elaborato, & in quo theologiam tradere molitus est, idipsum de Deo disseruit, quod & Moyses. Ita namque scribit: Est igitur vt mea fert opinio, diuidendum primò, quid est quod semper existit, & generatione caret: & quid illud est, quod quanquàm factum sit, nondum tamen existit. An non quæso, gentiles viri, conspicuis mentibus vnum hoc idemque videtur, solo dirempto articulo? Moyses enim, qui existit, inquit: Plato verò, quod existit. Quorum vtrunque semper existenti Deo conuenire manifestum apparet. Ipse enim est qui solus semper existit, generatione carens. Quid autem illud sit ab eo quod semper existit è regione distinctum, de quo ille ait factum quidem, nunquàm existens, exactè consyderandum est. Inueniemus enim ipsum clarè manifesteque dicentem, quod ingenitum est, sempiternum esse, genitos autem vel fabrefactos, vt ipse de illis inquit, Dei deorum, quorum ego creator, factos & pereuntes censebimus. Ita namque dixit: Est igitur, vt opinor, diuidendum primò, quid est id quod absque generatione semper existit, & quid illud quod factum est, nunquàm autem existens. Quòd enim intellectu cum ratione comprehen-

* nouissimus,

sum est, id semper existit. Quod autem opinione cum sensu rationali cogitabile est, id fieri & perire dixeris, esse verò nequaquam. Hæc Platonis verba, quibus mens emota non est, factorum deorum abolitionem & perniciem prædicant. Huic autem vobis necessariò mens adhibenda est, quod Opificem Deum, non Creatorem nuncupat, inter quæ multum interest iuxta ipsius dogma Platonis: Creator enim nullo indigens alio, propria vi & potestate facit, quod faciendum est: Opifex autem opificij potestatem ex materia desumens, quod faciendum est efficit. Sed fortasse nonnulli, quibus mens non est à multorum deorum dogmate resipiscere, opificem ipsum ijs, quos produxit, dijs ita dixisse contendent. Quoniam estis geniti, immortales aut omnino indissolubiles esse non potestis: non soluemini autem, neque mortali, fato me ita volente, subijciemini, maiorem & fortiorem multò nexum sortiti. Hoc in loco Plato eos formidans, qui deorum pluralitatem amplexi sunt, opificem suum sibi ipsi contraria loquentem introducit: qui enim prius dixerat, corruptioni obnoxium esse omne quod factum est, nunc aduersa atque pugnantia eundem ipsum asseuerantem refert: non sentiens nullo pacto se posse mendacij crimen effugere. Aut enim mentiebatur prius, cùm affirmabat corruptibile esse omne quod factum erat: aut nũc in illis enuntiandis mentitur, quæ superiùs à se dictis aduersantur. Si enim omnino necesse, iuxta eam quam prius attulerat definitionem, omne quod factum est corrumpi, quo pacto dein concedit, quod necessariò nequit fieri, idipsum vt fiat euenire posse? Quamobrem visus est Plato incassum opifici suo in ijs quæ fieri non possunt, blandiri voluisse, vt quos semel ob id quod ex materia facti essent corruptibiles futuros affirmârat, rursum per ipsum indissolubiles, & corruptioni minimè obnoxios annunciaret: Atqui potestas materiæ, iuxta Platonis dogma, ingenita est, & ipsi opifici contemporanea & coæua: Quò fit vt consentaneum sit, eam ipsius voluntati non assentiri: Ab illo enim qui non fecit, in illud quod factum non est, nulla vis atque potestas. Quamobrem fieri nequit vt cogatur, vtpote ab omni exteriori necessitate, ab omni peregrina iniuria libera. Ad hoc Plato cùm respexisset, ita scriptum reliquit: Necessaria est, ne dicatur Deum posse cogi. An verò à sua republica propterea pepulit Homerum Plato, quod in legatione ad Achillem dixerat Phœnix:

—Dei vertuntur & ipsi.

Hoc autem Homerus non de ipso rege, & eo qui iuxta Platonem deorum opifex est, cecinit: sed de nonnullis, quos multos esse Græci putauerunt, vt est nobis à Platone discere, vbi ait: Dei deorum. Vni autem primo Deo aurea illa catena omnium imperium & potestatem Homerus attribuit, à cuius diuinitate cæteri tantùm distarent dij, vt haberentur digni qui inter homines computarentur. Ab eodem Vlysses contra Hectorem ad Achillem loquens in hunc modum introducitur:

Ipse hominesq; deosq;, Ioui confisus honore
Indignos retur, tumida circumfluus ira.

Quo in loco mihi videtur Homerus, cum eadem quæ Plato in Aegypto didicisset, extra controuersiam hoc ipsum innuisse, vt Deo, qui existit, fretus, eos qui non existunt planè negligeret. Ipse namq; Poëta alibi vi alterius dictionis, pronominis scilicet, Deum significat, quod pronomen participio æquiualeat, quo Deum Plato existentem dicit: Quo loco ait, quid est semper existens generatione priuatum: neque enim temerè mihi dictum videtur à Phœnice:

Nec si pollicitus Deus ipse auferre senectam,
Et mihi florentem circumfudisse iuuentam.

Hoc enim pronomen, *ipse*, existentem reuera Deum significat. Idem quoq; asseuerat oraculum, quod vobis de Chaldæis & Hebræis allatum est: Nam percunctante nescio quo, quínam fortè viri Deum purè coluissent, ita respondisse illud asseueratis:

Qui per se gentium Hebræi coluêre tonantem,
Chaldæiq; simul sophiam diuinaq; nôrunt.

Quo pacto igitur Plato Homero irascitur, affirmanti conuerti deos? Siquidem Homerum illud vtilitatis gratia dixisse, manifestum est ex his quę ibi dicuntur: Eorum enim proprium est, qui precibus & sacrificijs dignum putant clementiam consequi, vt pœnitentia afficiantur eorum quæ peccauerunt, & in posterum cessent. Qui

enim

enim diuinitatem inconuertibilem existimarent, nequaquam diligerēt à criminibus quæ commiserunt retrocedere. Quandoquidem ex pœnitentia nihil se vtilitatis percepturos putarent. Quî fit ergo, vt Philosophus Plato condemnet Homerum Poëtam, asserentem vertibiles esse deos, cùm ipse deorum opificem tàm facilè conuersum introduxerit? vt interdum quidem mortales deos, interdum verò immortales eosdem affirmauerit? Nec de illis modò, sed de materia, ex qua (vt inquit) necessariò producti sunt Dei, varia loquatur, & aliquando ingenitam, aliquando genitam asseueret: Ignarus, quod in quibus Homerum accusat, in illa ipsemet impegisse conuincitur, cùm dicat tàm facilè deorum opificem conuerti: Tametsi Homerus de ipso etiam Deo contraria cecinerit: quippe qui eum scribat ita de seipso dixisse:

Nec reuocare datur, nec falli, aut fine carere,
Cum capite annuero fient mandata tonantis.

Sed hæc quidem inuitus, vt putauerim, Plato, formidans illos, qui deorum pluralitatem venerantur, aliena dijs videtur narrasse. Quæ verò & à Moyse, & à Prophetis de vno Deo prædicta mysticè fuerant, ea edoctus efferenda putat, pium affectantibus cultum, quid sentiat manifestans. Eo namq; delectatus quod Moyses à Deo susceperat: *Ego sum existens*, breuem dictionem participio expressam, multa cura speculandam recepit, cognouitque Deum, cùm suam Moysi æternitatem significare voluisset, dixisse: *Ego sum existens*. Quandoquidem hæc syllaba ὢν, id est, existens, non vnum duntaxat, sed tria innuit tempora, præteritum, præsens, atque futurum. Sic enim Plato ὢν, id est, existens, ad futurum retulit tempus: quippe qui dicat nondum existentem. Hoc autem quod dico, nondum, non in præteritum (vt nonnulli putant) sed in futurum tempus referri debet, quod è prophanorum monumentis planè constat. Plato igitur quasi cupiat nescientibus enarrare, quæ mysticè atque occultè de æternitate Dei per participium illud ὢν dicta fuerant, his maximè dictionibus vtitur scribens: Deum etenim (quod est antiquum dogma) omnium principium, finem, & media continet. Quo in loco proculdubiò legem Moysis antiquum dogma nūcupauit, à Moysis nomine abstinens, cicutæ formidine: Vtpote qui nouerat ipsius viri doctrinam Græcis inuisam. Antiquitatis autem verbo Moysen expressit, cuius legem & antiquam, & primam, tum ex Diodoro, tum ex reliquis historijs suprà à nobis est demonstratum: Quando eum Diodorus legislatorem primum fuisse commemorat, non repertis adhuc Græcarum characteribus literarum, quibus illi in historijs conscribendis vsi fuerunt. Admiretur autem nemo, si de æternitate Dei commotus à Moyse Plato ita scripsit, quem inuenies post Deum verè existentem, mysticè quoque rerum cognitionem Prophetis acceptam retulisse. Nam in Timæo de nonnullis principijs cùm disputaret, ita disseruit: Ignis & aliorum corporum principium supposuimus, ita incedentes, vt necessariæ visum est rationi conuenire. Quæ autem in his principia sunt, & Deus, & quicunque iunctus est amicitia, supernè cognouerunt. Sed quósnam alios Dei amicos, præter Moysen & reliquos Prophetas existimat? In quorum prophetias cùm incidisset, & illorum de iudicio sententiam perdidicisset, in primo de Republica libro ita exclamauit, dicens: Postquàm autem cùm processerit quispiam, vt prospiciat sibi moriendum esse, irruit in illum & timor, & cura rerum earum, quas antea non timuerat. Namque ob ea quæ de inferis prædicantur, in quibus iniusti homines pœnas luant, veretur se illic affligendum: Et quæ sibi fabulosa olim & ridicula videbantur, tunc euertunt concutiuntque animum, ne vera illa sint, expauescentem: hic idem vel senectæ debilitate, vel quia ijs quæ illic geruntur, propior est, illa ipsa magis perspicit: Quò fit vt suspicione & pauore repleatur, nec non secum ratiocinetur atque consideret, num iniustè quempiam affecerit. Tum si qua anteactæ vitæ criminamenti se ingesserint, veluti pueri cùm de somno subitò expergefiunt, formidat, & spe mala vitam ducit: Si enimuerò nil mali in seipso conspexerit:

—dulcis spes semper adhæret,
Atq; senum nutrix bona —, vt ait Pindarus.

Comiter namque Socrates ille inquit, eum qui iustus & sanctus est, dulcem vitam ipsorum perducere. Quo spes altrix senectutis dulce cor subleuet, quæ versatilē mortalium

talium mentem maximè gubernat. Hæc ille in primo suæ Reipublicæ libro. In decimo verò clarè manifesteque posuit, quæ à Prophetis de iudicio didicerat, sed ob Gentium pauorem non tanquàm ab eis edoctus, eruditus autem ab aliquo, qui (vt sibi fingere libuit) surrexisset in bello, quique duodecimo tumulari die cùm deberetur, pyræ impositus reuixisset, & quæ in inferno gererentur, enarrasset, verbis autem istis scriptum reliquit: Adstitisse alicui, qui à socio interrogaretur, vbi magnus ille Arideus esset. Hic autem Arideus cuiusdam vrbis Pamphyliæ tyrannidem vsurpauerat, patre sene, & fratre natu maiore trucidatis. Alia quoque multa scelera, vt ferebatur, commiserat. Respondisse verò illum, non venisse aut venturum esse Arideum, & ijs verbis adiecit: metuenda spectacula contemplati sumus, cùm prope os in eo essemus vt reuerteremur, pateremurque plurima, tùm illum repentè vidimus tyrannis plurimis permixtum. Erant & priuati simul, qui facinora enormia commisissent, qui dum redire conarentur, os illud non patiebatur, sed mugiebat, quoties eorum quispiam qui venia indignus, semet flagitijs refarsisset, regredi moliretur, priusquàm debitas pœnas dedisset. Inibi quoque adstiterant viri truces, aspectu ignei, qui eosdem obseruato signo comprehensos ducebant. Arideum autem, & qui simul erant capite, pedibus, manibusque truncatos, decorticatosque, ac super tribulis reuolutos, iuxta viam diuersos pertrahebant, ac spectantibus significabant, quorum id causa fieret, quodq; in tartarum proijciendi raptabantur. Inter omnes verò timores, quos essent perpessi (quanquàm hi essent & magni & plurimi) is, inquit, excellebat, qui de oris illius mugitu inferebatur, cùm sursum remearent: contrà eo silente nil ipsos pati regredientes memorabat. Huiuscemodi pœnas & flagella esse, atque ijs opposita præmia narrabat. Qua in re mihi videtur Plato non solùm de iudicio sententiam à Prophetis didicisse, sed eam quoque quæ de resurrectione est à Gentibus minimè credita. In eo enim, quod affirmauit animam vnà cum corpore iudicari, nihil aliud insinuat, quàm sententiæ de resurrectione adstipularetur. Quî enim fieri potuit, vt Arideus & cæteri, qui corpus, cui caput & manus & pellis inest, reliquerant super terram, tanta in inferno flagella sustinerent: Neque enim manus, aut pedes, pellémve habere animam confitebũtur. Sed cùm in Aegypto in Prophetarum libros incidisset, & dogmata de resurrectione corporum admisisset, docuit animam ipsam cum corpore iudicari. Nec Plato modò, verumetiam Homerus apud Aegyptios hæc edoctus, Tityon pariter expendere pœnas asseuerauit: Ita enim in eius Necyomantia Alcinoo Vlysses enarrat:

Vidimus & Tytium celebrem telluris alumnum,
Expansumq́ nouem corpus per iugera, cuius
Vtrinq; assidens contundit viscera vultur.

Quæ non certè ad animam, sed ad corpus referri debent. Eodem modo & Sisyphũ & Tantalum in corpore pœnas pati narrauit. Quod autem in Aegypto diuersatus Homerus fuerit, & multa ex ijs quæ ibi didicerit, ad suam poësim ipse conuerterit, satis edocet Diodorus historicorum celebratissimus, qui asserit illum in Aegyptũ profectum didicisse, quod poculum illud, cui Nepenthes nomen fecit, iræ malorumque omnium obliuionem afferens, accepisset Helena à Polydamma vxore Theonis, & in Spartam deuexisset, eodem pharmaco prodit Homerus vsam Helenam, Menelai planctum sedasse coram Telemacho suscitatum. Idem ex Aegyptiorum historia Veneri cognomentum indidit Aureæ: Nouerat enim in Aegypto Veneris aureæ Lucum appellatum, & aureæ pariter Veneris puerum nuncupatum. Quod si quispiam nosse aueat, cuiúsnam gratia isthæc nunc ad memoriam reuocauerimus, id propterea fecisse nos discat, vt ostenderemus Poëtam ipsum, multa ex diuina patrum nostrorum historia in suam poësim transtulisse, atque in primis, creati mundi principium à Moyse celebratum: ita enim scripsit Moyses: *In principio creauit Deus cœlum & terram, deinde Solem, & Lunam, & stellas.* Hæc in Aegypto didicit Homerus: & ijs quæ de mundi genesi scripta erant admodum oblectatus, Vulcanum introduxit in Achillis scuto ceu quandam mundi geneseos imaginem deliniasse: Ita enim scripsit:

Hic etenim ignipotens struxit, maria, æthera, terras,
Ardentem solem, plenæ quoq; lumina lunæ,

Atq;

Atq; coronatum signis fulgentibus orbem.

Sed & paradysi quoque terrestris imaginem in horto Alcinoi veluti adseruatam effinxit, quem semper floridum, & plenum fructibus, similitudine quadam ostendit, atque in hunc modum scripsit:

Hîc nemora emittunt procero è stipite flores,
Punicei fructus & olentia mala, pyriq;,
Et dulces ficus, & blandæ germina oliuæ,
Queis neq; deperijt fructus, nec desinit vnquam:
Non æstas hyemesq; nocent: verùm aura Fauoni
Perpetuum spirans, hos profert, deijcit illos,
Atq; pyrum veteri, sic pomo poma senescunt,
Atq; recens passis superaduenit vua racemis.
Ficubus adduntur ficus, & vinea diues
Frugiferum teneris germen radicibus effert.
Huic soboles Phœbi radijs contacta calescit.
Hanc manibus carpunt, ex illis musta tepescunt:
Illi deciduus flos, huic matura propinquat
Aetas, vt patulis refluat vindemia labris.

Cur non verba isthæc claram & manifestam eorum, quæ à primo Propheta Moyse de paradyso dicta fuerant, imitationem ostendunt? Si quis verò turris ædificationem contemplari voluerit, cuius structura tempestatis illius homines aditum sibi in cœlũ parare posse putauerunt, certior vtiq; fiet, & hanc ipsam per Othum & Ephialtem allegoria quadam Poëtam imitatum: De illis enim ita cecinit:

Hi siquidem bellum decernunt impete magno
Cœlicolis Ossam statuunt præponere Olympo,
Et folijs tremulum componere Pelion Ossæ,
Terrestris celsum vt reseraret semita cœlum.

Similiter quoq; de humani generis hoste de cœlis proiecto, quem diuinæ Scripturæ diabolum nuncupant (id enim nomenclaturæ à prima in hominis calumnia sortitus est) si quis exactè considerauerit, inueniet à Poëta mentionem factam: non quòd eum proprio diaboli signârit nomine, sed ex pessima illius operatione cognomen indiderit: Quippe qui ἄτην, hoc est, damnum appellauerit, idq; de cœlo ab ipsorum Deo detrusum asseruerit. Et tanquàm exactè memor verborum, quæ de illo protulit Esaias Propheta, ita in sua poësi scriptum reliquit:

Actutum comptis damnum cepisse capillis
Dicitur iratus, stabilem iuratus Auernum:
Nunquàm stelligeros rediturum rursus in axes,
Sic fatus, celso Damnum detrusit Olympo.

Atqui & Plato post Deum atque materiam tertij ponendi principij, quod speciem dixit, non aliunde quàm à Moyse sumpsisse occasionem videtur. Namque speciei nomen ex Moysi verbis percepit: minimè tamen edoctus ab ijs qui nouerant: nihil enim eorum quæ à Moyse dicta sunt, absque speculatione mystica clarè cognosci vnquàm potest. Scripserat nimirum Moyses veluti ex persona Dei ad se de tabernaculo loquentis: *Sic autem facias mihi secundùm omnia, quæ in monte monstrauero, exemplar tabernaculi.* Atque iterum: *Et constitues tabernaculum secundùm exemplar omnium partium eius.* Et rursum paulò pòst: *Sic igitur facies secundùm formam tibi in monte monstratam.* In hęc igitur incidens Plato, & non ea qua decebat contēplatione suscipiens, autumauit speciem separabile quiddam esse, & rei sensibili præexistere: quod & rerum quæ fiunt, exemplar sæpiùs appellauit. Quoniam verò de tabernaculo Moysis hoc litera significat, secundùm speciem quæ ostensa tibi est in monte, sic illud efficies, & in terra. Item in cœlo, & in homine, ludificatus videtur Plato, vt horum scilicet ideas esse putauerit. Namq; vbi scripserat Moyses: *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & deinde subdiderat: *Terra autem erat inuisibilis & incomposita*, existimauit hanc de qua loquitur (*terra autem erat*) præexistentem terram dictam fuisse: quandoquidē ita disseruit: *Terra autem erat inuisibilis & incomposita.* Illa autem de qua scriptum est: *Fecit Deus cœlum & terram*: arbitratus est ipsam illum dicere terram, quę à Deo iuxta pręexistentem speciē

condita fuisset: Pari pacto & de condito cœlo putauit. Id namque quod creatum fuit, cuique firmamenti nomen inditum est, sensibile factum opinatus est. Aliud autem esse intelligibile, de quo Propheta dicat: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Et ad hunc pariter modum arbitratur Plato de homine, cuius primò meminit Moyses. Dein post multa eorum quæ creata fuerunt, de hominis formatione mentionem fecit, ita scribens: *Et fecit Deus hominem, pulueram accipiens de terra.* Autumauit igitur hominem, qui prius nominatus fuit, ei qui factus est præextitisse. Eum verò quem de terra posterius formasset, ad speciei præexistẽtis instar fabricatum. Quod autem de terra conditus homo sit, ex antiqua diuinaque historia nouit Homerus, vbi scribitur: *Terra es, & in terram reuerteris.* Quapropter Hectoris corpus exanime terram mutam nominauit: Alicubi enim ita loquitur aduersus Achillem, & cadauer illius raptantem:

Quid mutam laceras insanis perfide terram?

Et rursus Menelaum alicubi introducit dicentẽ, ijs qui non promptè acquieuerant Hectori ad singulare certamen prouocanti:

Frigida vos omnes tellus dissoluat, & vnda.

Ipsos vtique in antiquam ex terra fabricationem resoluens. In Aegypto isthæc à veteribus historijs & Plato & Homerus edocti, suis lucubrationibus inseruêre. Sed vndénam quæso didicit retulitque Plato, alato curru Iouem per cœlum duci, quàm à Prophetarum historijs? Quibus nouit de Cherubinis ita memoriæ mandatum: *Et à domo egressa est gloria Domini, & ascendit super Cherubim, & susceperunt Cherubim alas suas, in quibus erant rotæ, & gloria Domini erat in ipsis desuper.* Hinc magniloquus ille Plato commotus audacia, multa in hæc verba clamauit: Magnus quidem in cœlo Iupiter alatum currum impellit. Vndénam iterum quæso isthæc desumpsit vt scriberet, præterquàm à Moyse & à Prophetis? & vndénam rursus oblata illi est occasio, Deum in ignea esse substantia asseuerandi? Nónne à tertia Regum historia? vbi scriptum est: *Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem vox auræ lenis.* Sed illa quidem contemplatione digna sunt, & secundùm anagogen ab ijs qui addicti religioni veræ sunt examinanda. Plato verò cùm ab hac contemplatione longè abesset, ipsisque nihilominus Prophetarum verbis accessisset, in ignea Deum substantia collocauit. Quod si quis exactè etiam consyderare voluerit, de eo dono quod sanctis viris diuinitùs confertur, quodque sanctum Spiritum sacri Prophetæ nuncupant, discet nimirum ita à Platone eo in dialogo qui Memnon inscribitur, alio quodam nomine prædicatum: veritus enim in Dei dono recolendo sancti Spiritus nomenclatura vti, ne sequi Prophetarum scilicet dogma visus, Gentium hostis euaderet. Idipsum profectò descendere diuinitùs confitetur, ei tamen non sancti Spiritus, sed virtutis appellationem dignè adscribendam putauit. Sic namque ille ad Memnonem eo ipso in dialogo, quo de reminiscentia disputatur, cùm multa prius de virtute quæsisset, & vtrum doctrina, exercitationéve compararetur, an verò neque huius, neque illius beneficio, sed natura potiùs, aut alia quapiam ratione in homines proficisceretur? demùm ijs ipsis verbis ita decreuit. Si autem nos in præsentia tota ipsa disputatione rectè quæsiuimus, affirmamus virtutem ipsam neque natura, neque doctrina, sed diuino fato ijs, qui ea pollent sine ratiocinatione congenitam. Quæ vt existimo, cùm à Prophetis didicisset, in virtutis nomen transtulit pari pacto, quemadmodum Prophetæ sacri vnum eundemque spiritum in septem partiri dicuntur, sic & ipsemet vnam, & ipsam virtutem quam nuncupat, eandem scribit in quatuor diuidi, nullo autem modo sancti Spiritus meminisse volens, per allegoriam quampiam quæ à Prophetis dicta fuerant, dilucidè nunciauit. Ità namque in calce dialogi ad Memnonem: ob hanc, inquit, ratiocinationem, ô Memnon, si quibus aduenit virtus, diuino illa fato aduenire videtur, hoc autem ex eo planè percipiemus, & quónam modo illius compotes euadant homines, cùm prius aggrediemur, quídnam sit illa virtus secundùm seipsam percunctari. Videtísne quo pacto donum supernè descendens solum virtutem nominet, & ad hæc dignum censeat inquisitione: vtrum illud idem virtutis nomine, aut alio quopiam nuncupari deceat? vtpote qui formidauerit apertè sancti Spiritus nomine vti, ne secutus videlicet Prophetarum dogma vi-

ma videretur. Vndénam iterum edoctus Plato cognouit tempus cum cœlo factum esse? de quo scripserat: Tempus cum cœlo factum est, vt quod vnà facta essent, vnà soluerentur, si vnquàm eorum solutio fieret. Nónne & hoc à diuina Moysis historia perdidicit? Nouit enim temporis generationem ex diebus, mensibus, & annis suæ principium constitutionis desumpsisse. Quoniam igitur dies, quæ vnà cum cœlo facta est, omni tempori principium præstitit, quandoquidem promulgauerat: *& factus est dies vnus.* Hinc Plato omne tempus ex parte innuens, diem ipsum tempus appellat, ne veluti Moysis assectator calumniam pateretur apud Athenienses, si diei videlicet mentionem fecisse videretur. Rursus vndénam cœli dissolutionem imaginatus est? nónne hoc ipsum à sacris Prophetis proditum existimauit? Quod si quispiam & de simulachris quoque dogmata scrutari voluerit, vndénam videlicet prodijt, vt qui primi deos vestros effinxerunt, eosdem formas hominum habere putauerint? comperiet & hoc ipsum eos ab historia diuina traxisse, testante Mosis scriptura: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ita enim suos deos effingere cœperunt, veluti diceretur, hominum formam Deo similem esse: autumantes de simili creari simile.

Sed quamobrem nunc, viri gentiles, horum mentionem feci? Vt cognoscatis, fieri non posse, vt religionem veram ab illis addiscatis, qui ne in hijs quidem rebus quicquam synceri ex seipsis scribere potuerunt, in quibus à prophanis sui generis hominibus collaudantur, quique certa veluti allegoria suis lucubrationibus deprompserunt ea, quæ à Mose & reliquis Prophetis didicerunt. Tempus igitur, gentiles viri, nunc expostulat, vt qui ab exoticis historijs didicistis, Mosen & reliquos Prophetas eorum omnium, qui apud vos sapientes existimati sunt, multò fuisse vetustiores: recedatis ab antiquo maiorum errore, & diuinis Prophetarum historijs occurratis: cognituri ab eis verum Dei cultum, non artificiosi eloquij artibus, non persuasionum illecebris enũciatum: hoc enim illorum proprium, quos obfuscandę veritatis cupido perurget, sed purè atque simpliciter, nominibus quoq; & verbis, quęcunque se obtulerunt, vtentur illi, & vobis ea proferent, quę sanctus in eos descendens Spiritus afflauerit, in eos refundenda, quib. mens est religionem veram percipere. Pudorem itaq; omnem, vniuersumq; errorem hominum, & imaginarium strepitum, & tumorẽ propellite, quibus eximias putatis inesse delicias, ea quæ vobis sunt profutura capessentes: Nulla enim aut vos ipsos, aut maiores vestros contumelia affeceritis, si nunc in contrariam illorum errori viam verti volueritis, quos decens est nunc in inferno intempestiuam agentes præsentiam lamentari. Quod si fieri posset, vt quæ illic gerũtur, vobis exponerent, & quæ sibi vita functis contigerunt, agnosceretis è quãtis vos malis eripere curarent. Nunc autem postquàm fieri ad præsens non potest, vt vos aut illinc ab illis, aut hic ab ijs erudiamini, qui iactant se hanc falsi nominis philosophiam colere: reliquum vobis est, vt eliminato progenitorũ errore, sacrorum virorum prophetias amplectamini. A` quibus minimè vobis postulanda est elocutionis gloria: neque enim in verbis, verùm in operibus res nostræ religionis versantur, sed ea quærenda, quæ causa nobis æternæ vitæ futura sunt. Qui enim frustrà nomen philosophię perquisiuerunt, vt ignari refelluntur, sicut & ipsimet inuiti cogũtur fateri, ob id quod non solùm seditiones alternas exercuerunt, sed ipsorummet opiniones aliter alias exposuerũt. Quod si philosophiæ terminum in veritatis inuentione posuerunt, quomodo fiet, vt qui veritatem ipsam assecuti non sunt, philosophiæ nomine digni censeantur? Quare si is, qui apud vos sapientium sapientissimus Socrates, cui & oraculum vestrum, vt asseritis, adstipulatur dicens: cunctorum hominum Socrates sapientissimus: fatetur se nihil scire, quomodo hij qui inferiores sunt, cœlestium sciẽtiam afferrent? Dicitur autem Socrates ob id sapientiæ nomine honestatus, quod cæteri hominum cùm ea scire se fingerent quę ignorarẽt, ipse non erubuerit, nihil se scire fateri. Ita enim ait: Videbar aũt vel hac de causa sapientissimus esse, quoniam quæ nescio eadem me puto nescire. Nemo autem existimet ironicè Socratem ignorantiam simulasse, quoniam in disputationibus id sæpiùs agere consueuerit: vltima namque dictio Apologiæ, quam edidit abiturus in carcerem, extra controuersiam declarat verè illũ, & exactè ignorantiam profiteri voluisse. Ad hunc enim modum inquit: *Sed iam hora est discedendi, mihi quidem morituro, vobis autem victuris, vtri autem nostrûm ad optabilius*

lius negotium proficiscantur, ignotum est omnibus præterquàm Deo. Hanc nimirum extremam vocem in Areopago fundens Socrates, vestigia torsit ad carcerem, rerum apud nos occultarum cognitionem in solum referens Deum. Posteriores verò, quíne terrestria quidem nosse potuerunt, quæ in cœlo sunt ac si vidissent, scire ne profitebuntur? Aristoteles itaque perspicaciùs Platone cœlestia contemplatus, non vt ille in ignea substantia Deum constituit, sed in æthereo quinto elemento eum esse decreuit, dignum esse arbitratus: vt sibi fides ob probatissimum elocutionis genus haberetur, nihilominus Euripi naturam, dum moraretur in Chalcide, cùm percipere nō potuisset, viribus ob verecundiam pudoremque destitutus excessit è vita. Nemo igitur sapiens primam sui ipsius salutem hanc eorum putet eloquentiam, sed iuxta veterem illam historiam auribus ceram obdens, suaue illud & perturbans incommodum, veluti Syrenum cantus effugiat. Illi enim quos memorauimus, eloquentiam veluti escam præ se ferentes, à vera pietate multos abducere curauerunt, eum imitati qui ausus est deorum pluralitatem primos homines edocere, quibus vos nō hærere, sed sacrorum virorum Prophetijs accedere dignum censeo. Si qua verò vel desidia, vel maiorum superstitio hactenus vos prohibuit, ne Prophetijs sanctorum virorum audiretis, quib. facilè disceretis vnum & solum esse Deum, quæ prima est religionis veræ cognitio, saltem Orpheo credite, qui priùs vos deorum pluralitatē edocuit, mox perfectam & opportunam palinodiam cecinit, illa constituens quæ paulò antè scripsimus. Credite & reliquis, qui de vno Deo eadem chartis retulêre, diuinæ siquidem prouidentiæ, consulentis nobis, opus extitit, vt inuiti homines, vera testarentur, quæ de vno Deo Prophetæ locuti fuerant, vt ab omnibus scilicet multi deitatis, vt ita loquar, dogma refutatum, occasionem vobis veræ cognitionis præberet.

Quibus vt ex parte rectum Dei cultum condiscatis, facilè præstabitur ex antiqua Sibylla, inspiratione quapiam per oracula vos edocente, quæ nimirum Prophetarum doctrinæ proxima videntur. Hanc autem ex Babylone profectam, & Berosi illius qui Chaldaicam scripsit historiam, filiam fuisse asseuerant, quæ dum in quandam partem Campaniæ concessisset, ibi in vrbe, cui nomen Cumis, oracula cecinit, quæ sex passuum milibus distat à Baijs: quo in loco calidæ balneæ frequentantur. Vidimus ipsi cùm in vrbe fuissemus, locum vbi maxima constructa erat basilica, ex vno lapide perpolita, opus quidem maximum, & omni dignum admiratione, illic eam oracula fudisse affirmant, qui hæc à maioribus suis veluti patria susceperunt. Ostendebant autem nobis in medio basilicæ vasa tria, ex eodem lapide fabrefacta, quibus aqua repletis lauaretur, & accepta stola in penitissimam eiusdem basilicæ partem eodem perpolito lapide ædificatam procederet, cuius in meditullio tribunal altum, thronumque conscenderet, & inde redderet oracula. Huius autem Sibyllæ veluti fatidicæ cùm multi alij, tùm Plato meminit in Phædro: qui mihi videtur cùm in huius incidisset oracula, fatidicos diuinos existimasse: Quippe qui ea viderit opere impleta, quæ ipse longè antea prædixisset. Quapropter in Dialogo, qui Memnon inscribitur, admiratus oraculorum cantores, hisce verbis eos laudauit. Ita enim scripsit: Rectè itaque eos, quos fatidicos nunc dicimus, diuinos vocauerimus: neque enim hos frustrà diuinos appellamus, & diuinare inspiratos, & Deo possessos, cùm & magna & multa verè prænunciant, ignari eorum quę proferunt: Clarè manifesteq; ad Sibyllæ respexit oracula. Neque enim illa veluti poëtæ faciunt, castigandi & poliendi, quæ scripsisset, potestatem habuit metricæ diligentiæ debitam, sed afflationis tempore; quæ ad prædictionem spectabant, edebat, qua cessante eorum pariter memoria cessabat. Et hoc fuit in causa, vt Sibyllinorum versuum mensura custodita non fuerit: Ipsi enim dum Cumis essemus, idipsum didicimus ab ijs, qui hæc enarrauerant, qui & ostenderūt vbi oracula cecinisset, & Lenticulam pariter ex ære fabrefactam, vbi reliquiæ illius adseruarentur. Inter alia verò plurima hoc retulerunt, quòd à maioribus scilicet audiuerant, eos qui oracula excipiebant, plurimùm ineruditos, à metri ratione multis in locis exorbitasse, hancq; assignant causam, cur multi illius versus mēsura debita careant, tùm videlicet quod ipso afflatu destituta non recordaretur Sibylla, quæ priùs effuderat, tùm quod notarij ob inscitiam, ruditatemq; à metri ratione exciderent. Ea propter Platonem Sibyllæ oracula contemplatum, de fatidicis illud protulisse constat,

ſtat, cùm & magna & multa prænuntiat eorum, quæ loquuntur, nihil gnari eorum. Enimuerò, viri gentiles, quoniam non in Poëticis menſuris res veræ pietatis conſiſtit, neque in ea quæ à vobis probatur eruditione, poſthabentes & orationis & metri diligentiam, eis quæ protulit, ſine contentione adhærentes, cognoſcite quod nobis cauſa bonorum extiterit, cùm manifeſtè & lucidè Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti aduentum prædicauerit: Qui cùm Dei verbum incircumſcriptum eſſet poteſtate, aſſumpſit hominem ſecundùm imaginem Dei & ſimilitudinem afformatum, & antiquorũ patrum nobis religionem ſuggeſſit, quam cùm ij, qui ab illis propagati ſunt, reliquiſſent, inſidioſi dæmonis doctrina decepti, ad eorum qui dij non ſunt, cultum declinauerunt.

Si quis verò vos pauor perturbat, vt fidei de hominis afformatione non auſcultetis, ijs aſſentiamini, quibus adhuc exiſtimatis, adhærendum eſſe. Cognoſcite tandem quod apud vos eſt oraculum, dignum cuidam exiſtimatum, quod pro hymno Dei Omnipotentis haberetur, cuius in medio ita poſitum eſt:

Quem primum finxit hominem, vocitauit Adamum.

Et hunc ipſum hymnum apud pleroſque ſcimus extare, qui nobis cogniti ſunt, ad eorum redargutionem, qui veritati, cui omnes teſtimonium perhibent, nolunt accedere. Itaque gentiles viri, ni mendacem falſorum deorum phãtaſiam ſaluti veſtræ præponendam putatis, aſſentimini, vt dixi, vetuſtæ iſti, antiquiſſimæq; Sibyllæ, cuius volumina toto terrarum orbe adſeruari contingit, quæ ſupernè afflata oraculis vos erudiet, quod qui dicuntur, dij non ſunt. De Saluatoris autem noſtri Ieſu Chriſti futuro aduentu, & de ijs omnibus, quæ is facturus eſt, manifeſtè prænunciat, quorum notitia vobis neceſſaria quædam præexercitatio futura eſt, ſacrorum Prophetias virorum intelligendas: Si quis verò putauerit ex antiquiſſimis illis, qui Philoſophi nuncupantur, ſeſe de Deo quippiam didiciſſe. Alcmæonem & Hermetem audiat, illum quidem in ſuis lucubrationibus Deum omnino abſcõditum appellantem: Hermetem verò planè ac manifeſtè pronuntiantem, Deum intelligere arduum eſſe, eloqui verò illi etiam qui intellexerit, omnino impoſſibile. Vndecũq; igitur ſcire vos decet, fieri non poſſe, vt ab ijs, quàm à ſolis Prophetis, qui nos diuina inſpiratione erudiunt, vel Deum vel diuinam religionem perdiſcamus.



MAXIMILIANO CÆSARI AVGVSTO INCLYTO,

IOANNES FRANCISCVS PICVS felicitatem.



OCCASIONEM dediſti mihi, Cæſar Clementiſſime, vt ea ſtudia, quib. olim oblectabar, nunc quodã quaſi postliminio repeterẽ: ab eis enim tùm negotijs armorum diuerteram, tùm grauiorum otijs literarum diſtentus nuncium remiſeram. Monſtraſti dum eſſem apud te in Germania, Cruces, Clauos, Lanceas, & alia pleraq;, cœleſti quadam nec viſibili pluuia corporibus deliniata, & quæ hac de re tibi etiam literis ſignificata fuerant, qua es facilitate, dignatus es è Germanica in Latinã linguam interpretari: Vidi & ipſe poſtquàm à tua Maieſtate diſceſſi, in Italiã rediturus, multa quæ non modò fidẽ rei iam vulgatæ aſtruerent, ſed maiorẽ multò demirationẽ incuterent, & vniuerſam penè Germaniam ad cœleſtia prodigia, religionis ergò commouerent. Quo factum vt rem tàm celebrem, tàm dignam poſteritatis memoria, literarum monumentis, Heroicisq́; potiſſimùm verſibus in præſentia mãdare deſtinauerim. Nil eas veritus calumnias, quas philoſophaſtri funderent: ignari altiſſimos literarum locos, à prima antiquitate, metro concelebrari ſolitos, nec apud Platonẽ & Ariſtotelẽ ſatis diuerſati: quorum ab altero Epigrãmata, ab altero etiã poëmata excuſſa ſunt, vt ipſius artis poëticæ præcepta reticeam. Ipſi aũt theologi nec hymnos Eccleſiæ diſſimulent, nec neſciant Nazianzenum, Hieronymũ, Sedulium, Paulinũ, & alios carmi-

carmina cecinisse: Nec eos præterierit Mosen primum diuinas laudes carmine Hexametro decantasse, & Hebræum calamum nonnullis diuinorum libris versuum mẽsuras impreßisse, quas equidem non solùm licere, verùm & expedire quoquo modo, nostra etiam tempestate putauerim: modò fabulosa ne sit, nec obscœna materia: modò gẽtilium deorum memores ne simus, præterquã fortè, dum eos explodimus, dum damnamus. Sume igitur libenti animo, Cæsar, nostram hanc historiam altiùs repetitam & carmine concinnatam, cuius lectione (si erit otium) addi animo stimulos optârim, vt Christi memoriam in occidente minus reuerenter quandoq; habitã: in oriente verò principum desidia iam penè abolitam, renouandam pro viribus & illustrandã suscipias, & impij Mahometis cultum penitùs obliteres. Et quoniam militiæ tuæ me iam pridẽ, nec sine honore & egregia quadam auctoritate ascripsisti: Istiusmodi quidem comparandæ victoriæ debemus ensem, partæ autem & publicandæ stylum pollicemur. Vale.

JOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ
DOMINI, ET CONCORDIAE COMITIS
HEROICVM CARMEN

De mysterijs Dominicæ crucis, nuper in Germaniam delapsis,

AD MAXIMILIANVM AVGVSTVM
Romanorum regem.

TITVLVS STAVROSTICHOS.



Ermanæ nuper delapsa insignia terræ
Principis ætherij, canerem, ter Maxime Cæsar,
Si me præcellens rerum mirandaq; moles
Exiguo sineret residem de pectore vocem
Promere, sed vincet pietas, audacia vincet,
Abscedat Bromius, spumoso Cypria Ponto
Dispereat, procul hinc absit Thymbræus Apollo.
Fabula Pieridum, procul hinc, procul este prophani:
Namq; salutiferi canimus miracula Regis,
Væsano figmenta Deûm, qui dispulit orbe:
Christe faue cœptis, tuq; ô sanctißima Virgo
Empyrei regina poli, genitrixq; Tonantis,
Dirige fluctiuagam ventosa per æquora cymbam:
Postquàm flammifero præpes descendit ab axe,
Summa Dei soboles, summi sapientia Patris.
Vt malè contractas à primo semine labes
Purpurea elueret, sacrati sanguinis vnda,
Mortales clauso profugos vt ferret Olympo,
Sacra prophanato diffudit lumina mundo:
Tartareas pellens hominum de corde tenebras,
Inq; vices varias diuersa in tempora signis,
Quæ captum superant humanæ mentis, adegit
Suaue serenata in præcordia vulnus amoris
Illapsus primùm præcelsæ virginis aluo.
Quæ mox concepit nullo de semine prolem,
Viliaq; enixa est nono ad præsepia mense.
Iam vix octauam lucem conspexerat Infans,
Iam vix assumptæ prima in cunabula carnis
Attigerat: cultros pellis cum cæsa cruentos
Sensit: & hostiles aufugit principis iras
Herodis, supero matrem puerumq; tueri

Afflatu

Afflatu iussus Ioseph: Nilotica tecta
Perrexit: monitusq́; iterum ad Iudæa reuerti,
Herode extincto, Galilæis adstitit aruis.
Subditus interea peragit mandata parentum:
Præcellitq́; senes puer, & Salomonia templa
Ingressus monuit, legisq́; abstrusa reclusit.
Mox docuit Solymos præclaræ munia uitæ
Præconis tonitru: qui flumine mergier artus
Suasit: & indignum Christi qui lora relaxet
Se vocat: & nitidæ soluat sandalia plantæ.
Hinc vastæ latebras Christus perrexit eremi,
Multos passurus violenti dæmonis astus.
Namq; quater denos iam roscida Luna rotatus
Egerat: & totidem magnum Sol aureus orbem
Ambierat terræ: nec dum ieiunia Christus
Soluerat esuriens: cùm se tentator operta
Ingessit fraude, & lapides mitescere duros
Præciperet blandè stimulat: cui talia fatur:
Nônne sacri referunt libri? traducere vitam
Non datur in dapibus: sed enim felicius illud
Quod fluxit sacro semel Omnipotentis ab ore,
Perpetuam præstat ventura in sæcula vitam.
Protinus hinc celsæ vehit ad fastigia pinnæ
Spiritus: atq; illi rursum si dia propago es
Te tutò poteris summo de culmine templi
Mittere? namq; extant de te mandata ministris:
Ne fortè ad lapidem offendas: cui talia reddit:
Legiferi scitum Mosis, Dominumq́; Deumq́;
Ne tentes: paucis pauefactus vocibus hisce
Obriguit: veluti cum sæuo mœnia bello
Impiger obsedit multo conamine miles:
Actutum & chalybis percussus tempora glande,
Machina terrifico quam fulminat ænea bombo
Sternitur: atq; illi torpescunt frigore membra.
Crudeles iterum versutus colligit iras,
Ac tristi obuersat fallendi pectore curas:
Nubiferi ductum præcelso in culmine montis
Collocat: & molli quondam regnata Dario
Monstrat sceptra: Pharon. Libyes porrecta sub axem
Regna: Tagum fuluam populis qui voluit harenam,
Et quicquid latis rerum tractabat habenis
Roma potens: spondetq́; illi si poplite flexo
Procumbat: contraq́; refert diuina propago
Perfide discedas: soli seruire Tonanti
Est opus: in tenues momento euanuit auras
Post nucleum legis dirimens à cortice vulgo
Præbuit: æternæ reserans compendia vitæ:
Dogmataq́; expungens scribarum mentis auaræ
Semina: pontificum luxus, fastosaq́; secli
Gaudia perstringens: Pharisææ noxia turbæ
Carpit fulcra: dolos retegit, prænuncia mortis
Spargit verba suæ: non indignatus ab vmbris
Infernis animas excire ad munia vitæ.
Reddere cognatis nutu, quæ functa sepulchris
Corpora: quæ tristem dudum exhalare Mephitin.
Disiectæ placuit rursum connectere formæ,

Inuidia extemplò conflatur maxima: namq;
Virtuti vitium bellat, diuina prophanis
Confligunt: pugnat tumido clementia fastu
Supplicium petitur, iusto de sanguine, pœnæ
Poscuntur: sæuæ condunt spectacula plebi
Pontifices: tollit præses Romanus in altum
Membra salutiferi transfixo stipite Regis.
Funditur innocuus toto de corpore sanguis
Vbertim celebris mixto fluit vnda cruore:
Qua scelus antiquum, primaq; ab origine mundi
Eluitur, patriæ primæua piacula noxæ,
Scilicet humani generis perculsus amore:
Crudeles clauos, risus atq; aspera flagra,
Sputa, alapas, Barbæ vulsus, diramq; coronam
Sentibus horrentem subijt: mortemq; fugare
Morte crucis voluit. Quæ te clementia, Christe,
Ingratos nimiùm mortales, ferrea corda
Vt morte eriperes, mortem perferre coëgit?
Ne rogo, ne summi collati muneris vnquàm
Inferni obrepant væsana obliuia somni.
Dicite felices animæ, quæ lucida templa
Incolitis: quoties renouârit mystica lethi
Signa sui, postquàm sedes ferrugine nigras
Inuisit, pulsisq; æterna luce tenebris,
Atq; cathenato resolutis patribus hoste,
Sublimis superas Christus remeauit ad arces.
Principio auratis confixit corda sagittis,
Corda virûm sacri cœtus: quæ viuida virtus
Ardentis linguæ in speciem penetrârat & almum.
Spirabant calefacta nimis præcordia Christum,
Quem puro quondam sumebat turba fidelis
Pectore, sacratæ celebrans conuiuia cœnæ,
Scilicet immites hinc debellare tyrannos,
Exarmata valent flammanti pectora lingua:
Hinc veteres fugitare Dei trepidare senatus:
Mirari attoniti sophiæ de plebe magistri,
Mirari & vultus cœpit, cùm cresceret ardor
Insolitus: numerumq; magis, quò sæuior ira
Redderet innumerum tormentis percita cædes.
Recludunt Stephano cœlum stridentia saxa:
Vrentem moriens tenuit Laurentius ignem.
Innumeræ rigidam constanti pectore mortem
Imbelles obeunt (res non audita) puellæ.
Pollutas pueri læti obtruncantur ad aras:
Inter mille neces fidei rutilantior ignis
Fulsit Callaicis veluti in fornacibus aurum:
Tum præses Syrijs feruens Ignatius agris
Christigenas pascebat oues, Romanus abegit
Miles, crudeli ducturus funera circo:
Sacra viri nimiùm formidant membra leones
Tangere, ab innocuo cohibentes ora cruore:
Quem rigidi immitis Traiani exhauserat ensis,
Protinus euulso (nam dirus pectore lictor
Traxerat) inscriptum cordi spectatur Iesu
Nomen honoratum: quod tristia tartara longè
Formidant. superæ conspecta insignia dextræ

Tempore iam ex illo: multum cùm viuidus ardor
Ferueret: inuidit dæmon transcendere cælos
Stelligeros hominem, quibus ille expulsus Auerni
Horrendas subijt multa caligine sedes.
Hinc satagit, tristi vt marcescant pectora luxu,
Crassetur vilis timidusq; nomismatis ardor:
Despectent humiles vano vt turgentia fastu
Stemmata: sed vicit Christus, superoq; calore
Dispulit elatas erebi de nocte tenebras
Hoste triumphato, ruit ille in tartara præceps.
Sed magis infernus coluber cùm sibila pressit,
Fallendi insidias viroso in corde volutat:
Cùm velut à rabida quam dira impellit edendi
Ingluuies, pastor commissa armenta Leæna
Custodit: magis illa furit, licet improba fraudes
Dissimulet, renouatq; latens in pectore bellum,
Socius haud coluber simulata pace venenum
Offundit, sed quis summi Omnipotentis alumnos
Fraudibus eripiat? placuit concire fideles
Sæpiùs, atq; magis, quo frixit inertia mundi.
Propterea Assysius nimio calefactus amore,
Rettulit effossis flammantia stigmata membris
Franciscus: pauper terris, ditissimus aula
Principis ætherij, per rari signifer æqui.
Alter ab empyreis defluxit sedibus almæ
Virtutis custos, fidei seruator Hiberus
Vtrinq; innumeræ, varia sub veste cateruæ
Conscendêre polos: fremuit perterritus Orcus.
Nec non & Siculus flammas emisit: & ille
Conspicuus signis Picenæ gloria gentis.
Olim fœminei sexus, & Tuscus & Vmber
Monstrauêre fidem, & gestata insignia, necnon
Sulphurea Nar albus aqua, priscumq; Reate
Quid referam? sanctos monitus præconia crebra
Sacrorum vatum non exaudita prophanis.
Sed quæ inuisa malus, nuper demiserit audi:
Dum Sol obliquum bissenis partibus orbem
Supra quindecies centum numerasset ab ortu
Virginei partus, primæ trieteridis annum
Postremum voluens, labuntur mystica cælo.
Res comperta mihi, vos aspirate, canenti.
Est regio Europæ gelido subiecta trioni,
Bellaces habitant populi: quos Romula pubes
Vix domuit: toto quamuis dominarier orbe
Cœperit, & Latium iam formidaret Araxes,
Armenius Tybrim, Pharium & pepulisset Anubim:
Itala proiectos aluit, quæ belua fratres
Illinc missa vadis ingentia robora voluit.
Atq; sub aërijs perlabitur alpibus Aenus,
* *Aenus cæsareis ardentia ligna caminis* — * alij scribũt Oenus, fluuius Germaniæ Vindelicos à Noricis diuidens.
Ducturus: vasto populus dum scobius antro
Effossum varios argentum promit in vsus,
Hac Rhenus liquidi deuoluit fluminis vndam,
Gallica Germanis, qui separat arua Colonis,
Romani toties expertus militis arma:
Ingentes paruo Thybri supponere lymphas

Pertulit, & Latiam nectare per æquora puppim,
Oceani bifido percellens vortice fluctus.
Hinc & Danubius non magnas deuehit vndas,
Montibus Arbonæ vix fusus, plurima nondum
Flumina surripuit nondumq; Binomius: ingens
Alluit Elysios Ariosq; & Pæonis oram,
Et Lygios, tandem rapto tumefactus aquarum.
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum:
Extremumq; caput limosa perdit in vlua.
Hic demissa recens populi mysteria, mirum
Attoniti inspectant: homines, ac inanima passim
Inscribunt puro delapsa insignia cælo
Sanguinolenta Crucis, claris memoranda triumphis
Effigies latè spectatur, spongia, flagra
Visuntur, tunica inconsutilis intima, claui
Cernuntur multo madefacti sanguine: telum
Quod sacram sæuo discreuerat impete costam
*Pingitur, excubitor * Christi spectabilis ales* * crista
Tergeminiq; micant tali, quos inclyta Christi
Iecerat innocui sortitus tegmina miles:
Non ignota cano, Cæsar monstrauit, & ipsi
Vidimus, innumeros prompsit Germania testes.
Qua Rhenus tenui Rhetis ex alpibus orsu
Funditur, & maior suppostis influit aruis
Compertum, viditq; lacus qui molle pererrans,
Muros piscosæ subiectos perluit vrbis
Quos Constantini proles Oriente subacto.
Occiduas repetens stellanti murice terras
Condidit, & proprio signauit nomine: cuius
Principis (vt perhibent) demissus sanguine Picus:
Picus harenosæ genitus prope flumina Siclæ,
Audijt & tumidi iam ditior accola Rheni:
Quiq; lacu missus leni submurmurat vnda:
Mox alium præfertq; lacum, quo deniq; fusus
Inde humilis, tumidusq; vorax euoluitur, inde
Plenus & exiguus, rectus, sinuosus in orbem
Labitur: Hinc sumptis Basileam diuidit vrbem
Fontibus, ac vasto defertur gurgite, & alti
Vorticibus magnis contingit tecta Brisachi.
Aduersam cæsa, quæ nectunt abiete ripam
Noricus inspexit, torti audiuêre Sycambri.
Audijt & Mario domitus per vulnera Cymber,
Senserunt amnes, senserunt æquora longè:
Aequora torpenti glacie concreta sub axe
Arctoo, propiùs conspexit Danubij fons.
Spectârunt fortes ipsis sub mœnibus Vlmæ,
Assueti contis fortes bellare Sueui:
Et Phorcin Latiæ donatus lumine linguæ,
Cui sacrum triplici celebratum dogmate nomen.
Inspectant populi, quorum confinia Cæsar
Vastauit latè victor, cùm fusa Bohemus
Agmina colligeret, nuper, dum prælia miscet
Confractis vires latura rebellibus, illinc
Vangiones cernunt, latebrosa silentia syluæ
Hercyniæ norunt, nouit perterritus Osus
*Osus * aranisco, dubium, deductus: an illo*

* puto legẽdum ab Aniso flumine Germaniæ.

Hic

Hic genus antiquum referat, sub iudice lis est.
Vindelicus, Rhetus, miratur: & aspera cæde
Romani tremuit quondam prouincia Vari:
Nec tàm præcipiti formidine territus hausit
Armorum sonitum, quondam Germanus arator:
Nec sic expauit subitis cum motibus Alpes:
Intremuêre, minus bellacis tempore Othonis,
Pertimuit claro primum cum mystica cælo
Defluxêre, iuuat lachrymas effundere: multæ
Implorant veniam scelerum cum patribus vrbes,
* *Aeni concutitur pons, illius accola nudis* * alij scribunt Oeni
Incedit pedibus celebrans amburbia: tantum
Relligio potuit: minio color, & color atro
Nonnunquàm similis: sacris mantilibus ipsi
Sanguineis rutilans maculis insigne triumphi
Vidimus, Actæo confusum penè liquore
Puniceo interdum fulgor certauerat Ostro.
Interdum fusci nigrantem nube coloris.
Permixtamq; crucem rubro spectauimus olim.
Nec morum discrimen erat, sacer atq; prophanus.
Iam conspersa sibi gestabant mystica patres
Conscripti & pueri, conscriptus sexus vterq;:
Et templa & vestes, à summa Cæsaris aula
Ad tenues vicos, ad dura mapalia ruris.
Cernere erat liquido deductum ex æthere signum
Purpurea exceptum tunica, quod ferre senator
Formidat læui & matrona perhorruit armo.
Quod stupuit trito positum centone colonus,
Pauperis ad lychnum nati dum canabe pero
Consuitur, teneras lacerent ne tristia plantas
Constipata gelu, consertaq; vepribus arua
Miraturq; sagi tenuato stamine miles
Insculptum mortis vitali à sede trophæum,
Miraturq;, simulq; pauet, qui vasa sacerdos
Obnubit, celeri supra tectoria lapsu
Aduentare cruces, & lintea pingere: pallet
Spectator, densusq; redit formidine sanguis
Ad fontem è riuis, titubantq; in pectore fibræ.
Nec non veloces agere cùm turbida lympha,
Præcipitata molas summo de vertice montis:
Atq; excepta rotis tereret frumenta minister,
Qui lassata vago stridore, & pondere sacci
Pollineq; inspersus, placido dare membra sopori
Decernit, rubro sub tectis spargitur imbre.
Olli per pectus, per crus, per colla, per aluum
Sydereæ extemplò pingunt insignia guttæ.
Quàm varij strepitus, quàm dissona dogmata, quanti
Pro sensu capitum vario mussare susurri?
Crediderim Dominum celsæ qui præsidet arci,
Olim longa sui potantem obliuia mundum
Vidisse: & signis voluisse salubribus almæ,
Sæpiùs (vtq; alias excire ad limina lucis,
Quandoquidem sontes inferno sustulit antro:
Tartareus princeps furias, scelerumq; cateruas
Immisit Stygij reserantes abdita fontis:
Cuius mortifero dudum tenebrosus hiatu

Aëra tabificum fumus prætexuit: Inde
Angusta occulitur cœlestis semita vitæ:
Inde crucis miseros vesana obliuia tentant:
Hinc regina mali fortè indignata sinistris,
In cædes & bella ruit sitibunda cruoris.
Præcurritq; rotas scisso discordia crine
Successus belli si fortè arriserit: illinc
Ambitio erumpit rebus tumefacta secundis:
Tumq; infrenis amor lucri, tùm lurida gliscit
Ingluuies, studioq; omnes excerpta per artus
Spurca Venus, lassis nimiùm quæ viribus hausta.
Et parit ignauos animos, & torquet atroci
Inuidia & partos disperdit prodigia census.
Sic septemplicibus crassatur perdita vinclis
Belua multorum capitum, quibus impete sæuo
Deiectam legimus quondam Babylona superbam:
Quam, nec crudeli populasset milite Cyrus:
Nec centum crebrò mutassent ariete portæ:
Nec genesis falso lusisset dogmate mendax,
Stellarum varijs intentus cursibus augur:
Ni priùs hostiles hausisset perfida mores,
Quos noster, pudet heu, iam dudum accersijt orbis.
Quosq; recens Babylon haustos cumulatius ambit,
Sed nec tàm tumidam victrix te Græcia quondam:
Reddiderant cæsi Marathonis in æquore Persæ,
Non delusa Rhodo, tergo non fulta Platonis:
Non Demosthenea raptata volumine linguæ,
*Néve * stageio motu peruecta tonantis* * Stagiriti
Ad solium, tanto pereuntis ludicra famæ
Aut studio, aut plausu quondam deposcis inani,
Quàm nunc imbelles laudum mentita trophæa
Ostentant fastu, quàm plebs ignara tumescit.
Mollitiem subde, & luxus quos prisca Tarenti
Fama reformidat, quos nescit Apicius, odit
Atq; Philoxenium guttur, quos reijcit ille,
Qui sceptro indignus tractauit serica pensa:
Et Sybaris, parcæ spernens opsonia mensæ.
Sed quid Achemenijs quæsitam regibus olim
Immanem venerem (pudet heu memorare) prophani
Nomine damnantur, qui non admiserit: omnes
Quotquot collegit vitiorum Roma cloacas.
Assyrium Tiberi cùm iam admisisset Orontem,
Mox proprijs opibus, proprijs ruitura sub armis.
Iam dudum excipiunt, insultant Maurus & Afer
Aegyptius, Libyæ subsannat, Thracia ridet
Nec fidei monitis auscultant, vincimur aiunt:
Colluuies scelerum, vitiorum fœtida nubes
Hinc illuc pridem migrauit, perfida turba
In Christum laxant impune repagula: nobis
Non impune datum, si Christum lingua lacessat:
Virginis & nomen, nobis non spernitur almæ,
Sed nec sacra Dei nobis, nec templa, nec aræ
Venduntur. Dominis quò tandem cernimus vsq;
Insultare canes? purgemus noxia, rectum
Firmemus, nostris opus est indicere bellum
Moribus inprimis. Mox bella inferre prophanis

Scilicet

Scilicet incassum, patiemur mystica cœlo
Delabi, aut veteres tantum effudisse cruoris
Sacratæ fidei proceres? aut deniq; Christi
Nil nobis prodesse necem patiemur amaram?
Subiectas populos compescas, inclyte Cæsar,
A vitijs, neq; enim tantas Regnator olympi
Virtutes & opes tibi contulit, vt tibi tantum
Prodessent, celsæ rarißima munera dextræ:
Dona recognoscas fortis cœlestia, Cæsar,
Sopitam turbis sacrato pollice barbam.
Vellere ne pigeat, tua sunt hæc munia, Cæsar,
Stringere constantis fidei pro legibus ensem:
Insculptaq; cruce infidos Mahometis alumnos
Pellere: quæ tibi sunt iam tradita desine, Cæsar
Alter vt insumat, te contemnente: ministri
Christo non desunt, reges, nec tempora desunt
Vt mores abigat Sathana impellente nefastos:
Et crucis imperium longè lateq; propaget.
Tu dudum lectus, nunc inuitatus, ad altos
Dirige (ne pigeat) fœlicia carbasa portus:
Non deerunt equites, non instrumenta, fideles
Adsunt Italiæ populi, lectißima pubes
Viribus indomitis: instructas ecce phalanges
Tormenta, & celebres præstat Germania currus,
Et neruos belli: fauor ingens cœlitus, idem
Quo fretus iam penè puer certamine Gallos
Contundis Latio, nec dum diademate frontem
Contectus, multosq; domas: gens effera nuper
Rettulit Arctoos inflictum vulnus in axes:
Iam metuuntq; Getæ, metuit quoque Maurus vt olim
Fugerat Eoos indignabundus in ortus
Emonijs equitum Cumeus discinctus ab oris:
Dum Carolus bello iam Parthenopæa subiret
Mœnia, magnanimis qui mox succumberet orsis.
Cuius nec gestis Byzantia turba Sarissas
Duxisset contra, refluus quoq; Bosphorus vndas
Veliuolam classem Thracum excepisset in vlnas.
Ter seruum Memphis iure indignata tyrannum
Cesßisset Pharium velamina torta tiaram.
Nunc Aquila expetitur rutulum, quæ insigne triumphi,
Per Tanaim Nilum calidæ per rura Syenes:
Perq; Arabum campos, ambustaq; solibus arua.
Vectet ad auroræ populos ad Ditia regna:
Sed vereor, Cæsar, veteri ne quassa timore
Occiduum turbet, subitis incursibus orbem
Hostica gens fidei: veluti cum percita voce
Euigilant nudo, meditantur prælia dente
Turba canum, surdis si fortè irritibus hostem
Nil arcent, nec baubatus effundere vanos
Contulit, insultum expediunt, quo territus hostis,
Horrens inq; illum poßit formido referri.
Rumpe moras, præstans videat Gangeticus armis
Cæsaris excindi, Persas, non spernere Hydaspem,
Aut Hypanim, pontes, patrios nec visere saltus:
Donec odoratos alacer conscenderit Indos.

FINIS.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ PRINCIPIS CONCORDIAEQVE COMITIS, IN LIBROS SVOS

De rerum Prænotione,

AD ALBERTVM PIVM Carp. Principem,

PROOEMIVM.

MIRABAR olim, Alberte, mox sæpenumerò indolui, cùm animaduerterem genus humanum ijs in rebus inuestigandis, quæ parum sibi emolumenti per sese allatura essent, curiosissimum fuisse, in illis verò comparandis, quorum defectu nil ad vitam beatam cætera conferrent, negligentissimum. Eniti mortales consueuisse, vt prænoscerent quod esset futurum, posthaberent, quod aliquando ipsi futuri essent. Affectasse prænotionem euentuum alienorum, propria opera, quin & seipsos non cognouisse. Atqui nec Gentes ipsas, aut litera Delphica, aut Chilonis præcepto motas, vt in sui quisq; notitia versaretur: Sed nec Hebræos Solomonis præceptis animatos, vt propriam noscerent speciem: nec omnis nostros homines Euangelico monitu excitatos vt perscrutarentur, ne sint tenebræ, quod in eis lumen apparet. Feruere nihilominus passim omnes ad futuri notitiam peruestigandam, quæ si perperam suscipiatur pestilentissima fraus, & est, & à bonis iudicijs semper habita, si rectè, salubrè, & ad agendam benè atq; beatè vitam, præcellentissimum compendium existimatur. Hisce de rebus, tùm vt mihi consulerem, tùm vt alijs, quibus possem viribus ne deessem, de sui ipsius cognitione, de fide, de operibus ad felicitatem conducentibus pleraq; egi, dum libros de morte Christi & propria cogitanda, de studio Philosophiæ, de Imaginatione conscriberem, & præcipuè in Theorematis, de Fide & ordine credendi, scrutatus qua potui ratione quibúsnam veluti methodis, & illa consequi, & ijs vti commodè possemus. Propterea ratus cùm essem me facturum operæpretium, si de rerum prænotione dissererem, hoc operis aggredi placuit: cui absoluendo, non ipsius modò eximia vtilitas, sed & dignitas etiam subinuitauit. Quippe si rerum cognitionem præclaram esse omnes semper duxerunt, præclariorem certè præcognitionem ipsam iudicauerint. Sed enim vtilitatis accessione ea propensiores facti sumus, quòd nostro labore multis consuletur, qui in deligendo hallucinantur & suo periculo sæpenumerò exorbitant. Siquidem crebris & repetitis experimentis agnouimus, superstitiosas & noxias futurorum prænotiones à multis appeti: quæ aut nullo, aut præpostero discerniculo à bonis ac veris dirimerentur. Nouem igitur libros pro veritate prænotionum aduersus vanitatem instituendos curaui, in quibus qui mihi labor, quæ difficultas: nouerint ij, quibus compertum librorum omnium ordinem, & cathenam non facilè necti? Sed exactiùs illi, quorum studio constiterit de ipso supremo genere, id est, de prænotione in vniuersum ante me neminem disseruisse. Primus quòd sciam id ipsum & suas partes simul amplexus, primus item verbo, absit inuidia, confutaui nonnulla, quæ perinde alij non attigerunt, vana illa quidem & Christianæ religioni nostræ plurimùm aduersa, tametsi plerisq; in rebus magnopere iuuatum me à Theologis quibusdam non eo inficias, quorum saluberrima dogmata præ oculis habuimus, & eorum etiam interscribendum quandoque non sine honoris præfatione meminimus: nihilo tamen minus aut inuenta nobis steterunt, aut abiecta, par in vtrisq; cura, pár studium: nam quantum laboris exantlauimus in inueniendo, tantum sudoris effudimus in abijciendo & discernendo: Vtrum satis in parte fecerim alij iudicent. Sumpsi onus libens, vt mihi, & alijs in metienda prænotionum via, difficili admodum, longa & salebrosa quoquomodo consulerem. Quæ mihi occurrere quanquàm cum ijs affinitate quadam coniungerentur, de quibus agimus, non omnia tamen admisi. Quis enim ambigat vel hebetissimum scriptorem instar Anaxagoreæ confusionis quolibet in opere, quælibet, ne dicam omnia coaceruare atq; congerere posse? Sed ambitiosi id fortasse munus vel insolentis, inerudititi au-

tem &

rem & negligentis, si quæ vel quadantenus ad quæstionem conducant, aut meminisse, aut innuere, aut deliberare prætermiserit, sicuti exactè non pertractasse quibus instrui lector possit, & quibus declarandis commentandi prouincia suscepta est. Hæc enim & copiosè & apertè lectorem instituunt, illa vel tacitè monent, vt quæ apud alios didicerit, addiscat, quæ minimè nouit, non pigeat didicisse, at quæ extraria sunt & scrupulosè, disquirere, & explanare superfluum est, sat in talibus fuerit monstrasse locos, ne facta omnino facere velle videamur. Hanc autem ex operoso isto labore meo, mercedem, vel solam à lectoribus efflagitauerim, vt quicquid toto opere boni veriq́ interspersum & excogitatum inuenient, Deo nostro, à quo omne verum & bonum, acceptum referant, si quid fortasse mali falsiq́ deprehenderint, nobis actutum id tribuant, tantum abest vt vel Pancratiastes vel periodo victor haberi velim, aut disiectis mœnibus excipi cupiam, aut Megarensi lapide celebrari. Sed nec abnuenda erit venia sicubi fortasse decessum è via, quandoquidem non solùm vt homo errare potui, verùm multa quoque se cateruatim offuderunt, quibus distentus, ne dicam, an veriùs diuulsus laceratus animus (si tamen diuelli & lacerari se inuito potest) minus ei vacare datum est huic operi perficiundo: Cui alioquin inter alia pacatum ocium, non bellicum, & plusquàm ciuile negocium deberetur: Quare nec aliarum lucubrationum mearum, quas supra citaui, occupationem deprecor, nec peruigili cura & labore multo in commentationibus, etiam patrui, quæ ille perfecit recognoscendis, & quæ inchoauit, absoluendis, veluti honesta satis excusatione vtor: Sed vexationes plurimas, sed bella præter fas, quin & contra omnia iura illata mihi, sed obsidiones perpessas, amicorum cædes, oppidorum inuasiones, ditionis direptiones, vxoris & filiorum carceres obtendo, à quibus iam clementissimus Deus vt respiraremus præstitit, multa restituit, quin & mærores omnes in lætitiam conuertendos amplissimam spem præbuit: Adeò vt sedata nondum tempestate ad studia tranquillitatis redierimus, prænotionis volumina explicaturi. Sed quid tibi hæc enarro qui meas calamitates subleuasti, oppida, arces, annonam, aurum communicasti, & ea præstitisti, quorum non affini modò, sed nec tibi penè maiora præstare potuisses.


Ad institutum opus redeo, quo in opere hic erit rebus tractandis ordo, vt priusquàm de Prænotione ipsa aut in vniuersum, aut quæ rei essentia, quæ partes, quæ affectiones, particulariter disseramus, ipsum Prænotionis explicemus nomen, cùm ad absolutum doctrinæ genus pertineat, non modò quæstiones nosse, quas Philosophi perquirendas decreuêre, sed & ipsum nomen declarare, quod prænoscendum prædicant. Si igitur nomen ipsius subiecti de quo tractandum, antè noscendum est, qui de ipsa rerum prænotione tractatum in eo, ipsum mihi prænotionis nomen præsciendum, atque vt alij quoque præsciant elaborandum, ita Aristoteles in Posterioribus resolutorijs faciendum monuit, ita Plato videtur sensisse, qui nomen essentiæ ipsius imitationem in Cratilo esse voluit, quo scilicet, percepto illius quoque facilior notitia pateret. Itaque de prænotionis ipsius nomine cùm egerimus, tùm & an sit ipsa prænotio, & quid sit rei esse disputabimus, quòd insinuatum & declaratum est per essentiæ nomen, quòd quidem apud recentiores linguæ Latinæ studiosos non plenè animaduersum. Putãt enim plerique Parisiensium vocabulum essentiam, quod tamen Plauto, à Cicerone versum alij putârunt, quodq́ à Sergio Flauio translatum semel atque iterum Fabius dicit & probat. Explicatis autem ipsius rei causis interioribus seu principijs: deinceps vndénam homini prænotio & cuius gratia disquirendum, subindeq́ causas aliæs perscrutabimur ne Platonici succenseant, putantes nos rei illius principia causasq́ duntaxat duxisse in controuersiam, quibus Aristotelici contenti videntur, propterea de exemplari quoq́ & organica obiter memores erimus, ac ea quæ prænotioni in vniuersum obueniant inuestigabimus: nec non quis eius vsus, quis abusus, quis ardor præsciendi, qui legitimi, qui adulterini præcognitores, quomodo ex vera prænotione religio, ex falsa superstitio dependeat, quæ demùm prænotionis habeantur species. Hæc sanè primo libro, sed ordine congrueuti pertractabuntur, in reliquis quæ subalterna dicuntur genera ab alijs subdiuisa & secunda genera nuncupata, & species proprietatesq́ plurimas exequemur: Siquidem secundo de vera diuinaq́ prænotione disseremus : Tertio eam quæ secundum naturam est, & ducemus in medium, & ei præscriptos limites ostendere conabimur. Quatuor qui deinceps libri confutandis superstitiosis prænotionibus dabũtur, ac eorum primo qui quartum in ordine locum habebit aduersus aperta, cum dæmone pacta fœdera, quibus ducũtur plurimæ diuinationum species, præliabimur. Tribus reliquis eliminabuntur, quæ de occulto prodeunt pacto. Quintus enim aduersus Astrologiã bellabit, quo & libros duodecim Ioannis Pici patrui aduersus eandẽ compendio claudere decreuimus, nõnulla etiã adijcientes, & omnium rationes dissoluentes & refutantes, quæ ad hanc diem aduersus idem patrui opus præclarissimũ ab hinc

nouennium

nouennium à nobis post eius mortem reparatum & publicatum, conscriptæ sunt. Sextus contra Chiromantes, Geomantes, Augures, & cæteram superstitiosam turbam disputabit, Magicas vanitates, & prophanas quæ inde scaturiũt; præsensiones, cùm alterutro fulciantur pacto, & vtroq; dependeant, Septimo redarguemus. Octauus prænoscendi cupiditati præscripturus est metam. Nonus quibus modis diuinæ prænotiones à naturalibus, ac superstitiosis, & curiosis dirimi queant, planè dilucidéq; quoad poterimus, edocebit.

Sed quoniam multi fortasse non deerunt, vt sunt hodie tetrici iudices, ac seueri nasutiq; censores, quibus varia susurramenta excitentur, præoccupanda nonnulla duximus. Quare qui non in ipso modò voluminum decursu, sed singulis libris, singulis capitibus, quæstionibus singulis, aut diuisiones frequentiores, aut compositiones exactiores desiderauerint, æqui boniq; consulant: ita & ij quoque ne despiciant nostra, quibus crebriores interspersæ definitiones fastiditum & delicatum nimis gustum illectant, nec eadem corruptum illorum damnet iudicium quos dira tenet cupido, vt indissolubilia quaque in re argumenta formentur. Neque enim hoc quælibet aut materia admittit, aut causa recipit, aut singulæ operis partes efflagitant: nec singuli omnia quanquam celeberrimi alioqui scriptores, executi sunt, quibus tamen in rebus, quoad potui, data est opera, quæ si cui non fecerit satis, vel ligulam baxeis, vel ansulam crepidis ipse reponat. Si alio opere totum negotium ex integro retexere pigebit, quibus nos vigilijs & laboribus nostris vsui erimus, neq; enim pœnitebit vnquàm me vel solo cotis officio perfunctum. Nec longè futuros putauerim qui de ambitu quoque nos insimulent, illud fortasse dictitantes propositi operis prouinciã plura de literis polliceri quàm de omnifarijs artibus Hippias ille præstiterit, cum certamine olympico Pisam accessit, hisce nihil ego responsurus sum, sed eosdem vel illiteratos planè quibus, scilicet, odio studia sunt, vel inuidos quos videlicet pertæsum est suscepti à me laboris beneficio publico, eosdem inquam relegaturus ad lectionem voluminis. Quare si quibusdam ideò minus placuerit, quia id non viderit percunctatorio illo stylo conciso alternè argutulo, minus Latino, nil omnino culto, quem Parisiensem appellant, protinus exaratum, vel meminerint ipsi vel discant minore opus fuisse subsellio: Sed non ita veteres non Aristotelem inprimis effecisse: quos non modò sed nostros Theologos, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, scribendi genere sequimur, potiùs quàm posteriores, quibus Latinum eloquium non satis in vsu fuit, illosq; ipsos sequuti, qui illustriores nostra etiam tempestate habiti sunt, quæ veluti rediuiuæ Latinæ literæ putantur. Huc addiderimus, quòd tametsi duo apud antiquos eloquentiæ iudices haberentur genera orationis, auctore Fabio, perpetua, scilicet, & concisa, quarum ea rhetoricè, hæc dialecticè traderetur, illam tamen semper quaque in re ab ipsa etiam antiquitate & petitã & probatam videmus, adeò vt ipsemet Aristoteles apud Gentes, apud nostros Damascenus, Augustinus, Seuerinus, de Dialectica oratoriæ, hoc est, de conciso illo genere, perpetua tamen oratione, disseruêre. Qui verò callent oratoriam, & me vel in accusandis falsis, & asserendis veris, vituperandis illis, istis laudandis, aut in consulendo quid in ambiguis agendum, Rhetoricos non implesse numeros calumnientur, quiq; adhibuisse me phaleras verborum cuperent & pictæ munia linguæ, monebuntur à doctis hominibus & amantibus mei, vt reuocent eò mentem, sicut in alijs, ita hoc in opere tàm vario tanquàm multiplici, Philosophi magis & Theologi quàm oratoris mihi onus incubuisse: Siquidem & rationibus & diuinis eloquijs, res plurimùm agi conuenit, & præterea vtendum legibus, ac ipsis aduersariorum placitis insistendum, & remotas quoq; literas & reconditas Gentium disciplinas permultas, asserendæ veritati non patrocinari, sed ancillari oportuit: tùm illud sciant, non displicuisse Rhetoribus antiquis oratori obuenire, vt in iudicio non contendat, non consulat, non in laudando aut vituperando versetur, cùm sæpenumerò & concitare & confirmare, & obscurè dicta interpretari, & præcipere conueniat: vt propè infinita videri possint causarũ genera. Quid? quod nec vnum modò illorum, sed omnia simul nostris his voluminibus amplecti, & promiscuè exequi consentaneum fuit. Et sententiæ rerum non calamistri, non fuci orationis adsciscendi, qui etiam à summis tùm Rhetoribus damnati, tùm oratoribus abiecti fuerunt, quibus non lenocinia, sed ornamenta, hoc est, verba rebus cohærentia quærebantur. Quòd si nec tutos nos hisce veluti clypeis autumauerint, res ipsas quàm veræ, quàm solidæ sint, quàm defensa atq; probata veritas, quàm oppugnata refutataq; vanitas, non florida verba, non eloquij cincinnos, sermonisq; pigmenta, non eximios tropos, non egregia schemata, variosq; colores, non illustria lumina delectosq; characteres, non oratoria deniq; tela dijudicent: quanquàm vt inueniuntur inuersarum aliqui narium & palato fatiscente, quibus aliena semper obolent, & nauseam excitant, vereor ne hinc vellent me oratoris, & philosophi partes affectatiùs egisse, illinc optarêt easdem me aut

me aut minus impleſſe, aut omnino diſsimulaſſe. Sed parùm hæc ad me attinent : nam quæ nobis quaſi aliud agentibus forſitan occurrere, ea ſi non reieci, propterea euenit vt non negligerer ab eruditis nonnullis, quibus quæ horrida ſunt, non admittuntur, ſed ſi eorum nobis exactior cura non fuit, eo fecimus, quando docti & verè Chriſtiani homines, veritati quocunq; ea probetur modo, ſemper accedunt, & tametſi libentiùs plærique, ſi ornamentis quoq; refulſerit, vtraq; tamen de cauſa curam eius omni ex parte non duximus abijciendam, nihil putantes à nobis alienum, modò veritas vanitate ablegata, modò religio ſuperſtitione exibilata, & ſuſcipiatur ab impijs, & à pijs ſuſcepta conſtantiſsimè retineatur. In hoc autem inprimis aſpeximus, in hoc direximus, collineauimus, vt verè prænotiones, quæ contemnuntur ab impijs, eruerentur in lucem & probarentur, vt inanes & falſæ, quas ſuperſtitioſi excolere ſatagunt, refellerentur, vt demùm ab alterutris ſecernerentur: Hoc, inquam, per ſe principeq; propoſito curauimus, illud ex accidenti vt ſcilicet, aliena placita, & ſi quid inerit cultus aſciſceremus maiorum etiam exemplo inuitati, qui ita effecerunt ipſi & faciendum alijs poſteritatis memoriæ tradiderunt. Sed vtcunq; ſe habitura eſt res, minus iſthæc præfatio & quaſi facies, quàm ipſum operis corpus oſtenderit, quod vt iam promiſimus, à nomine exordiamur.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI, CONCORDIAEQVE COMITIS,

De rerum Prænotione,

LIBER I.

CAP. I.

QVID INDICET NOMEN prænotionis.



RAENOTIONIS nomen compoſitum eſt ex præpoſitione ipſa *præ* & *notione*, quæ idem eſt atque cognitio. Ea autem præpoſitionis huius habetur natura, vt & ſeparata & coniuncta in oratione ipſa dici ſcribiq; poſſit diphthongum ſemper includens. Eam quanquàm varios in ſignificatus perſæpè acceptam, deſumptamq; inuenimus, verior tamen & propior ſenſus, ſi ex ea id quod eſt priùs intelligatur, atque ipſi præpoſitioni antea, ſignificatu & re ipſe reſpondeat. Apud veteres obſeruatum inuenio, vt ipſa præpoſitio minimè coniuncta, varia denotet: ſed nonnunquàm antea ſignificet, etiam non iuncta, ſed ſeparata. Si verò cum alia dictione confletur, aut ſemper, aut frequentiſſimè ante priúsve ſignificat, idque in communi vſu eſt, quod & præfero & præpono, & multa id genus apertè commonſtrant. Quòd verbum ſi Græci exprimant, πρόγνωσιν dicturos eos arbitror, quanquàm prolepſin Cicero ſiue anticipationem, ſiue prænotionem appellat. Ne inuidia verbi labefactetur oratio, hæc ipſa prælibauimus, ac ne ij qui minutulos quoq; literarum apices conſectantur, neglectā ſui ſtudij rationē quærantur. Tametſi omnifariàm eruditus homo, vt ſublimiora inprimis curare debet, ita nec infima contemnere, quarum ope illa ipſa ſuſpiciuntur, & in eis adipiſcendis ſuppetias afferunt. Prænotionem igitur quantum attinet ad nomen, intelligi volumus ante notionem quandam, ſiue ante cognitionem, anticipationémve. At quamuis ipſa hominū prænotio, de qua plurimùm loquuturi ſumus, ſuapte natura videatur ad futura referri, vt dicatur propriè, ad prænotionē pertinere, quod futurū eſt, & priùs cognoſcitur quàm eueniat, nihilominus nō ita ad futurū reſtringitur, coartaturq;, vt etiam ad alia tempora protendi non poſſit. Namque & eò ſpectat (vt multos prioris ſignificatus ab Ariſtotele poſitos omittamus) cùm dicimus priuſquam alijs quidpiam

quod iam actum factumq; sit, innotuerit ab prænoscente deprehendi, idq; ad præsens refertur tempus: Quale illud fortasse diceretur, quod in Patauino agro visum est, dum ageretur in bello Pharsalico, vt cùm alij, tùm & Lucanus & Gellius meminerũt. Sed & certè illud quod Propheta Helisæus vidit cùm Giezi puer à Siro Naamane dona postularet. Cæterùm & ad prænotionem pertinent. Præteritæ res, cùm videlicet sciuntur priusquàm ordinaria vi naturæ cognosci possint: Ad præsentia igitur (quæ ideò dicta quasi præsensibus sint) præsentia inquam, quæ alijs nondum innotuerint, ad præterita etiam quæ ordine suo natura non potest ostendere, prænotio pertinet. Siquidem & de præterito prophetia est, quæ sub prænotionis genere continetur: vt in sequentibus ostendemus: Hinc deprehendi cognosciq; potest, cur de rerum Prænotione volumen inscripserimus. Si enim de futurorum cognitione duntaxat mentionem fecissemus, ad præsentia, atque præterita titulus non pertineret. Res autem de quarum prænotione tractamus, cuicunque temporis differentiæ congruunt, nec futuro duntaxat coaptantur. At qui nec vllum magis ambiens nomen nobis inuentum est, quod & diuina & humana, & superstitiosa simul, & religiosa comprehenderet, vt hinc vera probare, falsa indè reprobare possemus. Diuinatio namque restricta est, atque ad pauca quæpiam noscenda protenditur. Et licet Macrobius eam, auctoritate Hippocratis motus, ad præsentia etiam atque præterita spectare putet, nihilominus supera diuina quæ non vendicat sibi, sed arrogat: vt sumus dicturi, eaque item in malum vsurpatur à nostris. Prophetiæ quoque nomen à prædicendo solum, non autem præsciendo pręnoscendoq; deductum est, & prędictio ipsa prænotionem præponit. Quî enim fieri potest, vt rectè vereq; prædicantur quę priùs nota non sint. Aliæ etiam pręsensionum quorundam nomenclaturæ differentijs quibusdam contractæ sunt. Sed de his ad præsens satis, quando & hęc ipsa operis progressu videbũtur. Nunc an ipsa sit prænotio, disquirendum.

CAP. II.

PRAENOTIONEM ESSE.

DIximus superiori capite, quid nomine prænotionis intelligere debeamus, nondum an ipsa pręnotio sit, disputauimus & collegimus. Cicero de Diuinatione scribens, primo eam libro multis argumentis esse commonstrat, quas disputationis partes fratri Quinto contribuit. Secundo autem quæ frater dixerat labefactare conatur, & suo more (qui scilicet dubitabundos philosophos imitabatur) disputationem sub dubio relinquit. Verùm confirmauit in primo magis, quàm secundo infirmârit, quippe qui ex populi Romani & omnium Gentium consensu receptam opinionem asseruerit, versari quandam inter homines Diuinationem, pluraque & varia tàm somnij quàm furoris & oraculorum (vt aruspicinam & auguria prętermittam) affert exempla, quæ sequenti disputatione tollere quanquam nititur, non potest. Quę enim fuisse affirmantur ab omnibus, ea non fuisse qui contendit calumniatur. Quapropter prudentissimus inter philosophos Aristoteles, quæ ab omnibus fama vulgabantur, consentaneum esse putauit, vt omni ex parte falsa non essent. Quo ad rationes attinet quas contra opponit aut nihil illę, aut parùm probant. Quod ostendere curassem ni Cicero idem tùm inter initia secundi libri, tùm in operis calce eis ipsis parùm se fidere declarauisset. Nam & illa Carneadis argumentatio quę videtur validior, aduersus diuinationem inducta, eam vtique non tollit modò, sed nec loco (vt videtur) pellit. In hunc ferè modum aduersus illam disputabat Carneades, aut sensibilium, aut intellectibilium rerum diuinatio est. Si primum des, cur diuinatione est opus? in eis, scilicet cognoscendis, quæ sensibus vsurpamus. Si secundum, sequetur illud vt quis lumine captus instar Tyresię nequeat quicquam de coloribus diuinare, vt & surdus de vocibus nihil omnino pręsagire. Restat (inquit) vt de eis esse rebus diuinationem dicas, quę arte tractantur. At ea cùm artifices cognoscant diuinatio superfluit, quando ad ęgros medici, non arioli ducendi sunt. Sanè ijsdem vestigijs instare possent, quibus esset mens Carneadem refellere, atque eiusmet sumptis ita argumentari: Res cùm præsentes sunt sensu, & diuinatione quum absunt, aut non dum venerint, ipsa solùm diuinatione colligi, sed & intellectu etiam sine

sine sensu (quod quidem placuisse Platoni liquet) percipi & præcognosci posse, siue earum imaginibus recens in animum illapsis, vti etiam nos adstruimus, idque fiet palàm cùm de Prophetis disputabimus, siue ex speciebus animæ congenitis, quod Plato putauit. Sed & Didymus eis posset opponi, qui cęcus cùm esset, in disciplinis nihilominus, & præcipuè Mathematicis præcellentissimè floruit. Artes verò multò etiam melius prænotione adhibita comparari posse, sic & remedia ægritudinum, multa supernè reuelata memoriæ proditum iri. Sic in ambiguis responsa supra hominem exhiberi, perquam opportunum & commodum censent. His itaque confici posset diuinationem nec tolli planè nec erui. Si autem & diuinatio est, dubiò procul & prænotio est, superior enim & magis ambiens ipsa prænotio, quæ multas (vt monstrabimus) species continet, inter quas diuinatio concluditur. A`specie autem ad suum genus argumentari affirmando rectè nos posse in Dialecticis adstruitur, & eiusmodi consequutio inter bonas validasq; argumentationes nobilem obtinet locum. Diuinationem autem scribit Cicero esse earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictionem atque præsensionem, tametsi postea calumniari posse ipsam definitionem dicat ex Stoicorum placitis, quibus pro confesso erat, nihil omnino fortuitum haberi, sed omnia fato quodam & necessitate gubernari. Quam opinionem, & indoctam quidem & impiam Aristoteles ipse multifariam tàm in prima Philosophia, quàm alibi suarum commentationum reprobat, & nostri Theologi acerrimè atque fortissimè prosternunt. Id nomen ipse à diuis tractum dicit, cuius loco Græci Manticen ponunt, à furore (vt Platoni placuit) deriuatum. At qui oracula dæmonum fuisse, de præsentibus, præteritis, atque futuris differentia, negari non potest, nisi omnis pariter negetur historia, quanquam sæpè falsò & subdolè respondebant, fallebantque, & sæpè mentiebantur. Vnde olim de templo Apollinis dictum: Benè dicta celebrari memoriter, errata recordari neminem.

Philosophi quoque & multi & celebres prænotionem esse crediderunt rerum futurarum, inter quos Pythagoras celebratur, Plato ipse tum in Phædro, tum alibi, tum in Timæo potissimùm, & diuinationem esse, & vates dicit, quibus tanquam interpretes præesse Prophetas voluit. Iamblichus, Proclus, Porphyrius, multis in locis commentationum suarum prænotionem futurorum apertissimè prædicant. Ipsum quoq; Aristotelem (vt ad præsens de diuinatione per somnum sileam, cui etiam librum dedicauit) consultum à Pythia vt philosopharetur, apud Philoponem eius, & operum interpretem, & vitæ scriptorem legimus. Item sectatores ferè omnes, & enarratores operum diuinationem per somnum esse credidêre. Et Auerrois in Paraphrasi de diuinatione per somnum id ipsum probauit, quod & Peripatetici fecerunt plurimi, seu Latina, seu Græca, seu Arabum lingua. Sed & Platonici exuberantius, & Synesius quoque, & Psellus, & alij: Nec non Stoici, atque ipse Democritus, Dicearchus, Cratippus, Chrysippus, Diogenes Babylonius, Antipater diuinationi concesserè. Verùm Indi quoq; & Aethiopes prænotionem non solùm futurorum credebant esse, sed ipsi prænoscebant multa, prędicebantq;, quemadmodum ex Philostrato colligitur in libris de Vita Tyanei Apollonij, quem etiam pręnouisse multa, & prędixisse conscribit, qui cum nobis in sequentibus libris erit pugna. Cęterùm Christianis nobis negari omnino non potest rerum prænotio, cùm omnis nostra religio pręnotionibus nata, auctaq; & propagata sit: pręnotionibus, inquam, Prophetarũ, Christiq; & Apostolorum, quibus diuino lumine reuelata sunt, quæ ipsi nobis posteà aut verbis, aut scriptis (quæ Canon Diuinarum literarum dicitur) inuulgârunt. Demùm & abundè ijs suffragatur ratio: Indita enim hæc quodammodo mentibus hominum sollicitudo, vt quæ ad se futura pertinent prænosse aueant, vt latiùs disputabimus. Frustrà autem hoc desiderium ni vel omni ex parte, vel quadãtenus impleretur, & sanè si Aristoteles in prima Philosophia sciendi desiderium à natura homini insertum censuit, cur non & futura sciendi, hoc est, præsciendi? Pręscire enim & scire futura, scire vtique est. Quid? quod homo animantibus brutis non prętaret modò, sed planè posthaberetur nisi prænotionibus polleret. Quandoquidem illæ quę ad se pertinent, prænoscunt, quod & in formica minimo ferè animalium liquido conspicitur, cui pro futura hyeme ad tolerandam sibi famem grana reponuntur. Sanè cùm res nautica, agricolatio, tùm etiam maximè propria homini virtus, prudentia, pręnotionibus fretę suas operationes

peragunt. Enimuerò si & separatæ substantiæ habentur (quod non solùm nostri, sed & Philosophi Gentiū probauêre) si Deus ipse est (quod solum ab insipiente & omnino fatuo negatum) prænotionem esse necesse est. Si enim Deus est, prouidentia est, si prouidentia, vtiq; ad hominem extenditur, inferiorū omnium animantium principem: hoc & ipsorum principes probauêre. Plato quidem id multifariam, & Aristoteles tàm in x. Ethicorum, quàm in libro de Bona fortuna sensit: quòd tantum abfuit vt Auerrois (qui creditur impius) abnegauerit, vt prẹter ea in libro etiam de Somno scripserit, immitti à re Diuina hominibus somnia, idq; fieri ex perfecta erga eos sollicitudine. Si autem prouidentia, vtique & prænotio erit. Prouidere enim atq; consulere rebus quomodo potest qui eas non prænouerit? Dixerit quispiam, si Deus eo pollet munere, non propterea sequi oportere, vt eodem homo polleat. Atqui pollere hominem dubio procul conspicietur, si quæcunq; ad salutem rationali substãtiæ necessaria sunt, illi à Deo impartiantur. Quomodo autem ad salutem, ad felicitatem se accinget homo, nisi & prænouerit eam iam sibi præparatam, & modos viasq; didicerit, quibus ad illam quæ supra nostræ naturæ facultatem sita est, perueniatur. Iam de Legum positoribus liquet, prænosse eos oportere, si suis ciuibus & præscribere, à quibus caueant, & præmonstrare, quæ sectentur, voluerint, atq; ob id & pœnas & prẹmia tùm minati eos, tùm polliceri perspeximus.

CAP. III.

QVID SIT PRAENOTIO.



Vm itaque rerum notæ animo concipiuntur, priusquàm res ipsæ præsentes imaginibus suis, vel sensum excitent, vel mentem informent, efficiunt, vt qui hæc patitur, prænoscere dicatur. Hinc veteres præsensionis, præsagijque, atque prænotionis nomine vsi sunt indiscriminatim: quanquàm illa ad sensum (nam de præsensione notum, & sagire, vt ait Cicero, acutè sentire est) hoc ad intellectum significantius refertur. Aliud itaque scire est quid nomine significetur, aliud quid sit res, etiam in his quæ essentiam habent existentem, in quo miramur esse nonnullos quanquàm alioquin subtiles Theologos, qui affirment idem esse quid nominis (& vt eorū vtar verbis) quid rei, in habentibus quid rei. Notum enim aliud esse quid nomine prænotionis indicetur, quod suprà exposuimus: Aliud quid ipsa prænotio de qua tractamus. Themistius in posterioribus resolutorijs docet, ea magnopere differre, diuersumque omnino inquit putandum, nec vllo modo idem esse, significatum nominis, & id quod sub hoc verbo, quid sit rei esse intelligitur, illudque omnibus ferè, hoc autem non nisi paucissimis & exercitatissimis in promptu haberi. Sed & illud considerari potest, quid est esse nominis, relationem esse ipsius nominis ad rem ex ipso significatam, quid verò sit rei ipsam esse essentiam quæ refertur ad nomen. Vnde primum & complexis competit nominibus, & accidentibus, & communibus, & extrarijs: hoc verò incomplexis, proprijs, essentialibus. Sed de his aliâs. Verùm cùm ipsa notitia tàm sensui, quàm intellectui conueniat, efficitur, vt & eorum quæ suscipiuntur sensu, & quæ mente intelliguntur, notio atque cognitio æquè dici possit. Noscimus enim sensibus, noscimus & ratione, atque intellectu. Quare & quæ priùs sensu vsurpantur exteriore, interioréve recipiuntur, aut imaginatione afformantur, vel in superna animæ parte quæ ratiocinatur, & intelligit & sapit, imprimuntur: ea prænosci iure meritoque dicentur: vt prænotionis nomen ad quodcunque cognitionis genus referatur. Iam ipsa prænotio quod etiam suprà insinuauimus ad ea non modò quæ sint, sed quæ seculis multis præterierint quoquo modo potest extendi: quando earum quæ prænoscuntur rerum notitiam, aut sensus ipse, aut intellectus suapte sponte, aut naturæ ipsius ope alioquin consequi non potuit. Sic prophetauit Moses Theologorum omnium testimonio de mundi exordijs, de multorum seculorum decursu, quæ iam dudum præterierant. Prophetia autem esse non potest nisi prænotio sit. Prædici enim quomodo possunt, quæ prænota non fuerint. Siquidem προφημι Græcè, Latinè prædico: & προφητεία prædictio est. Sed & apud Hebræorum literas נָבִיא, hoc est, naui, Prophetam significat,

ficat,& נבא,id est,naua,pullulat,ex qua veluti radice apud nos deriuaretur eloquium. Etne calumnia nobis ingeratur à Philosophastris quibusdam,quos Sacræ literæ perturbant, putantes fortasse indecorum atque extrarium nimis, vt præsagiri, prænosci, prædicique dicantur, ea quæ olim multis annorum curriculis peracta sunt, præter Macrobij auctoritatem, Hippocratis sententia fultam, perlegant quæso commentaria Auerrois de Somno, & intelligent absurdum minimè putari debere, vt prænoscantur præterita: nec remotum esse, quin ea quæ & præsentis, & præteriti temporis sunt, præsciantur in somnis : modò ignota ea apud nos fuerint. Apud Aristotelem quoque in Rhetoricis me legisse memini, diuinationem quoque de præteritis dici, quæ tamen sub ipsa prænotione, perinde ac ipsa Prophetia concluditur. Epimenides, inquit, Cretensis diuinationem futurorum respuebat, præteritorum quæ occulta erat solam amplexabatur. Nec inconsonum putemus, vt repetamus Hippocratis exordium de Prognosticis ægritudinum præcipientis præuisione vtendum, & à medico futura, præterita, præsentia cognoscenda, vt ægroto reuelentur,quæ de se ipse non præsenserat. Quòd procedente opere liquet apertiùs, dum signis vtitur, quibus quæ sint proferenda, comparentur : Illud quoque inter alia Cornelij Celsi prognostica offert se memoriæ,dum lotij coloris meminit,albi priùs,mox ruffi: illud, inquit, coquere, hoc concoxisse significat. Quare ad præterita etiam, non solùm præsentia(modò occulta fuerint) prognostica præsagiaque protenduntur.Atqui non modò Philosophi,& Medici,sed & Poëtæ nobis adstipulantur. Nam apud Maronem in Georgicis ad vatem pertinet præsentium etiam & præteritorum notio. Quippe qui de Protheo loquens inquit:

—nouit namq; omnia vates,
Quæ sint,quæ fuerint,quæ mox ventura trahantur.

Adde & illud si præcognoscuntur ea(vt dictum est)quę antea cognoscuntur,quàm res ipsæ sensum vel sua præsentia feriant, vel intellectum vestiant sui imagine : sequetur dubio procul,vt etiam præterita possint præcognosci. Quoniam ea ipsa, quæ à sensu, & intellectu per distantiam pręteriti temporis remota sunt, nisi vel testibus narrentur,vel literarum monumentis pręsententur, ęquè impossibilia cognitu sunt, quàm ea quę nunquàm fuerunt : nec magis excire sensum aut intellectum potest quod pręterijt nobis ignotum, quàm quod futurum est:Eadem enim in vtroque difficultas. Quamobrem pręnoscere dici potest quis, quę pręterita sunt: modò aut scriptis,aut referentibus hominibus ea non didicerit. Ac si illa ipsa quę ob id quòd nunquàm fuêre,vel minimè sensum mouent,vel intellectum insculpunt,pręscierit. Colligamus igitur,pręnotionem earum rerum esse cognitionem, quam quis animo nanciscitur,priusquàm ipsę res sua pręsentia, & ordinaria, communiq; vi naturę cognosci possint.

CAP. IIII.

VNDE PRAENOTIO HOMINIBVS ET cuius gratia.



Vidimus quid sit pręnotio, nunc recto ordine de causa efficienti, & fine sciscitandum decernendumque est : & sanè consideranti mihi pręnotionem nil ob aliud homini datam occurrit, quàm vt ad finem suum, hoc est, perpetuam felicitatem perferatur (de bona & vera loquimur) eaque in Dei bonitatem referenda est, cuius prouidentia humano generi quod constituit,clementissimè consulit,vt ad se,vnde per creationem defluxit,reuertatur.Si enim de prudentia & ratione quęramus,quibus & coniectari de futuris,& ratiocinari datum est:constabit apertè,aut nulla, aut certè parua disquisitione regi,omnino illarum ope humanum genus,eisque sublatis perstare non posse : Adeò omni siue in otio, siue in negocio opus nobis sunt, vt sine eis nec commodè tantùm viuere,sed nec omnino viuere queamus.Ex vera autem Prophetarum pręnotione tot commoda in nos deriuârunt, vt sine eis,nō solùm hac vita mortali, sed nec spiritali viuere possemus, abituri scilicet in pręceps & ęternùm perituri. Namque vt mittam in vniuersum,quod sine fide (quę superno lumine nobis impartitur) spiritaliter viuere nō datur,specialia quędam mu-

nera eademque necessaria per prænotiones communicata nobis attingam, ob quæ & de principio, & de fine nostro qui Deus est, & de medijs pariter quibus ad eum peruenitur, instructi sumus, alioquin ignari omnino veritatis & in perpetuis tenebris morituri. De creatione mundi & humani generis initio nil veræ sincereque cognitionis adepta fuisset patrum memoria, ni superno lumine radiatus Moses ille & Legifer & Propheta præcellens præterita futuris seculis arcana reuelasset. Eodem lumine perfusus Noë fabrefecit arcam, qua pauci veluti renouandi generis semina conclusi, ab vniuersali eluuione defensi sunt. Sic Abraham eiusdem luminis beneficio parens fidelis populi effectus est: Sic & filius Isaac, & nepos Iacob Dei voluntatem impleuêre: Sic pronepos Ioseph eodem lumine Pharaonicum somnium interpretatus & Aegypto famæ perituræ tutelam præstitit, & patri ac fratribus charitate annonæ laborantibus alimoniam ministrauit.

Cæterùm & in Nouo testamento per Christi Dei & hominis documenta, per Apostolos diuinitùs inspiratos sanctissimæ Trinitatis vnitate, quæ primarium principium est, & eiusdem fruitionem, quæ noster est finis, & media, quæ ad eum consequendum sint seruanda didicimus. Quomodo enim aut arte vlla, aut vi naturæ peruenire potuissemus ad ea quæ nullo modo cognouissemus? quomodo cognoscere, quæ & sensus & intellectus humanos exsuperant? Reuelari igitur ea oportuit à Deo prænoscente omnia, imò vnico actu qui ipse est, se ipsum agnoscendo omnia prorsus, tàm præterita quàm præsentia & futura simul perfectissimè comprehendente, reuelari, inquam, per Prophetas, per angelos, per proprium denique Filium, per eius Apostolos, quorum vnus & totius etiam Ecclesiæ decursum adusque orbis consumationem, & prænouit & literarum monumentis tàm suo quàm euenturis seculis prædixit. At qui nulla euidentiori probatione persuaderi incredulis potest curare Deum humana, seculisque & regnis prouidere atque consulere, quàm ex futurorum prænotione, prædictioneque. Semper quidem inter Philosophos literaria bella: nec satis constat extra controuersiam quid eorum celebriores senserint. Tametsi prudentiores, meo iudicio, existiment eos diuinam prouidentiam etiam rerum particularium & hominum præcipuè credidisse. Plato pluribus locis id ipsum exclamat, & comprobare nititur Aristoteles, & in Ethicis ad Nicomachum, & in Ethicis ad Eudemum idipsum apertè sentit. Et quanquam alij ex aduerso opinati sunt, nonnullis moti verbis, quæ in Metaphysicis posuit: ij mihi consultiùs examinare Philosophi eius scripta potuisse videntur, & ad concordiam reuocare, quæ inter se pugnantia omnino sunt: nisi illud ipsum sensisse eum fateantur: Illudque animaduertere, non se facilè tueri illius dogma posse de causa finis, propter quam agat natura, nisi prouidentiam statuant. Sed hæc nobis mittenda ad præsens, tùm quoniam non eorum hic locus, tùm quod animo pridem insedit, dicato opere de diuina prouidentia pro nostra imbecillitate disserere. Tunc autem & Alexandri Aphrodisæi impia dogmata, & sectatorum Auerrois, ipso etiam putauerim Auerroë magna ex parte consentiente confutare tentabimus, & illud monstrare nunquàm fuisse celebrem vllum & præcellentis famæ in literis hominem, siue Poëta ille, seu Rhetor, seu naturalis Philosophus, qui supernæ alicuius mentis prouidentiam esse non putauerit. Sed quoniam hæc naturæ lumine pertractantur non omnibus nota, quoniam nec singuli omnium capaces, & qui capaces & proterui sunt, ansam respondendi semper quęritant, & contendendi: his Theologia silentium imponit, quæ Prophetis innititur. Nam dum per multa annorum curricula antequàm fiat quod futurum est, præuident Prophetę, atque prędicunt, vt auertant mala, vt bona suadeant, promittantque: non potest id in naturam referri quę non intelligat, non ordinet, & decernat, quod alioquin ex sui natura, vel ad alterutram, vel ad alteram & oppositam partem flecteret. Ita in Sacris literis Veteris testamenti aduentus Christi certis hebdomadarum spacijs pręfinitus, & antè annorum millibus pręnunciatus est. Reges item proprijs nominibus antequàm de matris vtero egrederentur, à Prophetis designati. Ita Esaias de Cyro alienigena, nec multa etiam post secula in Attauorum lumbis initiato. *Hæc* inquit, *dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius ego apprehendi dexteram*, notans quę esset acturus, & vnctum appellans. Hebręis etiam regibus imposuêre nomina multis antè seculis quàm nascerentur, vt Iosię regi euersori Idolorum.

Hæc

Hæc autem adeò particularia & nomina & acta, quæ & à parentum & à filiorum, qui posterioribus seculis nati sunt, mera voluntate pendebant, præuideri aut prædici ad lineam non poterant à Prophetis, nisi lumine eo quod falli non potest ea peruidissent, ipso monstrante qui prædictarum rerum & auctor esset & ordinator. Neque enim à naturali causarum ordine fluere poterant, quæ variari ad hominis queunt arbitrium, quo humana scilicet gesta reguntur, nec à fortuito & temerario causarum inferiorum concursu coagmentari, quæ stata, scilicet, certaque principia non habent: nec ab vlla, aut Ariolorum, aut Astrologorum, Aruspicumque, aut aliorum quorumcunque superstitione præuideri, quas à veræ prænotionis titulo sequestrabimus: id enim nec vllo modo præstare possunt, sed nec nisi fallacissimè promittere, quod in operis processu magis ostendetur. Quas ob res & de principio eius, & fine, ac medijs ex prænotione certior homo fit, & diuinæ prouidentiæ cognitor: sed & imago etiam quædam & similitudo quodammodo diuina ei communicatur, quando non solùm & præterita & præsentia, sed etiam futura, quod diuinitati primò conuenit, nosse ob prænotionis munus potest: quod & à natura quodammodo inditum est, & supernè quoque peculiarius à summo rerum omnium conditore largitum: falsæ autem prænotionis autor dæmon est, qui sibi diuinitatem arrogare maluit, quàm se illi subijcere, eamque communicauit hominibus, vt eos secum ad æterna raptaret incendia: vnde sicut principium optimum eundemque finem bonis prænotionibus tribuimus, ita aduersa ratione de malis pronunciandum est, etiam ex regulis Philosophi Aristotelis apud quem rectum sui pariter & obliqui iudicem legimus, & eandem esse contrariorum disciplinam.

CAP. V.

PRAENOTIONEM MVLTIS TRIBVI, PAVcis legitimè conuenire.



Hinc factum vt multi nomẽ ipsum prænotionis perperam vsurpârint, quod paucis legitimè & exactè conuenit. Siquidem Prophetas Veteris & Noui Testamenti, qui & futura antequàm fierent, prçuiderunt, & quæ peracta multis seculis fuerant, nullo hominum tradente, nullo literarum monumento insinuante, sed Deo reuelante didicerunt, quippe Dei hoc dono posteà participauerunt, eos solos atque in primis nomen prænotionis decet: proximi, sed longo proximi interuallo, qui res ipsas naturæ ope cognoscunt priusquàm producantur, cùm eas in suis causis præsentiunt præuidentque, atque ob id prçnotionis nomine honestari insigniríque possunt. Quales cœlestium motuum indagatores qui Arithmetica supputatione colligunt obseruationibus & experimentis iam positis quid in ipsis orbibus euenturum est, de restitutionibus syderum, de luminarium defectibus: Prçsciunt enim prçnunciantque futurum quod ex consono motu & vsu reuolutionis orbium deprehenderunt: Quales Medici qui ex tactu venç, ex inspectione lotij excrementorumque aliorum, de çgritudinis euentu, experimentis & obseruationibus admixtis prçsagiunt: Quales nautç, & pastores, & agricolç quibus de statu aëris, serenitate, pluuia, æstu, siccitate, sæpè notum antequàm fiat quod futurum est rusticis & marinis obseruationibus: Quales viri prudentia pollentes, qui longo & diuturno vsu rerum edocti, sçpenumerò quod futurum in prouincia, in ciuitate, in domo est, rationabili coniectura p̄noscunt. Vnde illud Euripidis, *Qui benè conijciet, is vates optim⁹ esto.* Et Cornelius Nepos scribit facilè existimari posse prudentiam quodammodo esse diuinationem, sed humana hæc & à naturæ lumine proficiscentia: Ideò vel non vsquequaque certa, vel crebrò vacillantia, vel quandoque falsa: Namque nec Astronomicis supputationibus ad liquidum, semper conuersionis cœlestis ordo respondit, quod motuum ad hanc diem indeprehensa varietas. Maximo indicio est præter fidem experientiæ & medicos (vt constat) sæpè fallunt prognostica, & nautis ex insperato procella ingruit, & agricolationibus aut pluuia, aut siccitas opportuna credita prædictaq; quandoq; non aduenit, quandoq; non fauet, & viri prudentes interdum hallucinantur. Diuina autẽ illa, quibus veri Prophetæ futura & præsciunt, & præmon-

ſtrant certa, fixa, ſtabilia ſunt, de quibus longa diſputatione in proceſſu operis agendum. Cæterùm & prænoſcere multi præſumunt, nec diuini, nec naturalis luminis adiumento, ſed ope dæmonis, & tenebris ſuperſtitionis. Hinc Magi inſaniunt, Necromantici furiunt, Aſtrologi diuinatores fabulantur & decipiunt, Geomantici nugantur, Chiromantici delirant, & quicunque ex his, vel propagatione, vel adoptione in inſani erroris hæreditatem adſciti, in ſtultitiæ præcipitia labuntur: prænoſſe omnes dicuntur, ſed non rectè atque legitimé. Niſi qui aut diuino lumine præſciunt, aut naturali coniectantur. Reliqui ſiue Aſtrologi, ſiue Arioli, ſiue Auſpices, Aruſpicesque, ſiue Augures, ſiue Diuini, aut Pythonici, Phanaticíve, ſiue alioquocunque nomine appellentur, diuinare omnes rectiùs quàm præſcire & prænoſſe dicendi ſunt. Fallax enim eorum præſenſio, & prædictio fallacior à fallaciſſimo dæmone mendacij parente originem ducens. Prænotionem itaq; ad veram Diuini luminis radiationẽ primariè & per ſe referimus, dein ad congenitum rationis fulgorem propagamus, mox ad obumbratum, & adulterinum ſuperſtitionis crepuſculum extendi, quanquam illegitimè poſſe putamus.

CAP. VI.

DE MVLTIPLICI VSV PRAENOTIOnis, & abuſu.



AB his conſequens eſt, vt de vſu & abuſu quoque pertractemur: Namque malis non ſolùm, ſed etiam ipſis Dei donis genus hominum poteſt abuti. Vtitur autem ſi eis contentum veluti intermedijs quibuſdam ad debita ſpiritalis præſertim vitæ officia obeunda, inſtituitur ad finem humanarum omnium actionum, felicitatem, quæ in Dei viſione, & fruitione conſiſtit, anhelet ſemper, & (quantum per humanam fragilitatem licet) conſcendat. Abutitur, ſi hunc ordinem peruertit: quod quomodo contingat (vt id cauere poſſimus) poſtea inſinuabimus. De vſu enim inprimis dicendum, vt amplectamur: de abuſu deinceps, vt reſpuamus. Ex indubia prænotionis cognitione vtilitas in nos eximia prouenit. Cùm certiùs multo Prophetici luminis beneficio poſſint futura præcognoſci, quàm ſenſu, & ratione videri, cernique præſentia. Hinc illud ſępè apud Prophetas, vt præteritum ponant pro futuro, ob indubiam, maximamque certitudinem. Vt illud, *panem Angelorum manducauit homo:* de euchariſtiæ ſacramento prædictum eſt à Pſalmographo, tot annorum curriculis antequam à Chriſto inſtitueretur. Qua de re Bernhardus eo in ſermone ediſſerit, quem de Altaris ſacramento prætitulauit. Vt illud item: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum,* quod de Apoſtolorum prædicatione præſignatum eſt. Conuenit enim, & maximè conuenit, vt cùm ea præcipuè quæ ſupra hominis facultatem ſunt, prænoſcant, prædicentq; certiores adeò fiant vt nullo pacto de eis ipſis ambigere poſſint. Tantaque ob id aſſeueratione promulgent, vt ex eorum conſtantia & intrepida pronunciatione ad aſſentiendum qui audiunt inclinentur. Agnoſcentes nequaquam ſibi eiuſmodi præſertim contingentia, futura aſſeuerãda, niſi alio quàm humano ordine pernouiſſent. Cùm eorum maximè iudicetur mens ſana, & voluntas recta: quorum ſi primum deſit, & adſit oppoſitũ, efficitur vt falſi præcognitores fallantur: ſi alterum, vt fallant: ſed etiã vt fallant, atq; fallantur ſimul: Vtrũ deligas, abſentia ea in cauſa eſt. Neq; enim fallere quis niſi fallat, poteſt. Quomodo enim fallet, niſi aut ignorãs, aut prauꝰ? Si ignorans, fallit vtiq; & fallitur. Nam falſum quod verũ credit, porrigit alijs. Si prauꝰ, falſum quod credit falſum ſub veri ſpecie tranſmittit in alios, ſibiq; peſſimo hoc officio nocet, & in ſuam perniciem agit, quando eum ob id & Dei perſæpè hominum manet vindicta, & ſi hoc ignorat, pernitioſius etiam fallitur. Quandoquidem ſi hocipſum cognoſceret, poſſet aliquando à * pellito liberari, quod ſi non agnoſcat, nunquam diluet: Parte altera nec falli quis prænuntiando poteſt, niſi & fallat iiſdem rationibus. Fallitur enim aut malitia, quemadmodũ mox explicauimus, aut ignorantia, quorũ altero fit, vt falſa prænuntiatio vera à tradente credita ſuſcipiatur vt vera: altero vt falſa quę etiã falſa credatur pro vera nihilominus colatur. Vtrũ des qui fallitur falſum pro vero tradit & fallit, neutrũ autẽ veris Prophetis contingere poteſt, cùm nec fallantur aut

* pellace

aut fallant. Sed de his latiùs in sequentibus agendum. Et sanè nulla haberi certitudo potest, quæ prænotioni per diuinum lumen possit æquari. Porrò sensus noster exterior, in cognoscendo non prætergreditur accidentia: ad substantiam enim sciendam tangendámve non peruadit. Quippe cùm ea ratione solùm, non autem sensibus (qui corporeis tantummodò qualitatibus immorantur) deprehendi possit. Adde quod fallit & fallitur sensus ipse multifariàm ex distantia, ex accidentia, ex obiecto communi: vt philosophi latè probant, & in meo de Imaginatione libro ipse recensui.

Sed & humana quoque ratio vacillat: Nam dum aut sensum, qui verus sit, non sequitur, aut recta linea ex primis intellectus principijs non procedit, facillimè exorbitat. Subde quod nihil ferè tàm ratione firmatum, quin itidem ratione possit infirmari. Illud quoque ad memoriam reuocandum est, sæpenumerò particularia multa, aut ad regiones & populos in vniuersum spectantia, aut ad particulares vel vrbes vel homines pertinentia, sub dubio emergere, quæ declarari commodè ita, & exactè non possunt face humanæ rationis, quemadmodum superioribus reuelationum radijs. Tum quia feruntur vniuersaliter leges, & scientia quoque de vniuersalibus, non particularibus & indiuiduis est. Tum quia conditiones sæpè insunt, & circumstantiæ, de quibus traditū: alioquin dogma decernere liquidò nō posset. Propterea in Sacris literis Veteris testamenti legimus, reuelata multa Israëlitico populo, & ad vrbes & ad reges pertinentia, de futuris bellis & victorijs, de captiuitatibus quoque & calamitatibus imminentibus, quas remotis, scilicet, peccatis, ob quæ mouenda castigandaque impendebant, remouere si vellent in arbitrio esset. Hinc Hebræorum ille rex Iosaphat (vt in libro Paralipomenon legitur) protulit: *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis. Credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera.* Nec solùm Israëlitico populo, sed & alienigenis Niniuitis Ionas sua prænuntiatione consuluit, & Helisæus Propheta Naamani Syro militiæ principi curationem lepræ & prædixit, & docuit, & Syro quoque regi ægrotanti, & per internuntium interroganti de ægritudinis euentu, futura præmonuit. Inter quæ fore dixit vt seruus ipse percunctans regi substitueretur, eiusque opere Iudæas vrbes depopulandas esse. Sed & alia ferè innumera, facile est inuenire in Veteri testamento, & potissimùm in libris Regum. Quo tempore, quia liber populus à seruitio Gentium erat, consentaneum fuit vt tùm Prophetæ abundarent, quorum prædictionibus in agendis rebus dirigeretur, vt Augustinus, vt Thomas meminêre. In sacris item Noui testamenti voluminibus, prædictiones multæ de particularibus euentibus visuntur, in Euangelijs, in Epistolis, in Apocalypsi Ioannis. Sed etiam post Apostolos ipsos Carpus Episcopus diuinis atque creberrimis reuelationibus claruit, vti Dionysius Areopagita in epistola ad Demophilum scribit: ac Martyrum, qui pro Christo patiebantur, plurimi diuinis visis confortabantur, erudiebanturque. Iudam quoque Syllam & Quadratum prophetasse multorum narratione proditur. Anania item Philadelphiæ prophetasse traditur, & quatuor Philippi filias prophetissas fuisse Lucas asseruit in Actibus Apostolorum. Sed & ipse Cyprianus (quod in Decretis est videre) reuelatione se monitum dicit, vt doceret mortuos non esse lugendos: Item alibi fœminas communi contubernio cum clericis non debere vti. Nec solùm in futuris pronuntiandis magno esse vsui Prophetia potest, verùm & in præteritis (quæ occulta sunt) manifestandis, vt suprà de Mose probauimus. Et eo quoque loco manifestè indicatur, cùm Ioannes Euangelista narrat, multos in Dominum Iesum credidisse, ob ea quæ Samaritanæ mulieri præterita reuelauit, alioquin alijs incognita. Atqui posterioribus quoque temporibus Ecclesiæ Prophetia magnopere * fauit. Sic & Martinus ille sanctissimus antistes à superstitione plurimos liberauit, cùm latronis sepulchrū id fuisse patefecit, reuelatione monitus, quod tanquàm martyris esset frequentabatur. Sed enim controuersæ olim altercationes in Ecclesia subortæ statim finem habuissent, si sanctorum prænotionibus virorum piè fuisset auditum. Multa quoque & reges, & duces, imperatoresq; vel pro ineundo bello, vel pro firmanda pace veris prænotionibus freti gessêre feliciter.

* *profuit.*

Et præter paginam vtriusque testamenti Historię temporum, & illustrium in religione virorum per scripta gesta, satis abundeque testificantur prenotiones ipsas magnis rebus gerendis vsui fuisse, magnoque adiumento veritati, & synceriùs, & cer-

tiùs præcipiendæ. Sic & sublimis ille abbas Antonius Arrianorum hæresim sub mulorum specie altare deijcientium & prænouit & prænunciauit: Hoc magnus Athanasius in eius vita alijs virtutibus adscribit. Sic & Constantino Maximo (à quo fama est traxisse originem Picam domum nostram) prænota fuisse multa de prælijs, atque victorijs, & nouæ Romæ extructione legimus, cœlitùs etiam ostensa cruce, in cuius vincendum signo foret. Sic & seniorem Theodosium, Ioannem Anachoritam Aegyptium, & sciscitatum, & consultum de futuris misisse comperimus, & senis consilia sequutum, & maximis è periculis liberatum, victoriam de hostibus obtinuisse. Eundem quoque Romanum alium ducem iuxta Cyrenem, cum hostibus præ paucitate militum congredi non ausum, & diem ineundi prælij docuisse, & victoriam quam postea est consequutus prædixisse. Legimus & Benedictum monachorum parentem Totilæ Gothorum regi inter monendum, reprehendendumque, & annos, qui reliqui erant vitæ, & traiectionem in Aphricam, & mortem prædixisse. Franciscus quoque Asisinus ille inclytus, ille inquam Christi amator ardentissimus, & celeberrimo stupendi amoris miraculo donatus, prænotione doctus, & fratrum suorum regulam conscripsit, & alia multa peregit. Præcellens ille Dominicus Hispanus, quo institutore insignis Prædicatorum ordo coruscat, diuina reuelatione monitus fratres etiam suos induit. Sanè per omnem Ecclesiæ decursum prænotionum vsus, quibus sanctissimi viri, & labentibus hominibus, & labanti seculo consuluerunt. Alia eiusmodi non parùm multa consultò prætereo, de quibus postea particulariter tractandum. De vsu verò naturalis prænotionis dicere multa non attinet. Quoniam non solùm de præsentibus decernere, de præteritis meminisse, & exempla trahere, sed etiam de futuris cogitare, prænosse, prouidere. Identidem homo cogitur, ad tutelam proprij corporis, ad familię custodiam, ad ciuitatis defensionem, tranquillitatem, ad orbis vtilitatem, ad proprię denique animę felicitatem.

Abutitur autem persępè humanum genus donis hisce ad luxum, ad ambitionem, ad cętera mala: Pręsensionibus suis bruta vtuntur rectè, ad prouidendum sibi & filijs profutura hyeme, in qua vel frigidi inclementia cœli, vel annonę caritate pereundum esset, homo exorbitat, ordinemque peruertit, & quę pręnouit futura, in exitium quandoque suum trahit, extincta ambitionis flatu prudentię lucerna, quę gressibus identidem admouenda est, quò fit vt non modò sibi & alijs adiumento sit, sed & detrimento non mediocri. Pręnotione item abutitur homo, cùm aut quę pręnosci nequeunt, cupit pręnoscere, aut alio modo quàm decet, aut plusquàm oportet, tùm enim aut superstitione hallucinatur, aut curiositate nimia delirat. Dum enim extra pręscriptum res futurę aut quęruntur, aut recipiuntur, vel in vanam curiositatem, vel in noxiam superstitionem abitur. Hinc magicę vanitates, hinc noxię superstitiones omnes, hinc Manichæorum blasphemiæ & Priscillæ, Montanique, ac aliorum hæreses: Montanus enim se paracletum asseruit, illi se Prophetico spiritu pollere simulabant, & ex Montano afflari mendacissimè, quò faciliùs mellea sub imagine venenata eorum doctrinæ pocula sumerentur. Neque enim (quod in sequentibus & latiùs & particulariùs tractabitur) aut faciliùs aut commodiùs adde perniciosiùs potest dæmon offendere, quàm *cùm se in angelum lucis*, vt inquit Apostolus, *transfigurat*, & sub verarum reuelationum imagine falsa dogmata introducit in vulgus. Nunc autem subdolè plurimum & dissimulanter, olim palàm in templis ex quibus etiam dabant responsa, quæ quoniam vsui magno esse mortalibus putabantur, χρησμὸς oracula ipsa vocitabant.

CAP. VII.

PRAENOTIONIS CVPIDINE HVMANVM GENVS à prima antiquitate extimulatum fuisse.


Anta enim prænotionis cupidine humanum genus ab ipsa antiquitate æstuauit, vt quibus veri Prophetæ deerant, Israëlitico populo peculiariter dati, dæmonum oracula consulenda placuerit: Sed & diuinationem aliunde sibi multifariam procurauêre. Veros enim Prophetas aut contemnentes,

nentes, vtpote lege distinctos, aut posthabentes, in mille insanias deuoluti, mille in præcipitia delapsi sunt. Apud Assyrios Ariolorum consulta, & traiectiones motusq; stellarum obseruatos multifariam inuenimus prænoscendi cupidine: Eisdem astrorũ præcognitionibus Chaldæi & Aegyptij pariter incubuêre, cuius vanitatis inuentum è Caria profectum legimus. Cilices, Pamphylij, Pisidæ & cantu, & volatu auium res futuras, vt Cicero prodit, certissimè declarari autumabant, quam superstitionem manasse à Phrygibus memorię proditum est. Arabes à cygnis cęterisq; auibus vti ex oraculis diuinationem colligebant putabantq; brutorum callere sensa, si cor aut epar draconum comedissent. Persuasum alijs cor talpæ ad præsagiũ valere, nec vulgo modò, sed & Philosophis hominibus. Siquidem Proclus Platonicus id & credidit & scripsit: Ille, inquam, à consectaneis celebratus, cuius Magiam quoniam hactenus quòd nouerim, confutata non est, Septimo huius operis libro confutabimus, cuiusq; olim decem & octo aduersus nostram religionẽ argumẽtationes Ioannes Grammaticus, cognomento Philoponus, doctè dissoluit. Sed enim nationes ferè omnes passim in dubijs responsa ab oraculis petere, vestigare occulta, conciliare sibi vana dæmonum nomina, falsò credita numina: Hinc alię Pythium, aliæ Dodoneum de rerum euentis consulebant, alię Hammonis oraculum de futuris itidem sciscitabantur: Nec vllũ ferè absq; respõsis dæmonum quos decepta Gentilitas putauit deos, & coluit, aut bellum suscipiebatur, aut firmabatur pax, aut mœnia condebantur. Legimus & Athletas huiuscemodi superstitionem expetiuisse, certatoresq; omneis vt vincerent coluisse easdem. Fortunæ quoq; quòd rerum euentis fauere eam autumarent, diuinos honores tributos memoriè proditum est. Apud Homerum & vetustissimos quosq; Poëtas nil ferè vnquàm legitur sine prænotione tentatum à regibus & populis, qui augures & diuinos consulebant. Sic & Calchas sæpè introducitur & Protei crebra mentio: sic & Tyresiæ, Amphiarai, & Heleni, & Cassandræ, & aliorũ produntur vaticinia. Sic & apud Curtium & Plutarchum Alexander Macedo vates consulit, & Aristandri responsis inter eos præcipui qui eius castra sequebantur, credulitatem obstringit. Sed & Iouis Hammonis oraculum per vastas solitudines ardore Solis exustas petit, percunctaturque terrarum ne Orbi imperaturus esset. Ante Romam conditam Carmentæ Archadis Euandri matris, quia fatiloqua putaretur, Latium audiebat in quod multæ diuinandi species diuersis ex locis quasi per manus deductæ sunt, atq; in ipsa vrbe Roma quasi domicilium sibi delegerant: Cuius conditor Romulus Augur fuisse traditur & vrbem auspicatò condidisse. Pompilius conditam regebat augurijs & Aegeriæ colloquijs frui se iactabat ad prænoscendum. Auguribus & reliqui reges Romanorum vsi & exactis regibus nil publicè sine auspicijs, aut domi, aut militię gestũ. Ex Hetruscis etiamnum petitum auspicium Romani misêre, & diuinationem inde adsciuêre.

Somniorum præterea coniectationibus prænoscendi ardore vacârunt, quæ diuinatio è Telmesso putatur orta: τελμισσέων γὰρ οἱ δοκιμώτατοι τὴν διὰ ὀνείρων ἐξ ὄψεων μαντικήν. Tatianus scribit Gentes exprobrans, cuius librum in eas conscriptum beatus Hieronymus florentissimum nuncupauit. Idem sanè domitores orbis Romani interpretationi Sibyllinorum carminum incubuerunt, quibus declarandis multos ex ciuitate viros delectos esse voluerunt, tantaque prænoscendi cupidine Latium exarsit, vt id aduertens Terentius seruulum introducat (quanquàm vt est apud Plautum, *plura decet seruum facere quàm loqui*) philosophantem, scilicet, atque Demeam docentem, id esse sapere non quod ante pedes visitur spectare, sed quod futurum est. Hominis propriam inquisitionem Cicero in Officijs censuit, eundemq; necessarijs negocijs curisq; vacuum, audiendi, videndi, discendiq; auidum esse, nec nõ mirabilium aut occultarum rerum cognitionem, ad beatè beneq; viuendum necessariam ducere. Quam quidem sentẽtiam de Finibus disserens, repetijsse videtur: Iam vatum quoque prædictionibus audiebant Romani, quos non modò apud homines, sed apud deos ipsos in honore esse finxerunt ob notitiam futurorum. Vnde illa apud Maronem in Georgicis ad pastorem Aristæum à Cyrene matre de Proteo:

—hunc & Nymphæ veneramur, & ipse,
Grandæuus Nereus, nouit namq; omnia vates,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Quæ sententia priùs ab Homero, ab Hesiodo, ab Orpheo, ab Hippocrate relata. Siquidem

Siquidem Homerus in prima Rapsodia Iliados Chalcantẽ prædicat sciuisse τάτ' ἐόντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Eadem cecinisse Ioui Musas in Theogonia fabulatur Hesiodus, eadem Protheo in hymnis adscripsit Orpheus: Eadem medico noscenda in Prognosticis censet Hippocrates. Sed nec Romanus duntaxat populus auguribus vacauit, nec solus Grecus, nec Macedo, non illorum modò duces aut reges, sed & Bogum quoque Annibalis augurem legimus, tametsi vanis testimonio Silij deceptum in alite signis, quanquàm ipse Annibal & rudis & impius de quo & ipse Poëta canit:

Armato nullus diuûm pudor improba virtus: & de eo antea Liuius: Nullius Dei metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Quid? quod aliȩ quoque vel exleges omnino vel rudes nationes prȩnoscendi ȩstu, insanijs huiuscemodi se mancipârunt Philosophis, etiam Grȩcis consentientibus, nec Platone modò & Socrate & Epicteto, sed & ipso Aristotele, quem à Pythia vt philosopharetur, consultum Philoponus interpres prodidit, quem tamen grauissimum, nec nisi sensu prȩiudicatum quicquam decernentem Gentium consensus existimauit. Nec ab hoc negocio Indorum sapientes abhorrebant, Brachmanes inquam: nam & scientiȩ naturalium rerum & diuinationi simul incumbebant. Idem & Apollonius qui eos accessit, Gymnosophystȩ Aethiopum si Philostrato vera narrauit Damis, vt de sua diuinitate certiorem redderent Apollonium, effecêre, vt vlmus etiam loquuta sit, & Apollonij nomen prȩnouerit. Persarum magi rerum prȩsensionibus vacârunt, augurabantur quȩ & diuinabant, congregati in phano commentandi causa atque inter se colloquendi, nec quisquam rex Persarum poterat esse, qui non antè magorum disciplina fuisset imbutus. Coniungebantur olim apud diuersas Gentes hȩc ipsa officia, regendi, scilicet, & diuinandi, & sacerdotij, nec in Asia modò, sed in Europa. Nam & Amphilochus & Mopsus Argiuorum reges, ijdem augures fuêre, & apud Maronem carmen hoc legimus de Rhanınete:

Rex idem & regi Turno gratißimus augur.

Subditq; ad superstitionem detestandam & illud:

Sed non augurio potuit depellere pestem.

Et superioribus libris de alio dixerat:

Rex Anius rex idem hominum Phœbiq; sacerdos.

Ad hæc Mercurium illum Aegyptium produnt maximum regem, & maximum fuisse sacerdotem. Alij ominibus portentisq; interpretandis vacabant, quorum aliquando tàm exuberans copia, vt quærerentur, nec auerti posse putarentur. Cecinit Anneus Lucanus de Prodigijs quȩ Cȩsaris & Pompeij bellum prȩcesserunt:

—cur hanc tibi rector Olympi,
Sollicitis visum mortalibus addere curam.
Noscant venturas vt dira per omnia clades.

Et alibi:

Sit subitum quodcunq; paras, sit cæca futuri:
Mens hominum fati liceat sperare timenti.

Nec non apud Maronem de Didone:

Heu vatum ignara mentes: quid vota furentem,
Quid delubra iuuant?

Galli quoque Druides suos prȩnoscendi causa consulebant: Legimus & in commentarijs Caij Cæsaris Ariouisti regis copias à prȩlio quandoque abstinuisse ob Germanorum matrum familiâs auctoritatem, quæ sortibus vterentur, eisdemq; sortibus G. Valerium Procillum seruatum ne incendio traderetur. Sed & ipsi Germani, vt est apud Tacitum, non modò responsis fœminarum fidem non abrogabant: nec solos cantus volatusq; auium prænoscendis futuris, sed hinnitus & fremitus equorum, quos deorum autumabant conscios peculiariter obseruabant, & sortibus quoque seculorum temerè iactatis abutebantur. Certè Romanum Marium vaticinio fœminæ quam in lectica deferri iusserat, in bello vsum, Plutarchus est auctor. Alijs aliæ Gentes vatibus diuinatoribusque mentem obligant suam desiderio prænoscendi, quo tantum æstuabant, vt etiam eorum Poëtæ, qui ficta non facta referebant, vel eorum deos, vel manes, vel heroas, ea ipsa quæ mille annis præterierant prædixisse fabulantur. Ac vtinam hęc sola vitia essent Gentium, quæ verũ Deum non coluerunt,

& Hebræi

& Hebræi ipsi ad * Phitones, ad oracula dæmonū, ad diuinos non iſſent. Vtinam hæc ſola vitia antiquitatis, & noſtra tempeſtate non reperirentur, qui vmbras legis, & tenebras Gentium, Euangelico ſplendore præponerent. Notum enim & Aſtrologiæ diuinatrici operam ſine rubore, ſine verecundia dari, & ficta fabuloſaq́; referri, & Necromantiæ, Geomantiæ, Chiromantiæ cultores conſuli, & dæmones etiam cuſtodiri inſano amore futura prænoſcendi. Sed aduerſus has omnes fatuitates, & impia deliramenta in ſequentibus libris nobis erit diſputatio. *Pythones.

CAP. VIII.

QVIBVS EX RADICIBVS PVLLVLET DEſiderium prænoſcendi.



VM autem omne humanum genus prænoſcendi pariter deſiderium ſecutum ſit, innatum id & quodammodo inſculptum à natura exiſtimandum eſt pari conſenſu, quicunque in literis bene audiunt, hoc ipſum firmarent: Non tamen noui compertum eſſe, & enarratum, quibus id rationibus ſeu cauſis eueniat, & ex quibus quaſi radicibus pullulet. Ipſe autem primus, quòd ſciam, hæc vtcunque oſtendenda explicandaque ſuſcepi. Ideoq́; id libentiùs facturi ſumus, quòd ſi quæ vel extrinſecùs vel intrinſecùs, citandæ cauſæ ſupererant, aut explicari commodè hoc loco poterunt aut ſubſignari: & quanquàm Peripateticis ſuprà ſatis factum videri poſſet, cùm prænotionem diximus cognitionem eſſe rerum minimè præſentium, nec ordinario & communi naturæ ordine in animis noſtris illapſarum, tumque id à Deo optimo maximo in nos proficiſci noſtræ ſalutis gratia, demùm & de vſu docuimus, & abuſu, deque auiditate præſciendi, quæ ſequentia pendentiaque putauimus: Reſtare tamen videbatur exigendum à nobis, cur nam hæc auiditas inſita eſſet ab ortu naturæ, quod quidem & illis abſolutius fortaſſe putabitur, & ad priora intelligenda conducibilius, ſi expiicauerimus, Platonicis verò gratum admodum futurum, ſi promiſſi fidem ſeruari gratum exiſtimatur. Hic enim præter alia de eis cauſis, quas nonnulli concauſas appellant, & de ea præſertim, quam exemplarem nuncupant, mentionem factam animaduertent. Inſunt animis noſtris motus quidam (ita & Philoſophi & Theologi ex corporum motibus ad res incorporeas motum tranſtulêre) cùm motum dico appetitum quendam in deſideratas res quaſi animi progreſſum intelligo, frequens vſus huius vocabuli apud Platonicos eſt, & apud Dionyſium Areopagitam Chriſtianæ Theologiæ poſt Apoſtolos principem. Peripatetici quoque, & Pariſienſes Theologi, qui Ariſtotelis Philoſophiam excoluêre motuum animi ſæpenumerò mentionem faciunt, & illud notiſſimum atque protritum omnibus in ſcholis eſt: Primos animi motus in hominis poteſtate non eſſe. Memini quoque me librum legiſſe Ioannis Gerſonis Pariſienſis Theologi nobilis, cui titulus de Primis motibus & conſenſu, in quo multorum meminit motuum, & primos quidem motus in primo primos, ſecundoque, & tertio primos ſubtiliſſimè diſtinguit. Et apud Auguſtinum in libro de Vera religione ſcriptum eſt, quod affectibus contingit animæ, hoc locis corpori, id autem ſpacio, illam voluntate moueri. Mouetur igitur per voluntatem anima, motum autem omnem quietis gratia fieri, & Ariſtotelis auctoritate confirmatum, & ratione quoque præiudicatum atque præſcriptum eſt. Nec enim quicquam vnquàm admolietur quiſpiam, ſi id quod ipſo motu conſequi ſperat iam adeptum eſſet. Rerum autem notitia quia perfectio eſt, & inquiſitionis terminus, eius etiam quies haberi & dici poteſt, ob ſolam autem præſentium & præteritorum cognitionem perfici, ſaturari, & quieſcere humanus animus non poteſt: multa enim ad ſui quietem pertinent quæ ex futuris dependent. Hoc in omni hominum vita & actione perſpicuum eſt, quoniam deſiderium, & petitiones, & opera, nunquàm ceſſant, quæ nihil ob aliud aſſumuntur fiuntq́;, niſi quia nobis aliquid futuri deeſt, quod vel deſiderio cupim⁹, vel precibus poſtulamus, vel ope perquirimus, ita fit vt continua vel concupiti boni expectatione, vel ne formidatum eueniat malū, ſpe maceretur humanū genus, id ipſum ad res omnes quæ vel in animi otio & contemplatione vel in corporis negotio & actione verſant̄, pari linea ꝓtenditur: Ad futura igitur prænoſcenda quietis & perfectionis ſuę gratia, humanus animus

ſuopte

suopte ingenio suspirat. Rursus quia & Aristotelis auctoritate, & experientia constat sciendi desiderium à natura homini insertum atque congenitum esse: Ita ille primo primę suę Philosophię libro scripsit & apud se quisq; experitur.

Colligitur apertè & alia causa cupiditatis pręnoscendi, quandoquidem scientia ipsa neque pręteriti, neque pręsentis temporis limitibus coërcetur, sed ad omnia pariter tempora dilatatur. Ad hęc pręclarior futurorum quàm pręsentium pręteritorumque notitia, & ad res agendas accommodatior conducibiliorq;, in tempore quoque cùm simus eius partium compotes quodammodo nos esse necesse est: ex futuro autem sicut ex pręterito tempus pendet, cùm id ipsum temporis quod percipitur non tempus sit, sed instans temporis, vt ab Aristotele in Physicis probatum est. Sed & animus noster cùm trium temporum particeps sit, ad eorum vltimum consequendum sua veluti sponte extimulatur, quod nisi præconceperit, ritè vestigare non posse, ne dum * indipisci manifestum est. Illud quoque sub de prouidentiam inter humanas virtutes pręcellentem, & diuini rebus quantum licet propinquantem sine pręnotione haberi non posse: eius enim virtutis, & natura, & officium est, ad futura mentis oculum figere, vt & procurari bona, & auerti mala commodiùs possint. Quid? quod & consilium futura spectat: Consulenti enim, vt Aristoteles in Rhetoricis meminit, futurum tempus aptatur, sicuti & litiganti pręteritum, & demonstranti pręsens, ac quandoque pręteritum, tametsi nonnunquàm de futuris quoque conijciat. Atqui si rectè profundeq; considerauerimus quandam etiam beatissimę Trinitatis imaginem, quod & suprà innuimus, in anima ex pręteriti, pręsentis atque futuri temporis notitia peruestigabimus. Notum illud de imagine Trinitatis quam gerimus, assignari varia à Theologis. Alij enim ad intellectum, memoriam, voluntatem, referunt, quę tribus vnius essentię personis proprietate responderant: Alij non potentias ipsas animę duntaxat, sed eas sic sub actibus suis ad Trinitatis exemplar seu maius imaginem pertinere dicunt: alij alia. Non absurdè fortasse & hinc imago ipsa considerabitur, vt quemadmodum per memoriam, intellectum & voluntatem, aptatur ipsius Trinitatis imago animę, quam ad ipsius Dei videlicet imaginem & similitudinem factam esse Sacrę literę decreuerunt: Ita per tempus pręteritum memorię, per pręsens intellectui, per futurum voluntati congruere & respondere potest. Memoria quippe pręterita retrospicere quodammodò & retinere perspicuum est: persuasissimum quoque & intellectui pręsens tempus respondere, quandoquidem intellectus officium est considerare & contemplari, quę iam apud eum recepta sunt: voluntatis autem vt ad futura se quodammodò extendat. Confirmatur hoc ipsum quod diximus. Nam modus quo intellectus cognoscit, is est, vt ad eum res ipsa per suas species, seu imagines, seu spiritales formas ingrediatur: Voluntas autē econtrà, vt in res ferè progrediatur, vnde fit vt voluntati futurum tempus aptetur atque conueniat, quod si receptum fuerit, subinde quoque percipietur, corrogabiturq; desiderium pręnoscendi ex Trinitatis etiam imagine, quam in anima gerimus, proficisci. Ad hęc si considerauerimus, voluntatem non eorum tantùm quę habemus, sed quę non habemus, adhuc speramus, tamen & haberi & esse, id ipsum ex voluntate profluere deprehendemus: nam quod speramus, futurum est, in futurum igitur voluntas fertur, quando in id quod speratur, tendit: quod autem speramus futurum vtique non speraremus, si priùs non agnosceremus, incognita enim sperare nos aut amare non posse, & Augustini auctoritas & firmissima atque indubia ratio conuincit. Prænotionis igitur desiderium ex voluntate cupiente consurgit. Illud sanè præterea negari non potest, ex imitatione diuinæ naturæ, & sanctissimæ Trinitatis prouenire in homines præsciendi prænoscendique desiderium. Vt enim illa prænouit præsciuitque omnia, præscire autem quantum ex se est, bonum dubio procul sit, cùm omnis notitia, qua notitia, sit bona: Bonum autem omne ex Deo vt ad eundem omnis bonitatis fontem, à quo fluximus, reuertamur, liquebit apertè inditum nobis præsciendi appetitum ea ex radice consurgere, qua omnia bona pariter pullulant, vt ex imitatione, scilicet, in veram (quantum adoptiuis licet) filiationem asciscamur, & exemplari suo res ipsa conueniat quæ Dei manu fabricata est. Sic & Filius, cui Pater totam diuinam essentiam generando communicauit, manus illius appellata est, vnde illud: *Vt quid auertis manū tuam & dexteram tuā de medio sinus tui:* in quo sinu

esse

* adipisci

esse vnigenitum Filium Ioannes Baptista apud Euangelistam edixit: Et illud: *Ego primus, ego nouissimus, manus quoq; mea fundauit terram*: quam in principio creatam, Moses affirmauit: quamuis autem manu velut organo vtamur mortales, Deo satis est ad agendum ita voluisse & intellexisse, qui nullo eget corporeo instrumento: *qui dicit, & facta sunt.* Cæterùm fieri non potest, quin anima ex propria cognoscendi conditione in futura feratur: Ratio enim & discursus homini proprius est, vt ex noto ad ignotum perferatur, ex communi atque confuso ad particulare & explicitum perueniat, ex notis principijs ad ignotas conclusiones percurrat, ex hac quoque notitia vel rei quòd existat, existeréve possit, vel nominis quid significet ad ipsius rei essentiam, naturámve, proprietatesq; & affectiones pernoscendas accedat: ei autem qui discurrit, futura huiusmodi omnia sunt, quibus de rebus Aristoteles nonnulla inter initia Physicæ auscultationis, & plura primo Analyticorum posteriorum libro differit, atq; eius interpretes latiùs prosequuntur. Præterea si brutis quæ vestigium duntaxat Trinitatis gerunt, non autem imagine donata sunt, prænotio præsensióve data est, vt prouidere sibi & filijs possint, quantò magis vt homo à Deo ipso prænotionem accipiat, quod & suprà diximus, eaq; polleat, homo inquam inferiorum omnium animãtium princeps, cui & Deum venerari per religionem conuenit, ab eodemq; æterna felicitatis præmia & expectare, & iustis operibus procurare, quæ nisi prænouerit, quomodo expectabit, quomodo procurabit?

CAP. IX.

RELIGIONES ET LEGES IN VNIVERSVM, superstitionesq; de prænotionibus pendere.



A Prænotionibus quippe & religionem & leges pendere, facilè apparebit, si ad memoriam reuocabimus, veteres de præteritis futura cupijsse: Eadem quoque de præsentibus sperasse, & de præsensionibus etiam & reuelationibus euenta expectasse. Liquet autem & ex futurorum bonorum expectatione & ex malorum euentuum formidine, religionem & leges pendere atq; fulciri. Atq; vt ab incunabulis conditi orbis exordiamur: Primo hominum parenti, de limo terræ condito, cui cum consorte benedictum atq; præceptum à Deo est, *vt crescerent & multiplicarent, & replerent terram, & subijcerent eam & dominarentur piscibus maris, & volatilibus cœli, & omnibus animantibus quæ mouentur super terram.* Præceptum item, *vt ex omni ligno paradysi comederent, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comederent, alioquin moriendum sibi.* Primo inquam hominum parenti ex hac prænotione & data lex, & nata religio: Prænouit enim obediendũ Deo, cauendumq; ab esu vetiti fructus, quod si faceret, originalem iustitiam & seruasset & transfudisset in prolem, ni faceret, ea amissa & à posteris ablegata morte etiam moreretur. Religio enim ad verum Dei cultum pertinet: Verior autem esse quis potest, eo quem Deus ipse constituit, & primum hominem instituit. Ex religione autem & expectantur bona ad custodiam, & formidantur mala ob contemptum, ex lege itidem hæc ipsa prodeunt, siue quòd nihil aut parum differunt, lex & religio. Lex enim à ligando vel legendo: Religio à religando vel relegendo deducitur, siue quòd & religio lex quędam, & lex idem quodammodo religio dici potest, sed illa ad Deum pertinet propriè: hęc etiam ad homines pertinere potest, qui præter diuinam legem vel metu pœnarũ, vel spe præmiorum ab ipsis legũ positoribus prædictorum prænunciatorumq;, aut impelluntur ad virtutes, aut repelluntur à vitijs: Nisi enim paratæ probis dignitates & præmia præconciperentur, pauci ex vulgo, qui virtutis percurrerent semitam, & ni decreta improbis supplicia prænoscerentur, pauciores vitiorum viam retrocederent: Vnde ille cecinit:

Odisse peccare malos formidine pœnæ.

Prænosse autem hæc conuenit: Namq; vt rectissimè Augustinus definit, instituuntur leges cùm promulgantur Et præscire, inquam, & prænosse oportet, quid sequendum, quid fugiendum in ipsa religione & lege, siue naturæ, in quæ prænota & insculpta quædã principia sunt, ex quibus operationes reliquæ deducãtur, siue Dei qui in Adami religione & lege idem effecit vt prænosceret, scilicet quid sibi agendum. Cæterùm

& hoc in Abrahamo custoditum vt prænosset quid religione & lege seruandum, quomodo ipsi Deo parendum, per circumcisionem, per filij oblationem, per alia multa: Idem & in filio & nepotibus: Idem in ipsa lege per Mosen Israëlitico populo promulgata, & quidem amplıter atque magnificè perspectum. Namque & promissa & minæ frequenter inculcabantur, quibus prænotis ad seruandum legem, ad declinandam idolatriam, & cætera mala prouocarentur animarenturque: Idem & in Euangelica lege, cuius vmbra quædam erat & imago lex vetus, eminentissimè cernitur, in qua per Iesum Christum Deum & hominem apertissimè, & extra omnem ambiguitatem, & æterna felicitas seruatoribus promittitur, & incredulis & contemptoribus sempiterna incendia interminantur, & quanquàm religionem in vniuersum rectum Dei cultum, proprieque & consumatè Christi legem intelligamus, nihilominus & particulares sub ipsa lege Christi, viuendi formæ, quæ religiones dicũtur communi loquendi vsu, & ab Amshelmo & Ioanne Gerson factitiæ appellantur, ea fortè de causa, quòd quanquã Deum primariũ habeant auctorẽ, ab hominibus nihilominus introductæ sunt, & pontificia lege firmatæ, & à fundatoribus suis potissimùm denominatæ: hæ, inquam, particulares sub Christi lege viuendi formæ seu religiones à prænotionibus pariter dependent. Siquidem ex prænotione diuinaque reuelatione suam traxisse regulam, quo minores fratres instituerentur, Franciscus de quo suprà diximus, asseruit: Idem quoque Dominicum fecisse notauimus: Sed & ipsa Brigida satis proxima seculis nostris affirmatur, præter alia innumera etiam prænouisse, dictante Angelo, quínam viuendi modus sui ipsius fratribus & sororibus seruandus esset. Cæterùm & apud Gentes quæ plures deos & introduxêre fallaciter, & coluêre fallaciùs, ex prænotione malorum & bonorum euentuum, religio est introducta, quæ non religio, sed superstitio dicenda est. Cur enim falsæ ipsi religioni incubuissent Gentes, nisi ab ipsis quos autumabant deis, & bona expectassent & formidassent mala. Vnde illud à Poëtis tractum est, timorem fecisse deos: Et Cicero de Natura deorum quæstionem habens, eam, inquit, & ad animi agnitionem esse pulcherrimam, & ad moderandam religionem necessariam. Impietati autem ipsi & nephariæ superstitioni fauebant ipsorum dæmonum, qui deos credi volebant, oracula, spõdebantq; & minabantur, prædicebantq;, tùm bona, tùm mala, de bellis, de victorijs, quibus fortè fortuna aliquando impletis deorum sibi auctoritatem, qua ratione possent arrogarent, quemadmodum per historias, & literaria Gentium monumenta cõspici potest. At ea quæ dicimus magni illius Antonij heræmicolæ sententia firmari possunt, qui apud Athanasium de diuinatione dæmonum multa disputans, hæc, inquit, Gentilitatis fuêre principia, his præsagiorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula, quæ in aduentu Domini nostri Iesu Christi indicto sibi silentio obmutuerunt, suosq; perdidêre captiuos.

CAP. X.

NON EODEM MODO EX PRAENOTIONIBVS pendere & religionem & superstitiones falsasq; & bonæ leges, deq; earum differentia.

PRænotiones autem ex quibus, vel bona à dæmonibus illis, vel mala expectabantur confusæ & nutabundæ erant, sicut & ipsa quæ ex eis pendebat, inconstans, vacillans, prophana, noxia, non religio, sed superstitio. Ex quibus autem constans, solida, salubris, & pia religio fluxit, stabiles atque clarissimæ fuêre, qua de re alijs in libris latiùs agendum. Cæterùm si vocabulorum significationibus rectè vti voluerimus, quæ de falso pendent cultu, minimè religiones dicendæ sunt: Vnica enim vera religio, quæ vnum Deum habet auctorem, de qua sequenti capite tractabitur: quæ ab hac dissentiunt discordantq;, superstitiones ritè nuncupandæ: Nimirum vt Firmianus inquit: Religio veri cultus est, superstitio falsi: tametsi apud celebres Gentium scriptores falsò deditos cultui, & superstitionis, & religionis mentio facta est. Vnde apud Maronem legitur:

Vana superstitio veterumq; ignara Deorum.

Et Cicero superstitiosos primò putat eos dictos qui totos dies precabãtur & immolabant

labant vt sui sibi filij superstites essent. Firmianus à Cicerone dissentiens, nomē superstitionis deductum ex ijs putat, qui vel superstitem memoriam defunctorum colerēt, vel parentibus suis superstitibus colebant imagines eorum domi tanquàm deos penates. Vtrum malueris ad falsum proculdubiò cultum superstitio pertinet. Namque & immolare totos dies dæmonum simulachris, vt post parentes victuri essent filij, defunctorum item memoriam inter deos reponere, vel viuorum imagines domi tanquàm deos colere, damnatæ superstitionis titulum præfert. Nec secus deorum plurium religio, superstitio est, quandoquidem falsus cultus est deorum plurium cultus. Falsum enim in vniuersum, id est, quod vero aduersatur, & falsum particulare dicimus, quòd ideæ rei cui respondere & quadrare deberet, minimè conuenit: Quemadmodum falsum appellatur aurum, quòd ideæ veri auri non conuenit, nec veram auri formam est consequutum. Verus autem cultus, cùm vni debeatur Deo (vt monstrabitur) falsus erit, qui neque vni soli & vero præstatur, sed pluribus & falsis deis mancipatur. Amplius religionem Cicero in deis pluribus colendis versari & perperam quidem definit. Qui autem, inquit, omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, retractarent & tanquàm relegerent, hi dicti sunt religiosi ex relegendo, tanquàm ex eligendo elegantes, & ex diligendo diligentes, & ex intelligendo intelligentes. Aduersatur Firmianus inquiens: Si in ijsdem dijs colendis & religio, & superstitio exigua, vel potiùs nulla distantia est: Atqui si rectè suprà, Firmiane, definiuisti religionem veri cultus esse superstitionem falsi, nulla profectò distantia est: Distare enim aut separari à superstitione non potest ea religio, quæ circa plures deos, hoc est, falsos deos, & veros dæmones versatur: non solùm enim pertinet ad falsum cultum ea religio, sed eundem ipsum & peperit & auxit: Falsæ igitur religiones superstitiones rectiùs, quàm religiones nuncupandæ sunt. Siquidem vnius & veri Dei vnica & vera religio, siue eius nomen inde sit tractum, vt Firmianus putat, quòd hominem sibi Deus religauerit & pietate constrinxerit, quia nos ei seruire vt Domino, & obsequi vt patri necesse est, siue quod Augustinus voluit, vt ipsum Deum eligamus, vel potiùs religamus, quem negligentes amiseramus: siue vt arbitrantur alij, quòd ad vnius Dei cultum religemus animas nostras, siue ex ordine hominis ad Deum: quodlibet enim detur, veri cultus est ipsa religio, seu à Deo religendo, seu ab eo nos sibi religante, aut à nobis animas ei religantibus nostras: Idem enim videntur quodammodò nec re ipsa & fine differre, quandoquidem & nos ei animas religare nostras non possumus, nisi sua ipse gratia animas sibi nostras priùs religauerit: & quanquàm aliquando dictum appareat superstitionem religioni aliqua ex parte conuenire, verbi causa: Cùm eam nonnulli religionem supra modum seruatam esse putauerint, reuocare eò debemus mentem, translatione quapiam solere aliquando vsurpari virtutum nomina & vitiorum, & interdum astum prudentiam dici, furentem hominem fortem nominari. Verùm si propriè atque exactè pensata fuerint, non modò eadem illa ipsa, sed & aduersa atque pugnantia iudicari, variè tamen & vtique distinctè ex prænotionibus deriuantur & bona religio, & perniciosa non religio, sed superstitio: quanquam enim in hoc conueniunt, quòd omnes timent, sperant omnes ex prænotione quadam, vel expectati boni, vel formidati mali: duplici tamen differentia secernuntur: namque timet superstitio, quæ timeri non debent: sperat quæ aut minimè aut certè non eis ipsis, quibus vtitur intermedijs consequetur: contrà religio & quæ sperat suis, quos in vsu habet, medijs adipiscetur, & quæ formidantur ab ea nisi cauerit, incurret: Superstitio item à falsa, religio à vera pendet prænotione: Illa enim mentitur & decipit, vtpote quæ mendacij parentem dæmonem, vel expresè, vel suppresè colit: hæc vnum & verum Deum, à quo veritas omnis, veneratur, quod si quando à falsa prænotione, hoc est, à superstitiosa prænotionis causa veritas prodit, meminisse debemus Aristotelem naturalium Philosophorum principem in dialecticis probasse, ex veris non nisi verum pendere posse, ex falsis autem prodire quandoque posse verum: & in sacris Christianis literis nostris scriptum esse de dæmone, quòd cùm mendacia profert, ex proprijs loquitur, tametsi vera quandoque dicit, vt cùm Christum Dei Filium esse, & alia plæraque testatus est. Cùm autem id facit, non spontè, sed coactus, malóve id fine facit, aut enim Dei virtute cogitur, aut putat credibiliùs mendacia suscipi sua, si veris interdum admisceantur.

Cuius studium in perdendo, pro viribus humano genere versatur: Non secus de legibus decernendum, quæ tametsi omnes prænotionibus quibusdam & sperant & timent, quæ falsæ tamen sunt: aut eum qui ius eas ferendi non obtinet, falsò colunt, aut præposterè, scilicet, formidant, speranda & formidanda sperant. Cùm verè non nisi veros & legitimos positores colant, & recto rationis ordine proposita & procurent bona & declinant mala.

CAP. XI.

PRAENOTIONES OMNES FIDE FVLCIRI, ITEM VNIcam tantùm esse religionem, quæ ab vna vnius Dei fide dependeat, Deq; origine religionis & superstitionis veræq; falsæ prænotionis sub arboris figura.



OMnes autem prænotiones huiusmodi siue à vera atque vnica religione, & probatis legibus, siue à superstitione prauisque & illegitimis legibus dependeant, ab vna nihilominus fidei prænotione fulciuntur. Omnes enim credunt & quodammodò fide prænoscũt, nisi enim crederent euentura, vel bona vel mala frustrà timerent, frustrà sperarent. A fide igitur & religiones quodammodò pendent, & leges: à vera fide vera religio & veræ leges, à superstitione falsæ omnes emanârunt: Et quanquam non nisi vnica & vera fides est, sicuti & religio vna atque vera, vt nuper ostendimus: Verùm tamen & falsa fides communi loquendi vsu appellatur, sicuti & falsæ religiones, quæ etiam ex proprijs quanquàm falsis fidei suæ principijs dependent, veluti effectus ex suis causis educitur. Non incongruum tamen putandum à nobis dictum esse: Prænotiones fide fulciri: quoniam certitudinem maximam prænotioni, quæ per diuinum fit lumen, adscripserimus, quæ alioqui fidei numeris omnibus non competit, cuius certitudo non euidentiæ, sed inhæsionis dicatur habeaturq;. Sed considerandum est cum ipsa certitudine hoc modo, & fidem stare posse, & (vt ita dixerim) cohabitare, quia tametsi lumen illi affatim adfulgeat, hoc tamen veluti principio niti omni Prophetæ conuenit, Deo & diuinis reuelationibus credendum esse, quòd ni ita priùs animatus erit atque dispositus, quomodo fulgore collustrabitur Diuino? Adde quod non semper & vsq; à Deo collucet fulgentissimus ille radius, quin & fidei lumen ipsi se cõsociet aliquando. Subnecte & illud: eodem lumine monstrari Prophetæ, & vera esse quæ ostenduntur & prouenire à Deo, cui penitùs homo se credere, fidere, atq; committere debet. Sed de his diligentiùs sequenti libro disputabitur: Sub fide igitur prænotiones quodammodò continentur, falsæ sub falsa, veræ sub vera: sed hæc vnica & mansit & perpetuò mansura est, radici veritatis innixa. Illæ & falsæ & plures in adulterinos & translatitios mille ramos morbido se humore diffuderũt, quod quomodo effectum sit, sub arboris figura declarabitur: Sed quò facilius & exactius id præstare possimus, rẽ paulò altiùs exordiemur: De vnica religione & fide fundamenta solida iacientes. Deus vnus est, veritas vna, quæ Deus est. *Ego enim*, inquit, *sum veritas*, sed & veritatis obiectũ est, seipsum enim cognoscens, Deus, & prima veritas est, & veritatis obiectum primum: Qui à Deo discedit, ab vnitate discrepat, à veritate discordat: In omni veritate prima quæritur veritas, id suadente & quodammodò cogente natura, sicuti & in omni bono, summum quæritur bonum. Quæritur, inquam, sed à bonis recta semita, & quibus potest inueniri modis, à malis verò distorto calle, confusaq; indagine, dum & in malũ abumbrata quadam boni specie feruntur, & mendaciũ falsa veritatis imagine obsignatum suscipiunt: Nuda verò, atq; aperta cognitione puroq; amore boni, ipsi & veritatẽ ascíscunt sibi, & bonum sequuntur, apprehendiuntq; falsitate abdicata, maloq; posthabito, omnis veritas, omnisq; bonitas rerum à Deo manant, cuius participatu sunt: Ille per essentiam verus & bonus, participatione tantùm cætera: Vnde & in Euangelio scriptum est: *Nemo bonus nisi solus Deus*. Deum solum bonitatis fontem designans, sine quo nulla aut fuit vnquàm, aut esse poterit bonitas: Omni quippe bonitati diuina bonitas inest, quæ si subtraheret se, nihil bonum esset, imò nihil existeret, reciprocant enim & commeant, conuertunturque inter se Ens & bonum, vt Philoso-

Philoſophis etiam notiſſimum. Religio autem & veritate & bonitate ſubſiſtit; alioquin & mala & falſa (vt idem ſæpiùs repetamus) non religio, ſed ſuperſtitio. Veritatem & bonitatem religioni propterea ineſſe neceſſe eſt, quod & cognitione recta, & ſincero amore freta, religio ipſa ad felicitatem tendit, perducitque cultores. Felicitas verò pura atq; integra perpetuaque, in ſolo Deo omnibus remotis impedimentis & cognoſcendo & amando conſiſtit. Religio itaque & veritate & bonitate fulta, vnicum & bonitatis & veritatis obiectum habebit, Deum videlicet, quem omni errore falſitateq; repudiata rectè cognoſcere, omniq; aduerſa cupiditate reiecta, purè diligere, magis indies ac magis ardebit. Ex obiecti autem vnitate humani animi actus & habitus vnitas pendet.

Cæterùm cùm religio virtus & ſit, & habeatur in ſcholis probatiorum Theologorum, ſtatim colligetur & eam habitum eſſe animi. Quandoquidem in definitione virtutis habitus ponitur, deq; ea primò & per ſe prædicatur. At cùm ex vno ſpecifico habitu, non niſi vnius eiuſdemq; ſpeciei actus profluere perſpicuum ſit, liquebit apertè vnam tantùm, & eſſe & haberi religionem, quæ in vnum Deum verum & bonum veritate, & bonitate ab eo participata feratur: Dei verò recta & ad felicitatem ducens cognitio cùm haberi niſi per fidem nequeat, quam ſuæ dono gratiæ largitur (vt alij multifariam & ipſe quoque in meis de fide & ordine credendi theorematibus, Deo fauente, recenſui) nec item niſi vna ſit fides iuxta illud Apoſtoli: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma*: Cui etiam de vnitate obiecti ſuperiùs adducta ratio ſuffragatur: Colligemus dubio procul veram & vnicam religionem ab vna fide, quæ ab vno itidem prouenit Deo, eiuſdem connexione pendere. Quæ verò ſiue fides, ſiue religiones dicantur, huic vni religioni & fidei non concordant, tanquàm falſæ malæq; ſuperſtitiones repudiandæ, abijciendæ & exterminandæ ſunt, ſuæque ipſæ malitiæ indicium & ex varietate, atq; inter ſe diſcordia præferunt. Vno enim modo bonum contingere, malum autem pluribus, Theologi atq; Philoſophi præiudicatum habent Veritas quoque vnitatem, falſitas pluralitatem & diuerſitatem æmulatur, ſibi conſtans, & intrepida ſuper veritas eſt, nutabunda verò & meticuloſa falſitas. Virtus vnitatem imitatur, vitia pluralitatem diuerſitatemque, cùm inter oppoſitorum vitiorum tenebras vnicè virtutis emicet ſplendor. Auaritia enim & profuſio nimia liberalitatem circunſtant, fortitudinem timor & audacia ſæpiunt, & reliquas pariter virtutes aduerſa eiuſdem generis vitia ambiunt, quod latiſſimè ab Ariſtotele ad Nicomachum in Ethicis eſt declaratum.

Sed iam nimis fortaſsè multa, quibus præmiſſis veluti eruta plantandæ noſtræ arboris ſcrobe ipſam erigamus altè figentes radicem, alentesque donec ad perfectum ducamus, ſed & concidentes adulterinos & inſititios ramos, veritatis cultro, & ſuperfluas ac emortuas frondes veritatis turbine excutientes. Imaginari igitur poſſumus arborem in cuius radice Adamus poſitus ſit primus non ſolùm hominum, ſed & religionis quodammodò & prænotionis parens, ab eoque iuſtum Abel exurgere, & quaſi trunci baſim ſuper radicem inſidere. In Adamo autem & clara prænotio & pia religio: Prænouit quidem, reuelante Deo, Euam coniugem ex eius coſta productam. Vnde illud: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, futurumque vt proles maſcula relictis parentibus vxori adhæreret: prænouit Chriſtum ſine ſuo ſemine naſciturum, propria impoſuit nomina creatis animantibus quod niſi ex prænotione eorum naturæ didiciſſet facere, non exactè facturus erat, coluit Deum, & de inobedientia condoluit. Filius Abel religioſus adeò, vt iuſti nomine appellatus à Deo ſit ex primogenitis gregis ob pietatem religionemque Deo ſacrificans & typum Chriſti in immolatione gerens: Ex hac radice Chaim quaſi ramus quidam exijt, obliquus tamen, nec trunci rectitudinem ſapiens, ex quo & arbor ſuperſtitionum omnium excreuit: Ex quibus fratribus duas quoque conſtitui aduerſas ciuitates præclariſſimus ille Auguſtinus præcellenter oſtendit, ex Abel Dei, ex Chaimo dæmonis. Damnatus hic ille Chaim qui & malæ religionis & falſæ prænotionis inter homines auctor haberi poteſt: Namque & de peioribus terræ fructibus offerebat Deo, cui etiam mentitus eſt, ac necis in pium fratrem perpetratæ cùm à Deo ipſo argueretur quaſi impiorum prophetarum princeps, ſuperbè, contumelioſè, falſoque tulit. *Maius eſſe peccatum fraternæ cædis, quàm vt veniam mereretur.* Truncus nihilominus ex radice

 & baſi

& basi processit. Namque & pro Abel succiso pullulauit Seth, ex eoque Enos progenitus: Tumque vt in sacro Geneseos libro scribitur: *Cœptum est inuocari nomen Domini.* Ab hoc multi ad rectitudinem altitudinemque veri stipitis nati, & pius denique Enoch qui cum Deo ambulauit, & iustus Noa qui Diuina prænotione salutis arcam fabrefecit propagati sunt. Hæc trunci stipitisq; proceritas per Sem Noæ filium eiusq; prolem maximopere aucta, ex qua magnus ille pientissimusque Abraham, totaque ferè eius progenies in altum perduxerunt: Nam & ex eo Dauid & reliqui, & tandem perfecta & absoluta omnium consummatio Christus, religionis doctor præcellentissimus, & omnium qui prænouerunt vnquàm prænoturique sunt, princeps & ipse Deus qui Apostolos discipulosque suos quasi veræ arboris ramos per vniuersum Orbem diffudit, ex bona enim radice & boni vtique pullulant rami: Namque, vt inquit ad Romanos Apostolus: *Si radix sancta, & rami.* Cham verò Noæ filius & frater Sem, Chaimi potiùs quàm Abeli sequens vestigia, flexi & incurui stipitis obliquitatem imitatus deuiauit à trunco, ex eiusque semine & Nembroth, & Philistijm, & Chananæi, & Sydonij, & Ethęi, & Iebusæi, & cæteræ impiæ nationes, idolorum cultibus deditæ, & dæmonicis superstitionibus mancipatæ, quasi adulterini & illegitimi rami arborem Chaimi compleuerunt: Namque & religionis arbor est, est & superstitionis, & non vna solùm superstitionis, sed plures, singulæque suos obtinent ramos, & ita nominasse nos diuinatricem Astrologiam arborem superstitionis, in argumento in libros patrui aduersus eandem meminimus. Verùm præcipua hæc Chaimi & quasi aliarum mater & alumna: hinc varia prænotio, & varius ex ea dependens cultus, bona in paucis, quasi recto procedens stipite, falsa in ramis exorbitantibus & varijs, qui suas singuli arbores adolere nixi sunt, ex radice translati, & in plures partes fissi, boni vnitatem stipitis, falsi pluralitatem sequuti sunt. Incurui autem & morbidi superstitionis rami vero stipiti infesti, de arbore quandoque excisi sunt, & aliò translati, qui boni aliquid tanquàm truncum agnoscentes, mali plurimum vti ab eo deuiantes gesserunt. Sic & superstitiones & falsæ doctrinæ, prænotionesque omnes, quæ nisi speciem aliquam colorémve veritatis præseferrent, vix substinerentur à malis, aliæ plus, aliæ minus, veluti cùm aut magis aut minus à trunco, hoc est, fidei & religionis, & veritatis vnitate deflectunt: Ita & omnes postea hæreses à trunco Catholicæ Ecclesiæ, vti incurui & noxij rami euelluntur & marcent. Quemadmodum prius ex vera vnius veri Dei religione prænotioneque syncera, idolorum adoratio & obscœna sacra falsæque diuinationes, & mille Gentium plus minus insaniæ, adulterina specie translatæ sunt: Nec secus ex naturæ rectæ agentis ritu, praui mores impietatis, nec aliter ex puro diuinorum eloquiorum fonte innumeri terrenæ sapientiæ gurgites ob sordes in decursu contractas cœnosi defluxerunt: quanquàm inter idolorum cultores & præstigias dæmonum inuenti sunt, qui vniuersitatis Dominum sincera prænotione deprehenderent, ac purè atque integrè venerarentur: Exemplo sit Iob ille præclarissimus & in aduersis eximiæ tolerantiæ specimen.

CAP. XII.

DE SPECIEBVS PRAENOTIONIS.



IAm ipsum prænotionis genus in species & quasi corpus in membra partiamur, quod facietibus nobis illud succurrat in primis (vt diximus) commune esse, & quasi, ita dixerim, vniuersalissimum nomen prænotionis, cùm ad Diuina, naturalia, dæmonica referri posse docuimus, hæ quodammodò differentiæ sunt, quibus ipsum genus ad suas species contrahitur, ijsdemque ipsæmet constituuntur. Ex obiectis igitur principijsque prænotionis à quibus naturam suam, & speciem actus ipsi habitusque sortiuntur, prænotionis species peruestigabimus constituemusque, quæ aliâs sub se continebunt species, vt operis decursu apertè liquebit: Eruntque hæc (vt philosophorum vocabulis vtar) subalterna genera, quæ & generalissimi videlicet, erunt species generis, & suarum ipsæ specierum genera habebuntur: Comparata enim ad prænotionem ipsam supremum genus, dicentur species: Ad inferiores verò quę sub eis continentur species

collata,

collata, genera appellabuntur, quæ vt vestigari constituiq; commodius possint, hunc in modum exordiemur. Quicquid præsentire, præcognoscere, antè caperéve possumus, aut in homine ipso causam, atque, vt ita dixerim, obiectum mouens habet, aut ab ipsa vniuersitate corporali atque visibili, rebusq; sub ea comprehensis ortum ducit: aut ex inuisibili & incorporeo vniuerso trahit originem. Necesse est enim effectũ omnem, aut ab homine, hoc est, minori mundo, aut ab vniuerso mundo corporeo, aut ab incorporeo & spiritali mundo pendere. Spiritale autẽ & incorporeum vniuersum, præter Deum, qui causa omnium est, & vtriusq; tàm corporeæ quàm incorporeę vniuersitatis princeps creator & rector, in bonos & malos angelos diuiditur, qui à Philosophis separatæ mentes, & inmateriales substantiæ nuncupantur: In horum etiam numero non vsquequaque absurdè defunctorum animæ corporibus separatæ computarentur: Et quanquam Platonicis Philosophis videtur, nec displicet Theologis quibusdam, habere angelos, id est, spiritales mentes annexa & quasi congenita sibi quędam corpora subtiliora, Peripaterici nihilominus & Theologorum posteriorum scholæ præiudicatum habent, immunes eas esse & sua natura separatas à corpore & omnino expertes, nisi dum Dei aut iussu aut permissione sumunt sibi corpora visibilia, quo & cerni & corporea exercere quandoque opera pro tempore possint: Sed de his aliàs.

A` causa igitur tota spiritali, Deo videlicet angelis bonis vel malis: à tota corporali, cœlo, elementis, mixtis, siue ea imperfecta, qualia quæ generantur in sublimi, meteorologica propterea nuncupata, siue quæ perfecta dicuntur, vt plantæ, zoophyta, bruta animantia: ab homine item partim corporali, partim spiritali (medium enim & quasi nexus vtriusque naturæ est) pendere & deriuari prænotio potest, si à Deo & bonis angelis aut impetrabitur, aut ex insperato concedetur, prænotio Diuina proculdubiò & erit, & habebitur: A` bono enim Deo nil nisi bonum, nil nisi diuinum prouenit. Sed nec beatæ illæ mentes Deo iugiter & intellectu & voluntate inhærentes, aut velle, aut moliri quicquam possunt quod ab optima Dei voluntate non pendeat. Si autem à malis angelis habebitur, aut expresso, aut tacito, cum illis inito commercio, superstitiosa dicetur, & noxia: namque ex malè affecta deprauataque eorum voluntate, nil puri sincerique boni expectandum: Si verò quæ à natura naturalis erit, modò naturæ limites non excedantur: ipsa autem à natura habentur, quanquam ex se sunt non mala, non tamen aut diuina aut superstitiosa, neque enim supra naturam eius obiectum est, cùm ex eo quod excedit naturam: si bonum est diuinum, si malum superstitiosum fluit: quare tertia prænotionis species educetur, si in naturæ terminis consistetur, pari pacto quæ ab homine deriuatur, prænotio naturalis erit. In queis tamen ipsis si non rectus sit finis curiosa quid prænotio suboriri, cuius genus quoddam potest de fine quærendi quoquo modo trahi, quippe, cùm ex finis ratione habitus actusq; humani suam nanciscuntur speciem. Quapropter dum ea præsciri cupiuntur & petuntur, quæ vel ex fine vana sunt, vel superflua nimis, vel ne petantur prohibita vel indigna inquisitione, curiosa tum prodit prænotio, quæ tribus alijs inmiscere se quodammodò potest, quandoquidem nõ solùm à dæmone, sed & à Deo, & ab angelis ea cupi & peti possunt, quæ & quæsitæ rei, & quærẽti, & ei à quo quæruntur, indigna sunt, & à natura etiã peti possunt, quæ nequeat illa præstare. Tres igitur ex causis obiectisq; trahũtur species prænotionis, aliud genus ex modo & fine ipso proficiscitur. De prænotionibus autem quæ ab animis mortuorum petuntur aut conceduntur, mentionem in partitione non fecimus, cùm & sub angelorum partitione vel hac ratione cõprehendi possunt, quod & ipsæ si apparerent, aut quoquo modo reuelarẽt, id superioris imperio aut ex missione contingeret, quemadmodũ separatis substãtijs obtigit, quibus ex hoc missionis officio nomen impositũ est angelorũ, hoc est, nunciorũ. Quibus iussa diuina complentur, quanquam in libro de cura pro mortuis agenda subdubitare Augustinus magnus videtur, angeli in beatorũ martyrum specie in corporibus assumptis appareãt, videanturq; animæ olim annexæ corporibus, cùm tamen separatę mentes & angeli sint. Sub angelorũ item diuisione concludi possunt, iuxta dogma Platonis putantis animã per sese existere, & corpori assistere. Verùm secundùm Aristotelẽ comprehendi sub hominũ partitione deberent, quoniã animam noluit corporis formã esse & potiorẽ hominis partẽ. Rectius tamen & cõsentaneum

magis sub spiritalis & incorporei mũdi diuisione cum angelis dum separatæ manent, reponuntur.

Quatuor itaque ex genere summo prænotionis subalternæ species deducentur, aut enim obiectum à quo petitur, naturale est, aut supernaturale: Si naturale id coniectatur, quod natura suis limitibus septa præstare potest: Hoc verò aut inditum à natura solum, quo genere & bruta pollent, aut arte rationeque naturam ipsam iuuante comparatum est, quod bifariam quoque diuiditur, in rude genus atque protritum, inque eruditum & exquisitum, illius & ignarum quoque vulgus est particeps: Nam quivis è medio post veris tempus futuram æstatem præcognoscit: huius compotes primi medici, gubernatores, consiliarij sunt: Si verò supernaturale, aut bonum aut malum: si bonum vera diuinaque prænotio quæ à Deo bonisque angelis ducitur: Si malum superstitiosa, quæ pendet à dæmone: Hinc Pythiæ, Dodonides, Tripodes, Augures, Haruspices, Astrologi, Diuinaculi, Pythones, Geomantici, Chiromantici, & cæteri generis eiusdem: si verò finis quærendi præposterus obtenditur, curiosum genus effunditur. Multæ autem ex his specialissimæ species dependent cùm sub diuina prænotionis specie, veluti in subalterno genere includi possit diuinum immissum lumen, & absoluta condictionataque prophetia, & apparitio, & voces, & somnia, & quicquid demùm ad veras diuinasque reuelationes pertinet. Ita in superstitiosa specie, quanquàm hæc ei difficultas deest, de lumine ipso quo non participat. Faciliùs enim in suas specialissimas diuideretur ex diuersitate recipiendæ obseruandæque superstitionis, vt posset apertè monstrari. Hæc sanè in se claudit quæcunque & pietati & religioni in Deum aduersantur, siue ad inordinatum Dei cultum, seu ad idololatriam, vel ad vanam obseruationem diuinationémve pertinent: hinc Auguria, hinc diuinatricis Astrologiæ deliramenta, hinc magicæ vanitates, demùm ariolatio, auspicium, geomantia, pyromantia, & cætera id genus, vel vana nugamenta, vel noxia figmenta, à nobis procedente opere, & irridenda & confutanda quasi flumina atque torrentes ex vno superstitionis fonte ducuntur. Comprehenduntur quoque à naturali prænotione dies aut serendis agris, aut plantandis vitibus idonei, de quibus Agricolationis scriptores multi & celebres præcipiunt, quæ tamen sine vlla superstitione & obseruari possunt, & debent, cùm in suas naturales causas recta linea referuntur, & repetitis diuturni vsus experimentis comprobantur. Marinas item obseruationes, & de statu, & mutatione aëris, traditas regulas, & quæcunque item hominis prouidentia principijs naturæ nixa de futuris coniectata est, naturalis prænotio continet. Innumera verò in se curiosa prænotio concludit. Nam dum optat quis & quærit ex quibus non oportet, quæ non oportet, propter quid non oportet, plusquàm oportet, quando, & vbi non oportet, quærere quæ variari multis modis possunt: Emergit semper vel latenter, aut noxia aut certè vana curiositas, funditque se (vt diximus) & irrepit in cæteris. Ex ipsis autem quatuor prænotionis subalternis speciebus, duæ bonæ, & diuina, & naturalis; duæ non bonæ, superstitiosa videlicet & curiosa fluunt: Sed eò leuior curiositatis iactura, quàm superstitionis, quod à dæmone per se non ducit originem, & impetum nescio quem à natura ipsa noscendi cupida (tametsi non rectè) quodam modo trahit, quare in eam & facilior est lapsus & facilior venia. Fieri enim vix potest, vt qui scire aueant in curiositatis decipulam non pedem impingant, qua de re latè à nobis in fine operis, quantum Deus maximus optimus opem tulerit, disputandum.

Admonendus autem mihi lector es diuisionem prænotionis in suas species me apud neminem philosophorum vel Theologorum (quod meminerim) legisse: Apud quosdam Philosophos de speciebus ipsius nonnulla colligi possunt, verùm variant dissentiuntque, apud nostros Theologos absolutiùs visuntur: Aristoteles pauca de somnii diuinatione disseruit, nec eius sectatores plurima. Plato in Vates, Prophetas, vaticiniorum interpetes, Diuinationem in Timæo diuidere videtur: In Phædro vaticinium in quatuor furores partitur, quos Apollini, Dionysio, Musis, Amori dicatos dicit. Iamblichus Platonicus in naturale, artificiale, diuinum, præsagium omne, vaticiniumque distinguit. Naturale id esse dicit, quo animalia pollent in procellis, terræmotibus, & cæteris huiuscemodi præsentiendis, quod si hominibus competat, non omnino confirmat: Artificiale id esse quod ratione, signorumque obseruatione com-

æ comparatur, veluti cùm à medicis febris ventura prædicitur ex rigore contracti pulsus, præsagita: Diuinum quod dij immittunt hominibus, hæc summatim Iamblichus qui à consectaneis appellatur diuinus: nullam ille de curiosa, nullam de superstitiosa prænotione mentionem habet, & quod ille artificiale, naturale nos appellauimus, ex naturalibus principijs & ratione obseruationeque comparatum: Sub quo & id quod naturale ipse appellat, concludi quoquo modo potest, eius diuinum nos superstitiosum dicimus, quia à dijs Gentium, hoc est, dæmonibus fluit: Quare quantum ad rem nostram pertinet de superstitiosa ipse duntaxat, & naturali prænotione loquutus est, quas tamen & diuinas & naturales appellat: artificialem addit, quæ sub naturali vel hac ratione quod de natura fluit, nec eius egreditur limites collocatur: sed de his iam satis. De prænotione igitur & quid eius nomine indicetur, & quod sit, & quid sit, & quibus legitimè conueniat, quibus non, & cur hominibus data, & quod ea humanum stimuletur genus, & ex quibus radicibus desideriũ pullulet prænoscendi: De vsu quoq; illius, & abusu, & quòd religiones & leges ab ipsa depēdent, & quomodò, & de earum differentia, & quòd sub fide continetur prænotio, & quot eius species sunt, hoc ipso voluminis libro, Deo opem ferente, declarauimus.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI,

De prænotione diuina,

LIBER II.

CAP. I.

QVID DEINCEPS AGENDVM: ITEM DE nomine Prophetiæ, visionis, reuelationis, apparitionisq́;.



SVPERIORI libro in diuinam, naturalem, superstitiosam, curiosamq́; speciem prænotionis genus diuidi constituimus, quæ suo loco particulariùs tractarentur: nam de genere in primis agendum fuit, mox de speciebus suis, subalternisque generibus recto doctrinæ ordine discutiendum: Nunc tempus expostulat, vt propositum exequamur. Sub diuino diximus verorum prophetarum denuntiationes, apparitiones, visionesque contineri: Naturali verò comprehendi, quod aut agricolatio pastoralisve res, aut nautica, aut medica præcipit: Et demùm quicquid hominis prudentia de futuris arbitraretur superstitioso complecti, reuelationes dæmonum falsas noxiásve, idololatriam, auguria, diuinatricem Astrologiam: Magica nugamenta, & quæcunque pietati, & religioni aduersarentur, curiosum ambire plurima, & in multos modos findi. De diuino igitur genere in primis, postea de naturali, mox de superstitioso & curioso disputandum, & quidem rectè, vt mea fert opinio: quandoquidem ex habitu priuationem eius cognosci & rectum sui pariter, & obliqui esse iudicem Aristoteles declarauit. Hæc autem vbi confecta fuerint, regulas quibus cognosci, dirimi, & secerni à superstitiosis & curiosis prænotionibus diuina & naturalia possint, eliciemus. In primis autem de Prophetia, visione, reuelatione, & apparitione quæpiam prælibanda.

Prophetiæ nomen ab eo dictum est, qui videret & maximè futura etiam à se visa prædicaret. Id enim (vt quod iam diximus, repetamus) Prophetia apud Græcos quod apud nos prædictio: Namque & προφημι prædico significat, ex quo & προφητεία. Vnde ex ignoratione Græcæ Linguæ celebrati aliqui ex posterioribus Theologis nonnulli

nonnulli nescio quid alienum de nominis Ethymologia sanxerunt: Quam tamen (si Græcè ipsi ignorabant) ex magno Gregorio Pontifice dabatur, scribente in commentarijs Ezechielis, Prophetiam ideò dictam quòd futura prædicet: Ab Hebræis quoque diduci à נָבָא naua monstratum suprà, quod locutionem denotat, & נָבִיא, hoc est, naui, Prophetam significat visionis nomen ad cognitionem omnem promendam & explanandam desumptum est. Sed latiùs pressiusque, vt mox apparabit, sensibusque & intellectui pariter conuenire posse putatum est, nec aliud inuentum nomen, quod ea communius & indifferentius ambiret: Dignior enim præ cæteris habetur sensibus ipse visus, certiorque, altior, & spiritalior, qua de re ipsa visio non de corporali solùm, sed de imaginaria & intellectuali dicta est: futurorum itaque supernaturalis visio, ad exteriores internosque sensus & ad intellectum quoque referri potest, seque vidisse futura quis potest asserere? cui de huiuscemodi quidpiam per exteriora signa, vel per sensiles species in imaginatione efformatas, vel ex inditis intellectu notis, reuelatum fuerit: reuelatio autem eorum quæ videntur, cognitionem infundit, eorum enim quæ velata erant & abscondita, notitiam affert, additque ipsi visioni intelligentiam apprimè necessariam: Vnde & scriptum est in Daniele: *Intelligentia opus est in visione.* Quid enim prodesset videre imagines rerum, quid earum notas infundi, quid in assumptis corporibus ostendi, vel separatas defunctorum animas, vel angelos, quæ apparitio dicitur? nisi pariter adesset cognitio reuelareturque apparitionis significantia. Apud Danielem legitur à Balthasare Babylonio rege in pariete scribentem manum visam esse, nec quid sibi vellet, eum intellexisse, donec ipse Daniel qui eius rei ex reuelatione perceperat intelligentiam, declararet, ea regis exitium & regni diuisionem portendere. Syrus Isaac ille, cuius laudes apud magnum Gregorium Pontificem multæ explicãtur, scribit inter reuelationem & visionem hoc interesse, quod reuelatio sæpenumerò de ambiguis, quodque visio omnis reuelatio nuncupatur, non ècontra, multique ab eo visionum explicantur modi, quorum alibi mentionem facturi sumus. Reuelationem autem ipse bifariam partitus fuerim, cùm aliud sit quid apparitiones, visionésve, aut infusæ notæ significent intelligere, aliud nouisse, vtrum vera sit & à Deo deriuata significatio, an potiùs falsam & commentitiam malus dæmon suggesserit. Sed hoc ad discretionem spirituum propriè pertinet, coniunguntur que sæpè & eodem lumine manifestantur: De quibus in sequentibus pertractandum. Nunc quot modis, quis & qui maximè Propheta dicendus est, disquiramus.

CAP. II.

QVOT MODIS, QVIS ET QVI MAXIME dicatur Propheta.



Rophetam veteres Hebræi dixerunt eum qui futura videret. Vnde & in primo Samuelis libro scribitur, qui dicitur nunc Propheta, vocabatur olim Videns, & Saul ipse necdum inunctus in regem, domum Videntis perquirit, ipse quoque met Samuel percunctanti respondit Saul: *Ego sum Videns.* Sciendum tamen & communi modo, quod ijs, quos citauimus, locis videre licet & proprio magis in Hebræa literatura Videntem significari: nam hîc à רָאָה deducitur: alibi vt apud Esaiam legi potest חֹזֶה quod à חָזָה deriuatur, idq́; exactè diuinã diuisionem signat: Sic & apud eum quandoq; speculatores dicuntur קוֹל צֹפַיִךְ Vox speculatorũ. Iterum: Speculatores eius omnes cæci sunt: quod quidẽ nomen צוֹפָיו speculator à צָפָה, id est, Zapha venit, quod significat speculatus est, quo ipsum præuidere planè indicatur verũ, quanquàm in Sacris literis creberrima visionis mẽtio, rara tamẽ vidẽtis, sed frequẽtissima Prophetæ, qđ nomen & Gẽtes quoq; vsurpauisse inuenimus: Phanorũ enim antistites & oraculorũ interpretes (vt Festus inquit) Prophetas appellabãt: Plato quoq; in Timæo ꝓphetarũ meminit, vt primo libro diximus, eos docens iudices esse vaticiniorum diuinorũ, nec vates eos propriè vocandos verùm interpretes illorũ esse qui scilicet furore diuinãt: Vates autem non furẽtes, sed interpretes auguriorũ & somniorum Curtius appellat. Sed & apud nostros Vates aliquando

quando prophetarum sumuntur loco. Vnde illud de Ioanne Baptista in hymno canit Ecclesia: *Maxime vatum.* Apud Iamblichum, Bytis Propheta legitur Mercurialium librorum explanator: Apud Proclum, apud Porphyrium, apud Synesium Prophetæ nomen est, apud alios etiam fœminæ προφῆτιδος, Hippocrates quoque vetus Medicinæ patronus in suo de prognosticis libro, nominis Prophetæ meminit, Apuleiusq; & ipse Platonicus in suo Aureo Asino senem introducit ita dicentem: Zaclas adest, Aegyptus propheta primarius, qui mecum iam dudum grandi præmio pepegit reducere ab inferis spiritum, corpusque istud postliminio mortis animare. Prophetam appellans scelestum Magum, qui lucri gratia veneficijs incumbebat: & alibi quoque apud eum Prophetæ habetur mentio, quin & carmen illud Epimenidis poëtæ, cuius partem postea Calimachus vsurpauit in hymnis iactatum in Cretenses: Apostolus Paulus in eosdem citans, inquit: *proprius eorum Propheta dixit. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* & quanquam Apostoli sensus eò videatur tendere, vt verum Epimenides expresserit, quod apprimè conuenit Prophetis. Quamuis item vt putauit Thomas ad instinctum interiorem possit referri & eò dictum proprium Prophetam, quòd eorum condictiones propriè descripserit, quamuis illud quoq; Athanasij in istius expositione textus inter alia præclara animaduersum quadrare videatur, Epimenidem scilicet mordacissimum fuisse inter eos qui habiti sunt sapientes apud Græcos, & rebus vesanis & detestabilibus carpendis admodum intendisse, ita vt vera prædicere & vaticinari sit visus, si tamen in Apostoli profundissimo sensu latere adhuc non nihil putauerimus, cur Epimenidem Prophetam appellauerit, & Ciceronis primum de diuiuatione librum perlegerimus, tertiumque Aristotelis Rhetoricorum volumen examinauerimus, eo potissimùm loco, vbi de confirmatione agit, facilè adducemur, vt cogitemus Apostolum eo ipso vocabulo Epimenidem nuncupasse quo Cretenses vtebantur: Ab eis enim ex Prophetarum cœtu non expulsus est: Qua de re Cicero ipse de ijs qui per furorem vaticinabantur, mentionem habens, inquit, vt Bacchis Boëtius, vt Epimenides Cretensis, vt Sibylla Erythræa, & id quod primo quoque libro ex Aristotele meminimus, satis indicat eorum in numero Epimenidem habitum, quanquàm alia ratione: Docuit enim illum diuinationem futurorum respuisse, amplexatum verò eam quæ præteritorum erat, & occultorum, quibus de rebus apud suos Prophetæ nomẽ eum obtinuisse minimè mirandum tantoque minus, quantò etiam, autore Diogene, multa prædixit futura Epimenides, quem Apuleius fatiloquum & quidem inclytum in Floridis appellat. Erant item in Creta, vt est apud Euripidem, Iouis Prophetæ, qui mira abstinentia viuebant, cuius hac in re testimonio vtitur beatus Hieronymus contra Iouinianum: Prophetarum item cùm Baal tùm Lucorum in Regum libris frequens mentio: Et in sacro item Numerorum libro de Balaam scelesto Ariolo verba fiunt, qui Propheta appellatus est. Quandoquidem & de Christo celebre illud prædixit: *Orietur stella ex Iacob.* Corpus etiam Helisæi mortuum, atque ossa item Iosephi post mortem prophetasse, in libro qui Ecclesiasticus dicitur, scriptum inuenimus. Hierophetæ quoque nomen apud Orpheum in libro de lapidibus quondam legi: Item & Hypophetæ sunt apud eundem, qui, vt Strabo inquit, ministri erant Prophetarum, quod nomen ad suos Deos gentes retulerunt, vt apud Orpheum videre datur, qui Mercurium, quem priùs Iouis Angelum nuncupauerat, mox erga homines ratione Prophetam appellat. Sed & Prophetiam naturalem, & diuinam, & prophanam legimus quandoque appellatam.

Cùm itaque Propheta, vt narrauimus, à prædicendo sit dictus, nec omnis tamen qui prædicit, propriè Propheta habeatur, nec omnes etiam Prophetæ veri sunt, sed aliqui falsi: Item ex ijs qui vera effantur, numeris omnibus semper non intelligant explicentque quid proferunt, sed ambiguè alij, alij sub ænigmatis & inuolucris verborum figurarumque, alij clarè & apertè, cumque ex condictione quadam non autem ex integro Prophetia atque Propheta quandoque sumatur: Propterea disquirenda ad præsens ea sunt, ob quæ intelligenda & nuncianda propriè & maximè Propheta quis dici posset. Inuenio igitur, eos quibus similitudines futurorum offeruntur, etiamsi ea quid significent, minimè intelligant quadantenus, non autem propriè dici posse Prophetas, sed mancos & imperfectos. Horum in numero fuêre Balthasar, Pha-

far, Pharao, & Nabuchodonoſor reges: Iſtis enim ſtatua illa omnis generis metallorum, & ſpicæ, & vaccæ illæ, modò obæſo corpore, modò inedia confectæ per quietem oſtenſa ſunt: Illi autem per vigiliam ſcribens in pariete manus monſtrata eſt: Viderunt hi omnes viſaque protulerunt, viderunt, inquam, ea quæ futura ſignificarent, quæ ſupra hominem erant, quæ conferre ſaluti poterant: Significantia nihilominus illarum rerum eos latuit: qua de re, non veri & exacti Prophetæ fuêre. Ita & qui voces de futuris prolatas hauriret, & cui imaginationis organo futurorum ſimilitudines afformarentur, modò earum intelligentia deeſſet, quantum ad hoc pertinet munus, pares illis regibus eſſent. Veri Prophetæ nihilominus fuêre, & Ioſeph & Daniel, qui ſomnia illa & delineatum literis parietem interpretati ſunt, hauſta per propheticum ſpiritum intelligentia, tametſi ea ſibi aut per ſomnium, aut per vigiliam oſtenſa prius non fuiſſent. Illuſtratio namque illa mentis & occultorum ſuperna reuelatio (vt declarabitur) Prophetam conſtituit, etiamſi exteriores notas minimè viderit. Eos etiam qui Prophetas exponunt, & qui operantur miracula, & qui ſacras in Eccleſia literas proferunt, quoquo modo Prophetas dici poſſe reperio, qua de re latè Thomas in Theologica ſumma & in commentarijs in epiſtolas Pauli, præſertimque in primam ad Corinthios ediſſerit. Qui laudes item Deo canit, non abſurdè Prophetam quoquo modo nominari poſſe inuenio. Legimus item, ex inſpiratione futurorum euentuum, ex officio, ex conſuetudine Prophetas appellatos: Quid? quod & Propheta dicitur, qui profert futura neſciens ipſe quæ proferat, aut alio quàm accipienda ſint ſenſu, quanquam prauo, vt de Caiapha Pontifice ſacra Euangeliorum narrat hiſtoria. Prædixit enim *expedire populo vnum hominem mori, ne tota gens periret.* Verum quidem protulit, ſed ipſe minimè verè intellexit: mens enim ei erat, interficiendum eſſe Chriſtum, ne Romani miraculis ipſius & doctrina moti in Hebræorum gentem ſæuirent. Vnde & in Euangelio habetur ex Iudæorum perſona: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit, venient Romani & tollent locum noſtrum & gentem.* Prædicunt & alij interdum cùm nihilominus neſciant ipſi quæ proferant, cuius rei Themiſtius quoque Peripateticus meminit duodecimo libro Metaphyſices: Formas, inquiens, & proportiones in natura poſitas eſſe, educique eas ab illo qui agit, & generat, quamuis idipſum agens ille & generans minimè intelligat, quemadmodum aliqui loquuntur futura, nec de his quæ loquuntur, intelligunt, vt Auerrois recitat, quanquàm implicitè atque confusè, ſed explicatiùs & exactiùs Themiſtij opinionem ipſe percepi ex proprio ipſius volumine, vbi additur Prophetæ expreſſa mentio, quæ ab Auerroë non fit, ſed de loquente duntaxat futura. Vnde autem ſit, vt futura proferantur à quopiam qui ea non intelligat, putauerim ego euenire illud ex altiori cauſa, vt Themiſtius ipſe videtur innuere, poteſt & caſu contingere, vt in inſanis & pueris, ſed ex occulto, veriùs atque ſuperno inſtinctu proficiſci, quibus de rebus alibi peculiariùs agetur.

Verùm enimuerò ille propriè exacteque & maximè Propheta intelligitur, qui viſionum apparitionúmve, aut notarum menti inſpiratarum ſignificantiam ex reuelatione percepit, ea proferens cùm tempus expoſtulat, quippe cùm duo ad cognitionem cuiuslibet rei neceſſaria ſint, acceptio videlicet eius ſeu præſentatio per ſimilitudinẽ ſui & iudicium, quod intellectualis vi luminis fieri conſpicuum ſit: Cumq; naturale lumen ad futura contingentia per ſe proprieq; nequeat extendi, ſupernaturale infundi illabique lumen neceſſe eſt, ex quo iudicium profluit atque futurorum clara cognitio, quæ reuelatio dicitur. Quapropter reuelationis ſuprà mentionem fecimus, & meminimus pariter viſionum apparitionumq;, & notarum menti illapſarum: quoniam non vno modo prophetia euenit, ſed interdum extrinſecùs qui offertur, interiùs quandoque & intelligibiles etiam notæ imprimuntur aliquando menti, quibus ſi illuſtratio adfuerit, vera prophetia conſtituitur, quæ ſine diuino illo infuſo lumine non eſt: ſi autem lumen adfulſerit, quanquam aliæ deſint corporeæ ſimilitudines, prophetia non deeſt. Infunditur enim quandoque intelligentia ex lumine abſque ſpecie vlla ſenſibili, ſicut Danieli Ioſephoque euenit, & Dauidi etiam & Salomoni, & Apoſtolis creditur adfuiſſe. Auguſtinus ſuper Geneſim eum maximè Prophetam putat, qui vtroq; excellit vt & videat in ſpiritu corporalium rerũ ſignificatiuas ſimilitudines, & eas viuacitate mentis intelligat. Nobiliſſimus autem modus & altiſſimus

mus est sine aliquo corporalium adminiculo diuino lumine futura prospicere, atque hic propinquus beatis gradus, qui ad diuina intuenda corporalibus non egent imaginibus. Hæc autem verba, ea proferens cùm tempus expostulat, duabus de causis addidimus, tum quia ex vera ratione vocabuli Propheta, vt diximus, à prædicendo est dictus, quanquam à se visa semper non proferat, sed aut Dei mandatum, aut vtilitas, temporisque commoditas expectetur. Tum etiam quod Prophetam esse quempiam vulgò dignosci non potest, nisi visa aut reuelata protulerit. Hinc colligi posse puto, præter tritas illas ac vulgatas & alia quoque expositio, cur & Ioannes Baptista, & Amos, Prophetas se esse negauerint, & cur Caiaphas apud Euangelium prophetasse legatur: illi enim tùm non prædicebant, quare nec prophetabant, ideò se Prophetas: id est, actu, prædictores negabant, hic autem prophetauit: id est, prædixit, nesciens tamen quid diceret, Christum scilicet pro salute hominum esse moriturum.

CAP. III.

DE ESSENTIA VERAE REVELAtionis Propheticæ.



EX his quæ dicta sunt, opinor satis esse manifestum quid sit vera Prophetica reuelatio, nihilominus vt exactiùs etiam noscatur & repetenda quædam & alia subsumenda esse operæprecium putamus, quanquam præfandam veniam ducimus, si qua cùm alibi, tùm maximè ijs quæ proximè sequentur, admixta censebuntur, quæ minus Latio donata sint: Nam & difficile admodum existimari potest, quæ nullius antè trita solo, ea ita sternere ne pes vacillet, tùm & illud obseruandum, si nimio cultu morosiores rem à sua natura diuertamus, euenire posse, vt Barbari Arabesque illi in quos pòst paululùm sumus disputaturi, se defraudatos querantur, vtcunque fuerit, boni quæso lector consulito. Diximus prophetiam supernaturali lumine exactam haberi, quo illustratur Prophetæ mens ad ea noscenda, quæ postmodum alijs inuulgant, tametsi quandoque quod vident, non proferant: semper enim non expedit, quanquanquam semper beneficentissimus Deus, per reuelationes ipsas, aut in vniuersum, aut in particulari hominum saluti consulat, non futura modò, sed & præsentia, & præterita patefaciens. Cassiodorus autem prophetiam definiens futurorum solum ob id meminit, quod propriè id & nomen, & ratio prophetiæ significare videtur, tametsi ad omnia tempora, & ad res omnes propheticum lumen & reuelatio extendatur, quemadmodum latè probat beatus Thomas Aquinas secunda parte secundi voluminis Theologicæ summæ, nec solùm bonis, sed & malis quandoque conceditur, vt in sequentibus dicitur. Quandoquidem ad intellectum pertinet, non ad voluntatem, qua homines cùm fiunt, tùm denominantur boni ob charitatem videlicet, cuius quodammodo sedes est ipsa voluntas. Lumen igitur ipsum ad intellectum pertinebit, quoniam & cognitio ad intellectum pertinet: consentaneum quippe, vt si ipsa cognitio intellectui competat, & id quo cognoscitur lumen intellectui pariter conueniat, ob manifestationem enim faciendam lumen datur: Manifestatio autem iure optimo suo lumini quadrat, per quod fit & iusta proportione respondet veluti effectus propriæ causæ: iam lumen ipsum non corporale, sed spiritale, non naturale, sed supernaturale est: Namque ad intellectum pertinet quem à corporeo lumine collustrari non posse clarum incontrouersumque est. Alia ex parte spiritale lumen naturale atque congenitum cognitionem humanam non superat. Superhumana autem est omnis cognitio futurorum, quæ causam non habet in natura determinatam, sed à Dei voluntate & prouidentia dependent: quare conficitur, supernaturale esse omnino id lumen oportere, quo abscondita hæc, & multo pòst tempore futura reuelantur: vt cùm de bellis quæ post multos annos eueniunt Prophetæ pronunciant, de regum item nominibus, à quibus fient, quorum nec post multa secula parentes eorum extitêre: Sic apud Esaiam de Cyro per ducentos etiam annos antequàm nasceretur, scriptum est: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius ego apprehendi dexteram.* Et de Iosua itidem euersori idolorum tot seculis antè prænunciatum est per alium Prophetam. Hæc quippe nec vlla humana cognitio nosse potest, nec vlla Astrologorum deliramenta

promittere. Neque enim quicquam de futuro regum nomine pollicentur Astrologi; cùm nec eius aut signum aut causam in cœlo somniare possint: Etiamsi vera esset Astrologia, quæ à Ioanne Pico patruo confutata, his etiam in libris à me, suo loco retundetur. Sed quæ de diuinis, de corporati Verbi mysterijs, de sacramẽtis Prophetę præcinuerunt, quomodo id Astrologia præstiterit? quando & bonis angelis, vt Theologis multis persuasum est, antequàm fierent, perspecta omnino non fuerunt, quibus tamen quia spiritales substantiæ sunt, & ordo cœlestium & naturales causę perspiciũtur. Sed & ipsos malignos dæmones, postquàm peracta fuêre, latuerunt aliquando, vt martyr Ignatius in suis epistolis apertè testatur, & ex Dionysio & Bernhardo colligitur, cùm tamen suapte natura nequam illi Spiritus naturalium omnium rerum per inditas concreatásve species scij gnarique sint. Sed cur nostros commemorem Theologos, quando & Porphyrius ipse, nostræ religionis hostis acerrimus, scribit: Dæmones, cùm ex Astrologia respondebant, fallere solitos, quoniam fallax diuinatio, quæ ex Astrologia dependet.

Diuini ergo luminis omnia etiam futura cernentis participatio quædam est, Prophetiæ lumen certa mensura Prophetis communicatum. Ita Thomæ consentientes arbitramur quod & permultis Theologorum placuit, quanquàm diuersè prolatum, sed nec putamus aliud intellexisse Nicolaum, cùm in commentarijs in Danielem scripsit reuelationem impressionem quandam esse diuinæ scientiæ. Hoc autem lumen quo perficitur, reuelatio intellectui quidem per se nõ immanet, perficiens eum vt forma quædam, vt habitus, ita vt pro libito Prophetæ semper futura præuideant: sed inest eorum menti vt passio quæpiam transiens, vt impressio subitaria, vt affectio discedens: deest enim Prophetiæ spiritus aliquando Prophetis, nec semper eorum mentibus præstò est, quatenus cùm hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere cùm habent, quemadmodum Gregorius super Ezechielem edisserit: Ita Helisæus Propheta celeberrimus Sunnamitis fœminæ mœrorem non agnouerat, dicens: *Anima eius in amaritudine est, & Dominus non indicauit mihi.* Et Nathan quoque ad Dauidem pertinere credebat, vt templum strueret Domino, quod & ipsi regi affirmârat, donec reuelatione edoctus Salomoni id munus incũbere præcognoscens, palinodiam cecinit. Cõparat Prophetæ mentẽ diuus Thomas discipulo, nec dum artis principia adepto, quẽ de rebus singulis oporteat erudiri: Cõparat & aëri qui noua semper illuminatione indiget. Imaginor ego ita euenire sicuti cùm in obscuro quis iacet accedẽte lampade illuminatur, recedẽte ea cæcutit in tenebris, redeunte iterum collustratur, vicissimq; pro accessu luminis & recessu intellectũ eius illuminari & tenebrescere. Siquidẽ cùm intellectus noster infimus sit in genere intelligentiũ, deq; potestate in actum euadat, fallaturq; plurimùm per ratiocinationẽ ipsam atq; discursum, impediaturq; : & quodammodo remoretur à veritatis cognitione, ob accidentia rei substantiam velantia, ob ignotas rerũ differentias, ob incertitudinẽ abstractionis cõceptionisque, cùm exactè nesciatur, dum intelligenti afformantique conceptum animæ respondet, aliquid in rerum natura distinctum ab alijs, an sola ratione cogitationeque separatum. Crepusculi propterea vicem gerere videtur, noctis verò cùm ad futura contingentia comparatur, quæ per se atque primariæ soli Deo sunt nota atque perspecta: Huic illud Petri consonat: *Habemus Propheticum sermonem cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Et illud Micheæ Prophetæ: *Cùm sedero in tenebris Dominus lux mea est.* Hac luce futurorum impressæ notæ perspiciuntur & dijucantur, quæ scilicet præsentes ipsæ sunt, alioquin non essent, quoniam quod futurum dicitur, nondum est. Et quod est, præteritum fuit, non autem est, quoniam, inquam, sunt præsentes, & rerum earum quæ nondum sunt indices, anxiam de illis disputationem habuit Augustinus in xj. suarum Confessionum libro: vbi dat intelligere modum, quo Deus Prophetas futura docet, ab eis ipsis solùm comprehendi. Nimis, inquit, longè est modus iste ab acie mea, inualuit ex me non potero ad illum, potero autem ex te cùm dederis tu dulce lumen occultorum oculorum meorum. Sed illud nobis satis esse videatur, quòd futurorum signa & notæ hauriuntur à Prophetis, & quod (vt diximus) multifariam per intellectum, per phantasiam, per sensus exteriores, quæ vt verè sint, vt à Deo manârint, eius beneficio luminis manifestantur, quod & experimentalis cognitionis nomine, & gustus indicatum est, & etiam intimi

intimi ſaporis, quemadmodum ipſe Auguſtinus in vj. memorati voluminis libro narrat: Matrem Monicham dicere ſolere, ſe neſcio quo ſapore diſcernere quid intereſſet inter animam ſuam ſomniantem & Deum reuelantem: communius tamen, &, vt mihi videtur, ſignificantiùs nomine luminis innoteſcit: iuxta illud: *Illuminans tu quidem mirabiliter à montibus æternis.* Et ſanè diuini luminis participatio quædam eſt, ſiue tum communicata Prophetæ per ſe, ſiue lumine fidei ſuperaddita: quod olim ſubdubitare viſus eſt quidam hoc patiens, & mecum de huiuſcemodi lumine diſputans, clariſſimè, vt ipſe teſtabatur, cernebat futura, affirmabatque ſe poſſe magis de primo illo ſupremoque pro fato dubitare, quòd de eadem ſcilicet re ſimul & affirmatio, & negatio vera non ſit, quàm vera non eſſe quæ de futuris percipiebat, & nihilominus extra controuerſiam minimè cognoſcebat quid propriè eſſet lumen illud quo ſibi illa ipſa manifeſtabantur. Accedebat tamen vt crederet idipſum lumen creari à Deo cùm infunderetur, diſtinctumque prorſus eſſe à fidei lumine, nec à ratione profectò abhorret, vt certitudo fidei quæ inhærentiæ dicitur, diſcreta ſit & prorſus alia ab ea quæ in ipſo Propheta euidentiæ cuiuſdam certitudinem parit: in his verò qui non vident, ſed videntibus aſſentiuntur, fides itidem & inhærentia eſt non euidentia: namque certa à Deo fides eſſe non poteſt vt exactè cernat & euidenter, alioquin minimè aliorum auctoritati inhæreret, & fides non eſſet.

Verùm Prophetiæ lumen ad diuinam eſſentiam intuendam monſtrandamque non peruadit, id enim luminis gloriæ quod perfectius eſt & fidei lumini ſuccedit, officium eſt, quod exuberanter Deus beatis elargitur, & tùm Prophetia euacuatur. Nec ſanè agentis intellectus lumen ad diuina & contingentia futura noſcenda protenditur, cùm id ad Propheticum pertineat lumen, quo affulgente futura quibuſdam ſimilitudinibus videntur. Præſcripti enim cuique termini ſunt, præſtitutique à Deo omnium conditore, qui etiam aliquid luminis gloriæ hac in vita, & Paulo & Moſi, vt in ſequentibus oſtendetur, ſed tranſeunter, ſed momentaneè ferè impartitus eſt. Hinc puto quod & aliàs alibi ſcripſimus, colligi poſſe, quatuor ſpiritalium luminum principalia genera, intellectus, fidei, Prophetiæ, gloriæ, quorum omnium ſicuti corporeum lumen ſimilitudo quædam eſt, ita illa omnia Patris luminum tenuis quædam repræſentatio. Sed occurrit de ipſo Prophetiæ lumine à quo ſcilicet infundatur, ſubtilis admodum lis & fortè adhuc ſub iudice, quoniam nec planè Theologi omnes inter ſe conſentire videntur, nec ſinguli ſatis explicaſſe quid ſenſerint: Videtur enim hinc à Deo meditantibus id Angelis dari, cum Dionyſius Areopagita ſummus olim Philoſophus, ſummus poſtea Theologus & martyr celeberrimus, putet reuelationes fieri à Deo Angelis intermedijs. Argumento illud eſt, quòd quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: ordo autẽ videtur poſcere, vt à primo ſupremoq; intellectu ad poſtremum & infimum per media deueniatur. Inde autem apparet dari à Deo quod in Sacris literis quandoque eius fit mentio, tametſi habeatur ſæpè apud Prophetas: *Et Angelus Domini qui loquebatur in me*, & ſimilia, habetur etiam quod Dominus conſulebatur: & illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus.* De Moſe item, quem dicit Scriptura facie ad faciem loqui ad Dominum conſueuiſſe, & quanquam exponi non vno, ſed multiplici ſenſu & modo auctoritates huiuſcemodi poſſint; in rationibus ipſis difficultas innaſcitur: namque ſolius Dei munus eſt creare, vt Theologis omnibus confeſſum atque probatum: Quapropter id Angelis competere non poteſt, vt lumen infundant, ſi in anima Prophetæ per creationem imitatur nouam. Si verò abſque creatione noui luminis id fieri poſſet, videtur non repugnare angelicæ poteſtati. Sed enim mota quodammodò atque tranſlata difficultas, non autem ſoluta propterea videretur. Nam tametſi Angeli ipſi conſenſu omnium Theologorum in ſenſum poſſint & phantaſiam, eamque afficere & immutare queant, atque ad hunc modum & Dionyſij, ſenſa & quæcunque probare videntur per angelos reuelationes fieri exponi & declarari valeant, nihilominus in intellectum & mentem illabi poſſe angelos minimè clarum incontrouerſumque eſt, ſed dubium & varijs plenum argumentis: Namque & diuus Thomas, cuius ſententia eſt in ſecunda parte ſecundi voluminis Theologicæ ſummæ, quæſtione clxxij. Diuinas reuelationes Angelis intermedijs fieri qui in noſtrum poſſunt intellectum imprimere. Se-

quenti quæstione eiusdem voluminis scribit, Propheticam reuelationem fieri quandoque per solam luminis influentiam, quandoque per species recenter impressas vel aliter ordinatas. Subditque paulò pòst similitudinem intelligibilem, interdum immediatè à Deo imprimi, quandoque ex imaginatis dissultare formis, secundùm adiutorium Prophetici luminis, cùm ex eisdem quæ iam conceptæ sunt, formis subtilior conspici possit veritas ex illustratione luminis altioris. In prima verò parte summæ, illuminari homines per Angelos asserit similitudine sensibilium, cùm intelligibilem veritatem nudam capere minimè possint. Sed & consentaneè Dionysio decernit scribenti: Impossibile nobis aliter diuinum radium, quàm sub sacris velaminibus illucere. Hinc apparet in ipsum intellectum angelos non posse, quandoquidem sensilis species non intellectu imprimitur, sed in sensu: Intellectus enim & à materia, & à materię condictionibus abstrahit, in secunda tamen parte (vt diximus) in intellectum Angelos posse affirmat: Rursus per Angelos fieri & in prima & in secunda parte reuelationes dicit: Et secunda eadem parte quandoque à Deo immediatè imprimi speciem intelligibilem asseuerat.

Ne autem sublimem à Deo virum & præcellentem sibijpsi cōtradixisse credamus, variè atque non vno modo fieri reuelationes posse sensisse eum opinemur, modò ab Angelis, modò ab ipsomet Deo præsertim cùm de lumine mentio fit, in intellectum autem ipsum per se Angelum non posse, sed secundariò quasique dixeris ex accidenti: Quandoquidem & alibi scribitur: Non posse Angelum intelligibilem speciem quæ in humano intellectu iaceat per se cognoscere: Item Prophetiam ipsam & per influxum intelligibilis luminis fieri, quo propriè atque formaliter constituitur, & per immissionem intelligibilium specierum, & per ordinem eorum quæ in imaginatione afformata sunt, & per sensibilium rerum similitudines. Ioannes Scotus, quanquam in alijs ferè innumeris & in aliquibus etiam quæ in ipsis à quibus hæc tulimus, quæstionibus insunt, Thomæ aduersetur, nihilominus quantum ad hoc pertinet, non dissentit à Thoma. Opinatur enim in quarto commentariorum operis Anglicani in sententias xlv. distinc. quæst. ij. Deum in reuelationibus quæ in somno & ecstasi fiunt, intellectum immutare. Et in secundo libro eiusdem operis, distinc. xj. constanter asserit, nec vllam actualem intellectionem, nec intelligibilem speciem in nostro: hoc est, humano intellectu efficere Angelum posse, vt totalis causa, cùm statui vitæ mortalis naturale sit, vt non possit noster intellectus immutationem recipere immediatè ab aliquo actu intelligibili, sine phantasmate, & per corrollarium subinfert non posse Angelum rapere ad intellectualem visionem hominis intellectum. Idem in secundo libro reportationum Parisiensium eadem sentit: cùm omnis nostra cognitio oriatur à sensu, affertque illud nec posse Angelum nouam sensationem (vt suis verbis vtar) indere sensibus, nisi sensile nouum præsens fiat, cùm nulla forma naturalis obediat Angelo, nisi ad motum localem. Magnus verò Albertus in libro de quatuor Coæuis, xj. quæstione, & articulo quarto affirmat: Deum solum, non autem vllam creaturam in voluntatem hominis posse: Angelos verò bonos in intellectum, dæmones autem in sensum & phantasiam duntaxat, qui & supra intellectum, quemadmodum & boni Angeli potuissent, nisi ex auersione à primo lumine propter peccatum eorum intellectus fuscedinem contraxisset, quem ob id à Dionysio dicit phantasiam appellatam. Henricus ex Hassia affirmat spiritus loqui posse homini per immediatum influxum specierum vel actuum etiam in potentiam intellectiuam: quanquàm hoc dicit increato solum spiritui possibile esse de communi, vt inquit, & naturali cursu, quam quidem sententiam quilibet pro sua trahere opinione posset, sed primi faciliùs. Sanè qui tueri Albertum vellent aliorum rationibus, ita obsisterent non repugnare homini hoc pacto supernaturaliter intelligere sine adminiculo sensus aut phantasiæ: non enim obstare Dei voluntatem, qua de re nil contra possent afferre, non Angeli condictionem, quòd ipsemet Scotus eis in locis, quos suprà citauimus, fatetur apertè, nō animæ naturam, quandoquidem nec Albertus naturalem cognitionem eam appellaret, sed superhumanam supernaturalemque.

Sed nec statui ipsi mortali repugnat, vt aliquando homo intelligat nullis aut internorum aut externorum sensuum officijs vtens: Siquidem & immediatè Deum imprimere in intellectum, suprà & à Thoma & Scoto affirmatum, & de Pauli raptu cla-
rissimum

rissimum est. Scientiam quoque Salomoni infusam, & Dauidi futura Christi reuelata mysteria scribitur, per intelligibiles species: Qua de re non omnino extra dubitationem videtur: A solo ne Deo, an ab Angelis bonis (de malis enim nil dubium) Prophetica reuelatio per intelligibiles species, & lumen sine sensuum adminiculo immittatur in animam, cùm Scotus id munus Angelis neget, Albertus tribuat, Thomas hac in parte neuter appareat: vtcunque sit, diuinitùs fiunt, siue à Deo ipso per sese, siue à Deo Angelis intermedijs, vt tamen à solo Deo idipsum fiat, nec lumen illud quo propriè atque (vt ita dixerim) formaliter vera Prophetica reuelatio constituitur, ab Angelis esse possit, ipsa reuelationis claritas me magnopere mouet. Siquidem certitudo maior ea quæ primis intellectus principijs tribuitur, qua nulla omnino in natura maior videtur haberi ab alio non posse, quàm ab authore naturæ. Sed certior quis per propheticam reuelationem (vt diximus) rerum etiam futurarum fit, quàm primorum conceptio principiorum per lumen intellectus agentis: Sed & certior quàm practicorum. Manifestum hoc in Abraham, qui ex practicis principijs optimè nouerat humano sanguine sacrificari non debere, nec innocentem quempiam interficiendum esse, quantò magis innocentem vnicum dilectumque filium non immolandum: reuelatione tamen monitus ad occidendum eundem filium se præparauit vir iustissimus & pientissimus. Necesse est igitur fateri, nisi eum aut iniustum aut impium dicamus leuitatisve aut stultitiæ damnare velimus: Necesse, inquam, fateri lumine alio Abraham didicisse & extra omnem controuersiam certiorem effectum, se rem aduersam illi quam naturæ lumine nouerat, facere oportere: Lumenque ipsum nouum & naturali præualere lumini, & clarius illucere & certius etiam atque securius, quo fretus naturæ lumen minimè secundum iudicaret ea in parte quo nouo ipsi diuinitùs infuso lumini videretur aduersum. Sed & ipsa fides nostra qua sanctis & auctoritatis vtriusque Testamenti Prophetis obstringimur, quomodo certa esse posset? nisi illi ipsi quibus ea innititur certiores & extra omnem ambiguitatem fuissent. Quibus omnibus colligimus veram Propheticam reuelationem lumen esse Prophetæ intellectui diuinitùs instar passionis transeuntis infusum, saluti cōsulens & maxima cum certitudine earum notas rerum ostendens, quæ humanæ potissimùm cognitioni naturaliter occultant. Siquidem homo suapte proprietate huiuscemodi futura non perspicit, vt Vergilium (si id voluit intelligi) non improbemus cùm scripsit:

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ.

CAP. IIII.

PROPHETICAM REVELATIONEM NVLLO PACTO haberi posse vel ope naturæ vel studio, contra Auicennam, Algazelem, Auerroëm, Rabi Mosen Aegyptium, Narbonensem & alios.



EX his quæ diximus, liquet apertè, nec studio, nec natura haberi propheticam reuelationem posse, quando & à bonis etiam dari Angelis, quantum ad ipsum lumen & intelligibiles species pertinet à plerisq; negetur. Nonnulli tamen, tùm ex obstinatis Hebræis, tùm ex impijs Mahometensibus, quos fortè & ex nostris quidam, si tamen ex nostris sunt, qui exierūt ex nobis per erroris deuia, sequuntur, autumârunt, & natura & studio acquiri ab homine posse, aduersus quorum deliramenta priusquam ad alia transgrediamur, iusto & congruo ordine pugnandum est. Auicenna patria Hispalensis, Arabs lingua & sexto Naturalium rerum libro, parte quinta: Et in nono suæ Metaphysicæ putauit & falsò hunc ordinem in separatis à materia, & ab omni materiæ condictione intelligentijs haberi: vt secunda à prima, tertia à secunda, quarta à tertia, & ita deinceps seruato ordine penderet, nec solùm quoad essentiam naturámve, sed quoad intellectionem etiam pertineret, itaque gradatim procedi, donec ea quæ infima esset, humanam animam omnemque eius intellectionem produceret, nec secus rationalem animam intelligere, nisi dum se actu ipso ad superiorem, à qua scilicet penderet, intelligentiam conuerteret: addebat, pro animæ ipsius puritate effici posse, vt ipsi intelli-

gentiæ à Deo coniungeretur, vt hauriret arcana, vt futura præuideret, vt in subiectam materiam per appulsum imaginationis polleret, vt ipsa etiam elementa ministerio ipsius imaginationis quaterentur. Eadem via processit Algazeles, in calce namque suæ Philosophiæ de anima disputans, postquàm de fascinatione aliqua retulit, subdit: euenire posse vt anima fortior in mundi materiam imprimat, caloremque & frigus immittat, quod & miraculum dici asseuerat: paulò pòst infert: À Deo clarificari posse animam vt aptissima sit agenti intelligentiæ coniungi ita, vt ei scientiæ infundantur, eumque cui hæc reuelantur, paruo tempore sapientissimum dici vel Prophetam. Idem sequenti capite scribit coniungi animam seculo præscientiarum: Si fortis virtus phantastica fuerit, vigilantemque eam solere & videre, & audire pulchras formas & emodulatas voces, formam quoque quæ substantiæ illi nobili adsimulatur pulcherrimam esse & eandem esse Angelum quem videt Propheta. Hæc ab illis, & quodam quasi sub necessario compendio summatim excerpsimus. Aduersus autem modum quo produci intelligentias voluit Auicenna, minimè disputabimus, quoniam hoc impletum abundãter à Theologis multis, quibus vno ore confessum. Creare solius Dei munus esse, vanamque & impossibilem haberi positionem Auicennæ omnes conueniunt. Tametsi in improbando discrepent, & alius hac illa, alius procedat via, vt in commentarijs in sententias videre licet. Dei miraculis item non hoc loco, sed tum agetur cùm de discernendis veris à falsis prophetis pertractabitur.

Quod autem ab intelligentia ipsa naturaliter haberi non possit reuelatio, multifariam ostendemus. Aristoteles & qui eum sequuntur, pro constantissimo habent, omnem nostram cognitionem oriri à sensu: Item fieri non posse vt quis intelligat, nisi phantasmata speculetur: Si verò ab intelligentia ipsa separata nancisceretur notitiam, à sensuum phantasmate non oriretur cognitio, quandoquidem intelligibiles illa species immitteret quæ sine sensu & phantasmate sunt. Dices fortè discrepare in hoc Auicennam ab Aristotele, cuius philosophiam multis in locis interpellauerit, & ex proposito in plerisque aliter senserit. At qui vrgebimus, iterum ratione Thomæ sequi asseuerantis frustrà vniri animam corpori, si aliunde quàm corporeis adminiculis intelligat. Neque enim per se colligari, cùm forma non sit gratia materiæ, sed è contra, neque propter operationem: Item vniri si cognitionem non haberet à sensibus: Quandoquidem melius separata quàm coniuncta puram illam intellectionem hauriret. Sed instat Scotus in secundo operis Anglicani quæstione prima vndecimæ distinctionis, plus ipsam Thomæ rationem inferre quàm oporteat, affirmans: Siquidem sequi vt frustrà etiam vniretur, cùm beata esset. Præterea secundùm aliquos intelligere eam, in quantum est supra corpus, non conuenire igitur sibi inquantum ei vnitur. Sed enim instantiæ isthæc non officiunt, cùm in beatitudine multiplex ei cognitio competat per lumen gloriæ, per reseruatas species, per infusas. Coniuncta verò corpori mortali alia intelligere (quæ naturalis sit) via non datur, cùm verò intelligit eo id officij supra corpus dici posse, quòd intellectus minimè alligatus affixusque est organo corporeo, quo tamen vtitur in phantasmatis subministrandis. Alia igitur ratio assumptæ primæ propositionis, alia secundæ: quare item in vtrisque non continetur, proptereaque hoc ex illo non connectitur & pendet: Supra corpus enim esse non significat separatam omnino esse à corpore, sed non alligatam & immersam: Propter eaque posse animam eas quæ ab imaginatione afferuntur sensiles species, à lumine intellectus agentis intelligibiles effectas & vniuersales suscipere: Quapropter stat Thomæ ratio contra Auicennam magnis nixa radicibus. Nec obstat & illud à Scoto allatum in reportationibus Parisiensibus eadem distinctione, non propterea inquiens animam vniri corpori, sed vt fiat vnum totum. Vnionem autem esse propter perfectionem totius, & non propter perfectionem duntaxat partis alterius. Atqui Thomas non inficias it, totius perfectionem perfectioni partis præstare digniusque parte totum ipsum & esse & haberi. Nec item negare debet Scotus ignobiliorem partem esse gratia nobilioris. Nam tametsi anima vnita corpori à sensibus notitiam nanciscatur suam, non superfluit ob id corpus dum beata in cœlis exultat, imò conueniens & opportunum est, nec totum ipsum contemnitur, aut posthabetur, imò perficitur & consumatur pro-

tur propter digniorem nobilioremque illius partem, cui ignobilior ſcilicet ſubſeruit & ancillatur, & præcipuè in cognitione quæ homini potiſſima. Affert autem contra Auicennam Scotus improbationes alias & illud in primis noſtram omnem cognitionem à ſenſu ortum ducere vt ab Ariſtotele in poſterioribus Analyticis & in Phyſicis & in prima Philoſophia ſtatutum: Sed Auicennæ ſectatores dicerent ſuum auctorem illo non teneri: Subdit & illud efficaciæ maioris, cui nullo pacto refragandum cenſemus, animam in potentia eſſentiali ſemper nunquàm in accidentali ad intelligendum futuram, tametſi habilitas quædam exurgeret qua ſe faciliùs ad intelligendum conuerteret. Verùm & illud in Auicennam afferemus, vt nec memoria in parte intellectiua poni poſſet vlla, ſi noſtro in arbitrio non eſſet, ſemper intelligere quæ antè intelleximus, experitur autem quilibet ex conceptis iam formis, ſuper eaſdem ſe ratiocinando reuolui, & in alia proſilire atque diſcurrere abſque vlla huiuſcemodi commentitia & inani conuerſione: Alia quoque ex parte experiri quis poteſt ex ipſa conuerſione ad ſupera non poſſe in actum cognitionis erumpere, niſi ſpeciem quampiam aut in imaginatione ſenſilem, aut in memoria intellectilem contemplatus fuerit. Cæterùm fruſtrà in homine ratiocinatio, fruſtra diſcurſus, ſi ſimplicem rerum intelligentiam nanciſcetur anima ex conuerſione ad ſupera: Ab ea enim quicquid oporteret, traheret ſimplici actu, namque agens & paſſiuum iuſta proportione cõueniunt, vt autem illa ſine diſcurſu intelligit, ita hunc intelligendi modum per iugem illapſum animæ communicaret: Inde quoque recta connexione penderet, vt cæcis ab ortu naturæ ſcientia colorum poſſet illabi. Rurſus quia Auicenna & totam animam & omnem eius partem atque potentiam à proxima creari intelligentia putauit, idem quantum ad voluntatem pertinet, ſentire eum oporteret, quod de intellectu pariter ſenſit: ad hęc & ratione & experientia conſtat voluntatem ſui actus eſſe dominam liberumque ei eſſe producere tùm velit nec ne: Quapropter ab intelligentia illa ſuperiore proximaque voluntarius actus minimè pendere poſſet, ſicuti nec intellectus, vt ſuprà monſtrauimus: Si autem nec minimam ab ipſa intelligẽtia notitiam ſine ſenſibus & phantaſmate naturaliter anima habere poteſt, quantò minus haurire poterit arcana & ſe illi intimè coniungere, vt Auicenna & Algazeles autumârunt: quanquam hic ob id quòd phantaſticæ hac in parte virtutis meminit, non adeò exorbitet: quoniam fatentur & nos poſſe ſeparatas mentes in ſenſibus & phantaſmate nouas videre ſpecies: Sed hæc nec naturalis, nec ordinaria hominis cognitio putatur, verùm ſupernaturalis potius aut ſpecialis notitia, nullo autem modo prophetica reuelatio propriè & exactè diceretur (vt ſuprà ſatis patuit) quæ & lumen ipſum diuinitùs immiſſum, & intelligibiles ſpecies influxas requirit. At qui neſcio ego, quo pacto rectè conſiſtere opinio hæc Auicennæ queat, quin ab alia eiuſdem antiquiore preſſa dilabatur: Putauit enim ab vno non poſſe niſi vnum prouenire. Quomodo igitur, ſi ab vna intelligentia vnicum pendere actum intelligendi decreuit, quomodo inquam prophetia quæ multifariam variatur, & ea maximè quæ de futuris contingentibus aſſeritur, quibus certa & decreta cauſa in rerum natura non viſitur ab illa intelligentia proficiſci poterit.

Sed Auerrois & ipſe Arabs lingua, patria Cordubenſis, multis in locis commentationum ſuarum coniunctionem cogitatiuæ noſtræ potentiæ, cum proxima intelligentia, quem agentem vocauit intellectum, ſomniauit, & fortè ebrius, ex qua abſoluta felicitas penderet. Voluit enim inſtar Auenpacis ſubſtantias ſeparatas poſſe homines ex natura intelligere, non eo autem modo quo ille finxit: ſed nec vti putauit Alexander, quanquàm eodem poſtea recidat: Facilius enim ſibi quod non ſecus & operoſum & impoſſibile videbatur, vt poſtquàm ſpectatiuos omnes & practicos habitus acquiſiſſemus, continuaretur cogitatiuæ noſtræ virtuti ſuperior intelligentia, eamque veluti forma materiam perficeret: ad abſolutam autem felicitatem pertinere videtur futurorum cognitio, felix enim eſſe quî poſſet ignorans quæ ſibi in futurum occaſura ſint? Hunc ſecutus Moſes Aegyptius Hebræorum doctor, opinatus eſt ad fictam hanc Auerrois adeptionem, prophetiam ſequi: Moſes quoque Narbonenſis Hebræus in commentarijs in librum Abubacher, quem iuniores Iudæi ceruam appellant, ſcribit aperte prophe-

tiam, coniunctionem esse intellectus possibilis cum separato, acquirique à nobis posse: quàm stulta autem & impossibilis nostræ naturæ sit, & Auenpacis & Alexandri & Auerrois opinio, monstratum plurifariam est, præsertim à diuo Thoma in tertio libro contra Gentes, & in prima parte Theologicæ summæ: Nobis sit satis quantum ad præsens attinet negocium, considerare quis ille philosophorum fuerit, qui omnes tàm spectatiuos quàm practicos habitus nancisci possis, cùm infinita ferè sint in rerum natura, quæ & ipse Plato & Aristoteles ignorauit, & de multis ipsimet ingenuè confiteantur, vt hic de quadratura circuli, de numero orbium cœlestium, & motu eorum, ac multa relinquat valentioribus ille deorum filijs sine ratione etiam credendum dicat, & fidei multa committat: Tum si hoc daretur quomodo inde aut prophetia sequeretur, quæ, vt suprà ostendimus, à Deo pendet illustrante, aut quomodo absoluta deriuaretur felicitas, quæ non solùm intellectum ad quem illi pertinent habitus, sed voluntatem omnino perficit & satiat, quod soli Deo conuenit efficere, soli humanæ voluntatis principi. Sed quo pacto posses Auerrois prophetiam ex tua coniunctione possidere, qui opinaris in commentarijs tuis de somno, scientiam spectatiuam haberi ex reuelatione non posse: quòd si cuipiam id contingeret æquiuocè eum esse hominem, imò angelum magis quàm hominem asseueras: aut si posses quomodo eam mutare velis, qui de diuinatione per somnum disputans assentiris diuinorum comprehensiones somno possideri, aliaque nominari somnia, alias diuinationes, alias prophetias: ac ab angelis somnia, diuinationes à dæmonibus, Prophetiam à Deo pendere, aut aliquo, aut nullo medio: Item prophetiam ipsam Deo & angelis attribui, quid ergo aut tu ipse aut sectatores tui comminiscuntur, & præcipuè Narbonensis epistolæ illius tuæ de continuatione intellectus expositor, & explanator. Iam miror quo pacto Aegyptius ille & Narbonensis & alij plærique aut iuxta Auerrois doctrinam, aut secundùm sacras Veteris testamenti literas opinari potuerint, ex illa coniunctione mendicari debere prophetiam, cùm & coniunctio ipsa sit impossibilis: Et aliunde Auerrois prophetiam petat, & quæ dicunt ipsi Sacris etiam literis aduersetur. Namque vt etiam quantum repugnet pietati, non solùm Noui, sed & Veteris testamenti, quod solùm Hebræis recipitur, vnicum illum Auerrois agentem intellectum, & fictam ab eo connexionem. Sanè manifestum est fuisse Prophetas celeberrimos olim, qui nec spectatiuos omnes, nec practicos habitus conquisiuerunt, sicuti Dauid pastor & rex belliger non literarius, sicuti Amos pastor vellicans Sycomoros, sicuti Hieremias puer, vt ipse de se inquit, & nesciens loqui, sicuti & alij plærique pauci profectò, aut nulli potiùs Prophetæ fuissent, essentque, si prophetica per studium acquireretur. Aiunt item ipsi adeò Auerrois memores, vt Hebrææ disciplinæ obliti sint: aiunt, inquam, non prophetare senes ex debilitate imaginatiuæ virtutis: Falsum id quidem, & Sacris literis aduersum, in quibus enim virtus imaginaria, vel siccitate organi nimia, vel exuberanti humiditate in iuuenta fuerit contumax, in senecta ad iustam conuenientemque temperaturam potest reduci, quod miror Auerrois etiam medici tàm studiosos asseclas latuisse. Sed & Moses senex prophetauit. At dicet Narbonensis: cogitatiua ille præcellenter vtebatur, quod illi peculiare fuit, non autem imaginatiua, cuius vsus communis alijs: Scio illud à plærisque negari & ex aduerso contendi cogitatiuam ab imaginaria non dirimi, tùm si detur, Abrahamus certè & Isaac, qui vt tutè putas imaginatiua vtebantur videlicet senes ambo: Sed & Iacob & Iosephus non senes modò, verùm & propè morientes prophetârunt. Quibus omnibus patêre potest quàm vana eorum sit opinio, qui aut natura, aut studio prophetiam acquiri posse putârunt, quæ à solo Deo magna erga homines beneuolentia proficiscitur. Perspectio namque rerum futurarum, vt in seipsis manent, soli Deo competit, & cui reuelare ipse voluerit; quæ verò in suis causis sunt futura, quanquam Deo perspecta, eorum tamen multa naturalis prænotio sibi vendicat, qua de re & suprà dictum, & infrà pro virili dicendum à nobis prudentia. Namque & medicina, & res rustica, & nautica plæraque de futuris prænoscunt, diuturnis experimentis, & coniectura naturali, adiumentoque illi est plurimùm imaginariæ virtutis perfectio & intelligentiæ claritas. Tametsi iuxta Platonem arbitrati

trati nonnulli sint animam ex suis initijs naturalem quandam præsciendi diuinandique obtinere vim, nec solùm naturali coniectura & frequenti vsu atque obseruatione prænosse, præsensionem autem participatione idearum animæ inesse putabant, quæ obnubilaretur ex corporis coniunctione. Verùm cùm Augustinus, tùm Thomas obstant, quandoquidem anima diuinationem habere nequit semper cùm vult, etiam si sensus quoad fieri ab ea potest, abdicentur: Præter id quòd Aristoteli & Peripateticis omnibus ipsa opinio repugnaret volentibus decernentibusque animam cùm corpori iungitur: instar esse puræ nudæq; tabellæ, in qua nihil pictum, nihil effigiatum sit, nec ordinaria vi naturę cognosci, quicquam ab ea posse nisi sensu & phantasia intermedijs.

CAP. V.

PROPHETICAM REVELATIONEM NEC DORmientibus, nec vigilantibus de syderibus illabi, & contra Rogerium, Bachonem, Arthephium & alios.



PEr astra quoque haberi prophetiam non posse satis notum ex his, quæ de essentia propheticæ reuelationis disseruimus. Si enim prænotio aliqua haberetur ex astris, naturalis fortè, diuina autem vel angelica nullo modo dici posset. Et quæ naturalis est prænotio, dici prophetia non potest, nisi impropriè & quoquo modo: Sed nullam inde pẽdere nec de futuris rerum in terra euentis haberi scientiam ex cœlo posse, quemadmodum diuinatores fabulantur Astrologi: Quinto huius operis libro, Deo volente, clarissimè ostendemus. Atqui dicet alius, tecum equidem sentio, vt ab astris noscendorum euentuum ars trahi nequeat, qualis apud genethliacos prædicatur: Sed minimè absurdum putari est vt futurorum notæ, quæ in syderibus esse putantur, ab Astrologis illabantur sopitis & dormientibus: Falleris tu quidem quicunque es: nam futurorum ibi notæ non sunt quemadmodum comminiscuntur: Nec si essent, vtique possent sopitis illabi quibus primum sensorium impeditum est, ob iugem reciprocationem vaporis naturali calore sublati quoad cerebrum perlato & refrigerato fit, vt cor vbi sentiendi regia locata quodammodo frigus persentiat, vnde somnus obrepit, in quo sensus omnes habentur immobiles, vt ab Aristotele & sectatoribus probatum. Hæc cùm ita sint, nulli dubium fuerit, falsam esse opinionem quam suprà in vniuersum confutauimus: Sed multifariam quoque & particularius id ipsum testatum relinquamus, hinc maximè sumentes initium: aut enim lumen inprimeretur, aut species: Si lumen, corporeum id esse manifestum est, cum à corpore fluere spiritalis & incorporea qualitas nequeat: Corporeum autem lumen ad sola corporea demonstranda porrigitur, & ea quidem singularia atque incomplexa: futura verò simpliciter apprehendi nequeunt præterquam sub complexu (verbi causa) me facturum iter, me non facturum iter, hoc ad spiritale intellectus lumen pertinet, cuius est componere & diuidere, prædicatum subiecto tribuere, aut abiungere, hoc est, affirmare atq; negare: Quòd si species dicas à stellis infundi, iterum de illis quęrendum, in intellectúne an in ipsa imaginatione inprimantur, an magis in exterioribus sensibus, hoc vltimũ respondere nequis, cùm quiescant prorsus ab eorum officijs per quietẽ. Sed nec primùm dices, cùm intellectus corporeũ quicquam nõ recipiat qua corporeum est, nisi priùs per lumen agentis intellectus depuratũ sit ab omni * condictione materiæ: Neq; hoc nisi phãtasmate intermedio: In imaginatione igitur recipietur: At sanè huius potẽtiæ officium est recipere duntaxat, seruare & componere corporeas res vt corporeæ sunt, sed nullo cum iudicio. Quandoquidẽ ad intellectũ id pertinet, nec illud verè potest afferri, vt ab eis quę in imaginatione, aut ex integro, aut quoquo modo impressa sunt, sumere quidpiã intellect⁹ possit, quo scilicet negocietur in somnis, atq; dijudicet. Namq; vt illa potest intellectus ꝑspicere, quæ iam quoquo modo delata per sensus ad phantasiã fuerũt: Ita nullo pacto quid in somnis haurire ex astris quicquam, aut integrũ, aut expertè, nisi per sensus ipsos quasi per ostiola quæpiã inuecta fuerint, quæ sopore claudi & ab officio per quietem cessare probauimus: Ad hæc

* conditione

hæc quo pacto defendas non video vt corporea vlla qualitate de cœlo affletur imaginatio, quoniam naturæ is est ordo, vt per extrarios sensus rerum simulachra ferantur ad ipsam: Hi sanè per quietem officio suo minimè defunguntur (vt diximus) oculi potissimùm, quorum sunt partes corpoream haurire lucem, aures illam propriè nō suscipiunt, sed sonum, sed verba, quæ sydera non demittunt, pari pacto nec ad olfactum, nec ad gustum, nec ad tactum futurorum pertinet notæ: nec illa tibi prodest de somno à nonnullis facta diuisio, vt alius vniuersalis, particularis alius habeatur, & illum contingere dum exteriores sensus & interiores cum ipso pariter intellectu quiescunt.

Ea ex causa quæ ab Auicenna explicetur in primo suæ Medicinæ canone, hunc verò trifariam euenire: vt putatum ab Henrico dicitur in commentarijs in Genesim, cùm sensus omnes sopiuntur vigilante intellectu, cùm exteriores ligantur per quietem solutis interioribus, vel dum econtrà hi vigilant solutis illis, & liberis primùm diuisionis articulum, impossibilem multi putarent ob phantasiæ ministerium speculanti intellectui admodum necessarium, quod tametsi fieri posset nil emolumenti eueniret ei placito, quod confutauimus cùm planum incontrouersumque sit, cœlestem vim vllam non posse sequestratis sensibus per se intellectum afficere. Secundum verò si concesserimus cui propterea refragari nolumus, quando hominem ipsi nouerimus qui sopitus omnia penè vigilantis opera moliebatur: Si, inquam, concesserimus, nihil aduersum nos obtinebit aduersarius, quando suprà satis ostendimus stellarum defluctus ad intraneum non peruenire sensorium ni exteriores sensus quasi fores quæpiam reserati per vigiliam fuerint, & oculi potissimùm, ad quos lucis pertinet haustus. Tertium tàm difficile factu videtur quàm quod maximè: nam & ordo naturæ videtur inuerti si exteriori sensorio sopito, cui iugem nauant operam quinque illa exteriora receptacula, sensibilium imaginum notas desumat intellectus ex sese, quoniam per illius ceu canalicula forinsecùs adueniunt foribus ipsis interioris sensus occlusis, quòd verò cuipiam ita olim obtigerit, tàm falsò potuit Henrico referri, quàm verè à nobis refutari. Sed esto vigilent exteriores sensus, vigeat & intellectus, sopitis interioribus: quo pacto fiet ad vltimum sine medio transitus, quo pacto species intellectilis abstrahetur nullo concurrente phantasmate.

Iam finge admitti cœleste quidpiam per exteriorum munia sensum ad phantasiam & intellectum dum somno tenemur, quid tandem illud erit, edissere? quæ iam confutauimus, afferre non potes. Contendes tamen species de stellis illabi. Sanè illa quæcunque sit species impressa, aut eius à quo depromitur rotundi, scilicet, corporis figura & species erit, aut illarum quas fingunt in cœlo imaginum spectrum aliquod seu simulachrum, aut actio luminosa & irradiatio fuerit, si rotundi erit corporis species, nimirum aliud quàm corpus ei simile à quo deprompta est, non præsentabit, quò fit vt nullum inde iudicium pendeat: Iam cœlestes illas imagines imaginarias prorsus esse fictas, non autem veras, & natura constantes, quinto huius operis libro monstrabimus. Si luminosam actionem dixeris, in idem quod te mox trudimus, incommodum recides. Præterea si isthæc irradiatio effectrix etiam putatur eorum euentuum quæ portendi reris, illud quæso declares quo pacto portendent somniantibus? Quandoquidem priùs tùm ordine naturæ, tùm tempore recipi debent, quàm effectus ipse producatur: Quòd autem recipitur (vt Aristoteles docet) recipi oportet iuxta modum eius rei quæ recipit. Sed hæc si rectè affecta non fuerit, aut nullus, aut sanè alius quàm expectabatur effectus prodibit in lucem. His omnibus ita disputatis atque confectis colligi potest ab astris prophetiam pendere non posse, aut ex configurationibus syderum eo pacto præberi sopitis hominibus, sicuti accidit ex diuina reuelatione eius luminis beneficio quod futura monstrat, distinguit atq; dijudicat.

Perquàm insigne autem Rogerij Bachonis delyrium fuit, putantis de syderibus arte quapiam duci posse prophetiam, superstitiosis Arthephij machinamentis fretus, quibus affirmat illum mille & vigintiquinque annis vixisse, eiusmet Arthephij auctoritate in libro suæ philosophiæ, cui non mirum si credendum existimauit, quoniam & auium etiam linguas interpretari docuerit: : Sed & viuere tùm cùm ipse scribe-

ſcribebat, autumauit, quoniam paucos antea annos in Germania viſus fuiſſet, qui adhuc præ ſe ferret iuuentam, nec ætatem annorum triginta exceſſiſſe iudicaretur: Ita in libro ſex ſcientiarum experimentalium ſcriptum reliquit: Bachon, aſſeuerantes eadem arte videri poſſe futura, præſentia, atque præterita, & ea quidem occulta, ac regis filium ipſius Arthephij diſcipulum, futura & occulta proſpicientem prophetaſſe: Id autem patrari primùm Chymiſtica doctrina quæ præparet corpus æquale: Poſtea & Geometria & perſpectiua diſciplinis opus eſſe, quibus inſtrumenta fiant cœleſtes radios congregantia per ſpeculum Almuchefi: Aſtrologo demùm vtendum qui felices deligat ſtellas, quorum defluuijs fortunentur omnia, & non ſolùm homo ipſe: Sed quemadmodum, inquit, & cibi ſtellificentur & potus: hac arte complexionem alterari ait, & in tantum (vt eius vtar verbo) vigorari intelligentiam, vt ad ea, quæ diximus, perueniatur: tantùm apud eum valuit auctoritas Arthephij, quem in libro alio cui titulus Compendium ſtudij Theologiæ, peragraſſe omnes Orientis regiones affirmat, exquirendæ ſapientiæ gratia, & ad Tantalum perueniſſe in aureo throno ſedentem, deque cœleſtibus, de natura, de moribus docentem, qui nihilominus ab Arthephio ſit edoctus: Hanc ob cauſam Arthephij, Rogerijque aſſectatores, Arthephium eundem eſſe qui Apollonius Tyaneus dicitur, mecum longis ambagibus diſſeruêre, libroſque Philoſtrati de Apollonij vita prorſus explodunt. Ad quos tamen Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum ſe refert, quantum ad Tyanei peregrinationem pertinet. At non Tantalum, ſed Iarcham adiuit Apollonius de phiala ad imaginem Tantali fabrefacta potantem: ita inuertunt omnia, qui ſe dicant ſuperſtitionibus.

Sed iam quid ſpeculum & ſtellarum vires ad prophetiam conferre poſſint, diſcutiamus. Bellum vtique ventum curioſis hominibus foret, ni prorſus & natura, & ratio refragarentur. Ex libris enim Ioannis patrui aduerſus Aſtrologiam, & ex noſtro, qui hoc in opere quintum locum obtinebit, ſatis apertè patebit eas futurorum notas inde non poſſe deduci. Adde huc quòd radij ſtellarum præterquam Solis & Lunæ pertenues habentur, & imbecilliores quàm vt inſigniter queant refrangi. Quamobrem eos aut nihil, aut certè parum Almuchefi ſpeculum iuuaret: Nam ſi ad terram huiuſcemodi non pertingunt radij, vt eam queant afficere, quod probabile videri poſſet, cùm non perſentiantur à nobis, fruſtrà ſpeculum conficietur. Si verò quoquomodo pertingunt, aut tenuiores ſunt, quàm vt eis inſit vis reſiliendi, quare nec ſpeculo etiam erit opus, aut ſi reflectuntur reſiliuntque & refragantur terræ ſuſcepti, neceſſarium quoque ſpeculum non videbitur: Namque ſi eorum reflexu afficiuntur * corzora, cur ſpeculum fabrefacis? *coryza, Dices vt colligantur ad vnum radij, vt reflectantur inſigniùs, & hominem, & quibus vti debet, eſculenta, potulentaque fortiùs & efficaciùs afflent: vt omnia tibi ſimul concedantur. Mechanicus inſignis quid quæſo demùm conficis? Num aliud colligere potes, quàm vt intentiùs feriat & afflet, quod alioquin remiſſiùs afflaſſet; ex intentione autem & remiſſione, ſpecifica diuerſitas inferri nequit: quapropter ſi felix erit, feliciorem fortaſſe aliquanto reddideris non felicem ex felici. Demere vtique infelicitatem aut felicitatem afferre tuo iſto commento non potes: Sed nec excipere felices influxus vales, & ab infelicibus aut minus fortunatis vt ſomniaſti ſecernere. Fieri enim minimè credendum vt ſpeculum vlla in parte collocare poſſis, quin ab omni ſtellarum multitudine quæ ſupra hemiſphærium noſtrum viſuntur, quorum proprietates (vt vultis) diuerſæ atque aduerſæ ſunt, pariter afficiantur, quod finge te poſſe: Certè illud non poteris quin aër iam afflatus atque affectus ab omni chorea ſyderum non recipiatur in ſpeculo, nec refrangatur luminis impulſu, quoniam eo veluti medio cœleſtia illa defluuia iam peruenerunt ad ſpeculum. Mitto quòd ſemper in aërem & felicium vt contenditis, & infelicium ſtellarum deriuantur influxus, ſemperque aëre ipſo ſpeculi ſuperficies tangitur. Tacebo quòd terra inſtar puncti, & in ea tanquàm in centro per diuerſas lineas irradiationes variè ſuſcipiuntur, ſpeculumque ipſum quo eos excipere ſatagis, terræ collatum nihil ferè ſit. Prætereo genituræ thema quod præponderare debet cuicunque aduentitiæ & emendicatæ colluſtrationi. Sed & alia plæraque

raque mittenda existimaui, quibus dogmatis vanitas monstraretur, quoniam quinto libro spectari poterũt. A tractãda quoq; difficultate de corpore ęquali multis & doctis hominibus exsibilata supersedeo. Quas ob res superstitionum huiuscemodi laqueis erui pedes, qui si pensi etiam aliquid haberent, nihil tamen magis inde colligeretur, vt prophetia tanquàm de vase aliquo scaturiret, quantumuis enim præpares corpus quantumuis id animæ famuletur, prophetiam tamen inde ne speres, quæ nisi à spiritibus demittatur, eius munere non pollet anima.

CAP. VI.

CVR MORIENTES PRAEVIDEANT, quodq; à mundi exordio non defuêre Prophetæ.



SI quando verò proxima morti aut minimè sensibus prępedita subtilitate suæ naturæ minimas etiam impressiones percipit, non ea certè prophetia censenda est, si virtutem naturæ ea cognitio nõ superet. Et fortè hanc subtilitatem & liberationem à sensibus Plato intellexit cùm in Republica narrat: Animas morientium acutiùs intelligere, vel senectæ debilitate, vel quia loco quo sunt migraturę, propinquiores fiunt. Potest autem, & sæpenumerò euenit vt in ipso etiam transitu, aut antè paululùm vtpote vinculis corporis nõ omnino obnoxia reuelationes nec difficulter percipiat anima: Sicuti & in vigilia, & in somnis, quæ & à malis spiritibus se immiscentibus turbari potest, & à bonis iuuari. Diuina autem reuelatio nõ nisi à bonis Angelis & Deo prouenit, nullo autem modo, aut à malis, aut à natura. Neque enim, vt inquit Apostolorum princeps: *voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines:* quanquàm (vt diximus suprà) fieri aliquando possit & factum sit, vt etiam mali hoc ipso munere vera, scilicet, prædicendi ex diuina reuelatione polleant: Raró tamen id contigisse inuenimus, ordinarium enim (vt sic dixerim) vt per Prophetas veros & bonos verè & habeantur & prænuncientur reuelationes, qui nunquam à mundi exordio defuerunt, nec vt desint in posterum, & consentaneum est rationi, & à celebratissimis Theologis creditum. In lege naturæ notum est fuisse Prophetas, eaque Abrahamo nuncupatio data est in libro Geneseos: ipsius autem scriptæ legis promulgator Propheta præcellentissimus habitus est, & toto ferè legis decursu visi Prophetæ eo potissimùm tempore, quo reges imperabant: Iam in Euangelica lege post Christum qui etiam qua homo prophetas excelluit omnes eius Apostoli, & Abagus, & filiæ Philippi prophetârunt, succedentibus quoque seculis multi diuinas reuelationes habuerunt, vti Carpus ille Cretensis Episcopus, de quo Dionysius ad Demophilum meminit: Et Cyprianus martyr, vt de se ille semel atque iterum fatetur: Et Antonius & Benedictus, & Ioannes Anachoryta: cuius hoc in opere sæpè mentio fit: Et Franciscus quoque & Dominicus. Sed & Brigida, & Chaterina Senensis, alijque ferè innumeri, tùm mares tùm fœminæ floruêre. De quibus diligentiùs tractabimus.

CAP. VII.

DE SPECIEBVS VERAE REVELAtionis Propheticæ.



SEd postquàm de essentia propheticæ reuelationis egimus, eamq; nec à natura, nec à studio proficisci disseruimus, atq; inter disputandum nonnullas quæ contrà nitebantur, opiniones repressimus & confutauimus, consentaneum videtur, vt iam de speciebus ipsius propheticæ reuelationis quæpiam afferamus: quòd vt commodiùs facere possimus, reuocandum ad memoriam est paulò antè dixisse nos, futura ipsa considerari posse, & qua in seipsis suaque natura sunt immanentq;, & qua in suis causis continentur, à quibus fluunt, quæ primi ordinis habẽtur soli Deo, & cui voluerit ipse reuelare, nota sunt. Secundi verò ordinis quæ in suis videlicet causis clauduntur, tametsi hæc ipsa Deo nota sint, eorum tamen aliqua & experimentum & sagax cõiectura sibi vendicat: Sicuti ex medicina & agricolatione

colatione notissimum. Cæterùm scire nos conuenit, neq; omnia quæ in suis causis sunt, prænosse nos posse, vel coniectura, vel arte, vel prudentia. Latent enim plurima & altiori notitiæ reseruantur, & quæ possunt, etiam præcognosci extra omnem controuersiam non præuidentur. Siquidem humana ratio & coniectura vacillat, vt inter operis initia meminimus: Qua de re sæpè etiam de ijs quæ suis septæ sunt causis ex prophetiæ lumine reuelantur hominibus. Hæc autem omnia in diuina sunt cognitione etiam antequàm res ipsæ sint: Iuxta illud Ioannis: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Dei quippe notitia rerum causa est: Sicuti econtrà res ipsæ nostræ cognitionis, & sunt & habentur causę: quia enim illæ sunt, eas idcircò intelligimus, & quia eas intelligit Deus, idcircò sunt. Sed quanquàm multa atque diuersa, imò infinita in eius cognitione sint, vnico tamen eas intuitu, vnico actu, & quidem distinctissimè intelligit. Quod igitur futurum est, quodq; propriè & principaliter spectat prophetiã, quæ humanam scilicet facultatem exuperat: bifariã in Diuina esse cognitione intelligimus, aut veluti in suis id causis à quibus profluit & continetur: aut veluti in seipso idipsum existit faciendúmve ab ipsomet Deo. Duplex hęc & bipartita obiecti ratio, duas prophetiæ species constituit: namque de formalis ratione obiecti habitus non modò, sed & actus diuersitas, & formalis ratio desumenda est. Hinc absoluta & quę sub conditione est prophetia, quæ condictionata nuncupatur, ducit originẽ, quæ alijs etiã nominibus appellata est præscientiæ scilicet vel prædestinationis, comminationis, promissionisve.

Quæ condictionata est, non impletur semper, ordo enim causæ ad effectum ex ea præuidetur prænunciaturque, qui præpediri transmutarique alijs superuenientibus potest: veluti cùm Propheta Ionas magnæ illius à Nino Assyriorum rege constructæ ciuitatis euersionem, Deo mandante, prænunciauit: Ita incolarum flagitijs exigentibus, quibus veluti causis, per ipsius Regis & eorum qui suberant pœnitudinem succisis, consentaneum fuit vt desolationis etiam & euersionis effectus aboleretur. Sicuti quoque cùm Esaias Ezechiæ mortem prædixit, affecta morbo eius natura id volente, qui fusis & prece & lachrymis viuendi spacium impetrauit, quod nondum aula egressus Esaias Domini iussu promulgauit, celebrique miraculo vaticinium illius confirmatum est Sole retrocedente. Quæ verò absoluta dicitur, omnino impletur. Nam quæ prædestinat Deus & omnino vult fieri, dubio procul eueniunt. Itaq; ostendere Deus prophetis potest quæ ventura sunt, aut hac aut illa ratione, de qua duæ (quas assignauimus) prophetiæ species fluxère, quorum notitiam vel de longinquo subodoratam agentibus & suis prædictoribus inaniter attributam, vt putem illa me Maronis libro quinto Aeneidos verba mouent, quibus seniorem nautam inducit præbentem Aeneæ responsa:

—seu quæ portenderet ira
Magna Deûm, seu quæ fatorum exposceret ordo.

Per iram quippe videtur comminationis ipsius timorem, per fatorum ordinem prædestinationis effectum æmulari voluisse. Alias assignare species possemus, si lumen ipsum propheticum veluti genus quoddam sumeretur, quod diuersè per suas quasi dixerim differentias contraheretur ad species ipsas constituendas, vt alia esset quæ in somno ex ipso lumine oriretur, alia quæ in vigilia eodem lumine exurgeret, alia quę ex lumine & intelligibilibus notis constaret, alia quę ex eodẽ lumine & imaginarijs formis speciebúsve conflaretur, alia quæ hauriretur in ecstasi, alia quæ afflatu instinctuque constaret, alia quæ ex eiusdem luminis participatu & circa sensus exteriores insolita & minimè naturali præsensione consurgeret, & hæc quidem differret, vt alia figurarum & colorum, alia sonorum diceretur, vocum alia vel clarè significantium, vel in parabolis occulti quidpiam occulentium. Hi autem modi veriùs aut gradus prophetiæ, quàm species haberentur, quando diuinum illud lumen animæ infusum omnibus veris & proprijs reuelationibus adsistit, veluti forma quædam atque perfectio, cuius ope ipsæ apparitiones, & voces, & signa, siue in somnis, siue in vigilia perpenduntur: Nisi enim adesset quo collustrarentur, aut vana, aut inutilia, aut certè dubia & incerta hominibus quæcunque offerentur, manerent. Sed nec difficulter aliæ assignarentur species, & ex medio, & ex determinata luminis intentione remissioneque. Enimuerò & illud dicere possemus lumen ipsum iuxta diuersitatem

receptionis adumbratæ, magis vel minus diuersas species constituere: vt enim magnus quidam author diuersas colorum species arbitratur cōstitui ex diuersa adumbratione luminis in opaco recepti, ita nos de spiritali lumine quiremus decernere, certè aut ex ipso obiecto, aut medio, aut fine variari ipsas species notum est: ex obiecto suprà tres contraximus, constituimusq; subalternas illas quidem & earum quas quærimus genera, vnam autem ex fine: Ita ex medio possemus non difficulter, & istas trahere & constituere.

Illud autem aduertendum non incongruum videri, si rei ipsi reuelatæ iusta proportione respondeat reuelationis claritudo. Verbi causa: Si prænotione de futuris olim Christi mysterijs gradus luminis decimus respōdebat, qui minoribus vnquàm rebus non daretur: Prænotioni de euentis rerum infimarum secūdus aut tertius fortasse gradus, de bellis quartus, & ita deinceps: Quæ quidem tàm bonis quàm malis (vt diximus) reuelari possunt. Sicuti de Balaam ariolo in sacro Numerorum libro legitur. Namque prophetæ dæmonum, de quibus secundo ab hoc libro agendum à nobis, non semper ex dæmonum reuelatione prædicunt, nec semper falsa, sed vera aliquando & ex diuina interdum inspiratione. Malis enim hominibus ad bonorum vtilitatem sæpè vtitur Deus: Sed rarò id factum inuenimus, vt prophetæ dæmonum prædicant vera, sæpissimè namque loquuntur ex dæmone, qui cùm mendacia profert, ex proprijs loquitur: Veri autem Prophetæ qui Dei reuelatione futura promulgant, non rarò, sed semper prædicunt vera, nec interdum falsa, sed nunquàm. Qui enim fieri potest, vt falsum aut mendacium suggerat Deus, in quo nec vllum esse potest, nec ab eodem vllo pacto edoceri, in quo omnis veritas, imò ipse summa & ipsissima veritas, nō tamen ipse omnes omnibus vel singulis prophetis veritates insinuat: Sed quas præuideri & prænunciari summæ ipsius sapientiæ libet, & per quos item libet, quos, inquam, nec naturæ dispositio, nec morum bonitas efficit, vt ad id officij deligantur: disponit namque ille dum vult, & dispositos perficit, deque rudi pastore, egregium sapientemque Prophetam mox constituit: & quanquam animæ quies eleuandæ conducat menti, nihilominus voluntas affecta vitijs prophetiam non impedit, quæ non voluntatem spectat nostram, sed intellectum, qui sicuti naturali cognitione ex lumine intellectus agentis patitur (namque Aristoteles tertio de Anima libro: Intelligere quoddam pati esse docuit) ita patitur intellectus ex illustratione Diuini luminis in cognitione prophetica, quæ non ad ipsius duntaxat videntis, verùm ad aliorum vtilitatem concedi solet.

CAP. VIII.

DE VARIIS MODIS ET GRADIbus diuinæ reuelationis habendæ.



TRiplex verò potissimùm propheticæ reuelationis modus se nobis offert, si cognitrices earum susceptiuasque potentias considerauerimus: aut enim per auditum, scilicet, & visum, exteriora Prophetæ offeruntur obiecta, quæ rerum futurarum signa notæ've sint: aut mēti imprimuntur, collucentque: aut mediæ, scilicet, inter sensum exteriorem & intellectum imaginariæ potestati se intùs insinuant: Quorum exempla multifariam apud Sacras literas est videre, & apud earum æstimatores illustres, pauca nobis afferre sat fuerit. Vidit Daniel scripturam in pariete: Audiuit Samuel verba mentis intuitu, Mosi futura monstrata sunt: Dauid quoque intellectu Christi mysteria perspexit: infusæ Salomoni intelligibiles rerum species fuēre. Zacharias equos & quadrigas imaginariè contemplatus est, succensam ollam Hieremias vidit: Fictorem locustæ & cæmentarij trullam Amos inspexit. Sed alia quoque exempla huiuscemodi in Nouo testamento reperiuntur, in Euangelijs, in Pauli Epistolis, in Actibus Apostolorum, in Ioannis Apocalypsi. In hoc autem imaginario modo inesse gradus & differentias perpendi potest. Aut enim per quietem, aut per vigiliam ostenduntur rerum ipsæ imagines, portendentes, aut per verba, aut per exteriora signa, quorū omnium aut non videtur author, aut videtur: Præstat somno quæ in vigilia fit. Maior enim prophetici luminis exigi

exigi videtur vis in tollendo, quoniam sensibus occupato implicatoque ad supernaturalem veritatem perspiciendam, quàm soluto & minimè præpedito sensibus per quietem. Tolli autem multifariam quis potest ad diuina percipienda, nulla etiam à sensibus abstractione facta, cùm lumen ipsum vel intelligibilis infunditur species, vel extrinsecùs quid offertur. Verùm per abstractionē à sensibus in imaginaria quapiam visione quis tollitur, idq; bifariam euenire potest, vel ex parte remanentibus, scilicet, animæ officijs, quæ corpori communicat, non tamen plenè discernat, quę exteriùs percipit ab ijs quæ imaginariè contuetur. Vel ex toto, cùm nihil omnino sensibus propheta percipiat. Atqui nonnunquàm alienatio naturæ inordinatione contingit, veluti in arreptitijs, & ijs qui in furorem vertuntur, vt sequentibus libris dicetur à nobis. Ordinatis autem causis ecstases seu mentis excessus prophetis veris eueniunt, aut in somnis, aut in vigilia, vel ex contemplationis vehementia, vel ex diuina rapiente virtute. Illud quoque sciendum, verba si quæ afformentur diuinitùs intelligibilem veritatem exprimere explicareque magis, quàm muta signa. Sed & altior gradus ille habetur si cum mutis signis, quæ plus tamen minusque, hoc est, exquisitiùs & exactiùs portendere, sui natura magis explicante possunt, aut cum verbis ipsis haustis monstrantem aliquem signa ipsa colloquentemque Propheta perspiciat. Supremus verò, si Dei speciem personámve gerere qui apparet, videatur, quemadmodum Esaias qui Dominum sedentem super solium excelsum se vidisse retulit. His omnibus imaginarijs gradibus præstat ille quo intellectilis & supra naturæ facultatem exaltata veritas absque omni imaginaria visione monstratur. Intellectus enim aperta & nuda contemplatio potior est, & beatificæ visioni proximior magis: substant verò quæ exterioribus duntaxat sensibus offeruntur, sistuntque, nec vltrà procedunt: Superior enim interior quàm exterior sensus & his omnibus eminet intellectus.

Graduum autem huiusmodi ab aliquibus olim mentio facta est, vt de generibus prophetiæ: Ab aliquibus etiam prophetici influxus nominati, cùm tamen & modi sint quibus ipsa prophetica veritas insinuatur: & alij alijs superiores dignioresque sint & habeantur. Multorum autem atque minutorum huiuscemodi graduum Rabi Moses Aegyptius scrupulosè meminit. Primus est cùm rei exemplum, similitudóve, nudè atque simpliciter conspicitur. Secundus cum pari pacto loquens auditur: hos nihilominus ad prophetiam dispositiones veriùs haberi quàm gradus censet. Tertius quem primùm inter prophetales gradus opinatus est, cōstituitur: Dum propheta in somno videt ipsis condictionibus similitudinem, simulq; eodem somno quid sibi velit exemplar illud similitudóve declaratur. Quartus si in somno quicquam audiat nec videat loquētem. Quintum verò constitui putat, si quisquam in somno prophetali loquatur secum. Sextum si loquatur angelus id ipsumque prophetis veris omnib. euenire solere. Septimus si De⁹ loqui videatur in somnio. Sed & totidē quoq; esse in vigilia gradus. Octauum esse voluit cùm in visione exemplar videtur: Nonum si verba auscultet. Decimum verò demùm esse si hominē qui loquitur videat, quemadmodum & Abrahamo contigit, & Iosuæ dum esset in Hiericho. Vndecimum haberi decreuit, cùm ad se loquentem Angelum Propheta videt: Sicuti Abrahamus filium Isaac immolaturus, atq; hunc inter alios altissimum appellat gradū, quanquàm his omnibus imaginarijs præstare illum dicit, quo vsus est Moses, quem inquit: Duodenum & sibi proprium gradum constituere: Triplicem quoque gradum Algazeles Arabs posuit in libro de Anima iuxta elongationem Prophetarum minorem maioremve à Deo & angelis quos inter Deum & Prophetas medios esse arbitrabatur: Fallebatur autem, vt suprà ostendimus, naturalem homini autumans istiusmodi cognitionem, quæ industria, studio, diligentia posset acquiri. Cæterùm & alios inuenire possumus gradus, si proximum, non autem vltimum reuelationis ipsius finem cōtemplati fuerimus, quorum hic nihil aliud est quàm rei cognitio, sicut & ille Dei est prouidentiæ executio: cognosci autem possunt, & præterita, & præsentia, & futura, per reuelationem propheticam: Item & naturalia quæ etiam secundùm naturæ lumē potuissent cognosci, tametsi non ita commodè atq; perfectè. Atqui de supernaturalibus quoq; & contingentibus rebus futuris, quæ humanam omnem cognitionem exuperat propriè & peculiariter prophetia pronunciat: Neq; enim in seipsis, cùm soli Deo sint nota, nec etiam in suis causis, cùm ad vtramuis contradictionis partem

priusquam producantur æquè se habeant, præuideri ea ab nostro intellectu queunt, reuelantur autem, & apud Ioannem in Euangelio legimus: Dominum Iesum cùm ad discipulos loqueretur, & de paracleto Spiritu veritatis mentionem faceret, eum ipsum ventura illis annunciaturum spopondisse. Cæterùm si cognitionem & lumen quo gignitur ipsa cognitio, spectemus, diuersorũ graduum se nobis discretio insinuabit: Quæcunq; enim per quodpiam lumen declaratio fit, ad omnia illa protendi potest, quæ ipsius vi luminis subijciuntur: Diuino autem lumini cui prophetica declaratio innititur, subijciuntur vniuersa.

Ambire igitur atq; complecti vniuersa potest cognitio prophetica. Confirmari hæc possunt exemplo corporei luminis, cui omnia colorum genera substãt, & ab eo collustrantur, qua de re fit vt corporalis visio, quæ illo producitur lumine, potens sit omnia colorum genera cernere: Pari pacto & animæ nostræ naturalis cognitio ad omnia pertingit, quæ nostri intellectus splendore illuminantur. Nec secus spiritale illud supernè demissum lumẽ suos quasi dixerim radios quocũq; dirigere potest. De diuinis igitur & humanis, de spiritalibus, & corporalibus, de spectatiuis & practicis, de præteritis, de futuris, de præsentibus, arbitrari prophetica reuelatio potest, cũ omnia ipsa diuino lumini præsentia præstoq; sint. Trahi de Sacris literis exempla possunt plurima, quemadmodũ de vniuersis prophetæ sacri prænũciârint, quorũ Theologi meminêre, præsertim diuus Thomas, Diuinę veritatis Doctor illustris. Quę igitur de reb. Diuinis in prophetica reuelatione agnoscuntur, altissimũ obtinẽt gradũ, quo ad ipsius cognitæ rei dignitatem spectat: Futura item maximè contingentia cùm prænoscuntur, nobiliorem sibi vendicant locũ, quàm præterita atq; præsentia: quandoquidẽ & sui natura cognitu digniora habentur, & peculiaria propriaque propheticæ cognitioni. Item & quæ præsentia sunt, præterita præcellunt. Sed & ea quæ naturalis vi luminis cognosci possunt si reuelentur, inferiorem nihilominus obtinent sedem, nec futuris contingentibus possunt æquari. Siquidem hæc hominum per se cognitioni præstant, substant illa, cùm autem prophetæ magis propriũ sit vt cognoscat, quàm vt operetur: Infimus erit prophetiæ gradus quem quis exteriùs expresserit: Veluti cùm de Sampsone in Iudicum libro legitur irruisse in eum Domini Spiritum, & vincula quibus erat reuinctus, ita dissoluta dissipataque, sicuti ad ignis ardorem solent ligna consumi.

Verùm enimuerò & alius habetur gradus diuinæ reuelationis, qui & ad prophetiam alia ex parte pertinet, & ad beatitudinem ex alia: is est ad quem tùm Mosen, tùm Paulum diuina eleuatos vi, & diuus Augustinus tàm in libro de Videndo Deum, quàm in xij. super Genesim, & diuus Thomas tàm in secunda parte secund. Voluminis Theologicæ summæ, quàm in quæstionibus de veritate, & alij Theologi pariter asseruerunt. Viderunt hi diuinam essentiam lumine gloriæ, quo beati perfunduntur. Viderunt, inquam, non vt beati in quibus veluti forma quæpiam, illud ipsum residet lumen, & vti quidam habitus perficit, quod illis duntaxat affulsit instar passionis subitariæ, affectionisq́, transeuntis. Itaq; donatus hoc munere Moses, donatus & Paulus, ille Iudæorum, hic Gentium doctor: ille dum Dei regeret populum, hic dum raptus est ad tertium cœlum, *& audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Addit autem ecstasis excessusq́; significationi: Raptus ipse violentiam quandã: violẽtiam, inquam, (si raptus ille diuinus fuerit) non noxiam, sed vtilem, sed saluti plurimùm conducentem. Accidere enim & ecstasis & raptus potest, cùm ex corporea causa ob morbum & affectionem temperaturæ noxiam, tùm vi & opera dæmonum, vt infrà monstrandum est, tùm, vt diximus, virtute Diuina, dum ad supernaturalia contemplanda abstractione à sensibus facta mens Spiritu diuino perducitur: ita de se Ezechielis scribit: *Spiritus eleuauit me inter cœlum & terram, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei:* sed excellentissimus ille raptus fuit qui obtigit Paulo: quandoquidem non ex similitudinibus accedente illustratione prophetici luminis diuina perspexit, vt Ezechiel, vt Petrus, vt alij: Sed vt diximus, ex lumine gloriæ obiter, & velut in transcursu participato diuinam intuitus est essentiam abstractus à sensibus præcellentissimé.

CAP.

CAP. IX.

DE MODIS REVELATIONIS DIuinæ proferendæ.



Roferri autem multifariam prophetica possunt, nec verbis duntaxat, aut scriptis, neque vni tantùm, aut pluribus, populoque, sed factis ipsis, quæ signa sint futurorum exprimi atque doceri, exempla capere de sanctis & diuinis libris licet. Multi enim non scripserunt ipsi quæ pronunciauerunt, quemadmodum in Regum historia visitur: Chartis alij mandauêre, sicuti & Esaias, cui præceptum vt scriberet, sicuti Prophetæ, alij, qui ea quæ diuino hauserât lumine, literarum monumentis retulêre: Nonnulli quoq; particularibus hominibus & Regibus aliquando Dei iussû futura prædixerunt, vt Esaias ipse Ezechiæ præcipiens, quòd domui disponeret suæ: præterea quòd amplius viuendum sibi non erat, eidemque cùm preces & lachrymas Deo fudisset, mox prorogatum, vt diximus, vitæ spacium promulgauit: vt Nathan quoq; qui Dauidem, iussu Dei de peccato in Bersabeam & Vriam patrato redarguit, vt Heliseus Achabo & Assyriorum regi: Sed & aliqui multitudini: quòd & ipsi etiam Esaias & Heliseus effecêre, vêtura pronunciârunt. Factis alij non solùm verbis nunciauêre futura, quemadmodum Hieremias, qui ex Dei præcepto lumbare in Euphrate flumine posuit, indeque putrefactum extraxit, futurum significans vt eius populi superbia putresceret & plecteretur. Idem cathenas collo circumdedit: & misit eas ad reges qui essent regi Babylonio seruituri: Ezechiel item diuino mandato plurima fecit quæ in eius libro posita sunt, quibus futura nunciarentur, & factis igitur & verbis, & scriptis, & vni, & pluribus diuinæ possunt reuelationes proferri. Cæterùm & ipsa Prophetę mens, bifariam à Deo moueri ad prædicendum potest, aut enim expressa & certa reuelatione illustratur, de qua suprà satis sumus loquuti, aut instinctu quodam occulto ducitur, & in vtroq; etiam gradus habentur. De primo igitur in primis loquamur.

Manifestum videtur iuxta intentionem luminis, & remissionem dari gradus posse, quare lumẽ illud propheticum, cuius fulgore extra omnem dubitationem clarissimè reuelantur abscondita, intentiùs aliquando esse, aliquando remissiùs à ratione non abhorret, cùm pro exuberantia, parcitateq; luminis id euenire facillimum sit, sicuti in lumine quod manat de corporibus liquet, & sanè maioribus rebus & creditu alioquin difficilioribus intentiùs requiri lumen consentaneum est, quàm minoribus: & quæ scilicet credi scirique durum atq; perarduum omnino non sit, cùm magis quadrent respondeántque per sese lumini naturæ, nec multa cum disquisitione. Quis enim ambigat Abrahamum ad immolandum filium non inductum, præterquam affluentissimo & exuberantissimo infuso lumine, quo extra omnem dubitationem cernere posset ita à se fieri debere, quanquam aliud sibi esse alioquin agendum naturæ lumine monstraretur: pariter & promissa in filio magna hæreditas diuturnaque posteritas, multis videri posset refragari. Sed & ipse ego allocutus viros præuidentes sum, qui aliqua clarissimo sibi lumine ostensa dicebant, aliqua non à Deo intenso, vt citra dubietatem certiores essent. Pro dispositione item Prophetæ, varia variè interdum in eis lumen recipitur: Pro rebus item quæ aut propè aut longo, id est, aut citò aut tardè futuræ sunt: inde fit vt non vno semper modo, sed multis loqui & prænunciare possint: Nec secus falli quis posset imprudens Propheta, ac imprudens ciuis: Si enim ille, de eis quę in sua aut ciuitate, aut villa, aut domo sunt, sensilibus ferre iudiciũ vellet, alio sensu quàm proprio vniuscuiusq; sensibilis deciperetur: quippe cùm sensus & obiecto communi, & obiecto ex accidenti fallatur, & proprio quoque si nimia distantia cernatur, vt ab Aristotele in secundo de Anima libro declaratum est. Pari pacto si de eis quæ per se particulari lumine minimè monstrantur, pronunciaret Propheta falli posset. Instinctu autem quandoque certo ducitur Propheta, quandoq; ambiguo, minimè videlicet secernens proprio id an diuino spiritu cogitauerit: Instinctus autem ipse imperfectum quiddam est (vt ait Thomas) in genere prophetiæ & augeri (vti de lumine diximus) & minui potest, cùm ipsum instinctum interdum etiam humanæ patiuntur mentes: Quemadmodum xij. super Genesim volumine scribit Augustinus, quem si bonus alioquin & verus propheta ambiguè

quandoque ſequeretur,atque ob id deciperetur, ſtatim corrigeretur à Domino:Exemplum de Propheta Nathan perſpicuum in Sacris Regum libris legitur,qui proprio ſpiritu cum Dauidi conſuluiſſet, ab illo priùs ipſe conſultus: Vtrum Deo conſtrueret templum, conſuluiſſet, inquam, conſtruendam omnino quam excogitauerat domum Dei,correctus mox ab illo recantauit. Non ſibi id munus, inquiens, fabrefaciendi templi, eò quòd ampliter humanum fudiſſet ſanguinem,ſed filio Salomoni delegatum: Quamobrem de Prophetis loquens magnus ille Gregorius ſcribit: Ne tamen error ex hoc poſſit accidere per Spiritum ſanctum citiùs correcti ab eo quæ vera ſunt,audiunt, & ſemetipſos quia falſa dixerint,reprehendunt.: Ob duplicem igitur hunc & bipartitum in animis eorum motum dupliciter Prophetę pronunciant,expreſſa reuelatione ſcilicet & inſtinctu, ac pro intentione remiſſioneq́ue vel luminis,vel inſtinctus intentè,remiſsíve: Verbis, item ſcriptis,factisque,& vni,& multis, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus,quanquam hi qui ad prænunciandum populis futura deliguntur Prophetæ, clariſſimis reuelationibus illuſtrantur, quò fit vt liberè audacter atque intrepidè pronuncient:Scandalum enim & præiudicium maius ſi falſitas publicè doceretur,nec ſi poſtea palinodiã caneret,omnes eam intelligerent qui aſſeuerationi interfuêre.

Animaduertendum quoque (vti Thomas ſapientiſſimè meminit) Prophetę mentem à Spiritu ſancto moueri, veluti inſtrumentum: quòd quidem ad principale agens relatum mancum imperfectumq́ue eſt: Ipſamque mentem Prophetæ,non modò ad apprehendendum, ſed etiam ad loquendum & operandum efficiendúmve moueri, & interdum ad tria hæc ſimul, ad vnum aliquando, ad duo nonnunquàm: quodlibet autem detur,non perfectum, ſed mancum aliqua ex parte inſtrumentum habetur: neque enim omnia cognoſcunt Prophetæ,quæ in eorum aut viſis,aut verbis,aut factis author prophetiæ Spiritus ſanctus nouit: Sed & ſolùm rem illam quæ monſtratur,aliquando norunt ipſi,quandoque & rem ipſam cognoſcunt,& eandem ſimul à Deo ſibi reuelatam apprehendunt. In loquendo autem interdum, quid ex verbis ſignificari,ſcilicet Spiritus voluerit percipiunt: Sicut Dauid apud ſecundum Regum librum dicit:*Spiritus Domini locutus eſt per me.* Interdum etiam is cuius mota eſt mens ad quæpiam exprimenda verba,quídnam per ea ſignificari Spiritu ſancto libuerit, minimè cognoſcit: Veluti impio ſacerdoti Caiaphæ contigit:Interdum etiam cùm aliquis eodem Spiritu ad quidpiam factis portendendum mouetur ſignificatum nouit, vt de Hieremia & Ezechiele meminimus. Fit etiam vt moueri quis poſſit ad agendum minimè quid facto ipſo ſignificetur intelligens, vt milites qui Chriſti veſtes diuiſerunt,dum autem vel viſis, vel factis,vel verbis,ſignificantia diuinitùs nectitur,is propriè propheta proprieq́ue illa prophetia dicenda eſt: Si nullum verò ſignificatum nouit qui illa ipſa patitur, id ad perfectam prophetiam non pertinet:verùm ad propheticum quempiam inſtinctum referri debet.Sed iam ſatis quantum ad ſecundum attinet librum,diuinæ prænotioni dedicatum: namq; de eius nominibus,deq́ue prophetis,quot modis quis & qui propriè ea appellatione cenſetur, & de eſſentia veræ reuelationis propheticæ & quòd naturalis ea eſſe nequeat,nec acquiri ſtudio poſſit,& de ſpeciebus illius,deq́ue modis & gradibus habendæ ipſius & proferendæ, & de alijs quæ ab ijs quaſi neceſſario nexu dependent,ſatis actum videtur à nobis: nunc tertio libro in quo de naturali prænotione diſputabitur,manus admouendæ ſunt.

DE

DE NATVRALI PRÆNOTIONE, LIBER III.

Cap. I.

QVID AGENDVM DISPVTANdumq́; hoc tertio libro: Item de speciebus naturalis prænotionis.

IN vltimo primi libri capite cùm de speciebus prenotionis dissererem & ad illud esset deuentũ, vt prenotionis eius quę secundùm naturam est, meminisse oporteret, quæ ad supremum genus prenotionis collata, species haberetur: genus verò si conferretur ad eas quæ sub se concluderentur species, diximus decreuimusque Naturalem prenotionem ipsam id tantum coniectari, quod præstare posset natura suis septa limitibus. Duplicem autem in modum huiusce rei considerationem findi, cùm alia essent à natura duntaxat indita, quo genere & bruta pollerent: alia quę & ars, & ratio quibus iuuatur natura, & quasi fouetur, compararent nobis: Hoc ipsum item bifariam distinximus, dum rude & ignarum vulgus partem sibi vendicaret: pars eruditis hominibus seruaretur, illius esset prenosse Verno tempori Aestiuum successurum, Aestati Autumnum, Autumno Hyemem subsecuturam: Huic & alia quoq; permulta iure meritoque darentur: Namque non modò omnifariam Philosophi & rerum plurimarum consulti coniectantur atque prænoscunt. Sed & nautæ, & agricolatores, & Medici, præsagiunt sæpenumerò & predicunt de aëris statu & mutatione, de frugum prouentu, de salute ęgroti, atque pernicie demùm, & quæq; ars propria pollet eruditione. Hæc nobis particulatim hoc libro singulatimque tractanda, non omnia quidem nec plurima, quæ ad artes illas pertinent, sed plæraque: alioquin vt de cęteris taceam, vniuersam medicinam exarare oporteret, quæ tota ferè prænotionibus absolueretur. Nam vt prognostica ipsa prętereeam, & signa, & causas, magna illius portio scrutatur atque considerat, quę autem signa vel ad iudicium vitę & mortis, vel ad rimandas causas non ascendunt? quę rogo causę iam exploratę atque perspectę de salute, de obitu, cõiecturalem ferre sententiam nequeunt. Mitto quòd de pręsentibus, præterita medicinę consultus indagat, & ad futura peruestiganda accingit sese. Quapropter nonnulla notabimus, vt in reliquis considerandis & peruestigandis, detur postea nobis perpendere: Vtrum naturę satis consideratio faciat, vtrum eò pertingat ratio: Hinc autem quę'nam & qualia in vniuersum considerari queant, sumi ratio poterit: Nam ad ea quę omni ferè animanti insita, & quorum etiam pręnotione pollent bruta, pauca admodum dicenda sunt. Sed nec plura eorum quę ad vulgus pertinent ex eis videlicet obseruationibus quę conniuentes etiam & somniculosi non exanimare non possumus: quæ verò artem concernunt, ita partiri possemus: Naturale siquidem hominis lumen, aut eas causas & signa spectat quę supra se posita sunt, sicuti cœlum, & ignis, & aëris sphæras, aut quod in ipso homine est, id vel ad animam spectat, vel ad corpus pertinet, aut quod infra se iacet, aquam, terram, animalia, plantas, lapides, aut quæ ad corpus conducunt. Si primùm dederis cùm vt scriptum est, posita sint astra in signa, & tempora, & dies, & annos, ex illis agricolę plurimùm (non fabulatores Astrologi) coniectantur, futura, & ex statis anni temporibus, quid noctu agendum, quid interdiu comprehendunt: Indeque tempora & serendi, & metendi, & colendi, denique agri, ex varia Solis & Lunæ potissimùm peregrinatione docentur, quibus ad victum suppetat alimonia: ex ignis sphæra nihil omnino per se, sed ex aëre ob contiguitatem coniectari nonnulla datur, dum inflammationes aëriæ, & coruscationes, & fulgura, & ventorum turbines, & pluuiæ, & tempestates, & grandines, inde

proueniant, quorum prænotio, & agricolatoribus, & pastoribus, & nautis magno vsui est. Si verò eorum quæ animæ conueniunt perpensio fiat, prudentia inde oritur, quæ omnium quæ agi debent & possunt, recta ratio nuncupatur: si vel sanitas, vel ægritudo cogitetur, medicina prodit: si vel aquæ, vel terræ mentio fiat, & nauigationis item & agricolationis præsagia suboriuntur. Si verò quæ corpori solatium afferant & commoda vestigemus, reliquarum artium machinis vtendum, vnde & mechanicæ dictæ partem trahemus, quarum quæque suis præsagijs pollet. Sed hæc inter se artes prænotionibus communicant, ob id fortè quòd ab vna omnes, vel prudētia, vel arte ducuntur: omnium enim agendorum prudentia, omnium faciendorum ars parens & dux, alter. Vtra verò & vtraque vel ad animi, vel corporis emolumenta, tàm cœlo & elementis (vti solet) quam ijs qui de eorum mixtura coalescunt: multæ autem obseruationes literis traditæ, ex quibus quædam quasi prænoscendi facultas conflatur atque colligitur, & prognostica ægritudinum & sanitatis apud medicos, apud agricultores, & nautas, serenitatis & pluuiæ, ac cæterorum id genus: multæ verò memoria magis librorum monumentis seruatæ atque repositæ.

CAP. II.

QVINQVE MODIS NATVRALITER præcognosci.



MVltifariam autem naturalis prænotio comparatur à nobis, quicquid enim antequàm eueniat coniectando præcapimus, aut ex notitia causæ, aut experimentis, aut vtroque simul id fit. Siquidem & causa cognita de illius effectu præscire & prenunciare nulla iniuria possumus, & ex multa quoq; memoria & experimentis ars conficitur: Alij hoc, illo alij, in conijciendis euentis itinere gradiuntur: Alij vtroque freti certiùs exquisitiusque præsagiunt: bifariam verò cognosci causa potest, aut eius scilicet natura & qualitate perspecta, de qua talem effectum naturę ordine deriuari cognoscimus, aut quanquā occulta sit & latens eiusmodi tamē est vt eam rei illius productricem effectricemq; deprehendamus, quanquàm euentus aliqui de sua causa penè semper ducantur, rarò alij & incertè admodum visuntur, pronunciantùrque: ex manifesta ignis qualitate prænouimus si lignum illi propinquetur, comburendum esse, idque nulla controuersia spectamus, identidem subortis nubibus & flante Austro quandoque deijcitur humor, quandoque dissoluitur & euanescit ea occulta magnetis proprietate, præscimus ferrum illi connectēdum & copulandum si propè adsit & absit Adamas: cur autem tantùm ea ferrum trahat, inter inexplicabiles quæstiones soli Deo cognitas Alexander Aphrodisæus in exordijs Problematum reposuit. Quinq; itaq; modis hisce naturaliter prænosse homines possunt, duce ratione, quæ & causas manifestas rimatur, quorū aliæ certę, incertæ aliæ, & occultas quoq; indagat, de quibus euentum conijcit: præter id quoque effectum sæpenumerò nulla causæ cognitione, sed experientia duntaxat deprehendit. Deum tàm causæ notitia quàm experimentis simul iunctis aliquando præsagit.

CAP. III.

DE PRAESAGIO IRRATIONALIUM animantium.



ANimantes verò quibus phantasia pro ratione est, impetum quendam à natura sentiunt, quo ducuntur ad cōmoda, & ab incommodis abducuntur: nam cùm eis liberū non sit in alterutram se partē vergere, & sua mutare proposita, quę propria sunt rationis officia, fit illi pro ratione instinctus impetusq; naturę: Quapropter euenit vt prænosse, & ita dixerim, ariolari ea autumârit antiquitas: Vidētes enim hirundines, turtures, luscinias, exacta vix hyeme cùm primùm intepescere annus incipit, atria nostra, nostras arbores, nostra spineta petere: putârunt vernum eis tempus esse præcognitum, easdemque dum aëris tepōrem consectentur, ad nos alis pernicibus aduolasse, quos videlicet tepidi regelasset aura Fauoni. Videntes item maris & stagnorum accolæ quòd incurui delphines vellicarent aquæ summa, & quòd siccum Mergus amaret, vaticinari eos quodammodo de futu-

de futura maris tempestate putârunt. Videntes quoq; riparias hirundines præter solitum aduētare & murales ad opes proprijs caueis derelictis, ignotas turres remigio alarum petere, statim opinati sunt volucres istas aduenas & peregrinas commotionem aëris & turbines nobis portendisse: Sicut & Delphin & Mergus vexationes æquoreas. Tria hæc exempla adduximus, telluris, aëris, aquæ, satisfactura pro multis, quæ hinc inde sumi & coaceruari potuissent. Namq; apud Aratum, Vergilium, Ciceronem, Lucanum, alios, visuntur plurima quorum idem iudicium ferri potest quod in nostris hisce ferendum est. Falluntur sanè quicunque putant prænotionem aliam auibus & bestijs inesse præter instinctum illum impulsumque naturæ. Nam cùm plurimùm hirundines nostram regionem petunt, nostras domus plausu cantuque salutant, impulsu quodam aërię tepiditatis id faciunt, quam prę hominibus deprehendunt, & præsagiunt magis: hoc est, acutiùs sentiunt, minori siquidem impedimento plumatæ animantes aërio victu assuetæ, & paruo corpusculo spirantem Zephyrum exceptant, eoque fortiùs afficiuntur. Nos autem id rei latere certum est. Sed enim Alexander huic nostrę fauet opinioni, qui libro Solutionum docet: Ventum sæpenumerò vehementem excitatum esse, quem videlicet non persentiamus, quoniam crassa & duri sensus corpora nacti sumus. Multò certè minus placidum & viuifico veluti tepore mulcētem, qualem Zephyrum dicimus, paruulis illis volatilibus notum persentiemus. Sed & aliæ præ alijs eodē in genere sagaciores animantes, ideò inter summa initia vernantis aëris aduentu quoq; celeriores. Vnde illud in Ethicis apud Aristotelem scriptum puto, ex vna hirundine vernum tempus pronunciari non posse, quod iam diu in prouerbium cessit, cùm alia aliam qua diximus ratione perueniat. Turturis quoque & Lusciniæ par in aduentu ratio: nam quanquàm ille in aëre muscas & culices non prædentur ad pastum, quæ post hyemis rigorem per aëra spaciantes diuagantur, lumbricis nihilominus & vermunculis vescuntur, ac minutulis germinantium arborum flosculis assuescunt, quæ turturibus, philomelis, alijsque compluribus auitij generis subministrantur, temporis eiusdem tepore, quem & ille quoque acutiùs sanè quàm homines, quàm ferè bestiæ præsentiunt: Quòd verò Delphin se dorso celerrimis illis iactatibus ostentet, cùm futura tempestas impedis, quòd siccum mergus vdo relicto aduolet imminente procella: id propterea fieri sciamus, quòd Delphino tempestatis ortus nobis alioquin ignotus iam deprehensus est turbatis in imo aquis, & harena commota ventorum turbinibus, fuit ille inimicam sibi commotionem, qua pisces etiam quos ille venatur, quibusdam veluti latebris occuluntur, & summa petit, non adhuc violentioribus ventis infestata. Ita mergo contingit, cuius victus in capiendis piscibus, qui se facillimè ab eius aspectu proripiunt iactatis & turbatis æquoribus: vnde in præda lassati terras petunt. Inde factum vt dum hic vdum relinquens se confert in siccum, ille relicto profundo, aquarum superficiem petit: littorum accolæ, & pelagi nautæ, portendi tempestatem obseruauerint, sentiunt illi veriùs quàm præsentiunt. Sed initia vel parua tempestatum quæ homines terris quàm aquas assuetos magis donec ingruerint, delitescunt: illis enim præsentiunt non sibi qui quod iam est, quamuis paruo initio sensēre: nec alia ratione, Apodes insolitæque aues cùm ad nos migrant vel recedunt ad alios, temporum mutationes insinuant, vi namque ventorum deferuntur, cui contrà nare præ imbecillitate non datur. Quapropter cùm sese nostris aspectibus offerunt, violentiam flatuum expectamus, quam ille nobis sua quasi fuga nunciârunt: Alij præsentire eas putasse videntur, alij nil certi hac de re se habere mōstrârunt, vt Iamblichus qui opinatur naturale præsagium euenire, nec ab acumine sensus, vel ab Sympathia, vel alia quadam commotione virium naturalium, quod antè putauisse Vergilium existimârim, cùm in primo Georgicorum scribit:

Haud equidem credo quia sit diuinitùs illis

Ingenium, & quę sequuntur: Nos autem nec ab re, vt putamus, disseruimus sentire irrationalia sibi tantùm, nobis verò si dicere liceat præsentire. His enim similibusque de causis ex irrationalibus nobis præsagire concessum est, cùm & horum animantium effectus, & quæ futura ex eis quodammodò nobis portenduntur ab eadem causa perueniant: Exempli gratia, ex violentia ventorum, atque ex animalium illorum fuga, & tempestas, & procella deriuatur: ex propinqua-

pinquatione verò Solis ad nostrum verticem tepiditas aëris prodit, ex qua & aduentus hirundinum & vernum etiam tempus procedit. Sic & crocitatus & garritus auium naturalem non superstitiosam prænotionem pollicentur, cùm motu quodam naturę animantes eiusmodi, vel de commodis aëris & victus quodammodo gaudeant, vel de aduersis tempestatibus, & cibi penuria lamententur, non tàm sibi quàm alijs quę participant eadem specie. Sileat igitur Melampus, & Pythagoras de linguis volucrum interpretandis: sileat Apollonius, & quicunque alij qui voces auium obseruauerunt & interpretati sunt, quasi magnum aliquod & arcanum percepturi. Nam sicuti apud Hieremiam scriptum est: *Miluus in cœlo cognouit tempus suum: Turtur, Hirundo & Ciconia custodierunt tempus aduentus sui:* Ita & cantus edunt aues & garritus proprij animi signa non mutationis rerum prognostica, aduersus quam vanitatem, sexto nobis libro est disputandum: Qui autem portendi vel bona vel mala nulla ratione ducti obstinatissimè autumârunt, potuerunt certè erroris commoneri ex infantibus, quibus nullus arbitrij, vel rationis vsus, rident tamē & vagiunt, nec illud aliunde manat quàm ex lætitia, hoc non nisi ex mœrore doloréve prouenit. Sed viri pietate præcipui, non in vanitatem & superstitionem, verùm in religionem idipsum retulerunt, cogitantes ab ipsis volucribus quasdam ceu reddi gratias Deo, ita impellente natura, vt quæ voluntate, non possent, suo tamen modulo vniuersitatis Dominum venerarentur.

Cæterùm inter animalium præsagia non parùm aduertendum est, quædam magis, minus alia præsentire, idque pro diuersitate naturæ & perfectionis euadere. Nam quantò magis altiùs: hoc est, propinquiùs ad humanam prudentiam scandunt, tantò exactiùs præsentiunt & præuident, ea sunt quæ sublimiorem absolutioremque phantasiam nacta fuerunt: Multa sunt eorum genera, multi gradus iuxta elongationem à stupida natura plantarum, ostrearumque, & propinquitatem ad hominem: Ad hæc autem inuestiganda obseruatio illa satis semper non facit, vt quæ disciplinæ quodammodò participes sunt, ac homini quodammodò subseruiunt & famulantur, vt Elephantes, vt Canes, vt multa auitij generis, quibus in venatione vtimur, ea præsentiant magis & prouideant sibi: Nam formica & apis quę nec magnitudine pares, nec hauriundæ disciplinæ idoneæ sunt, exquisitè pręsentiunt & quadam ceu prudentia vtuntur: Namque & hæc sibi domunculas reædificat miro ordine, & suum sequitur regem, & mortuas effert socias, ac liquido distendit nectare cellas: illa verò venturæ hyemis memor, & ætatis transituræ exit in campos furatum grana, eaque singulatim ore trahit in caueam subterraneam, vel in excauatæ arboris reponit scrobe, vnde sibi suppetat alimonia, *Dum desæuit hyems, dum non tractabile cœlum.* Ducuntur tamen ad id impetu etiam, & quodam impulsu naturæ, non discursu arbitrióve, quando & semper eodemque modo prouident nec aliâs alitas: Sicut etiam hirundines, turtures, palumbes, ciconiæ eodem ordine modoque nidificant, nec euariant. Quibus verò ratio phantasię dominatur libero pollent arbitrio, quare modò sub dio degunt, modò in domibus, modò ruri sunt, modò in vrbe, modò hoc, modò illo, modò domuum mansiones fabrefaciunt, modò venantur, modò quiescunt, modò quicquam amore prosequuntur, quòd mox odio acerrimo insectabantur. Fallunt autem & decipiuntur sæpenumerò, cùm nec Dei sequantur instinctum, nec naturæ dicto pareant & innatam prouidentiam aspernentur: Vnde puto inertes & somniculos ac veterno marcentes Diuino præconio verbis istis excitatos: *Vade ad formicam ô piger,* quasi monuerit ita vacui bonorum operum homini prospiciendum sit, ne spiritali non procurata alimonia moriatur æternùm: quemadmodum formicæ ne temperario pereat ciborum inopia granorum acerui stipandi sunt, quod clariùs à Christo Domino cùm aliâs, tùm ibi expressum cùm monuit nos: faciendos nobis esse amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defecerimus, recipiamur in æterna tabernacula.

CAP.

CAP. IIII.

DE PRAENOTIONE VVLGI ET PRVDENTVM, *& quòd omnis naturalis prænotio quandoq; fallit.*



Æterùm cùm supra naturam & cognitionem irrationalium animantium quæ homini competit, & natura, & notio collocetur, sequens est vt eorum etiam præcognitioni præstet hominum prænotio. Diximus secundo capite, quinque modis hominem naturaliter præcognoscere. Nunc hominum genera quod & suprà tetigimus distinguendum, cùm alij rudes, eruditi alij, & sint & habeantur: Eruditum autem genus rudi præstat, quemadmodum & brutis, rude præest vulgus, quanquàm proportione dissimili: Namque inter se homines tàm ignari, quàm scientes specie conueniunt, eademque illos essentialis differentia constituit, verùm indiuiduationis (vt aiunt) principio dirimuntur, & qualitatibus corporeis variantur, & affectionibus animi secernuntur. A`brutis verò distant specie, cùm rationalis & irrationalis differentia genus ipsum animalis diuidat, & quasi secet in partes, quorum potior quæ ratione pollet hominibus; brutis altera condonata est: cùm autem quæ inferior ordo possidet, ea eminentiùs contineat ordo superior, fit vt rude vulgus, & quod sui proprium est, obtineat, & eis quæ inferiori brutorum naturæ largita sunt, polleat. Quemadmodum eruditis euenit: nam præter id quod illis studium & industria suggessit, quæ vulgò etiam præcognoscuntur, explorate exacteque prænouerunt: vulgus autem ipsum quanquam multifariam partiri possemus, huic nihilominus nomini angustos ad præsens possessionis terminos præfigimus, vt nil vltrà protendatur quam ignorantiæ sæpes concludunt, nec vllo pacto vel sapientium, atque scientium, vel peritorum etiam artificum mechanicis operam nauantium immiscere se audeat, quos omnes ad præsens prudentes appellauerim, cùm duce prudentia, suas quisque prænotiones indaget: ob id puto ab Homero quondam tributum fabro sapientiæ nomen, & ob hanc & altiorem etiam causam Paulum dixisse Apostolum: *quasi sapiens architector fundamentum posui.* Vulgus autem ipsum quanquàm ignorans, quanquàm vbera doctrinæ laboris tædio non pressit aut suxit, hausto tamen naturæ lacte adoleuit, adeò vt quamuis infans prænouerit, tamen & effatus fuerit hyemem in qua frigore vexamur in æquali autumno calcem vrgere hyemi successurum placidum ver, in quo aëris fœcunda tranquillitas, æstatem exacto Vere secuturam, quo tempore æstus molestiam pariat, post quam iterum autumnus. Prænouit item fœminam prolem parituram, quam gestandi vteri grauidam conspicatur. Prænouit quoque futurum, vt famescat vesperi qui manè aut nihil aut minus comederit: euenturum pariter præsagit, vt non multò pòst moriatur, qui iam senio confectus atque decrepitus nonagesimum annum excessit, & si qua similia animaduertit, quorum aut iam manifestas deprehendit causas, ex quibus effectus prodeunt, aut nullam causarum notitiam adeptus, ita nihilominus euenire solere crebris experimentis obseruauit. Ea item seruanda prænouit quæ formica ne pereat, hyemem prænoscẽs operatur, quòd ni fecerit, pereundum sibijpsi prædicit: quare accingit sese ad comparãdam qua ratione potest alimoniam, ad struendas mansiones, quibus ab æstu, glacie, niuibus, & quibuscunque vel hominum, vel bestiarum peregrinis iniurijs muniatur.

Prudentes autem viri præter ipsam naturæ faculam cornea testa conclusam, cuius beneficio non offendit vulgus, maiori etiam lumine pollet: nam ipsam prudentiæ lucernam adhibent qua & longiùs, & exactiùs vident, ea enim procuranda sibi prænoscunt quibus etiam indiget vulgus, & prætereà prospiciunt, prænoscuntque quid suæ arti conueniat, vt benè sibi & familiæ sit: quid ægro si medicus, quid agro si colonus, quid exercitui si militiæ dux, quid populo si ciuitatis aut prouinciæ princeps, quid propriæ demùm arti & facultati, si sapiens & Philosophus fuerit, qui spectatiua parumper disciplina sequestrata, ad practicos actus mouendos conuerterit se, prænoscet non solùm & præscribet quid sibi & familiæ, sed quid ciuitati, quid regioni futurum fiet & profuturum: reliquis prudentibus eò præstantior, quòd maiori lumine collustratus, plura vniuersaliora, remotiora, cùm certiùs, tùm perspi-

tùm perſpicaciùs intuetur, huc prouecta naturalis prænotio benè ſibi actum putat. Sed præſtat huic veri Prophetæ prænotio, prudenti & philoſophica excellentior multò quàm illa vulgari, eò enim præſtabilior quòd ſupra naturam Dei munere largita, & proſpicit exactiùs & nobis quoque ſalubriùs conſulit, & cautiùs præſcribit, & certiùs manifeſtat: namque pedibus noſtris lumen Dei, & lumen ſemitis noſtris, nullus in hac error, nulla deceptio: In naturali verò multa errata contingunt, ſiue ad brutorum & vulgi, ſiue ad prudentum præſenſiones, prænotionésve reſpicias. Nam ſæpenumerò hirundines pœnitent (vt ita dixerim) aduenisse cùm Veris initio vel exuberatiores pluuiæ deciderint, vel venti truculentiores & gelidiores quàm conſueuerint excitentur. Sed neque eadem ſemper temperie omne Ver pollet, nec eodem ardore æſtates omnes excruciant, nec pari algore quæcunque hyemes rigeſcũt: horum cauſa libri quinti decurſu patebit: euenit enim plærumque quod & hac ipſa æſtate contigit, vt Iunio menſe quo exſudare identidem ſolebamus, aliquot diebus alſerimus.

Quare fit quòd tametſi ſtata illa ſint tempora, ſtatæ mutationes, ſtati volucrum illarum aduentus, ex accidenti tamen variatio ſuboriatur. Atqui nec parit ſemper fœmina tumore ventris grauida, cùm vt aborſum mittam, & concluſus ventus, & retenta menſtrua, & inutilis mola pro fœtu & prole ſæpè virum ludificent: Nec item veſperi ſemper fameſcit, qui nõ comederit manè, regio in cauſa poteſt eſſe, poteſt & interior humor, poteſt & virtus ſuperior condonata. Nam in Aegypto duobus vel tribus diebus ab eſu potuque omni abſtinere, nec mirum, nec moleſtum putabatur à monachis. Sunt & noſtris in regionibus, quibus ea in ſtomacho exuberat humiditas, vt nunquàm penè fameſcant, idque in ęgris identidem videri datur, quorum plurimi ob putridorum humorum exundãtiam ſemel etiam vel minimum in die comedere moleſtiſſimum: Fuère qui integros etiam annos ab omnibus eſculentis & potulentis labia coërcuerint. Noſtra tempeſtate Columba Reatina virgo Peruſiæ ſexenni vixit inedia, nil omnino ſubſtantiæ corruptibilis in cibum ſumens, ſola Chriſti communione contenta. Vidi ipſe & per interpretem allocutus ſum fœminam in Auguſta Vindelica morantem, quæ quadriennium (ita publica in regione fama, ita domeſtici teſtabantur) ab omni cibo abſtinuerat. In compendio ſtudij Theologiæ ſcribit Rogerius Baccon, ſuo tempore in Anglia fœminam quandam nil per annos xx. comediſſe, id ille in ſtellas refert (vt ſolet alia) quod certè ridiculum. Cæterùm nec omnes nonagenarij paulò pòſt moriuntur: Vidi ego centennes, & paulò antè obijt non longè qui tertiumdecimum ſupra centeſimum euaſerat, quòd ſi citetur antiquitas nonagenarij vix tum pueritiæ terminos egrediebantur. Nam vt mittam primum hominem qui nongentos & triginta vixit annos, & Mathuſalem qui eò annis nouem & triginta longæuior: Multi etiam poſt diluuium adeò viuaces vt noſtra decrepitas pro iuuenta illis fuiſſet: hinc manifeſta vanitas apud Petrum Aponenſem deprehenditur, ſeu vt ille ſe cognominat Paduanenſem dicere maluerimus: detis hanc loquendi veniam grammatici, detis & rhetores: non enim Patauinitas hæc qualis in facundiſſimo ſcriptore Liuio notata, ſed Paduanenſitas: ita enim hæc à Paduanenſi vt illa à Patauino iuſta analogiæ proportione deducitur: hinc riſus concitatur, hinc dolor, dum & ſuperſtitioſi quidam & ignari apud imperitos adeò coluntur & obſeruantur, vt noceant, & quibuſdam veris epotis multa ſimul falſa deglutiant: hunc patruus libenter redarguit, ego fortaſſe non minus ſi quando ſe facultas obtulerit, taxabo, quanquam iuſtus & integer liber ex eius erroribus ſeorſum colligi poſſet: Is igitur Aponenſis in libro qui ab eo Conciliator inſcribitur, differentia nona tanta blaterat, vt in promptu non ſit, quid imprimis & magis redarguendum, cùm multa ad rem, de qua nunc tractamus, pertineant, adducam propria illius verba quępiam de annis humanæ vitæ: propter ſecundum, inquit, ſciendum quidem quod vt reſonant ſermones legum & Moſaicæ præcipuè natura humana debilitata eſt, ab eo quòd antiquitùs exiſtebat, cuius quidem ſignum eſt, quoniam audiuimus homines à mundi generatione, & citra productos longæuiſſimæ vitæ exiſtentes: Sicut ex Moyſe colligitur Geneſeos libro: Adam enim 930. vixit annis, Mathuſalem verò 969. Noë veò 700. cum Abraham & alijs conſequenter etiam ab illa longæuitate minoratos, velut Moſen, Dauid, & Aaron, cum Leuicis, ſicut per eundem

eundem ibidem apparet dicentem: *non permittam spiritum meum in homine, quia caro est, vltra centum & viginti annos.* Hæc namque est vita naturalis, secundùm etiam Astrologos, tot enim sunt anni Solis maioris. Hæc Petrus ex Apono: in quibus si rectè percipiantur, multa delirat, sed non singula persequenda. Errat quidem dum naturalem vitam illo spacio præfinit: Neq; enim minus naturalis primi temporis vita quàm ea qua post diluuium homines vixerunt, imbecillior fortè, non naturalior, quàm post diluuium fuit. Qua enim philosophia didicit vt centum viginti annorum vita naturalis sit: num ergo & superior & posterior præter naturam? Sed hæc mittamus. Errat item insigniter Diuina verba citans, & insigniùs aberrat in sensu: nam spacium centum & viginti annorum ad vitam pertinere hominum putat, quæ vltrà non portēderetur, falsum id quidē & Sacris literis aduersum, cùm post diluuium multi tercentos etiam annos vixerint, & aliqui quadringentos excesserint: Sed & Isaac qui multa post secula æditus centum & octoginta vixit annos, patrem quinq; annis superans, qui perperam ab Aponēsi cum Mathusalem & Noë computatur: cùm nec Cataclysmi tempore, nec numero annorum conferendus sit: quippe qui eluuione iam multis seculis peracta floruerit. Sed nec Diuina illa sententia: *non permanebit spiritus meus in homine in æternū, quia caro est, eruntq́; dies illius 120. annorum.* eò spectat, vt ex illa scilicet hominum vita 120. annis notaretur in posterum, verùm & indignationis Dei & intercidentis more cataclysmi mentio facta, quasi vitam illius seculi eo tēpore præsignârit, cùm post annos centum atque viginti ruptis omnibus fontibus abyssi magnæ, & apertis cœli cataractis ac dierū quadraginta totidēq; noctuū pluuia demissa altissimos mōtes quindecim cubitis aqua præcelluit: Vnde omne illius seculi animatum genus, his exceptis quæ intra arcam Noë conclusa fuerant, eluuione perierunt. Atqui nec Astrologicū illud dogma etiāsi verum sit, quicquam probat. Si enim annis Solis nostros annos gubernas, cùm ille non solùm maiores, sed & maximos & minores, vt Astrologi volunt, nec tu diffiteris, habeat cur de maximis ita, aut minorib. humanam vitam nō deducis? Multa pręterea falsa ibi comminiscitur, inter quæ illud, quod pertinet etiam ad annos fuisse commentatorem Auerroëm, anno Gratię centesimo quinquagesimo, ita illum in secundum cœli librum innuere. Parum erat Aponensi isti in Theologia, in Philosophia delirasse, ni & in historia quoq; temporū exorbitaret. Commentatorem ex Maomethis Arabis secta fuisse, nemo est ferè qui nesciat: Is aūt Heraclij principis tempore fuit, quo cum etiā conflixit. Heraclius verò post Virginis partum annos circiter 630. principatum adeptus est: quid quod Auerrois filios vidit Romanus Aegydius, beati Thomæ discipulus, qui fortè non ampliùs annis sexaginta præcessit Aponensem: Hic enim 1303. suum Conciliatorem compilabat, Aegydio ducentesimo octuagesimo vel circiter defuncto.

Sed cur moramur in remotis, si Auerrois ipsius commentaria perlegerimus, in eundē librum quem citat, inueniemus vtiq; in enarrationis particula vndecima supra centesimam, semel eum atque iterum meminisse quo tempore scribebat: Nam primò quingentos triginta, deinceps quatuordecim supra quingentos à Maomethis prædicatione annos enumerat: Opposita huic vanitas de Artephio circūfertur, qui se annos mille & vigintiquinq; vixisse dū scriberet, testetur: Quem Rogerius miris tollit pręconijs (vt superiori libro monstrauimus) Idē narrat quingentis annis quempiam vixisse vnctionis cuiusdam beneficio, vt iam minus mirum videri possit Plinij testimonium de eo qui foris oleo, intùs mulso vtens centum annos supergressus fuerit. Sed iam nimis multa ne in vanis scrupulosius redarguendis vani ipsi videamur, redeamus igitur vnde diuertimus: colligentes nullam esse aut brutorum animantium, aut vulgi pręnotionem quæ aliquādo non fallat: Sed neq; prudentū omnes quadrant, cùm omne lumen naturæ prophetico lumini comparatū crepusculum sit, ne noctē dixerimus. Hoc igitur lumen quod à sancto Bonauētura superius appellatur, nūquàm fallit: Fallit exterius quod mechanicæ arti tribuit, fallit inferius quod sensitiuæ cognitioni congruere dicit, fallit interius quòd Philosophiæ coaptat, de sensu notissimum, qui ex accidēti, ex obiecto cōmuni, ex nimia etiā erga propriū & peculiare obiectum distantia fallitur: Sicuti apud Aristotelē claruit de philosophia ipsa compertū: Cùm & ipsimet eius autores sæpè in præcipiendo & sæpiùs in faciendo delirent: Siue liberales artes quæ mixtæ sunt vt visilis musica, & Astrologica, in alijs enim cur p̄noscas, siue Philosophiæ

ſpectatiuæ munera,ſeu moralem etiam attigeris:nam ex viſili linea quandoq; obtuitus fallitur:Nec ſonori numeri ſemper complent aures, nec ſydera ſtatos ad vnguem curſus obſeruant,quando indeprehenſi motus ſunt: Sed & rerũ proprietas immerſa materiæ ſcrutatores ſuos fallit: De morali verò notiſſimum,circumſtantias virtutum difficulter ſeruari:quis enim prudẽs ſemper vtitur prudẽtia? Quę item prudentũ prænotiones & conſilia quandoq; nõ vana?Ingens hęc res volumen expoſceret,ſi vel minimã eorũ, quæ nouimus, portionẽ notare vellem⁹:Sed neq; noſtrę eſt imbecillitatis docere prudentiã,quę Dei donum eſt ab ortu naturæ inſertũ animæ, quanquàm eius abſolutus vſus,aut nunquàm,aut rarò,niſi ſeris ab annis: neq; pariter prudentũ errata colligere inſtituimus,hoc eſt, obſeruare quotiens qui prudentes exiſtimati ſunt, prudentia duce, ſua munera non obiuerint.Sed tantùm vel oſtẽdiſſe,vel innuiſſe omnes humanas pręnotiones nõ ſemper euentis cõuenire,& quantũ eis vti liceat, vel de lõginquo monſtraſſe, quod in alijs diximus, in mechanicis quoq; dictũ pariter intelligi velim.Hę ſeptẽ ab Vgone & alijs numerantur,Lanificium,Armatura,Agricultura,Venatio,Nauigatio,Theatrica,Medicina: Sed ſint plures, ſint pauciores, neq; enim hæc ad præſens neceſſaria aut opportuna diſcuſſio. De agricultura & medicina quid illius decernunt authores,an ſuo cum Hippocrate vniuerſa medicorũ caterua non clamat, experimẽtum fallax,iudiciũ difficile? An cùm de temporib. obſeruandis nitidiſſimus agriculturæ pręceptor Columella,verba facit, monet in diſciplina ruris ſcrupuloſitatem eſſe reijciendã, atq; vt erat in prouerbio: pingui vtendum Minerua: verùm quoniam ſtata eorum pręcepta,ſtatæ regulæ, & ex prudentia, & iugi obſeruatione poſitæ, rarò euenit vt fallant,de quorum pręnotionibus nonnulla quantum ad pręſentem librum ſpectat,diſſeremus:Agricolę primùm & paſtoris,mox nauigatoris ac medici,aliorumq; operariorum attingentes præſagia.

CAP. V.

DE PRAENOTIONIBVS AGRICOLAE

ITaq; ſi ſtatis temporum & cœli regulis prænoſcere predicereq; voluerit, vel agricola,vel nauta, vel paſtor, aut nunquàm decipietur, aut non frequenter. Attingemus plęraque vt idem ferri de reliquis iudicium poſſit. Id potiſſimùm curantes, vt quas illarum artium ſcriptores rerum cauſas prætermiſerunt,vel innuamus ipſi vel ſubſignemus, ne aut diuina aut ſuperſtitioſa huiuſcemodi pręſagia exiſtimentur, quæ ſuum in ipſa natura principium obtinent,quo cognito,& quæ ab ipſo fluunt,dignoſcuntur: Ita experimẽtis ratio adſtipulabitur.Idibus Ianuarijs ventoſam tempeſtatem & incertũ ſtatum expectari ſcribunt,qui de agricolatione pręcipiũt,& pręcipuè Columella libro xij. qui etiam xviij. Calendas Februarias putat tempeſtatẽ incertè xvij.Calendas Africum,interdũ Auſtrũ cum pluuia,ita multas vel tempeſtates vel pluuios dies Ianuarij menſis obſeruandos monebat,nullam afferens rationẽ,cur ea euenirẽt,experimentis duntaxat contentus. Verùm & ratio nobis admodũ ſuffragari videtur, quoniã bruma tũ penè conſumitur, & annus extremo illo rigore depoſito,paulatim incipit tepeſcere, & in vernũ tempus inclinare: Inter finẽ aũt rei cuiuſpiã & exordiũ alterius ſi diuerſę illæ naturę fuerint & inuicẽ alternęq; ſuccedãt,pugna quędã oritur & conflictus contrarijs earũ rerũ virib. inter ſe certantibus. Porrò hyemi ſuccedit Ver,illa frigidę humidęq; naturę eſt,quod ex eis deprehẽditur quę parturit penè ſemper,& parit pluuijs,pruinis,niuibus,ob Solis elongationẽ ab ea parte cœli quæ noſtris capitib. imminet: Veris autẽ natura cùm humida calidaq; & ſit & habeatur, in ea enim tempore iam indito corporib. animantium ex Solis reditu ad noſtrum verticem in propagationem ſobolis vniuerſa concitantur:idcircò euenit vt humor iſte tepentior & viuificus calor gelidę illi humiditati, & humidæ frigiditati aduerſetur, vt vincat, vt obtineat illa contrà ne pellatur, ne ſuperetur reſiſtat naturę ordine ſtatuto,vt inter ſe contraria,ſi proxima fuerint altercentur & bellent: videre id in viridi ligno omnibus datur cui fiat proximus ignis, pellere hic contrariam ſibi frigiditatem humiditatemq; non deſinit, quoad materiam illam ſibi ad inhabitandum præparauerit, contraque humiditas & frigiditas ligni poros quaſi fores occludit, vt excludat hoſtem, qui ſi valentiùs aggrediatur, & vires exacuat, cedunt aduerſarij & iam patet aditus hoſti: hinc illæ quaſi querulæ & gemebundæ voces ardentis ligni,hinc humiditas victa guttatim decidens,quæ,ita dixerim,mœrore con-

re confecta lachrymabunda disperit. Tepor igitur aduentãtis veris cum frigida humiditate confligens tempestates excitat & aëris parit inconstantiam. Venti enim ex cõflictu illo generantur, trahente & euocãte ad se materiam Sole, qui directius iam nostrum aëra ferit, vnde tolluntur vapores, seges nubium, ventorum & pluuiæ.

Sed obstiterit fortasse quispiam non ita esse contendens, vt confligat eo tempore exordium Veris cum fine brumæ, & alias quoq; & eas quidem Astrologicas à Columella innui causas tempestatum & pluuiæ: cum enim quanquàm non in omnibus, in aliquibus tamen mutationibus, aut Occidentis aut Orĩetis cuiuspiam signi cœlestís-ve imaginis mentionem facere, vt Leonis, vt Cancri, Delphini quoque & Fidiculæ non satisfacere: Item rationem allatam particularibus illis mutationibus dierum peculiarium: ex ea enim sequi, vt toties hæ fieri mutationes debeant, quot inter initium & exordium temporum illorum Veris scilicet & hyemis intercidunt dies, opportunè obijcitur. Sed statim diluemus obiecta, interstitium illud Veris & hyemis, non aliunde, quàm ex ipsomet authore desumpsimus: quanquàm non me latet diuersa esse tẽporum initia iuxta diuersa scriptorum dogmata, sicuti & varias annorum mensuras est reperire. Sed & diuersa etiam secula, de quibus Censorinus multa disseruit, veterum colligens opiniones. Monemur autem ab ipso Columella, principium Veris non ita à rustico quemadmodum ab Astronomo obseruandum esse, quoniam, inquit, consumpta bruma iam intepescit annus permittetque clementior dies opera moliri, & postquàm semestrium illud primum tempestatibus annotatis percẽsuit, ad hunc modum subdidit: Itaq; ab Idibus Ianuarij quod habetur tempus inter brumam & aduentum Fauonij, si maior est vineæ vel arbusti modus, quicquid ex autumno putationis supersit, repetendum est: cõfinia igitur notauit vtriusq; temporis, quanquàm nec extremum illius, nec primum omnino istius temporis diẽ subscripsit, exactiùs hoc præcedentis libri de cultu hortorum his versibus declarauit:

Post vbi Riphea torpentia frigora brumæ,
Candidus aprica zephyrus relegauerit aura,
Sydereoq; polo cedet Lyra mersa profundo,
Veris & aduentum nidis cantauit hirundo:

Sanè siue extimum siue citimum finem principiumque & brumæ capias & hyẽmis, conflictum etiam pugnantium qualitatum frigoris & caloris capias necesse est, nullamque omnino diuersitatem aliam inuenies, quàm intentioris remissiorisque pugnæ, siue citò finias hyemem & actutum Ver exordiaris, seu longum hyemi præfigas terminum, & serum etiam Veri præscribas initium. Vanitati autem Astrologicæ tàm fauere nõ potest Columella quàm qui eam magnoperè impugnauerit. Meminit enim eodem libro suæ aduersus Astrologos lucubrationis, qua, inquit, exigebatur id quod improbissimè Chaldæi pollicentur, vt certis quasi terminis, ita diebus statis aëris mutationes respondeant: cùm autem orientium & occidentium imaginum meminit, non ideò dictum affirmemus, vt eas rationabiles causas aëriæ mutationis putauerit, verùm quia eis temporibus mutationes illæ eueniunt. Contigêre etiam imaginem hanc oriri, occidere illam, & sub nostrum finitorem delitescere, quòd si ea significare interdum tempestates, interdum facere velle videatur, si eum ab errore defendere voluerimus, eo modo quo diximus signum, eo modo causam intelligamus: vt non per se causa, non per se signum, sed ex accidenti, & quadam quasi cum præfatione veniæ nuncupetur, quòd simul tamen, quanquam diuersis ex causis conuenit, & ab eadem etiam causa quanquã diuersè proficiscitur: nam Solaris motus causa est, vt diximus, aëriç illius mutationis: neq; etiam ab ea abest causa qua Fidicula occidit, & Delphinus exoritur, si rectè Astrologi Solem ducem astrorum appellatis: si verò eũ refugitis ducem & causam certè motum superiorem, seu octauæ, seu nonç sphęrę & mobilis primi, non effugetis, vnde omnib. motus inuehitur, vnde Sol ad nostrum defertur verticem, vnde pariter Fidicula & Delphin & exoritur, &, vt aiũt Poëtę, in ęquore mergitur: Alioquin falsa cum plęrisq; sensisset, qui cœlum eius rei signum esse posse crediderunt, cuius causa non sit, quam quidem opinionem latè in quinto huius operis libro confutabimus, his de rebus ita decernentes, nihil omnino à patrui doctrinã desciscimus: Nam præter alia cùm de Solis operibus tertio contra Astrologiam libro dissereret, has notauit causas, illudq; immiscuit, admonendum esse lectorem, oporte-

re hanc temporum varietatem, ab his qui rem rusticã & nauticã scribunt, per occasum & ortum stellarum fixarum denotari, vt Arcturi, Vergiliarum, Hyadum, cæterarumq; similiter, non quòd ipsæ sint quarum influxus caueantur, vel expectantur, alioquin nec Astrologi hoc dicerent, qui per se illas præsertim nisi cardines teneant, esse volunt inefficaces. Sed vt magistris illarum artium illiteratis indoctisq; visibile signum sit, quo tẽpus illud dignoscatur, quòd neq; perpetuum simul & conspicuum inuenire melius quàm in emersu occasuq; stellarũ viderentur. Cæterũ & quòd tertiò nobis objiciebatur, facilè tollitur: Nam minimè colligitur propterea quibuslibet diebus mutationes fieri, quia obseruatum sit easdem aliquib. contingere: satis enim nobis fuit rationem reddere eorum quæ fieri experimenta docuerunt.

Cur autem non fiant alia pariter, multa esse possunt in causa: Siquidem & consumpta iam sublata materies ob pluuiam frequentem, & violentior ventus alio nubes abigens, id potest efficere, & multa similia accidere facile est, de varijs materiæ conditionibus identidem perscatentia: Quæ confirmari etiamnum possunt ex ijs quæ ab eodẽ Columella deinceps enarrantur: nã sequenti Februarij mense, Calendis, inquit, Fidis incipit occidere, ventus Eurinus, interdũ Auster cum grandine, tertio nonas Fidis tota & Leo medius occidit, Chorus autem Septentrio, nonnunquã Fauonius. Sanè aliunde non possumus has diuersitates eruere, præterquam ex inferiori materia: Nam Fidis occidens ventum Eurinum parare nequit, & interdum austrinũ cum grãdine. Si enim ex natura imaginis, cur modò Eurum humidum ventum, modò Austrũ etiam siccum & cum eo grandinem frigidæ sicceque naturæ suscitaret, & non semper eundem magis tenorem seruaret, & vbique terrarum: neque enim conuenit, vt ab eadem causa naturali qua talis est & satis patrando operi, diuersa contrariaq; perueniant. Atqui nec grando nisi ex materiæ conditione demittitur, ipse qui paulò ante quintum & trigesimum annum excessi, nunquàm memini aut nostris in oris, aut in vicinijs, Mutinensis, Ferrariensis, Mantuani, Bononiensis, agri, vel Calendis Februarijs, vel toto illo mense vidisse grandinem, sicuti nec post Septembrem sensisse fulmina, vel fulgura conspexisse. Romæ verò dum essem anno ab hinc septimo, tertio Calendas Nouembres non sine suspicione periculi, fulminis crepitum sensi, quo icta est Hadriani moles, & extima pars in Tyberim & subiectos campos deiecta, fit hoc illa in regione calidiori & alia sub cœli inclinatione posita: quod nobis non accidit, quibus nec tàm citò accedens calefacit Sol, nec tàm serò recedens frigori exponit: Quanquàm inter huius anni exordia qui à Christi ortu quintus supra millesimum & quingentesimum voluitur, ipso mense Ianuario prẹter motum terrẹ quo & Bononiæ multa ædificia corruêre, etiam violæ floruêre, Coccyx ẹtiam & Cicadẹ cecinerunt, & hordea & frumẽtã spicas, sed & flores, & gemmas, & folia arbores emisêre, quòd & rustici pariter & vrbani supra quàm dici potest, demirati sunt, quæ quidem nullam Astrologię arrogant fidem, vt suo loco monstrabitur.

Nunc redeamus ad ventos à Sole suscitatos, qui modò nostris, modò alienis capitibus imminens, ex varijs terræ halatibus quos ex sui natura euocat & in sublime tollit, interdum Euros excitat, interdum Fauonios, ob hæc aliquando aqueus humor eũocatus in altum ex conflictu frigoris, qui superiori illa excalfacti aëris tepiditate cõclusus, & ideò inter pugnandum collectis viribus fortior factus coit, & congelatur in grandinem: Ita & Corus & Septentrio & nonnunquàm Fauonius eadem causa Nonis Februis perflant, pro diuersitate scilicet sublatæ materiæ: nam si eisdem in regionibus, quibus pari distantia Sol proximus sit, eisdem etiam statisq; temporibus, modò spirat Fauonius, modò Septentrio furit, ille humidus & calidus, hic siccus & frigidus, non solùm fidiculæ id & Leoni occidentibus, quibus suscitandi ventos potentia non inest, cùm hominum sint inuenta & excogitatæ imagines, quæ si vtique inesset, excitarent potiùs cùm emergunt & oriuntur nostro hemisphærio, quàm cùm sub eodem merguntur & occidunt: non solùm, inquam, fidiculæ id & Leonis imagini, sed nec ipsi Soli per se referri acceptum potest, Soli dico omnium quæ in sublime tolluntur quasi dixerim parenti: Sed terræ potiùs quæ cẹu mater agenti illi diuersos quasi filios parturit & parit pro diuersitate scilicet vaporum qui loco seminalis materiæ duci possunt: Quandoque igitur exhalationes tolluntur frigidæ & siccæ, quandoque humidæ & calidæ. Solem eundem cœli punctum obtinente, hinc fit vt

quo


quo tempore lenis & placidus Fauonius spirare solebat, eodem trux & impetuosus Boreas à septentrionibus irrumpat: hic sterilis Ripheo frigore exiccatus & gelidus, ille humore & calore viuificis apprimè fœcundus, vnde à Græcis Zephyri nomen, quasi vitam afferentis obtinuit. In quo miror Plinium siccissimum eum ventum appellasse cùm ea qualitas per se non pertineat ad vitam, cui ille maximè fauet, vnde Fauonij quoq; nomen accepit, ac vt is qui nobis nil minus cogitantibus inter scribendum excidit versus exprimit:

Qui toto spirat fœcundi tempore Veris.

Quòd si percunctatus fueris cur modò hæc, modò illa in sublimibus, seu si Græcè dixeris, meteoris materia feratur, nil rectè tibi aliud responderi potest, quàm si in variũ materiæ fluxum causa referatur, cui pro mobili sua & affectionib. penè omnifarijs subiecta natura euenit, vt non solùm à supremis illis corporeis causis patiatur, sed à multis & ferè innumeris infra cœlum identidem affecta mutetur. Sole ipso eiusdem non solũ naturæ, sed qualitatis semper manente, nullamq; præter locorum & variorũ cœli cunctorum in sua peregrinatione vicissitudinem patiente, huius calori per lucẽ effuso cuncti indiscriminatim vapores assurgunt, calidi celeriùs ob naturę cognationẽ & conuenientiam, quòd Sympathiæ nomine significari solet à Gręcis: frigidi verò tardiùs & quasi symboli fuerint, repugnãtiùs, ex hac radice percipi potest: qua de causa aliquo in loco tẽpestas excitetur, vigeat in alio trãquillitas, citiùs aliqua in regione strepant tonitrua, citiùs ꝑ terræ faciant fulmina: nã præter illã cuius sæpenumerò meminimus, Solis appropinquationẽ ad punctũ cœli nostro vertici assistens ad perpendiculũ quo vehementiùs ferit, & remotionẽ ab illo quo mitiùs irradiat. Materię quoque dispositio plurimùm in causa est, quę aliquãdo mittendis vaporib. pręparata & idonea, aliquãdo cõtumax & minimè consentiẽs inuenitur, quæ itẽ ob eius particulas variè affectas modò frigidas exhalationes emittit, modò siccas, modò humidas, modò calidas, modò frigidas & siccas, modò humidas & calidas, mixtimq; varias & variè compactas. Vnde etiam obuenit vt quę nũc terræ & aquę particula ad generandũ vaporẽ apta fuerit, paulò pòst inepta reddatur, contraq; ea quę hoc ipso momento inhabilis fuerat, accedentib. secũdis & inferiorib. causis affecta mox habilis dispositaq; reddatur: Vnde hoc die magis quàm illo, illo quàm alio, tonitrua, fulmina, venti, pluuię, & cętera id genus proueniunt; quorũ in meteorologicis Aristotelis libris crebra mẽtio facta est. Ex istis quę quasi trãscursu egimus, solui omnes dubitationes possunt quę de mutationib. aëris & tempestatib. suboriri queũt legenti libros Agricolationũ: exorsi enim sumus à Ianuario, & Februarij quoq; obseruationes villicas attigimus, q̃bus mutationes aëris prænosci atq; portẽdi Columella definit. Ita ad reliquas dissoluendas strata videtur via: nam quòd Calendis Martijs Africus, interdum Auster, cum grandine, pridie Idus Martias Argo nauis exoriatur, Fauonius aut Auster, interdũ Aquila spiret Nonis Aprilis, Fauonius aut Auster cum grandine portendatur, quòd Calendis Maij Septentrionales venti, quòd Calẽdis Iunij & quarto Nonas tẽpestas ventosa & interdũ pluuia significetur, nõ alias naturales causas asciscamus quàm quę suprà narratæ sunt: Quinto itẽ Idib. Iulij tẽpestas, Calẽdis Augusti Ethesiæ, & septimo Idus nebulosus æstus expectentur, & si qua eiusmodi longo decursu ab illo explicata pariter eodem referenda sunt. Obseruãrunt agricolę ea fieri, causam minimè norunt, quia altioris hoc opus indaginis: eam autem physica ratione ipse monstraui, quæ singulis huiuscemodi non difficulter aptari potest.

CAP. VI.

DE PRAENOTIONIBVS PASTORIS & nautæ.



Habent & pastores prænotiones suas, habent & nautæ, nec ab illis ipsis abhorrent quibus vtuntur agricolæ: Crebris enim experimentis didicerunt prognostica tempestatum, quibus illi suis armẽtis & pecoribus: hi & sibi & suis nauigijs consulant. Ac ne quis miretur pastoris pręnotiones distinxisse me ab agricolarum præsagijs, aduertat diuersas iure prænotiones illis competere, quanquàm in aliquibus etiam communicent, cùm diuersæ eorum artes sint, diuer-

sa officia,& plerunq; contraria. Columella quem suprà citauimus non inficiatur contrarium esse pastoris propositum,& agricolæ,nec sine ratione,prudentes quosdam agricolas pecoris abnuisse curam. Hæ ipsæ artes ab initio generis humani cùm solæ essent, duoque tantùm homines nati fuissent, vt Sacræ literæ docent, vnam alter, alius alteram coluit: *Abel enim ouium pastor erat, Cayn autem agricola*, quanquàm hîc altiùs lateat mysterium de quo minimè hoc loco differendum. Pastores itaque cum agricolis & nautis in prænotione hoc pacto conueniunt,quòd omnes pariter obseruant tẽpestates,& ventos,& pluuias,quanquam diuersè,hi ventos,illi frequentiùs pluuias timent,atque horum alter ventos magis metuit, alter pluuias sæpiùs exoptat,vicissimque vota aliquando commutant. Igitur de pastoris & nautæ prænotionibus nonnulla disputemus: Lunam illi obseruant frequenter,ex qua cientur tempestates & venti,pro diuerso eius ad Solem habitu,& configurationibus varijs quibus magis & minus terrena patiuntur, lumine illo magis minúsve subiectam materiam afficiente. Vnde alia ratio plenæ, alia silentis, alia cornicularis, alia nouacularis, alia diuiduæ. De hac obseruatione agricolationis etiam scriptores præceperunt, præsertim Varro & Plinius,quanquàm ille pauca,neque hic plurima,qui etiam tantum abfuit vt superstitioni Astrologorum hac in parte faueret, vt aliquo in loco naturæ indicta persona clamauerit: Cur sydera quæris rustice? Iam te breuiore somno fessum premunt noctes: Ecce tibi inter herbas tuas spargo peculiares stellas. Et iterũ: Dedi ecce tibi herbas horarum indices,& vt ne sic quidem tuos oculos à terra reuoces,helitropium,ac lupinum circumaguntur cum Sole, cur etiam nunc altiùs spectas ipsumq; cœlũ scrutaris,habes ante pedes tuos ecce Vergilias, in certis eæ diebus proueniunt durantq; fœdere syderis huiusce.

Verùm tota ferè Varronis & Plinij lunaris obseruatio paucis constat, vt decrescente scilicet Luna frumenta metantur,cedantur ligna,tondantur oues, & capilli,verres, iuuenci,hœdi,arietes emasculentur. Noua Luna supponantur oua,calcentur musta cum Luna sub terra,seminaria cùm supra est, fiant, & si qua similia: horum autem omnium sicuti & tempestatum,& ventorum quæ in Lunam referuntur, causa est luminis eius multitudo, & paucitas. Ea enim natura caloris vt cùm debilis est, humiditatem non moueat aut trahat, cùm adauctis viribus fortior factus fluere faciat,eoq; potentiùs,quò ille potentior,quanquam fieri potest,vt tantum inualescat vt eam quam fluere faciebat humiditatem, penitùs consumat, quò fit vt tum exiccet nõ humectet. Lunę verò calor vtpote valde tenuis haud vnquam exsiccat,humefacit potiùs,sed diuersè,quò enim plus habet luminis,plus efficit humiditatis: nam ex multitudine luminis multitudo profluit caloris: Igitur postquã Luna plena fuerit donec semiplena est,humectat magis,minus verò,imò quodammodò desiccat, cùm ea quæ ex illa deriuabatur, cesset humiditas,dum proxima fit ad Solis cõgressum,quippe quę tum lumine ea ex parte qua nos spectat destituatur. Quare rectè Luna decrescente prænosse potuerunt & nautæ,& pastores,& agricolæ,quæ ceduntur ligna duratura esse, tum enim ædificandis nauibus,struendis casis, fabrefaciendis armentorum stabulis,materia paratur quæ humiditatis copia, ob deminutionem Lunaris syderis destituuntur defenduntur que,ob id magis à carie,cuius mater & alumna est humiditas putredinẽ passa. Prænouerunt item pastores si Luna lumine destituta oues totonderint fore vt citiùs lanam promant, cùm illa adoleuerit, si eadem silente frumenta metantur & calcentur musta,prænouit agricola conseruari ea & perennare diutiùs: eadem in omnibus ratio, quanquam ab illis minimè cognita, sed experimentis comperta, minus enim tineę & blattę quę de humore scaturiunt, infestant grana cùm sicciora suis in cellarijs congesta fuerint: & musta innocentiùs à marcore seruantur. Sicciora verò sunt, quemadmodum suprà significauimus, si Luna decrescente metantur calcenturq;: Siquidem cùm Luna (& quę in granis vigebat) decrescit humiditas corruptioni obnoxia & vuaceus humor excrementitius redigitur ad temperiem. Humiditatis item efluxus quia castrandis animalibus timetur, ideò qui idipsum efficere cupiunt, siccam Lunã expectant, & siccum etiam per se anni tempus, quare in autumno sicciori alijs temporib. castrari vitulos iussit Hesiodus. Sationẽ autẽ plantationemq; prosperè fieri presagiũt, si adolescentis Lunę tẽpus expectetur, tùm enim semina atq; radices largiore humore fœta velociùs adolescũt. Crescente igitur Luna humidi fit accessio, decrescente imminutio.

Verùm

Verùm nec lumen eius solùm, sed & motus quoque ad augmentum & decrementum operatur; quo circa dum à Solari congressu discedit, donec media illuminetur, plus humiditatis & caloris demittit in terras, quàm cùm tantundem luminis possidẽs ad congressum tendit: Illic enim lumẽ augescit, hic deficit: Illud verò fortassis hoc loco examinare oporteret, quod ab Aristotele in libris de Animalium generatione dicitur, tempora videlicet decrescentis mensis humidiora & frigidiora esse, quę vtique res non congruere modò, sed aduersari eis quæ suprà diximus, apertè cognoscitur, ni dubitationem hanc & verè & doctè, Ioannes patruus in tertio libro aduersus Astrologiam cum alijs plurimis dissoluisset: docens duplicem esse humiditatem, aliam quę vitę magis conueniat, cuius suprà mentionem fecimus: alteram quæ ab elementis sit, viuidam illam magis succulentiorem atq; fœcundiorem haberi: Hanc verò aqueam insalutarem excrementitiam illam cum Luna crescente pariter crescere, vel quæ scilicet in corporibus præerat facta fluidior, vel viuifica magis beneficio Lunaris caloris. Sic apud Aristotelem ex Lunaribus incrementis echinnos & id genus animalia pleniora fieri, & vberiore lumine fœta vitaliùs incalescere, meliùs concoquere, atque inde succulentiora euadere. Hanc autem excrementitiam humiditatem crescere, decrescente Luna, humiditatem, inquam, ab elemẽtis prouenientem inferioribus, quibus Luna minus resistat, & debilitata calore, & sub Finitorẽ maxima noctis parte demersa. Hinc eodem Aristotele auctore fluere menstrua pleniùs propinquante nouilunio, eodemq; tempore tolli vapores multos ad pluuias effundẽdas, quibus fieri vt & crescente Luna, & decrescente aliæ atque aliæ fluant humiditates, crescente bonæ & viuidæ, decrescente autem excrementitiæ. Ex ijs quæ diximus reddi etiam causa potest ventorum & imbrium, quæ de Lunæ aspectibus cùm Sole prænoscunt atque pronunciant. Cùm enim silet, expectantur vel venti, vel pluuiæ, frequenter. Nota ratio est: Insolescit enim & tumultuatur fluxa illa & excremẽtitia humiditas cùm ad Solis congressum Luna propinquat: nam eius lumine premebatur dirigebaturque, atq; (vt ita dixerim) perficiebatur. Siquidem apud Aristotelem Luna principium est, quasi alter Sol quamuis minor, & ad omnes generationes perfectionesque conducit: qua de re Hippocrates quoq; in libro de Octimestri partu scripsit, eam cùm plena lumine esset, conceptibus vtilem haberi, & in mare & in fœmina fœcunditatem iuuare: almum igitur sua natura Lunæ lumen vitale, fœcundum non frigorificum (vt rudes Astrologi fabulantur) sed cùm tristiori humiditati Luna non resistit ruptis illa quasi frenis exorbitat, & quanquàm ventorum ac pluuiæ & tempestatum Sol causa est, non ob id sua tollitur Lunæ proprietas, vt suo minus officio defungatur: Nam vt Aristoteles docuit, ambo sunt principia frigoris atque caloris, facit enim Sol per totum annum hyemem & ęstatem, idipsum facit Luna per mensem, non autem eodem modo Solis accessu ęstas fit recessu hyems, cùm inter Cancrum semper & Capricornum obliquo circulo feratur. A`Luna verò increscente luce fit æstas, & decrescente hyems. Dum enim illa cum Sole congrediens lumine spoliatur, hyemẽ dicitur afferre & frigefacere, ob id quod à nocturna frigiditate minus tuetur nos quàm cum lumine plena radios suos eiaculatur in terras. Suscitantur & post plenilunium venti, vt scribit Proclus, causa in Lunam referri potest, adiecta nihilominus conditione materiæ: nam tanta luminis intentio cum re aliqua potest conuenire iusta portione, quæ cùm alia non conueniet modo, sed & aduersabitur. Sic variæ obseruationes de Luna natæ, & cùm literarum monumentis, tùm memoria frequentissimè repositæ, tametsi in nouilunio & plenilunio plurimùm tempestates excitentur: nam altero tempore excessu, altero defectu luminis fit, quare in vtroq; prudenter nauigationibus abstinent. In solem quoque suspecti nautici dies plurimi referuntur, vt Februarij vj. xij. xv. xvij. xix. xx. Martij j. vij. xv. xvij. xix. & xxv. Aprilis v. vj. vij. xij. xx. Aiunt enim his diebus magnas æquoris mutationes suscitari, vel ad tranquillitatem, vel ad tempestatem, quarè si in luminis Lunæ portionem, cuius mox recordati sumus, referre nolumus, referamus in Solem à quo secundùm sui ad nos accessus recessusq; momenta & maris, & corporum omnium dispositio mutatur: aliam trahamus causam ex aqua cùm non sit ab re suas habere posse periodos Oceanum, quib. moueatur, quemadmodum nostri corporis humores habent.

Sunt & alia tempestatum præsagia quibus rustici, pastores, nautæ diuinare vul-

gò videantur, eruditis autem coniectari, dicta enim vt Fabius Quintilianus ait: Coniectura à coniectu, id est, directione quadam rationis ad veritatem earum partem cõgessit Plinius, partem tractabimus & rationem causæ, quam perinde nõ explicuit, subsignabimus, vt eodem pacto examinari cætera faciliùs queant. Tempestates itaque quo nomine grandines, procellæ & alia similia intelliguntur, multis prænoscunt modis rustici, nautæ, pastores, si, orientem Solem pallidum aspexerint, hybernam pronunciant grandinem, ratio in promptu est, palliditas illa ex multitudine terrestrium halatuum euenit, quoniam in sublime tracti regionem illam orientalem & altiorem occupauerunt. Vnde & Sol exoriens vaporibus circumfusus apparet, palliditas verò crudæ & minus concoctæ materiæ habetur, indicium hoc est, frigorificæ, nec salubriter humidæ, quare vbi Solis radijs in sublime lata coaluerit, & vnà coierit, constipataque fuerit, nulla iniuria tùm hyberna grando ijsdem scilicet qualitatibus conflata prænunciatur: concauus oriens prædicit pluuias, inquit Plinius, item ventos, cùm ante exorientem eum nubes rubescunt, quòd si & nigræ rubentibus interuenerint & pluuias, ratio præstò est ex eadem natura petita. Harum enim rerum causa ex eisdem halatibus conijcitur, ob densitatem enim humorum concauitas illa, humorum, inquam, exhalantium, qui magis ad orientalem partem trahuntur, cùm ea cœli pars dignior & potentior habeatur, qui verò vel crudi nimis & repugnantes, magis præ sua etiam multitudine fuerint, vi tenuis caloris & trahi non poterunt, & potentem illam vim & calorificam magis insequentur. Hinc etiam gemmæ & aromata, & animalia quæ validiorem calorem exigunt, vt generentur, vt viuant, ad Orientem & Austrum producuntur. Ex humorum igitur densitate ibi cõglobata id euenit: nam cùm à Sole supra Finitorem delato ea impellitur, cedit & fluit in pluuiam: venti verò ex rubore nubis prænunciantur, cùm ea de quibus generantur venti materia minimè spissa & aquea, quemadmodum quæ pluuias parit & grandines: aëria igitur magis & rarior, ideò faciliùs ad sublimem illam puri ætheris regionem appropiat: quapropter & concolor euadit quadam quasi participatione naturæ, hinc rubor nubis ex qua ventorũ turbines identidem perflant: At si alterius nubis nigrior accesserit, etiam pluuiæ, ratione iam posita, hinc puto, ni fallor, omnium reddi ratio potest præsagiorum, ab Oriẽte Sole tempestatum, & ex colore pallido, rubro item, & nigro, & ex vtrisque dimidiato.

Aduersa his signa tranquillitatis indicia haberi possunt ratione contraria: nam ex Oriente puro minimeque feruente diei serenitas prænoscitur, & si circa Occidẽtem rubescunt nubes, futurę diei serenitatem pollicentur, quòd si Sol circulo cingetur in exortu, ventum prædicunt, ea ex parte qua se orbis ille diuidit: Ego circulum ventorũ fore præsagium puto ex ijs clarum esse quæ diximus, ea autem ex parte qua se aperit, id nullum præsagium existimo, cùm verius tùm perflare cœperit quàm flaturus expectetur: Portio enim illa circuli minor quæ iam disperijt, indicat materiam illam fuisse resolutam in ventos, tametsi fortè non ita vehementes, vt à nobis præsentiantur, cùm vel remotiores sint, vel omnino altiores, quàm vt auribus percipi possint: verùm hæc de Sole satis sunto. Lunæ deinceps aliquot præsagia colligamus, si ea cùm fuerit quarta & puro nitore exoriens fulserit, serenitas designatur, si rubicunda venti, si nigra pluuiæ portenduntur, eadem quæ in Sole ratio ex terrenis halatibus erui potest: qui cùm à Sole euocantur, non depelluntur à Luna, in eius autem quasi nouilunio excitantur magis lumine, scilicet, minus potente, quàm vt à sua eos facie pellant, vel alio ipsi diffugiant, aut dissoluantur, & euanescant: cur verò nigror pluuię, rubor ventorum indiciũ sit, iam explicauimus: quòd item in quinta obtusis cornibus pluuiam erectis & infestis ventos minetur, de vaporum conditione prouenire putamus: obtundi namque videntur cornua ex impurioribus halatibus & grossioribus qui faciliùs vertuntur in pluuiam, erigi verò & turbinari ex tenuioribus & purioribus arbitramur, qui aëream scilicet magis naturam sapiunt, atque vt difflentur & dispergantur aptiores multò sunt: cur verò hoc magis quinta quàm quarta aut sexta moliatur, in materiæ portionem, vt suprà ostendimus, referendum est. Cæterùm quod eius ex cornu septentrionali acuminato & in mucronem porrecto rigidum illum ventum præsagiant, ex inferiori austrum coniectentur, non aliunde profluit: ea enim ex parte perflant qua sublati tractique sunt: quare ex septentrionali Boreas, ex inferiori

riori Auster expectandus: Mucrone verò & acumine porrectum se cornu illud ostentat, quoniam frigidior illa natura & durior in acutum desinit, vnde fastigiata turbinataque grando & glacies Aquilonis alumna. Ex ijs alia quæ de Luna præsagiuntur soluere in promptu est, quoniam de colore, iam de figura, de luminis portione docuimus: Ita de orbe vel vno vel pluribus quemadmodum suprà de Solis circulo statuendum: fallor nisi certæ regulæ traditæ sunt, quibus duci causæ queant omnium quæ de Sole & Luna petuntur, singula non persequimur, tùm quia minimè nos vrget necessitas, occupatiores alijs in rebus, tùm quòd ex ijs quasi vniuersalibus quibusdam positis strata videtur & expedita via ad enarranda reliqua, quæ si minutatius explicare voluissemus, plures libri hoc ipso implendo negocio satis non essent. Mittimus & reliquarum stellarum præsagia, & terrenorum ignium, quorum plurima ex eis quæ docuimus, liquere possunt, pars leuior est quàm vt nostram exigat curam. Præterimus quoque multa, & quadrupedium, & auium, & piscium, prognostica, cùm eorum non difficulter erui possit ratio per ea quæ secundo & tertio huius libri capite disseruimus. Admonendum autem Lectorem volumus certam quod & innuimus supra prænotionem ex ijs non semper capi, & in rebus superioribus illis à contagio & peregrina iniuria sepositis cùm multa frustretur materiæ contumacia, non apta semper vel ad euocantes Solis radios surgere, vel postquàm surrexerint, aut cedere pellentibus illis, aut euanescere dissoluentibus, tùm multa cœli astrorumque Sator à se peti quandoque vult, quæ alioquin ministræ naturæ demandârit. Scribit beatus Ambrosius in libro Hexameron: cùm ante aliquot dies fuisset sermo de pluuia quæ fore vtilis diceretur, expectatam illam de Nouilunio nullum tamen imbrem, nisi ad preces Ecclesiæ demissum, vt nouerimus non de initijs Lunę eum esse sperandum, sed de misericordia clementiaq; Saluatoris. Hic enim quanquam posuerit sydera in signa & dies & annos, non tamen, vt Augustinus ait, Astrologos taxans in signa quæ obseruare vanitatis est, sed qualia nautæ & huiusmodi artifices obseruant, nec incerta adeò signa apud hosce quin eius prouidentiæ nutu cùm voluerint, frustrentur.

CAP. VII.

DE PRAENOTIONIBVS MEDICORVM.



POssunt & Medici ex obseruatione luminarium de futuris ægritudinibus citra superstitionem nonnulla prænosse, possunt & ex quatuor anni statis temporibus præsagire, possunt & ex corporum affectionibus vel sanitatis vel ægritudinis euentum præsignare, quicquid vltrà porrigitur naturæ metam egressum, superstitionis tangit confinia: cùm enim aëris nos ambientis condictio plurimùm demutetur, ex accessu ad nos Solaris corporis & recessu, ex incremento & imminutione luminis in Luna, qua parte nos afficit, fit vt ex illis cōiectentur multa & operentur, hinc incidendas venas pręcipiunt, crescente Luna, quibus temporibus viuida magis virtus & succulentior corporis habitus, vetant cucurbitulas ne quia trahunt illę ebullientib. & expansis per initia mensis humoribus plus fortè quàm oporteat, euocaretur materia, non id in incisione periculum cùm non ea trahantur, sed expellantur humores: ita fit vt nostri corporis humiditates modò fluāt, modò refluant, modò exiccentur & constipentur, modò diffundantur atq; lasciuiant, variè, scilicet, affectis humorib. ob intermedium aëra, quem cœlesti illo lumine & calore cōstat afflari non particulari Lunę influentia, veluti frigidæ qualitatis auctrici, vt Astrologi somniant, contra quos quinto nobis libro disputandum, quos non solùm Ioannis patrui rationes, non Aristotelis auctoritas, non alia plæraq; refellunt, sed ipse quoque Alexander in Solutionum libro displodit, afferens Lunam calidam quidem ex se, sed quodammodo ex accidēti variare naturam pro diuersis ad Solem schematismis: diuersa igitur luminis intentione diuersè aër afficitur, qui cùm sępenumerò & amittatur sanitas & amissa recuperetur: Ideò prudenter quoque à medicis inter sex illas pręter humanum corpus considerandas causas, aër ipse reponitur, quatuor quoque anni tempora ob eas qualitates quę in singulis eorum quasi in proprio regno ius dicunt, plurimùm spectant, vel ad sanitatem vel ægritudinem in communi denunciandam. Namque ex humiditate atque calore temperatis, quibus præcipuè qualitatibus vi-

bus viget. Ver eius temporis ſanitas indicatur, eas enim potiſſimùm exigit vita quæ humido calidoque ſeruatur, atque illis ſuam quaſi ſedem poſuit: Autumnus contrà plurimùm inſaluber oppugnantes illis qualitates: nam ſiccitas atque frigiditas quibus pollet aduerſę dubio procul ſunt vitali humido atq; calori: Aeſtas verò & Hyems, hæc humida & frigida, illa ſicca & calida, alteram vtraque obtinet qualitatem noxiam, ſalubrem alteram: quare ambæ pòſt habentur Veri in ſanitate prænuncianda, & prævalent Autumno, quanquam frigus Hyemis & Aeſtiua ſiccitas autumnalibus qualitatibus intentiores habeantur.

Sed enim proprias quæque morborum ſignificationes habet: prædici enim poteſt Verno tempori craſſaturam vitiliginem, quæ ſcilicet ſumma cutis petat ob humores ea parte anni redundantes: Aeſtate mentagram quæ de ſicciore & acutiore materia proueniat: Autumno lepram inuaſuram, quæ de atra bile ſcaturit: Hyeme lentigines quæ de frigidioribus humidioribusque ſuperfluitatibus prodeunt: prædici hæc, inquam, poſſunt, ſed non quibuſlibet recipi corporibus, ſed malè affectis & ad peregrinas ſuſcipiendas iniurias idoneis, ita & alia plæraque de temporum qualitatibus, deque Solis & Lunæ vel inter ſe, vel ad nos ſchematiſmis vel configurationibus præſagiuntur, non aliter tamen quam affecto ab iſtiuſmodi cauſis aëre ipſo, quo vallamur, & identidem velimus nolimus afficimur: Sic plura tùm Arabum, tùm Græcorum medicorum communia prognoſtica in huiuſmodi cauſas iure meritoque referuntur. Sic & apud Ariſtotelem in Problematis nonnulla viſuntur, de corporeis quoque condictionibus, multa vel vitæ, vel mortis languentis ſigna ducuntur: Sed vel omnia vel plurima in hoc conueniunt, vt quæ in decumbente ægro condictiones viderint, quibus dehoneſtari cadauera conſpicuum ſit, ea futuræ mortis indicia prænoſcant, contrà quæ ſani corporis honeſtamenta ſint, in ægro deprehenderint, ſalutis præſenſiones putent. Ita apud Hippocratem in Prognoſticis particulis, apud Cornelium Celſum in ſecundo de Medicina libro legere datur atque colligere. Ex Græcis vnum, ex Latinis alterum præcellentiſſimos ambos elegimus: Græcos verò Arabum turba maximè ſequitur: aliqua hoc capite ſignabimus, & vitæ, & mortis, & ægritudinum ſigna, & quorum cauſas neſcimus ab alijs explicatas, eorum nos rationem afferre curabimus vt in cęteris iter ſternatur, tametſi Hippocratis prognoſtica Galenus expoſuerit, ſed ante Galenum Cornelius, qui quanquàm ſequutus Hippocratem, nonnulla etiam vel à ſe vel ex alijs congeſſit.

Hippocrates igitur præcognituro prædicturoque medico præcipit ſcrutandam ægri faciem, concaui oculi, frigidæ aures atque contractæ, arida frons, color viridis, plumbeus, niger, & ſi qua eiuſmodi cadaueris ſigna deprehenſa fuerint, mortis vicinia denunciauerint, ni præſertim aut ventris ſolutiones, aut vigiliæ, aut ieiunia præceſſerint: ita ex corporis quoque poſitione plurima trahit præſagia non aliunde manantia quàm de cadaueris ſimilitudine: contraque bonam ſalutis promittit ſpem ex colore, ex poſitu corporis, alijſque condictionibus nonnullis, quæ ſanis conueniant, nec ſolùm mortis & ſalutis in ægris prognoſtica: Verùm & inſtantis infirmitatis ſigna nonnulla memoriæ prodita ſunt, quibus conijci poſſit indicium futuræ aduerſæ valetudinis. Signa, inquam, non modò ægrotantibus proxima, vt ſi grauiora ſint membra, ſi calor pręter conſuetudinem intētior, ſi grauior ſomnus, ſi tumultuoſa ſomnia: Sed ſi aliter quoque ſe corpus habuit quàm conſueuit, neque in peius tantùm, ſed etiam in melius, id Cornelius Celſus inter prima valetudinis aduerſa ſigna conſtituit. Namq; ſi plenior quiſpiam & ſpacioſior & coloratior factus fuerit, is ſuſpecta habere bona ſua debet, cauſam eleganter ſubſignat, quę inquit, quia neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque vltrà progredi poſſunt, ferè retrò quaſi ruina quadam reuoluuntur: quanquàm peius eſſe ſignum affirmat vbi aliquis contra conſuetudinem emarcuit & colorem decoremque amiſit, quoniam in his quę ſuperant, eſt, ait, quod morbus demat, in his quæ deſunt, non eſt quod ipſum morbum ferat: Alia ſubinfert prognoſtica, quorum alioquin cauſam nec innuit quidem, nos veſtigabimus: Quale inter alia ſi animus marcet, ſi loqui & moueri piget, ſi ſaliua plenum eſt os, ſi genua quaſi fatigata ſunt. Primùm enim vt nobis quidem videtur de putridis humoribus prodit, qui aduerſę valetudinis initia ſunt, eorum item multitudo corruptioni obnoxia, loquendi mouendiq; difficultatem affert, multitudo ſaliuæ ſtipās ora: fluentem nimio plus humorem

morem designat & aqueam illius naturam subindicat destillantem magis & ad comprimendos corporeorum spirituũ meatus præcipitem, fatigata genua & totius lassitudo corporis, quod signum etiam ab Hippocrate notatur in Aphorismis, de humoribus eiuscemodi originem trahere possunt, qui loca iam petierunt ima, & interiuncturas quoddam quasi dissidium posuêre, fluentibus illis nimio plus, & neruorum compagem debilitatibus. Sunt & suæ singulis morbis notæ, quibus & timor, & spes cõijci iure optimo possit: Sed medicinam nullo pacto docere hoc libro instituimus, monstrare tantùm voluimus prænotiones naturales medicis conuenire, easq; de luminarium calore, & de aëre ab illis affecto diuersè quidem & præcipuè secũdùm variationem quatuor anni temporum erui posse, deq; ægroti condictionibus peti, tùm in vniuersum ad vitam & mortem si decubuerint, tùm ad ægritudinem si sospites fuerint, tùm demùm ex singulis morbis singula pręsagiri commodè posse.

CAP. VIII.

DE PROMISCVIS PRAENOTIONIBVS naturalibus.

RErum illud quoq; dignum consideratione, non modò artem quamlibet suas prænotiones habere, verùm misceri illas inter se adeò vt ex frequenti vsu & crebris admodum experimentis quisque sibi promiscuè & indiscriminatim aliquas vsurpet, & modò cum medicis, modò cum pastoribus, modò cũ fabris, modò cum lanarijs, modò cum militibus in prænoscendo communicet. Apud antiquos de Sole Lunaq; præsagia passim trahi solebant. Vnde & Dominus Iesus apud Matthæum Saducæis & Pharisæis exprobrat tanquàm ex vaticinio Prophetarum sui aduentus signa non deprehenderint: Nihilominus futurę serenitatis & tempestatis indicia de cœlo coniectarentur, *facto*, inquit, *vespere dicitis serenum erit, rubicundum est cælum: & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.* Idem apud Lucam turbas reprehendit, quia tempus eius non probauerant & cognouerant, *sicuti ex nube oriente ab occasu venturum nimbum, & austro perflante futurum æstum deprehendebant:* hæc de his quæ ad pastoralem & rusticam spectant, quæ omnibus penè communia: sed & quotumquemque reperies qui ex bellorum vsu non pręnouerit Martium thoraca, militaremque galeam minus cessuram hostilibus ictibus, & aduersum impetus duraturam, quæ tametsi tenuior & leuior sit, nobiliori tamen temperatura polluerit: Quis etiam non veteranus miles, sed fartor & lixa in exercitu nutritus, ex flexu hastarum dùm confligere acies occipiunt, non prænouit stare victoriam ea ex parte, qua constantes cernit hastas: & fugam imminere, & cædem quibus nutabunda pila tremulis in manibus conspicatur, effœminatum animum indicant, collidentes se eiusdem aciei lanceæ, vel minorem omnino disciplinam quàm vt conflicturis conueniat. Atqui multi & ferè omnes passim quanquàm non medici, putridam fębrem mox inuasuram prænoscunt, si rigescunt extrema corporis membra, si subtrahitur & quasi submergitur pulsus, non deest illis experimentum à quibus alioquin causæ notio longissimè abest, quæ pertinet ad eruditos. Petunt enim corporei spiritus cor, quasi arcem propugnaturi, in qua thesaurus vitæ repositus, illis verò vtitur anima veluti ministris in obeundis vitæ muneribus, qui quàm primùm eò contenderint extrema corporis, à quibus migrauerunt, ipsi rigescunt, illuc stipati à noxijs vaporibus quod de superantijs malè affectis exhalant, præcordia tuentur: nec discernunt, quoad virtus facta potentior, igneam illam qualitatem ex putridis humoribus effumantem omnino restinguat. Quiuis item è medio prænouit perennare magis vestem ex ea intextam lana quæ de Britanniæ insula vehitur, quàm quæ de Transpadanis velleribus conficietur: propterea Gallica lana (ita enim eam appellant) in omnium est labijs qui vestes emunt, causam tenent plerique, ignorant multi, longior & integrior est Britannica, ideoq; textrinis fracturis minus obnoxia, & nodis quoq; absolutior est, quapropter maiore vi opus est vt pannus dissuatur.


Mirandulani venatores nostri pestilentiam ouium prænoscunt, & earum pastoribus prædicunt vitiato leporum iecinore inspecto: & ne credas Aruspicinam edoctos, procul hoc illis ab omni superstitione: nã pręter id quod experientia cõprobat, natu-

naturalis etiam ratio consentit, namque ex ijsdem herbis & lepores & oues nostro in agro vescuntur, quæ aut ex grandine & alijs etiam causis noxiæ infici quandoque solent: Venatum igitur euntes dum capti lépores reportãtur domum, ablatis intestinis purulentum iecur cõspicati de morituris ouibus ferunt prognostica, quę paulò pòst comprobat euentus: Siquidem quæ in leporibus tabefacta humiditas nondum occidit oues præoccupat non sua sponte degentes: Vnde & quæ minus firmæ & saniei putredinique generandæ aptiores cateruatim appetunt. Sunt & præter hæc multifaria prognostica quæ inter confinia naturalis superstitiosæque pręnotionis locari queunt: Nam ex affectione nimia & amore in aliquem, vel futura nobis promittuntur bona vel sæpè formidantur mala & inter suspiria crebra prædicuntur: Hinc puto apud Statium scriptum de Achillis matre:

—nec vana parentum Auguria expauit vitreo sub gurgite remos: quanquam enim Thetidos fabula est, non ab re tamen vt vir alioquin doctus huiuscemodi prænotionem subindicare voluerit: potest in his occultus instinctus naturæ fortasse non nihil, potest & impensiùs ludificare nos spiritalis dæmonum improbitas: Ita de moribus hominum ex facie & reliquis corporum lineamentis prædicere superstitio est, non solùm Sacris literis interdicta, sed ab Satyro etiam taxata, vnde illud:

—frontemq; manumq;, Præbebit vati: nonnihil etiam naturalis causæ latitare potest, quam ab Aristotele cognitam credamus eo in libro qui physiognomia inscribitur, si tamen legitimum titulum putauerimus: à natura enim non abhorret vt affectionibus corporum quædam animorum affectiones consentiant, vt si in corpore aliquo, exempli gratia, bilis rubra & sanguis præ alijs humoribus dominata fuerit, ad hilaritatem hic magnopere propensus euadat, at cum hilaritate plurimùm abutuntur homines ad luxus, & commessationes & res venereas, factum est vt pronũciatum sit, qui tali temperatura fuerit ad quam tales oculi, tales crines consequuntur, venereis incumbant, cùm nihil minus tamen ad oppositam virtutem eadem possit temperatura inclinari, id est, ad laudes cœlestes, ad iubilium de diuina contemplatione trahendum: Sed de ijs tùm latiùs cùm aduersus Astrologiam quinto libro, & aduersus Chiromantes libro sexto disputabimus. Idem Aristoteles ex Platonis ingenij præcellentia conijcit, nullum ei persimilem futurum, vnde in Elegijs ad Eudemum cecinit:

Nulla ferẽt talem secla futura virum. Tot igitur de naturali prænotione in vniuersum, deq; multifarijs illius speciebus, & affectionibus, & de exemplis, pariter quę pauca pro multis attulimus dixisse sat fuit. Nunc danda opera est, vt vniuersam superstitionum cateruam eliminemus.



DE SVPERSTITIOSA PRÆNOTIONE IN VNIVERSVM, ET PRAECIPVÈ ADVERSVS DIVINATIONES OB APERTA fœdera Dæmonum,

LIBER IIII.

CAP. I.

QVIS ORDO DEINCEPS SERVANDVS, ITEM quid Superstitio sit.



OSTQVÀM igitur de prænotione in vniuersum primo libro disseruimus, eamq; in suas constituimus species: Et secundo de diuina: tertio de naturali quantum Deus nobis & studium contulit disputauimus: Sequens est vt de superstitiosa curiosaque disputemus, quo & promissa & ordo seruẽtur: Demùm quo pacto internosci diuina à naturali, hæque à superstitiosa & curiosa queant, pro viribus ostendendũ est: Quarto itaque libro quem sumus exorsi, & tribus qui deinceps de superstitiosa præno-

prænotione tractabitur. Si enim superstitio omnis dæmonem habet auctorem, varieq; dæmonibus se ob futurorum habendam notionem homines mancipent, aperto, occulto, & quod ex ipsis conflatur extremis, medio modo. De aperto priùs, mox de reliquis agendum: de curioso postea genere, & de regulis dignoscendi propositum exequemur. In huius autem libris exordijs de ipsa superstitione, non nihil discutiendũ, qua & aperto, & occulto, & medio diximus modo, aberrantes homines, abuti. Licet autẽ primo in libro de ea complura dicta sint, ita postulãte & propè exigente materia, tùm cùm illam ipsam à religione secreuimus, pendereq; à prænotione falsa, superstitionem docuimus: sicuti vera & vnica religio, à vera atque diuina prænotione pendebat, ac tùm cùm prænotionis ipsius genera subalterna distinximus, eorumq; species insinuauimus, nihilominus locus hic efflagitat, vt quid sit superstitio, & quot eius species habeantur, exactè magis atque ex proposito declaremus, de quibus postea singillatim disputandum. Superstitionem igitur vitium dicimus oppositum religioni, nec naturæ quæ religioni famulatur consentaneum. Religio ipsa cùm moralis virtus & sit & habeatur, oppositis clauditur vitijs, quorum alterum excessu, alterum defectu damnatur: quemadmodum latè ab Aristotele in Ethicis ad Nicomachum videri potest: cùm de virtutibus ipsis quas vitia circumstant & quasi sepiunt, mentionem habet, docens habitus eas esse consentaneæ rationi, delectos & collocatos in medio vitiorum. Religioni igitur & id vitium quod irreligiositas appellatum est & superstitio, hinc inde adiacent, vt enim illa sua impietate freta nil colit, ita hæc impendio vel id colit cui non debetur cultus, vel si id quod colere conuenit, veneratione prosequitur, à debito tamen & præstituto abstinet, modo alio qui non conuenit subrogato. Fit igitur vt Dei cultum exhibeat superstitio, aut ei cui minimè debetur, aut alio scilicet modo quàm oporteret, vt colligere possimus vitium eam esse religioni aduersum excessuq; damnatum.

CAP. II.

DE SPECIEBVS SVPERSTITIONIS.



EIus species vitij habentur plurimæ, quas & recensere, & quantum ad sumptum pertinet negocium, refellere operæprecium est. Ex obiecto duo in primis trahi atq; constitui possunt: Subalterna genera, quæ alias sub se cõtinent species, aut enim vero Deo exhibetur cultus, modo tamen præpostero atque damnato, qui variari plurifariam potest modis ipsis indebitis atq; peruersis mutatis, vt ipsa quæ Dei veneratione digna non est creatura colitur. Et hic quidem in multas findi partes potest: Si diuini cultus ordinem & fines considerauerimus, quos superstitio ipsa peruertit: Itaq; si reuerentiam debitam Deo atq; exhibendam spectabimus, ad quam primò diuinus instituitur cultus, ex aduerso exurgere & oriri cernemus idololatriam, quæ creaturæ eum tribuit cultum qui debetur Deo: si Dei erga homines consilium, instructio, doctrina, perspicietur (æquum enim vt ab eo qui colitur Deo hæc expectentur) diuinatrix fallaciæ & prænotio superstitiosa prodibit, quæ in multa scindetur. Hinc enim diuinatio falsa prophetia, diuinatrix Astrologia, auguria, milleq; insaniæ: De quibus & latiùs & peculiariùs in progressu agendum, quòd si humanorum actuum directio desiderabitur, fluens ab eius Dei qui colitur institutis, tùm superstitio quæ præpostero incedit gradu, obseruationes vanas malasq; adinuenit, vt ligaturas, verbaq; rebus quibusdam adnexa, ignotos characteres, incantamenta noxia, & quæcunque ad prophanam damnatamque pertinent Magiam, quæ mirabilia dæmonum ductu opera pollicetur. In veri igitur Dei cultu pernitiosum habetur quid, cùm per ipsum exteriorem cultum falsi quidpiam significatur, quod bifariam contingere potest, & ratione rei significatæ, cui signum minimè respondet, veluti cùm futurum ostenderetur quod factum est, in quo perfidi Iudæi pernitiosè delirant, & ratione quoque illius qui colit & instituta diuina peruertit: Falsi enim crimine plectendus esset, qui signum quo suos vti princeps ministros voluit, alio subrogato peruerteret, & alienum aut aduersum pro vero atque legitimo promulgaret. Vnde nec immeritò cuidam placuit superstitionem tum esse cùm humanæ traditioni nomen religionis inderetur. Superfluus item alia ex parte habetur cultus ipse, non

quidem consideratione absolutæ quantitatis, cùm quicquam tàm magni facere queat nemo, quod minus eo non sit quod debet illi qui se fecit atque constituit. Sed proportionis perpensione euenit, quoniam id omne est superfluum quod fini suo non quadrat, & iusta proportione respondet, alio vergens labore casso, nec ad finẽ ipsum recta semita conducens: hoc nomine damnari potest, quicquid frustrà sumitur laboris in Deo colendo: frustra autem id contigit, cùm id quod agitur vel ad ipsam Dei non pertinet gloriam, vel ad erudiendam non spectat mentem voluntatemque inflammandam, quo magis in eundem ipsum cultu interiori perferatur, vel id affectibus prauis frenandis domandisque non prodest, vel probatæ per vniuersam Ecclesiam consuetudini refragatur. Ex secundo genere cultus qui creaturæ impeditur, tres diximus oriri species: Idololatriam, superstitiosam prænotionem, vanas noxiasque obseruationes. De prima aliquid in præsentia dicendum, quandoquidem ex ea superstitiosa prænotio quodammodo fluxisse videtur, quæ peculiariter cum omnibus suis partibus, speciebúsve singulatim, & præsenti, & sequentibus libris confutanda. Eius enim eliminandæ gratia de superstitione eiusque speciebus differere cœpimus, vt ipsa sola superstitiosa prenotio diligentiùs atque commodiùs refutaretur, dein obseruationes vanæ, prophanaque magia explodetur, quæ non secus à superstitiosa prenotione quàm hæc ab idololatria pendere putatum est, quàm mox cõfutaturi sumus: Prius tamen de superstitionis speciebus particularius adhuc, sed ex Ioannis Pici patrui institutione differemus.

CAP. III.

DE SPECIEBVS SVPERSTITIONIS EX institutione Ioannis Pici.



Solebat Ioannes Picus patruus noster superstitionis diuisiones afferre alias, quàm ij quos imitati sumus inuexerint, illud superstitiosum esse decernens, quod neq; humanum esset neq; diuinum: naturam excipio inferiorem, cuius quodammodò finis homo est, ex hoc fieri vt superstitiosa omnis ars iure contemneretur, irrideturq; à philosophis tanquàm irrationalis blasphemaretur, & interdiceretur à Theologis veluti dæmonica. Meritò igitur relinquenda, cui Diuina omnia humanaq; reclamarent, quam confutaret ratio, damnaret experientia, punirent leges, diuina prohiberet auctoritas. Demùm illud subinde nectebat, quemadmodum scientia omnis bona vel à Deo, vel à ratione: Ita ab illis superstitiosa degenerans, vel à dæmone, vel ab irrationali phantasia deriuaretur: Iustaq; hæc sibi proportione respondere. Siquidem irrationalis phantasia in minori mundo proxima natura est rationi, sed minimè illi obediens: sic Deo proximam esse angelicam, dæmonis naturam quæ contumax est & suapte sponte rebellauit. Vnde illi & sectatrici turbæ ab Ariopagita Dionysio phãtasia irrationalis tributa est: Differre autem docebat superstitiones, cùm à diuinis, tùm inter se, siue rem factam seu faciendi modum spectaremus: quod attinet ad rem ipsam ab humanis dirimi, quoniam multa promitteret, multa procuraret, quæ vis aut studium hominum præstare nõ posset: A diuinis autẽ quod illæ bona, hæc mala & nequissima moliretur, quòd verè spectat admodum eo ab vtrisq; differre, quòd vi dæmonica & phantastica operaretur. Inter se verò separari superstitiones ac diuidi instar humanę doctrinæ quam scilicet perperam æmularentur, & ad eas analogia quadam & proportione scanderent: Notoria ars, ars Bulaphiæ, ars Artephij logicæ responderent: Diuinatio, Theoricæ, Practicæ, Magia illa scilicet mirabilibus patrandis dedita. Cæterùm ex quo futurorum contingentium cognitio soli Deo per se competeret superstitionis proprium esset illam polliceri.

Diuinationis autẽ partes ex rebus in quibus exercebatur, colligebat, si cœlo abuteretur, Astrologia prodibat, si elementis Pyromantia, Geomantia, Aëromantia, Hydromantia: Si animalibus, Auguria, Auspicia, & similia: Si hominibus, Necromantia, & sternutamentorum, & omnium ludibria: Si dæmonibus, Phialæ, Nugamenta Vnguium, Circi, & id genus noxia deliramenta, quæ nos quoq; in operis progressu confutabimus: quoniam ille aduersus superstitiones pauca admodum schedis commisefat, præterquam aduersus Astrologiam duodecim libros, quos post eius obitum publicaui-

blicauimus. Quapropter volumini huic meo de rerum prȩnotione, parũ æmolumenti ex illius operibus poterit accedere, præterquàm in libro quinto qui de disputationibus eius aduersus Astrologiã penè conflabitur: Hæc autẽ paucula notare hoc loco placuit: sicut & in septimo libro nonulla verba recensebuntur, vt eius mens aduersus omnes superstitiones percipi queat, & quã flagrãti animo subuertere illas animo destinauerat, quòd apertiùs etiã patefiet si cõcesserit Omnipotẽs, vt imposita cùm huic tamen quibusdam voluminibus alijs meis postrema manu, demùm quæ imperfecta ille reliquit opera, possimus absoluere, videbit opinor ætas nostra, vnde miretur, vnde sibi plurima commoda capiat, quod paulò pòst futurum spero. Primò enim sua emisi, deinde quæ mea sunt, postremò quæ communia vtrisq;, hoc est, quæ sua inuenta & adiutamentis quibusdam nostris & quadam ceu paraphrasi complexa sunt, edentur. Hoc genere Psalmorum commentaria & alia complura, quorum in libellis meis de studio diuinæ & humanæ philosophiæ mentionem feci, sed iam aduersus idololatriam, vt ordo libri postulat, & promisimus disputandum.

CAP. IIII.

ADVERSVS IDOLOLATRIAM.


Dololatriam igitur qui vocabuli proprietatẽ & compositionem aduerterent seruitutẽ idolorum, hoc est, simulachrorum, spectrorũ, similitudinum significare putarent, & quidem Apostolo consentaneè, dicenti *idololatria quæ est idolorum seruitus*: hãc cœlo, stellis, dæmonibus, hominibus tribuebant. Sicuti enim verus Deus sensibilibus quibusdam signis, sacrificijs, laudibus, colebatur: facta ipsius cultus translatione ad creaturas, eas postea figuris quibusdã & imaginibus, quas vocârunt idola, præsentabant, quibus superstitiosus huiusmodi cultus exhibebatur. Quapropter cultus creatori debitus, datus creaturæ, & eius adorãdæ, prophana noxiaq; institutio, vno idololatriæ nomine rectè nũcupata est, variè tamẽ atq; diuersè eiusmodi peruersus atq; damnatus cultus inductus est: namq; alij simulachra constituebant arte nepharia quibus inesse nõnihil diuinitatis putârunt, aliquibus effectibus commoti, quos malignus se dęmon insinuans excitabat: quos enim pellicere non potuit dæmon ad impietatem, vt Diagoram, Prothagoram, Epicurum, alios impulerat ad superstitionem, eos & ad idololatriam maximè nocentiorem, eius partem speciémve compulit, & figmenta colenda suggessit: nec vno modo, namq; thure & frugum primitijs non contentum, & hostias poposcit & victimas: nec brutorum solùm, sed aliquando hominũ, quòd fecêre olim Carthaginẽses & ipsi Athenienses, aliquando Lacedæmonij, itẽ Rhodij, Romani atq; alij: nec plebi solùm idolorum persuasit cultum malignus Sathan, sed & ipsum Ter maximũ Hermetem in hunc errorem pepulit. Alij non ipsis imaginibus, sed eis quorum erant imagines creaturis, cultum exhibebant, atq; hi trifariã inter se diuidebãtur: alij namq; homines ipsos, quorũ idola venerabãtur, Deos putabãt: Sic Iupiter, sic Saturnus, sic Mercurius, sic alij Dij crediti sunt: fuêre hi reges, qui vel potentia, vel ingenio, vel doctrina, & artiũ inuentione inter rudes populos excelluêre, quo factum, vt siue ob admirationẽ virtutis, siue ob adulationẽ, siue ob susceptа beneficia coli cœperint, & defunctis eis erigi simulachra: Putârunt eos alij in cœlũ conscendisse, & cognomines stellas eorũ animas haberi, Iouem, Saturnum, Mercuriũ, Solem, qui & Apollo dictus, & Lunam quæ Diana appellata: alij eas venerati, ob splendorem eximium & cursum. Vnde Græci Theos nomen à θεῖν deduxêre, vt apud Platonem in Cratylo conspicuum, & ab αἰθεῖν quoque deriuari: Hinc apud nos Dei nomen fluxit, quanquàm nonnulli ἀπὸ τοῦ δέους Græcè, quod Romanè timor dicitur, Latinum Dei nomen tractum velint. Sed & dæmones quoq; ipsi nõ quia sapientes, sed quòd dimænin, hoc est, terrere solent, appellatos, probat Eusebius: eorũ autem Planetarum nomina dæmonibus aptata multis inuenimus. Vnde in dialogo suo Seuerus author non inelegans, Iouem & Mercuriũ dæmones Martino visos prodit, & hũc illi magnoperè fuisse infestũ tradidit. Sic & Mercurius homo, & stella Mercurius, & dæmon Mercurius, quibus omnibus diuinũ cultũ perperam tribuerunt: alij mundo, cuius animã Deum opinabantur esse, & omnibus eius partibus venerationem exhibendã putauêre, in hoc & Græcorũ aliqui & Latinus Varro peccârunt: alij verò quemadmodũ in Platonicorũ monumẽtis liquidò

videri datur, & apud veteres Theologos, & ipsum Augustinũ in libro de Ciuitate Dei aduersus multas eiusmodi insanias disputantẽ, quem postea & diuus Thomas & alij posteriorum Theologorũ secuti sunt, autumabant Deo summo cultũ deberi, postea secundis dijs, & deinceps cœlestium corporum animis: inter se autem non omnino hac de re & sacrificijs Platonici consensêre: variè itaq; & nephariè idolis præbebatur diuinitas ab hominibus, qui alia putârunt ad Physicam theologiam, alia ad fabularẽ, ad ciuilẽ alia pertinere: Sed omnia veriùs ad damnatam spectant superstitionem, quæ aliquando etiam à Cicerone in libris de Natura deorum concinnè detecta est.

Hanc idololatriam in authore non satis certũ referri posse opinio est: sunt qui putent à Caini exilio eam quasi de longinquo ortum duxisse, alij à Prometheo, alij ab Ismaële cœpisse affirmant, alij à Nembroth Gigante, alij à Nino Beli filio Assyriorum rege traxisse primordia putauerunt: quando hic patris imaginem, ille ignem non solùm coluerit, sed adorare compulerit alios: Referunt alij cultum idolorum in Syrophanem Aegyptium qui ob filij mortem doloris leuandi gratia defuncti simulachrũ constituerit: Alij dixêre deorũ statuas à Thelechinis primò fabricatas: alij alia finxisse perhibentur & plures pro deis coluisse. Iustinus philosophus & martyr in libro Gentium admonitorio, Orpheum πολυθεότης, magistrum vocat, quem fortè ita nuncupauit quòd Thracas ipsos cærimonias colendorũ deorum edocuerit. Athenagoras Atheniensis philosophus in eruditissima illa oratione ad Marcum Aurelium Antoninum, & Aureliũ Commodum Cæsares, dum Christianorũ legatione fungeretur, ita de Orpheo & dijs Gentium inter alia dicit, quæ nos quoquo modo vertimus in Latinum: Orpheus autem nomina ipsorum primus inuenit, & generationes enarrauit, & de ijs quæ ab vnoquoq; acta sunt differuit, qui à Gentibus creditur veram Theologiã tradidisse, quemq; Homerus eis in rebus quæ maximè pertinẽt ad deos, secutus est: quamobrem & Iustini philosophi & martyris, & Athenagoræ eiusdem philosophi pariter & Christiani, cuius etiã insigne extat opusculum de Resurrectione mortuorum, cõuenire sententiæ videntur deorum plurimum cultum ab Orpheo monumentis traditũ: quòd si ita est, non mirandum si etiam, auctore Ouidio in Metamorphosi, ille Thracum populis primus fuit auctor amorem in teneros transferre mares. Audiui olim à probatissimo & in literis præcellenti viro, vitia illa se plurimùm sequi & impia cõiunctione fouere, vt vitium contra fidem veram vnius Dei, vitio illi quod naturæ aduersatur fœdo glutine copuletur: cuius rationem perquirenti mihi & mecum reputanti occurrit primùm Apostoli auctoritas ad Romanos scribẽtis, id enim ab eo clarissimè videtur expressum: Nam postquàm idololatriæ crimen detestatus est, subdit eos, *qui inquinati illo fuerant in passiones ignominiæ traditos, ita vt fœmina in fœminas & masculi in masculos turpitudinem operarentur.* Occurrit & ratio vt scilicet ordine naturæ perperã inuerso Dei colendi ordo dissipetur, contraq; hoc effracto ad naturam demoliẽdam præceps sit & facillimus lapsus. Nec Adriani Cæsaris exemplum longè abest, quando fœdo est Antinoi captus amore, ob idque mortuo illi & diuini honores designati, & cognomina vrbs parata compositis etiam & ementitis oraculis, vt Spartianus, vt ex nostris Athanasius, Aurelius Prudentius, Eusebius, alij prodiderunt. Sed & in ipso Lunæ circulo ementita sedes excogitata, vt scribit Tatianus aduersus Gentes, & innuit Prudentius, quando ait illum cœlesti sede locatum. Sed quid non idololatræ, non vani Astrologi fingere potuerunt, quando inter monstra plurima quibus cœlum mendaciter referserunt, & Adriadnæ coronam, sed & Berenicis crines Ptolemæi sororis & coniugis, Conon Mathematicus adulando confinxit, deinde Callimachus, & post eum Catullus, & Hyginius fabulando retulerunt, atq; Cæsaris quoq; thronum, auctore Plinio, inter sydera collocârunt.

Redeuntes igitur ad idololatriæ originem, dicimus Iustinum ipsum, quanquã pluralitatis deorum magistrum vocet Orpheum, non eundem tamen primum asseuerasse, quin in primos homines idololatriã ille in vniuersum retulisse videtur, eodẽ in libro pro admonẽdis Gentibus edito, eodẽ, inquam, quẽ suprà citauimus, quemq; in nostrã è Græca lingua conuertimus, cuius & Eusebius in historia, & Beatus Hieronymus in libro de Viris illustribus honorificè meminerunt, piget mirũ in modũ tot præclarissimorum auctorũ libros dispersos & penè euanidos, quos antiqui Theologi nostri familiares habuerũt. Gaudeo quòd nonnullos etiã qui minus olim noti fuerunt, inuene-

inuenerim, quos & hîc & alibi quandoq; citaui, nec quærere desinam ingenti illorum præconij amore perculsus ingentibusque virtutibus excitatus; in illis enim tùm eloquentia, tùm eruditio, sed coruscantis ardor fidei & Christi amor, pro quo nonnulli eorum libentiùs fuderunt sanguinem quàm atramentales literas papyro crediderũt. Sed ad idololatriam abijciendam reuertamur, ad quam moti homines sunt progressu temporis, partim ex veri Dei ignoratione & contemptu, partim amore prauo & vehementiori, ad reges, ad parentes, ad filios, quorum venerabantur imagines, & temerè ob susceptа beneficia inter Deos reponebant, cùm in verũ Deum à quo omne bonum fluxit semper & fluet, eadẽ accepta minimè retulissent: quanquàm eorum multi faciendum esse id non ignorassent: partim etiam quòd rudibus populis de peritia diligentiaq; artificum in expoliendis lignis atq; lapidibus, tùm admiratio erga fabrefacta exornataq; simulachra, tùm veneratio simul oborta est. Sed hæc omnia iuuit consumauitq; malitia dæmonũ, qui eos quos amauerant, pro dijs colendos suggerebant, vt in Antinoo suprà narratum Hadriani seruo, vt in ipso etiam Hadriano qui non solùm Antinoo Lucio Ceionio Plotino defunctis vrbem, statuas, templa, basilicam, sed sibi etiam viuenti, tùm aram in Europa, tùm in Asia templa dedicauit, ac eo vsq; profecta est Romana superbia, vt in vsum veniret Imperatorum etiam scelestorum consecratio, & inter Deos publica translatio, quod apud Historiographorum plerosque conuenit: Hinc etiam post elatum funus è rogi cacumine, sicuti narrat Herodianus, qui execrandam illam consecrationem monumentis retulit, mittebatur aquila quæ sacrilegam superstitionem apud vulgus confirmaret, ea verò templa frequentabant, postea maligni dæmones & se in idolis colendos exhibebãt, Deos mentientes, & responsa de futuris pollicentes, sanitatesq; ac miranda plæraq; hominibus ineruditis opera ostentantes: hinc & succubi & incubi dæmones; quod nec Theologi nostri negant, præsertim Augustinus & Thomas, vt hinc facilè quispiam suspicari posset, tot olim deorum filios creditos, tot nympharum dearumq; & hominum concubitu nuncupatos heroas, non fabulis tantùm fictos, sed dæmonum vel succuborum vel incuborum opera factos fuisse, quanquàm vt ipsi rectè decernunt Theologi, non dæmonum ipsi, sed hominum filij fuerint, quorum semine abusi essent maligni ipsi dæmones in viris vel fœminis libidine decipiendis, dij tamẽ illi vel deæ credebantur à Gentibus cœlestes, terrestres: sed & maritimi, & fluuiatiles, & montani: Hinc Panes, hinc Syluani illi, hinc Acheloi, Cyrenes, Thethis, Napeæ, Dryades, Oreades, & si quã eiusmodi nomine poëtis Gentilibus celebrata & emẽtiti numinis maiestate donata: quæ sibi dæmones imponi gestiebant, vt pro dijs colerentur: vt hinc etiam rectè Psalmographum cecinisse cognoscamus: *Omnes dij Gentium dæmonia*, quos toto opere priùs Moses fuerat persecutus, imò per Mosen Deus, vetans Hebræo populo peculiariter delecto cultum illis omnino exhiberi: & Apostolus Paulus, vt est apud Lucam in actis Apostolorum: cùm Athenis expectaret incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem, qua de re illos redarguens inquit: *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosos vos video:* ad superstitionem quidem spectat vitium idoli colendi, teste Augustino secundo de doctrina Christiana libro cùm scripsit: Superstitiosum esse quicquid institutum ab hominibus est ad faciẽda & colenda idola; vel pertinens ad colendum tanquàm Deum creaturam, partémve vllam creaturæ, vel ad consultationes, & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita, atq; fœderata, ad qđ genus ligaturas pertinere decernit, de quibus nobis in sequentibus pertractandũ.

Quàm autem non solùm diuinis eloquijs eorumq; interpretibus aduersetur idolorum cultus, sed & rationi quoque ipsi, facilè ostendi potest, cùm nullo pacto rationi sensuique communi conueniat, vt id præbendum seruo sit, quod soli & summo debetur principi Deo, cui omnis creatura serua subiectaque est: At, inquient, consentaneum esse vt superiores excellentioresque veneremur, excellere autem & præstare hominibus separatas illas mentes & orbium siue animas, siue motores, quin & dæmones ipsos, quos nunc etiam plurimos (proh pudor) consuluisse compertum est: sed falluntur cùm ob id non sequatur, vt idem illis qui Deo debeatur cultus, cui eximia, & supra quam dici potest ab alijs exaltata veneratio debetur. Nonnihil vtiq; putassent, si vti nos credimus, sensissent, qui sanctos angelos & beatas animas vti Deo propinquiores honoramus, optamusq; ab eis & petimus, vt Deum ipsum o-

 mnium

mnium principem & dominum nobis concilient, sed nihil omnino dixerunt; & damnabilius sensêre, cùm prauos dæmones pro bonis angelis coluerint, & in hoc antiquorum etiam philosophorum plærique peccauerunt: qui, vt inquit Augustinus, eadem sacra cum populis recipiebant, & de suorum deorum natura ac summo bono diuersas contrariasque sententias in scholis personabant. Quid? Quòd Seneca ipse sanctissimis moribus inter Stoicos creditus apertè aberrauit inquiens: Adorabimus vt & meminerimus eiusmodi cultum magis ad morem quàm ad rem pertinere. Exterior enim cultus cùm interioris signum & sit & habeatur, nõ secus damnandus est, si interiori non quadrat & conuenit. Ac ille iure meritoq; culpandus esset qui exteriora verba, quæ signa sunt verborum conceptuúmve animi aduersa opposităq; proferret eis, quæ in animo gereret, qui literas quoq; eorum verborum indices aduerso more quàm suscipi soleant, delinearet, eisq; vel animi sui conceptionem, vel ordinarium verborum sonum ritè concipi opinaretur, quòd si fortè contenderint, sacra ipsa & cultum ad summum illum, qui præesse alijs opinabantur, Deum fuisse referenda, facilè reuincentur: namque vt mittam, quòd vulgus eorum hac de re ignarum fuit, illud sanè in aperto est, in cæremonijs illis multa peracta honesta minus quàm vt mediocribus hominibus exhiberentur, nedum aut bonis spiritibus, aut Deo & spirituum & corporum principi agebant in templis & sacris quæ in lupanaribus agi dedecus etiam inquinatis hominibus putaretur, adeò spurca, adeò obscœna, eorum sacra & cerimoniæ. Mitto viuentium hominum hostias & cædes à dijs pro sacrificijs petitas, & à Gentibus pro falsa religione concessas: Prætereo in theatris decantata suorum deorum, adulteria, cædes, bella, lites: Prætereo vsurpatas sibi de futuris prædictiones, responsionesque, in quibus multos fallebant, multa proferebant ambigua, vt ab infamia se falsi vendicarent: Multa apertè mentiebantur, multa suadebant mala de quibus antiqui & Græci & Latini Theologi, & ex posterioribus aliqui satis abundeque disseruerunt, & orbis olim insanias ostenderunt, à quibus Christi virtute & suę legis beneficio mundus resipiuit. Prætereo sectas varias dæmonum, elementorum, hominum colendorum inter se varias atque pugnantes, propterea aduersus eas nihil vltrà à nobis agendum.

Reliquæ igitur superstitionis tractandæ, confutandæq; species, & in primis superstitiosa prænotio, cuius eliminandæ gratia de indebito vnius Dei cultu, deque idololatria & alijs ipsius superstitionis speciebus egimus, dein magicas obseruationes debellare nitemur, quæ ab ipsa plurimùm superstitiosa prænotione dependent, sicuti ipsa ex idololatria aut initium aut incrementum traxit. Nec incongruum videtur si dixerimus de idololatria superstitiosam prænotionem posse quoquo modo pendere, deque prænotione superstitiosa idololatriam, seque ipsas alternè mutuoque fouere, tametsi primo libro de falsa duntaxat prænotione superstitionem dependere affirmauerimus, cuius idololatria species est. Sanè de superstitiosa quoq; prænotione dæmonum, idololatriam hoc pacto fluxisse considerare poterimus, vt illi quo pacto maluerint coli, hominibus significauerint mendacissima impostura, de qua in sequẽtibus disseremus. De idololatria quoq; fluxit superstitiosa prænotio, vbi enim in templis, in antris, in simulachris, sedem quasi & regiam sibi praui dæmones delegerunt, dementes & ignaros homines multifariam deludebant atque fallebant superstitiosa prænotione, quæ & ipsius superstitionis & prænotionis species est, & alias quidem multas sub se cõtinet: de quibus agendum priusquam ad vltimam superstitionis speciem, quæ in obseruationibus magicis consistit, explodendam descendamus.

CAP. V.

DE SPECIEBVS PRAENOTIONIS SVperstitiosæ.



Lia igitur superstitionis species, de qua peculiariter agendum à nobis, quanquam vt commodiùs absolutiusq; confutaremus, multa de superstitione in vniuersum, alijsq; eius partibus (proximè diximus) in multas scinditur species partésve, quæ tàm hoc ipso quàm sequenti libro refellẽtur: postea quæ ab his pendet obseruatio magica eliminabitur: & expresso & sup-

& ſuppreſſo cum dæmonibus pacto, & quòd de ipſis conſtituitur, extremis, medio, ſuperſtitioſa deriuari prænotio poteſt. Expreſſum pactũ Auguſtinus intellexit, quod cum dæmone ineunt apertè Necromantes & huiuſmodi cæteri familiaritate dæmonum delectati: occultum verò atque ſuppreſſum cùm ſe ingerit dæmon ſuperſtitioſis hominum prænotionibus, quanquàm hoc ipſi non aduertant & norint. Medium verò nos dicimus quod de vtroq; conflatur & coaleſcit, de quo ſeptimo huius operis libro tractabitur, cùm de ſuperſtitioſa Magia diſputationem habebimus, quæ partim ad expreſſum, partim ad ſuppreſſum pertinet fœdus, ſed nec illi hoc peculiare. Multa enim ſunt quæ ad alterutrum pertinent, & à nobis quandoque ſub alterutro, quandoque fortaſſe ſub altero numerabuntur reijcienturque. Cùm extrema cognoſcentur, facilè quod ex ipſis conflatur medium ſeſe inſinuabit. Itaque ſi Deo dæmones conſuluntur, reſpondeantque palàm & apertè vel inuocati, vel minimè citati, ſed ſuapte malitia aſſiſtentes, pacto id expreſſo eueniſſe dicetur, & falſa hinc prophetia proſiliet & diuinatio magna ex parte: nam de ſuppreſſo etiam pacto ipſa diuinatio depẽdet, quòd fiet manifeſtum cùm de illius ſpeciebus agetur. Falſa prophetia diuidi in tres partes poteſt, de triplici eorum obiecto pendentes: aut enim quæ reuelant hominibus, ipſi dæmones ſuapte ea ſponte & natura cognoſcunt, aut ex reuelatione ſuperiorum dæmonum, aut ex bonis ſpiritibus erudiuntur: quare alia erit ſpecies quæ à natura petita, alia quæ à bonis angelis inſinuata, alia à ſuperioribus immiſſa dæmonibus, vt ſequenti capite declarabitur. Diuinatio verò quæ à Perſis allata creditur apud Gentes, olim variè deſumpta eſt atque à multis probata. Nos autem diuinationem cùm dicimus, rem ſtatim prophanam noxiamque intelligimus. Siquidem & Beatus quoque Hieronymus Micheam prophetam interpretans decernit diuinationem non niſi in malam partem accipi debere, vniuerſamque eam ex operatione dæmonum vel occulta vel manifeſta prouenire decernit: huius ſpecies recenſebuntur repellenturq; omnes adeò, vt vel ſingulatim confutatas agnoſci poterit, vel ſi qua numerum cenſuramq; latenter effugerit, oculos fortaſſe non manum latuiſſe comprehendetur, quandoquidem aut occluſæ erunt in illis quę palàm reiectę fuerint, aut ſub aliarum nominibus appellationibusque repulſæ. Communicant enim ſæpenumerò ſibi viciſſim nomina ſuperſtitiones huiuſmodi. Sed nec vna etiam contentæ plures quandoque ſibi appellationes vſurpant: Hanc Gentes in multa partiebantur genera, nec inter ſe omnino conſensêre: Noſtri diſtinxêre aliter, vt in huius operis progreſſu manifeſtabitur. De prophetia igitur ſequenti capite, mox de diuinatione diſſeramus, atq; inter diſputandum quæ inter ſe conueniant, quæ differant, oſtendemus.

CAP. VI.

DE FALSA PROPHETIA ET EIVS SPECIEBVS.



Nter ſuperſtitioſas prænotionis ſpecies quæ ab expreſſo cum dæmonibus pacto defluunt, falſam prophetiam poſuimus, quàm diximus trifariam poſſe diuidi, cùm dæmones ipſi, aut quæ reuelãt norunt, ipſi per inditas ſpecies, aut à ſuperioribus diſcunt dæmonibus, aut à bonis erudiũtur ſpiritibus. Sic & falſi poſſunt prophetæ diuidi: aut enim ipſi quãdoq; à bonis erudiuntur ſpiritibus, aut à malis, qui vel ea quæ falsò prophetæ reuelãt, à bonis ipſi hauſerunt: & id bifariam, aut enim duntaxat manifeſtant quæ ſpiritali eorum naturæ ſunt cognita, aut quæ à ſuperioribus edocti ſunt. Primi generis Balaã habitus eſt, cui Dominus dicitur fuiſſe locutus, vt ſacro ſcribitur libro Numerorũ, quanquàm propheta eſſet dæmonum & ariolus: quòd nomen quanquam alij aliâs interpretantur, Eccleſiaſtica tamen decreta putant ab eo deductũ, quòd nepharias circa aras idolorũ preces emittebant. Pari pacto de Sibyllis diceretur, quorum ex libris tametſi ad varias quandoque impellerentur inſanias, Romani vt apud alios plæroſq;, tùm apud Zoſimum viſitur, cui multa citantur carmina Gentilium ſuperſtitione plena. Plurima tamen Chriſti myſteria præcinebãtur, quandoq; dęmonicę ignota naturæ, eius verò Sibyllæ, vel Erythreæ, vel Cumeæ, opus heroicis ſcriptum verſibus, ita mundum erat idololatriæ ſcelere, ita Chriſti præconia declarabat: vt viſum Auguſtino ſit eã ad Ciuitatem Dei pertinere, dum eius decimum octauum librũ perſcriberet. Varia tamẽ varij

sensêre, vt procedente opere patefiet. Varietatis causam attulisse putauerim eorum quandoq; in vnum congesta volumina, vtcunq; fuerit, quæ ad gratiæ mystica spectabant: Eruditos etiam adeò aliquos ex Gentilitate iuniores Theologi fatentur, tametsi alijs in rebus eosdem dæmon fallere potuisset, vt narrat Henricus ex Hassia, quæ tamē fœminis id muneris præ maribus datum arbitratur: quòd infirma mūdi eligere Deus consueuerit, qua de re philosophos supernam veritatem celâsse illum & fœminis cōmunicasse: euenisse quoq; interdum putat vt effati quæpiam fuerint, quæ exactè alioquin non perspexissent. Sed enim fieri potest vt & ipsi falsi prophetæ ex dæmonum inspiratione vera prædicant, quandoquidem & ipsi etiam dæmones ex oraculis vera interdum respondebant: Multa enim sciunt vi naturæ, quæ reuelare possunt, alioquin hominibus incognita. Natura enim superiores sunt hominibus, & intellectu perspicaciores subtilioresq;, multaq; edoceri à spiritibus bonis queunt, quæ ipsi à Deo hauriunt. Nec eis hoc mirandum videri debet, qui versati sunt in lectione Gentilium, quādoquidem cùm alibi, tùm apud Vergilium in tertio Aeneidos legisse possunt Harpyiam Aeneæ: nam sic ille fabulatus est, vaticinatam fuisse ea quæ ab Apolline ipsa, ille à Ioue hauserat, ita enim dixisse illam fingit:

Accipite ergo animis atq; hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit: vobis furiarum ego maxima pando.

Ordo enim insinuatur, haustæ, quandoque veritatis à malis vatibus, quem Maro ipse sicut priùs Homerus, Plato alij fecêre, quemadmodum Iustinus martyr, Eusebius, alij probant, ex Hebræa fortasse disciplina percepit, aut ex his qui res Hebræas in Aegypto didicerunt, suo ipse ingenio deriuauit. Legimus enim cùm alia tùm illud in Sacris literis Balaam ariolum aliqua vera mysteria reuelasse, ipsumque Dei colloquium expetiuisse: nam diuinæ prouidētiæ ordo ineffabilis, qui malos etiam & falsos quandoque & bona & vera promulgari voluit: Vnde illud vulgatum compleri conspicitur: Omne verum à Spiritu sancto esse: & quanquam ipsi fallere cupiant veritatem, nihilominus, vt vendibilius fiat mendacium, quandoque proferunt, quam inuiti etiam sæpè pronunciant, & ab hominibus Dei virtute coguntur effari vera, cùm alioquin sua ipsi sponte mentirentur: & hinc inter falsos verosque prophetas discerniculum insigne prodit, quod veri lumine illo, de quo suprà diximus, collustrati vera effantur semper, falsi non semper falsi sunt, quia illi à spiritu & lumine veritatis semper, isti non semper à spiritu & tenebris falsitatis instruuntur. Vtitur enim Deus etiam malis vt bonis inde vtilitas eueniat, tùm vt fiat veritas credibilior manifestiorque tùm ex aduersarijs hostibusque confirmatur, tùm vt hi qui dæmonicis oraculis addicti sunt, veritate ab eis etiam promulgata, ad eam purè atque integrè suscipiendam faciliùs perducantur: ob hanc causam factum multi putant, vt Sibyllæ ipsæ quibus multa habebatur fides, agentibus de vero Deo, de Christi mysterijs plurima promulgauerint, ac dæmones de Christo interrogati vera responderint, & multa in eius laudem protulerint: quòd etiam noster acerrimus hostis Porphyrius apertè multifariamque fatetur: quod & aliâs tetigimus, & apud Eusebium & antiquos alios Theologos fusiùs conspici potest. Sanè possunt homines nulla aut malorum aut bonorum spirituum afflatione futura effari, vel mendacio decipientes nihil scilicet edocti eorum quæ pronunciant, vel à suamet ipsi phantasia decepti, putantes omne id se vidisse quòd aut cupiunt, aut timent, vana & delira somnia pro veris oraculis desumentes, quibus de rebus suo loco, id est, vltimo huius operis libro differemus. Falsa igitur prophetia erit quocunque modo eueniat, si falsum pronuncietur. Et falsus propheta qui de futuris pronuncians vel mentitur, vel falsum profert, nisi id statim correxerit, quòd ideò dicimus, quia fieri aliquando potest, & olim factum est, vt proprio spiritu propheta dicat, aliquando minimè clarè secernens, à propria ne id cogitatione eueniat, an à diuina inspiratione profluat, quemadmodum Nathan Dauidi quondam respondit, de construendo templo Hierosolymis: Sed si veri ij prophetæ fuerint, alterum conspicietur: aut enim mox correcti recantabunt, aut Deum id dixisse non contendent. Siquidem vel id quod incuria quadam negligentiáve admiserunt, statim explodent, vel à seipsis id non afflatu aliquo protulisse deprehendetur, Deo scilicet assistente, nec vllo pacto patiente, vt falsum pro veritate ab eis prodeat,

deat, quos suæ veritatis præcones instituit, & quibus sæpè interneciem minatus, si suas cogitationes tanquàm diuina iussa hominibus suscipienda exposuerint. Propriè autem & exactè falsus Propheta dicetur, qui sciens & nolens falsa profatur: sicut & hominem falsum nominat Aristoteles in quinto libro primæ Philosophiæ, qui falsas rationes spontè prompteque deligit. Illud autem animaduertendum fieri posse, vt qui veri sunt prophetæ, falsi putentur nulla sua culpa, sed audientium interpretantiumque, vel ignorantia vel malitia, vt vltimo volumine declarare curabimus: cùm vel futuræ conditio rei, vel tempus alio excipitur modo, quàm à Deo & Propheta promitur. Cæterùm non secus falsa prophetia continget, ac veram diximus euenire, quantum ad gradus modosq; superi influxus hauriendi pertinet, per somnum videlicet, per vigiliam, per corporeas & sensiles notas, per imaginarias formas. Lumen autem illud eius deest proprium scilicet & peculiare veri prophetæ, cui scilicet intelligibilis veritas diuino lumine manifestatur. Varijs item de locis dari responsa possunt falsæ prophetiæ, per oracula, vt olim in templis Hammonis, Dodonæ, Pythiæ, per loquentes imagines, per annulos, per phialas, per ventriloquas, & cætera id genus in progressu operis explodenda. Sed priùs vt de ipsa proposuimus diuinatione tractandum.

CAP. VII.

DE DIVINATIONE ET EIVS SPECIEBVS.

LEgimus apud Platonem in Phædro Socratem, duas esse furoris species, decreuisse, alteram quæ ex humanis proficiscatur morbis, alteram quæ de diuina pendeat alienatione, qua rapitur quispiam præter consuetudinem institutumq; vitæ. Diuinæ autem huiusmodi partes assignat quatuor, quibus & quatuor præsint: Dij vaticinij, inspirationem tribuit Apollini, Dionysio concedit mysteria, Musis poëticam, Amatorium furorem Veneri & Amori. In Timeo verò diuinationem homini datam asserit, eamque in iecore quasi sedem sibi domiciliumq; delegisse: Neminemque sanę mentis diuinum & verum vaticinium vllum assequi, ob idq; Deum humanæ dementiæ vim diuinandi tribuisse. Cui sententiæ Aristoteles in libro de Diuinatione per somnium refragatur: Consonum putans vt si à Deo hominibus reuelentur abscondita, id maximè sapientibus fiat. Tum autem diuinationem fieri voluit Plato, cùm oppressa vis morbo, vel præpedita somno, vel diuino raptu è suo statu dimota fuerit, prudentis quoque esse officium ea intelligere, quæ à fatidico furenteq; ingenio, aut per quietem, aut per vigiliam pronunciantur: non autem eius ipsius id munus esse qui furore tenetur, atq; hinc lege iuberi vt diuinis vaticinijs prophetæ præsint, quos vates falsò appellatos decernit, cùm non vates, sed oraculorum atq; visorum quæ obscuris velaminibus inuoluuntur, interpretes sint: quare nullo pacto eos vates esse qui vaticinia iudicant, sed prophetas vocandos. Vaticinium autem ipsum nec ab arte, nec à natura fieri Iamblichus Platonicus cēset, sempiternumq; eum esse missum ad homines diuinitùs, & in medijs quidem, vt inquit, essentijs insertum. Idem ipse eisdem de rebus loquens, tria præsagiorum vaticinijq; genera definit, vt primo narrauimus libro, naturale, artificiosum, atq; diuinum: prima duo paruipendit, nec veneratione digna ducit, cùm alterum, ratione duce, progrediatur. De signis (vti in contractione pulsus contigit) coniecturam sumens, quare id humana duntaxat & suspecta corporeaq; conditione proficisci. Diuinum magnificat & multa laude prosequitur, eo præuisionem parari hominibus, eosdem illius beneficio diuinos reddi: Sed & prophetas quoq; viros vnà cum præsagio facultatem æternam ad cauenda declinandaq; incommoda possidere. Quòd autem prius negauit ab arte naturáve fieri posse vaticinium, id asserit postremò, sed minimè id negasse eum, quispiam fortè contenderet, verùm ea duntaxat vaticinij dignanda nomine non credidisse, sed hoc illi ad præsens condonetur: illud reprehensione dignum, quòd quæ naturę & arti tribuit, solo naturæ nomine comprehendenda sunt, vt tertio libro à nobis ostensum, id quoque tribuat ea ipsa floccipendens: Diuinum autem prænoscendi genus quod nos dæmonicum dicimus magnificaciens & oppidò quàm extollens.

Cicero in suo de diuinatione volumine duo ipsius rei collegit genera, quorum alterum

terum ab arte, alterum à natura penderet: ab arte, diuinationem per exta, per monstra, per fulgura: Astrologos item, augures, Sortes, sub arte concludit: Sub natura verò vaticinationes & somnia: sed hæc quæ ad artem spectare dicit, ad occultum & suppressum cum dæmone pactum, pertinent, quæ naturalia vocat, expressum concernũt pactum, & sanè aberrat, naturalia putans esse vaticinia, & quam ipse somniorum cum vaticinijs societatem asciscit, non satis planè perspicio. Hinc colligere aliquas possumus inter diuinationem, falsamque prophetiam differentias, quæ in progressu etiam clariùs apparebunt: illa enim nullo pacto ab arte deduci deriuarique posset, cùm dæmones reuelent semper in falsa prophetia: in diuinatione semper non reuelent: hæc expresso & suppresso pacto malè freta suas peragit superstitiones, illa expresso duntaxat pacto polluitur. Diuinatio dæmone aut occulto aut manifesto pacto, ministratur semper, vt Thomas, vt alij volunt: falsa prophetia non semper, cùm bonos diximus angelos aliquando posse & malis dæmonibus & pseudoprophetis reuelare secreta occultaque patefacere: & hæc quidem ideò falsa dicitur, quòd à falso dæmone falsoque propheta defluit, tametsi idem vera quandoque possint effari, illa diuinatio eo dicitur à nostris quòd diuinum sibi arrogat & vsurpat officium, quæ tamen (vt diximus) à Gentibus ob proprietatem nominis, quod à dijs traheretur, in bonam accepta nomenclaturam est. Prophetia falsa in bonam accipi partem à nobis nequit, illa vaticinium comprehendit. Hæc iuxta Platonem, vt ostendimus, nequaquàm cùm prophetam interpretem vaticiniorum duntaxat dicendum moneat: sed & falsi Prophetæ quæ vident, effantur ipsi, & perperam quemadmodum boni & rectè & sanctè pronunciant. Prophetiæ falsæ tres assignauimus species sub expresso cum dæmonibus pacto contentas. Diuinationis autem species plurimæ, partim de expresso, partim de suppresso pacto deriuatæ & inuestigatæ à nobis constitutæq; in hunc modum: Aut enim dæmon sumpta figura quapiam apparet extrinsecùs, aut per somnum, aut in vigilia, solæ voces aliquando sine apparitione sentiuntur: sed & muta signa occulti cuiuspiam indicia, quandoq; ostentantur, in phantasiam interdum illabitur & rerum imagines præsentat intrinsecùs: manente nihilominus iudicio sensuum, nec abacta omnino & amota ratione: rapit item à sensibus emoto mentis officio, & in furorem vertit. Itaq; si intrinsecùs appareat, nec tamen perspiciatur planè quid sibi illud velit ostentum, & modò in hanc, modò in aliam verti videatur formam, vt deludat perstricta oculorum acie, præstigium vocabitur: cùm verò præstat seseq; agnoscendum non abnuit, apparitio dæmonica apertaq; dici poterit. In somnis autem cùm videntur, ab ipso somno cui contigit, diuinatio nomen sumpsit, quanquam Aurelius Macrobius in commentarijs super somnum Scipionis quinq; narrat diuersitates & nomina eorum, quæ sibi videri dormientes videntur: Somnum, visionem, oraculum, phantasma, seu visum, & insomnium, de quibus suis locis dicturi sumus. In vigilia quoq; cõtingere potest, vt modò dæmones ipsi in assumptis corporibus appareãt, modò animæ defunctorum vel excitentur, vel excitatæ magis videantur, simulantibus dæmonibus se illorum esse animas, ac vestes eorum habitumq; corporis, & vultum effingentibus, quæ à mortuis ducta, diuinatio, necromantia, Græcè appellata est. Hanc Arabs quidam ad Astronomicam magiam extendit, & vltrà progressus *Piccatrix pro rebus omnibus absconditis, quorum causæ & productionis modus ignoratur, stare necromantiæ nomen voluit, indoctè quidem nec non ridiculè, sicut alia eius dogmata non minus vanitate exibilanda quàm superstitione damnata. Eandem necromantiam pythonicam diuinationem quandoque nuncupatam puto ab Hebræis, quoniam Saul pro excitando Samuele Pythonissam adiuit. Sed fortè hæc sciomantia rectiùs quàm necromantia nuncupatur, quæ vt quidam putauit, eò differt à necromantia, quòd illa excitat corpora, hæc vmbras duntaxat asciscit. Illius autem Lucanus, huius & Homerus, & Vergilius inter poëtas meminêre. Si verò voces præsentiuntur, oracula dæmonum vocitata sunt: occulebant enim se dæmones in templis subque simulachris delitescebant, reddentes oracula ambigua, incerta, rarenter vera, falsa plurimùm, in mutis etiam signis id contingebat, in extis immolatorum animalium, in aris dæmonum, vnde haruspicina deducta, irridenda ars & prorsus exibilandum dæmonis inuentum: qui & hoc & alia huiuscemodi noxia deliramenta signaque alia, & quid & quomodo futura indicarẽt tàm mendaciter quàm noxiè superstitiosos

*Ars augurandi & diuinandi.

tiosos homines edocuit,quibus ex diuersitate signorum diuersa obtigerunt nomina. Si enim in elementis visenda proponuntur,à dæmone nomẽ inde trahere possunt, vt aëromantia,hydromantia,pyromantia,geomantia nominetur. Geomantia,inquã, non quæ bifariam diuisa in sacrilegam & mixtam, sed ea quæ interpungit Abacum & ad pactum pertinet occultum,de quo posteà pertractabitur. Ad elementa etiam pertinent fulgura,& ostẽta, monstra,prodigia: Nam & terręmotus,& fulgura,& cometæ, & ex terra voces emissæ,& his similia,quæ partim expressum,partim suppressum concernunt pactũ,sub elementis clauduntur:quæ ad expressum pertinent,generatim cõfutabuntur hoc libro:quæ ad suppressum,sexto,cùm de fulguribus & ostentis agetur. Si phantasiã verò dæmon illabatur, & ex cõceptis imaginibus pronunciet, vel vates, vel propheta dicetur,aut manente aut amoto sensu, quanquàm si amoueatur, vel furens vates,vel arreptus magis nominabitur, Plato vatẽ dixisset. Epimenides quoq;,& Bacchis,& Sibylla Erythręa,qui per furorẽ vaticinabantur,vates à Gentibus nũcupati sunt: vnde & poëtas vatũ etiam appellatio secuta est, quandoquidẽ hi ipsi & furore simul agebãtur & fundebant carmina,sed alij id plæriq; effecêre,nec planè constat quis primus carmen furore cecinerit: Plinius in Apollinis oraculum id referendum putat: Alij Linum heroici carminis auctorem putant, siue furore abalienataque mente,siue stante, & composita & quieta cecinerit. Alij carmen heroicum Phemonoë referunt acceptum, cuius nominis vatis Lucanus in Pharsalia meminit, & Statius, & Seruius Maronis interpres Cumeæ Sibyllæ Phemonoës nomen fuisse referunt. Sed Iosephus affirmat Mosem antiquiorem omnibus qui extent Gentium scriptoribus in libro aduersus Appionem:Idemq; Iustinus martyr asseuerat. In antiquitatibus verò Iudæorũ prodit Iosephus hexametrum carmen Pharaone demerso à Mose compositum, quò fit vt hexametrum carmen primo omnium Mosi referatur acceptum, quod quidem vt sacra Exodi narrat historia, cecinit Moses & filij Israël, & postea Maria soror ante muliebrem cœtum cum tympanis & choris pręcinebat:qua de re in nostro ad sanctissimam Trinitatem hymno quodam loco ita cecinisse meminimus:

Seu quod Erythræo procudit littore carmen,
Legifer atq; soror recinit non nupta puellis,
Hebræis postquàm demersa Aegyptia pubes.

Aliud erat diuinationis genus quòd partim ad idololatriã, partim ad Necromantiã, partim ad scelestem pertinebat Magiam. Namque apud Gallorum Druydes, quibus humanæ victimæ immolabantur,homines diuinationi destinati in tergo feriebantur, & ex ipso impatientiæ afflictandiq; modo vaticinium desumebatur, testis est Strabo: Hunc morem,vt ait Lucanus, sinistrum, seu diram,iuxta Tranquillum, immanitatem, Tyberij abstulit principatus:auctore Plinio. Tranquillus ipsam vetitam,inquit,ex parte sub Augusto, illamque ipsam Claudium aboleuisse, hunc etiam Tyberium agnominatum constat. Cymbrorum fœminæ captiuis iugulatis diuinabant. Hiberi sacerdotes seruum afflatum numine mactabant Lunæ. Dixi ad idololatriam ex parte pertinere qui per sacrificia vaticinabantur, quæ scilicet dæmon sibi exhiberi docuisset ad Magiam: Item ex parte cùm experimenti noxij quoddam genus id haberetur, quibus plurimùm ꝓphana nititur Magia. Adde quòd Plinius in calce sextidecimi Druydarum etiam meminit, ita ob amatas quercus appellatorum, eosque ibi vocat Gallorum magos, quos Iulius Cæsar in commentarijs præter alia religionis interpretes dicit: ad Necromantiam autem eò pertinet, quòd diuinationi ipsi cædes quodammodò miscebantur: eò verò ab illa seiungitur, quòd non ex mortuis ducebatur ipsa diuinatio,sed ex viuis,ob inflicta vulnera,& proximam fortasse mortem se afflictãtibus, quæ apud Cymbros & in Hiberia fiebant, ad Necromantiam pertinent magis: Quæ autem de suppresso tacitoq; cum dæmonibus pacto diuinationis species pendent, ex consideratione videlicet & dispositione rerum naturalium, quas superstitio peruertit, hæc habentur potissimùm,in quibus se dæmon multifariam insinuat.In primis Astrologia,huius generis mater & alumna est, Astrologia,inquam,non motuum cœli, non magnitudinum orbium & stellarum quæ & Astronomia dicitur: sed futurorum quæ ad inferiora liberosq; homines pertinent,euentuũ, à sanctis, à doctis hominibus,damnata semper & explosa:cuius cultores Astrologi,Genethliaci,Chaldæi, Mathematici,Planetarijq; vocati sunt.Genethliaci ex ꝓfessione inspiciẽdę Geneseos:

Chaldæi verò ex gente & natione: Ex diuinatione verò per Planetas Planetarij, quæ propria eorum nomina cùm haberi odio inciperent, alienos titulos inuaserunt, vt quoquomodo honestarentur. Itaque Astrologorum, Astronomorum, & Mathematicorum sibi nomen vsurpauêre, in eorum inuidiam qui mathemata, id est, disciplinas profiterentur, & qui νόμον, id est, legem, & λόγον, hoc est, rationem astrorum tenerent, quanquam ne illi qui motus stellarum & magnitudinem metirentur reclamarent, Astronomos illos, se verò Astrologos duntaxat, & Mathematicos apud vulgus dixerũt, quod equidem nihil eis profuit, tantumque abfuit vt ipso nomine honestarentur, vt etiam eam quæ syderum cursus & magnitudinem contemplatur, ars certè nobilis & suis terminis honesta, communione ferè nominis infamârint. Damnati enim sub Constantino Mathematici, hoc est, circulatores illi, non qui Mathematicas profitentur artes, quæ in numerum liberalium artium reponuntur: Damnata & in Concilio Toletano mathesis: Damnati & Astologi à Philosophis & Theologis: nec ideò quòd rationem tenerent astrorum, sed quòd in astris augurarentur: eos enim propterea id nomen sortitos Augustinus asserit in libro de Natura dæmonum. Talem igitur Astrologiam, superstitionem dicimus, ex hac fluunt Chiromantia, Geomantiaque. Vti enim illa ex Planetarum positu, & natura fabulatur assiduè: ita & illa volam hominis in septem partitur regiones, quas montes appellant, Planetis erronibusve assignatos, & hæc terreum Abacum perforat punctis quibusdam temerè infixis, quibus de rerum euentis diuinationem colligere autumant. Cœlo igitur, terra, homine, inspectis, diuinaculi circulatores insaniunt, alij plus, alij minus. Nam Geomantia ipsa triplex habetur, pacto expresso, tacito & medio, qui & naturam etiam aliqua ex parte sapit, qualis apud Almadelem Arabem reperitur, non Almadelem ipso superstitiosiorẽ. Hic terrestres causas quandoq; introducit, sic & Aëromantia apud eum & alia nonnulla qui superstitiones aliquas non omni ex parte superstitiosè docuit: hæc & ad expressum & ad suppressum pactum per se pertinere possunt: atque vt sunt hominum ingenia, misceri quoque naturalia queunt, atque ita mixtura quadam conflari & coalescere Augurium, postea Auspiciumque prosilit, quòd nec cœlo, nec terra, nec homine, vt superiora illa abutitur: sed animantibus alijs auibusque immoratur: eorum voces, garritus, motusque perpendens, sub ipso Augurio non difficilè includeretur. Spatulæ diuinatio, quæ & colores, & signa, & pyxidem, & vertebri ligaturam, & alia quæpiam scrupulosissima superstitione rimatur: adeò vt eius vanitatis librum viderim, qui notionem artis ad caruncul am ex lebete subtractam extenderit: Sed & sternutamenta & fulgura & membrorum saltus sub Augurio comprehẽdi possent, quoniam generale nomen Augurij apud multos habetur, quanquàm ex eisdem quædam ad Aëromantiam & Pyromantiam, quædam ad Geomantiam elementalem pertinere dici possent. Alia species oritur, cùm ex insperato quid euenit, & ad futuri significantiam retorquetur, omen Gentes dixêre, nec fortuita id, sed diuina prouidentia constare autumauerunt. Alia de occulto dæmonum pacto superstitionis species fluxit, dum seriò quid homines peragunt, quò diuinationem conficere procurant, ad rimanda inquirendaque occulta, huc sortes variæ spectant, puncta, figuræ iactatæ, taxillorum iactus, plumbeæ figuræ in aqua proiectæ, in apertum librum repens oculorum intuitus, occursus ex improuiso sententiæ, quæ ad quæstionem conducat, & alia innumera vesana nugamenta, quæ vno sortium vocabulo concludi possunt. His igitur vel enumeratis vel indicatis singulas particulatim confutabimus, eas primùm quæ de expresso deriuantur pacto hoc libro claudentes. Quinto verò & sexto quæ de suppresso fluunt eliminantes. Septimo magicas vanitates, quæ medio se habent modo ex vtroque conflato. Octauo, vt diximus, curiosam tractabimus. Nono quid tenendum, quid reijciendum, summatim pro virili docebimus, & regulas quibus falsa à veris, noxia ab vtilibus, bona à malis cognosci secerniq; possint, quantum vires tulerint, explicabimus. Sed nunc aduersus ea quæ recensuimus, in vniuersum bellemus.

CAP.

CAP. VIII.

ADVERSVS DIVINATIONEM IN vniuersum.

DIximus suprà diuinationem olim Gentibus probatam, & in multa genera diuisam, damnatam autem à nostris: eo enim decepta illa gentilitas & extimauit eam & prouexit, quia à dæmonibus, quos deos autumabat dependeret. Christiani autem auctores nostri eam propterea damnârunt & prosecuti sunt, quia diuinum sibi officium (propriè videlicet futura præsciendi) vsurparet arrogaretque. Neque enim quos Deus inspirat vt futura prænoscant prænuncientque, diuinos dicimus (patiuntur enim ij potiùs diuina quàm faciant) neque sibi quod Dei est adscribunt: Sed neque eos qui de ijs quæ aut semper aut vt plurimùm eueniunt, & loquuntur, & coniectantur, hoc nomine damnamus. Verùm eos diuinos dicimus qui vel initia cum dæmonibus manifesta societate vaticinantur, vel superstitiosis quibusdam artibus, quæ de occulto cum dæmonibus pacto prodeunt mancipati idem efficiunt: Primi generis hi habentur qui dæmones consulunt, qui defunctorum vocant animas, characteribus, signis, circis, veluti sponsoribus intercedentibus: Secundi verò qui in aspiciendis astris hallucinantur, vt alios exoculent & marsupia suppilent, qui cantus volatusque auium custodiunt, qui exta pecudum rimantur, qui fulmina, qui tonitrus, qui terræmotus, qui sternutamenta, qui spatulæ ossa, pro noscendis futuris obseruant: qui terra, aëre, aqua, igne, homine, cæterisque compluribus abutuntur, vt occulta futuraq; norint, nulla quidem ratione atque prudentia, sed stoliditate superstitioneque plurima, & quanquàm singulatim damnari & explodi possit iure optimo vtrumque diuinandi genus, quod de expresso scilicet deque suppresso deriuatum pacto est: Si & vtrumque per se, & quæ in ipsis superstitiosæ insaniæ species conclusæ sunt, examinentur, vt mox aliqua ex parte facturi sumus, id tamen confestim apparebit, si ipsa in vniuersum diuinatio perpendatur, si eius auctor, si effectus qui inde proueniunt: Si diuina demùm oracula quæ ipsam damnauêre, considerentur: quid enim vesanius stolidiusque à creata re seu intellectuali seu rationali excogitari adscribique sibijpsi potest, quàm vt Deo se æqualem ementiendo constituat, hoc pacto quòd ea scire se iactet, quæ soli Deo sunt nota, aut cui voluerit ipse reuelare. Quis item non mentis emotæ dæmoni parenti auctorique mendacij securè confidat, vt de futura veritate percunctetur, quam aut nullo pacto sciat, vel quia eius naturæ minimè nota, vel quia supernè minimè reuelata aut si sciat maligno astu mendacijs inuoluat: quòd si puræ quandoque eam proferat, vel coactus id faciat, vel si sponte atque libenter. Malo tamen animo pessimoq; fine proposito, vt scilicet perniciosiùs offendat in posterum, & veritate quapiam quæ in agendis rebus parum emolumenti allatura sit apertè monstrata, demùm sub alia (quæ nisi purè sincereque noscatur, incommodum & internecies impenderit) truculentiùs noceat, vt mendacium denique ipsum ceu venenatam escam, & exitialem hamum tartareus piscator abscondat. A malo igitur dæmone boni quiquam puri atque synceri expectabimus? à fœdifrago fidem & pacta sperabimus seruari? & qui ipsi Deo Creatori naturæ pactum ab initio irritum fecit: hominibus quos acerrimo insectatur odio, pacta custodiet? pessimæ igitur arbori vt bonos emittat fructus, contra diuinum euangelicumq; præceptum fidem habebimus? Sed qui fructus prodantur quæso aduertamus, quis enim ad pacta cum dæmone ineunda non stultus accessit, non stultior, stolidiorque recessit? Omnes simul hæc infelicitas comitata est, vt pro bonis operati indigna quæpiam & prophana fuerint, quibus & bruta muta abstineret, repugnante & quasi reclamante natura; nedum homines rationis limitibus circumsepti.

Duos ad præsens turba relicta adsciscamus in medium societati dæmonum tàm mancipatos quàm qui maximè: Alterum philosophum (si philosophi tamen nomine qui stultitiæ vacât, dignandi sunt) alterum & philosophum simul & Imperatorem, contemplemurque, si aut eloquentia, aut rerum cognitio, aut Romana potentia plus valuit vt essent homines, vt humano viuerent more, quàm dæmonum commercia, vt rationem, vt humanitatem amitterent: Siquidem Porphyrius & in Academia

& in Lyceo celebris famæ philosophus, post alias ferè innumerabiles insanias, quas de suis libris ob sacrificia dæmonum & oracula editis, est colligere, eò peruectus est, vt sibijpsi necem consciscere voluerit: Plotino magistro vetitus, qui cùm ad sacra dæmonum vocaretur, tàm sapienter respondit quàm discipulus agebat stultè: conuenire magis illos ad se, inquit, quàm se ad illos accedere. Priuatæ autem insaniæ publicam hanc stoliditatem iunxit Porphyrius, quòd eum quo percitus fuerat inferendarum sibi manuum furorem literarum monumentis retulit, dum Plotini præceptoris vitam perscriberet. Iulianus autem cui Apostatæ cognomen, tàm literis quibus fuerat imbutus, tàm Imperio Romano, cui præsidebat, abusus est, vt, à sacerdotibus dæmonum in quæcunque vellent deliramenta & à Regia maiestate, & à natura abhorrentia traheretur, quem finis postea miserrimus occupauit, dum Christianorum sanguinem vouisset dæmonibus, si de triumphatis Persis victor redijsset. Diuino enim percussus miraculo, infeliciter & Imperium & vitam hanc perdidit: Sed infeliciùs dementiusque futuram, quandoquidem actus furore stygio dum moreretur, quò iustam in se iram Dei placare debuerat, eò crudeliùs atrociusque iactatis in eum maledictis irritabat. Alios taceo principes nec paucos, quibus dæmonum consulta non futuræ solùm, sed præsenti quoque vitæ fuerunt exitio. Sanè apud historias non difficulter poterunt commoneri, qui exemplis aliorum resipiscere magis quàm desipere cupiunt: discant stolidi principes si qui Magos consulant & manes quid Antonino illi obuenerit, dum Materniano scriberet, præciperet, superstitiosè percunctari vtrum Imperio quispiam insidiaretur, quando & hæc illius cędis occasio fuerit & deuoluti in Macrinum Imperij, quem maximè vel Maternianus ipse vel Magi, manesque consulti ereptum interfectumq; volebant.

Sed inquiet fortasse quispiam, damnamus & nos genus hoc diuinationis quod pendere de aperta dęmonum societate dicis, & pari pacto falsam prophetiam priùs damnauimus, quę ijs cum dęmone fœderibus freta, de futuris vaticinatur, verùm species illas diuinationis à te suprà narratas, quas nos à natura, tu ab occulto dęmonum fœdere deriuari contendis, nec propriè diuinationes credimus, nec eius cultores insanos infelicesque propter ea putamus reddi, vt Planetariam, Geomanticam, Chiromanticam, & reliquis quas sub tacito atque suppresso dęmonum pacto conclusisti. Dicturi sanè sumus claris & sanis oculis supra prospectum, tùm rationibus, tùm diuini eloquij verbis, tùm Augustini auctoritate in numerum superstitiosarum prænotionum ea ipsa reponi debere. In progressu autem operis non claris omninò sanisque, sed noctuinis etiam & lippientibus perspiciendum opinamur, eiusmodi superstitiosa nugamenta sub damnata diuinatione esse comprehensa, cuius cultores insanos & infelices ita non agnouissem, qui miserando exitu diuinationibus huiuscemodi vitam terminârunt, & è magno culmine, tùm honoris, tùm opum eiecti contemptui ludibrioque fuerunt. Sed hæc mittamus ad præsens alio tractanda loco. Multifariam profectò in Sacris literis diuinationes damnantur, & qui eis incumbunt: Sed & sub ipsa diuinatione Astrologia quoque à qua & Geomantia & Chiromantia dependent, apertè comprehenditur. Moses Iudæorum populum ab auguribus & diuinis consulendis lege coërcuit, quod in Deuteronomio libro conspici datur: & Propheta Micheas aduersus diuinos inclamat: Achinas autem Hebræorum doctor, quemadmodum præcellentissimus Ioãnes patruus meminit in suis contra Astrologos disputationibus, per augures intelligi eos voluit, qui felices & infelices horas obseruant, ex propria dictionis significantia id pertrahens. Sed & Augustinus noster in libro de Natura dæmonum: Astrologos eò dictos putat, quòd in astris augurantur, eamque artem persæpè superstitionem appellat: apud Esaiam quoque Astrologi augures dicti, vnde illud: *Stent nunc & saluent te Augures cœli, qui contemplabantur sydera & supputabant menses, vt annunciarent euentura tibi.* Vbi verò apud Mosen diuinos minimè audiendos legimus: Verbum est loco dictionis diuini in Hebræo quod Abraam Auenazra, & Astrologus & Iudæorum doctor, commune, inquit, esse omnibus diuinantibus, sed magis propriè Astrologis conuenire. Sed hæc disputatio ad sequentem differatur librum, quem Astrologiæ diuinationum omnium, quæ de pacto occulto prodeunt, matri, confutandæ abijciendæque destinauimus. Satis fuerit ostendisse diuinationem ipsam diuinorumque consulta Sacris li-

cris literis prohiberi, quas imitata est Ecclesia catholica, cùm in Toletana Synodo, tùm in epistolis decretalibus, quam secuti doctores Ecclesiæ pari consensu superstitionem ipsam condemnârunt. Quæ omnia sequenti libro diligentiùs tractabuntur, nunc de eius speciebus habere sermonem oportet, quæ ab expressa dæmonum societate fluxerunt, quas antequàm refellamus, latiùs aliquanto recensendas operæprecium duximus.

CAP. IX.

ADVERSVS EAS DIVINATIONIS SPECIES QVAE de expresso cum dæmonibus fœdere prodeunt.

PRæstigium primò nominauimus inter eas diuinationis species, quæ dęmonum auxilio fulciuntur, eorumque societate & pactis constant: id autem fit cùm corporis & vtinam non mentis oculos perstringunt dæmones, curiosisque hominibus perniciosè imponunt. Ac certè quò faciliùs eos in opinionem ipsius, quam sibi arrogant diuinitatis inducant, paulatim in admirationem sustollunt, nec quid sint ipsi quidque ostentum illud portendat, declarant statim: sed ex vno in aliud, quo vendibilius noxiam mercem promant, simulachrum, effigiemque, se vertunt. Quemadmodum apud Homerum legimus in Odyssea de Proteo, se eò magis transformante variasque induente imagines, quò magis cognoscere eum Menelaus tenereque tentabat. Sed & perstant quandoque nec quam priùs prætenderunt, effigiem mutant, tumque aliam diximus prodire speciem, quæ dęmonica eademque aperta apparitio cognominetur, quales multæ in poëtarum libris describuntur, cùm dæmonas illos quos pro dijs Gentilitas coluit, introducunt missos à Ioue, vel sponte assistentes, seipsoque & nomen & genus, & aduentus causam explicantes, verùm nec solùm sub deorum, sed & nympharum & musarum quoque, & Dryadum, & Oreadum, Napæarum, Naiadum, vt antè diximus, non difficulter apparere dæmones poterant in rudi gentilitate ludenda, qui philosophis quoque postea imposuerunt, vt multifariam datur cernere in ipso etiam Iamblicho, apud quem non solùm Angeli, quod nomen sæpè etiam legimus apud Homerum, & Græcos alios pro ipso officio, & ministerio referendi tributum multis: Sed & Archangeli & principatus, sed heroës dæmones, dij nec cœlestes modò, sed & aërei, & aquei, & terreni, quibus mille fiebant præstigia. Et priùs apud Orpheum dij etiam terrestres, aquatiles, & aërij dæmones, quos etiam punitores hominum canit: Iam legimus apud Strabonem de Satyris, Silenis, Bacchis, & Tytiris, quos, inquit, dæmonas quosdam deorumque ministros Curetas vulgant. Hi omnes dæmones erant hinc manifesti, quòd Dei sibi cultum procurabant, obscœnaque plurima veluti sacra atque diuina hominibus imperabant. Animalia tamen fuisse quæ Satyri dicerentur, in vita Pauli primæ heremitæ scribit Hieronymus, nihilominus & Satyrorum etiam inducere imaginem dæmoni facillimum, & Satyri quoque nomen assumere: isti tamen de quibus Hieronymus ipse memoriam reliquit, & loquebantur, & rationis officia promebant. Nam & Satyrum quempiam Antonio quondam locutum & Gentilium errorem in se colendis animalibus damnasse refert, eorumque vnum viuum olim productum in publicum affirmat, mox ad Constantinum principem destinatum. Sed enim malignus dæmon, quanquam Christi aduentu cruce & sanguine à principatu mundi deiectus est, nihilominus priuatim fallere, etiam in præsenti affectat multifariam: quemadmodum audiui in insula Noruegiæ ad Oceanum Germanicum vmbras sæpenumerò occurrere, quæ tamen signo crucis effugentur, quibus & antiquus præstigiorum error aperitur, & nostræ simul religionis efficacia monstratur. Quemadmodum nostris temporibus in annulis, circis, phiolis, de quibus sumus dicturi suo loco, & euocantur quoque spiritus qui se functorum animas simulant: vt olim necromantica superstitione fiebat, cuius secundo loco mentionem fecimus, quæ frequens adeò antiquitùs apud Gentes habebatur, vt nullum me poëtam celebrem legisse meminerim, qui eum quem præ alijs celebrat heroa, vel non ciuisse manes fabuletur, vel eum ipsum ad inferna non miserit.

Sic Orpheum Euridicis coniugis amore Plutonem adijsse, & impetratam coniugem amisisse ferunt: quod si quicquam veri & pensi hac ipsa in re fuisse putamus; non ab re fuerit si suspicemur quod & Seruius existimauit, ex necromantica vanitate initium sumpsisse, & Orpheum defunctæ coniugis animam euocare procurauisse; quoniam in dæmonum cultu frequens adeò fuit, vt eius sit habitus magister, qui fortè visam præstigio dæmonis vmbram, quam scilicet ille se detenturum autumabat disparuisse, lamentatus sit, cui postmodum rei mille fuerint adnexa mendacia, sicuti accidit multis quæ à Græcis ad nos manârunt. Si enim quicquam veri in eis fuit, tot postea fabulæ coaceruatæ sunt, tot nugamenta congesta, vt rectè ambigatur totáne sint atque integra mendacia: an aliquod fundamentum historiæ inanibus fabulamentis subiacuerit, fingebant illi saltem, vt diximus, quæ similia veri ob frequentem vsum credebant. Sic & apud Homerum fingitur Vlyssem Circes consilio Thebani Tiresiæ animam & manes reliquos conuocauisse: quod tamen ad Sciomantiam, vt diximus, quàm ad Necromantiam rectiùs pertineret, cùm vmbræ duntaxat non corpora vocantur. Sic & Vergilius fingit Aeneam sacrificijs peractis ad inferos penetrasse, sic Africanum Silius eo dimisit, Iasonem Orpheus cum vmbris diuersatum iactat, sic Statius Thiresiam, Mantho filia comitatum aduocasse vmbras fabulatur, sic alia diuersi poëtę commenti sunt de Necromantica superstitione: Quam in Chaldęa ortam Nicolaus in Esaię commentaria testatur, nec ab hac opinione Augustinum abhorruisse putamus, sicut & à Persis diuinationem fluxisse constat, eam igitur vel horrore teterrimam, vel malitia pręcauendam, vel ortu & regione principalem inter initia nominauimus. Subinde Pythonicam diuinationem nexuimus. In sacris enim Regum libris narratur fœminam olim Pythonico spiritu possessam, Samuelis Prophetę mortui imaginem Sauli superstitiosa quęrenti monstrasse? De speciebus etiam ipsis, quę mutis signis constant vt Haruspicinę, Geomantię, Hydromantię, Aëromantię, Pyromantię. De oraculis item & somnijs, vnde etiam diuinatio deducta est, & de furentibus demùm vatibus meminimus, quę postquam hoc libro confutauerimus, ad illas species quæ de suppresso pacto pendent eliminandas explodendasque manus admouebimus. Plus autem operæ in illis nobis erit insumendum, quoniam defensoribus multis furcillatæ adminiculatæque sunt: harum autem quæ de expresso pendent pacto, plurimæ adeò inanes vt irridendæ potiùs sint timerique in eis confutandis Aristotelicum illud possit: Fatuum esse in refellendis opinionibus fatuis nimis diligenter incumbere. Quapropter impendio non insistemus, quòd etiam ex superiori capite horum omnium elici confutatio posset: Si enim abijciendam exterminandamque diuinationem in vniuersum ex ijs quæ suprà attulimus, constitit: sequens est vt eius quoque species quas nominauimus, & ostenta, monstra, prodigia, vniuersaque ab insanis excuIta deliramenta, pro abiectis explosisque haberi debeant. Amoto enim genere, & eius quoque species amoueri necesse est, quæ eo ipso includuntur & pendent, sed paucis eas ne intactæ particulariter videantur explodamus.

Præstigij nomen quod malam in partem accipitur, rem ipsam, cuius est nomen vel inuitè condemnat: Claudere enim, stringere, & obscurare, præstigium notat, & præstigiatores dicti qui oculorum aciem ita circumadstantibus obtenebrant, vt non aduertant dolum: quidam à styge & tenebris deduci putârunt, cuius inuentorem Mercurium habuerunt: Atqui fidere potest quispiam ei quod non constat? Sed modò huc, modò illuc vertitur mutatis identidem formis, alijsque subinde variè sibi & mendaciter adscitis, cùm enim & gestus habitusque corporis motuum affectionumque animi signa indiciaque habeantur, ex continua gestuum formarumque mutatione, animorum quoque inconstantia deprehendetur. Qua de re astutum versutumque dæmona sapienti simplicitate fallet, & capiet qui versipellibus & repentinis imaginibus deludi se credet. Atque hinc puto Protei nomen apud Gentes (quanquàm futura canere putaretur) pro celebri ita non habitum, vt eius frequenter oraculum adiretur, quemadmodum Pythiæ, Hammonis, & cæterorum, quæ venerata magis fuerint, quòd constanter manerent vniformiterque futura afferere crederentur. Declaratur autem ex ipso Homero, qualis quantaque difficultas ab huiusmodi præstigijs vera subtrahere, cùm Idotheam Protei ipsius filiam introducit, Menelao con-

lao consulentem vt patrem capiat insidijs, qui scilicet maris inuolueretur spuma, qui dormiret in speluncis cauis, quem phocæ grauè olentes comitarentur, vt in adeundo capiendoque sene Meridiem obseruaret, quòd quidem commentum in quarto Georgicorum libro Vergilius sub Aristæi & Cyrenes persona mutuatus est, eaque à præstigijs hauriendæ veritatis difficultas insinuata, id ipsum commentum in Metamorphosi in Thetidem transtulit Ouidius. Constat autem quæ ab Homero & Vergilio insinuantur, omnia comprehendendi veri periculum suggerere & versipellis astutiæ fraudem subindicare, prolatæ à Proteo, cui etiam Vertumnus, vt aliqui voluerunt, nomen inditum fuit, de quo item canit Ouidius: *Proteáque ambiguum.* Tametsi plures, vt Xenophontis circumfert auctoritas, Protei fuerint. Caspius, Phœnix, & hic de quo agebatur Aegyptius etiam à Gentibus pro dijs habitus: de quo puto locutum Orphea cùm illi in hymno maris claues attribuit, & præsentium, præteritorum, futurorumque, notitiam, cuius irridendi illud apud Homerum occasionem præstat, quòd qui gnarus futurorum putaretur Proteus, futuræ in eum ex filia & Menelao fraudis omnino inscius fuerit captusque sit, nec præuiderit, sed nec effugere potuerit indutis à Menelao & socijs Phocarum pellibus, quas Idothea ipsa præparauisset. Consultò igitur fecerit cui fortè nolenti simulachra huiusmodi apparuerint, si actutum exploserit, noxiæ atque deliræ, qui non respuerit, dementissimè, qui aut quæsierit aut oblata libenter susceperit. In omnibus enim insolitis apparitionibus percunctari & diligenter sciscitari conuenit, quis & vndénam qui conspicitur venerit, vt diuina à dæmonicis secerni queant, exemplo Mosis qui de rubo quæsiuit exemplo aliorum, vt in nono huius operis libro fusiùs explicabitur.

Sed & in primis puro esse animo oportet, cui præstigia non imponunt, ob id Macharij oculos non perstrinxit dæmon, ne mulierem esse non dijudicaret, quam alij commento dæmonis equam autumarent: qui hoc ageret examinaretque, & alterius quoque diuinationis laqueo non irretiretur, quod tenditur dum constanti se specie insinuat dæmon & se mentitur Deum, sicuti à poëtis sæpè introducitur. Necromantiæ autem quis sapiens audiret? Quis, inquam, putaret separatas mentes, suapte natura, sapientiores hominibus, potentiores hominibus, nisi id fallendi gratia facerent, precationibus figurisque quibusdam quasi ligaturis funibusque pertractas eisdem sese hominibus ad libitum præsentare, parêre, famulari? defuncti quoque hominis induere imaginem, aut illius animam excitare ab inferis? Vtrumque enim fieri potest, sed quid fiat probè nesciunt, quando etiam diuinum iustumque iudicium impietate hominum sic exigente occultè se immiscet vt puniat. Augustinus enim ad Simplicianum scribens, fieri potuisse non negat, vt non dominante arte Magica, vel potentia, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam illam Necromanticam & Saulem latebat, ostenderet se aspectibus regis iniqui, iusti Samuelis spiritus, diuina illum sententia percussurus. Addit nihilominus etiam euenire quiuisse, vt non verè Samulis spiritus à requie sua fuerit excitatus, sed aliquod phantasma & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta apparuerit, quam diuina eloquia Samuelem appellant, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari. Allocutus ego sum plurimos qui vana spe futurorum delusi, ab apparente sibi dæmone, per inita pacta vocato, adeò vexati ad finem sunt, vt optimè sibi actum putauerint ne vitam amiserint. Alium audiui ab eiusdem socijs qui viuunt adhuc, à dæmone quinquaginta fermè ab hinc annis viuum asportatum nusquàm comparuisse: dum curioso cuidam & malè sano principi, Troiæ oppugnationem repræsentare quasi in scœna pollicitus esset, Achillemque & Hectorem introducere præliantes, & multis tamen id quærentibus irritum negocium euenit. Affirmat Plinius ita Neroni contigisse: sed & plura quàm sint, multiplicatis mendacijs vulgo afferuntur. Circumfertur enim de Petro Aponensi quem Conciliatorem dicunt, quòd dæmonibus imperitabat: ipse autem acta in eum vidi ab inquisitore hæreticæ prauitatis formata, cùm impietatis esset accusatus, inter quæ opponebatur quòd dæmones esse negabat, nec vllo pacto in rerum reperire natura credebat. Respondebat autem vti in ipsis quæstionibus legebatur, quò se ab hoc cri-

mine expurgaret, fuisse olim se, dum esset Constantinopoli ad fœminam, quæ hac ipsa Necromantia pollere credebatur, vt de occultis quibusdam sciscitaretur, duosque discipulos suos citabat testes: subdens consonum videri se non interrogasse nisi credidisset, quantum ergo distat vt Necromantes fuerit, qui contrariorum vitiorum habitus sit, & mulierculam etiam de rebus arcanis consuluerit, superstitionibus alijs deditus. Sanè fuit Aponensis, tametsi Necromantiæ non vacauerit, vt vobis ostendetur, cùm aduersus Magiam septimo loco disputabimus, quò & hoc ipsum criminis spectat.

Ipsa autem diuinatio apud Mosen in Sacris literis apertè damnata est, cùm in Deuteronomio sanxit Israëliticæque plebi præcepit, *ne Ariolos sciscitarentur, néve Pythones consulerent*, ita illi appellati ab Apolline, interemptore Pythonis serpentis eiusque sibi nomen sumpsêre, quanquàm alij Pythium dicerent Apollinem, alijs de caussis, vt est à Macrobio in Saturnalium primo notatum. Idem inter alia nomina Loxias etiam appellatione nuncupatus, quòd obliqua scilicet, vt Seruius ait, oracula redderet, quod etiam dictum est à Græcis, qui ob id quoque produnt Loxiam nuncupatum, quòd obliquum iter incederet, quando eundem esse illum cum Sole tradiderunt. Primò tamen id ei nominis impositum, vt ille inquit, vtpote τῷ λοξίαν πέμποντι, qui adoratus nihilominùs & multò celebratus, quoad Christus omnia simul dæmonia salutari sua præsentia & virtute prostrauit: Aruspicinæ insania suo auctore refellitur, suisque quibus freta decipiebat instrumentis irridetur exibilaturque: hanc Tages quidam docuisse traditur, quem fatua Ethruscorum monumenta narrant in agro Tarquinensi de terra ortum repentè comparuisse, & ipsius artis præcepta tradidisse, illum ipsum nec hominem fuisse, nec Deum Cicero opinatus est: fabulam spernens & irridens potiusquàm confutans. Ego dæmonem puto qui & hoc, & alia id genus plura inuenit, vt & sibi honorem & hominibus damna cumularet. Hæc eadem etiam apud Lucanum obliquè explodi videtur, cùm Tuscum Arruntem introducit, hæc verba promentem:

—dij visa secundent,
Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages —.

Verùm de hac alio etiam loco, quæ autem ex elementis cognominatæ diuinationis species facilè refellentur, si compertum fuerit ea ipsa, terram, scilicet, aquam, ignem, aërem, quæque in eis visuntur, vt partes nonnullæ: sed quæ ex illis conflantur & coalescunt sicuti monstra quæpiam, ostenta, prodigia, fulgura, item coruscationes, fulmina, tonitrua, terræmotus, & his similia, quæ imperfecta, mixta à posterioribus Peripateticis nominantur, nil in se nisi naturale continere. Inde enim liquebit nec nisi naturale quidpiam posse per ea significari, ni Dei voluntate ad quidpiam super naturam portendendum ordinaretur. Alioquin signum fallax & minimè verum haberi ab omnibus deberet, cui scilicet id quod eò significaretur, in ipsa rei essentia non esset. Sanè ipsa natura ad vnum quidpiam dirigitur terminaturque non ad vtrumlibet, quare alteram contradictionis partem desumi ex naturalibus oporteret: quòd omnino alienum ab ijs qui diuinationes de quibuscunque rebus enixè vel promittunt vel quærunt. Cæterùm cùm sequenti libro monstrauerimus ex cœlo diuinationem frustra superstitioseque peti, quod tamen & natura dignius, & loco superius, & substantia incorruptius colligetur, apertè vanum esse impenseque superstitiosum, si ab elementis idipsum petatur, quibus absonum magis, vt notæ futurorum insculpantur, quas tamen inibi vel esse vel suboriri maligni dæmonem commenti sunt, qui apertiùs quoque in ipsis eorum templis, antris fallebant, & ex simulachris ferebant oracula, quæ Christi aduentu appropinquante cessare cœperunt. Nam Ciceronis tempore qui Christi aduentum non multò præcessit, Delphis cessabant: & Pythia, vt ille inquit, iam euanuerat, Pythium videlicet oraculum, cui Pythia mulier præsidebat, vel ab Apolline Pythio, vel à πύθω loco Phocidis denominato: illa quidem sedens in tripodis holmo responsa reddebat in Delphis, de quo quidem tripode, tàm vana, tàm varia produntur à Græcis, vt & fastidium, & pudor sit, si hoc maximè loco referantur, quæ possunt commodè apud Poeta-

rum

ſum Græcorum enarratores legi. Sed & apud Diodorum datur commoneri, quàm inane principium Delphici oraculi memoriæ proditum ſit, quando etiam olido caprarum gregi quoquo modo referatur acceptum. Sic & initium Dodonei oraculum in beſtias quoquo modo retulit Græcus auctor Paroxenus: quàm verò glorioſa Delphici oraculi cuſtodis, ſiue vt ipſorum vtar verbo προφήτου exordia fuerint, non vacat referre, quando ob impudicum amorem neceſſe habuerint, quibus curæ oraculum erat, vt annorum quinquaginta virgines reſponſis reddendis præficerent. Virginitatis enim flori futura quoque illi peruia putabant, ne omnino vani cenſerentur, decreuerant quoque abeuntes è templo coronatos incedere. Multis in ſeruos priuilegijs vt Apollo quem ſapientiæ Deum autumabant (ita facilè putârim) natura æquare homines diceretur. Verùm eius, vt diximus, doli Chriſto propinquante ceſſabant: Cuius rei nos ita in noſtro ad Chriſtum hymno qui ſecundum in ordine locum obtinet, mentionem fecimus:

—nullos recinebat Pythia cantus,
Delphica vaniloqui cantata oracula Phœbi.
Conticuêre priuſquàm ſacrum virginis almæ,
Clara puerperium ſparſiſſet lumina mundo.
Lumina tartareas propulſatura tenebras.
Nec ſecus abſceſsit, quàm quæ prætexere cœlum,
Occepit nubes claros Hyperionis ortus.
Attenuata fugit liquidasq; recedit in auras.
Flammiferi nondum Solis vexata coruſco
Congreſſu, ardenti nec dum conterrita curru.

Sed paulò poſt ortum ſalutiferi partus, regnante Hadriano, Plutarchus percunctatur: Vndénam euenerit vt oracula deſierint. Vnius enim vel duorum duntaxat veſtigia conſpiciebantur: ſed æquum vtique erat, vt in aduentu lucis & veritatis, tenebræ mendaciumque faceſſerent. Qua de re etiam nos in Chriſti honorem plura cecinimus, ſe maligni dæmones deos pernicioſiſſimè mentiebantur. In dandis enim oraculis, conabantur affectatam inſimulare diuinitatem, vt ſibi quod Dei eſt, quò adfieri poſſet, arrogarent, atque hoc ipſo truculentius humano generi inſidiarentur. Cultis potiſſimùm exactiſque carminibus curabant illudere, ambigua promebant ſenſa, ac generatim plurimùm enunciabant, quæ res ab Ariſtotele in tertio quoque Rhetoricorum notata eſt, id ipſe putat propterea factum, vt minus error appareret, dæmones ijdem quod vtile, aut vniuerſùm, aut particularibus hominibus videretur, quandoque proponebant, atque inde eorum ſibi quaſi ineſcata fide ruinam exitiumque conſulebant: exempla huiuſce rei ex hiſtorijs trahi plurima poſſunt: verùm eorum malitia claret impenſiùs, ſi quæ tradebatur ab eis religio, ſi mendacia ab omni excuſatione remota, quæ ſuis immiſcebant oraculis, imò oracula plæraque ex toto falſa examinentur. Namque vt de primo dixerimus in primis, & inceſtus, & ſtupra, & rapinæ, & ſacrilegia, & mille alia obſcœna ſpurcaque mandabant, vt viuendi leges, vt cærimonias, quibus diuinam aucuparent ſibi apud homines beneuolentiam, inde beneficia promerentur, ſuadebantque in templis, in theatris cantari repræſentarique ea ipſa ſcelera, à Ioue, Marte, reliquiſque eorum qui colebantur dijs perpetrata, vt impudentiùs ea ipſa homines efficerent deorum ſuorum exemplo. Sed ab his ſuperſedeo quandoquidem & ab Euſebio, & Auguſtino, & alijs, quod & antè attigimus copioſiſſimè, & irriſa, & confutata ſunt. Nec non multorum oraculorum fallaciæ mendaciaque detecta, quæ ſi quando vera intermiſcebant, vel coacti id efficiebant, vel ſubdolè & fraudulenter, quò ſcilicet, vti diximus, pernicioſiùs nocerent. Capere tamen inuerſis & flexiloquis ſenſibus conabantur, vt in alterutram euentus partem veri eſſe viderentur. Sic apud Chryſippum de Crœſo fertur oraculum illud Apollinis vulgatum:

Crœſus Halin penetrans magnam peruertet opum vim.

Et de Pyrrho apud Ennium:

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Oenomaus apud Græcos cùm philoſophia tùm eloquentia clarus, Delphici Apollinis

pollinis responsis, vt ipse fatetur, elusus, illius oracula fallacia collegit, & in ea inuectus est, inter quæ illud est Crœsi, sed alio modo quàm suprà recitatum. Inquit enim:

Intrepidus si Crœsus Halin transmiserit amnem,
Imperium perdet magnum regnumq́, superbum.

Persarum ille intellexit, sed Lydorum, hoc est, suum, docuit euentus. Sed & alij Gentium auctores in suos deos & Apollinem præcipuè inuecti sunt, inter quos Aristophanes poëta maximè obliquè, vt Lucianus rhetor, apertè cauillati sunt, & oracula ipsa subsannârunt à dæmone semper multo astu prætensa: Aeschylus quoque ipse quandoque in Apollinem inuectus est. His enim præter alia dolis libenter incumbunt, nec enim solùm rem aliter quàm est, ostendunt, aut præsens insimulant quod abest, aut quod adest abesse dissimulant. Verùm & fallacijs quoque sermonum illudunt, nec paucioribus quàm quæ in sophisticis Elenchis ab Aristotele citatæ sunt: vsus tamen hac ipsa amphibologia frequenter est dæmon: Nec solùm apud antiquos illos, sed & posterioribus quoque seculis inuenitur: Nam & fertur Manfredum regem simili decepisse loquendi modo, dum esset aduersus Carolum bellum suscepturus, respondens, non non Gallus superabit Apulum: ex vi enim Grammatices affirmauerat, quòd ex communi loquendi vsu negatum autumauit. Euam quoque æquiuocatione moriendi ab eo deceptam nonnulli produnt. Alia pariter pro exemplo ducentes in medium, quorum euentus aut latuisse dæmonem potuêre, aut ei quoquomodo coniectura patefieri. Multæ enim apud eos prænotiones ex doctrina superiore reuelantibus scilicet bonis Angelis, volente Deo, ex reuelatione dæmonum præstantiorum, & ex propria natura, tùm per suam essentiam, tùm per inditas rerum species. Boni autem Angeli cognitione alia præclariori omnibus pollent, qua scilicet & verbum diuinum & res in eo continentur: Hac autem priuati dæmones præter reuelationes (vt diximus) naturalem possident cognitionem, qua freti plurima prænosse consentaneum est quæ absconduntur hominibus. Nam cùm rerum naturas agnoscant, præsciunt multa in suis causis, priusquàm humano intellectu percipiantur, nec in suis etiam causis prænosse eos voluit Magnus Antonius, nisi quæ iam ex illis fluunt, quippe cùm ita, referente Athanasio, decernit: non enim ea quæ nondum fieri cœpta sunt, referunt, quia Dominus solus est conscius futurorum, sed quorum conspiciunt in actu initium eorum sibi tanquam fures apud ignaros vendicant notionem. Norunt quoque & affectiones humanas inclinationesque naturæ, ex quibus sæpè coniectant & tantò hominibus exactius, quantò sublimius eorum ingenium est. Experientissimi item sunt à primo æuo, & indelebili rerum memoria, quò fit vt ex præteritis inuestigare & conijcere futura minimè difficulter possint. Dolo etiam sæpenumerò præoccupant & quasi dixerim anteuortunt hominum mentes, vt quæ ipsi acturi sunt, prænuncient priùs, quò prædictio videatur impleta: ea item quæ iam facta sunt, cum subtilitate naturæ perspicacitateque intelligant priusquàm homines, quos & tempus, & distantia impedit locorum, annunciant tanquàm futura (vt veridici appareant) præsentia enim ipsis sunt & iam facta, remota autem ab hominum cognitione, ideoque futura existimata. Sic & auctionem excrescentiamque Nili, aliaque huiuscemodi nunciare solebant Antonio Magno, vt illi imponerent, quemadmodum ipse discipulis enarrabat: expellebantur autem ab eo quorum commercijs implicari, etiamsi vera effarentur, nolebat: docuit hoc illum Christus dæmonas obmutescere, præcipiens etiam cùm in eius laudem vera vulgarent: quòd Athanasius considerans, scribit, quamuis vera fateretur dæmon, compescebat tamen Christus eius sermonem, ne simul cum veritate suam etiam iniquitatem promulgaret, vt nos etiam assuefaceret ne talia curemus, etsi vera videantur. Nephas enim, vt cùm nobis adsit scriptura Diuina, à diabolo instruamur, nec repugnare huic putatum velim, quòd ipse Christus Dominus, vt quinto Euangelij Marci capite scribitur, à dæmone petierit *quod sibi nomen, qui respondit, legio: Multi enim sumus.* Neque enim, vt ait Beda, vt inscius id perquirebat, sed vt confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Quandoquidē nephas non est publicę vtilitatis gratia ab

tià ab occurrente dæmone, qui ad vera promenda Diuina poteſt virtute compelli quicquam inquirere, vti ſacri exorciſtæ, adiuratorésve conſueuêre. Prophanum autem, noxium atque damnatum crimen habetur, ſi quis eum inuocauerit ad occulta noſcenda.

Quòd autem nec habenda ſit fides ſomnijs, cùm dæmones aperto etiam pacto ijs adſtant, vt reuelent abſcondita : ex ſuperioribus patêre ſatis poteſt, ſomnijs inquam inſomniiſve,aut phantaſmatibus, aut viſis vel oraculis. Inter hæc enim, vt antè innuimus, diuerſitatem, Aurelius Macrobius auctoritate veterum motus ſuper ſomno Scipionis excogitauit: Somnium quod tegeretur figuris, & velaretur ambagibus, proptereaque ad ſignificantiam percipiendam opus eſſet interprete: Inſomnium cùm ea ſe ingererent dormienti, quæ vigilantem fatigaſſent. Phantaſma verò quod viſum Cicero tranſtulit tùm euenire, cùm is qui dormire vix cœperit, vigilare ſe exiſtimat, quodammodo inter vigiliam & quietem poſitus. In quo genere Ephialtem reponi, hunc Latini dicimus Incubum, viſionem eſſe, cùm id quod videtur in ſomnis, eodem quo apparuerat modo, in vigilia eueniet, oraculum cùm vel parens, vel ſacerdos, vel Deus apertè de futuris deque agendis inſtruit rebus. Hæc autem enarrata Macrobiana placita, quanquam nonnulli ex noſtris amplexi ſunt: veruntamen & aliter quoque capi poſſunt. Oraculum enim, & vigiliæ, & ſomno, commune eſſe manifeſtum puto, idque Seneca definit, voluntatem Diuinam hominis ore nunciatam, cui Macrobij finitio conuenit : & viſio quoque non dormientium modò, ſed viuentium eſt, eamque cùm Chryſoſtomus, tùm plærique Theologorum Latinorum tripliciter diuiſerunt, vt ſecundo libro docuimus, incorpoream, imaginariam, & mentalem. Phantaſmatis verò nomen vigilanti intelligentique conuenit. Somnium autem pro inſomnio, & è contra poſſe vſurpari non difficulter monſtraretur, quare non ita ſcrupuloſè hæc nomina ponentur à nobis aduerſus eorum ſignificatorum ſuperſtitiones diſputantibus, illudque Auguſtini de tempore in confeſſionibus differentis : cùm in hoc, tùm in plæriſque alijs præponendum arbitror. Pauca, inquit, ſunt quæ propriè loquimur, plura non propriè, ſed agnoſcitur quid velimus. Igitur ſi nullo pacto acquieſcendum dæmoni, etiam ſe apertè in vigilia monſtranti, quantò minus ſi ſomnijs, inſomnijs, viſisve affuerit, cùm impediti ſenſus, & obtenebratum iudicium per quietem ſit, quando etiam ſi vera dicerent, in ſomnis non ita capi internoſcique poſſent res ipſæ, vti cùm vigiles experrectique ſenſus fuerint, & iudicium rationis liberum atque ſyncerum. Solebat hoc fieri in templo Aeſculapij ab eoque petebant inſani vera immitti ſomnia, qua de re Apollonium etiam ſuum præcepiſſe ſcribit Philoſtratus, & qui Lacedæmonijs præerant, vt inquit Cicero, in Paſiphaæ phano, quod eſt in agro propter vrbem ſomniandi cauſa recubabant : ſed illud quis nobis obijciet conſonum videri magis, vt nocte quàm interdiu, vt in ſomnis quàm in vigilia ſuperna tribuantur hominibus monita, & id quidem auctore Ariſtotele, qui in libro de Diuinatione per ſomnum pronunciauerit nocturnum aëra percipiendis viſis accommodatiorem, eò quòd ſilentior & pacatior ſit. Ego autem aduerſarium refellam, eo ipſo auctore, qui de Naturalibus ſomnijs, non autem de Diuinis aut dæmonicis eo loquitur loco. Inquit enim ſomnia ipſa fortuitò temerarieque incidere quandoque, ſed & eas cauſas eſſe poſſe actionum noſtrarum, & ſigna etiam futurorum euentuum cauſas, cùm id quod agunt egeruntq; , aut acturi ſunt homines per ſomnia contuentur, facta veluti via & motu quopiam ex diurnis crebriſq; cogitationibus, ad ea ipſa per quietem ſpectanda contuendaq;: rurſumq; fieri, vt quæ viſa ſpectataq; noctu ſunt, in ſomni principia ſint quodammodo rerum, quæ interdiu & ſecundùm vigiliam molimur, mente ſe ad eas ſcilicet actiones accommodante, quarum ſimulachra in ſomnis verſauerit. Signa autem eſſe vt per quæ affectiones aliquæ notantur, ea verò tùm præcipuè haberi ex motione humorum, quorum veluti ſigno & in affectibus, & morbis corporum dijudicandis medici vtantur: abundantiã enim vel phlegmatis, vel choleræ, ex aquæ viſione deguſtationéve, aut ex ignis imaginatione perſenſioneque caloris conijci poſſe, indeque plurimùm cognitionem ipſam conferre, & ad ſalutem & ad euentus coniectationem. Morbum autem initia plærunque ſicut & aliarum rerum cùm parua ſint, paruique motus interdiu latere & exoleſcere interuentu & concurſatione maiorum, no-

rum, noctis autem silentio validiùs ferire & persentire quoque insigniùs, idcirco noctis tempus coniectationibus naturalium somniorum accommodatius, & esse & haberi.

Somnia autem mitti à Deo, quanquàm & ante Aristotelem putauit Plato, fortè Homerum secutus scribentem, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν etiam post eum credidit Auerrois. Ipsi tamen Aristoteli non placuit, vel his maximè rationibus, quòd & bruta quoque somniant, & stolidum vulgus etiam præsensionem futurorum hauriant per soporem, & melancholici quoque, & ecstatici itidem futura præuideant: id autem putat euenire quòd & stolidi mentem cogitationibus vacuam habeant, & multiplicibus ac varijs visis ac motibus pulsentur melancholicorum animi, ex vnoque in aliud volucri motu percurrant, ita vt contingat etiam in futura incidere. Ecstaticos autem ideò extraneos & peregrinos excipiêre motus, quòd intestinis & proprijs non infestantur, proptereaque fieri vt si Deus mitteret somnia, non huiusmodi hominibus, sed sapientibus & vigilantibus mitteret: existimat autem quædam somnia, quanquam non diuina, natura tamen esse dæmonia, sed de somniorum diuinatione ipsa addubitauit plurimùm, & quidem anxiè vt quæ fortasse videretur naturalem considerationem excedere, quòd indicant antiqui eius interpretes, cùm de his qui in Gadibus & Boristhene vaticinabantur edisserit, & ipse satis, etiamsi Græcè legatur, explicat se. Illud quoque huc tendit quod cùm de propinquis somnia tractaret, deque somniorum interpretibus meminisset, nil nisi naturale attulit. Multa autem & rectè quidem decreuit, quæ scilicet naturæ limites minimè egrediuntur.

Quod verò diuinitùs non mittantur somnia, falsum est, & hoc illi ex ignoratione veteris Hebraicæ disciplinæ obuenit, qua percepisset Deum eiusque nuncios & in vigilia & in somnis sanctos sapientesque homines sæpissimè allocutos, nec refert noctu id eis an interdiu obtingat, ob lumen diuinum immissum simul, quò incertitudo omnis & ambiguitas effugatur. Sed nec quoscunque ex vulgo tangunt hæc somnia, sed eos qui diuina voluntate ad ea percipienda sunt delecti, quæ & reuelari scilicet, & reuelare conueniat, quòd autem & stolidum vulgus, & melancholici æquè ecstasim passi, multa etiam sæpè prænoscant secundùm naturam, non placet Henrico, Albertum taxanti in commentarijs in Genesim. Sanè id & dæmonicè, naturali quadam ex parte si Aristoteli accedimus, sed & fortuitę quoque causæ acceptum referri posse non abnuimus. Præter id enim quod ex accidenti, & temerè possent somnia contingere, causasque item & signa haberi rerum futurarum. Putamus etiam non vno modo ea ipsa rimanda esse cùm multifaria esse possint. Nam & interior & exterior quæri potest causa. Interior autem duplex, animalis & corporea, cogitationes videlicet & humores corporei. Exterior item bifariam diuisa, in corporalem, hoc est, ambientem locum, & aëris qualitates, & spiritalem: & hæc quidem dupliciter dirempta, cùm & à Deo bonisque Angelis, & à dæmone ipso prauisque spiritibus prodire queat. Signa autem præter id quod suprà allatum ab Aristotele est, tùm rectè perpensa sunt, cùm in aliquam reduci causam possunt, quæ sit & somnijs ipsis & futuris euentibus communis, atque plurimùm somniorum præcognitiones hoc pacto fieri testatur Thomas. Namque & humor ipse in corpore excretus, nec habenis naturæ satis parens veluti ruptis frenis diuagatur, propterea in causa est, vt & ita somnietur (vt diximus) & morbus somnum sequatur: nec moueat quòd causam à signis secreuimus anteà, mox signi tanquàm causæ meminimus. Nam huiusmodi signa etiam causæ sunt, non vt sit res, & quamobrem fiat, sed quia est, quorum distinctio in postremis, analyticis ab Aristotele probata, & in ipso de Diuinatione libro, vel quodammodò indicata: cur verò figuris adumbrata nec euoluta ænigmatis supernè mittantur somnia, si dæmonia ea fuerint, minimè mirandum: si diuina, potest id multifariam euenire, non tamen ex inuidia, vt fertur Symonides cauillatus. Multa solent afferri inter quæ illud placet magis, vt præsentis vitæ status in causa sit, vt dispositio quoque recipientis nonnihil efficiat, vt demùm Dei gloria manifestetur quemadmodum in Somnijs Pharaonis, & Babylonij regis portento Ioseph & Daniel Prophetæ claruerunt. Verùm in somno & in vigilia diuinæ reuelationes, si lumē affuerit, nulla dubitatione p̄mixtæ sunt: noctu tamen & per soporē præcipuè de-

puè demitti solent, quoniam quies ibi maior, nec distracta mens quin possit commodè quæ immittuntur, haurire diuina: nec audiendi Astrologi fingentes imprimi species superiorum imaginum in somnis, Piscisque, Cancri & similium: id enim aut falsum, aut casu factum cogitandum est, si quispiam ea somniauerit: putare quoque possumus ex irregulari motu corporeorum spirituū, & vaporum effumantium euenire, sed & intrinseco sensu recto naturæ ordine recipi quippiam non potest, nisi per exteriores quasi per fores aditus præstetur, vt secundo libro monstrauimus: potest tamen id ipsum contigisse, cooperante dæmone, ad firmandam superstitionem, vt Augustino visum; potest & humana propensio, vt antè diximus, in causa esse, cur varia se offerant spectra per quietem, cœlo vel quadantenus operante ad afficienda corpora qualitate sensibili. Sed nimis fortasse multa, quantum ad propositum attinet nostrum, cui hac in parte satisfecisse videmur, probantes multò magis fugiendas esse reuelationes dæmonum in somnis quàm in vigilia, magis, inquam, non quia lædant magis, in vtrisque enim enorme delictum, & Apostolici præcepti transgressio, quo vetamur ne cum dæmone societatem ineamus: *Nolo*, inquit Paulus, *vos fieri socios dæmoniorum*, sed eò magis, quia obscuriùs turbulentiusque deferuntur. Namque præter dæmonicam fallaciam, quæ tàm in somnis quàm in vigilia suos circumuenit socios, temporis etiam incertitudo & cognitionis impedimentum non mediocri est adiumento falsitati multiplici percipiendæ, non refert autem si diuina angelicáve reuelatio fuerit, vt in somnis fiat, quandoquidem, vt diximus, Lumen illud diuinum, & sensuum, & intellectus, nocturnas tenebras dispellit, consueuitque Deus sæpenumerò noctu reuelationes dare etiam dormientibus, nec solùm Prophetis Testamenti Veteris, sed & ministris Noui, & ipsi etiam Iosepho sanctissimo gloriosissimæ Virginis sponso, & Christi custodi, vt sacra Euangeliorum narrat historia. Sed si lumen ipsum aberit, nec naturales causæ vel signa suberint, tunc & diuinæ reuelationis & humanæ coniecturæ facultatem egressa, diuinatio dæmonica superstitiosaque prodibit: cùm aliàs tùm præcipuè à Mose 18. Deuteronomij capite interdicta plebi Israëliticæ per hæc verba: *Nec inueniatur in te qui obseruet somnia*. Verùm de ijs iterum sexto quoque libro congruenti ordine & postulante materia, cùm de occulto pacto disputaturi sumus, pari delirio & insignius fortè exorbitabunt, qui furentium se vaticinijs concrederent. Possessi enim à dæmone & in furorem versi, cùm mares tùm fœminæ quæpiam de futuris ferebant oracula. Hos aliquando dicunt arreptitios, alij phanaticos, alij pythones pythios, alij vates, quandoquidem & maligno arripiuntur spiritu & Pythio Apolline, hoc est, dæmone eo cognomine gaudente replebantur, & in phanis dare solebant responsa emota & alienata mente, quale illud de Phemonoë apud Lucanum in quinto Pharsaliæ:

—non vnquàm plenior artus,
Phœbados irrupit Pæan mentemq́ priorem
Expulit, atq́ hominem toto sibi cedere iussit,
Pectore bacchatur demens—.

Apollini tamen Pythonis interfectori diuinationem acceptam plurimùm referebant, quòd poëtis frequenti vsu eueniebat, qui per furorem vaticinabantur, quorum exemplo posteriores quoque poëtæ tametsi furore nō acti, fingebant tamen se Phœbeo spiritu repletos, vnde illud Claudiani:

Iam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit, & totum spirant præcordia Phœbum.

Imitati verbis & Cassandram illam, quæ furens (vt ille inquit) facta atque infecta canebat: imitati & alios quos diximus per furorem prænunciasse carminibus, vt Boëtium Bacchidem & Epimenidem Cretensem, quem primo libro diximus, auctore Aristotele, de præteritis duntaxat vaticinari solitum. Sed enim vates etiam à poëtis introducuntur referre futura sine furore, quale illud apud Valerium Flaccum in Argonauticis de Idmone memoratur: Postquàm enim Mopsum furentem vatem meminerat, mox Idmona sensus compotem introducit, qui erat vt ille fabulatur,

—plenus fatis Phœboq́ quieto.

Nihilominus crebriùs & libentiùs furentium prædicta suis fabulamentis interserunt citantque nominatim, vt Cassandram, Phemonoëm, vt ipsam quoque Erythræam

Sibyllam,

Sibyllam. Sed & de Cumana Lucanus idem ſenſit, per hæc carmina:

Talis in Euboico vates Cumana receſſu,
Indignata ſuum multis ſeruire furorem.

Et Maro priùs Cumęæ Sibyllæ furorem & rabiem tribuerat, vnde illud in ſexto Aeneidos:

Talibus ex adito dictis Cumæa Sibylla,
Horrendas canit ambages antroq; remugit,
Obſcuris vera inuoluens ea frena furenti,
Concutit & ſtimulos ſub pectore verſat Apollo,
Vt primùm ceßit furor & rabida hora quiêrunt.

Iuſtinus Philoſophus & martyr in libro aduerſus Gentes, à nobis in Latinum conuerſo, inquit: Cumææ Sibyllæ carmina eò putari minus metricè ſcripta, vel quia furens illa ipſa effabatur, vel ſi prudens ſciensque ea proferebat ab excipientium nihilominus ruditate deprauata, quod ſua tempeſtate vrbis incolas putaſſe refert. Hanc quoque inſanam appellat Maro. Sed & idem Iuſtinus ſolitam eam aſſerit de ſolio parata indutaque ſtola futura effari. Proditum autem memoriæ eſt, id non voce ſolùm, verùm etiam literis & ſignis effeciſſe, ac in palmarum folijs ſcripſiſſe illam, Varro commeminit. Ambigit Ariſtoteles in libro de Admirandis naturæ, an hæc Erythrea vel Cumæa fuerit, qui nihilominus in Problematis inſtinctu lymphatico Sibyllas Bachasque in feruorem, ſcribit: idque non morbo, ſed naturali intemperie contigêre, quòd & commune autumat eſſe omnibus, qui Diuino ſpiraculo inſtigari creduntur.

Sanè de Sibyllis varij varia produnt, nec de nomine, & patria ſatis conuenit, de numero ferè conſtat ex antiquis auctoribus Græcis, Ariſtomeus & Apollodorus Erythræus, ex Latinis Varro & Feneſtella: Erythræam tanquàm præcipuam & nobilem præter cæteras fuiſſe tradunt. Varro ipſe decem numerat, & aliam Cumæam, aliam Cumanam, dicit, quæ tamen cognomina plærique confudêre. Harum quoque & alij Gentium ſcriptores, ex noſtris verò Auguſtinus, Lactantius, alij meminêre.

Suidas decem & ipſe numerat & nominat inter alias nomen Perſicæ ſeu Chaldæę ponit, cui tamen alia, ni fallor, ab alijs indita appellatio. Idem & Cumææ meminit, quam Vergilius Deiphobem appellat, Lucanus Phemonoëm: ſed eidem Suidas vel Amalthea, vel Hierophile, nomen fuiſſe dicit. Cumęam verò eandẽ quæ & Chaldęam dicitur fuiſſe Iuſtinum philoſophũ & martyrem opinatum vidimus. Nam in Chaldæa ortam & Chaldæi Beroſi filiam, Cumas autem habitaſſe prodit, multas alias ſuper Sibyllis diſſenſiones, omitto etiã in ipſa nomenclatura quam Suidas Latinam putat. Varro & Lactantius & alij plæriq; Aeolicam aſſeuerãt, in hoc nulla diſſenſio de noſtra religione. Sibyllæ carminibus & multa & præclara fuiſſe prænunciata, quanquàm etiam deorum plurium falſę religiones Sibyllinis, qui Romę aſſerrabantur, verſibus prouecherentur, vt apud Zoſimum quem ſuprà citauimus, & apud Macrobium & alios Gentium ſcriptores planè conſpicitur. Si quando verò vel earum vnam, vel plures de Chriſto vera precinuerunt ad Gentium id inſtructionem factum, qui veris Prophetis non audiebant: apud Platonicos eam Sibyllam quę in Delphis erat, duobus modis impleri numine conſueſſe ſcribitur, vel ſpiritu quodam tenui & igneo, qui erumpebat ex antro vel ex adyto dum in ſede erat trium vel quatuor pedum ſacrã atque dicata. In Colophone fœmina quadam epota lympha vaticinabatur, alia in branchis hauſto vapore nonnullisque alijs ſuperſtitionibus obſeruatis prophetaſſe fertur. Super quibus Porphyrius & Iamblichus deſipuerunt. Diuinum putantes quòd à multis falſorum deorum ſacrificijs prodibat, tantoque magis quantò procul à ratione magisque remotiùs & inſanię furorique propiùs accedebat, quò exciri vel omnes vel plurimas huiuſmodi Sibyllas & vates diximus. Inſignis autem furoris ſpecies eſt furentibus & dęmone agitatis mancipare ſeſe. Si enim dęmon eò quòd malignus, eò quòd noſter hoſtis, eò quòd fallax, habenda fides non eſt, etiam cùm propriè & exactè loquitur: habenda ne erit cùm lingua dementis tumultuatur, ſi emotis mente & abalienatis acquieſcendum non eſt, niſi fortè vt cathenis ligentur & coërceantur compedibus, parendum erit cùm dęmonis arbitrio loquuntur, & de futuris conſulunt. Adde quòd inſaniam iſtam peculia-

re hoc & insigne consequitur, vt discernere nequeas quæ propriè à dæmone quæ've à furentis homini mente percepta consiliáve tradantur. Dissiliunt adeò & confunduntur omnia, ita furor ille crescit, decrescit, quiescitque. Sed iam satis de his: Nunc species quę de occulto prodeunt pacto reijciendæ, quæ cùm ferè astrologica vanitate vel pariantur, vel alantur, eam in primis proximo libro destruamus.



DE SVPERSTITIOSA PRÆNOTIONE CONTRA ASTROLOGIAM DIVINATRICEM,

LIBER V.

CAP. I.

QVID PRAESENTI LIBRO AGENdum, & quo ordine.



DIXIMVS primo huius operis libro quæ ad prænotionem in vniuersum spectarent, quæ've ad diuinam & naturalem pertinerent, pro viribus secundo & tertio explicauimus, subindeq; de superstitiosa agere proximo egimus libro: Iamq; de illis eius partibus speciebúsve quę de aperto cum dęmonibus fœdere prodeunt, disputationē absoluimus. Nunc & tempus & promissa postulant vt species eas quæ de occulto pacto quasi de Stygio fonte scaturiunt, abijciamus disperdamusque, earum autem cùm diuinatrix Astrologia princeps habeatur, hoc ipso libro polliciti sumus aduersus eam bellum gerere. Subierat aūt mentem anceps sententia, quod hinc & operis id exigebat ratio & promissa vrgebant vt in eam disputauerimus, inde vel hac ratione à ꝓposito auertebat, quod succurrebat idipsum muneris à Ioanne Pico patruo præcellenter adeò impletum libris duodecim, vt aut superfluo, aut ambitiosè à me factum suspicari quispiam posset si idem tentarem: verùm in hoc me reposui albo, vt si ego hoc vno libro in duodecim capita distributo potiori ex parte concluderem, quod ille centum quadraginta & ampliùs capitibus librisque duodecim absoluerat, quæ omnia ipse octauo ab hinc anno post eius obitum, quo penè & illa simul obierant, de interitu liberaui, discerptos composui & publicaui, si, inquam, hoc facerem, recta me iudicia non offensurum, quin & putari posse me & debitè in parte satisfecisse modestię, nec mei voluminis ordinem deseruisse: potentem igitur illam patrui librorum eloquentiam multifariamque rerum maiestatem & copiam, quam mirari magis quàm imitari possumus, prætereuntes conabimur, de eo quantum ad propositum opus pertinere visum veluti de inexhausto, sed dulci oceano, quosdam ceu canaliculos ad aridæ nostræ glebæ vsum deducere, sed & obiter intermiscebimus meditata quæpiam nostra, & nonnullas obseruationes, non eo consilio vt quod ille minimè fecerit, satagamus. Quis enim addiderit lumen Soli? Sed vt quæ ipse veluti humilia forte & minora, quàm eum decerent, posthabuerit, assumamus interim nos inferioris notæ ingenijs profutura, quæ sublimitatem, scilicet, illam concipere animo non valerent: quandoque item argumentorum ne dixerim an erratorum, non omnium tamen ne verba prodigamus, sed minus leuium memores erimus, quæ aduersus patrui libros nonnulli pro tutando astrologico dogmate sparserunt: neque enim aut minus semper negotij nobis desumpsimus voluminibus eius vel recognoscendis vel etiam defendendis, quàm in ijs quæ propriè mea sunt opera, vel meditandis, vel conscribendis. Vix dum enim quidpiam elucubrare cœperam, nec dum egressus annos adolescentiæ, cum illo exhumanis rebus sublato & eius vitam perscribere, & eiusdem quoque metaphysica nonnulla defendere opus mihi fuit, mox ad mea rediens & ea quæ recensui, & alia quæpiam per aliquot annos conscripsi, iterum conuersurus operam ad illius, cùm in Psalmos commentaria, cùm alia quædam præclara inchoamenta reparanda: Quare cùm meas partes esse ducam tàm quæ illius

opera sunt & ab iniuria temporum & à calumnijs obliuioneque asserere, quàm quæ à meipso & meditata & inuenta sunt, stylo prosequi, aduersariorum eius responsa refellam, quod etiam olim nos facturos promisimus, sed Parisiensi stylo, idque iam fecimus aliqua ex parte: hoc autem eo illi pręposuimus, quod libri ipsi de prænotione rerum necessitate quapiam hac de re (vt ita dissereremus) expostulârunt. In primis autem quemque non moueat, Picum ipsum patrum & in quæstionum apologia, & in eleganti illa oratione quam Romæ fuerat habiturus, Astrologiam non confutasse, atque eius etiam quandoque testimonijs vsum, quoniam valde diuersum est, si aliud agens quispiam, alienum dogma proferat in medium, & aliud cùm eo de dogmate quid sentiendum sit ex proposito institutoque decernit, quare quod ille adolescens non confutauit, annis sequentibus ob id maximè, quia eo ipso religionem nostram læsum iri aduertebat, penitùs aboleuit, præiudicio hoc mille auctorum defendi posset, qui aliud ex florescente iuuenta, aliud maturioribus annis edidêre, quin & in seipsos etiam scripsêre suas interpretantes amplificantesque sententias: Sed & easdem corrigentes & improbātes, quod equidem clarum in Augustino sua retractante placita, & in Nazianzeno qui maximi philosophi laudes & vituperationes composuit: vt Ethnicos mittam, Pollucem Dionysium rhetorem: Sed & ipsum Sosigenem qui de syderum quoque motu cùm diligenter scripsisset, semetipse correxit: taceo Hippocratem suos fassum errores. Sileo de Marco Tullio suos aliquos libros damnante: & Fabium prætereo Quintilianum qui suam quoque circa status causarum opinionem castigauit: Itaque qui hoc te perfugio tueris, & quasi purpurisso defensionis Astrologicæ frontem oblinis luci, honestius tibi atque salubrius, si professione genethliaca posthabita veritati accessisses, cùm nec prænosse, nec præuidere potueris tibi quin patria pulsus Arni pisciculos esitares, nec delectis exeundi hospitium horis quibus confidebas, tutari valuisti, quin post paululùm hostilibus gladijs aduersæ factionis occumberes. Nullis demùm Martis fauoribus, nulla Astrologica vanitate protectus, cui abijciendę vndecim quæ sequētur capita destinauimus, & hoc ordine distribuimus, vt quatuor prima rationibus eis quibus confirmari posset Astrologia recitandis refellendisque dedicentur. Duobus autem sequentibus auctoritates cùm diuinas, tùm humanas, & quæ in eis fundari possunt rationes, aptauimus: tribus quę deinceps eadem Astrologia rationibus physicis & theologicis prosternetur. Reliquis verò ex principijs dogmatis, Astrologorum, quasi in hostili agro castrametati ipsam vanitatis & superstitionis arcem suis ipsis tormentis machinisque deiectam apertè monstrabimus. Igitur ceu ære in pugnam vocati bellum inibimus.

CAP. II.

DE RATIONIBVS QVIBVS POSSET ASTROLOgia suis ab auctoribus confirmari.



Ex potissimùm freti rationibus inanibus quidem & nullius momenti (nisi quod à nobis, ne fortè querimonia fieret, roboratæ aliquantisper sunt) Astrologiæ diuinatricis patroni insaniunt, non possumus, inquiunt, non audire philosophis theologisque probatissimis qui Astrologiæ fauent: quippe cùm peripateticorum princeps Aristoteles in primo meteororum libro scribat, necesse esse mundū hunc inferiorem superioribus lationibus esse contiguum vt omnis eius virtus inde gubernetur: & illud etiam quo sua confirment, receptum asseuerant Augustini scilicet magni auctoritate, inferiora hæc grossioraq; corpora sublimioribus subtilioribusq; regi atq; moueri, quò fieri vt à cœlo & stellis à quibus nostra pendent, inferiorū effectus petantur. Secundā rationē ex Solis Lunæq; mutatione varia mendicant, quandoquidem ex accessu ad nos Solis, atque recessu, habitus & conditio viuentium variatur singulisque diebus. Sole ipso qualitates aëris immutari, meridie, mane, vespere, plus minus calefaciente, sed & alio die plus minus alio, aut torpere nos frigore, aut vrgeri calore. Nec non motum Lunæ æstus marinos sequi, & fluxus atque refluxus produci, qui Lunæ cursum imitentur: quo & Conchylia repleantur, atque aduerso eius planetæ positu vacuè fiant: Crisimos quoque, hoc est, iu-

est,iudiciarios dies à medicis obseruatos, luminarium ipsorum motibus regi, quibus & cieri persæpè tempestates & humores in corporibus agitari solere pronunciant.Crebris autem exemplis huiusmodi quasi artem apud nautas & agricolas effectam,vt de Solis & Lunæ positura vaticinentur de futuris,quanto magis id sapientiores posse prædicant, quibus & reliquarum stellarum vis & potestas cognita sit & explorata. Addunt tertio loco si status aëris tranquillitas tempestasque, si frigus,calor, humiditas, siccitas, à constellationibus pendet, sequens est vt ab eisdem & sterilitas agrorum,& fertilitas,& terræmotus, & pestilentiæ, & regionum etiam salubritas pependerit,quando hæc ipsa à quatuor illis qualitatibus primis ortum ducunt, quod si hoc admiseris,cur & illud non admittes, homines ipsos cùm eisdem constent qualitatibus,à cœlo pariter moueri, ab astris gubernari,ac regi, vt salua scilicet arbitrij libertate,temperatura tamen corporis, quæ ex illis conflatur variè affecta, ad iram, & contumelias,vnde postea bella & lites & regnorum mutationes: ad mansuetudinem item & pacem, cuius beneficio tranquillè degunt vrbes,& regiones non excitentur. Hoc quasi honestamento fraudis vsus Ptolemæus, deriuari postea putauit eiuscemodi influxus qui reciperentur in homine, & quoad corpus, & quoad animum ad ea quæ exteriora sunt: sed quoddam quasi commercium cum illis gererent, vt vxor scilicet & facultates ad corpus, honor dignitatesque ad animum pertinerent, quibus ita dispositis in externa, quæ affinitatem cum illis habent, deriuarentur. Nec vllam omnino in Astrologiæ patrocinium efficaciorem rationem affert Ptolemæus pro syderum efficientia vniuersali, quàm primarum qualitatum, quas scilicet producens cœlum, cætera quoque ob id consequenter producat. Occultè præterea stellarum vires pro quarto veluti suffugio quæruntur. Cùm enim, inquiunt, excellentes singularesque dotes & proprietates aliquarum rerum videmus, ab alijs etiam terrenis rebus tantùm exaltatas vt minimè de elementali condictione coalitas existimemus, cœli ea solemus munera arbitrari:quando magis igitur cœlo ipsi vis & proprietas peculiaris multimoda inerit, quæ in inferiorem mundum motu suo atque lumine illa ipsa disseminet. Subdunt & illud quo particularis efficientiæ præstigium rudioribus faciant, idque à plurifario rerum humanarum cursu deducunt: non posse namque non videri asserunt, vt causas alibi quàm in cœlo habeant ea,quæ supra vires nostræ mortalitatis fieri videmus, quæ præter rationem & meritum, quæ præter ordinem & institutum humanæ condictionis eueniunt.Siquidem hunc ad philosophiam colendam natum videri, illum ad mercaturam, alium ad arma tractanda propensiorem,& inter hos etiam miram esse diuersitatem, vt hic feliciter,infelicissimè ille propositum negotium exequatur. Aristoteles, Plato, naturæ secreta & penetrârunt ipsi & posteris reserârunt, alij vel hebetissimi, nec exculta atque protrita intelligere queunt. Alexander Orientem dicto ocyùs & vidit & vicit. Fortis alius Imperator inimicorum telis occubuit.Ingeniorum quoque ipsam varietatem afferunt in medium, vt hic sobrius, ille nequam, auaritiæ ille mancipium sit,hic de illa triumphet,effectus sanè diuersos,nec planè respondentes ortos de terra minimè putandos, vt facinorosos quoque sæpè vindicta prætereat & iusti trucidentur. Postremò vulgus fremit, eorum qui scioli videntur sibi, multifariamque insultant, exempla proponentes quibus Astrologorum prædicta confirment. Instant enim atque inculcant plurimùm quomodo ni ars vera, prædictiones ex arte veræ esse possunt. Sic enim ille pronunciauit futurum & ad lineam euenit,sic alius euentura prædixit & confirmauit euentus,atque ita ad numerum exempla nonnulla quasi digitos ostentant,quibus suos confirmare errores, cùm infirmantur, possint.

CAP. III.

SOLVITVR PRIMA RATIO ET IN ASTROlogos ipsos retorquetur.



T sanè facilè ostendetur, nihil virium huiuscemodi rationibus inesse, quæ etiam si validæ putarentur, nō propterea sequeretur vt ex illis confici posset Astrologia, quod in operis progressu liquescet, sed tanta est veritatis vis vt qui erroribus eam occulere quasi tenebris nititur, nimio eius fulgore occæcatus oberret irrisus. Non solùm autem solui, eluique eorum argumentationes possunt: verùm in illos validissimè retorqueri atque eorum prima ratio in eos ipsos hoc pacto quasi missile telum repellitur. Namque & philosophi summi Astrologiam irrident, damnantque eandem multifariam, Augustinus lacerat & insectatur, vt cùm aliâs hoc in libro, tùm maximè capite quinto ostendetur. Sed & ipsa quàm adducunt Aristotelis & Augustini verba reprobant, quod ipsi colligere cupiunt, non confirmant: quod enim inferioris mundi motus à superiorum lationibus cœli dependeat, colligitur inde falsa esse dogmata Astrologorum, quandoquidem vulgatum apud philosophos atque protritum est, cœlum esse vniuersalē causam rerum inferiorum. Vniuersalis autem causa dirimitur à particulari, à qua scilicet effectus distinguitur. Neque enim cur hoc, aut illud fiat, à remota & vniuersali, verùm à proxima & particulari causa quæritur: exemplum in motu manifestissimum: namque idem cœlestis motus, & igni sursum ascendenti, & terræ deorsum descendenti, pariter operatur. Vniuersalis igitur ille motus particulares non distinguit, qui vt sint tales à proprijs & particularibus causis habent: nec quicquam gignitur, natura duce, quod præter cœlum particularem quoque in terris causam non habeat: cœlestis item qualitas qualitatibus omnibus elementalibus assistit, vt quinto huius quinti libri capite latiùs explicabitur. Si autem rerum inferiorum particulares & motus & qualitates à cœli motu & qualitate non pendent, nisi vt à causa vniuersali à qua hoc aut illud non distinguitur: quantò minus pendebit à cœlo particulariter, quod cœlo propriè hoc modo inest, sicut motus & qualitas: Quare sileat Lucius dùm blaterat & vniuersalem & particularem causam cœlum esse, cùm propter alia incommoda, tùm propterea quod ea quam adducunt, auctoritas vera esse nullo pacto possit, si de particulari causa intelligenda esset, quæ vniuersales effectus & motus nequiret inuehere: nam quicquam tàm particulare in cœlo non est, quin terrenis collatum vniuersale sit. Sed enim sileat alius qui trifariam vniuersitatem induxit, nec semel delirasse contentus in anniuersarijs iudicijs, id sæpè repetijt, indoctè quidem conatus docere, cœlum ipsum præter id quod eo motas & calor viuificus, turbæ terrenorum vniuersaliter secundùm communē operationem communicatur, idipsum etiam agens vniuersale haberi debere secundùm operationem propriam. Hoc verò communem in rebus generalibus ordinem turbari, qui priori illa communi operatione seruabatur, pro exemplo affert sextum qui manu adnascitur digitum, eum, inquiens, præter cœli communem operationem, præter communem ordinem accidere, à propria tamen cœli operatione pendere. O`rem ab omni eruditione prorsus abhorrentem: nam defectui materiæ non effectui cœli adscribenda est manus, vt ita dicam sedigita, nec ibi aliter influit cœlum, quàm motu suo & lumine, quo agens quilibet ad operandum excitatur, qui si aut minus potest, aut ei materia nimis contumax est, huiuscemodi nascuntur monstra, quæ propriæ cœli operationi tribuere, insigne delirium est: quandoquidem suprà quàm dici potest absurdum, propriam cœli operationem, quæ ad seruandam fulciendamque naturam pertinet, præter naturam haberi debere: eandemque ipsam operationem vt propria est, communi operationi & ordini aduersari, quoniam ea illa monstra refugiat, & hæc eadem amplexetur & pariat: quamobrem huiuscemodi nugæ reijciendæ cùm nihil ab vniuersali illa causa, præter motus & qualitas fluant. Hoc in eis apertè videmus quæ diuersa sunt & natura, & specie, hoc idem & apertiùs in illis intuemur quæ numero differunt indiuiduis, quæ cùm particularia sint, & originem ducant à rudi materia, minus multò referri possunt in causam maximè vniuersalem atque formalem: cœlum enim cum

equo equum generat, cum leone leonem, cum homine hominem, & humanæ speciei variè & diuersa indiuidua, cum eorum indiuiduis parentibus gignit, eadem constellatione non diuersa, quod ipsis comprobari potest experimentis, quoniam eos videmus ingenio, corpore, fortunis diuersissimos qui orti sunt, sub eadem cœli inclinatione à Græcis climate nuncupata. Quid ergo respondebit Astrologus? Quomodo vniuersitatem hanc ad constellationem syderum configurationémve referet quam eandem eiusmodi omnes habuisse diximus, scio quo se tuebuntur præsidio: Ad Nigidij figuli rotam confugient, cuius ob reuolutionis velocitatem non datur eundem locum bis atramento signare, multò minus igitur inquient: dari poterit in cœlo supra quam dici potest ipsa rota velociori rapidiorique: Atqui si hoc dixerint, latebras ignorantiæ suæ prodent. Nam cùm rapidi momenti non possint ipsi differentiam assequi, quo pacto de ijs quæ eiusmodi infantibus euentura sunt, pronunciare poterunt: Si partilem scilicet momentaneumque Horoscopum, & quod est sequens genituræ ipsius themata nesciuerint. Sed & obijcere aliud possumus quo explicare sese nullo modo queant. Nam cùm gemini vterum exeant, alter post alterum, ex ea quæ intercedit morula, occasio præbetur aliqua respondendi, adimitur autem cùm natos eis obijcimus simul eodem momento, ex diuersis tamen parentibus & intra eandem eiusdem regionis & latitudinem & longitudinem, vt idem cœli punctum imaginarium, quem Zenith vocant Arabes, vtrisque respondeat. De his enim & idem thema cœli describere, & eadem omnino tàm de ijs quæ intra maternam aluum, quàm quæ post natalem euenient horam, pronunciare debet Astrologus. Sicut enim eadem hora natos, ita & eadem conceptos conuenit extimari. Adimitur, inquam, occasio cùm nihil omnino hiscere queat Astrologus, vt eorum maximas diuersitates & differentias vni eidemque omni ex parte constellationi acceptas referri possit. Quapropter ni captus mente sit, fateatur oportet sydereos illos afflatus vniuersales, à proximis causis & particularibus distingui & determinari, vnde rudis illa defensio proditur qua contenditur eiusmodi natos diuersis eiusdem figuræ significatoribus esse subiectos. Qui enim varij poterunt significatores esse, si omnia penitùs eadem sunt, vt supposuimus & nullum prorsus in themate seu figura discrimen: hinc liquet multò minus eos posse ex syderum positu de corporeis & animalibus qualitatibus, deque fortuitis & externis decernere. Siquidem minus hæ à cœlo dependent indiuiduorum proprietates, quàm quæ sub genere eodem est diuersitas specierum, vt nunc leo, nunc elephas, nunc homo pariatur. Hæc enim differentiam proximæ causæ specificam scilicet sequuntur non cœlum, sic & corporeæ indiuiduorum qualitates indifferentias seminum referuntur. Sic animales ab ingenio & educatione arbitrij dependent. Sic fortuitæ & externæ res à facultate parentum, ab electione propria, à prudentia quoque & occasione deriuantur. Destruit igitur, non astruit Astrologiam peruulgata illa sententia, quam mundum hunc inferiorem superioribus esse motibus contiguum censuit.

Nec magis illis Augustini citata illa auctoritas suffragatur, quæ Aristotelicè instar retorqueri in aduersarium potest: Quam etiam hoc interpretari pacto possumus, vt quantò magis à materia & compositione recedunt res, tantò magis perfectè & principes euadant, quibus scilicet inferiora pareant. In ipso enim Deo summæ & infinitæ perfectionis nulla compositio est, minima in angelis, actus videlicet & potentiæ pauca in cœlo, maior in sublunaribus. Quapropter sicuti à Deo Angeli, ab Angelis cœlum regitur, non secus reguntur mouenturque inferiora ipsa, vtpote crassiora, fœculenta magis, & compositiora, per cœlum tenuius, simplicius & purius. Hoc autem nihil particulare cœlo arrogat, sed vniuersale, quanquàm purius, ac si dicere licet diuinius. Item & illud non nihil concludit, quod & ipsa nostra corpora crassiora & mole sua grauiora à subtilioribus corporibus & leuibus spiritibus, scilicet, corporeis mouetur, quibus motrix animæ vis nostra ad sua obeunda munera vtatur. Quod si Augustini mentem nos percepisse negent, non expugnabimus si non Augustinum ipsum loquentem audire noluerint, ac in tertio de Trinitate libro ita differentem: Sed quemadmodum corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiri-

tum vitæ, & spiritus vitæ irrationalis per spiritum vitæ rationalem, & spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium & iustum, & ille per ipsum Deum ac sic vniuersa creatura per creatorem suum, ex quo, & per quem, & in quo, etiam condita atque instituta est, ac per hoc voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter quod non de interiore inuisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur: sed ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quædam immensaque republica, hæc theologus ille sanctissimus atque in omni disciplina eruditissimus quæ obseruanda censeo, cùm per se quæstionem diluant: tùm quod fœta sunt rerum multarum atque magnarum. At si ex causa ipsa dicendi eorum quæ dicta sunt, intelligentiam sumamus, vt Hilarius voluit quarto de Trinitate libro, vt ecclesiastici de verborum significatione canones percepêre: Percipiemus beatissimum & doctissimum Augustinum nil vnquàm diuinatrici arrogasse Astrologiæ, sed quibus potuit semper, vt mox videbitur, rationibus derogasse, inter quæ illud sit ad præsens argumẽto, quod in libris de Christiana doctrina, dum ea de Astrologia quæ motus & magnitudines mensurat, syderum mentionem haberet, vtpote quæ vna ex liberalibus artibus Sacris intelligendis literis famularetur: Subdidit, sed quod vicina est errori fatua fata cantantium salubrius honestiusque contemnitur. De Aristotele verò quod Astrologiæ non suffragetur modò, sed refragetur apertè, eadem metiri possumus regula. Ad elementa enim duntaxat pertinet, cùm dixit inferiorem mundum superioribus lationibus gubernari. Nam postquam dixit determinatum à se in libris de Cœlo quatuor esse corpora infra cœlum, ignem, aërem, aquam, terram, tùm subiunxit, de eis se mox tractaturum quæ ex illis constabat. Sed nec alius mundus est quàm ipsa elementorum moles, qui sit contiguus superioribus lationibus, nec alterius mundi tractaturus erat affectiones. Nam in libris ipsis Meteorologicis nulla de hominibus, brutis, plantis, mentio facta est. Sed de his quę & aëris & aquæ communes sunt passiones, quorum ipse in proœmijs paulò antè præfatus fuerat. Quid? Quod nec pluuiarum, nec terræmotuum causas quærit in syderibus, nec grandines, nec tempestates, nec eluuiones, nec fulgura, nec cometas deriuat à stellis, sed à materia, pro cuius diuersitate, diuersa suboriantur: eadem illa Aristotelis sententia vniuersaliùs etiam capi potest, ob motum scilicet caloremque cœlestem, quibus omnia mouentur fouenturque: cœlum quippe inter omnia corpora naturalia perfectissimum, cui & motus perfectissimus: hoc est, orbicularis competit: & supremus locus: & perfectissima sensibilium qualitas: id est, lux: quod autem primum est in vnoquoque genere, reliquorum causa est, quæ sub ea serie continentur, licet eandem rationem causæ non omnia possideant. A` primo igitur motu, cæteri motus, à qualitate prima cæteræ deriuantur, luce scilicet illa viuifica quam calor sequitur, non aëreus, non igneus, sed cœlestis, omnia fouens, omnia penetrans, non qualis elementalis: quanquàm nomine conueniat ille, siquidem & frigus & omnes qualitates continent eminenti simplicitate sicut motus cœli omnes motus: sicut cœli natura omne corpus, sicut lux omnes colores, ac vt Pythagorici dicerent, sicut vnitas omnes numeros: quare omnes virtus sublunarium corporum & qualitatum ab istis, & corpore & qualitate gubernantur.

CAP. IIII.

SOLVITVR SECVNDA RATIO ET IN ASTROlogos ipsos retorquetur.

Retorqueri pari pacto possumus eorum secundam rationem multiplices ingerentem difficultates ab operibus Solis & Lunæ petitas, quibus inferiorum mutationes exorirentur: Sed hoc in ipsius Solis & Lunæ quà naturales duntaxat causæ sunt, naturam referemus, non autem in stellas alias, sed nec in ipsa luminaria ea ex parte qua Mathematici planetarijq; circulatores contendunt, quibus confectis in eos ipsos arma mouebimus. Igitur anni variatio ex accessu Solis atq; recessu referri debet, accepta in obliquitatem Zodiaci circuli,

circuli,non in ſignorum naturã.Flagrat enim & exurit ideò nos in Leone poſitus Sol, quia tum proximiùs fertur ad aërem quo vallamur, minuſque ſeiungitur à noſtro vertice quàm antea. Sed & in Cancro item exurit, quia proximior ſcilicet defertur, quàm cùm in Geminorum ſigno collocabatur, pro diſtantia igitur maiori calefacit minus,non pro ſignorum natura,& qualitate vt fabulantur Aſtrologi : quare explodenda illa quam aſſignant caloris cauſa. Inquiunt enim excalefacere ideò nos Solem in Leone conſtitutum,quia ſignum Leonis calidum eſt & Solis domus. At quæſo reſpondeant cur Sole ipſo in Cancri ſigno conſtituto intenſus nos calor excruciat? Neque enim Solis domus eſt Cancer,non eius exaltatio, non igneum : hoc eſt, ſiccum calidumque ſignum Cancer eſt: ſed frigidum humidumque, vtpote aquaticum, quod & eorum dogma præſcribit : pari pacto in Ariete conſtitutus Sol,veſtit humum floribus,quia tùm fœcundum tempore immittit in terras, non quia Solis exaltatio ſit Aries, vt ipſi contendunt diuinaculi : ſi enim ideò id fieret,quia Solis exaltatio Aries eſſet, fieri etiam illud idem deberet vbicunque terrarum. Cùm enim cauſa, hoc eſt, exaltatio communis ſit omnibus terris,conſequens eſt vt etiam effectus, id eſt, calor inde proueniens etiam communis fiat: ſed hoc apprimè falſum,igitur & illud vnde pendebat deducebaturque : quandoquidem Sol in Libra Arieti aduerſa,idem apud alios facit populos, quod apud nos in Ariete. Colligendum itaque de Solis radijs magiſque & minus nos afficientibus, id ipſum euenire, non de Aſtrologorum fabulamentis. Tonitrus quoque eadem illa cauſa veris tempore generantur, diſſoluta ſcilicet hyemali humiditate, ob calorem aëris affecti à Sole, vnde ſurſum plurima tollitur euaporatio, quæ quia Sol non ad perpendiculum radios eiaculatur, minus intenſus redditur calor quàm vt ipſam poſſit conſumere atque inde tonitrua fulminaque proueniunt. De hac eadem cauſa variæ pendent ægritudines ſtatis anni temporibus,præcipuè graſſantes,vitiligo vere,quę ſummam occupat cutem ob humores ea anni parte maximè redundantes.Mentagra æſtate quæ de ſicciore ſcilicet aduſtaque materia ſcaturit, quemadmodum tertio libro nobis inſinuatum eſt. Autumno lepra quæ de atræ bilis infectione prodit Hyeme lentigines quæ de humidioribus frigidioribuſque ſuperantijs generantur, non igitur Luna in Ariete,in Cancro, in Libra,in Capricorno poſita, vt Ptolemæus ſomniauit, ſed diuerſus Solis poſitus, quò magis minuſque calemus,in cauſa eſt,vt hæ ipſæ ægritudines fiant. Quapropter concludendum ſtatam in anni temporibus diuerſitatem,in obliquitatem Zodiaci ſigniferive circuli eſſe referendam.

Quod ſi quis obijciat eadem Solis poſitura, & æſtates magis minúſve feruere,& hyemes eundem ſemper rigorem non ſeruare, & alios alijs calidiores eiuſdem æſtatis dies eſſe, ac eiuſdem pariter hyemis frigidiores, quare ad cœlum neceſſe eſt hæc ipſa referre : ad cœlum & ego (ſed vt ad vniuerſalem quod probatum eſt cauſam) libenter referam, in inferioris autem materiæ diſpoſitionem vt in particularem proximamque cauſam id ipſum referendum contendam. Siquidem & Ptolemæi teſtimonio & ſenſus experientia varia materiæ diſpoſitio plurimum momenti & ditionis obtinet in ambientem in nos aëra. Quò fit vt inferior quoque mutatio, vel excitatio ventorum, vel inundatio pluuiæ, vel huiuſce generis quidpiam,etiam procul factum aërem afficere noſtrum poſſit, quo deinceps afficimur. Cùm enim ſublunaria hæc ſemper in motu ſint, & continuo quaſi fluxu tumultuentur, poteſt alicubi concurrentibus particularibus cauſis, quæ variæ & penè innumerabiles eſſe poſſunt, reddi materia quæpiam generandis ventis vel imbribus idonea, tollique in ſublime. Alicubi autem non reddi ex defectu videlicet particularis cauſæ, quæ vel nullo pacto vel minus quàm oportet,materiam præparet. At ſi rurſus aſſumas vt hæ particulares cauſæ hîc moueant, alibi non moueant : cœlum in cauſa eſſe dices, vtique aliquid ſi memineris ante omnia cœlum eſſe vniuerſalem cauſam & primum habere motum à quo reliqui dependeant. Si illud quoque ſecundo loco recordaberis, ſic inſtitutam rerum naturam à Deo vt ſingula ſuum exequantur officium : quare vel à largiente motum, vel à generante grauia & leuia inanimata moueri : vegetabilia à ſuis formis, bruta à fine quam apprehendit anima, rationalia à voluntate quam liberam eſſe, nec hoſtes Aſtrologi negant. Inde fieri vt particulares huiuſmodi & aliæ cauſæ particulares in terris effe-

ctus producant, quod si concesserimus præter Solem & Lunam alios alijs Planetas calidiores, absonum minimè putaremus, si etiam condonaremus illis vt qui minus calent ex accidenti, nihilominus dissolutis, scilicet, humoribus excitarent nebulas, pluuiasque demitterent. Qui verò feruentiores siccitatem caloremque proferrent, cùm scilicet nobis propinquiores aut directioribus radijs, sicuti de Sole diximus, nostrum aëra collustrarent. Verùm si quid ab illis ad nos peruenit, pertenue id quidem & exiguum quo ad istas inurendis sensibus qualitates pertinet. Aestus autem maris & fluxus, refluxusq; in aliam causam quàm in Lunam referunt nonnulli: quòd si Lunæ ipsa quoque reciprocatio feratur accepta, nihil minus inde Astrologia iuuabitur. Adelandus quem discipulum Ammonij fuisse opinor, causam reciprocationis putat, quòd partes maris quas terra dirimit, in vnum confluere locum & se contingere properent, quæ obiectu terrenæ molis repulsæ iterum quo naturalis impellit motus, reuocētur, & confirmari vel hac ratione Adelandi opinio potest, cùm partes elementi ad suam integritatem ad locum proprium atque congenitum naturali propensione ferantur.

Quod autem Luna in causa esse non possit, indicio illud est, quod nulla reciprocatio est in maribus torridæ Zonæ vicinioribus, quibus tamen nec natura maris, nec Lunæ deest præsentia, sed terrena illis deest moles, cuius obiectu partes à toto repellantur. Putant alij vapores & venti ex aqua terrosa salsaque concitati tumultum excitare in mari, quo accessus & recessus cùm subsidunt scilicet & eleuantur, fieri producique possint. Alpetragius in motum diurnum eam retulit quo mouentur omnia, sed inferiora minus: ita ignis sphæram rotari in orbem: in aëre autem inordinatum nec omnino circularem gigni motum, qui in aqua desinat finiaturque in accessum atque recessum. Alij vnumquodque elementum in propria moueri sphæra dicunt, quare & aquam pariter moueri & reciprocare. Rogerius Baccon ex Lunæ lumine id voluit conijcere, quam opinionem multis validisque rationibus Picus patruus confutauit atque vanam omnino ridiculamque monstrauit. Alij non ad Lumen, sed motum refugere Lunæ, quem tacito quodam naturæ consensu Oceanus imitaretur, qui & cum ascendente ascenderet, & cum descendente descenderet. Philostratus Apollonij narrat & probat opinionem quam per epistolam Indis explicasse commemorat in hunc modum: quod Oceanus à spiritibus sub aqua existentibus impulsus ex multis hiatibus, quo partim in ipso, partim in terra circa ipsum sunt, ad exteriora diffunditur ac rursus retrocedit: alij alia. Illud nobis sit satis in multas referri posse causas, earumque aliquas rationi consentaneas & probabiles, quibus inde nihil iuuari possit Astrologia, quin & confutari atque repelli: cùm in Lunam si referentur: omnibus certè quibus & ipsa adsistit æquoribus reciprocatio contingeret: aliqua tamen esse in quibus nullus fiat accessus recessúsve: Sed sit Luna in causa quid sibi inde arrogat Astrologia, cùm nec motus, nec luminis, nec influxus occulti vendicare sibi notitiam possit ad recipiendam reciprocationis causam: nanque & sub imo posita terræ, cieret moueretque aquas, ad quas tamen eius radij peruenire non possint. Indici quoque maris & Persici æstus neque in Lunam, neque in signorum qualitatem referri debent: sed in Solis positum conditionemque materiæ. Persicum enim, Sole Virginem ingrediente, agitatur, præcipuè cùm peruenerit ad Sagittarium: Placidum verò est, tranquillè quiescit, cùm Pisces occupauerit & Geminos: contrà Indicum sub Virgine & Sagittario tranquillum, sub Piscibus & Geminis innauigabile est. Proinde vtilis est non superstitiosa horum temporum obseruatio, habita maris ratione quod nauigant, à quibus etiam obseruati dies quibus abstinendum nauigatione prædicant. Causam autem habere aliundè in cœlo non possunt, quàm à Sole, quoniam stata de illis & perpetua obseruatio est: quare ad Solem tantùm potest referri, cuius ijsdem temporibus eadem ferè est habitudo, ad alias constellationes nullo modo potest, quæ nunquàm eadem ijsdem temporibus inueniuntur. Quod autem conchilium natura varietur ad Lunam nihil Astrologiæ, sed naturæ rerum accedit. Luna enim calida est, sed parùm: Caloris autem natura est quod tertio libro attigimus, vt si debilis sit, humiditates euocet, nec consumat, quod potentis caloris officium est: quanquàm autem calida est, frigus quandoque parit, sed ex accidenti: sicuti & Sol ipse Luna calidior: vtrumque enim princi-

principium esse frigoris atque caloris Aristoteles scribit: verùm Sol hyemem & æstatem facit per annum ex accessu ad nos & recessu, Luna per mensem, ex augmento diminutioneque luminis calefacit, igitur Luna plena lumine, frigefacit, eo destituta, hoc est, à nocturno nos frigore non defendit: cùm adolescit echini & id genus viuentia quod & antè ex Aristotelis auctoritate narrauimus, pleniora fiunt & succulentiora: Frigida enim cùm sint & sanguine careant, fœta vberiore lumine vitalius incalescunt, concoquunt meliùs, & fiunt habitiora, cùm verò senescit, huiuscemodi siccantur humiditates, vacua fiuntque Ostrea: contrà verò aliæ crescunt humiditates quæ ipsa adolescente Luna decrescebant. Scribit enim idem Aristoteles in libris de Animalium generatione tempora decrescentis mensis humidiora & frigidiora esse. Nulla autem in dictis contradictio, quæ alioquin minus consideranti ingereret sese: Nam Luna crescente, bonæ crescunt humiditates, vt diximus, decrescente decrescunt, quæ scilicet lumine vigorem capiebant. Decrescente verò Luna malè humiditates exuperant non à Luna, sed ab elementis prouenientes, quibus Luna minus resistit, & calore debilitata & sub finitorem maximam noctis partem demersa. Vnde propinquante nouilunio pleniùs fluunt menstrua, teste Aristotele in historijs & de Animalium generatione. Sed eædem humiditates prauæ ipsa crescente minus fluunt.

Criticos autem dies in cœlum, vt putant Astrologi, & præsertim in Lunæ motum non debere referri, liquidò apparuerit, si opiniones ipsæ rationesque examinentur. Galenus huiusce rei inter medicos auctor tertio libro de diebus Criticis duplicis meminit Lunaris influentiæ, quarum alteram à Sole dicit esse, cuius lumen accepit Luna: alteram à circuli Zodiaci signis quæ proprio motu singulis pererrat mensibus, tùm ponit ex Astrologorum sententia quasique comprobatum experientia. Lunam ipsam in oppositis locis atque quadrangulis vel respectu Solis, vel signorum magnas commotiones excitare: In quadrangulis autem locis à coitu diuiduam fieri, in oppositis impleri, ideoque statum aëris immutare. Rursus easdem mutationes accidere rebus cùm peruenerit ad signa locáve opposita aut quadrangula locis eis quæ dum ab ipsa occuparentur Luna, ortum res illæ sumpsêre: verbi causa: si posita in Tauro Luna res cœperit, eidem accidere commotionem, cùm in Leone, Aquario, posita fuerit, quæ sunt loca Tauro tetragona vel aduersa, quòd auctoritate Aegyptiorum confirmauit. Indeque putauit criticorum habere dierum causam exploratam atque compertam cùm præcipuè habeantur critici, septimus & quartusdecimus dies, Luna autem peruenit septima die ad signum ab illo quartum quod tenuit inchoante morbo: Decima verò quarta ad oppositum atque aduersum in quibus cum Luna commotiones excitet, fit vt ipsis diebus in corporibus pariter morbi tumultus excitetur, ad mortem quidem ægritudine perniciosa, ad salutem prospera. Cupiens autem Galenus ostendere non vigesimumprimum duntaxat, quod Archigenes putabat, sed vigesimum etiam diem criticum esse ex cursu Lunæ id assecutus est, qui vigintiseptem diebus adiectis octo horis consumatur, qui mensis peragrationis dicitur, hunc in quatuor partiens hebdomadas, dies sex, & horas viginti, cuilibet earum assignabat, quo circa vigesimusprimus dies, id est, hebdomaticus tertius in Lunari cursu, partim ad vigesimum diem naturalem, partim ad vigesimumprimum pertinebat: Namque duodecim eius primæ horæ vigesimum terminabant, reliquæ vigesimumprimum inchoabant, atque ita collegit criticam fieri commotionem die vigesimo in diuturnioribus quæ scilicet per numeros discurrunt pares ægritudinibus cum Luna, ad secundum quadrangulum in hebdoma tertia peruenisset, rursusque vigesimoprimo die naturali commotionem criticam fieri in acutis morbis impares numeros obseruantibus colligebat. Hoc postquam Galenus confecit quod quasi proprium inuentum, Petrus Aponensis retulit, excogitauit alia, quibus Archigeni contradiceret, vt non vigesimaprima dies inter criticas reponeretur, sed tota vigesima. Sumpsit ergo mensem non peragrationis, cuius nuper meminimus, sed eum qui vulgò simpliciter mensis dicitur, & coniunctionis apud literatos appellatur: Eo enim ad Solis coniunctionem redit Luna: hic ex diebus vigintinouem & duodecim horis conflatur: hoc sumpto, dies tres quibus ferè Luna coniuncta solaribus radijs obruitur & occulitur, nobis dempsit,

psit,

psit, illi hac ratione motus, quoniam tùm ei vis non esset inferiora permutandi, quoniam silens, hoc est, minimè lucens esset, quam rem Latini ab oculis ad aures transtulerunt. Reliquit ergo ei mensi dies viginti sex, horasque duodecim, qui mensis à posterioribus vocatus est manifestè visionis mensis. Hunc autem ei colligauit illum quem peragrationis vocauimus collegitque ex eis dies quinquaginta tres & horas viginti: Horum postea dierum dimidio subtracto mentem constituit qui dies contineret, viginti sex, & horas viginti duas, quem medicinalem vocant mensem fabrefactum, ex diebus quibus Luna & à Sole illuminatur, & Zodiacum permeat, quasi bis Lunares complecteretur influxus, & qui à Sole, & qui à signis prouenirent: ex hac computatione voti compos fiebat Galenus, cùm huius mensis hebdomadæ, constent ex diebus sex & horis decemseptem cum dimidia, quo fiebat vt tertia hebdomas medicinalis in vigesimam naturalem diem terminaretur, quatuor tantùm horis & dimidia parte horæ superexcrescentibus, quæ in vigesimum primum diem referuntur. Hunc laborem sibi gratis assumpsit, cùm ex mora peragrationis Zodiaci etiam vigesima dies critica haberetur, vt ostendimus, & ipse etiam non negat vigesimamprimam esse criticam posse in acutis præsertim morbis.

Hoc autem ideò diximus, ne cùm monstrauerimus dies criticos referri ad Lunam minimè posse, siue à Sole virtutem, siue à signis consideremus, responderi posset, non plenè satisfactum, quia mixtum quendam influxum quo dies excitarentur critici Galenus introduxisset: hoc aut fortè ille non fecit, aut si fecit, facere tamen rationabiliter non potuit, quod multis rationibus ostendemus. Nam si commotiones, vt inquit, fiunt, cùm Luna est in quadrangulis aut oppositis loco alicui primordiali signis, rursusque cùm quadrangulis aut oppositis Solis radijs illustratur: Non debemus hos euentus expectare à Luna præterquàm his temporibus quibus altero illorum modorum se habet, si de illis videlicet causis euentus expectatur. Sed si à mense medicinali eiusque medietate & hebdomadis expectantur, ab illis causis non pendebunt quas parere scilicet & excire commotiones probauit Galenus: tùm enim illæ causæ non sunt. Absurdum igitur nimis & fatuum misceri conflarique vtriusque constellationis virtutem illo tempore, quo illarum nulla constellationum inuenitur: Quare si in hebdomadis aut medietate mensis medicinalis vis ista excitatrix & critica quæritur à Galeno, non autem in hebdomadis medioque mensis peragrationis ipsius, & manifestè visionis, in astrologicis influxibus nullo pacto inuenietur: Neque enim ad quadrata aut opposita signa, neque ad quadrangulares aduersásve cum Sole figurationes redigi potest, sed neque conflari, vt diximus, conseruarique poterit eo tempore quo ista non sunt. Prætereà secundùm Galeni mensem tredecima magis quàm quartadecima dies critica erit: Illa enim tredecim horas, hæc tantùm vndecim habet, quid ergo, inquies, Galeni defensor, vt quartamdecimam constituas criticam, dicens te peragrationis non Galeni, vti mense, contrà vt vigesimum criticum facias non Galeni, sed peragrationis mense veteris? Prætereà si quis ægrotet pridie quam Luna coniungatur habeatque diem septimam criticam, nullo pacto hoc ex potestate vel à Sole vel à signis recepta esse poterit, cùm maximam partem eorum dierum delitescat, &, ipso auctore Galeno, nos non afficiat. Mitto quòd omnino factitius ille mensis Galeni, nec naturæ moneta percussus, illudque claudit in se quòd tres dies à Sole obtegatur Luna: quod falsum esse & Alphagranus testatur, & experientia conuincit. Siquidem & vespere eius diei nouaculari facie conspicitur, & mane etiamnum priusquam Sol exoriatur. Sequitur & illud quòd Luna (si dies illi stati firmique habentur) semper eodem passu procedat, non autem velociore tardioreque, quod à veritate alienum astronomicis supputationibus demonstratur. Quòd autem Lunæ cursibus non regantur critici dies siue à Sole, siue à Signis virtutem acceptam dicamus, ideò patet, quia si à Sole petatur vis, sequeretur nos semper in nouilunio morbis inuadi. Luna enim die septima ægritudinis dimidia aliter esse non posset, nec eius plenitudo luminis quartædecimæ morbi responderet, in quibus affirmat ex quadrangulari & aduersa cum Sole configuratione humores excitari. Si verò à signis mendicent illam, ita argumentamur: Die septima iuxta te commotio fit, rursusque quartadecima, sed plærumque Luna per hos dies in quadratis locis vel oppositis non est: Igitur à Luna qua

quia in illis est locis commotio ipsa non pendet deriuatúrve, quod posterius assumpsimus pro comperto habent, qui vel mediocriter lunares motus supputârunt. Nam sexta quandoq; die ad quadrata signa pertingit, & decimatertia interdum ad opposita, aliquando non priusquam die octaua vel nona quadrangulari fit loco. Nec tamen critici dies semper hunc imitantur motum, & si imitarentur, criticorum ratio dierum alia quàm præscribitur & esset & haberetur.

Quapropter alij alias criticorum dierum causas assignauêre nihil ad Lunam recurrentes. Hippocrates quidem nusquàm super hoc verbum: Nixus autem est hunc ordinem referre ad numeros quos natura libenter obseruet, quod & Asclepiades & Celsus notauêre. Auicenna opinionem hanc Lunarem reiecit, vt quæ multam contineret ambiguitatem, quæstionemque reiecit. Idem & Auerrois in Colliget effecit, neque enim ad medicum spectat perscrutatio causæ dierum criticorum, sed altioris id opus philosophiæ. Scire autem spectat ad eum qui dies critici sunt, quoque pacto tractandus æger est, cùm vel apparent, vel præuidentur: In hoc sequendus Galenus medicus præcellens & admirandus, in illo minimè, sed posthabendus, tùm quia aberrauit, vt ostendimus, tùm quia eius in philosophia iudicium & auctoritas ab eiusdem in medicina fautoribus paruipenditur. Nam & Auicenna & Rabi Moses Aegyptius tradidêre plus eum scientiarum ramis quàm radicibus inhæsisse. Alijs quoque in rebus plurimùm exorbitauit, in dialecticis, in naturalibus, de motu quoque, de anima. Sed & Astrologiæ eum minus peritum fuisse Lunaris motus supputatio docet, neque aliter eum Aponensis defendit, quàm quod eius ætate cœlestium motuum ratio comperta non erat: Quid? Quòd & apertè negat rationem se dicturum, cur in aduersis & quadrangularibus signis à loco Lunæ initiali commotiones excitentur, & Aegyptiorum duntaxat auctoritatem prætendit, quos tamen in sexto suo de Simplici medicina libro taxat delirijque condemnat. Sed nec obseruari ab illis potuerunt qui Lunæ scilicet cursus minimè fideliter nouerat. Primus enim Hipparchus in Rhodo insula aliquantò veriùs illos obseruauit, certiùs postea Ptolemæus, quem tamen taxat Hispania. Neoterici autem postquàm Lunæ cursus exploratus magis atque compertus est, rationem reddere de signorum natura voluêre, quæ tamen nec veritati, nec Galeni dictis quæ sequuntur, nec positioni quam tuentur consonat. Signa, inquiunt, quadrata vel opposita contrarias habere qualitates: quadrata, vel vtrasque, vel agentes: opposita verò altera saltem qualitate discordare, tùm addunt, quadrangulos aspectus & radiationes diametras contrarias esse atque pugnantes: his sumptis inferunt: cùm igitur Luna ad loca illis quæ tenuit, inuadente morbo, inimica peruenerit, inter morbum atque naturam pugna suboritur. Nos autem quanquam assumptum negare possumus, suo tamen loco id differentes, ipsis ad præsens illud condonemus, quo eorum opinionem destruamus suisque met telis illos prosternamus. Criticos, inquiunt, eò fieri dies, quòd si in Tauro (gratia exempli) fuit Luna morbo occupante naturam, cùm locum ei quadrangularem, vel aduersum tenuerit, hoc est, Leonem vel Scorpium, bellicum canet morbo atque naturæ: ex hoc inferam ego: idem & magis etiam affecturam Lunam, cùm Geminos possederit, qui à Leone magis quàm Taurus discrepat, cùm Libram quoque occupauerit, cui magis contrarius est Taurus quàm Scorpio: Nec alia ratione quàm ipsorummet Astrologorum, quorum scilicet assumpto nitimur connexionem consecutionémve probabo. Siquidem iuxta eorum dogmata: Taurus siccum est frigidumque signum, Leo siccum & calidum, Scorpius frigidum & siccum. Geminorum signum calidum & humidum. Dicent fortasse non esse inter hæc signa colligationem aspectus. Sed quamuis nullam hanc esse aspectus rationem idoneo libri loco probabimus, eò ad præsens non diuertentes, ita instabimus etiam vt non colligentur aspectu, contrarius locus est, ánne? Negare non possunt, quia sibi ipsis contradicerent: Si autem contrarius est, Luna contrarium primo effectum iuxta tuam positionem facit cùm ad locum contrariæ deuenit qualitatis. Peruenit autem ex loco frigido & sicco ad contrarium locum humidum & calidum, & contrarium tamen effectum non fecit, igitur positio corruit: quòd si fortè dicerent in ipsis aspectibus vim consistere, deberent nihilominus ex consequenti tenere Lunam ipsam cùm ad trigona signa peruenerit morbum confirmaturam, quoniam

sicut

ſicut quadrata ſigna diſcordant, ita trigona concordant: quia ſicut quadrangula ex diſcordia qualitatis excitant morbum, trigona ex concordia non excitabunt. Hoc autem poſito ſequetur, & illud medicorum regulis aduerſum vndecimam diem inter noxias eſſe ſtatuendam, quæ ſcilicet ab eis inter ſalutares criticas numeratur: Quippe cùm Luna vndecimo ferè die ad trigona deferatur, atqui fieri nón poteſt quod medici dicunt vt ſextus & octauus inter alios dies, commotiones excitent malas, repugnat hoc Aſtrologiæ, quæ, vt diximus, per hos dies, Lunam ad ipſa tetragona deuehit. Rurſus cur ſecundùm medicos & decima & duodecima omnino malæ, quibus tamen Luna non inuenitur in locis aſpectu aliquo cum ægritudinis ſigno collocatis.


Cæterùm nec à Luna, nec Sole, nec à conſtellatione aliqua habere cauſam poſſunt vt modò pares, modò impares critici ſint: & vt prætereamus reliqua, nunc enim quadrageſimumprimum criticum faciunt, poſt quem pares aſciſcunt, vt 60. & 80. & 120. poſtea circuitum menſium & annorum. Conſtellationes enim iſtis temporibus mirum in modum variantur iuxta Aſtrologos. Criticos autem dies ſtatos perpetuos atque vniformes decernunt medici, finem faciam quantum ad dies pertinet criticos, ſi pudendum Aponenſis errorem ſuper ea cauſa recenſuerim, diei ſextæ malitiam, quam Galenus comparat tyranno, ſicut ſeptimam regi, redigi ait poſſe in Lunam quæ curſu velociori veniat ad tetragonum, bonitatem verò ſeptimæ in ipſius tetragoni retulit naturam, quæ ſcilicet morbi ſigno aduerſaretur: ex quadrato igitur & malitiam ſextæ & bonitatem ſeptimæ ſimul deriuauit. Enimuerò periodos, hoc eſt, circuitus ambitúsve, aut circumductus humorum, Aponenſis ipſe ad ſydera ſimul referre conatus eſt. Atræ namque bilis periodus tardiſſimus (ceſſat enim & quieſcit duobus diebus) ad Saturnum relatus eſt, cuius etiam reſtitutionis motus tardiſſimus habeatur, rubra bilis Marti adſcribitur, pituitæ motus Marti, ſanguinis Ioui, quàm autem inſulsè hoc & infeliciter egerit diſquiramus. Sanguis nulla cauſa putreſcit, eius igitur circuitus velociſſimo planetæ iuxta præſcriptum dogma referri debebat acceptus non Ioui, qui ſi reſtitutionis tempus exiſtimetur omnium tardiſſimus poſt Saturnum. Prætereà multò eſt velocior Saturno ſtella Martis, cui rubra illis aſſignata, paulò ſegnior atræ motu, ceſſat enim ſex horis minus. Præterea ſi in præceptis Aſtrologorum ſtatur vt opera ſtellarum tardi motus diuturna ſint iuxta tarditatis proportionem, debet rubra bilis diuturnus afficere quàm pituita, quia motus Martis reſtitutio tardior quàm Lunæ, nihilominus diuturnior eſt pituitæ quàm rubræ choleræ afflictio: hæc enim duodecim, illa decem & octo horas affligit, quòd item ad ſolam Lunam referri non poſſit, vt ſecundo loco opinatus eſt. Hinc patet quòd ratio pituitæ iam aſſignata, ſanguini conuenit magis: nam quòd aquarum quæ paruula intercedente mora fluunt & refluunt imitetur motum, atque hinc ſex integras quieſcat horas, impenſiùs aptatur, conuenitque ſanguini, cuius ſicut aquæ continuus æſtus, in quo morula acceſſum dirimens à receſſu non bene ſex horarum interuallo reſpondet, quo totus agitur fluxus vel refluxus. Maior quoque in ſanguine ſimilitudo, cuius motum inſenſibilibus intercipi morulis ipſi non pernegant, qui atram poſteà bilem contrario pituitæ moueri non putant, quoniam ab eius natura plurimùm diſcordat. Atqui plus communionis habet terra cum aqua quàm cum igne, ſeu motus, ſeu qualitates eorum, ſeu locus ſpectentur. Illa enim ſicca & frigida, hæc frigida & humida, ignis ſiccus & calidus, vtræque enim deorſum mouentur, ignis ſurſum, eius quoq; ſuprema eſt ſphæra, infima terræ, cui aqua proxima eſt, ſicuti igni aër, igitur motus rubræ bilis diuerſus magis eſſe deberet à pituita, quàm à bile atra, ſi ipſi debent humores ad elementa referri.

Cur autem octauo nati menſe ferè ſtatim moriantur, in Saturnum, vt Aſtrologi fabulantur, referri non poteſt. Aiunt enim ſingulis menſibus gerendi vteri ordine ſuo ſingulos præeſſe Planetas, cùm autem ſeptem ſint, & primo menſi præſit Saturnus, ſequens eſt vt octauo etiam dominetur: eſt autem, inquiunt, natura frigidus & ſiccus, ideò mortificat, quia qualitates illæ vitæ contrariæ ſunt. Sed traditæ iſtæ dominandi vices, & Planetæ huiuſmodi proprietas & natura alibi ſuo loco confutabitur: quòd ſi etiam illa Planetæ ineſſent quæ fabulantur, nullo pacto id eſſe poſſet in cauſa, quandoquidem ſi cauſa eſſet cùm ſtata illa & perpetua habeatur, ſtatus etiam perpe-

perpetuusque esset effectus, quod & Auicenna & priùs Aristoteles negauit. Namque & hic in Aegypto, ille in Hispania octimestres pueros vixisse scribit. Sed rationabilis illa causa est, vt quia in conatu mensis septimi læditur infans, octauo si nascatur, debiliorem eum euadere; quàm vt viuax esse possit rationabilior Hippocratis, qui in libro huic ipsi materiæ dicato, in grauiorem eo mense difficilioremque vteri gestationem, & in affectionem matricis retulit, propter quæ bifariàm oppressas matres & partus, scilicet dolore & ægritudinis, non parere victuros. Restat vt illud reflectamus, quod in secunda ratione vltimo loco afferebatur, de nautis scilicet, de medicis, de agricultoribus quòd prædicebant, quare id ipsum atque etiam magis Astrologos posse. Nauta enim atque medicus, & agricultor, causas rei veras veraque signa, hoc est, propria & particularia scrutatur. Ideoque potest aliquando prædicere, non magis autem, imò minus id potest Astrologus, qui causam tantùm vniuersalem suspicit, nec eam rectè per vestigia naturæ rimatur, sed vanè superstitioseque: Quid? quòd & nautæ & agricultores prædicunt suis ex principijs procedentes, qui sæpenumerò Astrologicis placitis repugnant, veram ergo illam, falsam istam esse oportet: quare nec probatissimi agricultores, nec antiqui medici Astrologicas adhibuêre suis operibus obseruationes, ex lotio enim non ex astro, ex pulsu venarum non ex motu sphærarum præsagebant: nec inter Hippocratis libros de Prognosticis, vsquam syderum mentio. Columella rusticæ rei scriptor exactissimus Astrologis non modò adhibuit fidem in Agricultura, verùm & aduersus eos elucubrauit. Et periti gubernatores nauium non ex Ioue aut Saturno, sed ex vento, ex nubibus, ex omni aëris condictione de tempestatibus præsagiunt: Adde quod inter medicos, nautas, pastores, de eorum præceptis conuenit, inter Astrologos non conuenit, vt in libri huius calce copiosiùs ostendetur. Nimis enim fortasse hoc in capite sumus euagati, quare vt reliquas Astrologorum repellamus rationes, pes conferendus est.

CAP. V.

SOLVTIO ET REIECTIO VLTImarum quatuor rationum.



QVatuor igitur vltimæ quibus Astrologia roborari posse videbatur, diluendæ rationes restant, & in auctores reijciendæ repellendæque, duas enim primas iam retrorsimus longo progressu, tertiam in qualitatibus primis fundabant, auctore Ptolemæo, qui nec promissis stetit, nec professionis iura seruauit. De multis enim vaticinare posse docuit, quæ nullo pacto de primis quatuor pendere qualitatibus possunt, vt ostendimus: sed nec ei tantum erat laboris insumendum si à proposito non recessisset. Siquidem vna tantùm aëris dispositio, cùm infans proditur in lucem, vnusque corporis habitus erat inspiciendus, plus namque tempus anni, quo quis nascitur in fati sortitione polleret, quàm alia quælibet constellatio, si fatum fortunaque pueri de primis qualitatibus duceretur. Probatur hoc facillimè: nam ad intentionem remissionemque primarum qualitatum plus potest hyems quàm calida constellatio, plus æstas quàm quæcunque syderum iuxta Astrologos frigidissimarum configuratio. Semper enim æstiui dies hybernis calidiores, etiamsi in eis rigeat torpeatque Saturnus, semper hyberni frigidiores ęstiuis, etiam cùm ardet Mars, medioque furit flammatus Olympo. Igitur si differentia fati oritur frigore, calore, siccitate, humiditate: ab aëre ita cœlitùs per hyemem aut æstatem affecto, non à syderibus ea petenda erit, quandoquidem à cœlo eam non à materia rimantur atque mendicant. Rursus fortunæ & rerum externarum significatio petenda aliunde non erit, quàm ab ipso homine & à corporis habitu: Hinc enim externa omnia & ipsos mores pendere affinitatis ratione putauit. Falsum igitur est quod assumebant, pendere scilicet hæc à primis qualitatibus, quas syderum configurationes largirentur: Atqui nec in eis quas inde promebant consecutionibus veritas est, vt si mutationes aëris à syderibus, inde etiam cataclysmi, & exustiones, & annonæ caritas, exindeque pestilentiæ & corporum

nostrorum damna deriuarentur. Conseruat enim cœlum suo motu & lumine elementa vniuersique ordinem & integritatem, non secus ac vis potestasque particularis in corde residens corpus particulare continet ac fouet, ne defluat, ne dissoluatur. Errant igitur qui excessus elementorum vnde eluuiones exustionesque proueniunt syderibus acceptas referunt, perinde atque illi qui nostri corporis morbos & vitia in ipsam regentem corpus naturæ potestatem referrent, cuius est illa auertere non facere, sopire non excitare. Aliud itaque est qualitates primas cœlitùs fieri, aliud qualitatum earum recessus & detrimenta. Siquidem & aliud est, iura & magistratus omnes ciuitatis à boni virtute principis originem trahere, aliud quod in illis delinquitur erraturque ab ipso principe deriuari. Philosophorum quoque dogmatis consentaneum est cœlestem naturam regere & moderari elementa, ne præscripto scilicet exeant & egrediantur fines, néve ab impositis legibus euarient.

At, inquies, si faciunt stellæ aliæ frigiditatem, caliditatem aliæ, fiet aliquando vt frigidis stellis prædominantibus frigida elementa inualescant, & calidis item dominio potitis calida, quibus si concursus frigidarum calidarúmve constellationum accedat, euenire vt aut cataclysmo mergatur terra, aut exustione conflagret, facilis & multiplex ad obiecta responsio. De caliditate enim & frigiditate quàm inconsona & dubia, ne dicam vana & fatua desumant, in sequentibus ostendetur: de dominio item Planetarum atque signorum vanam falsamque eorum sumptionem pariter demonstrabimus. Sed nec rationi quoque aut cœlesti naturæ consonat, vt imperet Planeta cœlo ac ob id mundo & prodigiosa & mala demittat. Rursus elementis varijs si varia præfecta sydera sunt, ideò præfecta esse putandum est, vt perficiant, vt seruent, non vt demoliantur, vt vastent. Proindeque tantò euadit elementum perfectius, quantò potentior fuerit imperitans Planeta. Amplius si perfectio partium perfectioni totius non aduersatur, imò si cum toto partes ipsæ labefactantur & pereunt, non pertinebit ad elementi perfectionem, vt natura transgrediens ordinem occupet cætera. Sed tunc erit perfectum cùm ab ordine & præscripto non flexerit, aut excedendo, aut deficiendo. Propterea nec Plato in Timæo, nec Aristoteles in Metheoris istas temporarias elementorum tyrannides ad constellationem vim vllam vnquàm retulerunt. Verùm nec in humanis corporibus propterea dominantur vt noceant, quemadmodum nec vniuerso præesse probauimus, vt tumultus excitent, vt tyrannide vexent, vnde nec mors ipsa à cœlo, sed à materia, cùm quæque qualitas vitio proprio ita degenerauerit, vt præfecti syderis disciplinam minimè substineat, vnde vel euagatur immodica, vel remissa deficit: vt hac in parte probetur Auerrois scribens: eum qui putauerit; Martem aut sydus aliud quoquomodo dispositum nocere corporibus, aliena cogitare ab omni philosophia. Hinc patère & illud potest, non pendere omnino ab istis qualitatibus, vt somniârunt, ingeniorum morumque varietatem: nam si calor, inquiunt, siccitas & contrariæ his qualitates à syderibus fluunt; sequens est vt quæ ex ipsis conflantur temperantúrve, prodeant bilis rubra & atra pituita sanguis. Igitur bilis incitabit ad iram; ad segnitiem pituita, sanguis hilariores, tristiores atra bilis efficiet. Sed hoc oppidò quàm generale est, nec euidentiæ semper respondet; igitur & particularis esset quærenda causa, cui effectus semper quadraret; si causa scilicet eius rei certa & esset, & haberi deberet: Et prætereà non satisfacit occultioribus quibusdam & maximè proprijs ingeniorum conditionibus: Est enim interdum inuenire homines temperamento corporis simillimos, studijs tamen & moribus non quæ fecit electio, sed naturæ propensio dissimillimos. Namque præter habitum corporis & occultas dispositiones ab educatione, ab assuetudine, studiorum morumque diuersitas magna ex parte dependet. À legibus plurimùm, quæ si ritè ferantur, mansuetissimas reddere ferocissimas alioquin nationes possunt, si perperam ex optimis reddere malis queunt. Vnde arbitrij libertas contra omnem naturæ necessitatem euidentissimè declaratur. Infames olim fuére Galli puerorum amoribus, auctore Ptolemæo & Aristotele, quod scelus nunc ita abhorrent, vt sub cœlo nulla natio magis, idque opera sanctissimi principis Ludouici & beneficio Christianæ legis, quæ non vnius duntaxat populi correxit errorem, sed orbis totius mores & instituta mutauit, quæ scilicet à primis ædita fuerant. Potest autem & ad artes studiaque capessenda regionis qualitas multùm,

multùm,vt mercaturæ videlicet nauigationiq; se dedat quispiam,ciuitate in litoribus constituta,sapientiæ incumbat,literarum gymnasijs, proxima militiæ vacet, si infestis finitimis eadem vexetur,aut ciuilibus intus factionibus agitetur. Sunt quos agri fertilitas & copia desides & voluptuarios:exiguitas atq; sterilitas laboriosos, industrios, & diligentes facit.

Illud autem quod vltimo loco pro tertia ratione afferebatur,ridiculum nimis: vt si possunt sydera qualitates primas facere,& quæ ex ijs coalescunt conflanturque temperaturas,posse etiam bella seditionesq; facere,externa auferre, reddere vrbes, euertere,mutare imperia posse:nec minus ridicula ratio est, qua primam cõsequutionem probare contendunt, excitata, inquiunt, bili in corporibus regum & principum ebullit ira,vnde auidiores appetentioresque fiunt,vel inferendæ iniuriæ, vel reponendæ:irridenda hęc potius quàm confutanda:quandoquidem si deligantur pharmaca, quibus rubra cholera educitur,& bellicosis quibuscunque principibus regibusque propinentur,poterit vniuersus orbis pacari? sed sępè in causa est auaritia magis,quàm ira,cupido item potiundi regni spes & occasio consequendi, simultates quoque alternæ,& odia inter principes conflata, quæ iuxta Astrologos à Saturno sunt potiùs quàm à Marte. Interdum ipse amor iustitiæ bella suscitat atque tumultus, & sæpenumerò inest animis regum (vt sic dixerim) pro bile Deus, nunc bonos exercens ad virtutem,nunc puniens malos ministerio sæpè malorum, quos ille carnifices in mundana Republica & quasi visibiles dæmones habet.Consecutio eorum secunda ratione affinitatis à Ptolemæo roborabatur,quæ ridicula multò magis ea putanda est quà bella confecit ex bile,& inde transtulit imperia: Quæ enim ista affinitas, Ptolemæe, corporis cum externis, vt hæc illius habitum conditionesque sequantur? dices biliosus ex Martis radio factus tractabit arma, inter quæ habitat sæpenumerò mors. At potiùs opus existimari syderum solet, si homo mitis, & in otio degens obtruncetur: contraque si bellicosus & seditionum patronus plenus dierum inter suos domi moritur. Cur igitur hic Marte calidior quieta obit morte, ille pacificus oppetit gladio? De vxore verò,diuitijs, dignitatibus proponit se in primo capite libro Apotelesmatum Ptolemæus dicturum rationem, nec tamen vllum facit verbum, sequenti verò inculcat eadem quasi de illis quoque probasset. Fortè falli putans posse Lectorem obliuiosum cui scilicet allata ratio protinus excidisset.

Quarta verò argumentatio quæ viribus occultis nitebatur dissoluenda reijciendaque deinceps,illud enim ferè colligebant, si pæonia caduco laborantibus morbo fert opem,si magnes ferrum trahit,nec id ex tẽperatura fieri posse videtur, sed in proprietatem quandam peculiaremq; vim rerum earum referendum est. Cùm hæ ipsæ potestates primis materiæ affectionibus nobiliores, efficacioresque sint, sequens videri non posse stellas virtutibus huiusmodi non abundare, tùm quòd hæc ab illis euenire putantur, tùm quòd nobilissima cùm sint corpora, nobilissimis etiam dotibus proprietatibusque prædita esse consentaneum est. Porrò non corrogatur proprietates istas terrenorum indicare nobis proprietatem aliquam peculiaremque vim syderum, præter vniuersalem illam atque communem motus, atque luminis influentiam. Fluunt enim Pœoniæ, magnetis & huiusmodi cæterorum dotes, à principijs intimis, hoc est, ab eorum formis seu dicere mauis essentijs ipsorum corporum. Cœlum autem dare eas dici hoc pacto poterit, quia formam scilicet dederit quam motus ille consequitur: quarum tamen diuersitas aduersitate fit non constellationis, sed mixtionis. Ex cuius varia proportione alia atque alia forma dissultat,quòd si particulariter penderet à peculiari vi syderum aliqua, derogaretur cœlo, ad cuius dignitatem spectat simplici actu & eminentiore collecta ea possidere, quæ sub Lunari machina in multitudinem diuiduntur. Nam nec ratio conuincit, vt siccitas per se, aut frigus stellis insit præter suum illum viuificum calorem & lumen: ac ita qui contrà sentiunt interrogandi vtrum contineat calor ille quatuor qualitates eminenter, & cum secundis causis omnia producat inferiora vt putamus, ex se verò seipsum duntaxat fundat? An præter id calorem solum illis tribuant ipsi, frigus autem vt rem diuersam à calore de particulari alia syderis virtute deducant. Si primùm respondent, sequetur vt ex ratione specifica, accidat aliquid cuipiam imperfectiùs,

eò quod ex communiori natura debetur, quod nequaquam dici cõuenit, cùm differentia contractior perfectionis gradum adiungat: nota est consequutio: quoniam qualitas illa quæ omnem continet qualitatem, perfectior est, ea quæ caloris tantùm est effectiua: Igitur si debetur illa stellis vt non diffitentur communi quadam generalique conditione, suum dein dogma rescindat, quo volebant solam illam & exiccatricem influentiam ex propria syderis natura prodire. Si verò secundum pro responso afferant, ex eo etiam sequetur, vt quidpiam alicui ex propria natura competat, quod proprietatibus illis aduersetur, quæ de communi natura prodeunt, hoc autem absurdum est. Nam cùm homini quatenus animal est, competat habere sensum: eidem quatenus est homo, stupiditas conuenire non potest, manifesta id etiam connexione deducitur. Nam si naturæ alicuius syderis peculiaris vis vlla inesset frigiditatis & siccitatis effectrix, cùm sint vitæ contrariæ qualitates, cœlesti naturæ aduersarentur, & calori illi suo viuifico, qui quatenus est cœlestis, cœlestem omnem naturam dubio procul adsequitur: quare dici non potest vim istam caloris exiccatricem peculiari proprietate vel caloris istius cœlestis in vniuersum asseclam esse, vel frigorificam illam influentiam de propria syderis cuiuspiam natura manare: hoc loco defensores Astrologiæ extricare se libenter vellent, sed tenaciori complicantur visco, quàm vt vel suas illas Dædaleæ vanitatis alas exerere queant.

Antesignanus ille Lucius multa effudit vana aduersus patruum, quibus confirmaret se, vt ait, manus ferulæ subdidisse, sed quæ satagit subduxisse manum significant; logicè primùm innixus est: postquàm nihil proficere se posse animaduertit, maioreque opus esse vi quàm vt distributionis & comparationis termini examinarentur, vniuersalesque illas enunciationes patrui haberi debere nec labefactari posse, accidentalia quædam protulit: At cùm hoc quoque suffugium sibi demptum cerneret, quoniam sicut essentialibus (vt ita dicam) essentialia, ita ea accidentalibus pari pacto conferenda essent, imperfecta perfectis conferre satagit, id quoq; fieri non debere, aduertens perfecta perfectis & imperfectis imperfecta conferenda tandem intellexit: Quare nil sibi exempla sua & inductiones prodesse cognoscens, aliò confugit, in hoc errans quòd naturas ipsas, pro ijs quæ naturis competebant, in argumentis sumpsit. Animal enim & viuum quibus vsus exemplis ille est, sunt ipsa natura communiora, non autem ratione communioris naturæ conuenientia, quæcunque verò affectiones ad naturam sequuntur communem, imperfectiores etiam habentur ijs, quæ proprias naturas adsequuntur. Probauit itaque patruus non supposuit, vt autumat Lucius, nobiliorem esse eam qualitatem quæ omnes contineret qualitates, quàm quæ tantum frigus producit, huicque ipsi præstare quæ calorem gigneret. Sed & eorum simul responsionem refellit, qui Saturnum verbi causa contendunt habere à natura communi, vt calefaciat, à propria verò vt frigorifica influentia terrenam turbam informet, quare eius vel argumentationes, vel responsiones nil colimant. Autumat prætereà sicuti qualitates primæ in sublunaribus ignobiliores habentur, ita & in cœlestibus haberi debere, parùm memor dictum à patruo, quæ in imis visuntur, excellẽtiori modo ea in sublimibus contineri, sanè perfectior omnino iudicanda cœlestis qualitas illa, cuius natura corruptibili omni conditione præstantior & eminentior, quæ tametsi potens & intenta sit, nulli inferiorum naturæ aduersatur, nec materiam consequitur, nec in mixturam & complexionem venit, vt vana hinc Luci argumenta, vel à mediocriter eruditis deprehendãtur: Quòd si etiam ignota aliqua & insensibilis (vt aiunt) qualitas è cœlo flueret, adhuc perfectior ea ducenda esset, quoniam particularior eademq; cœlestis atq; viuifica. Quapropter stàt ędificium patrui validissimis rationib. veluti naturę columnis fultum. Nec somniare oportebat Lucium viuificam illam stellarũ lucem extrinsecùs aduenire, quoniam id quod secundùm naturam communẽ competit, intrinsecùs cõpetere necesse est. Quapropter siue à se, siue à Sole calorem illũ & lumen sydera in terras demittunt, nihil prężudicij nobis affertur, cùm de lumine illo & calore cœlesti, quoniã commune omnibus syderib. fatentur, verba fiat, seu id à stellis ex se, seu à Sole veluti à fontali principio communis vis illa deriuetur, quãquàm extra controuersiã non est, stellas lumine proprio carere. Sed enim partẽ aliam

liam se defendere profitetur Lucius, qualitates alias à calore non contineri, videlicet viuifico illo lumine sydereo, sed à particulari alia syderis virtute defluere. Ad vim argumenti demoliendam satis esse putauit duplicis repugnantiæ meminisse, quarum altera contrariam expellat expellaturq; mutuo, altera repugnantem effectum producat. De prima dicit intelligi non posse iuxta patruum: Secundam nil efficere contendit, sed minus præclara illa sensa percepit, quàm vt esset idoneus de illis verba facere. Vis enim argumenti patrui hac basi nititur, quòd alicui conuenit ratione specifica, non repugnat illi quod conuenit eidem ratione (vt sic dixerim) generica: quo fieri vt cùm frigiditas viuificæ qualitati repugnet, non posse eam syderibus inesse, vt illi contendunt, qui eisdem quoque non negant inesse viuificam illam & præeminentem, omnisque alias præcellenter elementales qualitates eminentia simplici continentem. Nam si cœlestis illa à communi stellarum virtute prodit, qualitas quomodo in ea esse potest earum quas in se continet qualitatum repugnantia, quæ alioquin contingeret si frigorificæ quoque illius particularis fieret accessio, cuius scilicet natura viuifico illi lumini atque calori aduersaretur, lumini inquam sua adeo natura præcellenti, vt pugnam non sentiat earum, quæ in se claudit ex communi conditione cœlesti qualitatum. Sanè præeminentis hoc naturæ proprium, vt quantò exaltatior est à sublunari atque terrena turba rerum corruptibilium, tantò minus pugnæ sit expers: sic in Deo ipso eminentissimè simplici non repugnant ideæ rerum suapte natura repugnantium. Colligamus igitur vt communis illa syderum vis quæ omnes continet qualitates, controuersiæ particeps non fiat, quam inueherent qui aliam apponerent particularem eandemq; frigoris duntaxat effectiuam.

Fusiùs hoc loco responsa contra patruum refutauimus, quando & aduersarij non nihil satagerunt, vt hoc bipartitum eius argumentum dissoluerent, quo penè solo corruit Astrologia, quoniam frigus & siccitatem cœlo deuehere nequit, quas equidem qualitates à sublunari mundo petere oportet. Nec propterea sequitur frigida elementa conseruari cœlitùs non posse, nisi frigiditatem influant sydera: nec frigus ob id esse in vniuerso per accidens, nec formas substantiales inferiorum corporum in cœlestium virtute non contineri. Nam cœlum calida non conseruat calore eiusdem naturæ & rationis: Sed omnia calida, frigida, humida, sicca, sua illa qualitate fouet, perficit, regit, moderatur, quæ nulla est ex illis quatuor, & omnes claudit in se, non quales in elementis sunt, sed quale quod multiplex est in vnitate concluditur, virtute scilicet principali: fallit autem nomen caloris quod aduersum putatur frigiditati: calor autem cœlestis nulli aduersatur, cui proximior quidem est calor elementalis quàm frigiditas, sicut etiam perfectior, quemadmodum & calor quoque rebus luci proximior quàm niger, quanquam hic etiam vt conseruetur, vt efficax habeatur, candore lucis indigeat: cæterùm & cœlum ipsum per se nulla media causa calorem gignit, alias qualitates ex accidenti: sicut & calor etiam per accidens frigefacit, id ipsum autem vt vniuersalis causa est cum secundarijs causis agit per se tàm frigiditatem, quàm caliditatem, tàm siccitatem quàm humiditatem. Nam cùm aqua aquam, cùm igne ignem generat, & cùm his proprietates, eas quæ elementorum substantias consequuntur: quamobrem cum aqua frigiditatem, cum igne calorem facit, atque hoc modo tantùm per se de cœlo pendent frigiditas & humiditas, ac inferiorum corporum substantiales formæ: quòd verò permutatio subdita à calore ad frigus frigidæ constellationis vis existimetur, quòd item Luna sub terras delata æstus moueat, quas lumen manifestum excire tum nequeat: ob idque alia esse opus influentia à calore lumineque disiuncta, non rectè omnino putatur. Nam primùm illud pro dispositione potest materiæ contingere, quæ Ptolemæi auctoritate & experimento sensus, maximum habet in aëre momentum pluuia. Igitur ventus ac huiusmodi permutationes id queunt efficere quæ à cœlo non dependent, nisi sicut à causa vniuersali omnis rei corporeæ, vt ex Metheoris Aristotelis colligi potest. At si alijs alij calidiores Planetæ essent, ij qui minus calent ex accidenti dissolutis videlicet humoribus nec absumptis in causa esse possent, vt cœlum nebulis prætexeretur, vt pluuiæ funderentur: vnde calor deficeret, frigus excresceret. Enimuerò motum Oceani si alijs quàm lunaribus causis adscriberemus, nihil sequeretur incommodi, quanquàm & motui etiam scandentis ipsius Lunæ, vel declinantis, damnisque lucis & incremen-

 tis ac-

tis acceptum referre possumus. Potest enim Oceanus tacito quodam naturæ consensu motum sequi Lunæ, quæ etiamnum suo illo tenui calore de luce prodeunte eò pertingere potest, quò manifestum lumen non peruadat; quemadmodum etiam ignis calorem eò pertransire sentimus, quò flammam accedere nec videmus, nec permeare posse cognoscimus. Hæc igitur nullo modo cogerint, vt præter viuificum illud lumen atque calorem qualitates alias cœlestibus corporibus tribuamus. Derogaret hoc cœlesti naturæ dignitatem, non arrogaret, quæ inferiores proprietates vnica virtute continet & possidet. Possidet, inquam, sua luce viuifica, quæ de moto corpore profluens afflansque calorem, indicat ferè nobis occultum mysterium diuinitatis, & potestatem in motu, in luce sapientiam, in calore figurat amorem: quibus mouet, illustrat, creat, perficit, seruat omnia primus illa Deus, primus omnium, inquam, sicuti primum est inter omnia corpora cœlum, cuius lumine sublato, nec pœonia opitularetur caducis, nec hiacynthus sisteret sanguinem, nec rheubarbarum bilem educeret. Quòd si quis contenderet præter hanc omnibus communem proprietatem motus luminis atque caloris, habere suam vnamquanque stellarum influentiam propriam, idque illi concederemus, non propterea colligerent quod quæsierant. Diuersæ enim illæ virtutes proprietatésve, quibus stellæ different in hoc conuenirent, quòd omnes cœlestes virtutes proprietatesque essent, quicquid autem in cœlo est, & si vniuersitati cœlestium comparatum particulare sit, ad terrena tamen si referatur, vniuersale est, adeò vt totam corruptibilis mundi perfectionem claudat in se, & quidem eminentium simplicius & perfectius, vt ex parte explicauimus & latiùs à præcellentissimo Ioanne Pico patruo vigesimo quinto tertij libri sui capite aduersus Astrologos enarratum est.

Sed quinto loco ab humanis euentis rationes petebant, quæ si quandoque nostras excedere vires putarentur, vel præter ordinem meritumque produci actutùm referebantur ad cœlum, verùm habent apud nos hæc omnia suas causas, quas in astris frustrà requirunt. Nam si de magnis quæstio est, vt de Alexandri felicitate, de Aristotelis præceptoris ingenio atque doctrina, cœlum causa horum non est: Multi enim eodem astro nati, nec Aristoteles, nec Alexander fuêre. Nam præter cœlum sub quo veluti vniuersali causa & philosophi Attici & Boëtiæ sues pariter germinant, causæ sunt Aristoteli proximæ & peculiares: primo sortitus fuerat (vt scriptum est) animam bonam non ab astris, sed à Deo, & immortalem, vt ipse demonstrauit, nec Astrologi negant: tùm sortitus est corpus idoneum vt tali animæ famularetur, nec hoc à cœlo nisi sicut à communi causa, sed à parentibus elegit philosophari, hoc non in cœleste corpus, sed in animum arbitrijque facultatem referendum. Profecit in philosophia ardens propositum & industria in causa est: At plusquam philosophantes multi pari studio atque labore præceptoris doctrina, & plurima eius seculi inchoata nec exacta monumenta id effecêre, at plusquàm coætanei & discipuli profecit id ingenio meliori, non meliori astro referatur acceptum, quod à Deo non ab astro, sicut corpus à patre, non à cœlo sortitus est. Pari similitudine & processu de Alexandro decernendum, deque omni eius prosperitate statuendum: magna, inquis, fuit illa de Persis victoria, maior quæ facta est ex Indicarum rerum accessione felicitas. Virtutes Alexandri quæ multæ & imperatore dignæ in causa fuêre non astrum: nam & fortitudine, & liberalitate pollebat militaris rei, prætereà & literarum peritus laborumque patiens fuit, ad hæc optimum nactus exercitum est, & sub patre Philippo exercitatissimum, & beneficio regionis bellicosissimum, & ob liberalitatem exemplumque virtutum amantissimum sui, adde ignauiam populorum quos vicit (vnde à patruo dictus est pugnasse cum fœminis) postremò necte fortunam, non eam quæ dea à gentibus facta est, non quæ à cœlo dependeat, sed quam Aristoteles secundo libro Physicæ Auscultationis definit, non per se, sed per accidens, causam, quam vulgus fortunam nominat, & per hæc solet exprimi verba, ita sors tulit, ita euenit, ita res cecidit: Hæc omnia fecêre Alexandri magnitudinem quam ita futuram prima omnium causa Deus omnipotens decreuit, & voluit vt multis antequam nasceretur annis Prophetæ sui præuiderent & piè præsignarent. Idem judicium de ijs quæ præter meritum accidunt, ferendum est, si facinorosi plectuntur à

tur à iustis, miraculum non est, si à facinorosis iusti, non opus est cœlo, vbi Dei cœlique despectrix malitia satis est. Neque enim errata hominum cœlo, sed hominibus ipsis imputanda sunt, qui Dei contemnunt ordinem, quem & cœlum seruat & sydera non prætereunt, tùm Dei summa & bonitas, & sapientia plurimùm existimanda, quæ ex malis elicit bona: denique cùm rei cuiuspiam admiratio nos subit, & causam quærimus ad proximam eundum hæc si deest, remotior & occulta quærenda, & cùm in hominibus absonæ quædam appetitiones apparent, non ad exteriorem extemplò, verùm ad interiorem potiùs recurrendum est causam. Quid enim afferri poterit cœleste, vt prægnans mulier terram comedat libentiùs & cabones, quàm exquisitum omne genus eduliorum, quòd si in fœtum id non in astrum reiecerint, pariter consequetur, vt huius effectus causa in temperatura corporis, non in cœlo quæratur. Cùm autem eorum quæ rarò fortuitò eueniunt, vestigatur causa, si Aristoteles consultus fuerit, respondebit tàm secundo libro Physicæ auscultationis, quàm sexto primæ Philosophiæ, id certam causam non habere, quod temerariè scilicet fortè & contingenter euenerit.

Iam sextæ rationi & soluendæ & refellendæ multa se offerunt, negamus primò tàm crebrò ab illis dici vera, quæ si vt pollicentur, præstassent, etiam non omnino, sed magnoperè, non solùm non eiecti ciuitatibus, & apud prudentissimum quemque ludibrio habiti: Sed summo in honore apud omnem ætatem, apud omnes Gentes fuissent, tanta scilicet est hominum curiositas præsciendi futura, præsertim quæ ad se attinent. Sed legimus philosophis, imperatoribus, medicis, poëtis, publicos decretos honores & erectas fuisse statuas. Astrologis quotiens legimus, si fortè de Beroso nonnihil dicas, cuius statuis ob prædictiones aurata lingua attributa sit, auctore Plinio. Illud animaduertere prædici posse in cœlo multa à veris Astrologis qui syderum moles motusque metiuntur, non posse à falsis de cœlo prædici effectus, quos mentiuntur: tùm illud edisce, Berosi prædictiones quæcunque illæ fuerint, aliunde quàm ex astris procedere potuisse, sicuti & Sibyllæ illius famigeratæ præsagia, cuius patrem Berosum existimatum, Iustinus Philosophus & martyr edisserit & Suidas. Sed vni olim positam Astrologo statuam finge, semel finge publicos decretos honores, sed non obliuiosus parte alia sis quoties legeris irrisos, pœnis affectos, & eiectos vrbibus, non solùm sub Constantino piissimo principe & Christianissimo, verùm priùs sub Tiberio, sub Vitellio, sub Diocletiano, sub alijs, quòd secundo ab hoc capite indicabitur. Non igitur quòd veri, sed quòd falsi assertores inueniebantur vrbe pellebant eos, quos alioquin si veri fuissent habiti, ex Aegypto Babyloniaque accersiuissent. Ita est certè quod Phauorinus ait, vt quæ temerè vel astutè vera prædicunt, præ ijs quæ mentiuntur, pars ea millesima non inuenitur. Seneca eos irridet quòd prædicebant quotannis Claudium Imperatorem moriturum, nec tamen moriebatur, nostraque tempestate singulis annis Romanos Pontifices exemplo Claudij efferre solitos patruus irridet. Verùm vberiorem nobis hoc anno ridendi præstitere materiam. Nam cùm superioribus quibusque annis Alexandrum sextum eius nominis Pontificem inter mortuos suis in vaticinijs reposuissent: vixit ille in Astrologorum inuidiam lętus & alacer. Hoc autem anno qui nobis à Christi natali tertius & quingentesimus supra millesimum euoluitur, qui eum antea solebant efferre Astrologi, & vitam eidem contulerant & fortunas prosperosque gerendarum rerum successus spoponderant. Ne autem veriores apud vulgus inuenirentur, egregij diuinatores in eius sospitate prędicenda quàm fuerant priùs in aduersis minandis, excessit è vita nuper, vt nec ei ad hanc diem, qua hęc scribimus, qui succedat, sit delectus. Scribit Cicero, Pompeio & Crasso, & Cęsari, à Chaldęis prędictum neminem eorum nisi domi, nisi senectute, nisi cum claritate esse moriturum, & nihilominus ille in Aegypto obtruncatus, hic in senatu multis vulneribus confossus, alius apud Parthos cum exercitu occisus est. Afferrem & nostri temporis & domestica etiam exempla multa ni longior essem, quibus aduersus eorum pręnunciationibus effectus probarentur: quòd si obstinatè contenderis, euenire tamen interdum quod prędixerunt, non magnoperè refragabor. At cùm multò sint plura quę mentiuntur, cur non putemus casu eos in veritatem incidisse.

Et sanè præter id quod comperta non sumunt, falluntur etiam plurimum in connexione consequutioneque sua dum colligere putant, veram ideò artem esse, quia futura quandoque prædicant & effectus inde sequatur, eodem & ego argumento probabo quamcunque anilis vanæq; superstitionis artem veram esse. Siquidem nulla est etiam quam tute ipse tibi fortuitam temerariamq; confinxeris ex qua si iugiter prædicas prænunciesq; aliquando non accidat, quod ex ea videlicet prædictum est. Sic & suprà Aristotelis auctoritate diximus fatuos atraque bili tumultuantes futura quandoque effari, quia plurima scilicet proferunt & identidem iactant, quare si apud Astrologiæ auctores diuinatrices aliquæ artes falsæ putantur, pugnantia eos dicere ostendam, dum scilicet verè omnes probabuntur eamet ratione, qua ipsi in sua astruenda sunt vsi. Si verò omnes parte alia veras putauerint non minus pugnantia dicent, nec magis à contradictione se tuebuntur, quin redarguti rubore suffundantur, ni pridem fortasse verecundiæ nuncium remiserint. Atqui illos ipsos citabo testes, si eadem de re, & Chiromantes, & Astrologus, & Geomantes, consultus idem responderit. Namque ferè semper non idem designabitur in manus lineis, quod aut ex Geomanticis punctis colligebatur, aut ex Astrologicis Planetis deducebatur, ac ibi sæpenumerò veritatem magis inueniet vbi minus sperabat, siue quòd ibi plus possit casus, vbi minus est rationis, siue quòd in illis maligni dæmones libentiùs fallant. Firma quippe Augustini sententia est, occulta dæmonum afflatione, quam nescientes patiuntur Astrologi, assequi eos interdum veritatem, quam alioqui non assequerentur: tumque id maximè fieri putandum est si mirabili prædictione particulariter aliquid dictum vel factum pronunciauerint, quòd nec ipsam artem Astrologiæ præstare posse testatus est Ptolemæus in primum Centum verborum libro scribens, solos numine afflatos prædicere particularia. At si qui mirabuntur quomodo hoc fiat, mirentur priùs quomodo tueri possint illud genethliacorum dogma, esse vnum alio magis fortunatum, Astrologum in assequenda veritate pari in vtroque ingenio, doctrina, & diligentia, nempe hoc referri in aliam quam in superiorem cœlo causam non potest. Si hoc esse fortunatum in prædicendo, nec ab ipsa arte, nec ab ingenio, nec à diligentia prouenit. Si verò fortè responderint flecti cœlitùs animum prædicendis ad veram sententiam, in quam multa tentando imprudenter incidat, cùm super eadem re ferè semper diuersæ opiniones inueniantur: dicemus & nos, hoc idem proculdubio fieri posse ab occulta & latenti dæmonis inspiratione, quem non solùm hoc posse diuina sapientia sinit, sed illud etiam vt quod falsò fuerat prædictum opere implens verum efficiat: nullam decentiùs summa iustitia pœnam exigente, quàm vt quæ diuinæ veritati superba ingenia non subduntur, vnius deinde nebulonis & sycophantæ mendacijs & fidem, & libertatem obligent suam. Sed & illud aduertendum quòd multiplici fallacia & astu sua obtegunt mendacia Astrologi, ne omnino falsi apud vulgus appareant. Nam & subdolè subque conditione sæpenumerò pronunciant, si de futuris præfantur, si verò de præteritis vt ostendatur, talia euenisse qualia cœlum significabat, vel signi bonitas, vel malitia planetæ illis præstò erit, vel alterius stellæ radiatio, vel cum Sole amor, cum horoscopo odium, vel amicitia. Prætereà mutuabunt ab Indis imagines, ab Aegyptijs Dodecatemoria, item Chaldæorum, & antiscia Firmici conducent, vel fictum omnino à se aliquod derepentè producent: hinc factum vt nulla positio syderum habeatur, in qua & prosperæ & aduersæ significationis multiplex constellatio non inueniatur: colligamus igitur nec euenire quæ dicunt, nec si eueniant crebrò id esse, sed rarò, astuque eos & malitia iuuare artem putatum est, quæ nec ideò existimanda esset vera pro futuris euentibus pronunciatis, quoniam & quæque falsæ eadem ratione verè probarentur. Ostensum prætereà vanitatem ipsam præter artificum astutam malitiam, malignum dæmona fouere, ad animos hominum irretiendos religionisque tum puritatem inficiendam, tum perspicuitatem obscurandam. Liquet igitur rationes quæ Astrologiam roborare vidētur, in defensores retortas, artem ipsam non confirmare, sed infirmare: quæ etiam (si gratis concedantur) vt pensi quicquam habeant, ob idque nonnullis visum aliquas non omnino damnandas, non tamen propterea sequitur, vt ipsa quam colunt aut ars vllo pacto, aut scientia esse possit, quod septimo capite tractare incipiemus Physicis Theologicisque rationibus nixi, sed priùs damnatam

damnatam eam irrisam & confutatam sententijs Philosophorum prudentium, prophetarum, theologorum, & ipsius Ecclesiæ palàm faciemus: vt & sententias recta ratione fundatas, & rationes à sanctissimis sententijs nihil abhorrentes, quin & consentaneas, & conformes deprehendamus.

CAP. VI.

QVOD A PRAECELLENTIBVS PHILOSOPHIS ET AB HIS qui sapientiæ similiter & Mathematicæ vacârunt, Astrologia semper, vel irrisa, vel confutata est. Item de ingenio scriptorum Astrologiæ.



HAnc itaque non artem certè, sed vanitatem, nullus philosophorum sanę mētis probauit, omnes vel plurimi persecuti sunt, multi risu & subsannationibus eam prostrauêre. Alij nec dignam putauerunt de qua verbum aliquando facerent, silentio eam magis quàm nonnulli verbis condemnantes. Pythagoram Astrologiæ fidem nō præstasse, ex Diogene Laërtio, & Plutarcho, & Theodoreto compertum est. Democriti illud vulgatū est: Quòd ante pedes nemo spectat, cœli scrutantur plagas. Respondis egregiè defensor, nec Pythagoram, nec Democritum potuisse damnare Astrologiam: vtpote magicę quoq; artis inuentores habiti. Non percepisti quid probādum desumpsimus. Hoc illud est vt cùm ex alijs, tùm ex eis auctoribus in ea eos non fuisse sentētia monstremus, vt fides Astrologicis adhiberetur, quòd si ad discendam etiam Magiam nauigauerunt, nonnulli & aliquam eius partem admiserunt, eam putârunt cum naturalibus rebus magis habere commercij, quàm diuinatrix Astrologia, tametsi vniuersę Magię putetur magistra, quā & irridet, & confutat Panetius Stoicus, & illam ipsam incessuit ex eadem porticu Seneca, cuius paulò antè fecimus mentionem. Dicis fatum omnino nō reiecit, disce tu plures fuisse Senecas, disce & aliud poëtæ licere, aliud expedire philosopho. Disce & illud vniuersam Astrologiam fato non constare, quæ etiam deligendas horas docet, & cœli sibi fauorem ex auspicationibus conciliat, quæ fatali necessitati aduersantur. Disce & plures esse fati acceptiones, quod in processu monstrabitur aliqua ex parte. Et sanè priusquam de literis iudicium ferre debueras non modò quaspiam Aristotelis schedulas, sed omnes eius authoris libros, omnes Platonis & Platonicorum, sed & nostrorum in primis Theologorum vniuersas excusisse. Didicisses profectò Platonem inter adrastiam necessitatem & fatum distinxisse, & vnum ab alio diremisse: Didicisses Aristotelem & eius expositores præsertim inter Græcos præstantiores non aliter de fato quàm de natura loqui consuêsse: Didicisses & ipsum Seuerinum Boëtium cùm plura de fato loqueretur, dixisse illud rebus mobilibus inhærere, & illud quoque subinde hausisses, naturæ auctorem, nec naturā ipsam, nec eius operationes proprias demoliri solere. Sed ab his consultò supersedeo, quoniam nec eorum hic locus, nec decreuimus silentium huic quæstioni, quin & si Deus fauerit, de fato & diuina prouidentia particulari libello disseremus.

Nunc ab Astrologica vanitate conterenda, non diuertamus, cui magnoperè quidē sapiens Bion infensus fuit, de qua nec verbum Plato quidem vsq; fecit. Facere autem maximè in Timęo si apud eū quicquam habebat pensi debuisset, vbi rerum ab eo vniuersitas pertractatur, verùm nec ibi nec alibi. Siluit enim exemplo Timæi Pythagorei summi, vt ipse inquit, philosophi & Astronomi, qui in suo de Natura libro, quē Plato pręcipuè est æmulatus, indignam putauit, de qua sermonem esset habiturus. Pari eam silētio damnauerat Ocellus Leucanus in libro de Mundo, testimonio ipsius Platonis in philosophia eminētissimus. An fortè hęc ignorauit, & in Aegypto Babyloniaq; versatus Plato nō potuit hęc intelligere decantata apud hos populos, & cuiq; etiā de medio nota. An fortè nō ignorauit quidē, sed quasi parua contēpsit, quę si vera essent, maiora esse in natura non possent. Philosophi ergo munus est inferiorū omnium minutissimè quęrere proprietates, ad cœlumq; mentis acie conscendere, & tamen quæ ibi sunt stellarum proprietates non quęrere, & Astrologiam inde cōficere aut pertractare. De Astronomia, inquis, locuti sunt: eodem autem nomine Astrologia cēsetur. At, bone

bone Luci, tuus in te sententiam tulit Ptolemæus, in exordijs Apotelesmatum, & tota demùm aberras via, cùm illius fecisse, illius non fecisse mentionem putas, quoniam ad naturalem non pertineat Astrologica pertractatio. Si enim vera Astrologia, quid magis naturale cùm ex cœlorum astrorumque & lumine, & motu vniuersa hic naturalia generentur & corrumpantur. Quid? Quòd & tibi ipsi contradicis, modò locutos eos sub Astronomiæ nomine, modò sub proprio Astrologiæ, si luisse pertinere illud, hoc non pertinere. At quæso si eadem sunt, quo pacto alterutrum ab altero philosophus diremit, vt si pertinuit Theorica non pertineret. Illud certè non effugies cur de omnibus doctrinis atque scientijs, præter hanc mentionem fecit Plato, & quæstiones proposuit, de ea etiam quam tua appellas Astrologiæ Theórica sæpè recordatus, practicæ semper oblitus. Num te conuertes ad fabulas, vt Lethæa potârit obliuia, an magis opinaberis vt hoc muneris posterioribus demandauerit. Si hoc censes, Platonicos ergo percunctemur primarios, quid hac ipsa de re ille senserit; & si Plotinum consulamus inprimis respondebit intermedio Porphyrio, se cùm diligentem operam Astrologiæ dedisset, & comperisset tandem artis vanitatem falsitatemque prædictionum, omnem Astrologiæ fidem abrogasse. Respondebit & illud non contentum se videlicet Astrologiam spreuisse, vt alijs id quoque persuaderet faciundum dicato libro, cui titulus de Stellarum efficientia, Astrologorum dogmata & risisse & confutasse: cui si Maternus opponet, sumpsisse de eo propterea cœlum pœnas. Insurget Porphyrius eius discipulus & mentitum Maternum in præceptoris vita monstrabit, quam & mores simul, & mortem & causam discessus ab vrbe planè fideliterque describit. Origenes Adamantius in omnibus disciplinis præcellens etiam Gentium testimonio multis rationibus Astrologicam vanitatem sugillauit. Quem annumerare Platonicis vel hac de causa hoc in negotio placuit, quòd ipse illius nosterque hostis Porphyrius fatetur assecutum eum omnia sensa Platonis Proclus Platonicus, quanquàm omnis Mathematicæ studiosissimus fatetur multa in cœlo fingi quæ ibi non sunt, aut si fortè sunt, id nobis compertum non esse confirmat, de ea præsertim doctrina locutus quæ in dimetiendis versatur motibus καθ' ὑπόθεσιν appellatur, quantò minus igitur iudiciaria vanitas constabit, quam Apuleius quoq; & ipse Platonicæ sectæ philosophus nobilis in sua Metamorphosi facetissimè irridet. Mitto Carneadem aduersus illa multa disputantem: Mitto Ciceronem secundo de Diuinatione libro in eandem scribentem: inter quæ mirum sibi videri ait quenquam extare qui credat ijs, quorum prædicta quotidie videt re & euẽtis refelli. Respondes errauit in alijs Cicero & Aristotelem putauit necessitati fatali adstipulatum, quam tamen expressè reiecit: non hoc ipsi contendimus, Luci, sed eius etiã nomen non vt primarij summiq; philosophi certè oratoris præcellentis & multifaria quoq; doctrina referti, nec experimenta fallacissimæ vanitatis creberrimè repetentis subscribimus. Alijs cuius eloquium penè omnes miris laudibus extulêre, cuius pleraque sensa & à ciuilium consultis legum & à diuinarum peritis rerum admissa sunt, vt sileam quod eius librum de locis argumentorum Seuerinus in omnibus disciplinis apprimè versatus, & egregię Theologus autoritatis interpretatus fuerit.

At inquient fortasse nostri diuinatores: Mittamus Pythagoræos, Stoicos, Platonicos, accersamus Epicureos Peripateticosque. Nam si aduersatur nobis porticus, aduersatur academia: Lyceum non aduersatur, non aduersatur Epicurus: benè se habet res, manus dant, paulò pòst pedes in vincula, mox & linguam daturi, nisi omninò insaniant. Et de Epicuro quidem constat quanquàm multa delirauit, ab hoc tamen delirio abstinuisse, in quo non confutandus Lucius, sed ridendus qui putauit Epicuri auctoritatem magno æstimatam à patruo, qui tamen Astrologiam celebriorem eò putauit insaniam, cui non potuisset insanus Epicurus accedere. Nam si superat, inquit, omnem insaniam, cui nec insanus accedat Horestes, quantum insaniæ continet Astrologia? Cui nec multa delirans assentiri potuit Epicurus: Aristoteles verò Peripateticæ sectæ conditor, & caput Licij tantùm abfuit vt faueret Astrologiæ, vt etiam Platonis præceptoris exemplo perpetuo eam silentio damnauerit, vt quam ex ludicris vnam seu fraudibus potiùs circulatorum existimauerit, quàm aut artem aut scientiam putârit, alioquin eam in aliorum numero

mero reposuisset, & eius aliquando meminisset: nunquam autem apud eum verbum de ea reperies, nec in libris de Cœlo vbi tàm multa tàm splendida dicenda erant de Astrologicis rebus, nec item in Meteoris, quandoquidem, nec imbrium, nec ventorum, nec cometarum, causas astris refert acceptas; nec in libris de animalium generatione, aut gemellos aut partus portentosos, aut sextum puerperiive numerum refert in sydera, nec in Problematis, in quibus tamen de Mathematicis deque omnibus artibus & disciplinis quæstiones proponit & soluit, profectò si quicquam pensi habere illam credidisset, meminisset saltem quemadmodum & aliarum quæ minus ad cœli considerationem, ad Meteorologica tamen pertinebant. Sed nec in Ethicis ad Eudemum, vbi de bona fortuna disseruit, vnquàm vel verbum fecit. Plena enim hæc omnia aut saltem inter spissa Astrologicorum dogmatum esse deberent, si quicquam omnino apud illum fuisset Astrologia: sed obliquè tamen & facetè, quid hac de vanitate sentiret, in Problematis iudicauit vnico verbo quando eius professorem cum præstigiatore & mimo deputauit. Alexander Aphrodisæus summus apud Græcos Aristotelis interpres; ad Seuerum primum imperatorem & Antoninum filium de Fato librum scripsit; in quo & Fati reiecit necessitatem & de Astrologicis siluit, ad quæ tamen Fati commemoratio trahit vel transuersos. Siluêre & alij Græci Aristotelis enarratores, quòd si quando Astronomiæ apud illos nomen inuenitur, de ea se facere mentionem dicunt quæ cœlorum motus metitur. Amonius Peripateticus is qui Porphyrij quinque voces interpretatus est (nam alius eiusdem nominis Philosophus fuit nobilissimus; idemque Theologus Christianus Porphyrio antiquior, quem Plotinus Porphyrij præceptor, & Herennius & Origines docentem audiuerunt) is, inquam, Porphyrianus expositor inter operis initia philosophiæ definitiones multas adducens, nonnullarum quoque meminit scientiarum, dum verò Astronomiam citat, sic de ea loquitur quæ nos ad verbum ferè Latinum ita vertimus. Similiter autem & Astronomia quæ scientia est, subiecta habet cœlestia corpora: Finis autem huius in eorum motibus dignoscendis: & paulò pòst ait: Astronomiam circa sola cœlestia versari, nullum de diuinatrici Astronomia verbum fecit, nec eam inter artes aut scientias alias plurimas, quas citat, nominauit, nec terrestria cœlo copulauit. Sed de Græcis hæc satis sunto.

Auerrois in Aristotelis Philosophia celeber explananda, & inter Arabes primus, vbique Astrologiam lacerat, damnat, insectatur. Namque in expositione primæ Philosophiæ nullam eam esse dicit, & opinionem de cœlestibus imaginibus fabulosam affirmat, qua tamen sublata ruit maxima pars Astrologiæ superstitionis. In commentarijs verò Canticæ Auicennæ & contrariam esse Philosophiæ testatur, & falsa omnia Astrologorum dogmata prædicat: In libris præterea aduersus Algazelis destructiones, artificiosas Astrologorum imagines asseuerat. Nec mihi opponas quod malè de anima senserit, verùm id quidem fateor quin & pessimè quoque scriptum reliquit. Fatere & tu in rebus quæ motui subiacent, quæ generationi & corruptioni obnoxia sunt, celebrem virum habitum, & in cœlestium consideratione ingeniosum, cuius in Epicyclios & Eccentricos opinionem multi post eum graues philosophi tutati sunt. Auicenna vir magnus in omnibus disciplinis vltimo suæ primæ philosophię libro multis rationibus comprobauit, ab Astrologis præuideri futura non posse. Eudoxus Gnidius philosophus sub Platone & sub Philistio medicus insignis & legislator prudentissimus, summus præterea Mathematicus fuit, in Astronomicisque rebus sua tempestate princeps omnium consensu, cuius iudicio de numero orbium cœlestium nititur Aristoteles in prima Philosophia, hic ne crederemus Astrologis ex hominum genituris prædiuinantibus nos admonuit; literisque mandauit, ac ne de nomine sumi calumnia possit, viderique pugnantia, vt Mathematici Astronomique Astrologos & Mathematicos condemnarent. Sed & ipsam quam vtrique profitentur artem condemnent, reuocandum est ad memoriam quæ superiore libro disseruimus in enumerandis speciebus superstitionis: Quos enim ad præsens insectamur non Astrologi propriè, non Mathematici, non Astronomi, olim dicebantur, sed Planetarij ex diuinatione per Planetas confecta, Genethliaci ex genituris hominum dijudicandis: Chaldæi ex gente & natione quæ superstitiosos huiusmodi homines ad nostrum orbem transmisit, vsurpârunt hij postea

postea & inuaserunt titulos alienos Astrologiæ, præsertim & Mathematicæ: Astronomiam potissimùm illis relinquentes qui non diuinationes, sed disciplinas de cursu & magnitudine syderum colligebant, ac rationem eorũ legemq; scrutabantur: qui ergo disciplinas tenent, Mathematici, qui astrorum leges norunt, Astronomi, qui rationem item astrorum callent, Astrologi, eos damnant & insectantur, qui dicunt Mathematicos nulla disciplina, qui astrorum profitentur rationem & nihil rationale de illis comminiscuntur, & qui exleges penitùs cùm sint, de stellarum legibus sententiam ferunt, ac tantò acriùs molestiusq; tollerârunt proprij tituli inuasionem veri illi Mathematici, quantò magis sibi odium concitârunt, postquàm Astrologorum & Mathematicorum nomen Chaldæi ipsi & Genethliaci vel suffurati vel mutuati sunt, communione siquidem nominis quodammodo infames reddebantur, dum Mathematici & Astrologi passim damnarentur (vt diximus) dicturique sumus. Itaque legitimo titulo Astrologi & Mathematici Mathematicos & Astrologos condemnârunt, eos qui de genituris hominum vaticinantur, & quia illorum in numero primas Eudoxus obtinuit, ab eo id insigniter factum est, cui ita & Mathematica ratio demonstrauerat, & magister etiam Plato persuaserat. Scribit Panætius Cassandrum & Archelaum præcellentes Astronomos, de futuris euentis conticuisse. Hoychilax autem Halicarnasseus in omni Mathematica doctissimus, totum hoc diuinandi per astra genus repudiauit.

Nec solùm id antiqui, sed iuniores Astronomi, ac Philosophi boni nominis pariter effecêre, Nicolaus Oresinus Philosophus acutissimus & peritissimus Mathematicus Astrologiam peculiari commentario damnauit. Guilielmus Aruernus Episcopus Parisiensis, Ioannes Caton, Henricus ex Hassia, & alij viri celebres eam ipsam infestârunt, Ioannes Marlianus præter philosophiæ Medicinæque studium in Mathematicis etiam summus & fuit, & habitus est, à prædictionibus tamen semper abstinuit, & postremis vitæ annis de ipsarum falsitate scribere instituerat, quanquàm vt erat longæuus, præuentus morte non potuit. Aiebat enim habere se aduersus Astrologos certissimas demonstrationes, quod cùm alij tùm Luchinus ei familiaris & ipse Mathematicus præcellens retulêre. Paulus Florentinus & in Medicina, & in Mathematicis præcipuè cùm Græcè tùm Latinè doctissimus, Astrologiam incertam fallacemque asseuerauit: Illudque inter alia euidens de se protulit experimentum, quòd cùm quinque & octoginta annos implesset: Nullam tamen in sua quàm diligentissimè exanimauerat genitura constellationem vitalem repererat. Alij sunt Philosophi Mathematicique præcellentes, quibus aut irrisa, aut confutata diuinatrix Astrologia est, sed hi satis sunto, & cui satis esse non videntur, plures etiam si afferentur non satisfacerent, quando & hi habiti insigniores, & cùm ex omni secta, tùm ex antiquitate quoque & nostra etiam ætate in medium allati sunt. Periclitatur autem ex Astrologorum astutia imprudentium vulgus, humaniorum literarum rudes, & insolentes, qui nec indolem, nec elocutionem auctorum agnoscentes, nesciunt à legitimis adulterina secernere. Ascribunt enim illi viris clarissimis decretorum Astrologiæ libros meracissimis nugis & fabellis plenos, vt quod ratione non possunt, ementitis titulis assequantur, ex hoc genere liber de proprietatibus elementorum, in quo de magnis agitur coniunctionibus, & de secretis ad Alexandrum, quos indignè & immeritò Aristoteli tribuunt. Falsa enim in illis & vana & commentitia visuntur, & nos magnas coniunctiones, magnas Astrologorum insanias in sequentibus esse ostendemus. Tribuunt & Platoni de vacca Magi, & institutionum libros execrabilibus somnijs figmentisque refertos, & à Platone magnoperè alienos. Librum de Vetula Ouidio adscribunt, in quo de magnis etiam coniunctionibus & Christiana lege mirabilia pronunciantur, cui magnopere nititur Rogerius Baccon fautor Astrologiæ, sicuti & plærisque alijs auctoribus vanis nulliusque momenti. Præscribitur item non solùm Alberto, sed & diuo Thomæ liber de Necromanticis imaginibus, sed mendacissimè quas scilicet ille reprobârit. Præscribitur & Hippocrati liber Prognosticorum ex syderum cursu quem fortè ignorauit, aut si nouit, non prodidit, cuius libros de Prognosticis Claudius Galenus exposuit, & tota Græcia, & toto Latio prædicatos, quorum in tertio huius operis libro sæpissimè fecimus mentionem, quòd si quandoque

cœleste quoddam in Prognosticis ab Hippocrate inducitur, intelligi ab eo credamus mundum istum sublunarem, & hunc aërem quo ambimur & spiramus. Præter illas enim cœli appellationes ab Aristotele positas, & quæ à nostris quoque Theologis citari consueuerunt: Hac etiam vsus est Hippocrates nomẽclatura, quemadmodum liquidò ex Galeno illius expositore manifestatur, tantum abest vt ad superiorem aliam naturæ causam confugiat medicorum præcellentissimus, estq; sæpenumerò ruditati Astrologorum decipula cœli nomen, quòd apud idoneos Latinæ linguæ auctores non solùm pro illis, sed pro ipso etiam aëre sumitur. De eo enim ita loquitur Plinius secundo libro Naturalis historiæ: Namq; & hoc cœlum, inquit, appellauêre maiores, quod alio nomine aëra, omne quod inani simile vitalem hunc spiritum fundit infra Lunam hæc sedes multoque inferior. Augustinus quoque super Genesim aërem præsertim illum superiorẽ pro cœlo etiam sumi docet apud literas Sacras. Sed & in hoc & alijs plerisque in rebus imperitissimi circulatores Genethliaci hallucinantur, quando & diuum etiam Hieronymum fecerunt interpretem libri cuiusdam de Excãtationibus, & alia pleraq; cùm falsa, tùm noxia sparsêre: Sed & Angelos etiam ne dum homines infamârunt quando hæc deliria ab Angelo Adæ, illa à Salomonis, alia à Thobiæ custode tradita dicunt.

Atqui superstitionis defensor inquiet: Esto magni Philosophi, magni Astronomi, Astrologiam vel confutauerint vel irriserint: Irrepserint quoq; nobis ad fidem fictis nominibus mentita volumina, qui tamẽ Astrologica scripsêre, fuêre Philosophi, fuêre Astronomi, Albumasar, Hali Albenragel, Iulius Firmicus, Maternus, Ptolemæus, & alij. At ego vt equidem concesserim horum aliquos Astronomica tractasse, ita affirmauerim eorũ omnes aut nihil aut malè philosophatos: Accedũt siquidem reb. fabulosissimis, asseuerant friuola, pugnantia dicunt, seipsos euertunt, vt ostendetur quæ vtiq; abhorrent à philosophico ingenio, cuius maximè proprium, nihil credere, aut affirmare, quòd vel euidentia vel ratione monstrari non possit. Vt autem malè fuerint philosophati, monstretur ad præsens: principem aliorum Ptolemæum facilè concedunt; est enim doctissimus Astrologorum, & quod attinet ad Mathematica, vir ingeniosissimus: quod autem ad Genethliacos, optimus malorũ, vt dici solet. Huius igitur quale fuerit in philosophia iudiciũ, & ex prooemijs Magnæ suæ compositionis, quam vocant Almagestũ, & ex libris Apotelesmatôn, quos vocant quadripartitos, licet colligere. Exordiens enim libros Mathematicos, philosophiam contemplatricem trifariam diuidit ex Aristotelis sententia, in Theologiam, Mathematicam, & Naturalem, hac ductus ratione quòd omnia, inquit, quæ sunt, tribus constent, materia, forma, & motu, quæ separari videlicet ab inuicem cogitatione possint, re verò non possint. A motu igitur Theologia deducitur cùm primi motus causa non aliud sit quàm Deus, naturalis à materia, à forma verò Mathematica: hæc est Ptolemæi sententia, in qua penè tot sunt errata quot verba: primò falsum est: Omnia quæ sunt ex tribus illis constare: quòd si omnia cùm dicit, res omnes naturales intelligit: sequetur nihilominus illud absurdum propositoq; contrarium, non posse videlicet circa illa versari philosophia, quam in tria deinde genera distinxit: quorum vnum duntaxat naturale esse voluit, reliqua duo Mathematicum atq; diuinum: quo pacto ergo, Luci, Ptolemæum defendis: defendi se ille non patitur omnia, inquit, quæ sunt, ex tribus constant, materia, forma, motu. Blateras tu nescio quas ineptias, illud responde quomodo iuxta Ptolemæi sententiam separari cogitatione tria illa possunt: re autem non possunt: sed nec probationũ vim persentis, rudior multò, quàm vt eius intelligere disputationes potueris, ne dum ex parte respondere. Quomodo enim de sensibilibus tantùm, vt contendis, Ptolemæus loquitur, qui superioris diuisionis causam expositurus aggreditur, de tribus illis disserere, quorum duo à sensibili materia prorsus abiuncta sunt. Præterea & illud falsum est, quòd ex naturalibus quicquam constet, ex motu quanquàm non fiat aut permaneat sine motu: sed concedatur huiusmodi locutionis venia nouitio Philosopho. Illud certè Aristoteli quem prius probauit, nullo modo consentit, vt genus Theologicum oriatur à motu, cùm & ipse Deus quatenus primi motus auctor & causa, non à Theologo, sed à Philosopho inuestigetur. In apotelesmatôn verò libris Lunam humidiorem credit Ptolemæus, propter vapores humidos ad eam sublatos, quæ scilicet terræ cæteris astris vicinior sit, quam equidem rem conatus

Lucius tueri, imperitum etiam se Grammaticæ ostendit. Nam vt mittam Græca Ptolemæi verba, quorum ille penitùs ignarus, rudem & vsitatam translationem legentibus id liquidò patet: Dum enim legimus apud eum Lunæ vim humectandi competere, ita scriptum comperiemus. Est enim terra propior aqua, vapor humidus ab imo vsq; ad eam ascendit: quò nihil clarius Grammaticis regulis quas aut nesciens ille, aut posthabens, nescio quid inuolutum commentus, tandem subintulit, Lunam à Ptolemæo humidam dici, quia humiditatem generat trahendo vapores. At quæso, bone Luci, num Sol hac ratione dicendus humidior à quo præter auctoritatem Aristotelis docet experientia multò plures, quàm à Luna vapores eleuari. Illud præterea dic, cur eadem ratione aridum Saturnum dixit, nónne affirmauit ob id esse, quia magis distaret à terra, & frigidum eundem esse, quia sit procul à calore Solis, Iouem temperatum quòd inter frigidum Saturnum & calidũ Martem medius collocetur. Alia huiusmodi de proprietatibus syderum affirmat, adeoq; atq; iterat, vt excusari se non patiatur, quæ certè à philosophis potiùs exibilabuntur quàm confutabuntur. Ex hoc autem vno discendi omnes & ex optimo iudicãdi deteriores: primus ferè ab eo habetur Albumasar: Is nec philosophus nec Dialecticus fuit, & in Mathematicis imperitus, qui Grammaticæ artis, & historiæ scribendæ professor ab eis ad Astrologiam se conuertit, non minus falsa quàm in historijs dicturus, in quibus scripserat Ptolemęum Astrologum ex regibus fuisse, Ptolemæis qui Alexandro successerunt: sed fortasse paruus error: Minus enim est sexcẽtorum annorum: Siquidem Ptolemæi illi reges ante Christum per quadringentos annos regnare cœperunt, Ptolemæus Astrologus multis annis post Christum, eum enim sub Hadriano & Antonino floruisse constat. Opponis nobis Geographum Strabonem, egregie defensor, Ptolemęorum tempora ad vsque Cleopatram perducentem. Quid quæso moliris. Num aduersatur Strabo veritati? nunquàm ille sanè pernegauit Ptolemæos reges Alexandro successisse, nunquàm inficiatus est ab illo ad Antoninum & Hadrianum maius quadringẽtorum annorum spacium non intercessisse: quòd contendimus à primo scilicet Ptolemæo, cuius apud Curtium in gestis Alexandri crebra mentio, principium sumentes. Nemo enim qui nesciat ex stirpe illa atq; propagine Cleopatrã ortam, ita & illud quoq; sciunt omnes, à Cleopatra ad Antoninum Cæsarem ducẽtos circiter annos numerari, vt etiamsi ab illius reginæ patre, hoc est, fine, Ptolemæorum regum exordium capias, verus Albumasar nullatenus esse possit. Maternus verò Firmicus multæ loquentiæ, exiguæ sapiẽtiæ fuit, & in ipsis Arithmeticæ rudimẽtis magnoperè hallucinatus. Scribit enim posse Mercurium in nocturna genitura cœli medium occupare, & quid tum decernat, nugatur. Manifestissimum autem omnino Mercurium ibi nunquàm esse posse: semper enim Sol per noctem plus partibus quadraginta, quas appellant minuta, à cœli medio abesse necesse est. Mercurius verò à Sole plus triginta aut circiter non abest. Vnde apud Gentes pileatus Mercurius pingebatur, cui scilicet ob Solis vicinos ardores esset opus Galero: nec excusari Maternus potest, quod mecum olim Astrologus quidam super hac re disceptãs tentauit, illud afferens medium cœli non à decima, sed quarta domo sumi ab eo, sed magnopere fallitur. Sæpè enim apud eum hæc verba sunt, in quarto loco ab horoscopo, id est, in imo cœli, quòd scilicet ex opposito supremæ domus statuitur, quæ decima nuncupatur: quare imum pro summo capi nec grammaticæ patitur canon, nec ipsius natura rei, de qua tractatur, quin & eo ipso loco quem citauimus, vbi de Mercurio loquitur mediũ ipsum cœli decimam appellat. At insurgit Lucius Maternũ contendens medium cœlum & quartam & decimam appellare, quẽ fefellit fortasse memoria, vt Hali Astrologũ pro Firmico desumpserit. Nã hic ipse Firmicus libro secundo de quatuor genituræ cardinibus verba faciẽs, inquit: Medium verò cœlum est ab Horoscopo decimum signum, idq́; à Græcis* μέσον ράνημα dici cõfirmat. Imũ verò cœlum quod à Gręcis ὑπόγειον dicitur in quarto ab Horoscopo constituitur loco. Hæc ille: sed sit vt inuertat nomina Maternus aliquando, hoc tamen loco defensionem omnem reijcit ipsemet, cuius tertio libro cùm de Mercurij decretis per singulas cœli stationes loqueretur: Hæc verba sunt: in decimo loco Mercurius ab Horoscopo constitutus, id est, in medio cœlo: & pòst paululùm: sed in nocturna genitura, si sic positum Mercurium Venus aliqua radiatione respexerit, hęc faciet quæ in diurna genitura: hæc ille ad verbum vt nec clariùs suã possit imperitiam ostendere.


*μεσουράνημα

Nec

Nec solus hic apud Maternum error, notari ferè possent innumeri, confutatione, multi derisu & subsannatione digni, inter quos ille Mathematico summa cura cauendum, ne de Imperatoris fato respondeat: quia nec dicere aliquid potest nec veré. Ac neu dictum id astutè & mystico velamento quispiam cogitet, quasi id sciri noxium Reipub. fuerit: addit aruspicibus ita euenire solere, & confirmare id hac ratione satagit, quòd stellarum cursibus Imperator non subiaceret, solumq; eum esse in cuius fato stellæ decernendi potestatem non haberent, atq; in deorum numerum esse constitutum, quę non adulationẽ modò, sed ignorantiam, sed insaniam prę se ferunt, qualia eius penè omnia dogmata, quorum multa adeò redarguuntur à patruo, vt inter illa monstretur, quid sibi vellent antisia, Materno prorsus ignoratum, quæ nunc vel noui quidam literatores antiscia legunt, quasi inumbrationes, cùm ab æqualitate & aduersatrici particula id nominis deduci debere clarum doctis incontrouersumq; sit: sed nihil magis Materno in votis quàm vt suam posset loquacitatem exercere & in Astrologorum hostes multa, sed inani sonitu verborum, sed nullis rationib. inuehere: quẽadmodum & falsa Plotino imponit Astrologicæ vanitati prorsus aduerso, cui minus hac in re assentiendum quàm Porphyrio eiusdem Plotini discipulo & fautori quoque Astrologorum, qui iudicio prorsus non careat putaret nemo. Iam Mallius poëta & ipse autor Astrologiæ quid delirat? qui cœlestes illas quas fingit imagines inchoatas potiùs quàm absolutas dicit, ne pluribus ibi ignibus accensis periret mundus incendio. Guido Bonatus auctoritatis primæ inter iuniores auctores Astrologus furit planè atq; delirat, elleboro dignus, struit vbi desipit minus deridiculas quasdã rationes, quarum hæc pro gustu & experimẽto sumatur. Quadruuium tollitur si tollatur Astrologia cùm ipsa in illo contineatur quæ scilicet ex quatuor Mathematicis vna est. O` ridiculum hominem, nescit quid illud sit quod profitetur. Hæc enim Astrologia quæ confutatur ab illa vera Mathematica tàm distat, quàm à tenebris lux, quàm veritas à mendacio, & hęc quidem si vera illa tollatur, proculdubio tollitur, at non conuertitur & remeat ratio, vt hac sublata, tollatur illa, vt perspicuum omnibus qui vtriusque nouerint elemẽta: Quid? Quòd Ptolemæus ipse in procœmijs Apotelesmatôn distare alterutram ab altera ostendit, nec moueat quenquam si aliquibus interdum bonis iudicijs professio ista non displicuerit. Neq; enim sequitur vt bonum sit quod bonus aliquis non improbauerit. Boni enim non semper vsq; quaq; boni, pari pacto & docti, sed nec omnes docti etiam philosophi, vt paradoxõ dicatur, philosophi semper sunt: adde curiositatis vitium homini quodammodo innatum & nimius nostri amor iudicium peruertens. Huc accedit affinitas nominum quæ in causa esse potuit vt multi ludificarentur, qui putârint eosdem fuisse qui & Philosophica & Astrologica scripsêre: quare ab eis non quà Astrologi, sed quà Philosophi putarentur, æstimati & in pretio habiti. Est enim Albumasar apud Philosophos, est item apud Astrologos, quæ nomina apud Arabes distincta, Latinus sermo confudit. Namq; Arabum lingua qui Astrologus est Aboasar, qui Philosophus Abumasar appellatur. Abubater quoq; de prædictionibus, alius eodem nomine philosophica conscripsit, & librum præcipuè quo quisq; pacto per se Philosophus euadat, quem patruus ex Hebræo in Latinum conuertit, sed ille Altasibi, hic Tripidis filius.

CAP. VII.

QVOD DIVINA LEX EIVSQVE INTERPRETES THEOlogi, lex item Pontificia, & lex Ciuilis Astrologiam damnârint.



Stendimus superiori capite interpretes naturæ Philosophos ac eos qui in cœlestibus indagandis motibus syderumq; molibus & magnitudinibus dimetiẽdis floruêre, Astrologiam quasi ipsa lege naturæ fretos vel irrisisse verbis, vel confutasse rationibus, vel silentio taxasse: restat vt quod natura contẽnit, ab auctore naturę Deo sempiterno, damnatum eius lege probemus, monstremusq; ab interpretibus diuinæ legis Theologis, idem factitatũ & à Pontificia quæ inde manauit, lege confirmatũ, spiritalibus etiam pœnis, sed temporarijs adiectis, à ciuili quoq; quę illam sequitur, ecclesiasticosq; Canones imitatur, nõ

spiritales, quæ ad illam scilicet non pertinent, sed corporeas pœnas ipsis Astrologiæ cultoribus propositas atq; decretas ostendamus. Moses Veteris Testamenti legislator & Propheta præcellens, imò & Deus ipse qui per Prophetas locutus, Hebræum populum ministerio Mosis, quod & antè scilicet meminimus, interdicit consultationibus Astrologorum. Vetat enim ne diuinos consulant, & ne eosdem augurésve audiãt, præcipit. Ita enim inter alia scribitur Deuteronomij 18. capite: *Gentes istæ quarum possidebis terram, Augures & Diuinos audiunt: Tu autem à Domino Deo tuo aliter es institutus.* Alibi quoque scribitur, *neque* * *Phithones consulat, neque Diuinos.* Diuus Hieronymus Augures transtulit ab Hebræo verbo עֹנֵן quod ab עונה, id est, *hona*, deriuatur, quod horam significat: quapropter Achinas maximus Hebræorum doctor eos ait intelligi, qui tempora supputant, & felices horas ac infelices obseruant: sed esto vt Augures nõ horarios denotet illa dictio, nihilominus Astrologos eadem vtiq; designabit, auctore Esaia propheta, qui eos Augures, vt videbimus, appellat. Et diuus Augustinus Astrologos, eò quòd in astris augurantur, nomẽ sortitos voluit in libro de Natura dæmonũ, quòd & Gratianus in decretis posuit, quæstione quarta vigesimę causæ: eosdemq; qui & sua etiam tempestate Mathematici passim nominabantur Genethliacos & planetarios vocatos asserit Augustinus, quòd inquit superstitionis genus constellationes Latini vocant. Augures igitur Astrologos eiusque artem superstitiosam Augustinus appellat. Quòd autem diuus Hieronymus & eo loco, & alibi pro eo verbo quod in Hebræo est קסם, id est, *chesem* diuinos transtulerit, Abraham Auenazra tametsi Astrologus fuerit, docet illud quidem commune esse omnibus diuinãtibus, sed magis proprium nomen Astrologorum expressit, itaque Hieronymus quod erat commune, ne fortè si peculiare Astrologorum transtulisset nomen, superstitiosorum turba videretur exclusa. Includuntur autem sub hac diuinorum nomenclatura, diuinatores, Astrologi, & quasi signiferi, superstitiosæ factionis præmonstrantur, ab ea enim Chiromantia, Geomantiaq; defluxit, & Magia dependet, cuius clauem cultores eius Astrologiam appellãt. In quarto Regum libro, Israëlitici populi ab Assyrijs debellati in hanc ipsam superstitionem causa refertur, *& diuinationi*, inquit, *seruiebant & Augurijs*, quæ vanitas & in libro Iob irridetur his verbis: *nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra:* & iterum: *Quis enarrabit cœlorum rationem:* simulq; duplex Astrologorum taxatur error, alter quòd multa subijciant cœlo quæ inde non pendent: alter quòd quæ etiam efficit cœlum, inde tamen ab eis præuideri non possunt. Illud quoq; Hieremiæ notum est: *À signis cœli nolite metuere quæ Gentes timent, quoniam leges populorum vanæ sunt:* & illud quoq; Esaiæ capite 41: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Idem Propheta alibi multifariam superstitionem ipsam condemnat & præcipuè capite quadragesimoseptimo. Nam cùm Babylonijs minaretur excidium, apud quos hæc secta maximè viguit, vnde & Astrologi Chaldæi dicebantur, & Cyrum per ducentos etiam annos antequàm nasceretur, vnctum appellaret, eũdemq; ipsam Chaldæorum vrbem desolaturum, & præuideret, & prędiceret, eam tamen prius his verbis irridet: *Sapientia hæc & sciẽtia tua decepit te, veniet super te malum, cuius nescies ortum, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare,* & paulò pòst subdit: *Stent nunc & saluent te Augures cœli qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, annunciarent euentura tibi: Ecce facti sunt quasi stipula ignis combussit eos, nec liberabunt animam suam de manu flammæ.* De Astrologis autem eum loqui, quanquam adeò clarum, vt probatione non egeat, qui tamen id proteruè nimis negarent, videant eius libri enarrationem, quam Glossam dicunt, inuenietque sapientiam & scientiam per diuinationem & astrorum inspectionem expositas, & per augures cœli Astrologos designatos. Nugantur super his nonnulla Astrologiæ defensores, sed obmutescere demùm veritas coëgit. Spiritalia, inquiunt, intelligebant Prophetæ excipienda. Sed quæso num spiritalia illa de quibus Esaias Babylonijs minatur? Non & Hieremias ita exponendus? qui addit, *quæ Gentes timent*, quas vtique constat in eis quæ spiritus sunt, cœli signa non metuisse. Libeat autem ipsa Prophetæ verba exactè perpendere, quibus duplicem Astrologorum temeritatem accusat: Putant enim se ex cœlo futura præuisuros, putantq; pariter, & quæ præuisa sunt mala, depellere, & quæ præcognita sunt bona cõfirmare se posse. *Veniet igitur*, inquit, *super te malum, cuius nescies ortum*, hoc est, quòd tibi constellatio non significauerit, *& irruet super te ca-*

*Pythones

te calamitas, quam non poteris expiare, horarum videlicet electionibus & Astrologicis imaginibus, vel superstitiosis alijs machinamentis depelleret.

Libeat & altiùs profundiusq; introspicere, hæc ipsa diuini Prophetæ verba, illudq; inde colligere, confutatam vel tacitè responsionem eorũ qui tueri se volunt, vt Chaldæi pariter & Christiani simul esse possint. Soliti enim & Petrus Halliacensis, & alij affirmare, non simpliciter damnari à sanctis & prophetis Astronomiã, sed quatenus vitia aut virtutes refert ad cœlum, aut rerum humanarum euentus fatali necessitate deuincit, bonosq; etiam Astrologos idem sentire, quare illos ipsos nõ Astrologiam, sed errata Astrologorum abominari. Sed quæso respondeãt an ad mores spectaret quod Assyrijs Persarum rex bellum inferet: Si affirmant, igitur de bellis vaticinari non poterunt nisi errore & iniuria, cùm virtutes & vitia in genere morum collocentur: si negant, igitur à cœlo præuideri non possunt etiam ea quæ ad mores non pertinent, auctore Propheta, quare colligitur, nec quæ ad mores spectant, nec quæ non spectant, sub Astrologorum iudicijs contineri. Effugere hinc non potes, neoterice defensor, cùm attinere ad mores & non attinere dicis: nam illud falsum, sed finge verum. Probauimus iam nec ea quę attinet, nec quæ non attinet, posse pręuideri: elige quam mauis responsionem, nec tibi hoc planè, nec illud proderit quippe, cùm alterum vos defensores fateamini, alterum expressè Propheta conficiet: Confirmatis & vos qui Prophetæ auctoritatem non itis inficias, sed interpretamini vestro modo, vt scilicet eos tantũ condemnet, qui aut de vitijs virtutibusq; prædicunt, aut necessario nexu res colligẽt: quare si ad virtutes moresq; pertinet bellũ, de bellis iure nemo poterit ex astris præsagire (vt diximus) si non pertinet, idem etiam sequitur, Esaia confirmãte, ventura bella quorum ortus latebit Astrologos. Iam & illud respõdete, quomodo Propheta obijceret Astrologis venturam calamitatem per eos non expiandam, si expiari posse nõ crederent, quomodo crederent, si vt omnia, ita illam necessariò venturam existimarent. Mitto quòd magna eius artis pars in auspicationibus electionibusque consumitur, in quibus libertatem nostram exercemus magis quàm auferimus, quæ tamen pars nominatim expresseque damnata, vt latiùs declarabimus. Astrologia itaque non quadam ex parte, sed ex toto depellitur. Accedit quòd bonæ artes rectè non damnantur, quia interdum mali quidam eis abutantur, alioquin sequeretur damnandam philosophiam, cùm hic philosophus prouidentiam neget, alius religionem tollat, alius vnicam in omnibus animam dicat, alius mortalem asseueret, sequeretur & illud, lectionem Sacrarum literarum damnari: vnde tot hæreses, tot insanias indocti quidam superbiq; confirmârunt: & deniq; nihil est adeò bonum quo abuti hominum malitia non possit.

At, inquient, cur igitur si mala atq; damnata, eam tamen Aegyptios Abraham edocuit, auctore Iosepho, quã prius & Adam tenuit, ac Noë, cuius filius Ionicus, vt refert Methodius, per eam plura prædixit. Negabimus nos & apertè quidem superstitionis istius doctorẽ vnquàm Abraham extitisse, quòd si Iosephum à mendacio voluerimus tueri, Astrologiæ illius de molib. & motib. syderum pręceptorem illũ non inficiemur, cuius artis vsus Hebræis frequens & necessarius pro statis cæremoniarum temporib. obseruandis. Ionicum aũt filium Noë Moses Propheta non recipit, qui tres tantùm eius filios enumerat, Sem, Cham, Iaphet, & Iosephus etiam, & Philon trib. illis contenti quenquam alium non introduxerunt. Adde quòd Methodio scriptori sanè ignobili, qui nec etiam prædixisse Ionicum quicquam affirmat infirmissima auctoritas. Neq; enim ille est cuius inter viros illustres diuus Hieronymus meminit, sed alius omnino: & illud subde, quod omnino ridiculum ne dicam, impium, putare Abraham eius professionis fuisse magistrum, quam & Moses & Esaias, imò per eos Omnipotens condemnârit. Cæterùm cùm Astrologiam viri extra controuersiam sancti probatique damnauerint, aut iustè eos aut iniustè damnasse respondeant: iniustè nolunt affirmare, iustè verò si dixerint, ita percunctabor: cur & vos egregij Astrologiæ defensores eam pariter non damnatis? damnamus, inquiunt, & nos illos errores propter quos illis Astrologia displicuit: non hoc à vobis, sed illud quæro, quare? cur non propter eosdem tota illa displicet vobis? Nam omnem illi omnino Astrologiam non quodammodo persequuntur & abominantur, respondebitis: iterum id factum fuisse propter quosdam errores, esto, sed illud respondete, cùm totam propter illos errores

damnauerint, recto id iudicio fecerint an ne. Postremum non placet dicere: primum ergo datur, cur ergo idem non facitis vos, vt propter illos eam vniuersam abijciatis, cur, inquam, aduersamini Prophetis sanctissimisq; & doctissimis hominibus, vt quam insectati sunt defendatis, quam interdixêre disseminetis, quam sciri nolunt, publicè doceatis: agitisne id fortasse vt falsò Halliacensis dicit, quia crescenti fidei obesse potuit non adultæ, quin & prodesse plurimúm. At qui pestifera illa vt olim ita & nunc est eritque semper: nam quòd ille ex magnis coniunctionibus haberi possit veritas de numero annorum ab Adam ad Christum putauerit, tùm falsum ostendetur, cùm magnæ à nobis coniunctiones disiungentur: Quòd verò prophetarum possint oracula ex Astrologicis prædictionibus confirmari, omnino ridiculum. *Neque enim societas luci cum tenebris*, vt inquit Apostolus: *neque participatio Christi cum Belial, neque veritatis cum mendacio*, confessus. Adde quòd imperitus Astrologiæ Halliacensis fuit, & quæcunq; scribit ex Rogerio Baccone, Abraham Iudæo, Henrico Macliuiensi, Albumasare, & summa nescio qua Ioannis cuiusdam Britanni ferè ad verbũ excipiuntur: Quid? Quòd in ipso suo opere quod vocat Elucidarium, in quæ multæ sunt tenebræ, pudẽdum hoc inter alia erratum prodit, quòd erat tum cùm scribebat, anno scilicet Christi 1404. in aërea triplicitate, qua finita in anno 1405. futurum erat, vt Iupiter Saturnusq; coniungerentur in initio triplicitatis aqueæ, quæ quidem coniunctio præcesserat per annos ferè quadraginta, sed & si qua ex Astrologia vtilitas proueniret Ecclesię, non ex hac, sed ex vera Astronomia prodiret, quæ vna ex liberalibus artibus supputat tempora & syderum motus, Mathematica ratione metitur.

Quòd autem semper Ecclesiæ nocuerit & noceat, hinc vel magnoperè patet, quòd ex præcipuis Astrologiæ scriptoribus nemo est qui religionem, & leges omnes vtreliquas res humanas constellationibus non subijciat: Ptolemæus in secundo Apotelesmatôn: quòd apud illam Gentem illud numen, apud aliam aliud coleretur, variè imaginum syderumque naturæ acceptum refert, quæ Gentibus illis & populis dominaretur. Nec procul ab eo loco Græcus quidam interpres Ptolemæi, miraculum Mosis qui sicco pede cum populo rubrũ mare pertransijt, factum ait, quòd ille accessum & recessum maris obseruauerit, quasi nõ simul in eisdem aquis & illęsus populus Hebræorum spatiaretur, & Astrologis suis Pharao submergeretur, quasi Iosue Mosis minister & ipse Iordanem sicco pede cum exercitu non transmiserit, in quo nulli æstus, nulla vndarum reciprocatio fingitur. Albumasar Arabs & legem Saracenorum & nostram & omnes pariter leges à cœlo deriuat, eius interpres Henricus Macliuiensis nauem etiam inuenit in cœlo, ad quam Noë suam arcam fabricauerit, quòd Halliacensis vt diuinum inuentum admiraretur. Hali Abenragel felicitatem & infelicitatem anni ab ascendente legis pronunciat. Abraham Iudæus, non qui dicitur Auenazra, vt falsò Halliacensis putauit, sed quem vocant Nasi, hoc est, Patriarcham, legem Mosaicam egressionem de Aegypto, & quæcunque sub lege Hebræo populo contigêre, ad varias coniunctiones ineptè quidem & ridiculè, referre conatus est. Sed quid Gentes? quid Hebræos commemoramus? quando in Euangelij splendore tantoperè superstitiosorum oculi cæcutiunt, Guido Bonatus insanus etiam Dominum Iesum horarum vsum electione dicit eo Euangelij loco offensus, cum rogantibus Apostolis, ne in Iudæam rediret, *duodecim responderit esse horas diei*. Horam enim, inquit, sibi elegit qua eum lædere Iudæi non possent: Sed stulti aliquando sapite, nónne eodem Euangelio legitis, cùm voluit eos prostrauisse & in luce diei per eos transiens illos latuisse. Mouentur quippe & alij Sacris literis non perceptis, cùm enim legunt apud Paulum *temporis plenitudinem*, & Dominum in Euangelio dicentem, *nunc hora vestra & potestas tenebrarum*: & alibi: *Nondum venit hora mea*, putant de cœlestibus constellationibus haberi sermonem, qui irridendi potiùs quàm confutandi: interrogandi quoque an cùm vrgentur fame, tempus putent comedendi, cùm siti excruciantur, tempus existiment bibendi, quomodocunque cœlum per id tempus se habeat: sanè ni penitùs insani fuerint, fatebuntur omnia suum habere tempus sub quacunque cœli constitutione, pro natura scilicet ipsius rei quæ fit, proque occasione opportunitateq; faciendi, & ipsa diuina miracula etiam suum habere tempus, verùm ad propositum Dei rerumque exigentiam, non ad cœlum id esse referendum, quod vel hoc solo libri Geneseos loco manifestè indicatur: Loquens enim Abrahæ

Deus

Deus de terra quam ei promiserat, inquit: *Scito futurum peregrinum semen tuum in terra non sua, vbi quadringentis annis affligentur, generatione autem quarta huc reuertentur: Nondum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsq; ad præsens tempus:* Expectabatur igitur non cœlestis aliqua configuratio, non superiorum Planetarum coniunctio, sed Dei propositum & plenitudo iniquitatis in Amorrhæis.

Reliqua illa quæ lippientibus oculis illustrare Astrologiam videntur, facillimè dissoluuntur, in quibus si quis paulò inexpertior interpretes adeat probatiores, videbit tantum abesse vt confirmetur Astrologia Sacris literis, vt nil penè magis infirmetur abijciaturque. Idem Bonatus temerariè quoque atque blasphemè de diuina Francisci familia loquitur, diuinique illud amoris miraculum Martis fuisse opus fabulatur, & quotidie publicis in vaticinijs multa prophanè iactantur de lege Christiana ab ijs qui Christum colere se profitentur, & Christi eam Mercurijq; doctrina perfici dicunt, ac Iouis esse religionem: Quid? Quòd in procemijs Theoricæ Planetarum aduersus Gerardum scriptum est, vt deuotè supplicandum Mercurio sit, cùm de nouo Pontifice deligendo tractaretur. Rogerius Baccon eò vsq; euectus, vt scribere non dubitauerit errare Christianos, qui die sabbati non ferientur, & ab opere vacent ritu Iudæorũ, cùm sit ea dies Saturni parùm commoda rebus agendis: Quid? Quòd & mẽtem nostram apertè subijciunt cœlo, quanquam id ipsum quibus possint velamẽtis dissimulent. Quomodo enim si cœlum in corpus primario agere fatentur, secundarioque & ex accidenti affecto scilicet corpore animum afficere: quomodo, inquam, tantam vim ei tribuunt qui Martem in nona cœli regione feliciter collocatũ habuerit, vt sola præsentia dæmones ab obsessis corporibus expellat? Quomodo item? Ex parte Solis de arcanis conscientiæ eius qui nascitur erga deos & homines iudicaturos se præsumunt. Nihil enim magis positum in nostra libertate, vt nec per se pateant cognitioni, nec potestati subijciantur angelicæ, quantò magis nec deriuabitur à corpore: nec pẽdebit à cœlo, pari ferunt delirio, quòd Mars eo loco positus vim pellendorũ dæmonũ largiatur, qui nullo pacto à constellationibus feriuntur: verùm qui hæc vana, ridicula, impossibilia, noxia omni ex parte, religioni aduersa; nugiuendi homines effudêre; ijdem sparsêre & illa vt Venus præsentis vitæ felicitatem largiatur, Iupiter futuræ. Sed quî fieri potest, vt eodem dogmate quo animum volunt à cœlo affici, simul etiam afferant vt cœlesti Planetæ anima ipsa corpore soluta subijciatur. Cęterùm & Maternus delirauit adeò, vt de eis qui Saturnum in Leone constitutum habuerint, ita scripserit: Sed cùm hæc omnia fuerint assecuti, longæui morientur, & anima eorum ad cœlum dijs applicata transibit: Quid? Quòd fabulosissimus ille Albumasar docet eum quicquid petierit impetraturum qui Luna Ioui coniuncta cum capite Draconis Deo supplicauerit: quæ insania non tam confutanda, quàm execranda. Et Petrus Aponensis scribit illa se hora à Deo sciẽtiam petijsse, & post eam diem in ea magnoperè promouisse, qui quantum promouerit, quanquàm possit humanis confici passibus, metiri non vacat: sed si promouit, acceptum referat potiùs ingenio & industriæ quàm Iouiæ suæ supplicationi, quam si maluerit præponere, negabimus eum quicquam in bonis literis profecisse, hominem sanè plura congerere natum quàm digerere, quem indoctiores vbi magis nugatur, admirantur magis. Iure igitur Prisci illi viri sanctissimi Astrologiam non quadam ex parte, sed ex integro damnauerunt. Iure quoque posteriores priorum vestigia secuti sunt, quando etiam & iuniores, vt ostendimus, Astrologi, veterum auctorum suorum insanias & impia deliramenta non coluerunt modò, sed propagârunt: non autem philosophiam Prisci illi viri sanctissimi propter errores quosdam, sed philosophorũ errata abiecerunt & extermin ârunt. Si quid enim in philosophia erratur, cultoris est vitium, ipsa autem Astrologia vitium est, cùm enim artis cuiuspiam, si tamen ars Astrologia dicenda est, vel omnes vel præcipui auctores impietatem & noxias fabulas pro dogmatis tradunt, parùm abest à culpa quin arti vitia illa tribuantur. Sed alię sunt ad vniuersam hanc vanitatem destruendam rationes particulares, & multæ quæ in progressu operis liquescent.

Nunc quod exorsi fuimus prosequamur, vt appareat Sacras literas & eius interpretes theologos sanctissimos totam Astrologiam scriptis vocibusq; damnauisse. Diuus Athanasius magnus super illis Apostoli verbis in epistola ad Colosenses, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum, scribit ipsum Apostolum, dierum & tẽ-

porum obseruationes refellere, & Solem & Lunam, quibus tempora videntur varia conditione constare, elementa appellasse: vt vniuersum complecteretur orbem, magisq; ac magis inanem dierum obseruantiam ostenderet: si autem hoc reprehendit atq; refellit, quid de singulis ne dicam horis, sed momentis dicendum est, quæ vtique in ipsis diebus continentur. Porrò hac obseruatione sublata necessaria consecutione tollitur Astrologia, cùm iisdem fundetur vniuersa & fulciatur. Idem Apostolus eandem vanitatem execratur alio loco eiusdem epistolæ: sed & in ea quam misit ad Galatas, apertiùs inuehitur: *Dies*, inquit, *obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo fortè ne sine causa laborauerim in vobis:* pro quibus verbis explanandis Augustinus scribit superstitiosas huiusmodi temporum obseruationes ad tantum animæ periculum pertinere, vt ob id illa ipsa verba prōpserit Apostolus, & subinde queritur multos perseuerare in accipiendis temporibus rerum agendarum à mathematicis. Eusebius Pāphili in sexto Pręparationis Euangelicę libro aduersus malignam, vt ipse inquit, Chaldæorum Astrologiam, & rationibus & auctoritatibus apertè bellauit. Diuus Basilius magnus in hexameron libro scribit, ridiculum esse Astrologis contradicere, sed necessarium, ne multi eorum fraude præoccupentur, quando in eorum verbis & multa ignorantia, & multa impietas: & inter alia plæraque connexionem hanc affert: si enim ex stellis naturaliter malum procedit, creator erit effector mali. Idem & eodem libro hexameron & in responsione quadam sua dum esset de fortuna interrogatus, Astrologicam vanitatem apertè conuellit: illaque ipsa quæ superiùs attulimus Esaiæ verba & alia nonnulla in Astrologos citat. Ioannes Chrysostomus in commentarijs in Euāgelium Matthęi, opinionem illam Astrologorum veluti blasphemam reijcit, qua freti putant stellas in causa esse, vt adulter quis aut homicida fiat. Ioannes Damascenus in suis Theologicis sententijs vanitatem ipsam refellit, decernitq; esse in cœlo posse imbrium, & siccitatis, caliditatis, frigiditatis, atque ventorum signa, nequaquàm autem nostrarum actionum. Subditq; causas ea non esse generationis atq; corruptionis, tāetsi transmutationis aëriæ signa, vt diximus, habeantur. Diuus Sebastianus martyr Chromatio præfecto exprobrauit quod holouitreum nō fregisset, in quo omnis disciplina stellarum ac mathesis mechanica erat arte constructa, in cuius fabrica Tranquillinus pater plus quàm ducenta auri pondera expendisset, affirmauitq; artē ipsam aduersari Deo: vt in eius vita licet per hæc verba intelligere: Hæc ars inimica Deo cognoscitur, ista Christiani ita recusant, vt non audiant, non credant, non colant, non teneant: Verùm nec illos amicos habeāt qui huiuscemodi nugis suū occupant pectus, subditq; se & vanissimam & falsam esse Christo reuelante cognouisse: multaq; aduersus eam disputās eo Chromatium duxit, vt quod ad ornatum domus exceperat, quo suæ consuleret saluti, dissiparet. Cyprianus vir clarissimi eloquij & eximiæ sanctitatis martyr, eo in libro, quo sibi reuelatum ait à Domino, ne sacerdotes cum fœminis cōmune habeant contubernium, Astrologos obiter irridet. Augustinus secundo libro de doctrina Christiana, scribit ex notatione syderum velle nascentium mores, actus, euenta prædicere, magnum esse errorem magnamque dementiam: eodem libro scribit: Quisquis liber est cùm ad Mathematicum ingreditur, dat pecuniā, vt inde seruus exeat: eadem ferè in commentarijs super Ioannem affirmat, quo loco ad perniciosam dixit superstitionem eos pertinere, quia non solùm actiones nostras, sed & actionum euentus à stellis putent procedere. Idem præclarissimus Augustinus multis mondis astrologicam vanitatem insectatur, longisq; disputationib. abominatur atq; refellit, nec solùm quo ad mores & necessariū causarum nexum pertinet, vt fabulantur indocti, & Lucius obstinatè contendit, quādo etiam pleriq; & ferè omnes auctores artis necessitatem tollunt: Vnde & horarum electio & expiationes apud eos inculcantur. Atqui omnifariam, & ex integro eam pro viribus tollit & reijcit Augustinus. Nam in opere de Ciuitate Dei, cùm alia aduersus hanc insaniam tùm id affert: vt etiam quæ ad corpus pertinēt, deriuari à cœlo, vt volunt Genethliaci, non possint. Quippe insolentiam appellauit parilitatem ęgrotandi in geminis fratribus in constitutionem cœli ac syderum, quando concepti aut nati sunt velle referre, & illud quoq; subdit, sexū corporis qui quidē res maximè corporea est, cœlo nisi maxima cum insipiētia referri acceptum non posse, cùm sub eadem syderum positione diuersi sexus gemini concipi possint: eodem libro stultitiam singularē appellat, diem eligere, quo ducatur vxor.

Subditq;

Subditq; illud, qui qualiumcunq; Deorum volunt esse cultores fatum: id est, vsitata loquendi consuetudine vim passionis syderum in hominis genitura quærentes, à Dei voluntate alienare, eos verò qui stellas hanc putant habere potestatem traditam sibi à summa Dei potestate, magnam cœlo facere iniuriam, in cuius velut splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni: qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente, fuerat euertenda: eodem auctore constantissimè asseritur Mathematicorum artem, non modò vanam & inutilem ac noxiam, sed nullam esse, ac demùm vbiq; eum inuenies vanitatem istam acriter taxantem & conuellentem pro viribus, vt illud Moseos exponens: *posita sydera in signa & tempora:* non signa, inquit, quæ obseruare vanitatis est, sed vitæ vsibus necessaria, qualia nautæ, agricolæ, & id genus artifices obseruant. In libro quoq; tertio Confessionum deditum se olim Genethliacorum libris fatetur, & in septimo de hac re loquens, inquit: Iam etiam Mathematicorum fallaces diuinationes & impia deliramenta reieceram: & de eisdē planetarijs loquens: quos, inquit, Christiana & vera pietas expellit & damnat. Et in libro de Natura dæmonum affirmat expresse, nemini licere post Christum genituram alicuius de cœlo interpretari. Idem super Psalmo tertio & sexagesimo dum cōcionaretur, Mathematicum in medium produxit spectandum populo, quia professioni renunciauerat, non aliter quàm si Iudæus aut Paganus venisset ad fidem.

Diuus Hieronymus affirmat esse ex opprobrijs Aegypti, hoc est, reliquijs idololatriæ requirere stellarum cursus, & futurorum ex eis euenta rimari. Diuus Gregorius Homelia decima in Mathematicos inuehitur, meminitq; eos qui Priscillianistæ dicebantur, putare vnumquenq; hominem nasci sub constitutionibus stellarum. Mitto Lactantium affirmantem Astrologiam, Aruspicinam, Necromantiam, Magicam, à malignis Angelis inuētam. Mitto alios complures eam condemnantes, vt diuus Ambrosius in Hexameron qui vanam & inutilem & impossibilem istam Genethliacorum artem affirmat, illudq; inter alia experimentum affert prædictum, vt ex ortu Lunę pluuiæ funderentur, cuius quamuis cupidus esset, tamen assertiones huiusmodi veras esse nolebat. Deniq; inquit, delectatus sum quòd nullus imber effusus est, donec precibus Ecclesiæ datus manifestaret, non de initijs Lunæ eum sperandum esse, sed prouidentia & misericordia creatoris. Eadem ferè semita, Leo, Seuerianus, Theodoretus, Cassiodorus, multifariam præsertim in Psalmorum commentarijs & quicunque vel antè vel pòst Theologi fuêre, aut doctrina, aut sanctitate, aut vtroq; insignes processêre. At inquient nonnulli, non ita posteriores Theologi absolutè atq; simpliciter Astrologiam damnauêre, quemadmodum & Prisci, non Thomas Aquinas, non alij. Falsum hoc quidem vt ostendetur, & ipsorum nomini maximè iniurium, qui scilicet & à Sacris literis & à præclarissimis illis veteribus Theologis tota Ecclesia celebratis aut discessissent, aut discedere voluissent. Diuus Thomas in expositione Symboli affirmat, eos factis ostendere plures Deos se credere, qui non solùm putant cœlestia corpora imprimere in voluntatem hominis posse, sed & illos etiam qui in factis suis certa accipiunt tēpora, damnatq; Astrolabia, quæ tamen ad vsum verę Mathematicæ in deprehendendis stellarum motibus & magnitudinibus pertinent. Idem in libro de Sortibus, & in secundo volumine Theologicæ summę partis 2. introducit Augustinū secundo super Genesim ad literam cōtra Mathematicos decernentem: si quando ab eis verum prænuncietur fieri id ipsum occultissimo immundorum spirituum instinctu, quem nescientes humanę mentes patiuntur. Eundemque secundo de Christiana doctrina libro citat asserentem: ad pacta quædam cum dęmonibus inita id ipsum pertinere. Idem quoque in libro de Iudicijs astrorum fretus Augustini auctoritate pronunciat diabolum immiscere se operationibus eorum, qui iudicijs astrorum intendunt. In secunda quoque parte secundi voluminis Theologicæ summæ de diuinatione astrorum loquens, affirmat & probat duplices effectus subtrahi cœlestium corporum (vt eius vtar verbo) causalitati, eos videlicet actus qui libero substant arbitrio, & effectus omnes qui per accidens, siue humanis, siue naturalibus in rebus eueniunt. At si quis & Thomam & alios opinatos dixerit dispositiones aliquas ex cœlo in homines deriuari: Indeque mores plurimum fluere contenderit, is quam longè fallatur & quàm præpostera sanctis doctisq; hominibus imponat, ex nono huiusce libri capite poterit commoneri. Diuus item Bonauentura in prima Centiloquij parte diuinatio-

uinationem ipsam quæ ex astrorum inspectione dies & horas in agendis custodit rebus, asserit deceptionem illusionemq; esse diaboli, atq; ideò maledictam à Deo atque interdictam ab Ecclesia. Henricus ex Hassia multifariàm diuinatrici derogat Astrologiæ atq; inter alia ridet eas quas in cœlo fingunt imagines, in commentarijs in sacram Genesim situmq; & ordinem Planetarum incertum ostendit, quod negocium procedente opere pluribus exequemur. Petrus Tarantasius qui postea Pontifex Innocentius eius nominis Quintus appellatus est, in quarto commentariorum in Sententias superstitionis & impietatis nomine culpat qui tempora arbitrio supposita seruant, & sub signis inchoant actiones: In eandem superstitionem & Ioannes quoq; Gerson scripsit & alij pleriq;. Quamobrem apertissimè constat & antiquos iuniores & proximos etiam nostro seculo Theologos vanitati Astrologicæ, hostes & plurimùm infensos fuisse, ne à veritate & Sacris literis dissentirent.

Quantum autem Ecclesia ipsa abominata fuerit hanc vanitatem, quãtumq; ab eius abhorrere consortio filiorum mentes desiderauerit, multifariàm posset ostendi, sed paucis contenti erimus: Quandoquidem & earum etiam quas suprà citauimus sententiarum aliquas accepit ab auctoribus illis, quos suprà meminimus, easq; inter Decreta promulgauit. In Toletana synodo (quod & meminit Ioannes de Turre Cremata in Summa Ecclesiæ) aduersus Astrologiam ita decretũ est: Si quis Astrologiæ vel Mathesi existimat esse credendum, anathema sit. Item primo quoq; capite de sortilegijs, cauetur ne aliquibus in rebus quis diuinationes aliquas obseruare præsumat: in secũdo eiusdem tituli capite decernitur, presbyterum quẽdam grauissimè errasse, nec modicam peccati maculam contraxisse, propterea quod ex Astrolabij inspectione furtũ cuiusdam Ecclesiæ recuperare quæsierat, tametsi bono id zelo & simplicitate fecisset. In Pontificijs quoq; decretis xxvj. quæstione ij. Mathematici & genethliaci Augustini auctoritate sub perniciosa superstitione comprehenduntur, & eorum ars penitùs Christiano repudianda fugiendaque proponitur, eoque loco vniuersa diuinandi superstitio damnatur, eiusq; omnes penè species recensentur summatim: Eodem quoque loco definitur Christianam & veram pietatẽ, Mathematicos ipsos & Planetarios expellere atq; damnare: Decreto item iunioris Gregorij anathema pronunciatur Astrologus sub Aruspicum nomine: nam & in libro de Natura dæmonum docet Augustinus, Aruspicum nomine apud nostros designari qui dies & horas in agendis negotijs operibusque custodiunt, nec non vij. quæsti. xxvij. causæ: decernitur magnum esse peccatum dies obseruare, & annos, & mẽses, & tempora, nec ob id inchoare velle aut exordiri quicquam, quòd fausta autem infausta eiusmodi tempora existimentur: est & articulus Parisiensis Theologicæ facultatis, aduersus superstitiones hunc in modum promulgatus: quod inire cum dæmonibus pactum tacitum vel expressum sit idololatria, vel species idololatriæ & apostasiæ error: pactumque esse implicitum dicitur in omni obseruatione superstitiosa, cuius effectus non debeat à Deo vel à natura rationabiliter expectari: suprà autem cùm aliorum, tùm Augustini præsertim auctoritate monstrauimus Astrologorum artem nullam esse, & superstitionis genus haberi, & ad tacitum pactum pertinere: & sanè qui mitiùs etiam interpretari hæc ipsa voluerint, inficias ire non possunt, periculosissimum esse tàm aperto se discrimini exponere, quod nostra tamen tempestate ab omnibus ferè ordinibus peccatur ex inobseruatione ciuilium legum, quæ acerrimas pœnas huiusmodi superstitiosis proposuẽre.

In Iustiniani enim principis Codice, Mathematicam artem damnabilem esse & omnino interdictam asseritur, subditurq; Constantini decreto pœnam capitis impositam ei qui aruspicem aut Mathematicum cõsuluisset. Sed si quis in Cęsaris comitatu Mathematicus deprehensus fuisset, & conuictus, pœnis eculei deputabatur. Genus hoc hominum, prudentes legum positores, tàm exosum habuerunt, vt cùm esset cautum, ne socius, & particeps criminis accusare posset, Mathematicus exciperetur, quod Gulielmus cognomento Speculator, inter legum interpretes eximiæ auctoritatis, titulo de Accusatoribus meminit. Ante Iustinianum verò, vrbe Roma ignominiosè expulsi, sub Tiberio, sub Vitellio, sub Diocletiano, sub Constantino, sub Gratiano, sub Valentiniano, sub Theodosio, & vel professionem deserere, vel eius pœnas luere sunt coacti: adeò inutiles & noxij ciuitatibus iudicati sunt, & est adhuc qui

mussitet,

mussitet, qui magis hiatibus & cubitalibus verbis satagit, quod & Lucius & alij nullũ orationis florem tenentes, inconsultis duntaxat rationibus, anxij satagerunt: Verùm non minus inepta & inconcinna illa garrulitas, quam istorum viribus effœta barbaries, hi saltem quid voluissent conficere, quanquàm re nequirent, animo satis conceperunt, illis veluti inani cucurbitæ nil verè præter sonum: ostentatio nihilominus tumida, & hamatę sententiæ, nil ad propositam quæstionem facientes, quib. veluti conuiuali furcilla, veneta preciosiora obsonia confoderent. Quid rogo? quid Aristoteles in libro de Cœlo ad Alexandrum Astrologis adstipulatur, qui diuinatricem hanc vanitatem, suo potiùs silentio damnauit, quàm sua loquacitate Maternus extulerit: cur causarum scriptor affertur in medium, apud quem non dubium, cœlum vniuersalem causam & esse, & haberi debere, à qua particulares effectus, minimè petendos ostendimus. Qua de re Ptolemæi testimonium citatur, quod hac in causa non plus faciendum, quàm vox cauponis cuiuspiam, quæ vini sui præcellentiam stentoreo præconio venditaret, quid est causæ? vt sacra Gregorij perperam desumatur auctoritas, cuius in confutandis Mathematicorum decretis, in medium pręclara testimonia duximus: sed & scrupi Pharsalici, & Georgij scopuli, & vada Tholosana ad Astronomiam illam, quę syderum motus, & moles emensa est, veriùs referuntur, quod si quando aut Lucanus, aut Vergilius, aut alij poëtæ, adstipulari genethliacis videntur, minus est eorum testimonium, quàm vt legitimum haberi debeat, ne dum maioris præiudicij loco: Nanq; & simul funditant fabellas alias: & deorum plurium cultus detestádos, & omnino sacrilegos: Atqui non nunquàm vanitatem Astrologicam derident Poëtæ, quod in Satyris incontrouersè deprehenditur. Iam de Poëtis testimonia sumpta non improbantur, cùm vel mores describuntur honesti, vel rationalia traduntur præcepta: Sic & Aristoteles philosophorũ grauissimus in œconomicis, in ethicis, in naturalibus, in rhetoricis præcipuè atq; etiam diuinis in rebus, & Homeri, & aliorum Poëtarum carminib. vsus est. Sic & huius tēpestatis, & antiqui etiam nostræ religionis antistites, id factitârunt, quorũ multi quodcunq; rectũ apud philosophos, gentesq; ipsas reperitur, ab eis tanquàm ab iniustis possessoribus, in nostrum vsum vendicandum monuêre: quoniã omne verum à Deo est suprema veritate, cuius ipsi cultores sumus. Sic Hieronymus, Romanũ docet oratorem. Sic magnus ille Basilius, libello proprio indicauit. Sic Augustinus effecit & in libris de Christiana doctrina faciendum edocuit. Sic alij effecêre. Exemplo Mosis, quem in omni Aegyptiorum doctrina eruditum, Sacræ literæ subsignârunt: Exemplo Pauli, qui & Epimenidis, & Menandri, & Arati versib. vtitur, apud quē etiã illud pro philosophis legitur, *quod notum est Dei, manifestũ est illis.* Quid? quod & Ioannes Damascenus inter eos qui Græca lingua scripserunt, Theologus admodum subtilis, librum περὶ ἑρμηνείας Aristotelem interpretatus est, & Ciceronem: Augustinus quoq;, liberales disciplinas olim exorsus omnes, aliquas absoluit: Diu⁹ Thomas vniuersam penè Aristotelis philosophiam exposuit, & plurima quoq; eius dogmata, suis etiam libris Theologicis inseruit: Sic & Bonauentura: quin & diuus Vincētius de Logicis etiam suppositionib. scripsit: sic alij penè innumeri, vt partim aurum, partim argentum, partim vtrumq;, hoc est, sapientiam & eloquentiam, & recta instituta quæpiã, ab iniustis possessorib. auferrent: neq; enim vnquàm veritatem aut damnârunt nostri illi sanctissimi antistites, aut ereptam cuiquam voluerũt, quin & ab his qui inter nostros errauerunt quæcunq; bona dixerunt, minimè formidârunt: neq; enim propter errorem illum de iteratione baptismatis, abiecerunt scripta Cypriani martyris & aliorũ qui ex ignoratione exorbitârunt: quid? quod sub Origenis nomine, multa detestata plurima suscepta sunt ab ipsa Ecclesia. Sic & beatus Hieronymus, bona q̃piam desumpsit à multis quos in aliquo damnauit hæreseos: ille idem propter eruditionem Lactantij quoq; & aliorum qui plærisq; errorib. laborârunt, libros nō abijcit. Sic & magnus ille Augustinus, in libris de doctrina Christiana, Ticonij hæretici regulas quasdã, & adhibet, & probat. Hæc diximus quæ fortè parerga, hoc est, pręter negocium existimauerint, qui non animaduertent, quædam & in hæreticis, & in gentibus damnata, quædam item ab eis bona vel non mala vendicata: Ab Astrologis autē nihil sumptum esse diuinatoribus, sed eorum omnia abiecta, explosa, exsibilata.

CAP.

CAP. VIII.

FORTVITA À COELO PER SE NON PENDERE, SED NEC præterita, nec quæ ad alios attinent, ex vlla posse constellatione præuideri, nec item futura multò pòst tempore, à præsenti constellatione posse produci.



SEd iam Physicis Theologicisque rationibus manus admouendæ sunt, vt superstitiosam hanc vanitatem demoliamur: ea potissimùm de rebus fortuitis diuinare satagit, quarum bono vel malo euentu, fortunatos vel infortunatos homines vocāt: idcirco enim versatur circa eas libentiùs, quod fieri sine proxima causa videantur, sicuti feliciter & infeliciter nauigare, regi placere, latronibus occurrere, periculum ruituræ mox domus euadere, fodiētem terram thesaurum inuenire. Hæc, inquam, de cœlo, sicuti nec pendere, ita nec præuideri posse diui Thomæ ratione probatur, tàm in tertio contra Gentes libro (quo loco fauere Astrologorum sententiæ videtur) cùm de fortunatis à cœlo hominibus, & infortunatis disputat: quam in prima parte Theologicæ summæ, hoc fundamento eius ratio innititur, quod ex natura, nō autem intellectu, aut electione, agunt cœlestia corpora, quæ naturalia sunt: naturæ autem proprium & peculiare esse vt ad vnum tendat: quapropter quod vnum ex se non est, ad cœlum naturalem scilicet causam, referendum non esse conuincitur: Siquidem effectus non vnus, naturæ ipsi vnum parienti producentique acceptus per se referri nequit: quæ verò ex accidenti concurrunt, inuicemque conueniunt, ea verè & per se vnum non sunt, sed duntaxat vnum per accidens, cùm ordinem ad sese, vllum non possideant, huiusmodi autem esse fortuita, fortuita cùm dico ea intelligo, quæ preter intentionem operantis eueniunt, vt cùm dicimus fortuna id factum est, ita fortè euenit, non ex aliqua causa, verbi gratia: proposuit agricultor terram fodere, culturā soli cogitās, accidit vt thesaurum inueniat, fortuitò factum dicimus, nec alia adducitur causa, quàm fortuna. Causa, inquam, per accidens, non per se: nam fossio quidem terræ, causa dici non potest, cùm non sit terra quatenus terra est locus, sed accidit eundum locum, terram simul esse latebramq; thesauri: nullam igitur vnam est afferre causam inuentionis thesauri, sed plurium causarum, cōcursum planè fortuitum. Duplex olim error circa fortunam, alij eam negabant, non quod ea quæ improuisa sunt, superioribus prouisa mentibus inficiarentur, sed arbitrabantur huiusmodi euenta, necessariò habere proximam per se causam: quod Aristoteles secundo Physicæ Auscultationis libro, & sexto Metaphysicæ, fortissimè confutat: Nanq; quod vnū secundùm accidens est, causam per se vnam habere non potest: vt hominē eundem Musicum esse & bellatorem: quę nullum inter se ordinē nacta sunt: putârunt alij fortuita nullo consilio superioris causæ produci, nulla prouidentia euenire: quam quidem impiam detestabilemq; opinionem, non solùm Theologi nostri, & alij philosophi celebres confutârunt, sed & ipse Aristoteles apertissimè conuellit: nam in Ethicis ad Nicomachum definit, curæ esse homines deis, præcipueq; sapientes: Et in Moralibus quoq; ad Eudemum, vbi de bona fortuna disseruit: nota esse Deo sensibilia omnia, præterita atque futura, & in his dirigi nos ab eo clarissimè asseuerauit: quod etiam in libro de Mundo confirmauit: potest igitur quod fortuitum est, ab intelligenti causa simul coniungi atq; produci, à naturali & ratione carenti minimè potest, quę ad vnum duntaxat vergit atq; procumbit: quapropter instigare hominem ad fossionem sepulchri, in quo thesaurus lateat, naturalis causæ esse non potest ad vnum tendentis, sed rationalis & intelligentis: cuius proprium est rem vnam ad aliam referre & ordinare: sic custos Angelus potest occultis motibus inuitare pauperem agricolam ad eū locum effodiendum, vbi nouit esse thesaurum, & quod pauperi fuit fortuna, consiliū tamen Angelo fuerit, huc illud Augustini, in quinto de ciuitate Dei spectat, cùm inquit: Non causas quæ dicuntur fortuitæ, vnde & fortuna nomen accepit, nullas esse dicimus, sed latentes easque tribuimus, vel veri Dei, vel quorumlibet spirituum voluntati: Dixit quorumlibet, cùm etiam mali ex permissu idem possent, quanquam nec eadem potestate qua boni, nec eodem fine facerent. Proclus Platonicus in commentarijs in Timæum, definiuit fortunam esse dæmonicam potestatem, congregantem

tem inuicem causas inter se diuulsas: Nec differt à Peripateticis, decernentibus fortunam causam esse in electione humana, & ob id secernitur à casu: causam, inquam, aliquid efficientem, sed ex accidenti: ille autem causam remotiorem occultioremque: hi proximam notamque respexerunt: fortuita igitur, Deo & angelis præuisa, atq; consulta erga homines sunt: vnde & adinuentionem thesauri mitti agricolator potest, alioquin inscius benè sibi futurum: à cœlo autem virtuteq; cœlesti fieri (vt suprà diximus) minimè potest: neque enim ille à cœlo habere vnquàm aliud posset, quàm propensionem animi ad egressum magis quàm ad quietem: sicut & hoc quoq; à corporis habitu esse potuit, ex quo alij sedentarij & pigri magis, alij ambulatores & vegetiores homines sunt: colligere igitur possumus, si fortuita causam certã statamq; in cœlo non habent, nec inde per se dependeant (vt est probatum) ea nullo pacto ab Astrologis (etiam si aliquid esset Astrologia) præuideri atq; prædici posse.

Multa hîc Lucius incassum fundit at ex Thoma decerpta minimè animaduertens omnia quæ dicit Thomas, si concedantur, nihil tamen esse Astrologiam, ratione eiusdem Thomæ, eo maximè loco desumpta vnde Astrologis arrogari videtur fauor, quem tamen eis à prudentissimo sanctissimoque viro derogatum vidimus, in tractatu de Iudicijs astrorum, in libro de Sortibus: in quæsti. xcv. secundi voluminis secundæ partis theologicæ summæ, quod quomodo persentiens Astrologiæ defensor, de cœli anima seu mauis intelligentia coniuncta, nonnulla spargit, quæ nullo pacto ad astra possunt referri, quorum corporei non autem spiritales effectus sunt: nec eorum consideratio sub Astrologia comprehenditur. Atqui, nec patruus, nec ego enixè contendimus, à cœlo auferendum, quod eis & Thomas & Scotus impartiri videntur, de syderum viribus, de suis in nos profluuijs, sed ostendimus nulla id certa ratione extorqueri, quod etiam si concedamus, artem nihilominus Astrologiæ inefficacem nullamque defendimus non auctoritate solùm Augustini & aliorum, quod suprà fecimus, sed naturalibus theologicisque rationibus. Enimuerò perniciosus hic error apud multorum mentes inoleuit, vt cùm quidpiam vident quod humanas excedere vires appareat, cœlo id adscribant: malè adeò compotes mentis vt in causam cognitionis expertem referant, dicunt illa quidem à Deo disponi & ordinari, sed per cœlum syderaque compleri. At falluntur: nam intercedentes causæ inter Deum & homines, sicuti inferiores Deo, ita sublimiores altioresque hominibus esse debent, hominibus, inquam, ratione pollentibus: & sanè quæ rationalia sunt, non debent per irrationalia & ignobiliora ab auctore primo disponi, nec incorporea per corporea gubernari. Videmus enim elementalem molem, vtpote deteriorem, per cœlestem quę melior est, regi & gubernari: non secus res humanæ, Angelorum ministerio, qui natura dignitateque medij inter nos & Deum meritò gubernantur. *Sunt enim* (vt inquit Apostolus) *administratorij spiritus propter eos missi, qui hæreditatem capiunt salutis*. Deberent igitur cùm à Deo ad terram descendunt, per cœlum descendere, cùm autem à Deo ad homines descendere per Angelos: cæterùm commoneri non solùm à Prophetis & ab errore possent liberari, apud quos legitur Angelum Persarum, Græcorũ, Hebræorum suis populis prouidentes. Sed & à Platone omnibusque Platonicis erudiri quibus persuasum locales Deos vrbibus, regnis, hominibusque præpositos. Quorum mentionem quoq; factam ab Aristotele, & antiquior Isidorus, & Clemens Alexandrinus in Stromatis memoriæ prodiderunt. Neque enim ad fatum extemplò confugerent, vnde & fatui planè discedunt. Fatum, inquam, id est, syderum constitutionem cùm quid aut nascitur, aut concipitur, aut inchoatur, quanquàm sunt alia fati sensa & nomen id in multiplicem significationem apud antiquos acceptum est: vnã diximus, alia est ipsa natura, & sic ab Alexandro Aphrodisæo in libro de Fato definitur: Fatum esse ipsam naturam quæ principium aliud est ab electione: quare fato ignẽ calefacere, aquam humidam esse, sed & cùm quis dissoluto corporis temperamento moritur, fato moritur. Si verò violenter occiditur, fato non moritur. Quemadmodum apud Vergilium de Didone sibi manus inferente legitur:

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat: & Curtius de Indorum sapientibus scribens inquit: apud eos præoccupare diem fati pulchrum est. Aristoteles quoque quinto libro Physicæ Auscultationis fatales vocauit generationes quæ secundùm naturam fiunt. Demosthenes quoque hac de re ita loquitur: ὁ μὲν τοῖς γονεῦσι νό-

μίζων μονὸν γένεννησε τὶν τῆς εἱμαρμενῆς, καὶ τὸν ἀυτόματον θανατὸν πεμενει. Tertiam fati significationem dixerunt causarum seriem ordinemque necessario nexu cuncta producentem, qui falluntur apertissimè: contingentiam tollentes quam & Peripatetici & nostri Theologi fortissimè probant: Illi contrà putant nihil non fieri necessariò in ipsa natura, si quis omnes simul causas complectatur, at defendi facilè potest, multa fieri extra necessitatē in naturalibus rebus, & quæ arbitratu nostro fiunt: Namq; non omnē quod fit naturaliter, fit necessariò, qa potest opus naturæ impediri in ijs quæ arbitrio fiunt, quia nostrū arbitriū omnino liberū & libera prorsus electio. At illi vrgebūt, affirmantes id quod opus naturæ impedit à naturali causa esse, quam iterū necessariā cōtendent, quæ tandem in cœlum referatur, sed falluntur: nam quamuis naturalis illa sit causa, potuit tamen & esse & impediri cùm agebat, quò fit vt impedimentum illud contingens sit non necessarium, & si de illo rursus impedimento instent, quod cùm naturale & sit & habeatur necessariò aut impedietur aut non impedietur, vel hac ratione repellendi sunt, quod si mundum æternum putant progressuros eos à contingente causa in contingentem, inter quas ordo sit semper accidentalis, nec ad vllam vnquam causam naturalem peruenturos: vnde necessitas pendeat, quando & ipsi cœlesti causæ, & ipsa materia, & inferiores causæ facilè obstant, si verò de creatione nobiscum sentient, deuenient quàm totius ad primam rerum contingentem institutionem, hoc est, ad liberam Dei creantis voluntatem, vnde auferetur necessitas, non inferetur, & hoc in omni causarum naturalium efficientia: siue totum quod fit à proxima fiat causa, nec aliud agant superiora quàm vt ad agendum proximam ipsam causam moueant, aut impellant, siue idipsum gradatim à causis pendeat ordinis perfectione inter se distantibus, ita vt communiorem in opere ipso rationem ad causam pertinere magis communem dicant, atque ita deinceps donec ad propriam rei speciem & naturam deueniatur, quæ à propria & proxima causa dependeat. In arbitrarijs autem rebus, vel præter rationem falli eos experimenta probant, & quæ contra moliri satagunt, putando nihil eligi non præiudicatum à ratione falsis assumptionibus nituntur. Alia huius nominis fati significatio est, diuini consilij executio certa, ineuitabilisque successus, quàm si quis fatum vocet, rectiùs, auctore Augustino, sentiet quàm loquetur. Videtur etiam aliquando fatum pro casu sumptum atque fortuna, quam quis aut experiri voluerit, vt est illud in vita Lucani de Cæsare:

— placet alea fati,

Alterutrum mensura caput —. Eum enim committentem se fortunæ introducit nullam pro victoria certitudinem, arbitratus nisi quam casus attulisset, quod Aleæ nomen explanat. Errârunt in quarta fati acceptione multi, putantes nostram idcircò libertatem periclitari, non animaduertentes, & nos quoque esse inter has causas, nec solùm pati, sed agere: & siue Dei præuidentia, siue prouidentiam attendas, nullum fit præiudicium liberis actionibus nostris. Nam si præuidentiam, cur non liberè facio, quod præuidit Deus me facturum? Nam si erit quod ille præuidit, vtiq; liberè faciam quod liberè me facturum ille prẹuidit: sed & quia erit quod voluit, voluit autem me esse liberum, liberè agam quicquid agam: nisi ipse mihi meam libertatem ademerit, in cuius manu sunt non modò cogitationum nostrarum euētus, sed & ipse cogitationes, ipsa consilia, ipsa proposita, quæ omnia moderatur, nunc in his quæ nec ad virtutes pertinent, nec ad vitia inclinans, quo libitum illi si ita decreti alicuius sui perfectio postulet: Nūc virtutes in nobis, sed & nobiscum inchoans, & inchoatas absoluens atq; perficiens: Nunc à virtutibus ad vitium motos ad iustitiam perducit, vel leni correctione pro misericordia, vel flagellis grauibus pro iustitia: omnia semper aut bona, aut occasiones certè faciens bonorum.

Sed iam de fortuitis quantum ad propositum nostrum in confutandis Astrologis attinet, abundè dictum est: qui & in præteritis & in his quæ ad alios attinent, quæque multò pòst euentura sunt, grauiùs etiam aberrant. De his enim quæ genituræ horam antecedunt tàm liberè quàm de alijs pronunciant, vnde illud sequitur absurdum supraq; quam dici potest deridiculum, vt causa efficiēs effectu suo posterior sit. Si enim præsens constellatio causa est effectus eius qui olim præterijt: ille idem vtiq; præcessit & anteiuit causam suam efficientem quo quid dici potest deliratius: pari pacto & de præteritis simul atq; alienis ariolantur, cùm de hora qua filius nascitur, de parentum, auorum,

auorum, maiorumq; natu fratrum, naturis fortunisq; vaticinantur. Nec audienda Hali Auenrodam insania, qui Ptolemæi Apotheleſmata enarrans, inquit, tunc solum mulierem congredientem viro concipere, cùm ea incidit hora, cuius constellatio cũ parentum constellatione cõcordet, & quia ea quæ vni alio cõueniunt, inter se quoq; conuenire necesse est, eò fieri vt si filiorum omnium genituræ cum parentum cõstellationibus conueniant inter se quoq; concordes euadant, quare & mutuo sua inuicem fata illos significare fratris frater, & parentis filius. Ex hac positione primum hoc sequitur ex hora conceptionis mulieris, non partus, debere is qui concipitur parentis fata significare: sequitur & illud, vt sub alia cœli inclinatione pater si nascatur, mater sub alia, vna sit quęrenda constellatio, quę tàm diuersis constellationibus quadret atq; respondeat: Sed quomodo tot filiorum thematis patris matrisq; simul respondebunt, ab ijsdem enim syderibus, ab ijsdem cœli regionibus peti in omnibus oportet parentum significatio, à quarta siquidem & à decima cœli domo sortem patris & matris, inuestigatis Astrologi, à Sole, item Saturno, Venere, & Luna: Horum autem dispositio in thematis geniturarum varia semper & multiplex pro varietate filiorum est. Quî fieri ergo potest vt ista varietas à constellationibus genitorum non euariet, quæ priùs à se ipsa discordat? aut illud quomodo tuebuntur? vt idem pater necessariò fortunatus simul & infortunatus nõ sit, cùm alter filiorum quartam puta domum infelicibus obsessam radijs teneat, alter verò felicibus illustratam. Iam vulgus Astrologorum plagam accipit insanabiliorem, quò magis curare alias imperitè satagit, nõ ab omnibus aiunt filijs, sed ab eo qui est natu maximus parentum fata præuidentur. Sed hoc apertè dogmatis Auenrodan aduersatur, qui fratrum genituras idcircò inter se dixit conuenire, quoniam cum parentum constellationibus pariter omnes cõueniebant. Illud autem summoperè irridendum, non concipere mulierem, nisi ea hora quà constellationes ipsæ conspirent & consonent, ex quibus possit Astrologus fabulari: quasi eorum dementiæ & cœlum, & tota natura deseruiat, qui etiam ex hora qua infans nascitur, mendacissimè insaneq; diuulgant: effici ea quæ in fratribus in parentibus iam diu præterierunt. Horum non contenta superstitio promittit, & quæ multo pòst tempore sunt futura à præsenti constellatione produci posse: Verbi causa, Planetam orientalem in prima vitæ parte præstare quod pollicetur occidentalis in secunda, qui horoscopũ tenuerit vel eius dominus fuerit citò dare quæ sua sunt paulò post eum qui in medio cœlo fuerit, qui Occidenti præfuerit, vel ei affuerit serò, seriùs qui in imo loco fuerit collocatus: Nónne vidit Astrologorum ruditas illud sequi non fieri videlicet à constellationibus quod sunt facturæ cùm ipsæ sunt constellationes, sed postquàm pręteriêre, & quidem annis multis: subindeq; hallucinantur, nec vllo pacto vident necessaria consecutione subduci naturalẽ causam, qualem esse cœlestem, non diffitentur, tùm efficaciorem existimari, cùm non est quàm cùm est. Non remanet autem cœlestis influxus in corpore instar Medicinæ, instar formarum generabilium, instar lapillorum & metallorum virtutis seminariæ, vt blaterat Lucius, nec virtus inde nobis infunditur, quæ suo tempore pro natura agentis materieq; habilitate suos tandem effectus in lucem prodat. Siquidem agentis natura est, tùm agere cùm est, nõ autem cùm abest, & eo maximè efficacem esse cùm abijt. Præterijt autẽ syderum illa cõfiguratio, nec vis aut semen reliquit quibus effectus propagarentur: Quod verò attinet ad materiam vt tempus scilicet habile expectetur, quod item serò effectus edant Planetæ pro diuersa locorũ domorumq; positione, & quod præterquàm tardè præstare sua beneficia non possint: Hoc totum rationalis causæ est pro arbitrio voluntateq; agentis: naturalis autem nec est, nec esse potest. Praetereà si cœlum quidem ex se dat, statim quod daturum est, materiæ autem dispositio est in mora, nõ Astrologi certè, sed naturalis philosophi munus erit, euentus, tempora, cognoscere, cùm materiæ statum ille conditionemq; speculetur: Rursus vbi conseruetur ista virtus edoceant, vtiq; aut in materia, aut in causis inferioribus & secundarijs conseruabitur, quorum siue vtrumq;, siue alterum dicant tueri nunquàm poterunt, vt aut in æstu fluentis fluentisq; materiæ, aut in tam varia atq; mutabili particularium causarum multitudine virtus cœlestis & eadem & stabilis diuturno tempore permaneat.

CAP. IX.

AVSPICATIONES QVAE ELECTIONES DICVNTVR vanas esse & nullas: Item nec mores hominum, nec bonas aut malas leges à cœlo pendere, corporeas quoq; dispositiones ab eo non effici.



DE auspicationibus quas electiones dicunt, multa Astrologorum vanitas impossibilesque sententiæ, quæ clarè nobis discutientibus patebunt: aut enim in re quam quis auspicatò facturus est, fauorabile sibi cœlum natalis constellatio fecit, aut aduersum, si hoc dederis, nihil auspicatio prodest, ex sentẽtia Ptolemæi in vj. centum enunciatorum verbo quod pessimè quidem translatum habetur vulgò, quare illam rem infeliciter semper aggredietur, feliciterque abstinebit ab ea. Si primum nulla opus horarum electione, sed tua tibi electio sufficit, quoniam tunc feliciter rem illam aggredieris, cùm te ad illam animus inuitabit, neque enim aliud est esse fortunatum (si fortunatus aliquis est à cœlo) quam imaginationem cœlitùs moueri, vt his & modis & temporibus vnumquodq; faciendum suscipiatur, quibus feliciter optata succedant. Quocirca, auctore Aristotele, non prodest fortunato consilium, ne fortè eò distrahatur abducaturque, adeò vt instinctus impetusque frustretur, quo in res desideratas alioquin ferretur. Quid ergo nugamini noui defensores Astrologiæ, & fauori cœlesti & minimè etiam conciliato ipsas electiones prodesse blaterantes: nam si cœlestis configuratio tibi quidpiam minatur, num quasi libero polleat arbitrio, sententiam mutabit, & propitiùs influet: Si horam tute ipse delegeris, qua veluti cœnatus ille & exhilaratus mero, quod bibaces præsides solent, te reum absoluat. Dicis, sunt plura media consequendo fini aptata, quibus prodest electio. Dic rogo & illud, num cœlum sua munera nullo intermedio largitur? Scio respondebis medijs operibus humanis, cùm reges ipsos, vt hoc vtar exemplo, vel electio principum, vel suffragia populi, vel milites faciant: Igitur & si reges facit cœlum, vt vultis, facit & propitios principes & addictos populos, & beneuolos milites. Siquidem receptum sua munera opportunis ad ea consequenda medijs elargiri, hinc quoq; deducitur, si cuipiam ex natali constellatione regnum abnuitur: Media quoque ad obtinendum ipsum commoda pariter denegari, quare nulla horarum electio eum constituet regem, quem ne regnet dum nasceretur, sydera prænotârint. Vellem quicunq; horarum electionibus vacant, eam eligerent qua liberantur insani, vellem & Lucius (qui etiam me de patrui opere publicato, calumniatur) si viueret responderet, an horam delegerit ipse, cùm primarium suæ ciuitatis virum occidere molitus, mala operatione frustratus est: an Saturnum sibi Martemque conciliauerit, cùm domo exiens, inimicus eum ensis occidit: bonus autem rhetor, ne sibi maiorem conflet inuidiam, non patruum, sed me detestatur, qui libros eius publicaui, in quo putat erratum, quod secundo libro de Electionibus, & quarto pariter disputetur: ignarus adeò & scribendorum voluminum artis insolens, vt non perspexerit ibi Astrologiam inutilem per sese, hìc etiam inefficacem cum suis electionibus ostendi. Sed & Hali interpres Ptolemæi, partem hanc Astrologiæ de electionibus, friuolam, inefficacemque existimauit, quod patere potest legenti textus incorruptos, nos etiam impossibilem probabimus, manifestis exemplis vtentes. Esto Iupiter de nona cœli regione, radios suos in terram iaculetur, felicem dicent Astrologi constellationem pro itinere capessendo. Quærendum igitur ab eis, defluxus iste afflatusque fortunatus, homines iter arrepturos afficiat, an eorum operationem, puta egressionem à domo, ascensum equi, & similia? Si primum respondeant, afflabuntur afficienturq; illi syderis beneficio, quotiens arripere iter proposuerint, etiam si tunc primum illud non cœperint: præsertim cùm ex eorum sententia, non pręstet cõstellatio quod pollicetur, tunc maximè quando est, sed cùm præterijt. Si secundum exponant, quo pacto Iouia illa equi ascensio, molem viam substernat pedibus, latrones abigat ex itinere, pellat nubes, sistat pluuiam, Solis iubar deuehat in terras, respondit Lucius, posse timorem aggressoribus inferri: hoc nec vlla ratio, nec experimẽta probant, nouam sanè addere constellationem, configurationi illi cœlesti oportuit, si terrorem incutere grassatoribus debuerunt sydera, quem alioqui non incussissent, nisi horam itineris capiundi,

capiundi, peregrinus ex Ephemeride selegisset: sed nec terrena (vt somnias) formidinem illam queunt inferre latronibus, si eiusmodi non sint, quibus ipsi quandoq; peregrini terrores inuehunt hostibus, gladijs, inquam, & eo genere armorum est opus, non quadrato aut sextili aspectu, qui tibi nil profuerũt, aduersus gladios hostiles, qui vtinam spacium ab hac vanitate desciscendi præstitissent, quę non solùm sacris aduersa literis, condemnata Theologis, explosa Philosophis, sed & Poëtis ipsis exibilata:

Ad primum lapidem vectari, cùm placet hora
Sumitur ex libro, si prurit frictus ocelli,
Angulus inspecta genesi collyria poscit, & nos qui possumus non irridere? Doceant quæso, quo in loco defluxus iste retineatur: In itinere multorum dierum habẽda suspicio est, ne virtus illa quæ cœlo descenderat, illo equum ascendente, eodem descendente, rursus in cœlum ascendat: vnde viator iste, nouo semper Ioue indigebit. Nec somniare possunt vim aliquẽ (vt dicunt) primordialẽ nusquàm cõsistentem, nullibi radicatam, quæ totum molliter planeq; conficiat, neq; enim in homine ipso suscipitur, alioqui suscepto illo beneficio Iouis influxu, iter ad plures annos differre valeret, quod semper feliciter conficeret. Sed nec suscipi afflatus potest in actu operatione que ipsa, quæ ex successu præterijt & identidem aboletur, & suapte natura minimè capax est defluuij cœlestis. Idem de ijs dicendum, quæ sunt opera potiùs nostra quàm operationes: Nam cùm Ptolemæus voluit Marte in vrbis alicuius constitutione, cœli medium obtinente, principes eius ciuitatis gladio plerunque perituros: percunctandum vbinam sanguinolenta ista radiatio suscipitur, quæ tot deinceps principes, successu temporum obtruncet: Si in principe vrbem ædificante dicent, quærendum iterum, quî fieri possit, vt iacti lapides in terram iussu principis, hoc est, vrbis fundamenta, malignos radios aliorum vergentes, in illum flectant atque deriuent, & quod est ridendum magis, in posteros & successores regni, hæreditario quasi iure, protendatur, noxia illa virtus, cuius & susceptaculum perijt & origo præterijt. Si uerò in ipsa vrbe, in primis lapidibus super quos erigenda est, non in principe recipi dicatur pestilens illa vis, mortifero quodam afflatu, omnes eius principes afflatura: fieri facilè poterit vt congesta desuper humus, proximisq; lapidibus inculcata, furorem illum Martium exire, & exhalare prohibeat, quod si princeps pluribus passuum millibus, ab vrbe semotus habitauerit, vapor ille integer atq; efficax ad eum peruenire non poterit, vt inferat necem: hinc egregius ille defensor extricare se nequit: prius enim in homine suscipi, mox in opere ipso cœlestem influxum fatetur, & ad insensibiles radios cõfugit, quos demirandum quomodo ille persenserit: aliter, inquit, seruantur in cœlis, in terrarum vrbibus, & in lapidibus, & in domibus, nec quo pacto seruantur, explicat, nec argumentis respondet. Domos, ait, infortunijs infici, & perdere habitatores, atque in posteros vim illam flecti, seruariq; & in loco, & in cœlo, locum ipsum crebriter afficiente: Sed nulla domuum infortunia comminisci oportet, & si qua forent, aliunde quàm à cœlo dependerent, ex prauis scilicet spiritibus, vel ex habitatorum malitia: Infici autem à cœlo domus locum nisi rudissimè dici potest, quandoquidem ex Astrologorum dogmate, illa ipsa iam configuratio præterijt, cuius vim asseruare præter rationem concupiscunt: Somnia hæc profectò & impossibiles nugæ sunt, non Theologis solùm, sed & Philosophis * iniurię, Platoni maximè & Aristoteli, qui in suis de Republica libris, vbi de condenda vrbe præceperunt, nugas hasce non tetigerunt: Nugas, inquam, quæ cultoribus etiam suis perniciem inferunt, adeò vt experientia constet, eos potissimùm in suis rebus agendis, parùm esse felices, qui vanam hanc temporum discretionem obseruant, contrà longè feliciores, qui eam duce prudentia reijciunt. Nostra hac ætate in principibus etiam viris, ita palàm ostensum est, vt etiam conniuentes exquisitissimè perspexerint. Apud antiquos idem euenit si quidem Ninus Assyriorum rex, nec Astrologus, nec Magus Zoroastrem in Astrologia, in Magicis, in omni superstitione potentem, & vicit in bello & occidit. Pompeius quem res aduersæ atque sinistræ pressêre, vanitati huic plurimam fidem adhibebat, nullam Cæsar, cui felix lætaque fortuna: Iustinianus Imperator, Astrologorum exterminator, & domi, & militiæ felicissimus fuit: contrà Iulianus ille desertor, & Christiani nominis inimicus, superstitionibus deditissimus, breui & imperium, & vitam infeliciter amisit.

* *Iniuriosa.*

Iam de motibus dicere aggrediendum, quos putant de cœlo deriuari, nec suæ opinioni quicquam refragari posse, modò pars animi rationalis & arbitrij libertas eximatur, ita multiplices ingeniorum proprietates, & varia hominum studia, à diuersis stellarum afflatibus prouenire contendunt, cùm id etiam faciat habitus corporis, salua animi dignitate & arbitrij electionisq; libertate. Sed quãtum fallantur, aberrentq;, multifariam ostendemus. Philosophorum enim & Theologorum omnium consensu planè constat stellarum vires proprietatesq;, à Deo Optimo, Maximo, Sapientissimoq; illis esse inditas. Quicunque igitur effectus ab eiusmodi naturalibus causis syderum videlicet proprietatibus & viribus proueniunt, quæ, scilicet, à conditore naturæ præscriptas sibi leges immutabiliter obseruant, tàm in auctorem naturæ sic instituentis, quàm in ipsas naturales causas referri accepta possunt: cùm autem decernunt Astrologi, habere nos ab hac quidem syderum positione inclinationem ad impietatem, ab alia ad adulteria, ab alia ad puerorum amores, vt si Mars nonam domum occupauerit, si Venus Marti copulata fuerit, si idem in signis maribus collocentur: cùm, inquam, ita decernunt, id totum etiam in Deum referunt, qui huiusmodi syderum proprietates (si eorum tamen proprietates essent) ab initio syderibus ipsis instituerit: Derogare autem non vident hoc Diuinæ bonitati & sapientiæ, hominem videlicet quanquàm liberum, infirmum inflectere ad eam partem, ad quam minimè eum velit declinare. Prætereà qui hic ordo naturæ, qui consensus, optimos seruos vitiorum ministros efficere, & cùm ipsi iussa nunquàm prætereant, alios tamen ad transgressionem excitent & inuitent. Rursus quæ sapiens institutio, vt quod naturæ ipsi aduersatur ab ijs tamen procuretur vt fiat, quæ sunt naturæ partes magnæ, potentes, optimæ, principales: postremò qui peccat non facit, sed deficit: sequitur igitur vt quæ inuitat ad peccandum, inuitet ad deficiendum, quod nõ conuenit superioribus causis semper efficientibus, nunquam autem deficientibus: Sed & ego alias plerasq; rationes necti subinde non incommodè posse crediderim, vt cùm angelicæ mentes orbes moueant, cuius beneficio motus circumfuso, scilicet, calore & lumine, effectus in terris producuntur, in eas ipsas & prius, & magis, quàm in orbes motos scelestas huiuscemodi propensiones esse referendas. Tot item ad malum extimulamur incitamentis mundi, videlicet carnis dæmonis, vt si hæc etiam cœlitùs defluens inclinatio illis copuletur, tanto premetur humanum genus pondere, vt vix ad bene sancteq; agendum possit exurgere.

Cæterùm nostrorum Theologorum, & præcipuè Augustini sententia est, primum hominem nullam ad malum inclinationem ante peccatũ habuisse: secutam enim inde rebellionem sensus ad rationem decernunt, qua scilicet ratio ipsa Deo rebellârit: hinc fomes, hinc omnis ætas ab adolescentia prona ad malum vtiq; etiã nec inclinatione propensioneq; voluntatis ferebatur in malum: Si nulla igitur inclinatione è syderum, omnes autem qui ex eius semine propagati sunt, si Dei mandata custodissent, eodem quo ipse priuilegio sanctitatis & innocentiæ iustitiæq; originalis præditi fuissent: Quare nec syderale inuitamentum ad malũ essent vllo modo perpessi, quod tamen illis scilicet inuitamentum adstitisset ex Astrologorũ dogmate, diuersis cœli inclinationibus, diuersis Planetarum locis, diuersis aspectibus, alioqui malis, quãquam eos ad scelera nõ pellicentibus. Nunc autem, vt vultis, Astrologi per eadem sydera ad patranda mala vocantur inuitanturq;, quod tum minimè, scilicet, fieri potuisset. Alterum igitur duorum sequi necesse est: aut post peccatum Adæ cœli naturam mutatam esse, aut eadem est quæ ante peccatum, influentiam tamen illam & inclinandi vim, frustrà cœlo inditam fuisse, si à peccato primus parẽs abstinuisset. Alterutrum autem fateri absurdum est. Demùm si aliqua ad malum inclinatio, ex aliquo aspectu, positione, coniunctioneque syderum innascitur alicui: ex alia itidem mala pro suæ malitiæ portione, eidem poterit suboriri, & ita deinceps adeò, vt iunctis carnis, mundi, dæmonis vexatione impulsioneque in fœda facinora (quod & antè diximus) homini illi aut impossibile erit, aut ex integro difficillimum reluctari. Quare sensualem etiam nostrã partem, ita ab syderibus affici, vt ad flagitium aliquod propensionem habeat, & pietati & rationi aduersatur adeò, vt excandescens ille defensor ingenuè confessus fuerit, mores ipsos vt rationem habẽt virtutis & vitij, nec præuideri, nec prædici posse: quanquàm aliter alibi submussare videatur, & hac in re sicut in alijs plærisq; nõ cõstare sibi.

At qui

At qui dicet fortasse quispiam, negari non debere quod & Theologis quibusdã non videtur displicuisse, docentibus dispositiones quasdam & inclinationem à syderibus homines enancisci, negari inquam non debere, quin ex habitu & temperatura corporis quæ vulgò complexio dicitur, alius plus alio, ad iram, ad libidinem sit propensus, sed tollitur obiectio: primum enim suprà docuimus, qua ratione hæc temperatura à cœlo dependeat, id est, vt à causa inter corporeas maximè vniuersali, qua videlicet effectus non distinguitur, tum auctoritate Augustini docuimus, etiam corporis sexum in cœlum nõ esse referendum. De hac etiam corporea dispositione mox disserere proposuimus: sed demus hoc illis condonemusque gratis, nulla, scilicet, extorquente ratione, vt habitus temperaturaq; à syderibus deriuetur: quid inde colligere possunt aduersum nos. Si enim siccitas tantummodo, & caliditas, & frigiditas, & humiditas, ex quibus diuersæ cõmixtis, sanguis, pituita, rubra & atra bilis, conflatur: hoc pacto syderũ opus essent, non sequetur ob id vt fœdæ libidines, atrox ira, cædes, adulteria, incestus nepharij, puerorum concubitus, à cœlo sint. Nulla quippe in consecutione veritas, nulla in argumentatione soliditas: potest enim is cui sanguis præ alijs viget humoribus, ita ad hilaritatem, ex Deo, ex diuinis, trahẽdam se occupare & exercere, sicuti ad lusus, ad commessationes, & illicitas voluptates: Potest cui atra bilis abundat, non secus irasci contra vitia, contra Dei contemptores ardore iustitiæ? quàm per phas atq; nephas violento furore iniurias inferre atq; referre, & bella cędesq; procurare proprij commodi gratia, Deo posthabito atq; cõtempto? quid prohibet eum in quem atra bilis pollet eadem se facilitate Diuinis, humanis, eisq; honestis cõtemplationibus mancipari qua se traderet, malis cogitationibus, & miscendis fabricandisq; dolis deuoueret? Sed alius restat scrupulus, extrudetur autem quàm ocyùs: putârunt nonnulli esse omnium syderum vires bonas & salutares: Sed cùm in nobis suscipiuntur materiæ vitio degenerare, & de beneficis afflatibus noxios interdum atque maleficos euadere: sic à Marte præstari animi fortitudinem, sed vel ob nimiam rubræ bilis abundantiam, vel liberi arbitrij culpa, impetus illos ad crudelitatem & iniustitiam flecti: à Venere hilaritatem dari, abuti nos isto instinctu ad nequitiam & luxum, & suo modo de reliquis pronunciant, nihilq; omnino dicitur à defensoribus, cũ de temperamento & intemperie blaterant, quibus scilicet, stellæ vicissim præstant, ratione materiæ suscipientis, vt quod vni temperies, alteri sæua pernicies fuerit, tueri se ab hisce propugnatoribus nõ sinunt Astrologi, quorum dogmata sunt, alios esse Planetas bonos, alios malos, diuersitatemq; efficiendi nõ ad materiam & radij susceptaculum referũt, sed ad variam syderum in cœlo positionem, vnde de Saturno pronunciant, quod pro omnibus alijs in exemplum sit, si propriam domum, propriam altitudinem, finesq; occupauerit, bonis præsertim radiationibus mixtus, in genitura diurna, facere homines pios, sapientes, contemplabundos, eundem autem ipsum si malè collocatus, si Marti coniunctus, si malis ad Solem aspectibus fuerit, sordidos, inuidos, mendaces, atque etiam dæmoniacos facere solere: hæc illi. Quò fit vt dæmonia etiam cœlo subijciant, à quo religiones etiam pendere arbitrantur. Qua quidem in re non secus, quàm in prioribus mentiuntur & fallunt. Nam alij ex eis religionum varietatem & ortus, ad dominãtia, vt dicunt, sydera pertinere putant, vrbibus, scilicet, illis & prouincijs, quibus custoditæ regiones sunt: alij & Arabes & Latini, eorum vestigijs insistentes, ad magnas, quas vocant, coniunctiones, quæ scilicet postea confutabuntur, referri volunt: Ptolemæus priori adstipulatur opinioni. De magnis enim coniunctionibus nullam vnquàm mentionem habuit: Sed libro 2. Apotelesmatôn, eos ait Asiæ populos qui ad Orientem vergunt & Meridiem, colere Venerem & Saturnum, cùm aridæ qualitatis trigono subsint, Virgini, scilicet, Tauro & Capricorno, quibus putat Saturnum & Venerem dominari: qui verò inter Meridiem & Occidentem habitant, Venerem & Martem habere pro deis, quoniam subsint humidæ triplicitati, cui præsit Mars cum Venere, atq; Mercurio, in his defensor multa ineptè garrit, referendum esse Veneris cultum, inquiens, ad honorem & potestatem, qua præ alijs syderibus pollere eã credidêre veteres: Sed tamen apertè de cultu ipso & veneratione Ptolemæus loquitur, vt glossula quæ textum destruat, opus non sit: rursus cur de aliorum Planetarũ cultu locutus est? cur intulit rationem, vt magis illic quàm alibi, adorarẽtur, nil hiscere hac de re ausus est Lucius, quãquàm ferè semper blaterat

nonnihil: & cùm rebus non poteſt, verbis agit negocium, tametſi parùm feliciter: veluti cum Phauorino philoſopho ſuccenſet, quod in Aſtrologos perorauerit, & Phabarinum appellet alieno inſtituto, nec minus iraſcatur Gellio qui eius orationem in ſuis Atticis noctibus retulerit, in cuius etiam verba obloquitur, quem tamen Auguſtinus in nono de Ciuitate Dei libro virum appellat, elegantiſſimi eloquij & multum facundæ ſcientiæ.

Sed redeamus ad ea quæ de Aſtrologis dicebamus, quorum vtraq; ſententia planè refellitur: Nam ſi magna aliqua coniunctio cauſa eſt religionis cuiuſpiam, abolita vi coniunctionis, & religio quoq; quæ illius ſcilicet effectus eſt, debet aboleri: Nulla autem ſyderum coniunctio per tot annos durare etiam fingitur, quot annis & idolorum cultus, & Moſaici ritus, & Chriſti religio, perdurârunt: ille enim circiter annorum quinq; millia: illi verò ter mille annis & eò plus, & eius etiam obſeruantia apud Iudæos viſitur. A Chriſti verò natiuitate, Mille quingentos & tres numeramus annos; quare qui per has coniunctiones voluerunt religionibus terminum ponere, mendaces deprehenſi ſunt: pari pacto confutatur opinio ſecunda, cùm illis prouincijs, quæ iacent inter Orientem & Meridiem & Occidentem præſint eadem ſydera quæ olim præſidebant, nec tamen vt olim Venus, ibi Saturnus, Mars aut Mercurius coluntur: durant igitur mundi & regionum partitiones, ſub alijs atq; alijs triplicitatibus diſtributæ, quoniam perpetuæ apud eos non temporariæ ſunt, religiones tamen non durant: Vnde colligitur manifeſtè ab eis illas deriuari profluereque non poſſe. Cæterùm ſi à vario ſyderum dominatu, alia apud alias Gentes ſydera colebantur, quo ſydere effectum eſt, vt nulla temporibus noſtris ſydera vlla in regione colantur. De corporis verò diſpoſitionibus quàm fatuè pronuncient Aſtrologi, hinc patet, quod eas natalitia conſtellatio quibus innituntur, efficere non poteſt: corporis enim habitus & figura puero ineſt, priuſquàm maternum vterum egrediatur. Præcedunt igitur iſta natiuitatem, quare vel conceptio potiùs, vel hominis diſpoſitio inſpicienda eſſet: verùm cùm ſemen tunc non fiat, ſpectanda potiùs ea conſtellatio qua ſemen factum eſt, quam nec Aſtrologi, nec defenſores perſpicere poſſunt: de quibus alio loco diſſerendum. Nunc colligere ſat eſt, cùm non fiant ab ea conſtellatione quam Aſtrologus inſpicit, hoc eſt, themate geniture: Ita nec prædici ex eius obſeruatione vllo modo poſſe. Sed & illud obſeruandum putaſſe ſummos Aſtrologos, quæ ad corporis attinent temperaturam, in proximas & cœlo inferiores cauſas eſſe referenda, vnde & Hali deprecatur veniam, ſi in prædicenda diſpoſitione corporis aberret.

CAP. X.

COELVM NON POSSE SIGNVM ESSE REI ILLIVS cuius cauſa non ſit: diuina item miracula à cœlo nec fieri, nec ſignificari.



Vêre autem qui opinarentur poſſe à ſyderibus ſignificari atque portendi, quæ ab eis tamen minimè fiant: Sed nec inſignes hoc Aſtrologi crediderunt, nec illis vllum præſtat patrocinium ratio: corporeum enim ſignum nō quod recentiores rememoratiuum & demonſtratiuum; ſed prognoſticum appellauêre, idque natura non ex hominum inſtituto rem quampiam indicet, aut rei illius quam ſignificat, cauſa eſt, aut tàm ſignum quàm id quod ſignatur, ab eadem cauſa proueniunt: ſi autem quis adderet tanquàm diuerſum, vt ſit cauſæ neceſſariò inſeparabiliterque coniunctum, is planè aberraret: neque enim connexio illa fieri alia ratione poſſet, vt vel cauſa illud ex ſe prius efficeret, quàm aliud aut id quod cauſam ipſam ad agendum excitat, & hoc quoq; ſimul excitaret, quod ſicut ad communem cauſam vtrunq; referri concedamus. Sed quàm fallantur qui opinionē ipſam vel inuexerunt, vel ſecuti ſunt, manifeſtari copioſè poteſt. Illud enim teſtatiſſimum (vt ſic dicam) compertiſſimumq; apud omnes habetur, cœlorū motus & diſpoſitiones non eſſe effectus rerum inferiorum, quod etiam cauſæ non ſint, ipſi fatentur. Reſtat vt ipſæ diſpoſitiones, & quod per eas putant ſignificari, ab eadem cauſa proueniant, quemadmodum iris interdum ſerenitatem portendit, non quia eam efficiat, ſed quia

quia iridis causa, serenitatis etiam causa est: Sed cœlo nulla est corporea causa superior, quæ cœli scilicet & inferiorum simul dispositiones efficiat. Relinquitur igitur nō significari à cœlo quæ ab eo non fiunt, dedit manus rationibus istis nouus defensor: verùm ne nihil agere videretur, intermedium signum adduxit in medium, nec quid sibi vellet, satis potuit explicuisse, similitudinem thematum conceptionis & geniture curauit inuehere. At cùm dissimillimæ sæpenumerò sint, ventum pugno conclusit: Sed sint omni ex parte similes, cur eædem rationes non dissoluuntur, si dogma defenditis, vt ab vna simul causa dependere, & signum & quod eo signatur, necessarium est. At quispiam fortè id referet in incorporalem causam mouentem cœlos: At magnum hoc, quicunque sit ille, incommodum non fugiet, ea fieri à beatis mentibus, vt antè tetigimus, quæ ab hominibus sine flagitij culpa non fierent, vt illum ad furta, alium ad cædes, alium ad libidinum probra perurgeat. Prætereà ita statuentibus, philosophia palàm refragatur, quæ fieri corporales res ab incorporalibus, nulla corporea intercedente causa abominatur. Rursus si hoc illis concederetur gratis, illud ipsi etiam inuiti concedant nobis necesse est, vt diuersa fata non sint, quæ scilicet ab auctore suapte natura immobili suique semper simili proficiscantur. Postremò cùm effectus eiusdem causæ, vt à Thoma in Theologica summa probatum est, sese inuicem indicant ab eodem principio, eodem etiam modo proueniunt: cœli verò motus, & rerum inferiorum dispositiones, non eodem modo à causis superioribus manant: sed ille immutabili ordine & necessario, hæc variabili serie, & vt dicitur, contingenter, pro natura scilicet rerum quæ mouentur & gubernantur, quæ supernè sunt, minimè mutantur, sed conseruantur, alioquin naturam non cogerent, sed destruerent. De Cometis & traiectionibus præstaretur illis ansula, vtpote quæ sydera scilicet habeant superiora: de syderibus verò ipsis non præstatur modò, sed prorsus adimitur: quare si cœlum non causam, sed signum esse contendunt, suam ignorare vocem conuincuntur: Adde, quod illud eos incommodum sequitur, vt fati necessitatem quam alioquin negant, vel nolentes inducant: si enim causæ sunt sydera, eorum potest actio impediri vel à materia, vel alia particulari causa: Si verò signa, cùm ex natura instituta ad significandum sint, tàm vera eorum significatio erit, quàm vera natura. Adde, quòd cùm à Deo condita & ad hoc instituta fuerint, vt ipsi fatentur, mentiri fallique non poterunt. Euenient igitur semper & necessariò quæcunque portendunt, quod ipse Ptolemæus & celeberrimus quisque Astrologorum nullo pacto recipit. Denique si cœlum faciendo non significat, sed quod non facit significat tamen. Restat vt illud quod aliæ faciunt causæ, significetur ab eo, aut igitur quod omnes, aut quod aliquæ si hoc volunt, reddatur ratio, cur harum opera indicat, illarum non indicat. Si verò illud cōtendant, sequitur statim nullas relinqui causas, quarum actione id quod demonstrabatur, possit impediri quò minus eueniat. Siquidem iam receptum, causarum omnium actiones indicari, indicationem quoque non falsam & vanam, sed receptam & stabilem, vnde & necessariò fient quæ significabantur, quæ quidem res si admittatur, non modò ipsis repugnabit Astrologis (vt diximus) sed ipsi Astrologiæ refragabitur, parsque eius ea peribit, quæ est de electionibus. Subde quod nec præuisa mala cœlestis fauor poterit auertere, bonaq; indicata confirmare: Peribunt quoq; & quæstiones interrogationésve, siue signa sint sydera, siue causæ, quas equidem vt legitimas recipiunt, cùm ab impetu animi, seu potestatis imaginariæ cœlitùs motæ proficiscuntur: illegitimas verò cùm à ratione consilioq; dependent, quò etiam fit vt fati ab eis necessitas pellatur. Aiunt igitur cœlitùs moueri vim nostram imaginariam, instigariq; ad sciendæ rei alicuius desiderium, tumque si Astrologus consulatur, ex ea cœli configuratione quæ hora consultationis apparet, de re illa significationem duci portendiq; quam sciscitator nosse cupiebat.

Interrogemus igitur Astrologos, signáne tantùm, an etiam causas inferiorum putent sydera, quæ, scilicet, faciendo significent. Si primum respondeant, illud sequetur vt nostri desiderij impetus ab illis non fiat: Si secundū, quomodo tuebuntur, vt si eis inferiora indicentur sicuti effectus ex causa monstrantur: possint quæ pridem facta sunt, aut quę nunquàm fient, ex ea constellatione quæ hora cōsultationis apparet veluti à ꝓpria causa depēdere, quę enim iā facta sunt, & quæ nunquàm fient, causam habere nullā oportet: vt hinc exsoluere se nullo pacto queāt defensores multa alioquin funditan-

funditantes. Rursus quæ'nam ista consideratio & consecutio nostri scilicet desiderij, ad rem ipsam quam scire concupimus: si dixerint cœlestem vim, quæ rei illius causa est, animum pariter nostrum mouere atque eius ipsius rei, quæ scilicet fiat nos admonere: primò illud sequitur tunc solùm moueri scilicet nos & admoneri cœlitùs cùm res ipsa fuerit: at cùm præterierit, cùm post multa secula euentura sit, cùm etiam nunquàm fiet, quomodo efficax esse poterit interrogatio. Præterea spectanda erit cœli constitutio, configuratioque ea quæ videlicet apparet, cùm nos interrogandi cupiditas inuadit, non autem ea qua percunctamur Astrologum: si, vt aiunt, eadem similisve constellatio est quæ & euentum parit, & animum pariter vellicat pellicitque ad sciscitandum, & eò potissimùm dum hæc ab illa variari mille modis potest: vt si domus Astrologi remotior sit, si in villam abierit, si præpeditus inter eundum sciscitator fuerit, atque id genus alia innumera. Adde quod si Mars (vt inquiunt) in Occidente fuerit, respondere Astrologum vera non permittet: quod quomodo cum dogmate stare possit, considerent qui nugiuendum hoc genus hominum probè nouerunt, cui non satis fuerat ad emungendas pecunias de genituris hominum, de annuis conuersionibus ariolari, nisi & de quacunq; re per cœlestes constellationes respondere se posse pollicerentur.

Sed vtinam & diuina miracula de superioribus corporum radijs non deducerent, & totius etiam orbis eluuionem stellis acceptam non referrent: sed, aut discere aut meminisse illos oportuisset, nihil magis repugnare naturæ, quàm vt ipsa se destruat, & eam sibi vim, & iniuriam inferat, à qua proprijs non possit viribus liberari, viuentibusque omnibus perniciem & excidium moliatur: quod si à cœlo naturali causa fieri hoc nec debuit, nec potuit, non potuit etiam significari, vt suprà monstrauimus. Sanè si cætera quæ naturæ potestate non prætergrediuntur, fieri significarive à cœlo possent: diuinis tamen miraculis id ipsum non conueniret? Siquidem ordo rerum quas pro naturali cursu Deus instituit, ita conclusus est intra suos fines secretusque ab illis quæ Diuina voluntate præter naturam fiunt, vt ijs etiam sublatis integer ille maneat, nihilq; in rerum natura desit, nihil supersit: cœlum autem & quæcunque ab eo communi cursu dependent ex his rebus & est, & habetur, quæ sunt secundùm naturam: significatio igitur huiuscemodi miraculorum quam cœlo ascribunt, naturalium etiam rerum numero comprehenditur, vnde illud sequitur absurdum: vt si Deus naturam suis conditionibus relinquat, nihil super eam efficiens, natura ipsa falsa & mendax inueniatur, in qua etiam Deus frustrà aliquid instituerit. Restabunt enim in cœlo & notæ & indicia futurorum miraculorum quæ supponebamus, auferri: nam signa ipsa res secundùm naturam sunt, quæ ablatis supernaturalibus, nec auferri, nec aliqua sibi debita perfectione priuari dicendum est: Quod si fortè diceretur dependere hæc à cœlo, quatenus in eis aliquid est naturale, non quatenus supra naturam sunt, vt opinatur Halliacensis, nihil vtique diceretur, sicuti & is nihil diceret qui hominem ab constellatione aliqua fieri asseueraret, non tamen ab ea naturam fieri rationalem: nam si non facit constellatio in homine quod est rationale, non est cur hominem magis, quàm leonem facere contendatur. Si igitur ex miraculis quod eis proprium est auferatur, relictis quæ cum rebus innumerabilibus communia illis sunt, non est cur singularis effectus causa tàm studiosè quæratur in cœlo: quòd si nec fieri possunt cœlitùs miracula, inde etiam nequeunt significari (vt suprà diximus) paucis itaque colligemus, quæ à cœlo non fiunt diuina miracula (quid enim magis insanum, quàm id quod supra naturam est, viribus naturæ factum arbitrari) eadem quoque nec ex ipso cœlo posse portendi: præmonstrantur autem antecedentibus miraculis: Siquidem vniuersale diluuium Noë diuinitùs inspiratus mundo significauit, transitum rubri maris, Aegyptiorum Magis & Astrologis testificata sunt, facta per diuinam virgam à Mose miracula: Ezechiæ protogatam vitam, retrocessio Solis palàm fecit. Miraculum corporati verbi & Virginis puerperij, cùm alia, tùm mentes diuinitùs afflatæ, tùm nouum sydus exortum magisq; perspectum indicauit: quod ne Astrologis aliqua ex parte fauere suspicemur, edocet nos Euangelica litera, non id esse, de ijs quæ ab initio creauit in cœlis. *Et ecce, inquit, stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos vsq; dũ veniens staret suprà vbi erat puer:* Quod omnes penè interpretes fatẽtur. Sileant igitur Astrologi, & obmutescat Iulianus Cæsar impius ille desertor, stellã eã Aegyptiã

blaterans

blaterans nomine Asaph, viderique quadringentesimo quoque anno: Nusquàm enim hoc proditum anteà, nec post annos MDIII. (tot enim à salutifero Christi ortu præteriêre visa est) suo enim munere functa ab oculis mortalium prorsus euanuit, nec eius cursus cum syderibus alijs conueniebat. Factitia igitur illa, & temporalis, non naturalis atque perpetua condita, ad id officij à creatore: per quam significari natum regem Iudæorum. Eo fortè modo magi intellexerunt: quo & posteà in somnis declinandum Herodem, & alia quam venerant via in patriam esse reuertendum. Facessant ergo magnæ, quas somniant, coniunctiones, quæ & falsæ conuincuntur, experientia, & irrationales ratio demonstrant, quibus tamen diuinaculi prorsus insanientes, diuina miracula, & prophetarum aduentum, & legum mutationes, & nostram etiam religionem fidemque subijciunt. Albumasar de nostra, hoc est, Christiana lege, ita sensit: vt annos quos vocant Solis maximos, non excederet, hoc est, Mccccl x. & iam M D III. euolutus est. Nec tamen veriùs suam, hoc est, Mahometis legem emensus est. Abraam Iudæus Messiam eorum promisit anno Christi Mcccclxiiij. ea scilicet ratione, quod tunc erat ea syderum positio reditura sub qua Moses populum duxit ex Aegypto, & legem illis posuit. Arnoldus Hispanus ex Astrologica vanitate alijsque complyribus nobis Antichristum comminabatur, anno gratię Mccc xlv. Halliacensis vt iuniorum Astrologorum & præsertim ætatis nostræ mendacia prætermittam: prædixisse, inquit, Astrologos dum generale concilium Constantiæ celebrabatur, nullam in Ecclesia pacem futuram, sed dissensiones & bella, & tamen schisma illud, quo nullum in Ecclesia maius eo anno extinctum est. De ipsis verò coniunctionibus, quanta inter Astrologos dissidentia? Cùm nondum constet apud eos, quæ maxima, quæ media, quæ minor: Alijque ab hac, alij ab illis iubeant effectus expectari. Albumasar, Alchabitius, & Leopoldus magnam esse coniunctionem dicunt, quæ post viginti semper annos euenit, Iouis scilicet Saturni: Maiorem cùm ab vna, vt aiunt ipsi, triplicitate ad aliam fit transitus, post annos scilicet ducentos & quadraginta: Mediam Saturni & Martis in Cancro quæ trigesimo quoque anno perficitur. Maximam omnium Iouis & Saturni in Ariete, quæ post nongentos & sexaginta annos eueniat. Messahala ab ijs dissentiens eam vocat maximam quæ sit trium superiorum planetarum, Saturni coniunctionem: Tertiam Saturni & Martis: Quartam Iouis & Martis. Mitto quod magnæ rerum inferiorum mutationes euenêre sine magnis euentis: Mitto quod non plus Planetæ possunt iuncti quàm separati, cùm diuersarum sint (vt ipsi volunt) & pugnantium proprietatum ac virium, ex qua mixtione refractioneque minus aliquid, non maius esset expectandum. Adde quod nec Paulus, nec Ephestion, nec Maternus, nec Ptolemæus vnquàm de magnis euentis per maximas istas coniunctiones iudicârunt. Ptolemæus enim mutationes istiusmodi in Solis, Lunæque defectus retulit: in has autem quas vulgus colit Astrologorum varias quidem mutationes acceptas referri debere non abnuit, maximas verò nequaquam: in quem errorem, ob Græcæ linguæ imperitiam eius interpretes sectatoresque inciderunt. Mitto quod præcipui Astrologi medias, hoc est, fictas, & imaginarias, falsoque supputatas, non autem veras coniunctiones sequuntur: non vero, sed medio, scilicet, & ficto motu inuestigatas: finxerunt enim vnicuique Planetæ motum vniformem, vt inæqualem eorum & verum assequerentur: periodicum illum vocat Ptolemæus, iuniores medium, ex re, scilicet, quia eo quasi medio ad verum inuestigandum vterentur, sed falluntur, longissimeque aberrant. Nunquàm enim ibi est Planeta vbi per medium motum esse deprehenditur, quia nec sic vnquàm ille mouetur, & multorum persæpè annorum spacium intercedit inter veras & medias coniunctiones, vt ex tabulis apparet. Mitto alias super his eorum insanias: mitto dissidia, in quibus ferè semper inueniuntur, nisi dum eos colligat & coniungit insania.

CAP.

CAP. XI.

INCERTAM FALLACEMQVE OSTENDI ASTROLOgiam & illius auctoritate principum, & ex incerto indeprehensoq; numero cœlorum stellarumq;, & ex alijs plerisq;.



Atis,vt arbitror,Astrologia cōfutata est Physicis rationibus,Theologicis quoq; prostrata,& reiecta, nec nō auctoritate sacri eloquij,tùm & Theologorum atq; Philosophorū boni nominis,iure meritoq; explosa & detestata:Nunc vt ipsa se destruat,danda opera est,& adminicula pręstanda, vt suis ipsa se manibus vinciat, suis quoq; rationibus, quasi proprio ense trucidet. Huius autem insignis iudicij, quasi apparitores illius principes & patroni, qui etiam si voluerimus sententiam in eam dicent, & discrepantes, quod & suprà innuimus, pugnantesque etiam in ipsis principijs artis opiniones, ceu secures, fascesq; præmittent. Ptolemæus igitur in libro Apotelesmatôn, postquàm docuit prædicentis,vitio Astrologorum,iudicia, falsa, mendaciaque euadere: tùm subiunxit, disciplinam ipsam etiam si ritè quispiam consequatur, esse tamen necessarium, vtis quàm sæpissimè offendat,tùm ob ipsam rei naturam, tùm ex nostra imbecillitate,quæ sub tantæ,scilicet,artis magnitudine succumbat,idque multis & latè comprobat,quod apud eum Græcè legi potest,non quidem in translatione communi,aut Hali Auenrodam, malè adeò translata, vt Ioanni Pico patruo transferendi occasionem præstiterint. Idem Ptolemæus in libro, qui fructus vulgo Centiloquium dicitur, si fideliter recteq; audiatur, asseuerat ab Astrologiæ consultò particulares rerum formas pronunciari non posse, solosque afflatos numine, particularia prædicere. Hebræorum quoque & Arabum firmus consensus est posse non euenire, quod stella promiserit, & ob materiæ contumaciam, & ob humanum arbitrium, & ob vniuersalis fati vim particularis fati promissa frustrantis, & ob Diuinam quoque prouidentiam, quæ scilicet fato præponderet, vt apud plerosq; Astrologorum, tum maximè apud Rabi Auenazram, inter initia libri de Natiuitatibus videri datur. Porphyrius inter philosophos Astrologiæ fautor præcipuus, scribit responsa oraculorum tùm falsa deprehendi solere, cùm numina illa ex cœlestibus causis,quas probè agnoscunt, ea ipsa prænunciabant: fallacem autem prænunciationem esse quæ ex illis proficiscitur: Quod si dæmones ipsi, quos nihil rerum cœlestium latet, decipiebantur in prædicendo ex Astrologicis obseruationibus, cùm nihil tamen cuperent magis, quàm vt ex vera futurorum prædictione titulum sibi diuinitatis arrogarent, quid de hominibus statuendum? quin & fatentur(vt diximus) arbitrium hominis aliò quàm vergebat fatum flectere & deriuare posse,& materiæ fluxum,& mobilitatem frustrari cœlestium configurationum pollicitationes & minas, tùm & alio aliud impediri fatum & aboleri, ita vt serui fatum ex domini fato dependeat, vt Imperatoris constellationem militis euenta sequantur, vt ægri fortuna ex medico deriuetur,contraq; medici ex ægro,& id genus alia pleraq;.

Iam verò quid profiteantur, putásne ad liquidum sciant? & id ex quo se vaticinari pollicentur, exploratum satis compertumque habeant? De numero namque stellarum quámnam possunt afferre rationem? Stellarum, inquam, non quæ videntur solùm, qui etiam incognitus atque indeprehensus hominibus: *numera (inquit Deus Abrahæ) stellas, si potes:* sed quæ in cœlo esse possunt, ad quas percipiendas nec sensus, nec ratio possit attingere. Putauit quippe Phauorinus philosophus quod & Gellius meminit: Planetas (quos Nigidius errones appellauit) plures esse posse quàm existimantur, & pari cum illis, quos cernimus, potestate, qui nihilominus, vel ob nimiam altitudinem,vel fulgoris exuberantiam incogniti fateantur. Adde si quemadmodum Alpetragius decernit, adhuc in cœlo motus est,qui nescitur, posse & corpus quoque ibi esse, cuius potissimùm motus ille proprius & peculiaris sit, quæ res vtique multifariàm confirmatur, ex varijs motibus à iunioribus Mathematicis excogitatis, quos putant veteres latuisse. De situ item & ordine Planetarum inter se qui cōsensus? quod certum dogma? qui Aegyptios sequi vellent, Solem supra Lunam, nullo intermedio locarent. Idem facerent Platonis Aristotelisq; sectatores: namq; hic in libro de Cœlo:Ille in Timeo,Lunam Soli proximā constituit,Ptolemæus, Chaldæi,& recētiorum turba

turba medium inter Planetas locum ei aptant, putantes eam sedem illi tanquàm regi conuenire: Ieber & Theon in Ptolemæo exponendo diuersè sentiunt, & illis ipsis aduersę Solem scilicet Lunæ propinquum esse contendentes. Andreas Summarius Saturnum, Iouem, Martem, superiores quidem esse alijs asseuerat, quo autem ordine, nec notum esse, nec sciri posse: Moses Aegyptius situm ordinemque Planetarum triumque illorum præcipueque qui supra Lunam collocantur, incertum esse affirmat. De sphæris verò supra Planetas quanta ambiguitas, quæ incertitudo? Alij octauum orbem in quo fixarum stellarum multitudo coruscat, vltimum statuunt. Alij nonum, qui scilicet inuisibilis sit, extimum faciunt, octauumque ambire contendunt. Alij etiam decimum supponunt. Ab Aegyptijs & Chaldæis prima est opinio introducta: quam Plato & Aristoteles posteà tenuerunt: Nec non & Hipparchus & Ptolemæus: Indeque & Hebræus Leo, & Platonicus Proclus eandem tutati sunt. Secundam opinionem iuniorum plurimi amplectuntur, quam scilicet auctorauit Alphonsus qui Planetarum loca ad sphæram nonam primus omnium supputauit: hic etiam vltimam credidit: ita & Leopoldus & Mahala, & Campanus qui eandem quanquàm falsò: sicuti eam secutus Albertus: referunt ad Ptolemæum, apud quem & nona ipsa nedum decima sphæra nulla est: vt tàm ex secundo magnæ eius compositionis libro, quam ex primo Apotelesmatôn datur intelligi, ex quibus locis suum ipsi traxerunt errorem. Quod enim & mobilibus signis, hoc est, imaginibus octauæ sphæræ vtatur Ptolemæus & immobilibus etiam, ad quæ scilicet loca referat Planetarum, probat supra octauam sphæram se nihil excogitasse. Immobilia enim illa signa quatuor puncta vocat tropicorum, scilicet & vtriusque æquinoctij, quæ stata immotaque sunt, & in ipso octauo, non autem nono orbe descripta: sic enim ille in secundo Magnæ Compositionis libro inquit: Abutemur autem signorum nominibus in ipsis obliqui circuli partibus, & quasi eorum initia à tropicis æquinoctialibusque punctis capiantur: sic dodecatemorica, hoc est, xij. partem quæ à verno æquinoctio est, ad totius sphæræ sequentia Arietem vocabimus: Secundam Taurum & deinceps secundum traditum à nobis signorum xij. ordinem. Et in primo Apotelesmatôn partes zodiaci ad quas Planetæ referuntur, solstitijs, & æquinoctijs terminari docet. Quæ verò ex sententia Ptolemæi, Ioannes Saxoniensis, de gradibus lucidis & tenebrosis introducit, non Ptolemæi, sed Hali expositoris verba sunt, adeò tenebrosè hallucinatus est. Putârunt prætereà iunioris Mathematici tàm eum, quàm Hipparchum, qui scilicet, sphæram octauam ab Occidente in Orientem moueri compertum habuissent, necessariò nonam introduxisse, quoniam duo motus ad partes maximè oppositas eidem corpori inesse per se non possunt: quare cùm sit deprehensum octauam fixarum stellarum sphęram ab Occasu in Ortum moueri, rursusque ea sphęra cùm ab Oriente in Occasum vnà cum reliquis voluatur diurno motu putârunt necessariò confici, vt prior ille motus qui multis annorum millibus vna restitutione completur, naturam propriam sphærę stellarum consequeretur: alium verò qui diei vnius consumatur spacio, sicuti Planetis, ita & octauę sphęrę ab alio atque ideò superiori globo communicari omnia secum astra, ab Ortu in Occasum pertrahente, quę proprijs eorum motibus ab Occasu in Ortum alioquin ferrentur.

Resistitur autem multifariam ab eis qui octaua sphera contenti sunt. Negant alij moueri octauę sphęrę stellas ab Oriente in Occidentem, alij motum diurnum ętheris esse contendunt, vnumque eum esse, nec in sphęras diuisum: sed perpetuum: Stellas autem tàm fixas, quàm errantes proprijs motibus ab Occasu in Ortum ferri. Leo Hebręus inferiori cuidam sphęrę non superiori eum motum acceptum refert: alij totum cœlum quasi animal quoddam ex omnibus sphęris veluti membris constituentes, alium esse motum dicunt, qui toti, alium, qui partibus communicatur: Eum igitur quem diurnum appellamus, cùm sit communis alijs sphęris, non octauę magis, aut alterius cuiusquàm esse quàm cęterarum, sed cœlestis vniuersitatis, à motore quodam communi & vniuersali: alios verò motus improprios diuersosque motores esse referendos, nec sequi eiusdem sphęrę duos esse proprios motus, cùm alter ex communi, cum reliquis cœli partibus, alter ex propria natura non ab eodem motore tribuatur: quod si efficax & potens ea esset ratio, qua nonus orbis asseritur, eadem vtiq; & decimus introduceretur, statueretur q;, quoniam si vni sphęrę vnus duntaxat mo-

tus tribuendus est, ideoq; ex duobus motibus in octaua deprehensis, nona est introducta: eadem quoque coniectura qui triplicem deprehenderunt motum, decimam introduxerunt: ex hac autem tàm multiplici tanquàm varia de numero sphærarum dissensione incerta omnino redditur Astrologia. Nam si supra octauam duæ aliæ ponuntur, falsa est omnis veterum Astrologia, qui, scilicet, imperfectis obseruationibus nixi cœli partes ignorârunt, primas easdemq; potentissimas & nobilissimas, tùm loci sublimitate, tùm molis vastitate, tùm motus rapiditate. Si rursus sphæra nulla præter octauam, nulla etiam iuniorum Astrologia, quæ xij. signa in nono orbe describit. Nec quicquam opis affert Lucij defensio contendentis, non sequi falsam eorum Astrologiam fuisse, qui octauam sphæram extimam crediderũt. Nam tametsi, inquit, effectus putassent ab octaua pendere, qui à nona prodibant, & hac in parte deciperentur, veri tamen erant, quia, scilicet, illi ipsi effectus cernebantur, quoniã & si puncti diuersi essent, à quibus virtus manaret, esse tamen eos in eadem linea. Rem adeò rudem, vt penè pudeat refellere, exemplo contentus ero, ex arte Lucij desumpto: nam & Medicinam se profiteri affirmabat, verè ne quæso quisquam Medicum se profiteri auderet, medicisq; iure prognosticis vtentem, qui aliquo signo permotus ægrum moriturum iudicaret: Signum autem illud minimè mortale esset suapte natura, moreretur tamen æger, verùm ne, inquam, haberi debere eum putaremus, qui in rei euentum imprudenter incidisset, falsa ductus coniectura? quin falsum eum potiùs quicunq; saperent, & temerarium coniectorem assererent: Adde & illud falsò probatũ, puncta illa sphærarum diuersarum in eadem linea reperiri, variant enim, nec semper quadrant, vt hinc etiam alia responsio confutetur, qua satagebat tueri, veram esse recentiorem Astrologiam nona sphæra non introducta: nam signa quæ in illa describuntur non consentiunt signis octauæ, quin & differunt, vt defensores ipsi fatentur. Cæterùm siue nona sit sphæra, siue nõ sit, nihil minus vniuersa nostræ tempestatis Astrologia labat & corruit. Nanq; si cœlestes afflatus ab omnibus cœli partibus proueniunt, illud sequitur, vt nihil omnino prædicere legitimè possint, qui, scilicet, orbes quibus deferuntur Planetæ & partes minimè stellatas non obseruant, nec aliquid eis virium & efficaciæ inesse putant in permutandis inferioribus. Si verò à syderibus solùm conspicui luminis radio refulgentibus, potestas inferiora mutandi deorsum fluit: concedere & illud eos oportet vel inuitos: vnde & proprium quoq; dogma discerpunt, nullos videlicet nonæ sphæræ defluxus huc peruenire, quæ vel nulla, vel inuisibili luce prædita sit: quare aut sphæra omnis obseruanda quod minimè fit ab eis, aut nona illa (etiam si sit aliqua contemnenda, quod putauit Bonatus, affirmans nihil quod supra octauam sit ad Astrologum pertinere: Defendit Lucius nulla tamen ratione, sed arbitrio partibus primi mobilis virtutem actiuam inesse tamen, quasi suæ oblitus opinionis asserit primum mobile iure esse debere veluti potentiam quandam, & materiam à Planetis cęterisq; stellis (vt ille ait) actuatam. Sed & illud huc insigne delirium accedit, quod & in sphæra ipsa nona duodecim octauæ sphæræ signa describunt, quibus eandem inesse vim putant, quæ in signis octauæ commenti sunt: rudes adeò & tardi vt non perspexerint diuersarum sphærarum eandem naturam esse non posse: ita hac quasi impostura fallere alios putârunt rudiores, vt consortio, scilicet, nominum excogitato, consors quoq; natura consurgeret. Si enim eorum & motus & lucis qualitas pensetur, quibus in primis cœlestia distinguuntur, non minor erit inter octauam & nonam (si quidem illa sit) diuersitas quam inter Iouem atque Saturnum, quod si partium eiusdem sphęræ atque etiam minutiarum diuersissimã dicunt efficaciam, quî fieri poterit, vt diuersarum sphærarum eadem sit, & si eadem sphæris duabus natura, nónne alteram frustra conditam putabimus. Demùm cùm nec motu, nec luce, nec situ, nec mole conueniant, quæ illis prætereà communio naturæ, aut erit, aut iure poterit existimari.

At qui de ipso non modò Planetarum omnium, sed Solis motu quàm diuersa, quàm pugnantia. Antiquiores Hipparcho Solis restitutionem qua conficitur annus tercentis quinquaginta diebus, plus quarta parte vnius diei constare dixerunt. Alij quadrantem, id est, quartam tantùm partem superaddi voluerunt: Hipparchus minus quarta parte adijciendum putauit. Ptolemæus trecentesimam esse illam diei partem asseruit. Albategnius deficere à quarta parte voluit, per centesimam & sextam diei partem. Thebit annum constare dixit ccclxv. diebus, horis vj. M.ix. gra. xij. Philolaus natura-

naturalem annum ex diebus ccclxiiij. & dimidiato confecit. Aphrodius supputationi addidit: addidit Harpalus: addidit Ennius, plus ille, isti minus, adeò vt pleriq; incomprehensibilem & innumerabilem existimauerint, se autem arbitrabantur vero proximè accedere, si eum diebus ccc. & lxv. terminarent, à qua opinione non multùm Augustinus abhorruit super Genesim, putans totidem annum diebus constare addito quadrante. Si igitur vacillat ratio inter tot celebres auctores, de anno non iam ciuili aut magno, de quo tàm varia variꝫ Gentes prodiderunt: Sed de naturali qui solstitialis & vertens dictus est, quo obliqui circuli partes percensentur. Si, inquam, hoc de anno solarique itinere tanta dissensio: Quis honorarius arbiter litem dirimat? quóve lapide Lydio vera à falsis discernetur opinio? vt iam minus irridendi Arcades qui olim ex tribus mensibus annum colligebant: minori Acarnanes laborent inscitia, quorum sex mensibus annus conficiebatur: minimè omnino reliquæ Græciæ penè consensus damnetur, qui tercentis liiij. diebus annum spacium colligebant & in participatum quoque defensionis si vera illa, & Aegyptus & Latium posset admitti. Sed & alij vt Ptolemæus, & Alphonsus omnes annos æquales putant. Alij vt Acarchel, Baten, & Isaac Israëlita inæquales hac ratione, quod volunt octauam sphæram non ab Occasu semper ad Ortum, sed econtrà quandoq; ferri: alij alia. De distantia verò Mercurij à Sole quàm varia proferuntur, viginti & duabus partibus Sosigenes abesse prodit, Theon, Paulus, Heliodorus, Porphyrius xxiij. Ptolem. xxviij. Ex hac autem incertitudine & opinione varia quam quisq; experimentis (vnde omnis ruit experientia) comprobatam dicit, vniuersa labefactatur Astrologia, quam si labatur vno gradu cadere totam conspicimus, vel hac ratione quod mutata signi parte, qua sydus reperitur, & fines sæpè permutantur: & vt cætera omittam, fieri facillimè potest, vt error vnius partis à signo transferat ad signum, tùm & à felice ad infelicem, à mascula ad fœmineam, à lucida ad tenebrosam, à puteo ad altitudinem.

De inerrantium verò motu Hipparchus dissentiens ab Aegyptijs, & Chaldæis vno contentis, duos orbi in quo sunt fixæ, motus attribuit. Sunt ex iunioribus (inter quos Proclus) qui veterum sententiam tueantur: Archacel Maurus cùm processerit certum spacium regredi ab Oriente versus Occidentem putat. Thebit Australem & Borealem motum introducit: Alij alia. Cæterùm & imagines à signis differre & vtraque vana esse commenta, deinceps explicandum. Primùm ex Ptolemæo in Apotelesmatis rectè percepto, intelligi commodè potest, & signa quidem ab imaginibus differunt, siue eas in octaua cum signis ipsis, siue in nona describantur. Primò quia immota signa sunt æquinoctijs & solstitijs intercepta. Mobiles autem imagines constituuntur, dein imagines ipsæ inæqualem habent magnitudinem. Signa verò æqualia sunt, quorum vnumquodq; triginta continet partes. Sed rogo, in sphæra illa signorum duodecim ibi esse naturas distinctas viribus & proprietatibus, atque his neq; plures neq; pauciores, q̄ ratio hoc persuasit, quis indicauit sensus? nimis certè quàm absurdum est hoc putare, vnde & Auenazra in libro rationum Astrologicarum, veritate coactus, de signis prodit, aliqua ex arbitrio dici, inter quæ diuisionis zodiaci meminit: nec aliud affert cur eum in partes trecentas & sexaginta secent, nisi quod numerus ille sit diuisionibus accommodatior. Idem Auenrodam fatetur, affirmatque non ob aliud diuisum fuisse illum circulum in partes xij. quæ signa vocantur, quorum postea vnum quodque in triginta partes, quæ vocantur gradus, & partem quamlibet trigesimam in sexaginta minutias, nisi quia numeri idonei magis diuisionibus forent, quæ igitur tarditas? quæ somnolentia? Imaginarijs illis partibus, & sectionibus circuli ad dimetiendos astrorum motus humano inuentu excogitatis, variam diuersamq; inderenaturam voluisse: hanc viam Chaldæi quanquàm Astrologiæ fautores declinauêre, Solis imaginibus in prædictionibus suis vsi, & ipse Auenrodam, tùm à Ptolemæo, tùm ab Aegyptijs & ab Astrologorum turba hac in parte dissentit, putans signa solas esse mansiones & hospitia, quæ nihil agant per se: sed queꝫ illis insunt fixꝫ stellꝫ, vel Sol illa peragrans ea ipsa operari: vnde & vanum quoque commentum istud atque inconstans, hospitio tribuere quod hospitis est & peregrini. At queso de imaginibus nónne copiosiùs delirant, putantes constitutionem ipsam imaginum ex syderibus, queꝫ nec vera, nec naturalis est, sed pro libidine fabricātium conflata, propriam quandam & peculiarem vim in rerum natura sortitam esse: quî enim fieri potest, vt in vnam

coëant proprietatem stellæ, & natura distinctæ & immensa magnorum spaciorum vastitate seiunctæ: de figura verò nihil est, quod afferant cùm totæ illæ (vt diximus) arbitrariæ sint imagines & lineamenta ab hominibus excogitata, quod & Auenazra in secunda æditione de Astrologicis rationibus fatetur, illud afferens cœlum esse sphæricum, quò fieri vt hoc loco potiùs, quàm alio exordium alicuius rei constituere non possis: Indeque pro oculorum arbitrio alias alijs stellis coniungi, atque ita fieri diuersas imagines, & Vulturem cadentem vocasse Ptolemæum Lyram. Sed & illud considerandum quod lynceis Astrologis duodecim visæ imagines sunt, Chaldæorum autem oculis fortè noctuinis, Vndecim duntaxat: Quippe qui duas Libræ videlicet & Scorpionis imagines in vnam conflauerunt. Albumasar qui stulta fretus audacia Astrologorum dogmatum rationes reddere pollicitus est, solam Arati descriptionem de imaginibus pro ratione protulit: Arati, inquam, fabulosissimi, & qui astrologica (vt ait Cicero) scripsit, Astrologię penitùs ignarus, sed quas rogo imagines finxêre in cœlo diuinaculi (eas dubio procul, quas aut sapiens antistes in templo aut in regia prudens imperator effingi deliniariq; non sineret, inter quę capita abscissa tabe sanieque diffluentia, & religatam ad supplicium Virginem, & Hydram, & Centaurum, & monstra quę produci natura ipsa non patitur. Adde quod Aboasar, & Aponensis & Michaël Scotus, & alij, cùm Arabes, tùm Latini Astrologi putant in vno quoque decano siue facie cuiuslibet signi imagines esse quasdam, verùm inuisibiles, super quibus etiam non consentiunt, cùm hęc in hoc decano, alius in eodem, alius diuersa in esse pronunciet, vt qui eorum legit libros nec aduertit errores malè operam perdidisse à bonis iudicijs existimetur.

CAP. XII.

INCERTAM ET FALLACEM ESSE ASTROLOGIAM, tùm ex discordia auctorum & cum veritate, & inter se in ipsis principijs professionis pugnantium, tùm ex alijs pluribus.



IAm verò quanta in vniuersum diuersitas inter auctores Astrologię, quę bella, quæ controuersię? quę altercationes? quę demùm in recipiendis statuendisque principijs pugnantes contradictorięq; sententię? negligit hoc defensor, vt qui defendendi non supersit locus: cùm enim fundamenta vacillant, nutat ędificium & ruit: artes alię certa sibi statuunt principia, quibus omnino caret Astrologia, quò fit vt diuinatio illa, quam profitentur Astrologi non possit (vt Plautus ait) ellebori iugere obtinerier. Nam vt mittam de sphęrarum numero controuersa incertaque dogmata, & vt de stellis tàm erraticis, quàm fixis varias quod superiore tetigimus capite sententias pręteream, quibus ambiguitatibus nil veri potest accedere genethliacę vanitati, quid in eis reperias solidum, quid firmum? qui cateruatim, scilicet, bellant & alternè fugantur, & singulari quoque certamine vicissim confodiuntur & corruunt: veteres Astrologi non conueniunt, Indi à Chaldæis, à Chaldęis Agyptij dissentiunt, hijque inter se, & ab ijs omnibus Persę. Ptolemęus Aegyptiorum Astrologiam, vt ex Apotelesmatis patet, vbique taxat & conuellit: Nec non Gręci Astrologi inter se discordes: à Ptolemęo Dorotheus euariat, alia Paulus, alia Ephestion sentit: Arabesque item altercantur inter se: Namque Albumasar Ptolemęum reijcit, nilque in eius libris legi asseuerat, quod vel rationi, vel experientię sit consentaneum: contra Auenrodam nullum ait in Astrologia cum ratione locutum fuisse, pręter Ptolemęum. Hebręi quoque & eorum primus Auenazra dissentit à Ptolemęo, & Albumasarem etiam impugnat, totumque eius librum qui de magnis Coniunctionibus dicitur, abijcit atque repudiat, atque vt de multis quępiam enarremus: quanta in domibus controuersia atque dissensio, ad quas verè omnem Astrologi de futuris significationem referunt, quę quanquàm nullo fundamento conditæ sunt, nullo etiam cõsensu firmatę reperiuntur: Eisdem enim domibus seu locis diuersas diuersi proprietates adscribunt: Arabes & Latini, à sexto loco, seu mauis domo seruorum qualitatem indicari contendunt: Aegyptij & Ptolemæus non tàm à sexto quàm à septimo; & primo valetudinem aduersam quærit, siue illa

illa morbus seu vitium fuerit, contrà vulgus Astrologorum, à sexto significationem huiusmodi omnem petunt, qui cuique futuri sunt filij. Arabes & Latini de quinto loco pronunciant: Ptolemæus à decimo & vndecimo: Idem si cuique vita nihil protenditur, quinto pariter vtitur & quarto: quod & Paulus Alexandrinus obseruat. Mallius ab Oriente natorum fortunam & parentum vota auspicatur, à 10. Porphyrius significari filios dicit: parentum fortunam de nullo loco accipit Ptolemæus: Arabes à 4. Heliodorus etiam à sexto: Alij vt Abenragel refert, à nona etiam petunt domo. Secundus locus Alexandrino subitas spes indicat, Iunioribus verò diuitias. Quæ à tertio loco, vt Heliodoro placuit, portenduntur, has Ptolemæus ab vlla non prædixit domo. Coniugium ab Occidente pendere penè omnes consentiunt; Heliodorus etiam à medio cœlo: Ptolemæus vtrumque negligit. Peregrinationes à tertia & nona domo dijudicant: Heliodorus etiam à septima, quas pariter Ptolemæus contemnit. Parentes à quarta deriuari domo putauit Heliodorus, Maternus à decima, à neutra Ptolemæus. Amicos in vndecima statuunt, in tertia Heliodorus, quibus Ptolemæus non conuenit. Religiones ferè omnes à nona deducunt, Mallius à septima qui primus apud Latinos in huiusmodi fabulamentis veterum Astrologorum assecla de duodecim locis diuersissima ab omni quæ nunc refertur opinione suis carminibus pronunciauit. Has etiam domos varijs Planetis locant, quos putant immutari, pro signi seu domus conditione quam quisque Planeta peragrauerit. Domus enim ipsas duodecim, & altitudines Planetarum non penes imagines, sed penes ista signa constituunt, quæ superiori capite ad supputandi facilitatem excogitata deduximus: hinc fortè Chaldæi qui signis non vtebantur, nullas etiam fecerunt domos Planetarum; neque enim apud eos Leo Solis domicilium, aut Lunæ Cancer, aut Libra & Taurus Veneris, aut Sagittarius & Pisces Iouis. Altitudines ipsi syderum obseruant, non ad signa, sed ad imagines relatas: nihil enim apud eos in Capricorno Saturnus, & in Aquario ius habet, sed in Libra & Scorpio: nam hæc signa quanquàm duo, vna tamen (vt diximus apud Chaldæos) imago indicatur: alioquin Ptolemæus & alij si domos referant ad imagines, ratio non quadrabit: namque Mars cùm stellis imaginem Tauri constituentibus plurimùm conuenit, qui tamen in Tauro deijci dicitur. At fortè in reliquis concordia inter eos atque conuentio, de finibus nulla est: sed & decanos negligit Ptolemæus: quos aliter Indi, aliter Aegyptij partiuntur. Arabes monomerias ignorant irrident, Græci, Aegyptij in omni prædictione vtuntur. De aspectibus, hoc est, radiationibus syderum, inter se quàm absurda, quanquàm à veritate summota profantur, vt cùm inefficacem prorsus & nullam radiationem contendant, aliquandò, quæ in proxima diffundatur corpora, efficacem, quæ in remotissima, quorum rationem & veteres, & Maternus, innumeros, friuolè nimis & ridiculè retulerunt. Ptolemæus verò in Geometricas figuras, quasi ab his diuersæ in rebus naturalibus possint effluere proprietates: aliam attulit naturalem causam de signis generis eiusdem, masculis scilicet aut fœmineis, quæ mihi nunc irridenda videtur: quanquam à patruo multipliciter confutata, sicut & aliam Aboasaris de luminis plenitudine & iuniorum aliam de musicis consonantijs. Mitto friuolas eorum rationes de Planetarum, ob id quod Solis subduntur radijs, combustione, quos malè affectos & inefficaces dicunt, ac veluti terrena tractant, quæ pro vario, scilicet, materiæ vitio & dispositione, variè afficiuntur à Sole, quasiq; Solare lumen beneficum non sit. Quid? quod & his non omnino consentiunt, siquidem quò magis proximi Soli fuerint Planetæ partiliterq; & in eisdem penitùs minutijs, eò volunt efficaciores eos reddi, sed & minimè Solem nocere prædicant Planetæ in Ariete atque Leone radijs occupato sydere, quibus tamen in locis potentissimum Solem decernunt: Verùm Planetæ alio quasi hospiti iniuriam eum non afferre. Quandoquidem Solis domus Leo sit, Aries altitudo, & hoc quidem commentum planè irridendum quasi humano more cœlestia tractentur, quasique Sol arbitrio quodam, non autem naturali necessitate lucem & calorem extra se fundat. De Luna verò silente, hoc est, coniuncta Sole & minimè lucescente, quam tum combustam appellant, alia, ratio quando eo tempore spoliatur lumine ex ea parte qua nos respicit Soli, scilicet, copulata, reliquis Planetis luce propria nitentibus idem non accidit.

De capite verò Draconis & Cauda quid cum veritate, quid cum seipsis, & inter se

pugnant? neque enim aliud illa sunt quàm intersectiones duorum circulorum, quàm mera puncta, quàm nexus duarum linearum conceptarum mente & à Mathematicis introductarum, vt ecliptica loca discernant, & nihilominus illis perinde ab Astrologorum turba tributum est, ac si virtus eis vlla, qualitásve aut naturalis inesset efficacia. Abrahã Auenazra dissentiens à turba quæ Caput in Geminis, in Sagittario Caudam exaltari dixit, negauit libro primo rationum Astrologicarum, bonum ea aut malum significare, cùm duorum duntaxat circulorum sint connexiones. Ptolemæus illis in prædicendo non vtitur: Apud Maternum Astrologorum vetustiorum sectatorem nulla Capitis Caudęq; mentio, quod si aliquando eorum antiqui meminerunt Astrologi non aliter quàm de loco quodam & positu intellexerunt, in quo Planetæ præstare aliquid aut auferre possint, propterea illis vterque locus infelix visus propter eclipticam, quod Heliodoro placuit in tractatu de Filijs, recentioribus ex aduerso pronunciantibus, & plures promittentibus filios, si caput in loco filiorum fuerit ea ductis coniectura, quod in Capite propinquiores nobis Planetæ efficaciores euadunt. Illud quoque inter se super hac re insigniter dissentiunt, cùm nexam copulamque totius quasi felicitatis caput pronuncient, alibi tamen cum bonis bonum, cum malis malum decernunt, augeriq; ipsum quicquid inueniat: alibi de eo quasi de malo loquuntur, vt licet apud Alchabitium videre, qui & inter infortunia Planetarum hoc quoque commemorat, si cùm suis capitibus reperiantur quod habere cum sua Cauda quemlibet Planetam præiudicatum est, quę apud Arabes Gencauar appellantur: aut etiamsi cum Capite Caudaq; Draconis, quæ Lunæ propria est cognominatio, reperta fuerint. Idem in libro de Natiuitatibus applicantem Capiti Lunam climactericam facit locis, scilicet, vitæ principalibus: Caput istud & Caudam adnumerans Heliodorus qui suprà cum infortunalibus (vt sic dicatur) ea stellis associat, in tractatu de climactere: Nihilominus Soli Lunæ, Horoscopo, partique fortunæ ea connumerat. Quid facies, terminos, dodecatemoria, monomeria commemorem? quæ & nihil constant, & super his auctores dissentiunt acerrimè, & ipsius Ptolemæi testimonio, nullam habent Physicam rationem, sed vanam prorsus ostentationem. De suis item triplicitatibus, quæ nullæ sunt, eorumque dominis non minor pugna: nam vt omittam cætera Aegyptij duos tantùm trigonocratores, quos illi dicũt, triplicitatum dominos constituunt. Reliqui tres & hi etiam inter se dissident: Nam in primo quidem triangulo, Albumasar, Alchabitius, & Latini, Saturnum dominari contendunt, Ptolemæus Martem, qui secũdo Saturnum præficit. Arabes verè & Latini ferè omnes Martem, quem in quarto dominum locat Ptolemæus, alij alia. At quæso quid hærent, quid dissident super fatali hora? quid in hominum genituris inuestigandis dijudicandisq; hallucinantur? Quid inaniter discorditerq; blaterant in auspicandis omnibus rerum initijs? Sanè earum rerum, quæ tempore non momento absoluuntur, ambiguam esse fatalem horam necessarium est, de qua nihilominus, vt de statu & in controuerso dogmate diuinaculi sententiam ferunt: Accipi siquidem pro fatali tempore potest, id quo opifex rem ipsam facere aggreditur, quamcunq; demùm causam efficientem sortiatur, id quoque cùm res perficitur & consumatur. Sed & illud etiam possumus opinari, vt diuersa sint initia partium diuersarum, quæ scilicet, non simul, sed deinceps ordine quodam absoluuntur, & hoc quidem in vniuersum de rebus omnibus, tùm affirmari, tùm defendi potest.

De homine verò quàm multa, quàm varia, nec inconsultò, nec ineruditè quidem afferri principia possunt, & initia, vt illi dicunt, fatalia, cùm vir fœminæ congreditur, cùm semen de mare accersit in vterum, cùm vis ipsa seminalis puriorem excrementi muliebris partem cogit in fœtum, quemadmodum lac vnitur condensaturq; coagulo, cùm in conceptu partes omnes hominis potestate insunt, cùm membranulis siue secundis fœtus obducitur, cum actu primùm cor secernitur: quòd & Aristoteli placuisse, & rationi consentaneum esse videtur, cùm membri cuiuslibet dispositio fit, particulare quodq; fatum sibi coaptat, cùm anima fœtui participatur: quò quid consultius dici potest? tunc enim homo esse incipit, tunc ex materia sua formaq; consistit, & integram suæ substantiæ rationem est nactus. An magis non vnum, sed plura principia probabuntur, vt quæ sunt corporis ad seminale initium: animi ad animationem, quæ fortunæ ad egressionem ex vtero referantur. Huic tamen parti, quòd scilicet,

magis subiecta sensibus esset, Astrologorum vulgus primas concessêre, vt ex hora, scilicet, natiuitatis nascentis hominis fata dependeant, quæ tamen nec hominem inchoat, nec facit, nec absoluit: Sed iam inchoatam factum & absolutum duntaxat ostendit: quod fortè Ptolemæus aduertens plus conceptui quàm genituræ tribuit, in tertio Apotelesmatôn libro: Inquit enim principium hominis natura illud esse cùm semen vtero admittitur, potentia autẽ & secundùm accidens cùm infans vtero egreditur: & quanquàm alij Ptolemæi sensum, & verba vertere aliò sint conati, nihilominus ex eius verbis syncerè perceptis facillimè refelluntur. Sed & Haly quoque in libro de Electionibus apertissimè prodit, efficaciam fati decerni, ex hora conceptus esse petendam: Illud autem quis non videat insignius Astrologorum erratum, celebrioremq; insolentiam, dum in regionibus illis expectari fatum aliquod admirabile prædicant, quæ scilicet, eo subsint signo apud quod aliqua, vel coniunctio syderum, vel luminarium defectus contigerit, nec solùm quæ signo penitùs eodem, sed eiusdem saltem triplicitatis, cùm nihilominus apud illos ignotissimum controuersumq; penitùs & absconditum sit, quæ cui signo vel Planetæ regio subiaceat, non minus quidem hoc illos prænosse oporteret, de publicis regionum euentibus ariolantes, quam ipsam genituræ horam de hominis fato fabulantes. Sed quid illis ignotius? Ptolemæus in primo apotelesmatôn, igneam septentrionibus triplicitatem præficit, terream Meridiei subdit, aëream imponit Orienti, Occidenti aqueam præesse contendit: quod Firmicus est secutus. Idem Ptolemæus secundo eius operis volumine aliter decernit: igneam enim illam, vt dicunt, triangularitatem, nòn tàm Septentrioni quàm eis præficit terris, quæ sunt inter Septentrionem & Occidentem sitæ, atque ita deinceps omnia inuertit Albumasar in sexti magni Introductorij, triplicitatẽ igneam Orienti, non autem Septentrioni præesse voluit, Septentrioni aqueam, Occidenti aëream. Idem Paulus Alexandrinus sensit in institutionibus artis Apotelesmaticæ, à se ipso verò primo de magnis Coniunctionibus libro dissentit Albumasar, aqueam Meridiei adscribit triplicitatem, Occidenti verò terream dominari contendit. Henricus Macliuiensis postremam hanc Aboasaris opinionem sequitur. Contra Alchabitius, & Zaël Israëlita, & Auenazra, & Caphar in Isagogicis, & Messahala primam probauerunt: Auenrodam vtraq; reiecta Ptolemæi sententiam omnibus anteponit.

Veteres quoque super his inter se dissenserunt Aegyptij ab Hipparcho, ab Hipparcho Ptolemæus. Siquidem Aegyptij antiquam Babylonem, & Arabiam Aegypto conterminam Arieti subiecêre: Ptolemæus verò Galliam, Britanniam, Germaniam, Palęstinam: Hipparchus & antiquissimi Astrologorum, alijs signi partibus, alias regiones supposuêre, vtpote sinistro Arietis humero Babyloniam, dextro Thraciã, pectori Armeniam, lateribus Arabiam Aegypto confinem. Quid autem ficta Planetarum, & signorum dominia prosequamur? vt nunc dicamus Iouem præesse terrenis, quia illis præfuit, Saturnus annis præcedentibus, quem, scilicet, ex ordine sphærarum Iupiter sequitur, & Taurum hoc anno dominari, ob id quòd præterito dominatus est Aries, quasi vices magistratuum in syderibus inueniantur. Sed in his etiam mirum in modum dissentiunt, cùm alius Lunæ, alius Marti, alius Ioui, eosdem annos attribuat: Aegyptij quos Maternus sequitur, cuilibet syderum in vita administranda æqua partitione dant annos decem & menses nouem. Persæ Aegyptios aliqua ex parte sequuntur, sed eo dissentiunt, quòd non cuique Planetæ æquale tempus assignant, sed Soli quidem annos x, Veneri viij, Mercurio xiij, Lunæ ix, Saturno xj, Ioui xij, Marti vij, Capiti iij, Caudæ ij. Ptolemæus ab his dissentiens ætatum dominos instituit, quaternos primos annos attribuens Lunæ x, sequentes Mercurio, Veneri viij, Soli ix. Marti xv, Ioui xij, Saturno reliquos. Aliter Indi, aliter Arabes, aliter Chaldæi fabulantur, aliter Hemus, aliter Messahala somniat. De ipsius verò anni fata portendantur, quid garriunt? quid effutiunt? quòd vnum tamen non posse constitui Ptolemæus asseuerat hac ipsa ratione in libro Apotelesmatôn secũdo: quòd in circulo nullus cogitare principium simpliciter potest, quare in zodiaco cõiecturis ipsis quibusdã quatuor quasi principia imaginantur, quę sint duobus æquinoctialibus, solstitialibusq; duob⁹ terminata. Aegypti ab ęquinoctiali solstitio annũ exordiebant: Romani ab Hyemali, alij ab Autumnali, hoc est, ab ingressu Solis in Librã. Plutarchus in Problematis approbat Numam Pompilium, qui à tropico Hyberno principiũ anni fuerat auspicatus: quòd si qs paulò sapientior

sapientior in hac controuersia contenderet, mundi genituram inspiciendam, contentiones ciebit, non sedabit. Neque enim apud Hebræos, à quibus mundi genitura percepta est, super hac re quicquam certum aut definitum inuenitur: sed alij Vere: alij Autumno exortum mundum contendunt, eoque multi & perlibenter inclinant. Nam de Phase in primo mense celebranda (quod scriptum est) dictum volunt ratione solennitatem celebrandum. Sed & scriptum quoque in Exodo Scœnophegia, id est, festa tabernaculorum in anni exitu celebrari, ea verò medio Septembri celebrantur: alia quoque afferuntur plura in hanc sententiam, quæ cum his, quæ Lersiensis in computo, & Beda in libro temporum, & Iosephus in primo Antiquitatum scribunt, omittenda ad præsens videntur, quando & Hieronymus cùm aliâs, tùm Ezechielem exponens, Octobrem primum dicit esse mensem, Ianuarium verò quartum.

At de fixis stellis quàm nutanter, quàm vacillabundè baubantur, vt cùm innumeræ sint, nec earum cognitas vllas habeant prẹterquàm mille & viginti duas, putant nihilominus artem se posse tenere, artis scilicet materia penitùs ignorata, à quo errore se cùm tueri volunt, tàm læuia, tàm fatua spargunt, vt confutare pudor simul & fastidium sit, alij quas ignorant, inefficaces asseuerant. Bonato impensiùs insaniente, qui eis omnibus vti Astrologum putet, cùm signis videlicet vtatur duodecim, quasi signa graduum latitudinem non habeant, extra quam stellæ vtrinque innumerabiles: quòd si fatum de mixta syderum omnium afflatione conficitur, quomodo id sciet cui maximus ipsorum syderum numerus ignorabit? quòd si Philosophiam Theologiamque prætendant, quæ à suis penitùs professoribus non possideantur, nulla prorsus in similitudine consecutio, quandoquidem ad philosophum constituendum, necessaria non est totius naturæ cognitio, omnium autem stellarum Astrologo cognitio necessaria, si ab vniuerso stellarum cœtu, terrena patiuntur, & afficiuntur variè & permutantur. Sed Theologo sicuti non possibilis, ita nec numeris omnibus necessaria suæ professionis cognitio est, vt credere, scilicet, vt scire, vt suadere plurima possit. Quid? Quòd & super ipsis stellis varia pugnantiaque dogmata tradiderunt, & eas quandoque Planetis efficaciores, quandoque minus potentes asseuerant. Alij ordinariam felicitatem à bono Planetarum statu fluere contendunt. A` fixis verò stellis fœlicitates, vt Ptolemæus, inquit, omni opinione maiores, cui Proclus in Timæum Platonis aduersatur. Mitto controuersias multis in alijs Astrologorum dogmatis. Mitto quòd in harmonia cœlesti dignosci non potest, quid cuique stellæ proprium, nisi singulæ per se notæ fuerint: quòd fieri minimè potest cùm mixta (vt ita dixerim) defluuia experiamur, quemadmodum in composito pharmaco euenit, cùm perspicere non datur quid quodque simplex in compositione pariat, nisi extra compositionem eius vires cognouerimus: tametsi hoc pharmaco possit accidere, quòd cœlo nullo pacto conuenit, vt tempus perfectionem adiungit. Est enim concors harmonia, & vt (ita dixerim) forma totius, quæ an singulos effectus vniuersa concurrit, quòd Astrologiæ defensores non percepêre. Sed iam nimis multa quando hac in re satis putamus factum Astrologiam ipsam monstrasse, cùm diuinis tùm humanis, & auctoritatibus & rationibus confutatam detestatamque, tùm à Mathematicis ipsis deiectam: & ab ipsismet professionis auctoribus inconstantem fallacemque iudicatam, nec non responsiones ad libros patrui, defensionesque Astrologiæ minus validas, & nullius fuisse momenti bonis iudicijs ostendisse. Nam & quinti huius libri magnitudo, nos monet vt ad alia, quæ restant, exordienda complendaq; transmeemus.



DE PRÆNOTIONE SVPERSTITIOSA ADVERSVS GEOMANTIAM, CHEIROMANTIAM ET RELIQVAS SPECIES, quæ de occulto dæmonis fœdere prodeunt.

LIBER VI.

CAP. I.

QVID HOC IPSO LIBRO AGENDVM.

RESTAT vt Astrologia iam prostrata reliquas superstitionis species, quæ de occulto dæmonum fœdere prodeunt, hoc libro confutemus sicuti suprà facturos nos promisimus quinto quinti voluminis capite. Sed vtinam minori impendio facere id possemus, adiuti, scilicet, opibus patrui vt egestati nostræ, & verborum, & rerum suppeteret alimonia: Vtinam quæ aduersus istiusmodi superstitiones gerebat in animo, tulisset in chartas, vnde nobis & eximia illa rerum maiestas, & affluentissimus verborum delectus & claritas suppetiatum posset occurere 2. lib. disputationũ suarum, quibus Astrologia deiecta est, huiusce rei amplissimam dederat spem, quàm illicò nobis mors eius præmatura diripuit. Scripserat enim proficisci & alias ab Astrologia superstitiones ipsas, quæ confutandæ sunt nobis, Geomantiam, Chiromantiam, Magiam, cæteras, quas inquit ille fatuitates particulátim prosequemur, cùm post euersam dominam & reginam, aliquam superstitionum turbam in cursu proteremus. Sed hoc laboris exantlandum nobis restat, quoniam ille nec præstare potuit, nec exordiri: sed vtinam viribus quæ satis esse possint, hoc subierimus, & humeris, quanquàm non herculeis illis qui ferre tamen valeant, nec recusent: quanquàm autem hæ innumeræ ferè habeantur, insigniores & antesignanæ nobis desumendæ sunt, quibus prostratis & reliquæ corruant. Chiromantiam igitur inprimis, mox Geomantiam aggrediemur expungere, dein Augurium, Auspicium, refellere, ac sternutamentorum & fulgurum præscita rescindere. Postremò vana omnia, & inanes sortes, & superstitiosa somnia, cùm irridere, tùm confutare.

CAP. II.

ADVERSVS CHEIROMANTIAM, ET QVAMPIAM Physiognomicæ professionis partem.

QVi manus inspiciunt vt diuinent, vnde à Græcis Chiromantes dicti, septem in volis montes effinxêre, qui septem Planetis ascribuntur: sed à varijs variè, vt in progressu monstrabitur, quos tamen obseruaui, primores ferè in hoc quod mox narraturi sumus, conueniunt: dein diuersæ illæ opiniones recensebuntur, & confutationem inde aggrediemur: Illi igitur, editiorem locum illum, qui sub pollice quasi digiti eius basis & fundamentum visitur, montem Veneris nominârunt: qui verò sub indice conspicuus tumulus, Iouis nomine dignati sunt: Solis locum statuunt sub medio digito, qui apud alios medius, aut famosus (neq; enim apud Grecos nec Latinos de huius & sequentis digiti nomine satis cõstat) collocatur, is verò collis seu tuberculum montémve malueris appellare, qui annulari (quem alij dicunt medium) substat Saturno, coaptant: eum autem cui minimus auricularísve adstat digitus, Mercurialem appellant: media in vola Martis montem delineant, post quem in tumore, scilicet, illo colli Veneris aduerso Lunæ constituunt. Ex quatuor insuper principalium linearum, quibus penè omnis vola distinguitur, aliam quæ inter pollicem & indicem exoritur, & Veneris montem amplectens, eundemque circuiens ad conum manus protenditur, vitalem vocant omnes Chiromantiæ auctores & cordis etiam nomine plærique nuncupant, ea significari vitæ spacium contendunt,

contendunt, indeque & corporis temperaturam, & sanitatem infirmitatesque multi deduxerunt. Quæ verò inter Mercurij & Lunæ montem sumit initium, & ad eum qui dicitur Iouialis, extenditur, mensalem appellant: spaciumque illud quod inter hanc & naturalem iacet, mensa manus vocitari solet: Eandem & thoracem & vesicæ & renum lineam dixerunt, alij pestiferam, martialem alij nominârunt: Illam verò quæ à summo lineæ vitalis digrediens ad montem Lunæ descendit, eam mediam & naturalem, aliqui verò cerebri lineam vocitârunt, eiusdemque inspectu naturæ vires dignosci posse, autumârunt. Est & linea alia cuius in imo manus initium est, finis ad mercurialis montis vergit confinia, hanc quòd ex cono, basíve manus deducatur, basilarem appellauêre. Sunt & nonnullæ præter has quibus manus afficitur lineæ, quarum quæ brachium separat à manu, restrictam dicunt, quæ ab indice ad mensalem ducitur capitis, & cerebri nomine ab aliquibus donata est, trianguli quoque fiunt quandoque ex harum intersectione linearum. Sed & alias quoque nomenclaturas iuxta diuersorum auctorum voluntates huiuscemodi lineæ sortitæ sunt: namque & primam (quæ vitæ dicitur) & Saturniam & dextram trianguli vocatam inuenio. Secundam naturalem appellatam sinistræ trianguli appellatione donatam legimus, quæ basilaris dicitur: Stomachi & epatis dictam reperimus, ac tabularem etiam appellatam, ijs penè vniuersa pendet Chiromantia, hinc diuinandi per manus vana illa commenta deducta sunt, hinc ex Planetarum natura (quæ scilicet à circulatoribus, qua sunt auctoritate, sculpta est in ipsis manus regionibus, quos montes quasi naturales quosdam tumulos vocauerunt) de rebus penè omnibus pronunciant.

Sed nec rata hæc apud omnes sunt, antiquiora penè placita super ijs quæ diximus, conueniunt, recentiores discordant, legi tuberculum pollicis Marti dedicatũ, à neoterico huius vanitatis studioso, cui recentior alter multis rationibus contradixit: & de hoc tuberculo quasi de regno Lydiæ digladiatur. Motus ille quòd fortior impugnat, alius litem recensere: nec ratio, nec tempus, nec propositi operis cura postulat, tantùm dixerimus, nec illum rectè tribuisse Marti, quòd digitis reliquis fortior haberetur: nec hunc rectè probasse debiliorem: nam quæ sympathia fortitudinis? quandoquidem si diuinatricis Astrologiæ placita vera essent, non tamen ea fortitudine Mars donatur ab eis, vt reliquis præstet & cætera sydera verset ad libitum: Soli potiùs qui dux astrorum appellatur, id conueniret prærogatiuè: Sed & fortior habetur pollex, tùm Aristotelis auctoritate, tùm ratione, quandoquidem fluit ab interiore parti validiori. Digiti autem reliqui, ex neruis qui inter vtrumque os agglutinantur, originem ducunt, & adstipulatur experientia, qua vnusquisque nisi mancus sit, pollet. Sed hæc mittamus, considerantes quænam sit artis constantia, vt partes volæ ex quibus diuinaculi satagunt, pro arbitrio & friuolis quibusque coniecturis Planetis subdantur: Sic & medium digitum apud alios non Soli, sed Saturno tributum legi, & annularem non Saturno, sed Soli destinatum: Sic & caueam quam vel omnes vel plerique Marti dederunt, Mercurio tribuunt, & minimus digitus Mercurio assignatus, ab alijs Veneri concedunt: resistunt alij, nulla tamen ex parte rationes afferuntur, sed friuola quæpiam, & adeò vana, vt confutare sit pudor, quare in commune aduersus prisca illa placita disputabimus: & primùm ex eis sciscitari libet quánam ratione ducti, montes hosce Planetis distribuerunt: Sanè nullam est afferre: Somniant autem Diuinis quasi literis inscriptam manum, Iuliano auctore, atque in Helenum etiam Priami filium, quo suam vetustate aliqua superstitionẽ confirment, huiuscemodi cõmenta referunt: eò risui patentiora, quòd nihil aliud eas esse proferunt, quàm figuræ vel signa Planetarum: hęc certè vana sunt, & vt sint aliquid, dogma non consonat: Illud autẽ inter alia quærendum, quódnam iudiciũ partitionis, quæ distributionis ratio? cur montem ipsum cui pollex prężminet, Veneri magis, quàm Ioui? cur eum qui annularẽ fulcit digitum, Saturno magis, quàm Mercurio tribuerunt? atq; ita de reliquis: quocunq; illi modo distribuant. Et quidem si diuersæ Planetis naturæ, diuersæq; & pugnantes etiam proprietates insunt, vt pertinacissimè contendunt Astrologi, non potest omnino eorum dogma consistere, quandoquidem nec naturæ diuersitas, nec variæ pugnantesq; proprietates, mõtibus illis inesse possunt: vniformis enim volæ natura, nec varia vllatenus aut diuersa potest deprehendi, seu pellis substantiam consideres, seu colorem intuearis, siue operationes contemplari malueris.

Cæterùm

Cæterùm discordant omnino loca positusque Planetarum, à volæ locis & montibus, quos illis subiectos esse voluerunt, qui artem hanc, seu vanitatem veriùs prodiderunt. Saturnus enim qui superiorem inter Planetas locum sortitus est, quartum in vola possidet locum si à pollice, secundum verò, si à minimo sumatur initium. Venus verò cur primum in manu locum occupat, si à pollice principium, cur postremum, si aut à Lunæ, aut Mercurij monte fiat exordium, cùm ea quartam inter cœlestes Planetas sedem obtinuerit: Si à Luna fiat ascensus, tertiam, si à Saturno descendatur. Quòd temerè igitur quàm mendaciter fabulantur eas iungentes, & proprietates, & sedes, quas opificio naturæ disseparatas esse, ac prorsus disiunctissimas, negare non queunt. Iam verò quis non aduertat, quo pacto Chiromantia suo vno dogmate, cætera demoliatur, & proprio quasi gladio se perimat. Receptum enim & ratum apud aliquos eius auctores, mutari quandoque lineas, & eas aduentare, subinde & discedere variarique: propterea prædictiones oportere, adeò vt quæ interniciem vesperi sua præsentia minarentur, mane sublatæ ex absentia salutem promittant: contrà quæ commoda præsentes pollicerentur, difficultates & ærumnas ob discessum enuncient. Igitur si huius imperitiæ periti atque consulti dicunt quotidie suboriri lineas, quotidie aboleri, quæ artis demùm potest esse soliditas, si eius videlicet principia non magis permanent, quàm fabulosi Adonidos horti, quàm vita animantis ephemeri. Huc accedat & alia vanitas prorsus irridenda quæ ex lineæ colore, ea omnia quæ ipsius lineæ situs portendebat euenta, disterminat atque dijudicat, citòne an serò expectanda, si rubra, si pallida fuerit, aut ardenter sperandũ, aut patienter expectandum, monent quod optatur quasi qui ex corporis temperatura prodit rubor vrgere calcem eis maximè euentis possit, qui extrinsecùs adueniunt, quasi corporis vitium pallore volam non possit obducere, non rubriciem adducere queat, aut peregrinum alium colorẽ inferre, iam in iudicanda vita quę constantia dogmatũ? Alij voluerunt à linea vitali, quæ & cordis etiam dicitur, vitæ significationem sumi: alij ab Epatis linea petendam pronunciant: alij à linea capitis deriuari voluerunt: sunt qui grossitiem (vt aiunt) vitalis lineæ inspiciendam moneant, eamque solùm ad prognostica vitæ spectare contendunt: sunt qui colorem eiusdem & longitudinem pensandam edoceant: sunt qui illas omnes examinandas præcipiant: nec apud quempiam probabilem rationem, aut verisimilem, vel vnam reperias, non solùm hac in re pro exemplo adducta in medium, sed in cunctis eadem ferè conditio: controuersias autem vndequaque tàm varias & crebras, vt non tot fortè fuerint, quòd Græco prouerbio dicitur, de Misiæ finibus & Phrygiæ: sed nec se ipsos quandoque de proprijs queunt laqueis extricare, dicetur fortè non ratione, sed experimentis artem confectam: Resistam ego & experimenta in contrarium non pauciora deducam: Sed & quæ possunt ex contradictorijs, & pugnantibus principijs vera experimenta duci, & cur illi si rationibus carent, ratione tamen vanitatem suam roborari contendunt? Almadal Arabs (qui vt Magiæ & superstitionibus omnibꝰ, ita huic maximoperè fauit) percunctatione dignum existimat, cur lineæ quas referri oportere censet in spiritus vitales, quibus sanguine intermedio caro cutisque gignuntur, & humore interueniente vitali, naturalique calore lineales tractus educuntur: cur, inquam, si eiusmodi causæ & certæ vniformes, lineæ tamen vtpote earum effectus causarum, variæ & difformes varijs in hominibus habeantur? cur omnes homines sanguinem vitalemque humorem, & calorem, & spiritus possident, nec omnes tamẽ easdem similésve lineas, sed diuersas, & dissimiles obtineant plurimi, Planetis id acceptum refert, qui non æquè omnes in hominis formatione concurrunt, quare ascensum descensumque, propinquitatem item & remotionem Planetarum in causa esse arbitratur, ad hæc diuersitatem vitalium spirituum adstipulari, quandoquidẽ sanguinea temperatura, seu habitudo, plus habet spirituum quàm melancholica: sed vt sint hæc non inania, quæ alioqui nõ difficilè refutarentur: nihil tamen verę solutionis affertur propositę difficultati, cùm ex ijsdem causis intentio tantùm & remissio coloris, longæq; & lineæ producerentur: At cùm aliæ aliqua in manu videantur, quæ non conspiciuntur in alia: cùm alia item vni ad montem quempiam Saturni (verbi causa) decurrat: alteri Iouis tumulum versus extendatur, acceptæ referri nequeunt huiuscemodi varietates, multitudini spirituum & elongationi præsentiæque Planetarum. Nam propinquitas luminis

minis intentionem duntaxat, non autem differentiam idemq; spirituum multitudo facit: ex hac difficultate aliam soluere ille aggressus, voto frustratus est: diuersitatem enim fortunæ quomodo posset pendere de lineis, anxiè perquisiuit, ad Planetarum impressionem confugit, quæ reciperentur in homine, & suo postmodùm tempore operaretur: & quasi pœniteret incepti in mentem, non in corporeos spiritus mercatoris lucrum reiecit, mox illud idem expunxit Aristotelis auctoritate, plus ibi casus & fortunæ asseuerantis, vbi rationis esset minus: demùm ad stabilitatem industriamq; & arbitrium hominis contulit, à quo & lucra, & inuentiones thesauri deriuarētur: quod minimè improbaremus, nisi hoc iterum ad Planetas retulisset, cùm hominis voluntas libera sit, quàm firmare & mutare industriam, & operationes suas posse manifestum, adeò vt disputatione non sit opus: quare non frustrà solùm de lineis hominum studia fortunasq; deducunt. Sed tanta etiam cum ignorantia vt præter multa, quæ confutare pudet: id etiam quod profitentur nesciant. Scribit hic auctor Chiromantiam dictam à manu & firmitate, quasi scientia sit firma eiusq; certa præsagia. Nec semel hoc delirauit vt librarijs error posset adscribi, id enim sæpè repetijt, & vbicunq; mantiam reperit, firmitatem interpretatur: Sic & aliæ de quibus tractat Pyromantia, Geomantia, Hydromantia, Aëromantia, à firmitate denominat, adeò vt volumen ipsum quod Magiæ substruxit, & ad futura prædicenda spectat, de firmitate sex scientiarum inscripserit. Alij hoc tantùm fundamento nituntur, vt manus inspectione diuinari possit, cùm inter humani corporis membra pateat id magis, & hac ipsa ratione manum ipsam vires totius præsentare corporis posse. Alij nullo prorsus argumento ducti, censent Deum homini concessisse, vt signis exterioribus deprehendere possit, quæ prosint, obsintve. Quamobrem Chiromantiam ipsam hinc initium sumpsisse quo quid inconsultius dici potest. At inquient fortasse: cur Aristoteles inter philosophos naturales summus auctor, si hæc non ars, sed superstitio, eius tamen meminit: sicuti & physiognomiæ adstipulatur, & dicato opusculo, & in problematis, & in opere de Natura Animalium: tum illud inter alia docet, longinquitatem vitæ ex lineis volæ portendi. Atqui si Aristotelis perpendantur sensa, tàm ea Chiromantiæ vanitati fauere iudicabit, quàm quæ omnino nihil de physiognomia, posteà dicemus. Nunc quid ille Chiromantibus fauerit, videamus, nunquàm ille superstitionis huiusce patrocinium sumit.

De articulis enim animalium loquens, ex eis si magna sint, vitæ magnitudinem consentanea ratione significari docuit, illudque occurrit exemplum, cùm ex incisione manus per lineas eius membri partes dirimantur, fieri vt eius, scilicet, vita extendi facilè posse credatur, cui magnos & extentos inesse artus conspicimus: pari pacto in opere de Animalibus longinquitatem, vitæ ex multitudine sanguinis pronunciauit: sed ad naturalem hæc, vt diximus, non superstitiosam prænotionem pertinet: sicuti & dogma de membrorum magnitudine cuius declarandi gratia volę per lineas partitionis meminit: ita enim apud eum mos, vt quæ in propatulo essent, pro exemplo sumeret quò magis nota fierent quæ pressè & constrictè protulerat: quid autem magis expositum, magis in ora omnium, quàm manus, quàm eius articuli suis lineis quique adiuncti. Adde quod frequenter ea pro manifestatione proponit, quæ non illius, sed aliorum dogmata sunt, vulgò alioquin nota atque protrita. À natura igitur & ratione non abhorrere putauit, vt si multæ in manu incisuræ, nec perpetuæ fuerint, breuitas vitæ, de longinquo iudicetur, contraq; diuturnitas, si paucæ atque perpetuę. Dixi de longinquo, quoniam ex eis corporis habitus seu temperaturam dicere manis conijcitur, ex quo vel diuturnitas vitæ, vel breuitas prodit: vt autem hæc Aristotelis mens fuerit, alia indicant vitæ præscita, ab eo literarum monumentis tradita, inter quæ rari dentes, plumbeus color, præmaturæ mortis ponuntur indicia: quis non videat isthæc nullo pacto vanis metoscopis adstipulari: nam cui rari dentes obtigerunt, is minus cibum terit, quàm concoctioni sit satis, inde cruditas, inde mors, vt alia omittam, & causam præcipuè, non effectum attigi, causam inquam: nam rara corporis humani textura & minus compacta elementorum coitio in causa sunt, vt rari dentes euadant, qui ex materia seminali & cerebro trahere originem dicuntur, contrario id exemplo confirmatur ab eodem auctore posito: cui enim multitudo dentium est, ei vitæ diturnitas promittitur, nō autem ex oraculo, sed ratione quæ à nobis explicatur.

Signum

Signum enim potentis habitudinis habetur & causa est, vt alimenta dentium spissitudine & multitudine contrita, faciliùs à vitali calore digerantur concoquanturque, & in eius qui nutritur, substantiam faciliùs transeant sine cruditate, segete & alumna morborum, sed non respondent semper: nam paucorum dentium longæui quandoque & multorum imbecilli & vitæ breuis, de plumbeo colore tàm notum omnibus quid indicet vt superfluum sit verba facere quando & quiuis è medio Sarcophagum nunciet ei, cuius in facie plumbeam palliditatem inustam viderit, vtpote qui humorū distemperie laboret: hirriant ergo & baubētur diuinaculi & superstitiosorum doctorum cateruas citent, non pro eis Aristoteles, non vllus sanę mentis est, sed ementiti librorum tituli, & vanitatis studiosi, nulla ratio, nulla rectè philosophantium legitima auctoritas, quanquàm rationi posthabetur auctoritas, quæ nulla ratione fulcitur. Diuina eloquia semper excipio, quæ humanæ cuicunq; rationi præualent, & hæc diuinaculis refragantur.

Sed iam si placet, Chiromantum particularia aliqua dogmata examinemus: Saturnios homines medio in digito plures habere lineas contendunt: Iouios verò in indice: Martios vitæ lineam & quam naturalem appellant, optimè habere dispositas: Solares subtilibus in radice digiti lineis insigniri contēdunt: Venereis triplicem lineam à pollice ad indicem duci affirmant: Mercurio subdititios minimi digiti lineas non apertas, sed obscuras gerere: Lunares montem suum si transuersis lineis ad instar penè figuræ qua octonarius vulgò numerus exprimitur: inscriptum habeant prima ætate egenos: secunda per quam diuites futuros. Has delegimus opiniones, tanquàm probatiores apud huius vanitatis studiosos, quanquam non desunt qui quotidie cudant inania huic nugacitati fulcimenta: & paulò antè publicatus est liber vanissimus qui tutelam præ se tulit viri cuiusdam boni inter Peripateticos nominis, & mihi amicitia cogniti: Sed non accedo eum tàm multis à veritate & grauitate philosophica alienis rebus adstipulatum: alter non multò anteà vulgatus est ab homine penitùs illiterato oppidi mei inquilino, qui penè semper Sutoriam exercuit, mox Galeoto patri dum Venetorum ductaret equites, stetit ille in castris ad cellaria, & demùm ob fidem & diligentiam victum suscepit, nihil ille penitùs literarum nouit, deperiens hanc vanitatem & multa prædicens, cui cùm aduersarer & arguerem vanitatem, ac de imperitia monerē, discessit & in aliena ditione librū edidit. Sed redeamus ad eas vanitates confutandas quæ à multis discreuimus tanquàm insigniores: sanè præter id quod falsum est, alios esse Iouios, alios Saturnios homines: hoc ipsum quod prodiderunt quid rationis in se cōtineat, nec video, nec sit, puto, qui videat: Sicut cur ille Saturni⁹ magis, quàm Iouius, quàm Martius, quàm Venerius sit: cui signa plura digitū medium delineant, quòd si vlla inueniretur, huiusce rei causa, quæ'nam reperiri daretur, vt Saturnij amici homines & consulti sint, graues audacesq;: qui Ioui subduntur, pulchri, sapientes, religionibus obnoxij: qui Marti, audaces, impigri, ad bella prompti, feroces, impij, atq; ita de reliquis quas Planetis inscribunt proprietatibus. Dicent fortasse paulò eruditiores ab eadem causa, id est, Planetis, & ea manuum signa & effectus qui de illis protenduntur, pariter educi. At suprà quinto libro monstratum mores à cœlo & fortuita non pendere: tum si concederetur, vt inde, quemadmodum Astrologi volūt, deducerentur, quid posteà connexionis habere putant: vt Saturni, Iouis, Martisque, natura huiuscemodi lineamenta designet in manibus: quòd si deprehensum id experientia contendēt, ipsa prorsus refragabitur experientia cùm plurimos inuenias iuxta dogmata Astrologorū Martios homines, qui nullius prorsus Martis dominij signum in vola gestent, contraq; Martios, Iouiosq; plærosq; constitues lineis inspectis, quos themate genituræ prospecto Lunares, Solarésve, & Saturni mancipia pronunciabis: Idē penè in reliquis omnib. dogmatis ferri iudicium potest. Adde discordias ferè auctorū in ipsis principijs innumeras, adde astus & versipelles dolos, huc adfer pronunciantis diuersa deliria. Alij nō singulis diebus, non omni tēpore, sed statutis & temporib. & dieb. iudicāt, nec nisi Vere aut Aestate, & die Solis & Iouis virilē dextram aspiciunt, sinistram verò muliebrē, Hyeme & Autumno ac Veneris die: Alij pueros dūtaxat & puellas perspiciendos affirmant quòd frigore & labotib. abolita signa nō sint, qualia in adultis eorumq; dextram duntaxat examinandam, præcipiunt. Si quinq; lineæ ad basim Venerij tumuli comprehensę glomeratęq; non fuerint, sin minus, vt sinistra

LLl percen-

percenſeatur ſtatuerunt: alij ſingulis diebus, modò Sol orbem illuſtret, & lotæ manus fuerint, & os ieiunum indiſcriminatim iudicant, quæ vel omnia, vel plurima nulla ratione fulta ſunt, multa verò diſcordia ſeiuncta, atq; diuulſa, quæ ideò percenſenda nō duximus: quoniam Ariſtotelicum illud metuimus quo cauetur nimia in confutandis inanibus ſcrupuloſitas, tùm quòd fundamenta vanitatis excindentes, quòd ſupra ſtructum eſt, conſequio deſtruimus: ita à multis tùm hac in re, tùm alijs ſuperſtitionibus refutandis temperabimus, quæ de particularibus pendent, vel regulis, vel experimentis, nec ſolùm ignobilium omnino auctorum, ſed & Aponenſis, Michaëlis Scoti, & illorum, contenti vulſiſſe radices, & ſi quid naturalis in ſe contineant rationis indicauiſſe: Hinc exorſi ab ipſa Chiromātia, quam poſt Aſtrologicam vanitatem primam ſumpſimus confutandam: huius nonnulla naturalem præ ſe ferunt notitiam, ſed exiguam prorſus, indeq; nocentius periculum imminet, quòd hoc quaſi prætextu innumeræ ſuperſtitiones admittūtur. Itaq; ſi lineæ longiori tractu ſuas particulas permeauerint: ſi decētem colorem præ ſe tulerint: ſi interrupta perſeuerauerint: ſi viuida fuerint, ſanitatis haberi ſigna poterunt ac temperaturæ concordis: quanquam id impendio minori de facie conſtet, quàm præ cæteris phyſiognomi ſpeculandam præcipiūt, de quorum arte nonnulla hoc loco monuiſſe conueniet.

Ariſtoteles eo in libro qui Phyſiognomia inſcribitur (ſi titulus non mētitur auctorem) multa docuit, quæ naturam ſapere videntur, quanquàm à ſuperſtitioſis hominibus aliò torqueantur: In libris quoq; de Natura Animalium nonnulla poſuit eodem penè ſpectantia, quo & quorundam phyſiognomorum ducunt præcepta: ac in Problematibus non omnino vacuus à naturalibus quibuſdam præſcitis fuit: quapropter quæ citra vanitatem obſeruari quoquomodo poſſent, generatim inſinuandum, quæ penitùs item eliminanda explodendaq; ſubſignandum: non ſuperſtitioſè recipi exiſtimatur quod ex affectionib. animæ corpora patiātur: quòd affectiones item corporum in animas quodammodo deriuentur, indicio ſunt amores, timoresq; animę, quibus corpus afficitur, & ex aduerſo quoq; illius ęgritudo moleſtijs animas affligit, hinc triſtities & hilaritas facilè deprehenduntur: Ex motu quoque, figura, calore, & nonnullis alijs qualitatibus ducuntur ſimilitudines, quin & membrorum quantitas indicio eſſe poteſt coniectoribus, quænam corporis condictio illius ſit: quæpiam item conijci, vel eminus queunt, liquidò tamen & extra dubitationem iudicium haberi nō poteſt: vt etiam Euangelicum illud hac in re verum ſit, quo vetamur ſecūdùm faciem iudicare: Iam & Ariſtotele auctore, nec de ſciētijs, aut artibus, phyſiognomon diſquirere poteſt: ne dum ferre ſententiam, quantò magis de moribus, de futuris euētibus, ad vtramuis contradictionis partem ſpectantib. percunctari nequit, atq; decernere, phyſiognomorum quorundā ſuperſtitioſa garrulitas, quæ & medicis ſua prognoſtica præripere & ſuas prophetis prædictiones ſurripere ſatagit. Contendent fortaſſe de moribus nonnihil ſe dicere poſſe, tum quòd ex corporis temperatura complexionéve, quæ illis alioquin ſit explorata & cognita mores ducantur, tum quòd mores Ariſtoteles è phyſiognomia deriuet. At rogo, quid conſequentiæ putatis, vt ſi temperaturam cuiuſpiam noſtis, mores quoque illius quínam ſint & quales pernoſcatis? quinto enim huius operis libro eis Pici patrui argumentis quorum vi repelluntur: quicunq; mores hominum de cœlo deducunt, noſtra quæpiam adnexuimus, vt quæ ille, ſcilicet, protulerat roborarentur, eorumq; pariter retudimus peruicaciam, qui de temperatura corporis hominum traherent mores & inſtituta, docentes non poſſe quenquā de illius moribus diuinare, cuius etiam temperaturam perſpectam habuerit: diffuſiùs ibi materiam hanc pertractauimus, quam breui hoc loco ſimilitudinis cuiuſpiam argumento colligimus. Nempe non ſecus aberrat qui de corporis complexione ad amores ratiocinaretur, quàm qui à corpore ad animal, ab animali ad hominē rectè ſe argumentari putaret, piaculum hoc in arte dialectica ponitur maximum, ſi in affirmationibus à ſuperiori (vt aiunt) ad inferius affirmando deſcendunt, verbi cauſa, hoc eſt corpus, ergo hoc eſt animal, hoc eſt animal, igitur homo. Cōmunius quidem & magis ambiens, corpus quàm animal, animal quàm homo. Ex quibus, ſcilicet, generibus particularis aliqua & determinata ſpecies ratiocinādo affirmari nō poteſt aut colligi: ita ex temperatura, verbi gratia: Sanguinea cuius in radice mores ſunt hilares atq; iocundi, qui prorſus indifferentes ſunt ad piā prophanamq; iucunditatem promendā, neque-

nequeunt, aut vitia, aut virtutes pronunciari. Sic & Aristoteles & Trogus, & posteriores nonnulli intelligendi essent si rectè eos putamus sensisse, vt cùm mores videlicet prænosci posse docent, non mores ipsos propriè, non vitia, nō virtutes intelligamus, sed ipsam habitus corporis & temperaturæ speciem, ex qua mores in alterutram partem, vel scilicet, virtute redimiti, vel ab ea penitùs abhorrentes prodire queant. Nam præter liberum hominis arbitrium, quod virtutum vitiorumq; omniū dux & Imperator haberi debet, vniuersę etiam num temperaturæ corporeę natura ea est, vt nec vitia per se, nec virtutes promat: quandoquidem tàm ea quę sanguinea dicitur, quàm aliæ quib. de vtraq; bili & phlegmate cognomen est, æquè se habent ad virtutes & vitia: nā & ira benè maleq; vti homines possunt, videte quantum abest, vt impiè possitis de virtutibus, & vitijs, & religione quoq; decernere, neq; enim isthęc vanitas, de corpore, de externis ariolari contenta, mores honestos, & improbos, & religionem quoque aggressa est. Scriptum enim ab aliquib. legi homines qui Solares dicuntur, tali & tali facie insigniri honestariq;: verùm idololatras esse & Hypocritas: Sed ô miram vanæ superstitionis inconstantiam: Legi pariter apud eosdem Solares homines religiosos esse, & optimorum morum, multa eiusmodi vel vanissima, vel alternè controuersa atq; pugnantia, vel impia inuenire non est difficile, recensere autem superfluū, sat erit eruisse fundamenta & bases contriuisse, quas vt solidius permanerēt naturalib. veluti furcillis adminiculati sunt: & de corporis complexione multa funditârunt incassum: vobis enim egregij coniectores, non concedam vt temperaturam ipsam, de colore, de figura quàm totius cognoscatis, de citrino (verbi causa) colore, bilem, de albo, phlegma, sanguinémve pronunciatis, falli plurimùm in colore posse quempiā prognosticis vtentē. Præcellens medicus Auicenna docuit, scribens partē humoris quandoq; cutē ipsam & extrema petiuisse: partem aūt quæ sit alterius generis subsedisse intus: quare non difficulter errorem committi, si à cutis colore complexio iudicetur. Idē & Aristotelem sensisse, & hac particulariter in causa putemus cùm decreuit fatuū esse, & turpe physiognomo vni signorum credere, & iterū plurimo vsu pollere illum oportere, qui de singulis dissereret. Sed enim multa illo in libro sunt Aristoteli inscripto, à vero abhorrentia, vt quod in vno quoq; genere fœmina subtiliora maribus crura possideat, quòd bestiæ masculæ, fortiores fœminis auctoritate pastorum & venatorū decernit. Nos aucupum experientia & nostra quoq; affirmamus vncunguia mascula plæraque minora & imbecilliora fœminis esse, & crura illis subtiliora esse. At qui signa huiuscemodi ab animalib. ducta non satis mihi faciunt; ac vt ipsius physiognomiæ exemplis vtamur, molles pilos timidum, duros aūt fortem subindicare volunt hinc ceruum, ouem, leporem, timidissima animalia videri: Leonem autem & aprum fortissima: pilosi ventrem loquaces denotari, sumptum id ex auibus esse: ac si qua generis eiusdem habentur dogmata non placent, minora enim apparent quàm vt Aristotelica censeantur: nam ex corpore bestiarum ad homines similitudo non probè, vt arbitror, deriuatur: Siquidem ipsæ differunt & communes, & proprias habent affectiones: quæ autē communes sunt, omni animantiū generi non magis ab hac specie, quàm ab illa transferri ad hominem videntur, sed si vni propter excellentiam, quidpiam eorum communicari dicant, indeq; trahi oportere similitudinem: Instabo vtiq; vtramque earum specierum diuersam proprietatem sortiri contendens: exempli gratia: quæ vrsis fortitudo inest, non eadem est quæ leonibus, & alia vrsinæ, alia leoninæ fortitudini peculiaria. At non ab his omnibus fortitudo hominis euariat? vt non possis ex leonis vrsique signis fortitudinem portendentibus, de ea quam homines decet fortitudine satis firmiter coniectari. Verè autem proprias & peculiares affectiones cuiusque speciei non ducimus in controuersiam, quoniam in alias demigrare nequeunt, tantò magis, quantò magis siue à quibus fluunt essentiæ seu formæ terminos non egrediūtur. Iam cur canis molles habet pilos, nec tamen timidus in genere animātium? quin & fortis iudicatur: cur equus pariter forte animal vestitur pilis tātò mollioribus, quātò generosior est & fortior? quemadmodum Hispanus, Afer, Aegyptius, sed & Thrax & Geta licet ad Septentrionem genitus molli tenuique pilo nuditatem operit. Porrò loquacitas in homine cur ex auitio genere ducatur, cùm multę sint aues penè mutæ, quales quæ curuo rostro & aduncis vnguibus, illis enim vox rarenter emittitur, nisi lacessitis iniuria: canes verò pilis etiam ventrem tecti semper ferè baubantur: Ad-

hæc & illius quoque physiognomiæ præceptum est: si parum adsit inter ipsas res dissidium, difficilem cognitionem reddi, sed quota queq; res est alteri collata, quę mille (vt sic dixerim) differentijs non dissideat: Quare extra omnem controuersiam colligere possumus vanitatem hanc, ea etiam quæ ex parte fulta naturæ columnis videtur, ruinosam & nutabundam esse.

CAP. III.

ADVERSVS GEOMANTIAM.



Erùm superstitiosiùs insaniunt diuinaculi in futuris ex Geomantica fatuitate pronunciandis: Nam quanquàm manus lineis abutuntur Chiromantes: quanquàm transcribi optent sibi munia quæpiam altiora se ipsis physiognomiæ curiosi, nihilominus naturalia sunt illa, naturalis montium tumor, nec à natura dissentiens linearum color: quid autem naturale, quid non extra præscriptum rationis, quid non superstitiosissimum in Geomantia? perforant enim identidem vel terram, vel Abacum, vel quid simile solidum punctorumq; capax: nulla vel numeri, vel temporis interpungendum habita ratione, sed ductum impetumque phantasiæ sequentes, quam regi cœlitùs autumant, quę vbi quieuerit, puncta colligẽtes, figuras ex eis trahunt sexdecim, domibusq; inde more Astrologorum extructis, nullo scilicet fundamento nomenclaturas imponunt, maioris, minorisq; fortunæ, amissionis, acquisitionis, albi, rubri, pueri, puellę, lętitiæ, tristitię, vię, coniunctionis, populi, carceris, capitis, & caudę: illudq; potissimùm contendunt, vt cœlestibus gubernentur & iusta proportione cœlo, Planetisq; respondeant, eorumq; vim omnem in quæstionibus interrogationibusque constituunt. Sed enim quanquàm nulla sit ars Astrologiæ, videri tamen potuit quibusdam malesanis oculis, ex cœlestium corporum sublimitate, magnitudine, luce pendere posse, multa ex quibus futura elicerentur: qui aũt homines, ne dicam noctuæ, aut talpę, ex punctis à se temerè, nec vllo consilio iactatis trahere diuinationem potuêre. Astrologi non vsquequaq; stultè putârũt, causas inferiorum rerum cœlestia & esse, & haberi debere: causę enim sunt plurimorum, sed non eo quo ipsi contendunt, modo: potuerunt & autumare signa esse, siue per se, siue cum causis: nullo autem pacto nisi qui omnino dignus sit in Antycira sanari, aut qui à dęmone fuerit excęcatus, potuit accedere vt crederet puncta ipsa à se ipso infixa tabulę vel harenulis intersperſa causas esse futurorum, aut signa. Suprà enim de cœlo probatum, si causa inferiorum non est, nec signum etiam esse potuisse. Sed illud mittamus, ad pręsens hoc perpẽdamus, fieri'ne possit, vt effectus credatur superioris alterius causæ, quàm manus temerè & inconsultò interpungentis, manus autem motus referri quidem potest in cœli motum, tanquàm in superiorem causam, à qua, scilicet, pẽdet inferior. Sed quid inde colliges diuinationis fautor, indifferens enim cœli motus est omnibus rerum inferiorum, motib. etiam inter se cõtrarijs: Eodem enim & terra descendit & ascendit ignis, causam verò aut esse, aut haberi enim posse eorũ quę expectantur aut formidãtur euentuum puncta, illa nemo vnquàm protulit quod sciam, adeò ab omni etiã malè sano iudicio isthęc abhorret insania, & qui minus eam dignati sunt, quàm vt suo ense moreretur, inter vanas sortes reposuêre. Quid igitur dicendũ? vt quę in cœlis causa futurorũ sit, sit etiã punctorum, & figurarum, quę ex illis conflantur & conficiũtur: Ideoq; hoc pacto ea futura iudicare, sicuti & Iris indicat serenitatem, cùm & Iris & serenitas ab eadem causa proueniãt. At qui superiore libro probatum futura in cœlũ vt volunt diuinaculi referenda non esse, quòd si illis etiam condonetur, quo pacto inde colligere poterunt? vt persuadeant in cœlum tùm Geomanticas figuras, tùm effectus simul, qui de illis protenduntur, referri debere, puncta quippe illa motu manꝰ infixa ad cœli duntaxat motũ pertinere mõstrauimus. In motũ verò non referũtur futura, quę inde pendere contendũt Astrologi, sed in cõfigurationes, & aspectus syderũ, in varios eorũ positꝰ, in varias naturas & proprietates, quas & cœlo, & Planetis ipsis imponunt: quòd vt Geomantes quoquo modo somnient figuras illas in Abaco de punctis temerè infixis compactas & coalitas ad similitudinẽ signorum zodiaci instituunt: sed quod rogo effecit mysterium, vt sexdecim potius quàm duodecim deligerentur? Hic sanè numerus cõuenit magis obliqui circuli partibus signísve quæ annua peregrinatione Sol permeat, dicunt quatuor esse matres, oportet

oportet totidem filias, ex quibus & nepotes pendeant, & testes qui postmodum iudicem constituant: igitur ad figuras & causas, vt dicitis, numerum conformatis, nō ad zodiacum? rursus interrogo: respondete quæso, quæ nam ruditas obtinuit, vt ex pari & impari quæ prima differentium figurarum domorúmve radix habetur, modò hæc, modò illa dissultet, vnoq; addito puncto figuræ, & thematis etiam totius vis vniuersa varietur: aliusq; & alius expectetur euentu: nec dici nisi iniuria potest, sequi hoc & pendere de natura, & proprietate figuræ, quæ scilicet, tali signo cœlesti vel tali Planetę subdatur. Nam vt mittam, quòd Aristoteles planè reijcit vllam in figuris inesse posse vim potestatemque naturalem, vt præteream quæ in diuersis cœli partibus, in diuersis Planetis eæ non sunt quas fabulantur Astrologi, vires & potestates diuersæ, quæ figuris (si earum etiam capaces essent) communicari queant. Illud certè omni ruditate imperitius vt rubra figura, exempli gratia, & quę dicitur puer, Martis potiùs quàm Veneris habeantur, eiusque naturam imitentur: nam si ob colorem id fecisse dicerent, vt rubram figuram Marti deputârint, qui videtur ardere & flammas emittere, non omnino nihil putassent, si rubricies vlla punctis inesse posset, vt inde similitudo penderet. Vnde & alia se prodit insania, vt hic punctorum situs rubri iudicetur coloris non ille: cùm neuter aut rubro, aut vllo colorū subiaceat, puer verò cur Marti iure dicetur cadere in mentem non emotam nequit: vir ei potiùs bellator cùm fabulas imitentur, non imbellis puer tribuendus erat. Pari quoque ratione, id est, nulla prorsus capiti & caudæ cùm horum neutrum subijciant Planetis, res & accidentia subdunt, quæ Virginis & Sagittarij naturam sapiunt: ad hæc tàm futilem habet rationem quam omnino nullam, vt ignem & quæ ignea sunt, cauda ruber amissio minor fortuna gubernent: nā si ex ignis colore rubræ fortasse figuræ meminerunt, si ex ignis effectu amissionem & caudam quam minuere etiam facultates credunt, illi præposuêre: cur tres alias nō coloratas inuexerunt figuras? cur penitùs obliti sunt humanis negotijs ignem prodesse & vsui maximo esse mortalibus? quanquam pręter voluntatē & ex accidēti quandoq; noceat, cùm incenduntur segetes, cùm flagrant vrbes, cùm preciosa crematur supellex. At si plura sunt commoda ex igne quàm incommoda, frustrà & caudæ & amissioni simul ignea subiecêre. Minor verò fortuna, quanquàm minoris existimant, præstetque illi fortuna maior, fortuna est, tamen pari delirio, aërem, puero, coniunctioni, acquisitioni, lætitiæ subdidêre: populo autem & viæ, puellæ, albo, aquam & quæ aquea sunt supposita voluerunt: terram verò atque terrestria, capiti, maiori fortunæ, tristitię, & carceri: nam nec terræ, nec aëris, nec aquæ, proprietates qualitatésve vllæ inesse figuris vllis. Antè paululùm Aristotelis auctoritate monstrauimus, quòd si in aliquibus inueniretur vis vlla, in istis nullo modo reperiri posset, quę totæ arbitrarię, quin temerariæ potius ad inanem manus casum constituunt. Singula persequerer, ni & temerarij mihi nomen metuerem in vanis hisce temerarijsq; scrupulosiùs refutandis: Quandoquidem ex istis quæ ad basim demoliendam ictibus vsi sumus, vt cuspis quoque vanitatis huius simul corruat necesse est: Ad hæc imperiti huiuscemodi circulatores vt nullus desit fallaciæ locus, fortunari & infortunari figuras putant, vt quæ bona ex sui natura putatur, eadem ex loco quem, scilicet, in themate sortita fuerit, infelix euadat, contra quam malam opinabantur suo ex positu felicitate posse donari, & id quoque nulla prorsus ratione asseuerârunt, Lunam obseruandam esse, cauendumq; ne cū Geminos, Capricornum, Scorpionemq;, subambulat figura proijciatur: hoc autem ratione vtique nō carere, si & illud pariter addidissent, dum per cœlum mouetur Luna, dum zodiaci signa percēset, ab omni percunctatione, ab omni vana superstitione penitùs desciscendum esse. Almadal Arabs aliam Geomantiæ speciem inuexit, nō ex pūctis, sed ex tonitruis, ex subitarijs terræ tumoribus, ex chasmate, scissurisq; cùm sua sponte terra dehiscit, vana illa quidem, sed superstitiosa minus, vtpote ex quapiam similitudine ducta, quæ prorsus caret punctalis temeritas: verùm & ipsa reijciēda: quid enim aut diuinæ aut naturalis causę pręse ferre potest, vt terręmotus si noctu venerit, vastitatem depopulationemq; prouincię: si per diē segetū frumentorumq; abundantiam portēdat: inani certè superstitione dogma fulcitur: sicut & incendium indicari si scissura contingat, & alia plæraq; eiusmodi vt illud dicere possimus: Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura. Nam quibusdam naturalibus præsagijs inania quædam & superstitiosa permiscuit.

CAP. IIII.

ADVERSVS AVGVRIA ET AVSPICIA.



SEquens est vt Augurium & auspicium explodamus, suprà enim aruſpiciũ cum suo auctore damnauimus: idque superstitionibus eis quæ de aperto pendent pacto, consociauimus, vel hac ratione, quòd in dirum illud Tagis portentum tanquam in auctorem refertur: qui in agro Tarquiniensi repentè de terra tanquàm fungus exortus aruſpicinam Hetruscos docuerit. Quis enim non hoc irrideat potiùs quàm confutet? quis etiam mentis emotæ eò feratur, vt credat à victimis in ara aspiciendis, vnde aruspicina, eorumq; considerandis extis, vnde & eadem extiſpicina dicta posse quempiam de futuris vaticinari? Lanij hoc officium magis quàm vatis, medici potiùs quàm arioli munꝰ, qui euolutis prius quæ inuoluebant intestinis, ijsq; diligenter inspectis, si benè, si malè affecta, si sana, si marcida, ferre iudiciũ possent, vt ni occisa esset, suapte spõte victura diu fuisset bestia, an quàm ocyùs peritura: Ad pastorem id etiam libentiùs à sanæ mentis hominibus, quàm ad vatem pertinere diceretur, qui si exta sanie & tumoribus, qui præter naturã sunt referta conspiceret, arbitrari non iniuria posset eodem morbo & pecora alia quæ ijsdem vescuntur herbis afflictanda, qua de re tertio libro experimenta protulimus. Verùm & hæc quoq; superstitio à multis palàm irrisa qui prudentes inter Ethnicos crediti sunt, vnde illud Catonis: mirari se quòd non rideret Aruspex, Aruspicem cùm vidisset. Eosdem ab Aristotele quoq; in Rhetoricis taxatos inuenimus, vtpote qui (vt eius vtamur verbis) quando, non determinant: in eosdem pariter poëtæ palàm quandoque inuecti sunt, interdum obliquè, cuius rei suprà in medium, Vergilij, Silij, Lucani, testimoniũ duximus: nec puto Callimachum ab hac sententia abhorruisse, cùm in Elegia illa sua in lauacra Palladis scribit eam Tyresiæ, quia se nudam vidisset oculis capto, inter alia munera contulisse:

Γνώσεται δ' ὄρνιθας ὅς αἴσιος οἵ τε πέτονται ἤλιθα καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες. quæ à nobis carmina in Latinũ minimè vertuntur, quoniam Politianus ita illa transtulerat:

Cognoscet volucrum quæ prospera quæq; volatu:

Irrita, cuius item triste sit Augurium: quasi vanitatẽ ipsam, vel ex hoc irridens, vt auium, scilicet volatus ei perspecti fierẽt, qui esset iam lumine orbatus. Quid? Quòd & aliter Hetrusci, aliter Aegyptij, Pœni aliter interpretabantur, nec conueniebant quæ in extis pars amici, & interdum primis extis minabantur, benè promittebant secundis, adde quòd & casu, & delectu hostiæ variari possent intestina: sed & terrore, & astu sacerdotum: vt dæmonis fallacias prætermittam. Quid? Quòd Cæsar (vt ille inquit) contra Aruspices tenuit Aphricam, & innumerabilia possent Aruspicum prædicta recenseri, quæ euentus, aut nullos, aut contrarios habuêre. Et quanquàm pendeat Aruspicium expresso ex pacto dæmonis cuius suprà meminimus, nihilominus non ab re fuit & hæc paucula hoc loco disseruisse, quandoquidem varia hæc superstitio nomina obtinuit: Aruspicio enim fulmen & ostentum, de quibus sequenti capite agetur, conuenire creditum est, extis enim fulguribus, & ostentis, in secundo de Diuinatione libro totam Aruspicinam absolui putauit Cicero. Sed enim Augustinus noster in libro de Natura dæmonum: tum alij Aruspices non modò dixerunt eos qui extis in aris aspiciendis vacabant, sed qui dies etiam & horas in agendis negotij operibusque custodiunt: quòd cum alijs plurimis diuinationum superstitionumq; nominibus repositum est in decretis pontificijs in vigesimæ sextæ causæ quæstionibus. Cæterùm affinitate quadam Auspicio Aruspicium coniungitur adeò vt eadem esse nonnulli putare potuissent, Grammaticorum quorundam sententia moti, qui ex hara aut cui vaticinantes intendebant & specio, compositum haruspicium voluerunt. Ab haruga alij, id est, hostia, ita ab hara in qua seruaretur concluderetur q; denominata: sed à victimis in ara aspiciẽdis deductum sine aspiratione aruspiciũ ipsum cùm Grammatici, tùm Theologi plæriq; voluerunt: augurandi verò superstitiones cũ ipsis auspicijs diuersa quidem ab haruspicina sunt.

Augurium, quippe quod à Phrygibus manasse putatum est, licet alij à Chaldæis ad Græcos, à Græcis ad Hetruscos, ab Hetruscis, ad Latinos ductum velint: id ipsum pro responsis deorum suorum quandoq; sumpserunt Gentes: vnde illud in 3. Aeneid. *Augurijs agimur diuûm.* Aliquando etiam ꝓ communi rerũ omnium coniectatione, diuinatione

natione sumptum videtur, & ab auctoribus Latinæ linguæ persæpè ita vsurpatur, propriè tamẽ circa aues diuersatur ab eisq; & gerendo quasi auigeriũ, siue ab earum garritu nomen tulit. Auspicium item, ab inspiciendis auib. dictum est, quibus de rebus fit, vt promiscuè quandoq; acceptum, aliudq; pro alio positum appareat: quanquàm auspicium propriè dici videatur, id quod pro rerum exordijs capiebatur, ex gestu volatuq; auium: Vnde factum vt rerum initia & ductus auspicia vocarentur, ea quoq; stultitia inter auspicia ponebatur à Gentibus, quæ de gustatu auium promebatur, cùm pulsi, scilicet, gallinacei trahebantur ex cauea, porrigebaturque illis esca, inde terripauium & tripudium solistimum, tumq; pernicies portendebatur, si escam minimè capere voluissent: Inter auspicia quoq; hinnitus equorum & fremitus in libro de Moribus & situ Germaniæ reposuit Tacitus, idq; proprium Gentis præsagium esse memoriæ prodidit. Duæ aliæ diuinationis species quę de auib. pependêre, vna ex volatu: ex garritu altera, videtur ad augurium pertinere: Nam quæ de garritu fluxit ipso nomine se manifestat. De cœtu quoq; volatu cantuq; Cygnorum, in quẽ Aquila grassata fuerat Tyrię virginis mentita imaginem, Venus apud Maronem canit:

Ni frustrà augurium vani docuêre parentes.

Hæ omnes fatuitates & impia deliramenta vnico nomine augurij Sacræ literæ detestantur. *Gentes*, inquit, Moses ad populum verba faciens, *augures & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter es institutus*: & alibi. *Non augurabimini*: & iterum, *Non inueniatur in te qui obseruet auguria.* Malignus autem dæmon cùm aliqua ex auibus capi conspiceret, ex quibus coniecturam de futuris texere homines possent, natura duce, quemadmodum tertio libro docuimus, cùm de naturali Prænotione verba faceremus, immiscuit se fallacijs innumeris, vt ex vera coniectura naturę in noxiam superstitionis fraudem, curiosum hominum genus præcipitaret: cùm aliquid imminere aduersi vel regionibus, vel vrbibus, vel principibus deprehẽderet. Nam hoc ille prænosse ante homines potest, vt suprà monstratum, impingere aues, vel in consuetis volatibus, vel tetris garritibus, vel stridulis crocitationibus consueuit, vt obseruatis his quæ auib. insolita contigerant, collatisq; postea, vel ad exorta bella, vel secutas cædes, colligi posset ars, vel hac obseruatione, vt quotiescunque id auibus eueniret, consequio vel bellum, vel pernicies expectaretur, tanquàm hoc ex illo portenderetur, & veluti effectus ex sua causa penderet. Decepit olim Gentes hac noxia vanitate, & vtinam solas Gentes, nec etiam salutari ablutis vnda nocuisset, nec in eos grassaretur indies, & cornices, bubones, lepores, mustelas, offerret quotidie, ex quibus quasi infelicibus augurijs portendi sibi malesani homines malum putãt: nec illa Almadalis Arabis sententia prætendi pro excusatione potest, qua freti superstitiosorum nonnulli autumarent ad naturalia præsagia pertinere huiuscemodi auguria. Asserit enim bubones & nycticoraces, cùm ad insolitas regiones mansionesque diuertunt indicio esse homines earundem regionum & ædium morituros, propterea quòd cadaueribus aues illæ delectantur, moriturus autem homo iam potestate, inquit, cadauer est: O` bellam rationem: nónne & hi qui post decem annos morituri sunt, potestate, & sunt, & existimantur, cadauera? Dices remotam illam esse potestatem, hanc proximam, quam scilicet præsentiunt: esto, cadauer autem non est qui viuit adhuc: Iam hominis forma remanet manente, scilicet, anima, quæ cadaueri prorsus repugnat, vt quæ simul esse nullo modo possint. Sed finge, vt hoc aues illæ præsagiant impulsu naturę: alia nõnulla quę Almadal affert dogmata, seu mauis deliria & vanitates augurãdi: quo pacto defendes, ad pręsensionem naturæ pertinere, vt eiusdem speciei aues inter se confligentes prouincię mutationem significent: quę verò specie differunt, & amplius non visæ regionis illius nouam fortunam portendant: miscet itaq; nonnulla falsa veris quibusdam, quorum nos communem rationem & causam tertio libro protulimus. Sed hallucinantur facilè qui nimio plus hoc studio tenentur.

Memini dum magno cuidã principi & affini adequitarem, quo perquàm familiariter vtebar & venatum pergeremus, cornicem qua transibat palo quopiam insedisse, propinquo adeò principi illi, vt eius penè crure pertingeretur: ea horrẽdas voces diu edidit, videbaturq; & rostro, & colli flexu, & crebris garritibus, minari. At ille conuersus, vide, inquit, frater, decessit è vita: nuncium enim acceperat eundem ægrum esse & magnoperè ambigi ne moreretur, quòd equidem paucas post horas euenit:

cùm domum reuerso illi fratris mors per epistolas significata est, quàm nec sinistra caua prædixit ab ilice cornix, dextra enim erat, & nihilominus noua non veteri superstitione significari aduersa percepit, quanquam etiam apud veteres, alij dextram, sinistram alij, alij aliter varijs in auibus pro euentu malo obseruauerũt. Sed quàm sint huius vanitatis vanissimæ sententiæ proditæ, hinc licet intueri, quòd alij nec ad læuã, nec ad sinistram cantante cornice bonum captabant augurium, verùm quocunq; loco, quocunq; recessu solam eam auem inuenissent, inauspicatum putabant, vt prodit Aelianus 5. de Animalib. libro: callidus itaq; dæmon malè sanam principis illius mentẽ, simulq; vitam fratris morte abrumpendã prænoscens, cornicem impulit, quę infausta putatur superstitiosis, vt fratris quasi obitum suo illo garritu, principi malè sano præcineret: ita exigente diuina iustitia, vt qui auium magis voci, quàm Dei oraculis concredunt, sese ludificationib. dæmonum exponant & decipiantur, & abeãt in præceps. At qui signa hęc & gestus volatusq; auium causas earũ rerum esse nõ posse, quas præsentire augures auspicesq; contẽdunt, manifestũ opinor: sed nec effect⁹ dicturos eos puto, quòd si non causas, sed earum causarum effectus esse dicant: à quib. & futuri etiam euentus deriuantur, nil magis ipsi colligerent, vt suam hinc superstitionem fulcire possent: Nam & si quoquo modo afficerentur, impellerenturq; ab eisdẽ causis, quę etiam num futura proferrent, affici tamen inde alio nequirẽt modo, quàm qui suę naturæ conueniat: cuius est proprium ad vnum phantasia impellente duci, liberoq; in alterutram partem iudicio carere: eò enim naturæ impelluntur instinctu, vnde sibi vitæ commoda & necessaria procurent: has autem causas, quę & futura pariant, & illa etiã afficiant, quas rogo alias quàm naturales assignabunt, cœlum, scilicet, & ambientem aëra: Vnde & frigus, & calor, & venti, & tempestates, & serenitas proueniunt. Mitto diuinam causam, quæ omnibus imperat: qua factum vt coruus Heliam pauerit, vt cæte Ionam vomuerit. Quapropter cùm à cœlo, ambiente aëre, istiusmodi animalia afficiuntur, signa esse possunt earum rerum quę ab aëre & cœlo dependent, imbrium, scilicet, ventorum, frigoris, calorisq; futuri, à quibus cùm affectæ fuerint, garritus edunt, tutaq; ob id loca præteruolantes petunt, nobisq; ea (quasi dixerim) aduentantia incõmoda prænunciant: Sed & commoda etiam cum impendente Vere, accedunt ad nos nidificandi gratia. Tempus quippe vernum prænunciant nobis suo aduentu hirundines, Lusciniæ, Ciconiæ, Turtures, & si quæ huiusmodi, cùm eorum tamen peregrinatio natura duce fiat, quę terminatur ad vnum, statumq; ob id tempus obseruant, vnde & illud apud Hieremiam de Turture, Hirundine, & Ciconia quæ aduentus sui tempus custodiunt.

Cæterùm hoc non solùm auibus, sed & quadrupedibus & piscibus commune est, vt quæ pręsentiũt eorum nos quodammodo pręmoneant, vt tertio libro docuimus: quòd quidem auitio dũtaxat generi, augures auspicesq; tribuere & in duas id species distribuerunt, vt aliæ essent aues quę cantu, alię quę volatu futura quasi omnia prædicerent, de aduersis, de prosperis, de pace, bello, victorijs, vastitatibus: Illas oscines, has præpetes vocauerunt. Vesaniam addiderunt auspices tertiam in pullorum eam escis collocantes, vt antè meminimus. Vnde igitur potuêre etiam philosophi homines insanire vt volatibus & garritibus auium commouerentur? Vnde & Stoicus Epictetus quãquam alioqui grauis auctor suspicari potuit, vt si coruus aduersum crocitaret, vel corpori, vel gloriolę, vel natis, vel vxori significaret, à natura enim eis quib. vsi sumus rationibus, fieri nequit, vti ad hęc externa protendatur. Si verò vi eas aues diuina impelli autumaret, quomodo effugeret quin illis quoq; portenderẽt quæ in nobis sunt. Ab eo tamen libera appellata, nec eiusmodi nugamẽtis obnoxia: quanquam hæ quidem fatuitates irrisione potiùs egent quàm longa cõfutatione. At fortè illud Iosephi à quopiam aduersum nos afferetur, quòd in sacra Geneseos historia describitur: dum & in cypho eum augurari solitum ipsius dispensator narrauit fratribus, & eiusmodi posteà pręcellentem scientiam sibi ipsi Iosephus adscripsit: sed nil magis hinc superstitiosè trahes? ioco enim dicta illa sunt, quòd & voluit Augustinus & eò fortè relata, quò iudicium tendebat vulgi, similia quoque fratribus Iosephi ioco dicta non seriò legi facilè possunt: Quid? Quòd & à Gentibus etiam augurandi auspicandiq; explosa dementia est, in quo nihil diuini, quia vel coactum & expressum, vel naturale est, alia quippe Romanis sinistra auguria, alia nationibus alijs contrariam quoque augurij

discipli-

disciplinam, Deiotari Trachaniorum tetrarchæ Romanis auguribus scribit Cicero, Romanosq; ipsos paucis admodum auibus, omnibus verò alias nationes vsas, Grais & Barbaris dextra meliora, Romanis sinistra putata esse: quælibet tamen natio experimentis euentuum sua confirmata auguria contendebat: quę cùm aduersa essent penitùs & pugnantia quę potest experimentis inesse veritas? Dextra enim si obseruatum est, malos euentus parere, si alia ex parte obseruârunt, alij bonos inde effectus euenire, contraq; si alius ex sinistra bonum, malum alius diuturnis experimentis collegit: Quæ fides dextris haberi potest? Quæ sinistris? Hinc enim fieri manifestum est, vesanã huiusmodi superstitionem, aut causam, aut signum futurorum esse non posse, quæ inde pendere iactant insani: Adde vt quemadmodum à Plinio scriptum, est in augurum disciplina constabat, neque diras aues, neq; vlla auspicia pertinere ad eos, qui quanque ingredientes obseruare se ea negauerint. Hinc planè cognoscamus etiam si aliquid pensi haberent auguriorum deliria, ipsorum tamen augurum auctoritate firmatum in nostra esse facultate, vt ipsa viribus effœta penitùs reddantur, cùm illis ex inobseruatione scilicet fidem abrogamus nostram.

CAP. V.

ADVERSVS OMINA GENTIVM.



Eliquæ superstitionum species, quæ occultè de fœderibus dæmonũ prodierunt, recensendæ confutandæq; supersunt: omina, sortes, ostenta, monstra, fulgura, & si quæ aliæ, ac demùm somnia dęmonica tumque sexto huic libro ponetur finis. Pythagoræi hominum voces obseruabant, quo vocabant omina, nec mirum, quando & se deorum etiam, vt dicebant, voces obseruare profitebantur, ea valere Romani censuerunt, propterea rebus agendis ominibus, quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset præfabantur. Rebus quoque diuinis quæ publicæ fierent, vt fauerent linguis, imperabatur: cùm Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur, in tantumque superstitio creuit, vt non ex improuiso solùm, vox oblata sumeretur pro omine, sed expectaretur etiam petereturque, ita vt capiendi ominis causa in Sacellum exirent, & vocem expectarent. Omen etiam ex rebus quandoque sumebatur, vnde illud apud Ciceronem, quod Lucius Paulus consul ex catella Thraciæ filiolæ mortua omen gerendi prosperè belli, aduersus regem Persam accepit: Hæc autem nullam omnino, aut naturalem, aut diuinam rationem habent; sed planè superstitiosam & superuacuam: neque enim aut boni, aut mali euentus causa esse potest humana vox, inconsultò prolata: ni fortè ad bella, ad cædes: si vel ab insano quopiam vel scelesto, qui populis & exercitib. etiam præsit, effusa fuerit. At pro omine huiusmodi vox quo pacto sumetur? quam ideò non portendere id cuius esset causa, posset aduerti, nisi quia per eam excitarentur duntaxat animi ad bella, vel inferenda, vel referenda ad cędes & vastitates perpetrandas: ad pacem etiamnum vel ineundam, vel firmandam. Signum autem potiùs futurorum omẽ & esse & haberi debere contenderent: At quæso quod signum haberi potuit: vt gratia exempli: Lucius Paulus aduersus Persam Macedoniæ regem, bellum prosperè gesturus esset, quia filiolæ mortua esset catella quædam nomine Persa, signum, inquam, quod vel causa esset belli prosperè gerendi, vel magis illius effectus, vel fortè quod ab eadẽ causa, à qua & belli prosperitas simul produceretur: Aliud enim dici verè non potest, vt suprà sæpè à nobis allatum: sed rogo mortua catella, quæ scilicet iam perierat & non erat, quid potuit esse causæ bellandi feliciter, quomodo effectus eius prælij illo modo potuit existimari, cùm causa, præcedere effectum oporteat: Mors autem prelium diu præcesserit? Dices ab eadem causa fluxêre & secundus belli successus & catellæ mors: quæ'nam oro est illa causa, profer si potes adhuc in medium, cœlúmne? at illud mortis pariter & vitæ causa est, & vniuersalis adeo, vt non distinguat effectus, vt diffusè declaratum est: an superiorem fortasse aliã excogitaueris, & in dæmonem vel in Deum contuleris? quippe cùm inferiorem aliam quæ & mortis catellæ, & felici pugnæ communis sit inuenire causam non possis: si dæmoni acceptum id referes, resistam equidem, prælia feliciter gesta non ei tribuens, sed Deo, qui olim exercituum Deus vocari voluit, qui itidem Romanis con-
cessit

cessit imperium longè lateque propagatum, sed & catellæ mors ab eodem peruenit, sine cuius voluntate nec passer in terram cadit, vt Euāgelicis præceptis instruimur, cuiusque benigna largitas, quod & in Psalmo scriptum est: *coruorum filios pascit.* Quod si minus Christianè sapiens, earum rerum auctorem dæmonem contenderis, multa opponere possum, quibus prosternaris: Sed illud in primis dissoluas, quo pacto ita mors catellæ, signum potuit esse pugnæ felicis, vt ex mortua scilicet Persa deuincēdus Persa portenderetur? quid catella cum homine? quid rex cum bestia? quid mors cum vita, cum victoria conueniunt? At fortè non illud, inquies, te intelligere, sed in diuinā pariter prouidentiam vtrumq; te referre quibuscunq; id secundis & intermedijs causis perpetretur: si hoc sentis, non perperam sentis: nulla tamen ob id accessio facta est, quib. tua confirmentur: infirmantur autem magis, cùm diuina prouidentia non illorum solùm, sed omnium quæ fuêre, quæ sunt, quæ erunt, causa pariter est: peculiaris autem & proprij nil dicis. Nanq; hoc ipsum ad illud significandum ordinasse Deum, probari à te necessarium esset, ni secundam aliquam causam inueheres, cui hoc esset muneris delegatum: tātùm autem abest, vt hoc possis, vt etiam si Sacras literas perlegeris, vbique vanas istiusmodi superstitiones damnatas intelligas: nec mihi opponas Gedeona, nec seruum Abrahæ, quorum alter audito inimici somnio, se ad bellum accinxit, alter Abrahæ Nurum futuram intellexit: hic enim orauerat potiri atq; sibi futuram Isaci vxorē verbis indicari: quam vt quæreret, domini eius Abrahami mandata & tradita iuramenta perurgebant, eaq; verba veluti ad sui instructionem à diuina prouidentia præordinata desumpsit. Ille verò iam de ineundo prælio instructus ab angelo, qui & victoriam amplissimam spoponderat inimicis, aduersa quæ sibi videbātur somnia recitantibus ad eos aggrediendos animatus est, ad quod prius fuerat diuinitùs edoctus, vt in castra pergeret ad eorum obseruanda verba, quò securior ad inuadendos hostes descenderet: potuêre enim huiusmodi verba à Deo cui omnia subsunt, & iustissimè quidem ordinari, vt per ea instruerentur qui sibi non iniustum exhibent famulatum, quem dæmon iniquus conatur peruertere: cùm enim portenduntur vlterius verba, quàm exigat, aut naturæ, aut diuinæ prouidentiæ ordo: superstitiosa prodeunt omina, cùm aliâs, tùm nomine diuinationis & augurij nobis interdicta: quæ cum alijs etiam à natura explodūtur, cùm nec effectus (vti diximus) nec causa esse possint futurorum, nec simul ab eadem naturali causa cum futuris produci, quorum nullo pacto signa indiciáve sunt, aut iure meritoq; haberi possunt. Ad hæc illud cogitandum in huiuscemodi superstitionibus posse quemlibet paulò exercitatum in quodcunq; maluerit significatum signum ipsum conuertere, ex varia videlicet cōsideratione rerum ipsarum quæ pro signis offeruntur, ad portendenda futura: Nanq; si Astrologicæ incubueris vanitati, & ab alijs cultoribus euariare volueris, in fato decernendo, præstò erunt pugnātes auctorum contradictoriæq; sententiæ: vt si illa ad illud ducat, & ad aliud alia vergat, qua malueris, vti possis, vel ad perniciem si (si tibi id cordi fuerit) comminandam, vel si pleniora marsupia sonuerint ad promittendam felicitatem. Ita in Chiromantia variæ lineæ: in Geomantia figurarum diuersitas imperitè superstitioni suppetias ferunt. Ita in ipsis ominibus euenit, quod multis probari posset, illud sit satis, quod nunc succurrit apud Maronem in iij. Aeneidos libro. Illud, inquam, omen, quod in alterutram partem Anchises interpretatus est, cùm quatuor illos aspexit equos candore niuali, ob id enim quod in belli opere equorum vsus inquit:

— bellum ô terra hospitia portas:

Bello armantur equi, bello hæc armenta minantur: ob id item quod curru iūguntur, & concordi iugo trahunt: *Spes est pacis, ait —*: Ita in reliquis omnibus conspici datur, quæ in vtrumq; latus superstitionis vergi possunt à suis cultoribus: refelluntur autem magnopere tripartita illa ratione, qua & aduersus alia superstitiosa signa, & aduersus ipsa omnia paulò antè vsi sumus.

CAP. VI.

ADVERSVS OSTENTA, MONSTRA, SORTES, TERræmotus, Fulgura, quibus Gentes diuinabant.



Ac ipsa argumentatione, Ostentorum, Fulgurum, Sortium, aliarumq; istiusmodi superstitionum præscita commodè refelluntur: nam perquirenti nullo impendio constat, signa ea futurorum secundùm naturam haberi nō posse, cùm nec illorum effectus, nec causa, aut sint aut esse queāt, nec ab ea simul causa dependeant, à qua & futuri pariter effectus proficiscuntur, quid enim cū futuro euentu cognationis habet ostentum monstrúmve aliquod? an quod ex defectu particularis naturæ vel materiæ scilicet repugnantis vitio, vel agentis imbecillitate fortè contigit, ad efficiendum aliquod magnum adducetur à nobis? significari eo dices non effici: At illa te incommoda sequentur, quæ Astrologos supra nonnullos miserunt in præceps, asseuerantes non effici à syderibus, sed significari tantùm portendique futura: respondebis causam futurorum effectuum, monstrorum etiam & ostentorum causam haberi: refellam & ego ijsdem intermedijs quibus paulò antè destructa sunt omina, ac destrui facillimè possunt, pleraque alia mox secutura, cùm naturæ opere fieri non possit, vt Ostentis, vt Monstris magni illi seu dextri, seu sinistri euentus portendantur, & ab aliqua pendeant proxima causa, quæ & futura etiam proferat. Impostura dæmonum vt id fiat, videri potest. Sed & pleraque non monstrosa, non prodigiosa per sese, pro monstris tamen & portentis haberi possunt à quibusdā, quibus rerum natura non satis comperta est, causarum enim ignoratio noua in re admirationem parit: propter quam philosophari homines cœpisse in exordijs primæ Philosophiæ scribit Aristoteles. Adde quod in Ostentorum Prodigiorumque numerum sumpti aliqui effectus sunt, quibus nulla debetur admiratio, eorum autem debetur causæ ob raritatem, quæ tamen minimè consideratur, nec ob id miratu digna iudicatur: propterea Cicero, & quidem rectè ait: Mulæ partus mirabilis non est, sed cōceptio: nam quæ concepit parere necesse est: concepisse autem rarissimum & difficillimum, nedum necessarium: quod si portentum est, quod raro fit, certè portentum (vt ille inquit) est sapiētem esse: verùm qui raros huiuscemodi vident effectus, aliqua obseruatione (vt superiori capite declarauimus) à dæmone decepti superstitionem confirmârunt: viderunt, verbi causa, mulæ partum insolitum, viderūt eodem tempore insolitam vastitatem, actutùm ingerente se dæmone persuasi sunt, hanc ex illo deriuatam, & quadam quasi habena deductam: ita in saltu membrorum: Vnde huius stultitiæ obseruatores saliarij dicti: ita spatulæ diuinatio & huiuscemodi plurima.

Ita in fulguribus, fulminibusq; interpretandis, vnde apud Maronem in Bucolicis Melibœus introducitur, qui amissi agri calamitatem, quæ paulò pòst fulminatā quercum obuenerat, in fulmen referebat his versibus:

Sæpè malum hoc nobis (si mens non læua fuisset)
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Huius superstitionis peritiam maximè profitebantur Hetrusci, ij cœlum non vt Astrologi in duodecim, sed in sexdecim partes diuidebant, vt qua ex parte fulmen euenisset, ex eo sibi clareret. Sinistrum id si fuisset, indicare prospera putabant Romani: In comitijs autē habendis tàm dextro, quàm sinistro fulmine aduersa portendi, idipsum quoq; formidabant quacunq; ex parte tonasset fulgurassetque. Idem in terræmotibus etiam obseruauit antiquitas, cuius rei liber Græco eloquio nuper ad manus peruenit in Orpheum relatus authorem. Sed perabsurdum nimis, vt quod frequentissimè fit, pro vario terrę anhelitu, pro ventorum violenti vaporumq; conditione, ex eo rerum futurarum significationem petere, quorum nec effectus esse possunt, nec causa, præterquàm fortè mortis inferendæ illis qui fulmē exceperit, aut qui terrarū hiatu perierit. Sed nec ab eadē proxima deduci causa possunt, à qua & futuræ pendeant res, vt suprà deductū est. Sanè num illud redolet insaniā, variari euentus; si læuū intonuit, si dextrum fulgurauit: quid enim solidi potest afferre sola dextri sinistriq; cōsideratio, solus respectus, sola relatio, & si eò confugiant vt dextrum quodammodo (Aristotele auctore) in cœlo sit atq; sinistrū, nullo etiā considerante. Regiones dubio procul aliæ

aliam

aliam conuexi partem pro dextro habent, quæ alteri erit regioni sinistra: quare ab eodem fulmine illi malum huic bonum erit expectandum. Quid? quod quocunq; nos vertimus dextrum sinistrumq; identidem variamus. Quid? cùm iacitur in solitudines fulmen, cùm in mare deijcitur, cuius aut sonitus, aut coruscatio aures oculosque interpretum lateat. Prætereo Tagen artis inuentorem, quem suprà irrisimus: eum enim Hetrusci primarium auctorem faciunt aruspicinæ, sub qua & fulgura comprehendi fatetur Cicero, quis enim sanus accedere potest vt credat ex tàm mẽdaci Tagis fabella, alia quàm fabulosa quàm vana dogmata posse deriuari. Nec sanè Orpheus ille, si tamẽ Orpheus fuit, vllam affert omnino causam cur quispiam ex terræmotibus, vrbium, hominum, regionum, euenta præsagire possit, solum vano narrat arbitrio. Si terræ contigerit motus nocti, si æstate, si hyeme, si aurora, si interdiu quid portendatur, quæ certè & saniore possunt arbitrio refelli & experientiæ testimonio, vt arbitror, non secus irrideri ac suprà Tagis portenta irrisimus Aruspicinæ auctoris. Sed nec Latium multò insigniorum habuit auctorem suarum sortium, quam Aruspicinæ habuerit Hetruria. Prænestinorum monumenta narrant Numerium Suffusium somno monitum vt silicem cederet, fractoq; saxo sortes erupisse, quæ scilicet insculptæ erant in robore. Mel idem eodem tempore propè templum Fortunę ex olea fluxisse, quà propter sortes eas laudauisse Aruspices & iussisse, vt ex ea olea arca fieret quo conderentur, quæ postea fortunæ monitu manu pueri miscerentur ducerenturq;, qua quidem in re casus atq; temeritas non ratio aut consilium valet.

Sortium multa sunt genera, vt in talorum iactu, in tesseribus proijciendis, in figuris chartaceo ludo pictis, & quæcunque prior aduenerit expectandis, in eruendis longioribus paleis, in oculorum iactu super paginis. Vnde & Virgilianæ illæ sortes apud Spartianum in Surculis, vt olim apud Germanum super candida veste temerè & inconsultè iactatis: & si quid huiusmodi quę propè infinita esse possunt, tàm & si appellarentur, aliquando sortes, ea quæ per voces fiebant responsa: vnde illud Vergilij:

Italiam lyciæ iußere capessere sortes: quæ pro responso Apollinis sumuntur. Sic & apud Silium Iouis Hammonis oracula sortes appellantur:

Heu frustrà reditum sortes tibi sæpè locutas,
Mentitumq; Iouem.

Et apud Horatium:

—— dictæ per carmina sortes. Item apud Ouidium: *Sortemq; dedit:* quæ pro ipsis oraculorum vocibus & responsis desumebantur. Inuenio autem sortium nomine, non voces ipsas, sed ea quæ per voces & oracula futura indicabantur, significari: vt apud Valerium Flaccum in Argonauticis, cùm Iason hæc proferre inducitur:

O vtinam Scythicis struerem cùm funera terris:
Vox mihi mentitas tulerit, Parnasia sortes.

Apud Ciceronem quoque scriptum est: Restant & sortes hæ quæ dicuntur non illæ quæ vaticinatione funduntur, quæ oracula veriùs dicimus: & sanè in hoc conueniunt sortes omnes, vt tùm eo possint nomine appellari, cùm eius euentu considerato atq; perpenso, quod oculebatur, manifestum fiat. Ad tria nihilominus genera facilè reducuntur de triplici fine pendentia, qui enim sortibus vtitur, aut diuidendæ rei cuiuspiã causa id agit, aut sui alteriúsve consulendi gratia, aut diuinandi. Euentus autem sortis aliunde expectari non potest, quàm aut ex fortuna & casu, aut ex spiritali causa, cuius vi moueri phantasia potest sortem mittentis aut trahentis, & cætera id genus patrari, quæ ad obscura sortibus declaranda conducunt. Qui fortunę euentus moratur, vanitatis eos taxari titulo conuenit, quoniam ei confidunt quæ consilio aduersatur & rationi cuius beneficio conuenit hominem gubernari. Si verò de iudicio spiritalis pendet causæ, euenire id bifariam potest, cùm & à bono & maligno spiritu possit euentus deriuari. Si vltimum des, detestandum illud quidem sicut & alia omnia vel occulta vel expressa cum dæmonibus inita fœdera, quæ & ratione confutata & ab ecclesiastica veritate condemnata sunt. Præcipuus hic gentium error quo & Babyloniæ regem circumactum propheta Ezechiel monumentis retulit. Si verò primum malueris, vt à Deo scilicet & bonis angelis euenta rerum operiare, plurifariam etiam aberrare poteris, tantùm abest vt immittendis sortibus frequens esse debeas: Nanque & si nul-

ſi nulla id neceſſitate facias quod ad curioſam, de qua ſumus acturi, prænotionem ſpectat, ſi abſque Dei reuerentia precibusq́; porrectis, ſi ad vitæ vanitates, ſeculiq́; negocia perpetranda, ſi ad Eccleſiaſticas electiones perficiendas, id ipſum paras, à recta via flectis, quemadmodum ex Eccleſiaſticis canonibus, ex Beda, Auguſtino, Ambroſio, Thoma potes edoceri: quod ſi quando in Veteri teſtamento legimus à ſanctis hominibus ſortes obſeruatas, & in Nouo quoque Zachariam poſuiſſe incenſum, & Matthiam in Apoſtolorum numerum ſorte delectum: ſcire nos oportet, quatuor illas conditiones abfuiſſe, quibus carere ij debent, qui per ſortes diuinum expectant iudicium. Illud quoque ſciendum frequentius hoc in Veteri teſtamento factum, vt ſortibus vterentur, quàm in Nouo in quo magis elucet veritas in quo diſcuſſæ legis vmbræ ſunt: Neque enim poſt Chriſtum niſi electionem Matthiæ in Apoſtolorum actibus reperies, quæ ante Spiritus ſancti in die Pentecoſtes effuſionem facta eſt, & Zacharias ſorte electus legitur, vt incenſum poneret Chriſto nondum nato, nedum Euangelio promulgato: Septem diaconos non ſorte, ſed electione Apoſtolorum ordinatos legimus, poſt Matthiæ ſortem, de qua quidē multi loquuntur, & quæ'nam ſors illa fuerit ambigunt, & enixè quærunt, eam ego præcipuam ſententiam exiſtimo, quam Dionyſius Ariopagita ſanctiſſimus Theologus in libro de Eccleſiaſtica hierarchia perſcripſit. Videtur, inquit, mihi Scriptura ſortem appellaſſe diuini quiddam & præcipui muneris, per quod illi choro ſacratiſſimo inſinuaretur, qui eſſet diuina electione declaratus.

CAP. VII.

ADVERSVS SVPERSTITIOSA SOMNIA.


Reſtat eam quæ per ſomnum fit diuinationē explodere, vt omnes eius ſpecies quæ de occulto fœdere, quaſi de antro Stygio fluxerunt, protinùs elidantur, & ad magicas vanitates & inanes noxiasq́; obſeruantias eliminandas calamum conuertamus. Monſtrauimus ſuprà multis ex cauſis pendere poſſe ſomnia, naturali, diuina, dæmonica, multa de ea quæ ſecundùm naturam diximus, & de diuina quæpiam, & dæmonica, ab aſtris quoque pendere non poſſe prophetiam, ſecundo libro probauimus, & quarto potiſſimùm ea de re egimus, eò præcipuè quod exiſtimauimus id conducere ad ea explodenda ſomnia, quæ ſpectant ad pactum fœdus cum dæmone: nunc de ijs potiſſimùm loquendum quibus vt illudat malignus ille ſe ingerit, quanquàm fœdus publicè non pepigerit, quod quarto quoque libro quoquomodo nos facturos promiſimus. Indi, Aegyptij, Græci, Romani, alij, multa obſeruârunt in ſomnis, ex quibus ad futura coniectanda quaſi artem conficere præſumpſerunt. Sed & Iudæi quoque ipſi poſtquàm Chriſto abnegato in mille inſanias iuêre præcipites, ære minuto, vt inquit ille, ſomnia vendiderunt, vana illa nihilominus & ſuperſtitioſa admodum obſeruatio iudicari debet, quippe cùm diuina non ſit, ad ea extendit ſeſe ad quæ non pertingit natura, quo autem & quantum progredi hac in re ipſa poſſit, iam declaratum eſt: quod autē mentibus hominum non inſit tanquàm oraculum, vt antiquus Dicearchus & Cratippus voluêre, quò futura præſentiantur, vel furore, vel ſomno ſatis ex illis quæ ſuprà diximus, patere poteſt. Adde quod furor vim naturæ illatam ſonat ab exteriori & potenti cauſa, quo Apollini vates inuadenti tradiderunt. Cauſæ autem ſomniorum partim explicatæ ſunt, mox ex negocio recenſendæ, quibus qualia & vndè etiam hominibus euenire poſſint inſomnia, declarabitur: cùm ex obſeruatione ſomniorum paucula reſpondere euenta collegiſſet antiquitas, adeò curioſum hominum genus eſt, vt etiam ea de re philoſophi hallucinati ſint, vnde & ob veritatem clariùs percipiendam & Pythagoras & Platonici nonnulli putabant cultu quodam, & victu præparatos ad dormiendum proficiſci oportere, quaſi verum ex falſo prodire nequeat, quaſi caſu id non euenire potuerit, quaſi qui totum diem (vt inquit ille) iaculatur non aliquando collimet, quaſi & inſani, & ebrij, & rude vulgus quandoque in veritatem multa delirantes non incidant, quapropter reijcienda omnia, quæ aut à Deo bonisve angelis miſſa non ſunt, aut ſecundùm naturam eueniſſe commodè iudicari nequeunt. Nam tametſi amentium haſtas collimare contingat, & amicorum ſollici-

tudo, nonnihil per quietem redeat, & humores etiam, vt diximus, inferant somnia quorum interpretationi & medici & interpretes vacârunt, ex humorum illi qualitatibus, hi ex figuris similitudinibusque coniectantes, & naturæ præscriptum non egredientes. Immiscere tamen se aliquando potest dæmon, vt olim cùm etiam sub Aesculapij numine eius in templo & phano Pasiphaës deludebat insanos. Salubris monitio posita est in libro qui Ecclesiasticus inscriptus est: *multos*, inquit, *errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*: quin & præceptum Mose est, ne somnia obseruarentur: & quamuis diuina quæ ita esse cognoscuntur, excipienda sint, & ea quæ secundùm naturam sunt, non excludenda putemus, in vniuersum tamen id fortè est dictum, vt quanto in discrimine versentur somniorũ studiosi diuino testimonio percipiant. At qui, portenta, omina, monstraque somniorum de quibus interpretandis, iuxta Aegyptios, Chaldæos, Assyrios libri editi sunt, vana esse & ridicula, nemo sanæ mentis nescit qui ea perlegerit: nihil enim ibi quod in diuinam, nihil quod in naturalem referri causam possit, quo fit vt superstitiosa & sint, & haberi iure meritoque debeant. Siquidem cum eis animaduertimus somnijs nec exactos philosophos, nec probatos medicos, naturalem coniecturam cõsequi posse, sistere mentem animumq; debemus, pariterque scrutari nunquid pro diuinis haberi somnijs possint, quæ scilicet haberi pro naturalibus non potuerunt. Et sanè si Diuinum lumen, intimusq; veritatis tactus abfuerit, aut cum vanis, aut cum superstitiosis si computentur, nihil incommodi eueniet: quibus de rebus cùm de prophetico lumine ageremus, mentio facta est, & adducta in medium sanctæ Monichæ somnia, quæ vtrum Diuina essent internoscere, se non figuris, non imaginibus ipsis, sed intimo quodã sapore quem verbis explicare nõ poterat, Augustino filio referebat: eo igitur lumine Diuina à dæmonicis, à naturalibus, à vanis distinguuntur, patefiuntq; dormientis. Quis enim sacro fonte lauatus accederet vt suspicaretur, Iosephum Virginis virum, cum Christo & matre in Aegyptum fugisse persequentis Herodis inuidiam somnio monitus, ni eidem pariter lumen adfuisset, declarans mandatum illud à Deo proficisci, eundemque de traducenda cõiuge, de reditu ex Aegypto in Iudæam nõ dubitasse: alia de causa quam ob immissam illam diuinitùs collustrationem qua perciperetur, Dei illum esse angelum qui monebat in somnis non malignum dæmona, non somniantem animam, & vana fingentẽ. Idem iudicium de Magis ferendum qui Christum adoraturi in Iudæam ex Oriente profecti sunt: neq; enim per aliam viam Herodem Hierosolymamque declinantes reuersi illi in suam essent regionem, veriti & regem offendere & seipsos, ni responso illo quod in somnis acciperent simul percepissent Dei id esse consilium, affulgente, scilicet, lumine quo tenebræ mentis effugantur: Verùm superstitiosi homines eò insaniæ deuecti sunt, vt non dubitârint, obseruanda quæcunq; somnia, & cum rerum euentis conferenda, vt inde ars aliqua confici pararique posset. Sed nec paria illi sunt locuti, alij diurna vel crepusculo sumpta, nocturna alij obseruauêre: Vnde ille de somnijs Auroræ cecinit:

Tempore quo cerni somnia vera solent:

Orpheus verò in Argonautica ἠδ᾽ ὅσα θεσπίζουσιν ὀνειροπόλοισιν ἀτάρπους ψύχαι ἐφημερίων ὕπνῳ βεβολημέναι ἦτορ. Alij mediæ noctis insomnia plurimi æstimauêre, hinc illud Homericum: φίλον δὲ οἱ ἦτορ ἰάνθη: ὡς οἱ ἐναργὲς ὄνειρον ἐπέσσυτο νυκτὸς ἀμολγῷ, qui tamen & nocturnum insomnium pòsthabuisse videtur, cùm inquit: οὐκ ὄναρ ἀλλ᾽ ὕπερ ἐσθλον ὅτι τετελεσμένον ἔστε, quas ob res varium arbitror & anxium in interpretãdis insomnijs delectum prodijsse. Platonicus Synesius hoc ipso rete complicatus, ex visis accidentibusque, cùm somni, tùm vigiliæ commendatis memoriç, & sigillatim in literarum monumenta relatis, putauit artem paulatim accumulari, id vt fieret operæprecium autumauit, nisi ciuilis consuetudo nouitatem istius exercitationis horreret, multa se beneficia ex somnijs percepisse affirmauit, instructam mentem, orationem compositam, subministratas insidias aduersum feras, dum venaretur, patefactas in se Magorum insidias, cõciliatum regis amorem, & alia pleraq; ob quæ exarsit adeò in somniorum amorem, vt ciuili quam timebat consuetudine posthabita in calce libri vnumquenq; cui & datur otium, & suppetit victus, animârit ad omnia conscribenda, quæ vel vigilanti, vel dormienti contingant, autumans plurima inde cõmoda omnibus penè ordinibus quæsitum iri: Sed in eum sequenti capite disputabitur.

Sanè

Sanè ita est, ita dubio procul malignus dæmon superstitiosos homines edocuit huiusmodi artem, quam Deus abominatur, & populo suo per Sacras literas in Deuteronomij & Leuitici libris ea interdixit, Mose legem ferente, qui idipsum criminis augurio, diuinationi, maleficio, incantationi, ariolationi, lustrationi per ignem, necromantiæq; demùm associat, quæ omnia, inquit, Deum abominari, qui Gētes illas quæ terram promissionis inhabitabant, erat propterea deleturus: tantò autem magis offendit dæmon in somnis, quantò magis dissimulat virus & occultas premit insidias. Augurium enim, ariolatio, necromantia, & quæ malitiam videntur prætendere, eò minus appeti videntur, quod ex pacto fœdere cum prauis spiritibus proficisci credūtur: Somnus verò cùm naturalis quædam res & sit, & habeatur, quæ per eum diuinatio fit, illicita minus apparet eis qui vim naturæ, & quantum eius potestas propagare se possit, exploratum non habent, quiq; aliquando legerunt Deum ipsum quæ futura sunt Prophetis per somnum patefacere consueuisse: Hoc igitur quasi prætextu serpentis caput obuoluit dæmon, & humanam effigiem, hoc est, naturalem vim animaduertendam præ se tulit, & cùm id minus potuit, in angelum se lucis trāsfigurauit; persuasit olim quanquàm paucis quod & suprà retulimus, vt in templis recubarent hauriendæ diuinationis gratia, pluribus autem & magis oculatis hominibus hac sua impostura tenebras effudit: vt quæ ille iam facta, quanquàm hominibus incognita, cognouerat aut è proximis causis iam pendentia superiorúmve reuelatione perceperat, per somnum eis reuelaret, idq; crebrò, & identidem factitans superstitio creuit: quotiens enim id insomnium acciderat, quod gratia exempli, vel bellum, vel pacem, vel parentum affiniumq; mortem paucis præcedere diebus solebat, toties expectabātur, idem rerum exitus qui, scilicet, eodem somnio portendi consueuerat, nō vno autem modo omnibus imposuit callidus sathan: Nam quæ figuræ imaginésve in somnijs vni bellum indicare solitæ fuerant, pacem alteri significabant. Hinc factum puto, vt interpretationes variæ somniorum apud Gentes emerserint. Hinc apud Homerum somniorum portæ: Vnde illud Vergilianum tractum est: *Sunt geminæ somni portæ*: ex quarum altera quæ cornea esset, veris vmbris dari exitum dixit: quæ verò ex Elephanto, mittere ad cœlum falsa insomnia manes. Hinc varia in libris multarum Gentium de somniorum significatu relata, in quibus etiam tempestate nostra pleriq; insaniunt, commoneri autem deberent vt resipiscerent, vel ex ipsa discordia interpretum, singulis inter se certantibus & adhibendam sibi fidem contendentibus, ac rerum euentus quasi mellitas offas protendentibus, cùm nihil magis possit iudicari vanū & fallax ad futura noscenda, quàm id quod vtrinq; contrarijs experimentis asseritur. Veritas enim vna est, nec sibi aduersatur, quare multa ex illis quæ inuicem aduersantur placita falsa esse necesse est: quomodo autem à falsis verum internoscetur cùm mixta & cōfusa sint omnia, eorumq; singula experimentis confirmata fabulentur. Igitur superstitiosa omnia habentur insomnia, quæ aut à diuina, aut à naturali causa non pendent. Sed quia nonnulli (vt in prouerbio est) cum ratione insanire voluerunt, inter quos Synesius Platonicus qui de ipsis quoq; insomnijs librum scripsit, contra eum calamus vertendus est.

CAP. VIII.

CONTRA SYNESIVM PLATONICVM SVPERstitiosis insomnijs adstipulantem.



Ynesius itaq; cuius suprà mentionem fecimus, omnes libros somniorum irrisit, decernens nec Phemonoëm, nec Melampum audiendū esse, cùm nullo pacto insomniorum leges statui possint, nec de eis queat communis regula tradi. Rectè irrisit, sed in hoc ille nō procul ab irrisu qui propterea voluerit vnumquemq; propria obseruare somnia, vt repetitis experimentis, diuturna obseruatione artem consueret, quam antè prætulimus in interpretandis somnijs discordiā ille commentus est ex varietate phantastici spiritus, quorum alius cum sphæra congruere alia somniauit, quatenus in eius contemperatione earum aliqua præualuisset. Idem ex lapsu animarum confirmatum iri putauit, quæ circa materiam libentiùs habitant, & diuersis affectibus variè inquinantur. At sint hæ


ſomni diuerſitates, ô Syneſi, condonetur tibi hoc ad præſens; quin potiùs commodetur loceturq́;, tametſi rationibus poſſit auferri, ſint, inquam, ſomniorum diuerſitates, nunquid & inſomnij ſomniíve aut viſi eſſe poterint? nunquid varietatē interpretationum illi varietati referes acceptam? At ſi hoc eſt, num & anima illa quæ in eodem ſtellæ crateræ vt vis temperata eſt, cum alia, varia habebit ſomnia & non potiùs communia? Dicis ſtellam quampiam præualuiſſe in contemperatione phantaſtici ſpiritus, dic & illud ſi eadem proportione phantaſticus alius ſpiritus pariter contemperabitur, nónne communio ſomniorum ſequetur? Si hoc, nónne & inſomniorum? ſi id conceſſeris, artem confecturúsne es, an magis ſi qua eſſet, deſtructurus? quid? quod eadem anima, modò malè affecta & inquinata terrenis prauitate vtitur, modò liberata vitijs, pollet virtute. Quo pacto igitur fiet vt ex ſuorum ſomniorum obſeruatione qui variorum fuerit morum, artem conficiat? dices fortaſſe obſeruanda ſimul vtriuſq; temporis ſomnia, & ſeorſum obſeruationes reponendas. At illud quæſo reſponde (vt prætercam quàm difficillimum ſit vt homo ſe nouerit) quomodo ea agnoſces inſomnia quæ de praua conſuetudine prodibunt à te, quanquàm tu prauus eſſe deſieris? fit enim in vigilantibus ſæpenumerò vt malis operibus abdicatis, operum tamen eorum imagines craſſentur, & phantaſiam occupent proq́; diuturniori conſuetudine diuturniùs vexent & truculentiùs: quantò magis id ſomniantibus eueniet? præſtans item dogma illud tuum quo modum interpretandi docere vis, quemadmodum tueberis? duces, inquis, exercitus quos nondum videmus, ſæpè affore cōiectamus à præcurſoribus: nam & eiſdem præcurrentibus ſubſequi conſueuerunt eadem ratione peridola res vbiq; futuras præſignare ſolemus. O`inſigne delirium, quando cauſæ diſſimillimæ ſomniorum ſimilia poſſent afferre ſomnia, quæ tu ab vna ſemper cauſa reris dependere indeq; coniectaris: vnico exemplo contentus ero: Poteſt humiditas in ſtomacho exuberantior efficere, vt in ſomnijs tranare flumen videaris: poteſt idem euenire ex ſeruatis recens imaginibus eius fluuij quem tranſmiſeris: Idem poteſt deriuari ſermone habito colloquijsq́ue de nauigatione & curſu fluminum frequentibus: Idem à dæmone poteſt immitti, vt ex negotio quod tibi affuturum nouit, vnde iucunda ſit nauigatio tranatandumq́ue flumen, coniectet, ſuperſtitione capiendum te facilius, ſi tibi id quodammodo fuerit in ſomnis nunciatum fluuiatili per quietem imagine & nauigatione (vt inquit Varro) ſomnoria: hoc tenendum Syneſi fuerat quo vanitas ſimul teneri non poterat. Quánam te rogo ratione collegiſti? vt iſthæc ſomnia tua quibus regem tibi conciliabas & inſidias in capiendis feris didiceras ſemper eodemq́ue modo interpretari deberes, quæ, ſcilicet, eſſent artem confectura: Conciliatum tibi regem in vigilia mirarer non miror in ſomnis; quando ne ille vnquàm tecum ad veri lucernam vigilauit: perpetuo ſuperſtitionum veterno conſopitus: ſæpè in ſomnijs, ſæpiùs in ſacrificijs dæmonum, in magicis ſemper vanitatibus occupatus. Dixerit pro te quiſpiam, natura duce, ſomnijs te obſeruandis incubuiſſe, cùm tradideris idola antecedentia eſſe eiſdem rebus ſimiliaq; ſimilibus, ſi perſtiteris in dogmate vicimus. Deſume tibi vt ex imagine cuiuſdam ſomnij ſignificatum ſit ducendam eſſe vxorem, cuius rei euentus ſomnium ſcilicet tale ſecutus fuerit: Num ſimile poteſt redire ſomnium? ſi negaueris, id temerè facturus es, & tibi ipſi quoq; aduerſaturus, qui laſciuientem & quaſi pro libito fingentem phantaſiam atque fallacem eodem tuo de Inſomnijs libro poſuiſti, arbitratus fabulas quoq; copiam ſuam atq; licentiam ab inſomnijs accepiſſe, in quibus prodigioſa ſit phantaſiæ varietas: Si affirmaueris igitur, iterum duces vxorem, at non eandem: primò enim eadem vxor duci niſi ſemel poteſt, ergo aliam, & ita deinceps interrogabo: ſi ſomno ſimili euentus ſimilis reſpondebit, atq; ita vel centum, vel mille tibi ducentur vxores: Idem de filijs, idem de magiſtratibus dicendum. Atqui acriùs te vrgebo & euentum aliquem pro exemplo capiam qui nequeat niſi ſemel in vita contingere, eundemq́; ſomno præſignatum ſtatuamus, quo fiet vt nullo pacto colligas artem interpretandorum ſomniorum ex crebris ſcilicet obſeruationibus, de ijs præſertim rebus quæ vel rariſſimæ, vel ſemel eueniunt ſingulis hominibus, apud quos ſolùm obſeruanda ſomnia cenſuiſti.

Illud poſtremò diſſoluas operæprecium eſt, effectúſne an cauſa futurorum ſit inſomnium, an magis eius ſit effectus rei, quæ etiam num futura pariat, in quibus portendendis pro ſigno capi ſoleat, quod ſuprà Iridis exemplo patefactum eſt, effectum eſſe

esse non posse claret hinc, quòd nullus effectus suam præcedere causam potest: sequuntur autem somnium euenta ipso præsagita: pro causa autem accipi nequit præterquàm in his quæ in facultate hominis reponuntur. Potest enim ab ea quæ in somnijs viderit excitari quispiam ad agendum, in quæ verò acturus est, nisi in subiecta & obedientia nutuq; seruientia: sed signum futuri respondebitur esse insomnium, quatenus in communem & sibi, & futuro euentui causam refertur. Inuestigandum igitur an vspiam, & quæ'nam sit huiusmodi causa: Interior ea erit aut exterior: Internam somniorum causam, multi etiam ex antiqua gentilitate voluerunt esse, putantes homines per se ipsos excitari, externa verò & aduentitia visione pulsari dormientes Democritus censuit: vtraq; Aristoteli non displicuit, quæ à nostris etiam Theologis probata: latiùs tibi philosophos potiùs prętendere conuenit Synesi quàm nostros Theologos, qui eos scilicet non reciperes. Interior verò causa bifariam diuidi potest, scilicet quæ ab anima & quæ à corpore proficiscatur. Animæ nullo pacto referri accepta potest, à qua si somnia & euenta aliqua deducantur simul id ex accidenti fiet, neq; per se alter dependebit ab altero, tametsi ea dormiens videas, quæ vigilans mente versasti, sed nec ab illa euentus vllus potest deriuari, cuius ipsa domina non fuerit: Regum igitur gratia & fauor, & pleraq; innumera quæ alieno, non tuo subsunt arbitrio, à tua anima aut phantasia veluti à causa deduci non possunt, à qua etiam insomnia deducantur: à corpore item nullo pacto id potes eruere, quanquàm enim ex dispositione corporea motus in imaginatione possit afformari, ei ipsi conformis, quemadmodum fit cùm exuberans humiditas fluit, frigusq; abundat, quibus niues & flumina in somnis apparent & in glacie & pruina versari videris: Nihilominus Medicorum non vatum opus erit huiuscemodi insomniorum interpretatio, aut etiã eorum qui ex quadam conuenientia naturæ, quam Sympathiam dicunt, coniectantur: neq; enim aliud quàm corporeas affectiones tuas isthæc visa indicare poterunt, vtpote effectus earũ, quandoquidem ex eis ad causas noscendas progredi conceditur: vt hinc obiter irridere quoq; liceat Arthemidori coniecturas qui ab insomnio trium virilium, tria nomina quæ seruo obuenerunt, deduci non abnuit. Si verò exteriorem dixeris causam & aduentitiam, nihil magis nobiscum Synesi lucraberis: Hæc dupliciter etiam diuidetur, in corporalem scilicet & spiritalem. Si primam capias, falleris, nam si ab aëre ambiente, vel cœlo affectam phantasiam putes, non poterunt huiusmodi corporales naturalesq; causæ aliud quàm naturale quàm corporeum prætendere, quomodo ergo ex insomnijs huiuscemodi viam deprehendisti conciliandi tibi magnum regem maiori fiducia, vt dicis, quàm Græcorum aliquem, quomodo ciuitates regere per isthæc insomnia didicisti, quomodo vigiliæ dubia in insomnijs tibi declarata fuêre, quomodo eisdem stolidam (vt inquis) atq; tumentem linguæ dispositionem, quam in vigilia contraxeras ob nimium Attheæ linguæ antiquioris & durioris amorem correxisti: Hæc enim ab aëre corporeaq; vlla causa dependere non posse adeò manifestum, vt si maiore subsellio declaremus periculum sit ne verba prodigamus, quando etiam secundo libro satis probauimus prophetiam fluere nõ posse ab impressione cœlestis corporis, & quæ ibi rationes adductę sunt, conducunt etiam ad omne vaticinium improbandum, quod somniantibus dicerent de stellis immitti, quarum consideratione falli Astrologos diuinaculos non dormientes modò & ebrios, sed vigilantes & sobrios toto quinti libri decursu copiosè monstrauimus.

Restat vt à Spiritali causa tua deriues insomnia, ea item sectionẽ patitur: partimur quippe illam in Diuinam atq; dęmonicam: primam pro te quomodo afferes, quę obseruationi somniorum inimica est, illa sanè interdictum Dei populum præcellẽs Moses asseuerauit, quod si quando in somnis reuelat Deus occulta, lumen Prophetæ demittitur, quo dubia à certis, à falsis vera secernuntur. Scribit idem Moses in libro Numerorum Dei Prophetis in visione Deum appariturum: vel per somnium ad illum locuturum: & sanè obseruatione vlla imaginum in propheticis somnijs opus non est. Docet lumen diuinitùs missum quid euenturum sit, & quandoq; verbis angelico ministerio in imaginatione afformatis, quid agendum sit, erudiuntur Prophetæ, quidve futurum, percipiunt. Si dæmonica dixeris causa (quod eorum vltimum est quæ afferri possint) te ex insomnijs ad noscenda futura progredi bifariam id poterit intelligi: aut quia cum dæmone fœdus pepigisti, aut quia nullo fœdere interposito immittit ille si-

mulachra talia in somnis quotiens tale tibi, vel tale in vigilia occursurum est, cuius obseruatione colligi ars commodè queat, quod eo maximè loco, quanquàm nō plenè sensisse videris, vbi bonum vnicuiq; dæmonem adesse dixisti, qui quasi præceptor occurrit ijs qui vigilantes meditati sunt artificiosè aliquid inuenire: Sapientiq; itidem animæ mundanum se Deum adiungere definisti: Primum suprà confutauimus & inter noxias superstitiones quarto huius operis libro reposuimus, & quàm malè à dæmone misereq; sperandum sit, apertè docuimus: Secundum superiori capite refellimus abiecimusq;. Sed nec dæmonicam etiam afferre te causam posse tua ipsa propè tui libri finem verba declarant. Ais enim ratione & disputatione opus esse, vt visum quod non occurrit, occurrat: neq; leue opus esse motionem prodigiosam atque absurdam sub orientem animæ in alterum traducere modum. Secutus es fortasse Porphyrium, arbitratum non nihil somnorij præsagij prouenire animæ ab ipsa natura: & Iamblicho aduersatus qui somnia ea quæ de humanis prodeunt causis, minimi duxerit. Vel tertium tibi confinxisti modum, vt scilicet sopitus vigiliæ munere perfungaris, disputationeq; & officio rationis pro arbitrio vtaris, quò fit vt à tuo arbitrio tua pendeant somnia, & quæ alia de causa immitterentur inuertas, mutesq; pro libito, id autem fieri quomodo potest? nisi somno tenearis, & quando suboriuntur animæ prodigiosi insomniorum motus præterquàm in ipso somno: tùm autem ratio & disputatio non vigilantis sunt, sed somniculosi: Vide ergo ne profundissimè somnians tuum de insomnijs librum composueris, in quo quibusdam non malis, nec falsis, multa & falsa, & mala: Sed & superstitiosa & noxia somniasti: minus certè culpandus quàm si vigil & experrectis sensibus disseruisses. Sed ad magicas iam vanitates procul eliminandas conuertamus stylum: Augurio enim, Auspicijs, Geomantia, Chiromantia, Sortibus, Vanis somnijs, Ominibus procul abdicatis, in Magicas fallacias quod promisimus, rationum copias educamus.



DE SVPERSTITIOSA PRÆNOTIONE ADVERSVS MAGIAM.

LIBER VII.

CAP. I.

QVID NOMEN MAGIAE ET MAGI significet.


ERVATA est Magia vt septimo hoc libro confutaretur, cuius cultores & fœdus cum dæmone quandoq; pepigerunt, vt diuinent quod in euocationibus vmbrarum, inferorumq; colloquijs incontrouersum est, & eo etiam non vocato id satagunt pro noscendis occultis, ex alijs compluribus, aëre, aqua, quæ suprà cum diuinandi vanitate reprobauimus, ea Plinius Magiæ retulit accepta: Sed & opera etiam num pacto nullo fœdere init quasi naturalia, quæ quoniam aut supergressa naturam, aut ab illa seiuncta sunt, dum in supera conantur, labuntur in infima, & in superstitionem vesanam, & noxiam reuoluuntur, in gerente se dæmone, clàm occultoq;, vt dictum est, pacto, vt quod expresè non potest, supresè moliatur. Confutatis igitur libro quarto eis superstitionibus quę de manifesto pacto prodeunt, quinto & sexto quæ de occulto prodierunt, hunc ipsum sternendæ Magiæ deputauimus, quæ de alterutro pacto dependet, & ab vtroq; fulcitur. Prius tamen quid nomine illius indicetur, & quotuplex habeatur, exploremus, vt faciliùs in eam suasq; species omnes disputare queamus. Magiæ nomen sua moneta Latium non percussit, vt Magus quasi magnus dicatur, sicuti Horatiano placuit interpreti, non à Magis particula deducitur, non Græcū, non Chaldæum, non Aegyptium, sed Persicum est. Magorum nomine apud Persas, auctore

auctore Porphyrio, diuinorum interpretes & cultores indicabantur: apud alios scriptum inuenimus, eos à Persis Magos appellari qui elementis numen tribuerent. Legimus & Magos à Persis ita nuncupatos, quia præessent sacris, quasi sacerdotes dicerent, & hanc sententiam Apuleius in prima oratione Apologiæ scribit, se apud plurimos legisse eundem esse Persarum lingua Magum, qui nostra, Sacerdos. Suidas Magiam & Astrologiam, inquit, cœpisse à Magusæis, ἀπὸ μαγουσαίων ἤρξατο οἱ γὰρ τοῖ Πέρσαι μάγων ἀπὸ τῶν ἐγχωρίων ὀνομάζον καὶ μαγουσαῖοι οἱ αὐτοί. Syrus Bardesanes, cuius mentio apud diuum Hieronymum cùm alibi, tùm libro de Viris illustribus, cuius item nõnulla recitat Eusebius, Magos eos scribit esse Persas, ita ab alijs Gentibus appellatos, quæ odio haberent abominarenturq; eorum matrimonia, cum filijs, cum sororibus, cum matribus, ipsis lege ita inter eas lata, quam non modò in Perside, sed quocunq; diuerterent custodiebant. Memini me legisse apud Orpheum in libro de Lapidibus: Magi nomen vulgò sapientibus fuisse impositũ, qui multas essent ærumnas perpessi in vendicanda sibi virtute, quam heroum omnium matrem, ante sophistam Aphthonium nuncupauit, is cùm multa in virtutis & disciplinæ laudem in primo prooemio operis cecinisset, & multis sapientes laudibus extulisset, adiecit denominationem Magi fuisse illis à multitudine inditam, inquit enim, ἐπωνυμίην λάοι τεύξωσι μάγοιο: ferunt & alij Persas eo nomine suos intelligi voluisse sapientes, quemadmodum Aegyptij & Hebræi sacerdotum prophetarumque, nomine significabant eos qui diuina nossent & Græci philosophorum nomenclatura eos qui sapiẽtiæ vacassent, & Aethiopes Gymnosophistas, & Assyrij Chaldæos, & Indi Brachmannas, & Galli Druidas, quanquàm legimus etiam Magos in Aegypto, in Chaldæa, in Babylonia, & Gymnosophistas, in India. Sed & Porphyrius sapientes Indorum Gymnosophistas appellat, ita & in Aethiopia quoq; & India naturalem Magiam viguisse Guilhelmus Parisiensis meminit, sicuti in Aegypto scelestam: sed nulla in nomine aut certè parua, magna autem in re discordia. Siquidem nomen ipsum æquiuocum, multiplexq; est, eo enim præter Persas vsi quicunq; vmbrarum inferorumq; colloquijs, vel inuocatione dæmonum mirabilia satagebant, & qui etiam beneficijs omnifarijs incumbebant, vt nominis communione quoquomodo honestarentur: quemadmodum Genethliaci qui Mathematicorum nomen vsurpârunt, eoq; sumpto quod honestum, scilicet, habebatur infamârunt. Sic Magi illi venefici & incantatores Persarum nomẽ prostituerunt & exosum adeò bonis indicijs reddiderunt, vt id aures pati non possent: vnde & in codice Iustiniani de maleficis & Mathematicis habetur: Augures Chaldæos, Magos ob facinorum magnitudinem à vulgo maleficos appellatos, auctorem Rabanus magos esse, qui de singulis rebus philosophantur, & quamuis communis sermo eos pro maleficis accipiat, aliter tamen apud suam gentem haberi philosophosq; Chaldæorũ esse. Apollonius ipse Tyaneus qui & Magus creditus est, in suis epistolis multa de Magis scribit, inter quæ ait: μάγους ὀνομάζουσι τοὺς θεοὺς οἱ πέρσαι, hoc est, Persæ Deos Magos nominant. Alij nec Persarum more, nec incantatorum ritu, magna & ardua conantes consideratis naturæ rebus, eiusq; vires exploratas habere credentibus, operanti illi ministrare, quodammodo & subseruire statuerunt, vnde & illud apud Plotinum: Naturæ ministrum esse Magum, quo factum puto, vt pro rerũ magnitudine quam animo conceperant & opere perficiendam existimabant, se naturales Magos nuncupauerint: Alij iam vulgato Magorum nomine quodcunq; mirabile etiam Dei nutu & voluntate fieret, Magiæ referebant acceptum. Sic Moses apud Plinium Magus est creditus, sic & ante eum tùm Lysimachus, tùm alij putârunt, quos in secundo contra Appionem libro Iosephus redarguit. Sed & hac quoq; infamia multi Christianorum à Gentibus in primitiua Ecclesia lacessiti, qui tantùm distabant à Magis, quantùm à tenebris lux, à mendacio veritas, vt demùm quàm ab ima vanitate summa & sincera pietas: in hos etiam Origines inuexit, sed cessauit quàm ocyus nomen hoc Magiæ in Christianis, qui Dei mandato & virtute patrabant miracula, & in tribus illis hominum generibus mansit.

CAP. II.

DE MVLTIPLICI MAGIA ET EIVS INVENTOribus, & quid de Magia naturali, Ioannes Picus ad vltimum senserit.



Inc triplex Magia suborta, prima quæ Persarum esset peculiaris & in Perside nata, hæc auctorem habuit Ormacem & Zoroastrem, sed non eum fortasse qui vulgò etiam doctioribus persuasus, sed alium Oromasi filium, hanc postea Threicius Zamolxis excoluit: Secunda quam incantatores, venefici, necromantes profitentur: Tertia quam naturalem vocauerunt: cuiusmodi haberetur prima illa Persarum Magia Persicis monumentis minimè nobis constitit: Plato in Alcibiade Zoroastris Magiam diuinorum esse scientiam affirmat, qua Persarum reges filios erudiebant. In Charmide Zamolxidis Magiam medicinam appellat animi. Eubulius qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat tria genera Magorum fuisse apud Persas, quorum qui essent doctissimi & eloquentissimi, excepta farina & olere nil aliud in cibo sumerent, huiusce rei meminit diuus Hieronymus aduersus Iouinianum: hinc facilè conijci potest diuersas etiam in Perside fuisse Magias, quorum aliæ degenerarent, & huc illud conducit, quod ad alias postea nationes translata est Magia: Nanq; non modò apud Thraces, vt diximus, sed & Medos & Babylonios, Arabes, Assyrios, Græcos, Gallos, Britannos, Italos diuagata est. Primus qui de ea commentatus sit, Hostanes traditur is, qui in Xerxis Græciæ bellum inferentis comitatu fuerit, tametsi diligentiores Zoroastrem, alium Proconnesium ponunt, vires cœpit in peregrinatione, aucta enim plurimum vsq; ad Alexandri tempora, quibus secundus Hostanes auctoritatem cumulauit Magiæ: ita in scelestissimam aliam Magiæ speciem declinatum est à multis, qui veneficijs, incantationibus, necromantiæ, abominandisq; sacrificijs vacantes adusq; immolationem humanæ hostiæ deuenerunt. Apud Romanos Dclvij. demùm anno ab vrbe condita Senatus consulto factum est, ne homo immolaretur, siluitq; in tempus prodigiosi sacri celebratio, & Tiberij Cæsaris principatu Gallorum Druides, vt in quarto diximus libro, sublati sunt, qui inter Magos à Plinio reponi videntur: Acceptum referri debere Romanis hoc beneficium voluit ille, qui monstra, inquit, sustulerint, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi verò saluberrimum, vt narrauit Hostanes. Sed Christo non Romanis debemus, qui & aliarum Gentium & Romanorum etiam sustulerit monstra in sacrilegis sacris & abominandis ritibus, & aperto dæmonum cultu, qui eos demùm de principatu mũdi pepulerit & eorum templa simulachraq; subuerterit. Huiusmodi autem Magiæ scelestæ, malignos dæmones Gentium Deos inuentores asserit Cæsariensis Eusebius, confirmaturque Porphyrij testimonio asseuerantis in libro de Responsis, Deos ipsos quibus rebus gauderent, & quibus illigarentur ab hominibus, significasse: ad hæc quibus rebus cogerentur, & quæ sibi offerenda essent, & quos dies vitare oporteret: figuras quoque ipsas simulachrorum quales esse deberent: characteres quoque & figuras non parùm ab eis diligi, se de Proserpinæ oraculo percepisse. Apuleius retulit idipsum ad dæmones in libro de Socratis Deo, ad quos inquit pertinere diuinationes Augurum, Aurusipicum, Vatum atque Somniorum, ab ijs quoque esse miracula Magorum eosdem autem malignos spiritus non asseruit. In quos equidem spiritus nequam Arabs Almadal magicem retulit, sed risu digna res est. Antiquissimis Barbarorum libris tradidit se legisse Magum quempiam omnibus quæ possidebat dimissis, in montem altissimum secessisse, tumens primùm hoc modo compellare cœpisse, cùm priùs animaduerteret regem per suam, vt inquit, coronam seruis suis, & contra seruos suo regi per eandem coronam & regnum præcipere. Itaq; se regi quoque per cœlum & terram, & omnia quæ in eis effecerat, mandasse, vt eius sibi ministros ostenderet, misisseq; ob id angelorum cateruam, mouisse ventorum turbines, excitasse tonitrus, & fulgura, subinde quoque præcepisse, vt aëris conturbatores ostenderet, qui vbi prestò adfuêre, interroganti responderunt, se patrimonio priuatos proprijsque characteribus insignitos, quos postquam petijt inscriptos ab illis in monte fuisse, & potissimùm in lapide. Montis altitudo nouem ita scribit, leucis extendebatur, lapidis verò in quo potissimùm delineati characteres fuerunt,

fuerunt, longitudo passuum duo millia, sexcentorum latitudo, nec prius triginta annorum spacio, completum opus à quo Magus characteres ipsos exscripsit, & in volumen ordinemque redegit continuo quinquaginta annorum labore: Hæc vanus ille scriptor. Sed & spiritus ille nequam Acynope Mago in Ioannis Apostoli necem destinatus, vbi Apostoli verbo, quasi cathena vinctus substiterat: Interrogatus inter alia, cur Mago pareret: Respondit illum sathanæ potestate præditum, cum vniuersis principatibus cõiurationem inijsse, nosq;, inquit, ipsi pariter cum eo, & obedit nobis Cynops, & nos vicissim obedimus ei: Firmianus quoq;, vt in quinto diximus libro, & Magiam & Astrologiam à malignis spiritibus inuentam asseruit.

Verùm naturalis Magiæ auctores eosdem esse, olim Ioannes Picus patruus meus putauit: qui & Persicæ inuentores Zoroastrem, inquam, & Xamolxidem, quos essent secuti Abbaris, Hyperboreus, Carondas, Damigeron, Apollonius, Hostanes, Democritus, Eudoxus, Hermippus, & alij, qui Pythagoricis Platonicisq; mysterijs pernoscẽdis vacassent, tantumq; horum Magia ab illa distare prophana atq; scelesta, quod hæc firma, solida: illa & irrita, vana: hæc absoluta esset naturalis philosophiæ consumatio, illa portentosa & execranda ac tota dæmonum opere & auctoritate constaret: illam à Græcis Γοητήαν hanc μαγέαν appellatam: ex iunioribus autem qui hanc ipsam olfecissent, tres tantùm se reperisse: Alchindum Arabem, Rogerium Bacchonem, & Gulielmum Parisiensem: Sed in hac ipsum sententia naturalem hanc esse Magiam & tantoperè celebrandam ad vltimum vitæ non perstitisse, vt putauerim, multa me mouent: primum quod is liber in quo hæc ipsa reposita sunt, Apologia est, quam adolescens annos viginti quatuor nondum natus edidit ad retundendas inimicorum calumnias, qui vt scribit quodcunque ignotum veluti canes adlatrabant: per id tempus & Astrologiæ diuinatrici fidem non abrogauerat, quam post aliquot annos libris duodecim acerrimè confutatam explosamque reliquit: Alterum quod in ipso aduersus Astrologiam opere admirando, ita scribitur libro secundo. Quis Zoroastre inter antiquos in Astrologia, in Magicis, & omni superstitione potentior? & tamen eum in bello & vicit, & occidit Ninus, nec Astrologus vtique nec Magus, superstitiosum appellans quem Magicæ artis auctorem alio loco nominârat, & infrà docet, Magos artem suam Astrologiæ clauem nuncupare, & quanquàm intelligi hoc posset, de scelesta illa Magia, quæ etiam à stellarum obseruatione non abhorret, nihilominus consentaneum est, vt de hac ipsa quæ naturalis appellatur, locutus sit, quando Alchindus ille, quem inter naturales reposuit, superstitiosissimam scripsit Magiam, quæ ab Astrologia vanè quidem & monstrosè deducitur, cuius dogmata hoc ipso libro quoniam ab alijs confutata non sunt (quod sciuerim) Deo fauente refellam. Ita & Procli Platonici librum qui de sacrificio & Magia inscribitur ea de causa confutare pergam: & Rogerium Bacconem libro ij. refutatum, non nihil etiam taxabimus: qui in libris quoque aduersus Astrologos & confutatur & irridetur à patruo. Quod si dixeris scriptum esse ab eo, olfecisse hos naturalem Magiam, non percalluisse, quapropter & aliam Magiæ speciem constitui debere quæ propriè naturalis sit, non superstitiosa, vera scilicet philosophia, non vana Astrologia, & superstitionibus fulta, atq; ita quadrifariam Magicem ipsam partirentur, in Persicam, dæmonicam, superstitiosam & naturalem, quam ipse in oratione sua ex quadam Sympathia constitui monstrasse: Equidem non difficulter admitterem, nisi mihi dum eius schedas excutere aliqua aduersus superstitiones notata occurrissent, quæ suprà narraui, & in progressu recensebo, inter quæ illud inueni, particularem, Magiam naturalem à libris naturalibus & Astrologicis accipi: Sicuti & dæmonica, ex libris dæmonicis adiectione sacrorum, quę superstitiosi polluunt & inuertunt. Astrologicos verò libros vanos & superstitiosos duodecim ipse libris ostendit.

Sed neque hanc naturalem Magiam esse, quæ apud Persas à Zoroastre deriuata est, vt credam, id me valdè mouet cùm ad memoriam reuoco quo tempore apud Persas & Thracas nata & adulta Magia, veri Dei cultum nõ viguisse. Quapropter si tota naturalis non erat, superstitiosam vtique eam fuisse putandum est: si enim vt patrium indicat nomen, vt Plato voluit, diuinorum erat scientia, cùm Persarum & Thracum dij dæmones essent, & eorũ cultus non religio, sed superstitio, colligitur illã ipsam inter superstitiones reponendã. Quid? quod Apuleius quoq; illam, quę à Platone laudatur,

Magiam, & ab Zoroastre fluxit, & Ormace: Postea ab Zamolxi Thracio culta docuit in verbis & sacerdotio cærimoniarum & sacrorum versari. Mitto quod miscent propria dogmata & inter se communicant: nam Physica & Astrologica quandoque varijs in speciebus arcanæ Magiæ concluduntur, vnde varias quandoque nominationes sortitæ, & Boëtica, & Theurgica commiscentur, siue à Magia ex integro differant, siue non differant, & sub ea veluti species contineantur. Accedit quod in duodecimo aduersus Astrologiam libro Patruus ita scriptum reliquit: Neque verò nos fallat quod me quoque adolescentem olim fallebat celebrata veteribus, etiamque Platoni Aegytiorum sapientia & Chaldæorum, quos adijsse Pythagoram & Democritum, Eudoxum, & Platonem memoriæ proditum est. Nam celebre quidem illud atque diuinum sapientiæ nomen de sola sibi cærimoniarum & colendorum deorum cognitione vendicabant. Idem paulò pòst multis edocet superstitioni eos tantummodò deditos & Mathematicæ fuisse. In eodemque libri progressu inde monstrat emersam Magiam, quæ non est aliud quàm complexus idololatriæ Astrologiæ superstitiosæq; Medicinæ, quam sicut alias quoq; superstitiones in libris de vera fide aduersus septem hostes singulatim confutaturus esset: De qua autem Magia? de illa vtique putauerim locutum quam adolescens naturalem appellauerat, quemadmodum & sequenti capite Albertum dicit cognomento Magnum dum esset iuuenis vulgasse magica, quæ postea matura esset ætate detestatus. Naturalem autem Magiam secutum Albertum scribit in quinta quæstione Apologiæ, & in primo contra Astrologos, negat Alberti esse illud opus, quod de licitis & illicitis prætitulatur, in quo inter alia scriptum reperiatur, non solùm imagines fieri posse quibus non vnus homo duntaxat, sed vna etiam ciuitas tota vel fortunata fieret, vel infortunata, qui magicos etiam libros minimè abijciendos docuerit, quod si eius esse libri contendantur, de Alberto se illud Apostolicum dicere: *In alijs laudo, in hoc non laudo.* In quinta item eiusdem Apologiæ quæstione affirmat vnam haberi speciem Cabalæ de virtutibus rerum supra Lunam tractantem, quæ sit pars Magiæ naturalis suprema: virtutes autem rerum supra Lunam, aut spiritales sunt, & ad eas inuestigandas naturalis explorator nō commeat, aut corporales quæ cœlo scilicet & syderibus insunt: huiusmodi autem vires, si quæ sunt præter calorem lumenq; viuificum quod homini patere non possint, toto contra Astrologos libro declaratum est.

De Magia verò à Persis orta in vniuersum Plinius existimauerat, quod de hac quam superstitiosam nos, vos naturalem dicitis, Picus explicuit, è Medicina, inquit, ortam, immixtasque illi mathematicas artes & additas vires religionis, quæ quidem eorum prisca religio apud nos idololatria est: Hoc sanè non ejus Magiæ proprium est, quæ tota pendet ex dæmone, quanquàm homines eum docuisse mox probauimus, sed eius quæ naturalis ex Astrologiæ Medicinæque commercio nuncupatur, quæ scilicet naturales causas contemplatur, sed non legitimè: hac ipsa Persas polluisse, eiusque fuisse inuentores Plinius asserit: hac & Chaldæos vsos non inficiatur Picus: quod si nec Astrologiæ dicas, nec Medicinæ principijs haberi, vt immoletur homo: respondebo illud haberi ex Gentium religione, id est, idololatria, quæ omnes ferè gentes humanum fundere sanguinem in aris dæmonum edocuit. Quod si iterum dixeris Abrahamum vnius Dei cultorem Chaldæum fuisse: Respondent aliqui ex vicina ita appellatum: tum si detur præceptum illi à Deo: dicimus vt de terra sua & de cognatione peregrinaturus exiret, in qua scilicet pius Dei veri cultus non esset, sed dæmonum impius vigeret: quod si quispiam de Magis qui ad Christum colendum Hierosolymam ex Oriente perrexerunt, addubitaret, quanquàm multa dici possent, hoc possumus testimonio satisfacere, asserentes non Rabani solùm auctoritate, sed Augustini eos fuisse Chaldæos, quos impios etiam atque sacrilegos nominauit, potuisseq; eos non solùm à malis, sed à bonis etiam instrui angelis. Stellam ipsam quæ recens exorta fuerat, Christum natum significare, qui in patriam reuersi Deum coluerunt, vixeruntq; quoad Thomas Apostolus eorum prouinciam ingressus est, cui (vt inquit Chrysostomus) iunxerunt se & baptizati prædicationis ipsius executores extitêre. Origenes contra Celsum libro primo disputans eosdem Magos malis artibus & dæmonum cultu ante Christi cultum deditos dicit: Sunt qui Persas eos fuisse affirment: Sunt qui ex vltimis Orientis finibus aduenisse in Iudæam velint: Sunt qui ex genere

genere Balaam asseuerent: Sunt qui reges eos fuisse astruant: Sed hanc materiam pertractandi proprius hic locus non est, tantùm hæc dicta velim, vt multiplicem esse Magiam deprehendamus, aliamque ex dæmone pendere cognoscamus, palàm, expressoque fœdere, vt necromantium atque etiam veneficorum & strigarum, incantatorumque: aliam quæ à multis colitur vti naturalis ab suppresso dæmonum pacto deriuari, quæ totas in Astrologica vanitate radices fixit, qualis Alchindi, Rogerij, & aliorum: aliam quæ partim naturalis, superstitiosa partim haberetur, & propter mixturam naturalem aliquando superstitiosam, interdum nominatam: quod si qua alia sit scientia, quam appellant Magiam quæ naturæ limites non excedat, hanc non damnamus, minimè autem consentimus, Picum patruum in ea perstitisse sententia, vt eam quæ Alchindi est & Rogerij veram naturalemque putauerit: Nam & veritati, & sibiipsi aduersaretur. Quid autem de prisca illa credamus Magia, Persarũ scilicet & Chaldæorum, satis expressimus, eamque sub idololatria partim quantum ad cultum deorum pertinet, partim sub ipsa superstitione, quantum ad Mathematicam artem interdictam & refutatam spectat, partim ad naturalem si quæ naturæ vires miscebantur reponi posse existimamus: Vnde & naturalem suspicari quispiam potuit. Potest & alia coalescere conflarique Magiæ species, ex illarum, scilicet, coagmentatione, mixtioneq;, qualis Magorum Pharaonis creditur, qui naturalibus simul & superstitiosis rebus vtebantur, & ita ex varia eorum quę memorauimus collatione ferruminari & variari: Sed omnes simul duabus vijs & modis confutabimus, & explodemus, tametsi aliqui & frustrà quidem distinxerint hanc vltimam, quæ naturalis dicitur, Magiam, incuriosam, & necessariam, quam equidem, nec necessariam, nec vtilem, sed planè superstitiosam dixerim, suo illo ex argumento, ex copulatione inquiunt Astrologiæ & Medicinæ conflatur, cui sumpto nos addimus, igitur superstitiosa est, quoniam superstitiosam esse vanitatem Astrologorum quinto libro probauimus.

CAP. III.

DVABVS VIIS PROGREDIENDVM IN CONFVtanda Magia, cuius opera ementita & inefficacia multi autumârunt.



CVm itaque multiplex Magia sit habita, cumq; ad duas referri causas possit, vniuersa dæmonum, scilicet, aperto fœderi & occultæ eorum suggestioni atque commercio: qui se à pactis dæmonum custodire illæsos vellent, à magicis dubio procul obseruationibus etiam custodirent: quo pacto autem daretur id fieri, & quibus moueri causis deberent, colligi ex supradictis potest: verumtamen duplici hac via in confutanda Magia progrediemur, priùs enim docebimus earum rerum obseruationes, quæ aut diuina aut naturalia nõ sunt, minimè prodesse, & Magiæ species omnes quæ in cognitionem indicibus iam literis venerunt, eas aut naturæ vim ordinariam adulterare atque supergredi, aut à diuinis secedere & quasi dixerim fornicari & bonorum auctore Deo, nec ea fieri posse arte vlla naturam iuuante, quæ Magi pollicentur, vnde superstitiosa prorsus & abominanda deprehendetur: sed hæc in vniuersum atq; summatim, postea aduersus auctores Magiæ celebratosq; cultores bellum inibimus, & cominus congressi non hastis iam verborum, non ensibus persuasionum, sed rationum pugionibus immanes illæ suorum dogmatum beluæ confodiendæ sunt: verùm nonnullis respondere in primis oportet qui ficta & ementita Magorum opera autumant, nec solùm in antiquitatis nebula, sed in recenti luce caligant. Siquidem à plerisq; me interrogatum memini, vera essent an'ne, quæ Magis adscriberentur mirabilia, an potiùs ficta ad stuporem vulgi & Magorum mercedem, & veluti circulatorum nugas & anilia ridicula haberi debere: hi ipsi Christiano censentur nomine, nec abhorrentes à literis, quin & legum studiosus quidam & Poëticæ atq; in primis Horatij, quem legerat Canidiæ cecinisse: *Iam efficaci do manus scientiæ*, & alium de Medea cantasse:

Omnia quæ Ponto quæ manibus eruit imis:
Et quæ sanguinea Lunæ distinxit ira.

Hac de re tamen vesanè ambigebat, nec mirum si huiusce oblitus vanitatis, quando & exciderat

exciderat prorsus mente quod de maleficis Pharaonis in Exodo scribitur: quod de Magis item atque maleficis in legum ciuilium libris, in Ecclesiasticis canonibus atque decretis cautum præceptumque est: mouebatur quod nulla vnquam experimenta vidisset, & nihilominus (quod fatebatur ingenuè) id Magis promittentibus non refutasset. Hoc ipso motus Plinius Magiæ opera irrisit, non qua mala, sed qua vana & inefficacia & impossibilia, quoniam princeps Nero eius studiosissimus vana falsaque comperisset: ex particulari & vnico exemplo vniuersale dogma colligere satagens. Sanè non eo inficias & fuisse olim, & esse posse aliquos se Magos fingentes qui non sint & vesanæ atque scelestæ artis magistros se facere, cùm nil minus nouerint, vt captent, scilicet, fauorem superstitiosorum principum & pecunias extorqueant, sed animaduertere debemus ea quæ facta iam dicuntur ab omnibus penè Gentibus, ab omnibus nationibus & linguis: Negari nisi proteruè non posse, cum factu penitùs impossibilia non sint, vt magicæ operationes quæ dæmonum vi atq; malitia patrari posse, nemo rerum gnarus inficiabitur.

Traditum autem à prima antiquitate est, plurimos arte magica multùm polluisse: Alij id palàm scripsêre, vt de Aegyptijs Magis Moses, Latinorum & Græcorum omnium scriptorũ antiquior: Alij quodam quasi velamine, vt Homerus & Orpheus, quorum alter de Iasonis, alter de Vlyssis Magia cecinit: sed quis non Historicorum, Oratorum, Philosophorum, & præcipuè Platonicorum, quis non Theologorum asseuerauit? fieri posse magica dæmonum opera, quæ vel naturali virtute, vel arte alia non sperabantur: Vnde tot decreta pontificia, tot imperatorum edicta, aduersus artes maleficas, ni vsu diuturno compertum esset, ea non modò fieri posse, sed facta esse: sunt pleraq; literarum monumentis relata, atq; ex eis quæ suprà commentati sumus, percipi pleraq; possunt. Mitto Circes, Medeæ, Canidiæ, & aliarum fœminarum potestates magicas, Poëtarum carminibus decantatas, quas omnes generatim iam eliminabimus. Sed certè ætate nostra fuêre multi qui se circis dæmones claudere adiurationibus pfiterentur, qui in phialis conclusos dare quibuscunq; de rebus respõsa dictitarent, qui eosdẽ in annulis etiã gestitarent, quam quidem impiã superstitionem nõ ab re fuerit, si suspicemur iam vsq; ab Heroicis temporibus ductam, quoniam & verbis etiam dæmones annulis adsistentes ludificare reges consuêrant, eiusmodi ea (ni penitùs mentita sint) fuisse putauerim, quæ de lapidibus manu gestatis, & dæmonicam vocẽ emittentibus, deq; Ostrite illo Atridis & Laomedontiadi vaticinato in libro de Lapidibus cantauit Orpheus, siue Orphei Lebethrij illud sit opus (quod minimè crediderim, quoniam ille multò ante Troiana tempora floruit) siue falso titulo circumlatum: Sed enim Orpheũ ipsum nunquàm fuisse scribit Cicero auctoritate Aristotelis, & sacros sermones eius nomine prætitulatos in quendã Cecropẽ refert, pro quo omnes quos viderim codices, Cerdonẽ habent, cuius (quanquàm in re nõ magna) penè publici erroris primùm me admonuit magna illa cùm nominũ, tùm rerum cõpositio, cui Suidas est nomen, quo in opere etiã auctoritate Dionysij scribitur, Odryseum Orphea nunquàm fuisse, multiq; eius nominis citantur auctores, atq; ipsorum scripta variè recensentur, vt hinc etiã cognoscere possimus, multos Poëtarum aberrasse, qui vnum pro alio Orphea sæpenumero sumpserunt. Sic & de Homeri patria inaniter videtur disputatũ: quoniam plures Homeri diuersis vrbibus orti, diuersis temporibus floruerunt, quæ nominũ communio inanis famæ sitim restinguere facilè posset, si animaduerterent qui scribunt gloriæ cupidi, eam ad quam tantopere anhelant, facilè sibi posse sola nominis communione surripi. Sed iam ad instituta reuertamur.

CAP. IIII.

ADVERSVS MAGIAE SPECIES OMNES *in vniuersum.*



Ostendimus libro quarto huius operis, eas Prænotionis species eliminãdas & abolẽdas, quæ de aperta dæmonum societate pullulant: quinto & sexto quæ de occulto palliatoq; commercio deriuatæ sunt: quicquid ibi rationis & roboris in eas demoliendas allatũ est, huc afferatur quantũ scilicet ad prænotionem spectat. Siquidem Magi se non operari solùm, sed & prænosse futura profitentur, ex eorũ, scilicet, sodalitate, à quã & cætera didicerunt: quãdo nil ob

nil ob aliud quàm vt prænouerit, eam colunt Magiæ speciem, quæ de syderibus configurationibus plurimùm pendent, à quibus etiam futurorum notas hauriri non negant, in hos totus libri quinti decursus armatur. Sed nunc operationes eorum disquirendæ in vniuersum disijciendæq; sunt, iam pactum se inijsse cum dæmone, quis potest securus recordari? nónne id ille effecit, vt dissipet, vt mactet, vt perdat, vt à Deo bonorum omnium auctore se moueat: à quo ille ab initio recessit in semet reuolutus, sibi diuinos honores quærens, postquàm rebellauit proprio amore deceptus, & ad caliginosum hoc aëra infernasque sedes destinatus, qua de re nuper in primo ad sanctissimam Trinitatem in hymno de Angelorum creatione pertractans ita cecinisse memini:

Quorum perpetuam pars colluctata ruinam,
Nacta chaos tetrum cœlo delapsa petiuit:
Et solium cupiens sibimet placitura rebellis.
Tartareæ claustrum subit irremeabile sedis.

An fortè illi adhæretis Magi vt minimè noceat, & inferno mitiùs tractemini, quò ex prauis animi affectibus eundem vobis omnino sit: hos Esaiæ Prophetæ verbis irrideri aduertamus: *Dixistis* (inquit) *percußimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Sed quam ob causam rogo colit dæmones stolida isthæc & amens turba? vt scientiam nôrint, vt honorentur inquies, & admirationi sint, quatientes elementa, cientes tonitrus, sanitatem pollicentes, morbos comminantes, afflantes amorem, illum ipsum obfrenantes & pellicentes in odium, maritales thalamos, & ligantes, & dissoluentes: non parua hæc: sed tu ne id facis arcanæ Magiæ sacer antistes, an malignus dæmon officio tuo in capiundis alijs abutitur, non secus ac auceps, qui vt faciliùs tendere auibus insidias queat, alias eiusdem generis ob retia & laqueos occultè illigat, vt quę solutæ sunt illarum vocibus citatæ ad pabulum conuictumq; descendentes irretiantur: Sed qua pace conscientiæ te rogo id facis? an semper cruciaris, & non datur requies animæ. Sanè Esaias monet: *Cor impij quasi mare feruens, non posse.* Agnosti vnquàm, vel de longinquo quæ sit illa dulcedo,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa? & decantatum illud in fœminæ laudem: Magicas inuitam accingier artes, quas tu sciens, & voluens, sed & cupientissimus amplecteris: Ad mentem redi vesanæ Magiæ cultor, & pudeat te famulari ei contra quem iure tibi bellum indictum est: Agnosce naturæ tuæ dignitatem, dedignare te eius seruum fecisse cui esses imperaturus, si à Deo tuo non recederes: pudeat, proh dolor, idololatriæ crimine culpari, doleat desertorem eius fidei censeri, cuius sacramento baptismatis adactus spopondisti perpetuum te militem fore: doleat pœnas tibi parari sempiternas, ex circis, verbis, hostijs, characteribus, lucernis, peluibus, securibus, & mille alijs sortilegis vanitatibus & superstitiosis insanijs, quibus quasi manicis compedibusq; deuinctus, ad perpetuam seruitutem ad æterna mancipari incendia. Recole damnatam semper scelestem hanc Magiam, vmbrarumq; consortia, nec Sacris modò literis Christianis, sed & Gentibus ipsis plurifariàm explosa: adeò vt Anneus Lucanus de Sexto Pompeij filio verba faciens artes nonnullas alias alioquin illicitas, & superstitionibus plenas minimè incessat, solam detestetur Magiam, quàm ille scilicet auiditate quadam & rabie coluerit. Scribit & Seruius interpres Vergilij: Romanos cum multa sacra susciperent, Magica semper damnasse: Et Augustinus noster docet, sectam omnem Magiæ pœnas decreuisse, vt in libris de Ciuitate Dei videre licet: & in tertio quoq; de Trinitate Magiam à scelestis spiritibus profectam monstrat, qui occultis seminibus adhibitis miranda quæpiam effecêre, permittente Deo. Hæc sui amatoribus primum omnium prudentiam eripit, persuadens illorum se vocibus audire, dicto parêre, quòd equidem magnoperè demirandum posse illos vnquàm adduci, vt credant spiritum natura nobilissimum, malitia verò ob Dei rebellionem admissa nequissimum ligari posse propria virtute hominis, qui & inferior natura sit, & malitia quandoque penè par. Dices non ligari, non cogi, non pati vim: verùm superioris quandoque dæmonis parêre imperio, quandoq; vt seruet pacta, sed & spontè homini se offerre, obsequi, seruire: insipientiùs deliras: de superiore enim spontè idipsum dicam quod de inferiore: insipientiùs inquam deliras, si opinaris eum homini præter naturam, subiectum esse voluisse, qui Deo creatori natura inuitante subijci

noluerit, repugnare autẽ maluerit & aduersari, seruare tibi circuli pactum qui fœdus naturæ fregerit autumas? Adde mendacẽ eum mendaciјq; parentẽ quæcunq; vera ad falsitatẽ, quæcũq; bona ad malitiã retorquere paratũ semp, semperq; accinctũ: Quòd si Deus pro sua iustitia, ꝓ malitia reproborũ hominũ, iustisq; alijs de causis sinit vt noceat, vt deludat, vt fallat: nihilominus tanta est illius clemẽtia, tanta benignitas: vt versutè adeò insidiari nõ possit sathan, quin deprehendatur ab ijs, quibꝰ lucerna pedibus ipsorum verbum eius, & lumen semitis eorum. At si contendis illigari à Magis nequam spiritum, contende & illud non alijs vinculis quàm quæ ipsi tradiderunt, mendacijs scilicet sacrilegis, obscœnitatibus, vanisq; adeò rebus, vt referri sit pudor: multa enim quibus plærosq; Philosophorum ceperunt, decrepitam anum, & ob senium delirantem, non caperent: sed nec timulo infanti persuaderet, quæ Philosophis olim persuaserunt: Possem huiusmodi multa recensere, sed abolere ea impensiùs cuperem. Retulit Porphyrius à posteriori Gentilitatem maximè cultus, & inter Platonicos ob excellentiam Philosophus agnominatus: sed qui asophos, vel misosophos cognomento nuncupandus sit: retulit, inquam, in libro de Responsis, Hecatem Gentium deam, quo modo simulachra sibi constituenda essent, præcepisse, & quòd circumdanda absynthio, quòd pingendi domestici mures, quæ pulcherrima essent ornamenta, & animo suo gratissima, totque mures quot eius essent formæ sumendi, quod effudisse puto, vt falleret simul & irrideret, tum Sanguis, Myrrha, Styrax. Horret animus hæc meminisse, reliqua sileo, quæ si fierent per somnum, inquit, me videbis. Quis hæc nisi tu Porphyri epotaret? Quis epota aut deglutita non vomeret, non tibi hoc Aristoteles, non Plato, non Plotinus, præceptor propinauit: curiositas tua & omnium superstitionum sitis eximia effecerunt, vt in amnem tartareum te ingurgitaueris, vnde & illud impium absorbuisti, & hæc quoque pariter hausisti figuras à dijs peramari & contineri eos in sacrata imagine, quasi in sacra quadam terra, quis nisi stultior ipsa stultitia, hoc venenum ebiberet, hanc deglutiret insaniam, num ab Aristotele collegisti? Separatas mentes supra hominem, vi herbarum, verborum, characterum, detineri posse aliqua in materia, hoc ille detestaretur, nostri abominantur.

Theologorum enim consensus est, vniuersam illorum nutu quoad loci pertinet motum, subesse materiam, ob naturæ spiritalis vim & excellentiam. Clamat Henricus ex Hassia in commentarijs in Genesim in hanc sententiam: non eum Mage compellis aut in vinculis, vt putas, tenes, captũ se vinctum & illigatum simulat, vt capiaris ipse & funibus peccatorum irretitus ad inferna traharis. Scribit & Henricus Gandauensis: non esse vllam, aut in lapidibus, aut in verbis, aut in herbis, vim quæ possit dæmones cogere vel fugare, quamuis hæc ipsi talia fingant, sed potentia supra naturam in illis compellendis opus esse. Quid quòd Iamblichus ab alio qui superstitiosior hac in parte Porphyrio est, dissentit, vt spiritus certis characteribus trahi possint, ad vaticinium verum, vel vllo modo cogi: is error nostra etiam tempestate multorum occupauit mentes, qui in annulis, vt suprà diximus, inclusos dæmones gestant, colligari se, & quasi in carceribus detineri, qua sunt astutia insimulantes, qui proh pudor à plærisque summatibus consuluntur indies & exitiali fine plectuntur. Prætereo enim ea quæ quarto libro notauimus: Sacerdos quidam & alius qui dæmonum familiaritate delectati sunt, ille suffocatus & in fossam proiectus est, hic viuus paucos ante menses raptatus ad montem. Hæc Magiæ stipendia, hi simulatæ fructus amicitiæ, hi ementiti phialæ, & annuli, carceres, hæ fictæ compedes, & vesanæ perniciosaque ludibria. Sunt & qui autument dæmones alios in fœminarum amorem ardere, quasi carnei sint, aut suapte natura sensibus oblectari possint, & commisceri, amant sanè, ardent, depereunt infelicitatem animarum, quas vt faciliùs fallant, se captos amore mentiuntur, vt liberiùs interrogari possint, & honesta quæpiam suadentes, vt videantur amici, illos mox hamo interiecto quasi captos pisces infernis littoribus allidere. Deficeret me tempus, si omnia dæmonis tentamenta, quæ nota sunt, quanquàm & plurima ignoro, recensere voluero: ad vnum hoc rediguntur vniuersa, noxiam esse dæmonum societatem, prodesse nihil, supra modum obesse: At si non omnes prauos esse quispiam contenderet, nec quicunque nostris temporibus sumptis corporibus apparent loquuntúrve: nequam esse spiritus, qui quanquàm boni non sint, quales beati Angeli, nihilominus eos esse non malos, ita etiam

etiam antiquitatem credidisse, quæ multifarios induxit dæmones, & eosdem distinxit à dijs. Sic Michaëlem Psellum quanquàm Platonicum, Christianum tamen opinari, à quo multa quoque genera dæmonum enarrentur : Si hoc, inquam, contenderet, quispiam falleretur impensè, omnes equidem spiritus qui ab initio Creatori non hæserunt, dissenserunt prorsus: *qui enim*, vt Euangelium docuit, *cum eo non colligunt, dispergunt:* & iterum Christus inquit : *Qui non est mecum contra me est:* ex Prophetis quoque, ex Apostolicis epistolis duo duntaxat genera spirituum colliguntur: Boni quorum hierarchia à Dionysio Ariopagita conscripta est : Mali quorum partem & in caliginosum hoc aëra detrusisse Deum Apostolica monemur voce, partem ad infernas etiam sedes religasse, hoc monumentis Sacris notissimum est, eadem ab omnibus Theologis boni nominis diuisio probatur: quin & Parisiensis collegij doctores decreuisse legi, errore teneri qui affirmarent aliquos esse bonos dæmonas, aliquos nec salutem nec damnationem consecutos. Apud Gentes vero tametsi, & dij & dæmones, nec vna eorum tantùm species coleretur. Legimus tamen apud Orpheum deorum præcipuos dæmones nominari. Quid, inquam, præcipuos, & non omnes quotquot ille citat dæmonis nomine sedulus, & omnifariæ superstitionis cultor appellat. Sed quid Orphei testimonio vtimur apud superstitiosos hoc roboris multum, & efficaciæ obtinet apud nostros, sit satis quòd legimus in Psalmo, *Omnes dij Gentium dæmonia,* & Michaël Psellus tametsi habitus inter Platonicos, ex fide ipsa decernit dæmonem omnem esse malũ ob superbiæ & vanitatis excessum: ipsosq; non solùm dæmonas, sed & deos accedere ad homines non sponte, sed vi, Pythagoræ auctoritate firmat Porphyrius.

Sed vel animas quoque vel spiritus alios apparuisse mortalibus Plinius Cecilius monumẽtis testatus est: vt demirari minus queant qui nomine Christiano censentur re ipsa diuersi, dũ ridẽt eos qui asseuerant spiritus vel bonos vel malos assumptis corporibus se visendos præbere, & functorum animas viuos monere, quod multi testatissimum reliquerunt, olimque Pontifici & Cardinalibus dum in Gallijs morarentur, publico adstipulatore fides facta, quòd Bartholomæus Monopolitanus memoriæ prodidit. Sed enim hoc ipso anno in Germania, vt mihi Augustæ vrbis præpositus Matthæus Longus à secretis Cæsaris, & Consiliorum omnium particeps retulit: Fœmina quæpiam, multos menses defuncta aëreo corpore sumpto apparuit, multa interrogata respondit, & mille ferè testibus diuersis temporibus locuta est: & se cum Episcopo quopiam Cæsaris mandato rei ordinem gestæ, & testium responsa notauisse mihi narrauit, quin & ipse Cæsar eadem mihi asseuerantissimè confirmauit. Cuiusmodi autem ea apparitio, & vtrum vel anima defunctæ fœminæ credenda sit, vel spiritus eius effigie desumpta, alterius & loci, & temporis quæstio est. Cæterùm & nonnullos spiritus consuetudine id facere inquiunt, vt cùm hominibus versentur, bonosque faciliùs accedere, alios autem cùm inuocati aduenerint, conari vt noceant. De dijs hoc Pythagoras & Porphyrius refert non dæmonibus, ligarique eos lineis & characteribus asseuerat, eosdem vbi venissent procurasse vt delerentur, quò faciliùs possent recedere. Dij igitur eorum non dæmones tantùm irretiebantur, & delectabantur, vanis, inanibus, noxijs, eademque suis cultoribus suadebant. Scribit enim idem Porphyrius in epistola ad Anebonem Aegyptium, inter alia mirari se, quòd dij iussi multa iniqua committant, & ad inhonestam venerem multos impellant: quare dæmones eos omnes, hoc est, prauos fuisse spiritus manifestum est. Confirmat Psellus ex nostra, hoc est, Christiana disciplina, omnem dæmonem esse malùm propter superbiæ, & vanitatis excessum ab Angelico statu ordineque delapsum: tantum abest vt Platonicis Gentilibus hac in parte consentiat : quanquàm eius sententia non præiudicij certè, sed nec grauissimi testimonij loco sumenda est, vbi præclaris Ecclesiæ doctoribus euariat : opinatus enim dæmones habere corpora, id tamen non solus, quando magna antiquorum Theologorum pars huc inclinauit. Illud autem eius dogma detestandum, dæmones igne torqueri non posse nisi essent corporei: Oppositum validis rationibus astruitur, ab Augustino, Thoma, Scoto, reliquis asseuerantibus à corporeo igne validissimo diuinæ iustitiæ instrumento, & incorporeas dæmonum substantias & exutas corpore animas vexari, pati, cruciari, quomodo autem id fiat, locus hic non expostulat vt declaremus : Illud quoque reij-

ciendum de generibus dæmonum, membris, excrementis, vana hæc omnia, & à vano auctore desumpta: Siquidem hoc à quopiam Marco se didicisse fatetur, qui solitariam vitam elegerat, ac si quis alius in dæmonum cultu profecerat, inspexeratque apparitiones dæmonum: credidit bonus Psellus quasi Marcus qui hoc, scilicet, prætendebat, in primis mendacium quòd in Mesim fluuium suum genus referebat, à mendacij parente vera non falsa didicisset.

Sanè cauendum illis est plurimùm qui Platoni hærent impensiùs, ne superstitiosi fiant, quemadmodum ijs qui Aristoteli se totos dedidêre, ne impietatem exhauriant, expertus noui periculum: Nisi enim Christiana imprimis fide & Theologorum rationibus stabiliti gressus nostri fuerint, ex feruentiori Platonis amore in superstitiones, ex nimio Aristotelis affectu in impietatem non difficilis est lapsus. Namque apud illum, & sectatores, multorum deorum, multorum dæmonum, plurium multifariorumque sacrificiorum mentio: hic vnius vix Dei & prouidentiæ meminit, & tribus fermè locis paucula, nihil de vera religione, nihil de futuræ vitæ felicitate definit: vt ex hoc ferè incitatio suboriatur ad nihil credendum ex illo ad plusquàm oporteret credendum obseruandumque: Vestigijs profectò Augustini, & Thomæ Aquinatis incedendum est, quorum hic Aristotelis, ille aliquando Platonis doctrinam excoluit: quibus pressis nec præter id quod decet æstimatis, veris & diuinis eloquijs, sacrosanctisque nostræ religionis dogmatis institerunt, non condemnantes quæ apud eos Philosophos bona & vera: quæ falsa, quæ impia, vndequaque scaturirent pro viribus abijcientes, destruentes, exterminantes. Sed quod attinet ad vim verborum si potuisset edere aut componere, quæ spoponderat Picus patruus nihil vltrà ad eorum confutationem desideraturi essemus, satis nobis faciat eius auctoritas pro multis rationibus, quàm vel solam reperi in Isagogico Sacrarum literarum, quem paulò ante obitum exorsus fuerat, & imperfectum reliquit, & mancum, suffecturi autem sumus id ex eo, quod præstiterit diuina largitas: ita igitur ille de hac materia notauerat: Illud autem attendendum, quòd sicut in magicis ipsa verba, quatenus verba vim non habent, vt stulti & superstitiosi credunt, sed ex occulta vi dæmonum in illis verbis operante, in animam eorum qui sibi secundùm impiam fidem, & malos mores sunt mancipati: ita nec inest hæc vis verbis Scripturæ, quatenus verba sunt, vt superstitiosus quispiam autumaret, quare eadem vis in Latino quæ in Hebræo sermone, verùm occulta Dei virtus in illis operatur, ac per illa quasi per vehiculum in eos transmittitur, qui habent aures audiendi, id est, qui purgatas & circumcisas cordis aures possident, & per fidem, & purgatissimos mores facti sunt habitaculum Dei, & capaces huius diuini ignis: hæc in illius schedis paucula reperi. Verùm enimuerò quæ de occulto dæmonum pacto prodit Magia ab astris deducta, verbis, herbis, characteribus, & animalium cæde vtens, nulla dæmonum inuocatione facta: quales Alchindi & aliquorum Arabum, quæque dæmones citat, & prætereà adhibet herbas, lapides, & ligaturas, qualis in Gallia, in Germania, in Italia exerceri quandoque solet à fœminis præsertim fascinantibus: Quæque dæmones non inuocatione solùm, sed quadam quasi cognatione & affinitate ad naturales res, quibus Magi vtuntur descendere autumat, & apparere mortalibus, qualis apud Proclum Platonicum, & alios quosdam: omnes hæ simplices, seu mixtæ, atque compositæ, seu quas olim Aethiopes, Gymnosophistæ, & Indi Brachmanes dissimulabant: omnes, inquam, postea redarguendæ, nunc paucis confutari possunt: quantum attinet ad generalia atque communia. Nam si dæmones simpliciter alijs superstitionibus sequestratis inuocantur per ea, quæ paulò antè diximus, refelluntur: si naturalibus dicunt se rebus vti, & characteribus, & figuris, & herbis, & verbis, publica alioquin commercia dæmonũ abominati, hinc refellentur cùm sit apud Aristotelem & omnes naturales Philosophos compertissimum, actiuas virtutes inesse non posse figuris, & literis, characteribusque huiusmodi, cùm nihil aliud sint quàm compositio & ordo excogitatus ab artifice, seu pingente seu fingente herbas, prætereà & materiales imagines vltra suam speciem, & formam operari non posse testatissimum, nedum eas ciere posse tempestates, & elementa concutere, & subdere terræmotus, & mouere tonitrua: Hæ igitur causæ esse non possunt illorum effectuum quos pollicentur Magi. Signa autem si dicantur, cùm diuinitùs instituta non

ta non ſint,quin & diuinitùs reprobata, & à natura abhorrentia: reſtat vt ſuperſtitioſa ſint, & à dæmone inuenta, vel palàm fabricante, vel clam in imaginatione ſuperſtitioſorum inſuſurrante & ſuggerente: ſi verò quapiam compoſitione mixta Magia fuerit, eorum proculdubiò alterutro dæmonum fœdere participabit, quæ ad expreſſum pertinent ex ſuperioribus, quæ ad ſuppreſſum ſpectant, ex his quæ mox diximus, confutantur. Sed iam hæc ipſa particulariter demoliamur.

CAP. V.

QVAE MAGIAE, ET QVO ORDINE PARTIculariter confutandæ: Item contra Procli Platonici Magiam.



SEd proprijs iam locis & peculiaribus argumentis confutandæ, ſunt Magorum inſaniæ, quæ pernicioſiùs eò nocent, quòd à doctis alioquin viris traditæ probatæque ſunt, ſuperiori capite aduerſus quaſcunque ex locis, & argumentis communibus generatim ſummatimque diſputauimus. Nunc vt promiſimus, ſingulari certamine, nec haſtis iam, aut enſibus, ſed pugionibus dimicandum, ſingulas tamen non citabimus Magias aut Magos, id enim tàm laborioſum, quàm Sibyllæ folia collegiſſe, ſed inſigniores, & qui ea de cauſa quòd impenſiùs coluntur, impenſiùs nocent, percenſebuntur à nobis, & ij præſertim refellentur qui operam dedêre, vt cum ſtudio & labore inſanirent: Philoſophi alioquin apud ſuas quaſque ſectas in precio habiti, & præclara æſtimatione celebres: Ex Gręcis igitur ſcriptoribus Proclum Platonicum ſumpſi, qui ſicut Iamblichus Aegyptiæ ſcholæ Platonicæ, Italicæ Plotinus, ita Aſiaticæ patronus fuerit, quique habitus omnium Platonis myſteriorum conſultiſſimus: ex Arabum turba Alchindum delegi, quibus cùm eſſet mihi diſputandum, quanquam & Almadalem & alios plęroſque in tranſcurſu refutabimus, ijs quippe linguis communicata Latio plurima fuêre poſterioribus temporibus, poſt hos aut nihil certè parùm de Magicis ſuperſtitionibus mandatum literis: Si qui enim inter Latinos ſuperſtitioſè ſcripſerunt, Arabes plurimùm ſecuti ſunt, & Græcos Platonicos quoſdam, in noſtram Linguam malè tranſlatos. Adde quòd ij de omnibus ferè ad Magiam pertinentibus ſcribunt & copioſè, de ſacrificijs, verbis, characteribus, & huiuſcemodi obſeruationibus: quare in ijs confutandis & reliqui omnes vnà confutari videntur: Poſteà aduerſus particularia quædam nobis eundum, Alberti, Petri Aponenſis, & eorum qui literas aſpernati, memoria & obſeruatione vanitates ſuas conſtituerunt: Demùm aduerſus Aethiopum & Indorum Magos, & Apollonium præcipuè Tyaneum nobis erit pugna.

Sed iam Proclum audiamus, is igitur poſtquàm ſuprema in infimis, ſed modo ſuo retulit inueniri, & in ſupremis pariter infima, quibus animaduerſis, ſacram ſuam ſcientiam condidiſſe antiquos ſacerdotes, ex cognatione, ſcilicet, & ſympathia, cui hoc verbum compaſſio reſpondet: viderique id facilè poſſe in Helitropia, ſelinotropiaque herbis quæ ad Solem ſcilicet verterentur, & Lunam videri, in loco ante Solis exortum folia complicante poſt ortum, videri in alijs plæriſque: quo fieri vt ſimilitudo ipſa ſatis videretur facere, cur diuinæ virtutes ad inferiora deducerentur: ſubintulit alias animas ſub numinibus alijs ordinari, & animalia quæpiam eſſe Solaria vt Leo, vt Gallus, cuiuſdam, ſcilicet, Solaris numinis pro ſua natura participes, inferiora quoque in eodem ordine cedere ſuperioribus: hinc à Leone quaſi coli & timeri gallum, cui magis conueniret Solaris virtuti præſentia id inde apparere, quòd quaſi quibuſdam hymnis applaudit ſurgenti Soli & ipſum aduocat: ſed & viſos eſſe Solares angelos eiuſmodi formis præditos, quamuis ſuapte natura ſine forma ſint: viſos & dæmonas Solares leonina fronte, eoſdemque cùm Gallus obijceretur diſparuiſſe. Cognitis itaque eiuſmodi rebus veteris auctores ſacerdotij ſuperiorum virium cultum adinueniſſe, dum alia miſcerent, alia purificarent, perque mutuam cognationem conducere in vnum, per repugnantiam expellere, purificare

quoque cùm oporteret sulphure & asphalto; hinc cōstitutas statuas ex materijs multis permixtas, odores quoque compositos: sed & quandoque sine compositione vlla ad diuinum opus sufficere herbam vnam, vel lapidem vnum: Cnebison herbam ad subitam numinis alicuius apparitionem valere, ad custodiam verò laurum, raccinum, cepam, squillam, corallum, adamantem, iaspidem: Sed ad præsagium cor talpæ, ad purificationem verò sulphur, & aquam marinam: immolatisque animalibus deorum cultui congruis, cæterisque obseruatis cognitum esse potentias dæmonum proximas esse rebus actionibusque naturalibus, per quæ in præsentiam ipsi ob propinquitatem, scilicet, & affinitatem conuocati sunt. Deinde tùm dæmonibus docentibus, tùm propria industria, conuenientia symbola interpretantes, deorum vires & actiones peruestigârunt, in eorum intelligentias ascendentes, ac denique posthabitis naturalibus rebus actionibusq;, ac magna ex parte dæmonibus, in deorum inquit. consortium se receperunt.

Hæc summatim Proclus in libro de Sacrificio & magio: quæ quidem vtrum constent si disquiramus, inania, & sacrilega, & falsa comperiemus. Sanè ex hac sympathia cognationéve rerum aut consensu qui naturæ seruat vestigia, nil indagare poterit, quò feram hanc magicam deprehendat: nam quo pacto similitudo huius amoris causa esse potest? quòd si causa amoris, num & motus etiam & descensus habebitur? siquidem similitudo speciei non est, sed neque generis, quòd minimè, Procle, negaueris: similitudo ergo proportionis cuiusdam, sed quæ res ad quamlibet sua proportione caret? neque enim vlla res spoliari sua essentia, suis proprietatibus potest, quare quoquomodo referetur ad aliam, quæcunque demùm illa sit, quòd scilicet essentiam habet, quòd proprietates, quòd operationes etiam, dices deterioris notæ, & indignioris naturæ, essentiæ proprietates operationes inferiorum sunt, non abnuo, sed quid consequentiæ est, vt superiora ob id inclinent ad ima, nónne magis consentaneum ascendere inferiora, quàm vt superiora descendant: dices aliter fieri non posse: negabo audacter in omnibus, præterquàm in ijs qui consilio & voluntate agunt: Namque cœlum aut stellæ non descendunt, vt herbas, vt plantas, vt frutices, vt animalia generentur, alantur, foueantur, perficiantur: sed radios suos emittunt diffunduntque, quorum lumine & calore benè est, beneque agitur fragili turbæ mortalium: respondebis consilio & voluntate dæmones tuos & deos agere: non aliò te confugere volebant, vnde puto non aufugies, didicisti igitur non ex lapidibus, non ex loto, non helitropia, quomodo aliæ animæ, sub alijs numinibus ordinarentur, quomodo gallus & leo Solis essent animalia, inquies illud te ex conuersione & motu illius ad Solem, hoc te ex colore leonis & virtute ex galli cantu, & applausu in Solarem aduentum percepisse, confirmataque tibi hoc ipsa esse angelorum dæmonumque apparitione: priora quod vis, non probant, vnde huic confirmationi insistas velim, quæ paulò pòst etiam tolletur. Helitropia & selinotropia, cur ad Solem Lunamque vertantur, eam quam assignâsti causam non esse contendere possumus, aliâs inuehentes egere scilicet illas herbas ad sui conseruationem, ea luminis calorisque intentione, non qua lumen Solare Lunaréve, sed qua ita intentum atque remissum: in formam item id reducere non inconuenit, vt in magnetis formam ferri sequelam referri debere penè omnes conueniunt: sed & de qualitatibus affectionibusque materiæ heliotropiæ conuersionem pendere, si arbitrabimur, nullum sequetur incommodum: Si, inquam, ob humiditatem nimiam in Solari eam vehementer oportere putemus, quare verti eam quodammodo, & trahi à Sole appetitu formæ innato, vt conseruetur, vt maneat in rerum natura: idipsum altera ex parte in exuberantem calorem elementalem conferri posset, qui viuifico calore Solis egeret, vt foueretur, temperareturq;. Loton verò herbam ex humiditate sua, vnde illud Poëticum: – *& aquatica Lotos*. Complicare & explicare folia dicimus, humiditate, inquam, viuifica, quodammodo & naturali, quæ Solaris luminis beneficio fouetur, & quasi furcillatur, ne decidat: ea enim natura luminis est, vt humiditates nō superfluas & excrementitias, sed naturales & necessarias trahat & augeat, illas verò diffluere faciat atque disperdat: quare loti folia in sese recidunt & complicantur, cùm Solaris luminis beneficio destituūtur. Adaperiūtur verò Solis iubare exorto, & eò magis explicantur,
quò

quò magis ille ad cœli summum euehitur. At quæso cur idem in Lupino, quòd in Heliotropia non consideràsti? te fortè mouit nominis proprietas, cùm illa ex sua ad Solem conuersione nomen sortita sit hoc minimè, cùm tamen eadem conuersione vigeat & foueatur. Heliotropium (ait Plinius) & Lupinum circumaguntur à Sole, & nullum sanè obuenisset dedecus Asiaticæ illi tuæ, seu Lyciæ mauis fertilitati, ne dicam an luxurianti abundantiæ, si hoc ipsum meminisses. Leo verò cur Solare magis animal, quàm Iouium: ex colore, vt puto, figuraque non deprehendisti: nam & plurima hoc pacto constitueres solaria magis, quàm Leo: multò minus inuestigâsti decreuistique gallum solare animal haberi, Martium alij decantârunt: vnde illud *Martius ales*, qui fortè ob id *quod crista est spectabilis alta*, quasi militem quendam, cristata insignem galea: leones metuunt, & si fabulas irridere fabulis licet, quis Martem militesque Martios non formidet? At canit, inquis, & applaudit Soli aduentanti, nostroque hemisphærio illucescenti: cur hac ipsa ratione, auiculas omnis Solares non facis, quæ dum aurora rosea, in aureos Solis radios desinit, miros ædunt concentus: Cæterùm cur canant ante lucem non disseruisti: Dices fortasse te id intellexisse atque eidem causæ acceptum retulisse, Soli videlicet propinquanti, cùm ex Antipodum medio cœlo ad nos deflectitur: vide ne melior & acceptabilior sit Democriti ratio, qui & ipse ad perdiscendam Magiam enauigauit, & nihilominus gallorum cantum non superstitiosè, sed naturali causæ retulit acceptum: Is igitur gallos asseruit depulso de pectore cibo, & in omne corpus diuiso, & modificato, cantus edere quietè satiatos, qui (vt inquit Ennius) fauent faucibus: Rursus cantu plausuque premunt alas: Mitto quòd sæpiùs & diuersis horis noctu cantant. Ridicula verò illa tua de Angelis illis animalium formas indutis, & dæmonibus leonina fronte gallum fugientibus, quis non exibilet potiùs quàm confutet? quis vnquàm credidisset tàm stulta à Proclo prodijsse, vt opinaretur dæmones etiam leoninos gallum formidare & expauescere? Superior certè natura dæmonica dicetur à te, & consentaneum esse, vt solare animal priùs digniusque sit tuo ex dogmate quàm gallus: quare ergo formidat? sed sit leoninus dæmon, sit etiam vt Leo formidet gallum, consequens ne ob id erit, vt etiam dæmon leoninus paueat & fugiat, potéstne fortasse in eo leonina natura magis quàm dæmonica? Si ita est vnde subita disparitio negata leonibus. Si verò plus dæmonica, quæ humanam præit, vnde tanta formido? Ita est dubio procul, vt quicunque Christi hostes sunt, inter quos Proclus & Porphyrius præ alijs, qui etiam aduersum Christianos acriter egere, desipiant adeò cùm videri sapientes velint, vt risui pateant: sic & prophanus ille desertor ac impius apostata Iulianus, & ipse magicis apprimè vacans, qui in libro contra Christianos, quos Galilæos vocabat, scripsit, Aesculapium ex mente Iouis genitum, & per Solis vitam ad terras destinatum, varias peregrinationes suscepisse, vt animas sanaret, & corpora, quasi edoceri non potuerit, hominem eum fuisse, ab ipso Celso Cornelio, qui docet, illum in deorum numerum ob id receptum, quòd rudem adhuc Medicinam paulò subtiliùs excoluisset, quasi non deprehenderit Iouis natura eum adeò indignum vt à patre interficeretur. Scribit enim Pindarus Aesculapium à Ioue fulmine adactum, auaritiæ merito, quòd Medicinam nocenter excreuisset: sed vulgatum olim interfectum, quòd Hyppolitũ ad superas auras, postquàm occiderit, pœonijs herbis euocasset: vnde Maro fabulando cecinit:

Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab vmbris,
Mortalem infernis ad lumina surgere vita:
Ipse repertorem Medicinæ talis & artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.

Alij quod narrat Plinius de cœlo ictum fabulati sunt, quoniam Tyndaridam reuocauisset ad vitam, alij alia: sed ô insipientissimum tuum Iouem Iuliane, qui ex suis (vt inquis) intelligibilibus, ex se ipso Aesculapium genuerit, adeò scelestum, vt fulmine in eo coërcendo opus fuerit. At si ex seipso num ex sua substantia? nunc ergo talis & pater. Si prætereà eum genuit, vt animas sanaret & corpora, illeque infirmaret & perderet, multa profectò ignorantia, multa insania laborauit, nesciens quæ esset acturus filius. Sed cur per Solis vitam? an quoniam fabulæ Solis illum Phœbique filium nuncupârunt, an quòd inde animæ descenderent omnes, vt

mentiuntur impij, & per Lunam aſcenderent, vt etiam Firmicus blaterat ſtultorum veſtigia ſecutus, quales ſunt omnes, qui Chriſto aduerſantur. Sed ad apparitiones tuas, Procle, reuertamur, alio te non Magis loco, quaſi in piſtrino quodam intrudi volebam, vt dæmonicas, ſcilicet, pro te apparitiones afferres, tùm enim materialem naturam palàm egrederis, & rationem fugis, teque in vmbras & ſimulachra, & dæmonum denique laruas conuertis, quæ te pariter & alios fefellerunt: Nam quæſo te illud ediſſeras quo pacto carduus ſeu Cnebiſon malumus, ad ſubitam numinis alicuius apparitionem ſit ſatis, ad cuſtodiam laurus, ad præſagium cor talpæ. Miror quòd non ſubnexueris, recens & palpitans, ita enim ſi deuoratur, diuinationis & rerum efficiendarum euentus, teſte Plinio, Magi promittebant. Sed quæ hîc rogo ſympathia, qui conſenſus, quod naturale ſymbolum? Nónne mera hæc figmenta, meræ ludificationes malignorum ſpirituũ? vnde Philoſophe, vndénam fit? vt conueniant laurus & ſpiritus cuſtodia? vnde iungatur carduus & dæmonis apparitio? vnde homini præſagium ex talpa: num illud ſaltem vidiſti, ſi analogiam conſiderabas, ſi tuam ſpectabas ſympathiam, talpam lucifugum animal, tantùm diſtare à præſagio debere, quantum à tenebris lux: Futurorum prænotio ex luce & quidem eximia, non corporali, ſed ſpiritali comparatur, talpa ſpiritali non colluſtratur lumine, quæ inter bruta & quidem ſtupida repoſita eſt: Sed & corporali luce damnata, qua & omnia ferè pollent animantia: habitat prætereà in cauernis terræ, elementorum deſpicatiſſimé. Sed eo te tueberis, ſecretiora iſthæc ex dæmone hauſta reſpondens: hoc eſt, quod in te confutando quærebam, vt naturales rationes aufugiens, ſuperſtitioſam fugam arriperes, & eo te conferres loco, quem ſuprà expugnauimus, cùm omnes doctrinas dæmonum, vanas & deteſtandas, omniaque dæmonum commercia noxia fugiendaque docuimus.

CAP. VI.

ADVERSVS MAGIAM ALCHINDI.



Lchindus mirabilia opera quæ ſuperſtitioſi pollicentur, non ſpiritibus, ſed corporalibus radijs accepta retulit, eo in libro quem de Effectu Proiectuque radiorum compoſuit, qui Magicarum artium theorica prætitulatur, eius libri vis & ſumma hæc eſt: cœleſtem harmoniam omnium miraculorum, cauſam eſſe, omniaq; inde ex neceſſitate pendere, ſtellarum vires, terrenorum turbæ multifariam varieq; communicari: hinc ad elementa radios mitti, hinc in ea quæ ex elementis componuntur diffundi, vnamquamq; rem ſuos habere radios à cœleſtibus ſortitos, quos refundat in alios. Subdit & deſiderium hominis plurimùm prodeſſe, quòd ſi imaginationi coniunctum fuerit, quàm ſuos etiam habere radios voluit, mirabilia perpetrentur, verbis, figuris, characteribus, ſacrificijs, in quibus omnibus operatores radios ſomniauit. Summatim vanitatem eius & ſtoliditatem recẽſui, & ſummatim etiam refellere poſſem. Sed dum eius legerem librum, memini me plurima eius errata collegiſſe, ex quibus ſuam ſuperſtitionem extruxit. Quapropter ſi quorumlibet eorum, Deo iuuante, redarguendo deſtruxerimus, operæprecium feciſſe videbimur, totum eius librũ ex integro retexentes, nec ſe iure fautores eius defraudatos expoſtulare poterunt, quòd ideò libẽtiùs facturi ſumus, quò minus nobis in reliquis confutandis incumbebit negotij. Nullã enim Magiæ ſpeciem inuenies quę aut figuris, aut verbis, aut materialibus rebus, animalibúsve, non vtatur, quibus rebus Arabs iſte, adusq; inſaniam ebrius, ſtoliditatis poculum ſuperſtitioſis porrexit innumeris, eò autem illius pernicioſior ebrietas, quòd ſobrium ſe eſſe enixè contendit. Exorditur enim librum ex Ariſtotelica diſciplina, docens ex multis ſingularibus ope ſenſus perceptis vniuerſale quoddam comparari, quibus collectis, rerum generetur ſcientia, & longo tandem progreſſu peruenit ad cœlum, in quo primùm hoc erratum commiſit: directionem & obliquitatem radiorum, cauſam eſſe varietatis ſpecierum in inferioribus, quod quidem non modò ijs repugnat, quæ probauimus quinto libro, quo totius vanitatis iſtius fundamentum tollitur, cùm ibi decernatur pro effectibus eiuſmodi, quales ſuperſtitioſi pollicentur, ad Aſtrolo-

Astrologicam vanitatem, quæ Magiæ clauis appellatur, recurrendum non esse, sed Aristoteli ipsi planè aduersatur, apud quem nullo modo recipitur, vt ex intentione remissioneque specierum diuersitas prodeat, quæ ex contrarijs, scilicet, & differentibus principijs dependet, non autem ex eodem nunc intento tunc remisso. Directio autem & obliquitas radiorum nil aliud parere potest, quàm intentionem remissionemque caloris & luminis: fortius enim radijs afficimur, cùm ex directo ad lineam videlicet, & perpendiculum nos feriunt: Debilius verò cùm à nostro capite lucida corpora, à quibus, scilicet, effunduntur, ad hanc vel illam partem inclinant. Sed apud Aristotelem fortasse legerat corruptionis, & generationis causam in obliquum circum, & propinquitatem remotionemque radiorum esse referendam, quibus terrena videlicet afficerentur: vnde ad specierum differentiam ineptè, & inconsultò quidem transtulit, quòd ille de indiuiduis tantùm ob infirmam materialium, scilicet, rerum condictionem affirmauerat.

Secundo loco omnia dicit ex necessitate peruenire de cœlo, omniaque nostra accidentia inde pendere, facinus apud Aristotelem inexpiabile, quod in libro de Interpretatione, & in vij. primæ Philosophiæ, & alibi suarum commentationum abominatur, & fortissimis argumentis eliminat, vt Sacras literas omittam, & nostros Theologos, quos Barbare Maomethis alumne non admittis. Tertio errat Alchindus, nec modò contra Aristotelem, sed Auerroi, Auicennæ, & toti ferè Arabum literariæ turbæ contradicit, putans causæ cœlestis considerationem Metaphysicam esse: mitto rationes ex corpore, ex motu, effectu, fine desumptas, ne longior sim in re non dubia. Quarto delirat homini minoris mundi nomenclaturam ideò tributam asseuerans, quòd recipit, vt eius vtar verbis, potentiam inducendi motus incompetenti materia: vide quantum aberret, nónne hoc & equo, & mulo, & simiæ competit, vt in materia competenti motum inducant, mouent & hæc, & animalia ferè omnia, manducant, nutriuntur, generant, aluntur, nec nisi hæc inconuenienti materia operantur. Minoris tamen mundi eis appellatio non conuenit, quare non isthæc, sed aliæ sunt causæ, cur homo minor mundus nuncupetur, quòd in solo eo omnia suo modo visuntur, quæ conspiciuntur in vniuerso: quòd cùm in animatis, cùm plantis, cùm animalibus, cùm spiritalibus substantijs aliqua ex parte conuenit, quòd nexus & medium est vtriusque naturæ corporeæ, scilicet, & incorporeæ: quòd ex arbitrio conformare se omnibus potest. Sed hæc mittamus quasi suæ stultitiæ præludia.

Imaginationem deinde ponit radios habere, mundi radijs apprimè conformes, quòd fieri vt facultas ei sit in rem extrariam imprimere, quodque in ea concipitur, actualem, vt inquit, existentiam habere in spiritu imaginario, quapropter extrà produci posse quod conceptum est, quibus si desiderium iungatur effectum rem sortiri non secus ac operatur medica potio, cui scãmonea iũgatur. Multa hîc falsa, multa impossibilia, neq; enim insunt imaginationi, quos fingit radij: Sed quicquid exit ab homine, ex corporeis spiritibus prouenit, quibus tãquàm instrumentis vtitur anima: eò autem impensiùs feruntur, & quodammodo proijcitur: si vehemens desiderium fuerit, vel amoris, vel odij, vnde ex concupiscibili vehementissimè excitata semen effunditur, ex irascibili fascinatio sequitur, quod fortè ille somniare voluit, sed non in quamcunq; distantiam, spiritus effundi poterunt, vel osoris, vel amatoris, nec fascinari potest quod remotum & longinquum est, aut durum, & ad recipiendas corporeorum spirituum impressiones minimè cedens. Illud autem insigne delirium, quis non aduertat sequi ex vana hac opinione, vt homo possit, quod natura non possit, ipsa quod abhorret, illa in promptu homini sit, negabit: probabo vtique ex eius verbis necessaria id connexione pendere, quòd cõceptum, inquit, in imaginatione est, modis enarratis extrà produci posse, igitur cõcipiat quis imaginatione Chymæram, imò animal mille formarum alternè repugnantium: potest hoc quilibet vt est euidentissimum, iungatur desiderium producendi, quod cuilibet non sanæ mentis facillimum est: producetur ergo Chymæra, & animal, vt sic dixerim, milleforme, hoc autem absurdum est & natura non patitur: affert postea, quasi pœnituerit, effectus eiusmodi non euenire, præterquàm raro, nisi vel verba, vel manuum operatio intercedat, sed nil minus Barbare conficies: nam quod vniuersa natura non patitur à particulari natura nequit perpetrari: quòd si fortè Auicẽnam imitatus, tribuis imaginationi id tantũ quod

potest

potest natura, & nil vltra concedis refelleris omnino: nam particularis aliqua natura, qualis imago, id non valet quod tota natura, sed quod sibi proprium peculiareque est: sed quænám sunt hæc verba, quæ manuum tandem operatio? Voces, inquit, aliæ faciunt radios differentes à radijs aliarum vocum: hoc nequaquam est, quando voces corpora non sunt, nec res quibus inesse possint radij, quorum parens est lux qualitas vtique corporea, & à lucido corpore iugiter manans: Sed finge radios habere, num aliter differre poterint, quàm acuto, graui, longo, breui, quas differentias vocum esse Aristoteles & alij statuerunt: Quid? Quòd Plinius asseuerat, quanquàm multæ olim in promendis verbis, vanitates obseruarentur, sicuti & Sortilegijs, Ominibus, Auguribusque insistebatur, semper tamen incertæ quæstionis fuisse, valerent ne aliquid verba & incantamenta carminum, quæ viritim à sapientissimo quoque repudiata fuissent. Subdit Alchindus easdem voces effectum suum enancisci ex harmonia cœlesti, quo quid delirius dici potest? quasi voces aliquid sint priusquàm producantur, cùm enim vox sit sonus ab animalis ore prolatus, imaginatione concurrente: quo pacto imprimi illis potest ex cœlo quicquam? certè neque stabilis est vox, vt affici possit à corporea qualitate, nec vllius influentiæ capax est: Nam ex percussu respirati aëris ad arteriam vocalem cùm fit vox, verberatur aër, & diffunditur sonus in eo: afficeretur ergo aër non vox, quæ, scilicet, pro arbitrio generatur, & statim quasi filia, ex patre emancipata, sui iuris esse incipit, ac per aëra diuagari in quo etiam * quantotius perit. Hinc & alia insignis Alchindi proditur insania, mentientis voces alias Saturni operationes confortare, Iouis alias, alias Martis, priùs enim eas à cœlesti pendere harmonia dixerat, nunc confortari cœlestes Planetas ab eis planè somniat: quasi effectus agere in suam causam, & eam fouere & perficere queat, cui reclamat vniuersa Philosophia: effectus enim suam naturam à causa possidet, nec in illam hoc pacto refunditur. Illud autem superat omnem stultitiam, quasdam voces cum quibusdam cœli imaginibus conuenire, & verba quæpiam cum solennitate prolata mutare sensus brutorum & hominum: hinc in speculo consecrato videri imagines, hinc moueri fœminas ad amorem, hinc mutari elementa, terram calefieri, ignem à combustione cessare. O` delirium incomparabile, quænám quæso vis hæc, vnde deriuata, vbi recepta? Namque si ab harmonia pendet cœlesti, tota vis verborum, vt contendit, cur non ipsa per sese operari hoc potest, cùm sit causa superior? Dicet fortasse cœlum media & proxima causa, hoc est, verbis agere. Sed illud respondeat in sonóne, aut in voce, an in verbis exterioribus operandi vis recipitur: priùs enim natura sonus quàm vox, & vox quàm verba, hoc enim ex illo, illudque ex alio confit: verba enim vocem & sonum includunt, & in definitione vocis continetur sonus: Sine voce sonus esse potest, quia natura prior, pari ratione sine verbis vox, sine voce verò & sono verba non sunt. Si igitur vis in sono recipitur, & qua sonus mouet elementa, omni sono etiam in animatorum corporum poterit ea virtus communicari, quare nec voce, nec verbis erit opus. Si autem in voce, cum ea plærisque animantibus præterquàm homini competat, idipsum poterit à brutis fieri: si verò in humanis verbis tantum recipi dixeris, cùm ex successu verba formentur, & syllabatim ea fluere necesse sit, nec tota simul esse aut permanere vnquàm possint. Quæro vnde recipiatur vis, in primáne syllaba? aut intermedijs? aut vltima? si in prima iam non in verbis, sed syllaba recipitur cœlestis impressio, quæ mox perit, pereunte, scilicet, syllaba & succedentibus alijs: Si in alijs singulatim eadem ratio stat: Si in vltima idem etiam euenit: Iam enim syllaba non verbum est, quæ mox transit, quemadmodum & alia cuius natura non permanet, sed in continuo fluxu successuq; constituitur, quare colligitur nullo modo verbis inesse hanc posse virtutem cœlitùs operantem.

* quantò ocyus.

Si quis verò ex ijs qui sibi sapientes videntur hoc ipsum argumentum, & ad baptismi conficiendi & ad eucharistiæ consecrandæ verba sacratissima transferret, bifariam responderetur: neque enim consensus nostrorum Theologorū est causas esse verba illa, sed signa, quare nihil ad propositam quæstionem conducet. Præterea nonnulli signis ipsis per se nihil efficaciæ tribuunt, vt Scotus & asseclæ, sed & ij qui in sacramentis, vt sunt signa, etiam aliquid operationis instrumentalis attribuunt, Thomam secuti, nullo pacto concedunt effectum sacramenti ad verba tāquàm ad causas

referendum,

referendum, cùm sacramentum si sacræ rei signum: operari autem Deum & pacto quod per illa pepigit signa assistere illius virtutem dicerent: prolatis statim verbis operantem, quæ & animam ab originali purgat labe, & panis substantiam in Christi corpus mirabiliter conuertit: De qua re latè quarto Commentariorum in sententias à Theologis innumerabilibus pertractatum: Quid? Quòd insanum hoc dogma Alchindi alijs per eum effusis insanijs minimè quadrat, neque enim cœlum potest naturas (cuius causa est) destruere: cuilibet enim causæ non ex voluntate, sed naturæ necessitate operanti proprium est, vt suos conseruet effectus, non destruat. Sequitur ex eadem insania, verba hominum, posse non solùm elementa, sed & cœli ordinem quod ex necessitate priùs operari voluit, inuertere atque peruertere, vel ea vt afformentur ab homine in eius facultate nō esse: aut enim potest voluntas à proferendis illis verbis cessare, aut non potest: si vltimum dicis, libertatem & arbitrium tollis. Si primum tùm non immutabuntur elementa: sublata enim causa, effectus pariter aufertur, & nihilominus potest, illa in cœlo remanet effœta viribus: igitur ex necessitate non producit, cùm in hominis facultate reponatur, operetur illud ánne ex prolatione verborum.

De figuris posteà & characteribus multa blaterat, opinatus figuram omnem in elementali materia impressam parere radios, ex quibus motus alijs in rebus excitentur, & demùm illis tribuit, quæ verbis concesserat. Manifestum autem & ex Aristotele, in primo Physicæ auscultationis libro, & ratione quoque decretum, figuras characteresque huiusmodi, qua ex arte sunt non natura, admittere non posse superiorum causarum influxus, quod fortè subodorans Alchindus subdidit, ex reuelatione spirituum edoctos homines illarum virtutem: quam rationi quoque consentaneam esse toto libro conatur ostendere, eo deuectus hebetudinis, vt imaginem & simulachrum animalis habilius esse dixerit ad virtutem recipiendam à verbis, & operibus in sui formatione exhibitis, quàm sint ipsæ materialium rerum species. Sed iterum videre mihi videor, sciolos illos qui verba sacra, quæ formas dicimus sacramentorum, nobis ingesserunt, nonnulla etiam de veteri lege comminisci, quibus errori huic superstitioso verborum figurarumque potentia freto patrocinentur, afferentes eximiam in verbo Tetragrammato vim Hebræis existimatam, serpenti Moysis æneo largiendæ sanitatis potentiam adstitisse: Zelotypiæ aquas in quibus cum execratione sacerdos maledicta congessisset, pòst scripta nonnulla in libello verba quæ aquis illis deleta fuissent, peractisq; nonnullis cærimonijs dirumpendi fœmur Mœchæ mulieri potestatem obtinuisse: sed incassum pugnant quicunque superstitiones religione putant confirmari posse: Siquidem verba, lineamenta, figuræ aut characteres, descriptaque verba, nec præter, nec supra naturam operari quicquam per se possunt, quin & ea ipsa quorum parens & alumna natura est, efficere nequeunt nisi altioris ope virtutis adiuta fuerint. Aristoteles prætereà in libro de Anima, neque sonum, neque odorem, præterquàm per accidens, sortiri dominium in corpus testatum reliquit. Diuina igitur illa virtus fuit qua illa ipsa operabantur, quæ quidem virtus, quoniam naturæ præstat, ita & effectus supra naturam, ex illa prodibant, qui per Mosen videlicet perque sacerdotes illos fieri asseruntur, quare nullum Alchindo, aut superstitiosæ turbæ suffragium hinc peti posse putemus, cùm cœlum, cùm verba, cùm characteres, res naturales & sint, & habeantur, illud substantia, hæc autem affectiones & accidentia, quorum quæque vel simile, vel inferius, non autem supra suam speciem operantur.

Sed oro te, cur in Tetragrammato nomine Hebręi nunc portenta non conficiunt, cur aspidum morsus, serpentis ænei fabricatione minimè sanantur? cur adulteram fœminam simplici aqua & verbis non dirumpunt, quòd si virtus illa non assistit amplius, cur parte alia in Iesus nomine fieri miracula adeò testatum, adeò conspicuum, vt negare opus non sit? cui nomini supernaturalis virtus adstat eius, quem nomen illud significat, hoc est, Iesu Christi virtus, in quo diuina est humanaque natura, qui pro nobis natus & crucifixus, qui antiqui serpentis vulnera sanauit, & in cuius virtute aut figura, æneus ille serpens exaltatus, in deserto, quemadmodum & hic postea fuit in cruce, serpentum morsibus medebatur. Dices quatuor esse literarum nomen, quare & magna etiam operari: sed falleris, Pentagrammaton est,

siue

siue Hebræam,siue Latinam linguam consideres:tametsi Iesus maiores nostri abbreuiarunt, quem vsum posteriores plurimum secuti : Sex autem Græci scribunt literis, in vnaquaq; tamen lingua eadem virtus, modò eadem pietas. Sic & Græci sua lingua baptizant, & sacrosanctum altaris conficiunt sacramentum, non secus ac Latini. Cur ergo Hebræi vestrum quatuor literarum nomen. *I.H.V.H.* vobis non prodest? Idem
* S nobis addita litera * es nostra, Schin vestra supra naturam operatur. In quatuor ergo vestris vocabulis consonante addita agnoscite sacramentum diuinitatis & humanitatis : quod Ioannes Reuchlin Sueuus egregio vir ingenio, multaq; doctrina disseruit. Sed prætereà quæ ille de occultis dogmatis Hebræorum in eos demolitus est, deque Hieronymi auctoritate desumpsit, vt scilicet, literæ naturam & significatum explicarent, missa facimus, quòd mea quidem sententia paucis præstitit cumulatiùs, quàm integro olim libro Messalla Romanus : Quadrare tamen & illud quoque huic rei mihi nunc occurrit, quòd eadem litera non solùm per dentes significatur, sed per constrictionem maxillarum exprimitur, vt ex superiore scilicet dentium ordine cum inferiore, qui ad pronunciandum S conuenit, superioris inferiorisq; naturæ vnio, vel tacitè significetur. Sed ne digressionis leges transgrediamur, quærendum item ab eis cur multa nomina quatuor literarum etiam vocalium, multa quinque, multa sex, virtutem super naturę vires non obtinent? Cur & Naue filius, & Iosedech, & sacerdos ille magnus apud Zachariam, & ille de Bethsames, cuius apud Samuelem mentio, & filius Sirach eodem vocati nomine, eadem non effecêre? cur Hebræi in nomine filij Naue & Iosedech, & Sirach mirabilia non operamini? illi enim quanquàm magni fuêre, homines tamen : hic Iesus Dei & Mariæ virginis filius, quem vos crucifixistis, nos colimus & adoramus, & homo & Deus est, suppositum Diuinæ humanæq; naturæ. Cur vos impij Mahometenses per Alla nomen miracula non patratis? nec vllum vnquam vester Mahomet eodem est molitus nomine, quod ille in Alchorano fatetur: sed æmulatæ sunt ferè omnes nationes nomen quatuor literarum, quò diuina substantia exprimitur. Nam præter Hebræos & Græci, θεὸς, & per eam fortè Pythagoras quaternitatem iurabat, nisi Tetragrammatum nomen Hebræorum intellexisset, ex quorum etiam disciplina multa eum in suam philosophiam transtulisse, Hermippus est auctor. Latini Deus, Assyrij Adad, Arabes Alla, & populi nonnulli paulò antè, ab Hispana classe reperti Zimi. Verùm sub lustri vmbra adhuc videor cernere, & qui aspirationis notas me pro literis posuisse calumnientur, & theos non Tetragrammatum, sed Pentagrammatum debere affirmari, & Naue & Iosedech filij, & alij, Iesu non eisdem literis & syllabis conscripti quo noster dux & Deus Christus Iesus. Sed nôrint quicunq; hi sint, nomen Hebræorum Tetragrammatũ, quanquàm H contineat duas, quæ apud nos literæ non habentur, sed spiritus: nihilominus aliter euenire apud Hebræos, apud quos nomen quatuor literarum & est, & appellatur. Theos verò apud Græcos θεὸς scribitur, & apud nos filius Syrach, & Iosedech, & sacerdos magnus Iesu Christo cognomines sunt, sed nec aduertunt Priscianum Hebræis legem non tulisse loquendi, vel Iesus sine aspiratione scribatur: putantes in H. Hebræorum H esse Græcorum, quod in æ longum, vt plurimùm verti soleat : à nobis vtcunq; sit, apertè satis probauimus, nec aspirationibus ipsis, nec literis ex se, nec syllabis, nec nominibus inesse posse vim, quæ naturæ potestatem æquet, nedum superet. præterquàm pijs Dei cultoribus in Dei & Iesu nomine: vnde olim Hebræis, nunc nobis ea adest qui Iesum colimus, cuius regni & potestatis, nullus vnquam finis. In pietatem igitur & fidem in Deum bonis operibus redimitam, & Christiana potentia fretam, non lineamenta figurarum literarumq; characteres opera supra hominem referant: Sic Apostoli, sic & alij pij nostræ religionis cultores innumeri mirabilium operum effectores fuêre.

Sed quanquam in Sacris literis legimus in die illo diuini examinis dicturos multos : *Nónne in tuo nomine Domine prophetauimus, & dæmonia multa eiecimus?* quibus respondendum est: *Nescio vos*, vt cognoscamus malos in Dei virtute posse patrare miracula: quòd minimè inficiamur: Legimus etiam in Sacris literis, *tentantibus Iudæis exorcistis inuocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat : respondisse spiritum nequam, atque dixisse: Iesum noui & Paulum scio : Vos autem qui estis?* nec duro contentus responso adiecisse verbera, adiecisse & vulnera, vt pariter quoque dinoscamus, quanquàm Dei gratiæ quæ gratis dicuntur

cuntur datæ,& virtutum operatio concedantur malis: bonis tamen in primis conuenire, in quibus cum recta fide, vita & mores conueniant, quare & superstitiosorum omnium & pręcipuè Alchindi illa deliria exibilanda, quæ is ea persuasione admisit, quà etiam autumauit sacrificia pollere: ea quippe ideò esse efficacia somniauit quòd in victimis centrum & vnitas (vt inquit) regitiua inesset, ac proportionata complexio in suis partibus, quemadmodum & in vniuerso conspiceretur: quapropter victimam mundo conformem euadere: hinc, inquit, dum viuit animal elementalis mundi partes suis radijs informantur: Si verò naturaliter moritur, mundus non commouetur. Fieri autem commotionem cùm vi & hominis actione mactatur: mundi enim materiam, tùm contra naturam in mutationem incurrere, & hoc pacto alterationem passam fieri habilem ad eam receptionem formæ, quam non admitteret cursu naturę, his si iungatur cum imaginatione desiderium moueri & concuti elementa, quæq; ex his coalita & coagmentata sunt: Holocaustis autem & thure tanta non fieri, cùm mundo conformia ita non sint, quemadmodum & viua animalia: demùm ex initijs operum si ea cum verbis & figuris quæ stellis conueniant, exordiremur felicia euadere, sin min⁹ infelicia, & vnam quanq; stellam, propria habere nomina, propriosq; characteres, ac antiquos Medicos in sumendis herbis medicaminibusq; conficiendis hoc ipsum obseruauisse, hæc ab illo quem puto, non intellexisse quæ scriberet. Namque (vt hoc vltimum primò redarguamus) nec Hippocrates, nec Galenus, Græcorum celeberrimi: nec Auicenna & Auerrois Arabum præstantissimi, id consueuerunt, irriserunt potiùs & aspernati. Quæ prætereà hæc nomina stellarum? qui characteres? quis nomina imposuit? quis characteres conformes inde deliniauit? Sanè si à proprietate rei sumenda nomina sunt, cùm syderum ignorentur proprietates, numerus, ordo, vt quinto libro probatum est, cassa erit & absurda nuncupatio: Si verò stellarum figura spectetur, rotundis omnia faceres: quomodo ergo propriè vnicuiq; figuræ characterésve, cùm rotunditas omnibus sit communis, qua singula, scilicet, participant & nullo pręterea. Sed reuertamur ad sacrificia illa sacrilega contemnenda, quid quæso potest hæc tua conformitas? quid pura meraque relatio? neque enim illi competit actiuæ causæ condictio, finalis magis competeret: sicuti conformitatem amoris dicimus causam: prætereà num & idem eueniret si ab alio animali, animal aliquod occideretur. Quotidie igitur elementorum commotio, quotidie tumultus orbis, cùm ceruum leo, cùm gallinam vulpes, cùm agnum lupus, falco anatem, olorem aquila occidit: quid si fulmine intereat, concutientúrne elementa iterum, & maior suborietur excitatio? vt ex illo fulmine aliud idque ex alio atque ita deinceps orbis rector eiaculetur? Cæterùm quis motus interfecto animali potest in elementis fieri, aërem impurum hoc vicinum terræ, ex voce, ex membrorum motu dispergere & difflare potest. Quid prætereà? quid in res procul positas, quid in elementorum sphæras. Aduerte quæso ni periculum formidasses, consequenter dicturum te, humanas hostias vitulinis pręualuisse, siquidem maiorem esse mundo affinitatem cum homine quàm cum bestia fatereris, & te quoq; in ijs scribendis bestiam potiùs fuisse quàm hominem, si rectè consideres, non negaueris radiosq; illos tuos non à luce diffusos, verùm de tenebrosa nube stultitiæ prodijsse, qua septum caput & obtenebrati adeò sunt oculi, vt in miseriæ baratrum præceps abieris.

CAP. VII.

ADVERSVS ROGERIVM BACCONEM, ET QVAEDAM Magica quæ inscribuntur Alberto: Item aduersus Petrum Aponensem.



NOn fuit ab re factum si aliquanto in Procli & Alchindi Magia confutanda substitimus, moratique fuimus, cùm illis reiectis plurima, quæ inde pepẽderunt inania, placita quæq; affinitate quadam sociata sunt, reijci faciliùs possint. Nam quæcunq; Rogerius Baccon portenta scripsit, quæ ad Magiam naturalem spectare posse videantur, ex his quæ diximus, sine alia cõtrouersia & disputationis altercatione taxari commodè possunt, & sanè vberiùs, si quæ aduersus eum auctorem, cùm de prophetia disputaremus, à nobis allata sunt

ad memoriam reuocata fuerint, ex sui illius speculi facultate cõfieri opinabatur posse, vt bruta animalia, se ad hominis imperium prosternerent, quò rationibus abundè perfracto imaginaria, illa & ficta sua animalia in eo relucere & præsentari nequeunt: Totas enim ferè cùm illius, tùm Alchindi vanitates ex Astrologia deriuãtur, qua corruente, corruũt. Multùm & rebus ipsis inferiorum corporum tribuit Baccon, ne à natura desciscat: sed nimiùm concessit secretorum auidior, & nimis omnino credulus, inter quę illud: Sapientes Aethiopum, Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam proficisci, & arte quapiam de cauernis excitare dracones, quibus imposita sella & freno superequitent agitentq; per aëra concitatissimo volatu, quo carnium rigiditas dometur & præparetur ad esum, eam enim ad euitandam senectutem, & intellectus, vt eius vtar verbo, subtiliationem vltra omnem existimationem conferre, nec quenquã posse ex humana doctrina tantũ sapientię nancisci, quin illarum carnium esus ampliorem prętet: hoc ille ab hominibus, vt ait, probatæ fidei & sine mendacio didicit: quòd Dauidici quoq; versiculi auctoritate confirmatum iri putauit, quo scribitur: *Dedisti eum escam populis Aethiopum.* Miror quod ad prophetiam valere carnes illas arbitratus nõ fuerit, quando & primo libro notauimus fuisse qui crediderint ad brutorũ sensa percallenda conducere, cor draconum & epar comestum: Atqui dubitassem hæc à Rogerio non credita ni eius in compendio studij Theologię conscriberentur. Ementiũtur sępenumerò superstitiosi homines sua deliria, quanquàm Rogerius alioquin doctus ab hac suspicione longè videtur vt falsò ei superstitiosæ vanitates inscribãtur, qui eis scilicet plurimùm insudauit.

Sed inscribuntur plęraq; Alberto quę fortè ille non scripsit inter quæ de Mirabilib. liber, cuius hęc est summa rerum, mira fieri per cœlestes quandoq; virtutes, per qualitates, per necromantiam, & dęmones, per reuelationem rerum, & similitudinem, dissimilitudinémve, per virtutes rerum innatas suisq; formis substantialibus inditas, explicat aliqua quorum nonnulla mediocria, sed mala plura: nam experimẽta quæ protulit, si vera sunt ad qualitates viresq; naturæ occultas pertinere possunt, Leonis pellem reliquas lędere pelle lupi eamque agni est absumi, & si qua huiusmodi. Nimis autem effertur, putans fieri audacem qui cor aut oculum leonis gestaret, terrorem eo animantibus incuti: rebus alijs si gestentur ad amorem accendi, ad odium inflammari homines. Inter res naturales amicitiam quandam vel inimicitiam vigere non abnuimus: nam & à suis formis seu mauis essentijs fluere id potest, quòd in magnete visitur, in carabe, in adamante, in plærisq;: potest & ad qualitatum similitudinem, repugnantiamq; aliquando spectare, verùm quod anima ex affectu excessuq; amoris & odij per sese res extrarias ligare possit vel soluere, quòd characteres, & imagines, & verba ad omnem rem efficaciam habeãt, pro affectu operantis animi, pro hora in qua fiant, pro cœlesti configuratione influente, planè detestamur, & suprà confutauimus. Idq; à Ioanne Gerson multifariàm improbatur, apud quem inter alia taxatur Albertus, quòd de sculpturis lapidum in characteribus delineandis, in alijsq; nõnullis ad superstitiosam partem inclinauerit nimis. Sanè eo in libro quem suprà nominauimus, illud absurdum scribitur, Platonem aspectibus & figuris Astrologicis quicquam contulisse, adducitur enim ibi & allegatur liber qui nusquam est, nec vnquàm res illæ apud Platonem, quare ne liber ille Alberti sit ambigo, tàm etsi in alijs à superstitionibus non videatur abhorruisse.

Atqui per necromantiã & dæmones fieri multa nõ imus inficias, sed ea ipsa omnia superstitiosa, mala, abominanda, & suos cultores pręcipitantia in pręcedentibus satis ostendimus: illudq; asseueramus, admirabilia quęcunq; illa sint, quæ aut in naturam spectatam exploratamq;, aut in occultiores eius vires, aut in diuinam causam referri nequeant, vel quia Deo indigna aduersáve, vel quia maiora sunt, quàm vt natura per sese, aut illo quo fiunt modo, pręstare possit, ea omnia reputanda esse dęmonica & superstitiosa, atq; in malignos spiritus vti in auctores referenda: hinc pręcantationes omnes abominandæ, Circi destruendi, quibus ad ciendos vtuntur spiritus: Membranæ secundæq; quibus fœtus in vtero obducitur reijciendæ, & quæ ex sphæris, ex peluibus, ex aëre, stellis, lucernis, securibus secretiora promittuntur exibilanda, contemnenda, vmbrarum inferiorumq; colloquia, striges & lamiæ vexandæ, & quæ maleficijs vtuntur, in ligandis soluendisque maritalibus thalamis, in exiccanda puerorum carne,

carne, in concubitu dæmonum delectantur, qui ad ludificandas præcipitandasq; animas ex crassioribus elementis corpus fingunt assumuntque, vt tangi viderique possint, quicunq; hi sint, seu mares, seu fœminæ, acerrimè puniendi, & quicunq; affinitate quadam in huiuscemodi dæmonum vel expressa vel suppressa pacta penè innumerabilia declinant, seuerè coërcendi sunt. Solet dæmon vel minis cautos, vel minis secretorum auidos aggredi, quibus, scilicet, faciliùs imponit, hinc ad fœminas sæpè cõmeat apparetq;, modò afficit, & in ecstasim ponit, modò reuelat occulta: vnde & Cassandra & Phemonoë & innumeræ vates, & ipsa Medæa atque Canidia, plures quoq; veneficæ aliæ nostra etiam tempestate repertæ, quibus dæmon assisteret, & ex ventre illorum vel coxa responsa redderet insanis: fingit quandoque se amore captum: & hodie in castro, in quo hæc scribimus, duo sunt nequam spiritus, domos duas identidem vexantes, vt affirmant incolæ, quorum alter vxorem molestat vnius eorum, qui mihi ad itinera famulantur, is asseruit sæpenumerò ab ea visum induto corpore, spiritum se autem non vidisse, sed suo incommodo frequenter sensisse, inuersis vasis domus, direpta supellectile, iactatisq; lapidibus, pari pacto: quanquàm tùm amorem nõ fingerent, ad cupidos & lucri, & futurorum, sacerdotes olim ibãt, in lucis, in templis, in antris, fantes oracula, in quorum cultu insaniores philosophorum frequentes fuêre, & præ omnibus stultissimus ille Porphyrius, temporibus nostris, qui dæmonum responsis concredunt sese, vel ignari principes sunt, vel tyranni rudiores: ex Philosophis pauci, quorum ignorantiori turbæ periculum magis est, vt dæmones diffiteãtur esse, qui superstitione inter eos capiuntur, eis potiùs delectantur, quæ ad occultum pertinent pactum.

Petrus Aponẽsis olim inter medicos boni nominis: sed qui ex acta philosophatur, aduertit plurimæ lectionis hominem fuisse, minimiq; iudicij ab omnibus fermè creditus est Magus: verùm ex præcedentibus constat, quàm oppositũ ei dogma aliquando tributum sit, quem etiam hæreseum inquisitores vexauerit: quasi nullos esse dæmones crediderit: is plura reliquit signa, cur superstitiosus crederetur, in libro præsertim quem appellauit Conciliatorem, cuius libri differẽtia quinquagesima sexta supra centesimam de præcantationibus multa in vtramque partem agens, eis tribuit plurimum, illiq; absurdissimè & impiè superstitioni fauet placari Deum Astronomica oratione, quòd se expertum dicit: visumq; sibi vberiorẽ scientiam impetrasse, dum eã petijsset, cœli mediũ capite draconis occupãte: sed hãc mittamus, & à patruo & à nobis alibi detestatã, præcantationes censuit ægris conferre, idq; persuaderi ratione, & experimentis dæmonstrari: Pro experimentis affert multa inter quæ eucharistiæ nostræ verba & diuina, vt inquit, artis notariæ nomina, & plæraq; magicæ artis cantamina: & sanè Aponẽsis iste minus desipere poterat, quàm vt pręcantationib. commisceret quę diuina sunt, quęq; prophana & noxia diuinorum nomine dignaretur. Diximus suprà Christi corporis sanctissimum sacramentum, verbis ipsis vt causis non confici, intercedere aũt ea vt signa quib. assistat Diuina potentia. Notoriam quoq; artem, non modò illicitam, sed vanã prorsus & inefficacem. Diuus Thomas asseruit noxiorum deliramẽtorum hostis, vt sanctum & doctum hominem decet: Is igitur post multa aduersus superstitiones disputata de arte notoria verba faciens, docet eam suis figuris & ignotis verbis vti tanquàm signis: Manifestum autem ex illis animam naturaliter sciẽtia nõ informari, quare eam ad pacta pertinere dęmonũ, cum Diuina authoritate instituta nõ sit, docet, & illud effectũ sciẽtiæ, qui ea ex parte speratur à suis cultorib. modo quo sciẽtia naturaliter acquiritur, haberi nõ posse, inueniẽdo, scilicet, per sese, vel discẽdo ab alijs, quare relinq̃ vt vel à Deo, vel à Dęmone expectetur. Deũ verò per huiuscemodi obseruationes largiri nõ scelere scientiã, sed ex arbitrio suo, liberaliq; clemẽtia, Solomoni olim, vt Apostolis, vt alijs. Quare colligi debere vt rei huiusce sit auctor dęmõ, ad quẽ intellectũ illuminare minimè cõueniat, quẽ tamẽ collustrari oporteat in adeptione sciẽtiæ: fassum quoq; Porphyriũ, Augustino narrante, theurgicis operationib. nihil purgationis accedere animæ, vt Deũ propterea videre possit, & perspicere quę vera sunt scientiarũ theoremata, ex eo cõfici, neminẽ vnquàm à dæmone scientiã edoctũ: quanquàm dęmones ipsos, dum loquuntur, quępiã scientiarũ documenta proferre nihil vetet, id autẽ notoria ex arte non quęri, ita hac in re Thomas decernit, cuius auctoritas Aponẽsi pręstabilior, cuius iudiciũ excellens, adeò vt Aponẽsis com-

ſis comparationem excludat. Magica alia quę affert Aponenſis experimenta, in pacta dæmonũ referenda ſunt, quæ autē pro rationibus affert, nullam rationem continent, poſſe, inquit, incantantē ita affectum eſſe, vt mundanæ materiæ dominari poſſit, hoc ſuprà confutauimus, ex affectione quoq; incãtati ita eueniri, quod pari ratione refellitur. Nam tametſi aliqua poſſit hominis imaginatio, & vehemens deſiderium, non tamen ea valet, quę ille plurima cõgerit, inter quæ illud, vt ex verbis in aure hauſtis, largiatur quis quęcũq; alius petierit, ambulet ſuper acutiſſimũ gladium, ſuper prunas ardentes illæſus, ſuperfieri pręterea ſerpentes, furibũdos equos carmine quieſcere. Fieri enim ope dęmonis id poteſt, non naturæ: qualia (ſi pro veris ſuſcipiantur, & non ab antiquitate cõfictis) fuêre nonnulla Circes & Medeæ cãtamina: quod autē à Deo ſortiatur effectum pręcantatio huiuſmodi, tàm impiũ quàm delirum: nec propterea excuſaris, quòd in fine quæſtionis, ſeu diſcordiæ differentiæ've, prodideris hæc omnia topicè à te dicta, nullam enim probabilitatē habent, nullũ ex topicis Ariſtotelis argumentum ſumptum eſt, execranda omnia & Deo aduerſa, & Theologis exploſa: nec minus illa quod in angelos hæc etiam referri poſſe dixiſti, illi ſiquidem à Dei nũquàm voluntate deflectunt. At qui dicuntur orationes ferre & præſentare Deo, proq; nobis intercedere veræ illę ſunt, & ab eo Eccleſiáve ſua inſtituta, recta voluntate, & religioſa pietate ſurſum effuſæ, tales non ſunt Magicæ vanitates, & phanaticorum ſuperſtitioſa incantamēta: quod verò in dæmones ea ipſa etiam retuleris, rectè ſenſiſti, ſed non ex integro, ibi enim planè deliras cum Ptolemæo & eius interpreti accedens, non negas ex cœleſti configuratione deriuari ad nos potentiam cogēdi malignos ſpiritus, & ex mortuis diuinare, quod irriſum, confutatum, & exploſum eſt libro quinto: & demùm deſipis, dùm non abnuis coniunctas orbib. intelligentias, ſeu cœlorũ animas prodeſſe nobis & officere ex diuerſitate cãtaminũ, quaſi ſubſtãtiæ quę mouēt orbes, & quoquo modo eis coniungũtur, malæ ſint, & nocere magis quàm iuuare mortales curēt, quaſi Magorum verba formident, tùm autem Oreſte inſanior iudicãdus es, cùm ſubdis expertũ te eas in amorē non leuem, & odium continuato carmine duci, hæc puto ex Piccatricæ, magna ex parte decerpſit Aponēſis vaniſſimo libro, ſuperſtitionib. pleno, & veluti ſcala ad idololatriã facto, in quo & preces ad quenq; Planetarum docentur, & ſuffimenta, & conciliationes prauorum ſpirituum, quę & ob ſtultitiam explodenda, & ſuperſtitionem penitùs execranda ſunt.

CAP. VIII.

ADVERSVS NONNVLLOS HEBRAEOrum Magos.



CAeterùm & alij quoq; non deſunt qui Petro iſti ſuperſtitione iungantur, vel eum, vel alios ſequentes, tantoq́; libentiùs, quãtò impoſſibilia magis promittunt, tumq; non ad auiditatem modò ſuperſtitionis, ſed ad rabiē pelluntur, cùm ignota Magis ſunt quę diſcũt nomina, vel characteres fingunt & ementiuntur Enoch libros, & Salomonis, Barbaros characteres delineant, homines alioqui circulatores & illiteratiſſimi, produnt ſe, ipſi libri per ſeſe nec celebres illos viros pro auctorib. agnoſcũt: res inſulſæ, barbara prorſus extructio, ac penitùs indocta phraſis, & ordo diſſentiēs, adulterinas atq; ſuppoſititias inſcriptiones, & titulos patefaciunt: quid verò de Aegyptijs, Chaldæis, Hebræisq; nominibus? quomodo ea ſcribũt, quomodo enunciant? nunquid ignorãt cõſueuiſſe Aegyptios, alios ſacris, alios in prophanis characteres adhibere, corruptam eſſe Hebræorum linguam magna ex parte, ſcribiq; nunc alio modo quàm olim fiebat: dum punctis illis literatarum præſertim vocalium vim permutantibus non vterentur, Chaldęæ proprietatem paucis exploratam atq; compertam, tùm & librariorum incuria, & iniuria temporum & negligentia cultorũ, pleraq; inuerſa, expuncta, interpolata, deleta, ſuffecta. At video inſultantem Iudæum & ſuperſtitioſum illi adſtipulãtem, poſſe videlicet multa quę dæmonica dicimus in diuinam cauſam referri, accepta Ioſephi auctoritate & Thalmudica doctrina nixi, cùm ille octauo antiquitatum libro ſcripſerit, Salomonē contra dæmones inueniſſe artem ad vtilitatem hominum & curas, modum etiam coniurationum & incantamenta quoq; aduerſus ęgritudines inſtituiſſe. Sed & Thalmutiſtæ

mutistæ aliqui, & animalia, & homines, facere somniauerunt: ex hoc quid colligis Iudæe? quid superstitiosè consequeris? Si potes Iosepho credere, cur in ijs non credis; quę ille pro nobis cōtra te scripsit: Dixeris fortè illa in Hebræo non haberi, sed in Gręca duntaxat Latinaq; editione: Atqui Græcè historiam Iosephus non Hebraicè composuit. Sed cur non credis & illud in septimo positum libro in Hebræo textu: Absoloni eam capillorum multitudinem fuisse, vt octo dierum spacium in eis incidendis vix esset tonsori satis: si hoc esset, num Diuina tacuisset scriptura, in qua tot de Absalone deque eius capillis enarrantur, cuius annuam tonsuram ducentorum siclorum pondus æquasse scribitur. Sed nec illud tacuisset, quod quidam non improbasse miror: Mosen annulos nescio quos fabrefecisse. Sed esto verum dixerit Iosephus de arte, de artis verò auctore quem Deum fecit, vt recipiamus, quæ dixit, nec diuina auctoritas, nec ratio humana conuincit: multa enim rectè operatus est Salomon quæ Scriptura non tacuit, multa perperam commisit in Deum ab eadem narrata, in alienigenis fœminis, in lucis dęmonum, in dijs Gentium colēdis, de huiuscemodi verò cantaminib. omnino nihil: ad hæc nulla ratio suffragatur, vt radice vlla extrahi per nares dęmō queat. Scribit enim Eleazarū Hebræū se vidisse, Vespasiano præsente, dæmoniaci naribus intulisse annulum, habētem subter signaculum, radicem à Salomone monstratam, indeq; per nares odorantis abstraxisse dęmonium: sed finge Salomonis sint, finge bona (quanquàm Gerson non abnuit quin mala queamus arbitrari, sicut Ethnicarum vxorum connubia) finge, inquam, bona, nunquid illa possides, ostende radicem, exhibe cantamina. Sanè hoc omnib. superstitiosis commune, & singulis peculiare, vt libros semper aut faciant, aut sequantur, quib. titulus sit pro doctrina hac cùm minimè polleant, de magnorum sibi virorum auctoritate apud imperitum vulgus fidem conciliant.

CAP. IX.

ADVERSVS INDORVM BRACHMANVM ET GYMNOSOPHISTARUM Aethiopum Magica.



IAm Græcorum, Arabum, Latinorum, Hebræorum superstitione prostrata, ad Aethiopes, ad Indos transmeemus: Horum sapientes Brachmanes appellabantur olim, non à Regis nomine, vt quidam longè desipuerunt: Nunc ex ijs qui ab Occidente Meridionale pelagus vniuersum nauigāt, & ex Lusitania feruntur in Indiam, manifestum est apud Indorum sapientes eandem cognominationem vigere. Apud antiquos mihi non satis constare videtur, quínam, & quo, aut loco, aut numero Brachmanes quíve propriè Gymnosophistæ fuerint. Syrus Bardessanes, cuius libri partem Eusebius retulit, multa scribit millia fuisse Brachmanum apud Indos & Bactros, quib. religione patrum simulachra nō colebantur, nec animatum aliquod comedebatur, nec vinum gustabatur, ab omni malignitate alienis, & vnum Deum colentibus, cùm Indorum cætera turba, adulterijs, cædibus, ebrietatibus, simulachris, inseruirent: eosdem Brachmanas, Dydimus Alexandrinus plurimùm laudat, quibus inter alia legem fuisse dicit, contra ius non ire naturæ: Multas Indorum, Aegyptiorum, sed & Græcorum deorum statuas Apollonium apud eos vidisse, & ritu Græcorum sacrificari ab eis scribit Philostratus. Is Gymnosophistas apud Aethiopes dicit esse: Apuleius apud Indos fortè ob id quod Oriētali Aethiopiæ India contermina est, vel vt somniauit Apollonius Gymnosophistæ quondam fuêre Indi, & diuinis portentis impulsi in Aethiopiam concesserunt. Porphyrius ex institutione Bardesanis Babylonij sapientes. Indorum Gymnosophistas cognominatos asseuerat. Brachmanes autem qui inter eos quadam generis successione, qui verò electione sapientiā religioneq; profitebātur Sammaneos appellari. Videtur refragari Philostratus in vita Apollonij, qui nō successione, sed electione magis Brachmanes Philosophatos narrat, & diuus Hieronymus in secundo cōtra Iouinianū volumine, ex Bardesane Babylonio refert, Gymnosophistas apud Indos in duo dogmata diuidi, quorū alterum Brachmanes appellari, alterum Sammaneos, qui tantæ continentiæ sint, vt vel pomis arborum iuxta Gangem fluuium, vel publico oryzi & farinæ alantur cibo, & cùm Rex ad eos venerit, adorare illos soleat, pacemq; suę prouincię in illo-

illorum precibus arbitrari sitam: In epistola verò ad Athletam pro institutione filię de Brachmanis in Gymnosophistis mentionem habens hoc in Aegypto ponit: Illos in India vtrosq; continentissimos: Idem in epistola ad Paulinum Philostrato non dissentit in peregrinatione Apollonij qui ad Brachmanas in Indiam perrexerit, & ad Gymnosophistas in Aethiopiam. Is paucos admodum numero, hoc est, duodeuiginti sub Iarcha principe fuisse Brachmanas dicit, non sparsos & numerosos, vt Bardesanes voluit, eos verò lineis vestitos asserit: Idem Philostratus (quanquàm papyri tegmine scripsit Dydimus) nudos verò Aethiopum esse Gymnosophistas, quod nomē ipsum planè declarat, hos etiam Philostratus, Aegypti accolas aliquādo meminit, nec semp nudos, sed dū vna conueniūt de rebus communib. pertractātes, alioqui vti eos eo habitu quo messores Athenis consueuerūt: vtcunq; sit de ijs Brachmanis & Gymnosophistis quos Apollonius accessit, mentionē habebimus, eorumq; magica cōfutabimus, postea in Apollonium ipsum disputaturi sumus. Precabātur, inquit, Brachmanes Solem die noctuq; ex quo intelligi potest, quæcunq; admirabilia fiebāt ab eis, in dæmonas potiùs quàm in Deum referri debere, quos videlicet & sub Planetis, & sub simulachris ritu Græcorum colerent, quod si vel omnia illorum, vel plurima particulatim examinentur, liquidò fiet.

Quid D significet, quilibet pro suo ingenio exponet, an pro Deo & domino, siue dæmone sit exponēdum.

Tertio igitur libro de vita Apollonij Philostratus recitat, eum cùm ad Brachmanas & eorum Principem peruenisset, poposcisse Iarcham (ita enim Principi nomen) Indorū Regis literas, quas, scilicet, tulerat Apollonius, quoq; magis miraretur dixisse, D. vnum in epistola deesse, quod nouisset, nullo hominum narrāte, atq; dixisse, & patrem & matrem Apollonij, & eorum multa quæ illi in itinere contigissent. Equidem hæc sicuti naturæ impossibilia nisi narrentur, ita dæmoni facilia & cognoscere, & indicare, quemadmodū & Deo minima, qui suis non dęmonū cultorib. reuelare occulta solet, nec inania & friuola istiusmodi, sed grauia, stabilia, & agēdis maximis reb. cōducētia: quàm leuiter enim se Iarchas extulerit in throno sedēs ex ęre nigro fabrefacto, aureis statuis compluribus exornato, quàm inaniter de se saperet, quàm dæmonum se non veri Dei cultorem proderet, illa ad Apollonium interrogatio manifestat: quid, inquit, de nobis sentis? & quid supra nos te scire arbitraris? & paulò pòst interroga quæcunq; vis, ad viros enim accessisti, qui omnia sciunt. Interrogante verò Apollonio qualem de seipsis Brachmanes æstimationem haberent. Respōdit Iarchas, opinari se deos esse, percunctanti, quam ob causam? quoniā, inquit, viri boni sumus, quid plura, hæsitabimúsne? superborum hominum opera quæ demiratur mortalitas, superbię Principi tribuere, stultos hosce qui se deos etiam credebant, inuadenti, vnde illud: quòd missa epistola fuit ad dæmonem, qui puerum vexabat, minas terroremq; nuncians, nisi inuiolatum eum dimitteret, an necromantes dæmonibus præcipiunt? ita illis volentib. & fœdere pacto obtemperantibus. Prætereo quòd Solis sacerdotes profitebātur se, quòd memoriam post deos colere dicebant, quòd Pythagoræ de anima opinionem sequebantur, quòd Iarchas Gangē se dixit, Gangis fluminis filium, & adolescentē aliū Indum, fuisse Palamedem in alio corpore, & huiusmodi pleraq; exibilanda, quę ideò dicimus, vt faciliùs percipiatur, non diuinos homines fuisse vt insani putāt, sed dęmonū socios atq; cultores & Magos, ac si qua prodigia, & ostēta, & monstra supra hominū moliebantur vires in spirituū malignorum potestatem referenda: sicuti cùm dolia illa gemina, quæ negādo irritet Eusebius apud eos seruarētur, quorū alterum imbriū, alterum ventorū esset, ex quibus, scilicet, siccitates & pluuiæ emitterentur: Sicuti cùm inter canendū hymnos Orienti Soli baculis terram percutientibus, illa exurgeret in tumulum, atq; eos subleuaret, & quasi aduentanti Soli obuios faceret: sicuti & illud quod Regi Medorum (cui propiùs accedenti non assurrexit Iarchas) cœna cùm pararetur, vasa illa ex gemmis & tripodes Pythici quatuor sponte sua in medium processēre, dæmoni hoc facillimum parato, semper ad superstitiosorum eorūdemq; superborum animas irretiendas & trahendas in tartarum: nil demùm apud eos supra hominē legitur, quod dæmonem non agnoscat auctorem, cuius opera pollentes Magos in præcedentibus confutauimus. Multa verò minora homine facta dictaq; inania & nōnulla etiā quę fieri humana ope potuerunt, supra humana putata sunt, quemadmodū illud à Philostrato pariter narratū: sapientes illos Brachmanas claudū direxisse, cui in venatione eam quę in natib. est, iuncturam dissoluerat Leo, manibus eam perfricātes

detor-

detorquētesq;. Magnum profectò miraculum quod & luxatis ossib. quotidie restauratoriæ magistri artis impartiunt, alius, inquiunt, oculorum altero captus recepta videndi potentia abijt: morbus is potuit ex eis esse qui ophthalmia dicūtur, arte humana curabilis, potuit & dæmone intercedente sanari, qui & hodie quoq; sinēte, permittenteq; Deo vulneribus incātatis patrocinatur: Ita de prædictionibus, de alijs multis, quas ex dæmone, quandoque pendere probauimus, easdemque & noxias & fugiendas ostendimus.

Illud autem stolidam sapit Magicem, quòd vt sisterent mulieris aborsum, viro præceperunt, cùm pariendi tēpus adesset, viuum leporem in sinu occultatum eò deferret vbi erat paritura, & inde cū sæpiùs circum mulierem deambulasset, repentè leporem è sinu dimitteret: fore enim dicebant vt simul embrionem matrix emitteret, nisi lepus repentè extra fores aufugisset. Quid hoc præcepto superstitiosius? quid insanius? potéstne aut diuina aut naturalis causa excogitari, aut etiā ab ebrijs somniari, vt embrio dimittatur è vulua, si lepus nō dimittatur è foribus. Mitto quàm fatua deliramēta illa occultati leporis in sinu & repentè dimissi, & frequentis inambulationis, circa eā quæ parturit, & ægrè parit: Indigna profectò vt in os veniant sopitis extremo veterno nedum à Philosophis sobrijs eructentur, & nihilominus nostri æui superstitiosi homines quandoq; inquiunt, ita sapientes Indorum, ita summi illi viri, ex Aegypto, ex Perside factitârunt, quæ me sicut & alia multa suprà confutata adeò pudet referre, vt alioquin omisissem, nisi & iā vulgata literis atq; eorū plurima impressa formis nossem, ac refellendi pariter & reijciēdi causa eò me compulisset, quando reijci refelliq; nō possunt, nisi vel quodammodo enarrentur. Sexto libro eiusdem voluminis Philostratus de nudis Philosophis multa profert, pro quib. visendis Apollonius in Aethiopiā perrexerit, ea omnia quæ maiora videntur, quàm vt arte humana, vel ingenio patrari possint, malignis spiritib. accepta referri debere consentaneum est, quando à cultoribus dæmonum prestantur, quales fuisse nudos illos perspicuum est, qui sacrificabant in meridie, statua Memnonis vtentes, quem lugebant, Solisq; & terrestrium venerationi deorum intenti: Nilum preterea colentes maximè, quem terram simul & aquam esse arbitrabantur. Apud hos igitur duo illa quæ miratu digna visa sunt à Magica superstitione fluxerunt, non secus ac illa Brachmanum & Iarchæ, quod enim Memnonis statua loqueretur, cùm primùm Solis radius ad eius os peruenisset, potuit demon, sicut & nostra etiam tempestate proditur illius vi ex mortuorum craneis voces reddi, tantò autē superstitio colorabatur magis, quantò id Solis, quem colebant, radijs tribuebatur impensius. Quòd item Gymnosophistarū antiquior Thespion imperârit vlmo, vt Apollonium salutaret, & ita factum sit, voce distincta & tenui, & fœminee simili: nō difficile maleficis est, qui fœdus cum demone ferierunt: nam potest vox circumafferri à demone, vt ex arbore prodire videatur, submissa quoq; & mulieris (cùm vlmus nō sub masculo, sed sub fœmineo genere reponatur) vt etiam superstitionis vis & Grammatica confirmetur, vlmus hæc mihi, vel eadem, vel similis videri posset quæ à nobilissimo deridetur poëta:

Vlmus opaca ingens quam sedem somnia vulgo,
Vana tenere ferunt folijsq; sub omnibus hærent.

Sed solum hoc à superstitione alienum apud hos legi, quòd diuinationes somniorū non sequebantur, non sic Apollonius, de quo mox dicturi sumus.

CAP. X.

ADVERSVS MAGICA APOLLONII Tyanæi.



ET sanè si errores omnes Tyanæi huius, qui aliquādo veluti Deus habitus est ab insanis, recēnsere & confutare vellem, ingens volumē impleretur: tot enim de eo, & Damis, & Maximus, & vtrumq; complexus Philostratus, chartis retulêre. Magum eum fuisse si ostendamus eiusq; Magiā confutemus, tùm proposito negotio, tùm promissis videbimur satisfecisse, quomodo autē Magicas fuisse operationes illius, ostēdere poterimus, ni priùs constiterit eum Magum, scilicet, fuisse qui ea tentauerit & molitus fuerit. Hęc igitur in huius

libri calce facienda sunt nobis obiter quoq;, & veluti in transcursu plures simul eius errores taxantibus. Ambigebatur olim Magus ne fuisset Apollonius, cuius rei diuus Hieronymus meminit, ad Paulinum scribens: Apollonius siue ille Magus, vt vulgus loquitur, siue Philosophus, vt Pythagoræi tradunt, quod quanquam varias interpretationes pati possit, arbitror ego dictum ob repugnãtiam quæ inter facta & dicta ipsi' Apollonij circumspiciebantur: Illius enim opera Magiã testabantur, verba negabant, & damnabant Magos, plurimumq; Philostratus & Hierocles nitũtur, vt à Magiæ eum infamia vendicent, & Pythagoræis Philosophis adscribant, quem se faciebat ipse Apollonius, sed illi crimen ei Magicũ vel nolentes impingunt: Nam quæ superare mortalitatem videntur ab eo patrata, nec naturæ, nec vnius veri Dei virtuti, cuius cultor non erat, adscribenda sunt, verùm dæmonibus quibus seruiebat in multorum deorũ sacrificijs iugiter occupatus. Eusebius Pamphili Magum eum demonstrat in opere qđ aduersus Pythagoræum Hieroclem composuit, cuius tanta stoliditas, vt sacrilegũ hũc Christo & homini, & Deo nostro contulerit comparaueritq;, multa ibi Apollonij redarguuntur, sed non omnia etiam insignia. Quippe cùm refutare illi Hieroclis librum præcipua mens fuerit, nos eius opera detestari proposuimus, quorum aliquaq; diuina putantur in naturam potuisse referri contendemus, quæ præter naturam Magica fuisse monstrabimus, cùm Magiam dicimus artem faciendorum mirabilium intelligimus, nec ope naturę, nec Dei, sed dæmonis. Quæ verò Apollonio inscribuntur si eiusmodi fuisse deprehendemus execranda & contemnenda erunt, quoniã in præcedentib. Magica omnia, seu prædictiones, seu mauis opera, quæ ex dæmone pendent confutauimus execratique fuimus. Tertium illum Philostrati librum, quo diuersatio cum Brachmanis continetur, Eusebius non confutat, nisi quòd falsa illa de dolijs portenta putat, tùm redarguit Philaletem defendentem, Apollonium magni non pendisse Magicem Brachmanum, cùm tamen gestârit annulos Planetarios, & Damide fidissimo socio sequestrato obuersatus, cùm Hierarcha sit percipiendæ Magiæ gratia, & cõmodè videtur de Planetarijs annulis mentionem factam, qui ad Magicam spectent.

Displicet autem quod nostra etiam tempestate in id insaniæ deuenerint plerique, vt fabrefieri aurea gestamina sub syderum configurationib. curẽt, & imagines illis insculpi. Displicet quòd ætate quoq; nostra à quopiam docto alioqui viro, & inter Platonicos eximiæ auctoritatis de imaginibus Astrologicis nimis multa conscripta sunt, cùm inaniter sibi vitam de cœlo prorogaret, quem hoc loco, & quinto maximè libro pro viribus confutassem (nec me ab hoc munere, aut ea quæ inter nos dum vixit, amicitia intercessit, aut in mei nominis & dictæ ab eo & scriptæ laudes, sed & Ioannis Patrui apud eũ præconia reuocassent) si perstitisset in dogmate, amicitiæ quippe & veritatẽ & amorẽ religionis nostræ prętulissem. Sed contra illã nihil à se assertum velle, ille antè pręfatus est, nec pręter id aliud quàm cõprobaret Ecclesia, quanquàm satiùs erat & rectè, & Theologis probatis consentanea scribere. Nam piaculum est audire nolle iustę quorumcunq; castigationi, Ecclesię verò sanctissimis receptisq; dogmatis refragari, non boni viri nec Christiani est, qua de re, & in nostris de fide Theorematis, & aliàs quoq; egimus. Sed ipse eo in libro nõ tàm se probare dicit ea quàm narrare, quin & vt dimitterentur, à lectorib. se non concedere modò, sed etiam consulere: Is etiam Plotini secutus vestigia in Astrologos scripsit, vt alijs in operib. eius nonnihil deprehenditur, ac in epistolis maximé. Reijcienda igitur hęc Astrologicarum imaginum superstitio, quę nec illa pręfatione honoris defendi satis cõmodè potest. Nã sicut necesse est habere semper in animo, velle Ecclesiæ dogmatis assentire, ita illud cuicunq; libro, aut sententię pręfari semper non cõuenit. Namq; in ijs quę aut sunt, aut quoquomodo videri possunt, vel noua & ambigua, apertè requiritur, in manifestè bonis & veris nõ oportet, in manifestè malis & falsis irrisio est. Astrologicas itaq; imagines, quas etiã posteriores Theologi, & pręcipuè Thomas Aquinas cùm præcellentis doctrinæ, tùm eximiæ sanctitatis auctor apertè dãnauit, cùm in libro contra Gẽtes, tùm in Fato scribens, tùm de operib. naturę occultis, tumq; pręcipuè & maximè in 2. parte summę Theologicæ, quo in opere vt vltimo, ita absolutissimo, & veluti testamẽto ædito, monet Astrologicas imagines eò à necromantis differre, quòd hæc ad expressum cũ dęmone fœdus apertasq; inuocationes, illa ad occultum pactum pertineant: & post eũ insigne scripsit opusculum Ioannes Gerson, dum Medicinæ artis professor quispiam

Leonis

Leonis imaginem quibusdã characterib. effigiasset, curãdarum rerũ prætextu, nec solùm superstitionẽ ipsam validis rationib. deiecit, sed & quo pacto, vel corrigendus, vel puniẽdus auctor edocuit: Sic & magicas vanitates peculiari quoq; improbauit opusculo, & aduersus dierum obseruationes egregiè bellauit, necnon Astrologiã magna ex parte deiecit vir multifariam doctus, perspicuaq; doctrina & rerũ omniũ prudens æstimator, cuius aliqua meminimus, plura non recensuimus, ne facta faciamus. Sed vnde diuertimus redeundum.

Non confutat item præsensionem Eusebius, qua prædixit futurum quempiã Eleusinæ sacerdotem digito illum ostendens, nec item eam qua vsus in ostẽdẽdo eo qui futurus erat tẽpli antistes ad Epidauria sacra, pestẽ quoq; Ephesijs pulsam, nil aliud à præstigio fuisse dicit Eusebius: Nos isthæc non cõtentiosè negabimus, sed vera etiãsi fuerint, ostẽdemus ope dęmonis facta, vt placuit Eusebio affirmanti cuncta illius miracula dęmonis mysteria esse, & assistente dæmone illum prædixisse, & hoc inde patere, quòd perpetua diuinatione non vbiq; vsus deprehenditur: Nam plurimis, inquit, de reb. ipse quoq; dubius pendet homo futurorũ maximè conscius, quæ confutatio valida plerisq; nõ videretur: nam nec Prophetæ nostri, semper prophetæ, hoc est, semper videntes prędicentesq́; sunt: Neq; habitus, vt suprà ostensum est, sed passio trãsiens prophetia est: Exempla ex Nathã, Esaia & alijs, plurima recẽsuimus. Verùm si tueri velimus Eusebium, cogitabimus & quidẽ re vera non displicuisse fautoribus Apollonij, vt diuinatione polleret, quasi artem nosset, qua futura perciperentur, quale illud à Philostrato narratum de rerum præcognitione: frequens, inquit, habebatur sermo inter Iarcham & Apollonium, qui tali sapientię præcipuè studebat, quapropter in perpetuam diuinandi peritiam Eusebij verba directa sunt. Itaque nonnulla ab Eusebio aliud agente non ex integro confutata demoliemur, alijs plerisque ab illo non tactis insistentes, contradictiones verò plurimas quas collegit ille, non afferentur à nobis, neque leuitates multas Apollonij viro philosopho indignas, tùm ne facta ex integro faciamus, tùm quia magicis præstigijs, quæ & ad prædictiones, & ad mirabilia patrata opera spectant, bellicum cecinimus. Is igitur Apollonius, auctore Philostrato, eius enim nitimur textu, qui reliquos condemnabat Magos, qui ex victus subtilitate cuncta perspicere dicebat, tàm facta quàm futura, tanquàm in speculi claritate: Is, inquã, præstigijs dęmonum obcæcatus perniciosiorẽ Magiam excoluit, quæ sine verborum, imaginum, sacrificiorum ministerio, & prędicit & operatur. tàm etsi etiam eis aliquando vteretur. Perniciosior autem ideò putata, quia diuinior apparet, sicuti quæ Alchindi, & aliorũ naturalior. Sed q̃so te, si ex victus tenuitate cernebas futura, cur annulos Planetarios gestabas, aliaq; faciebas, vt diuinares, vt operareris. Rursus si tãquã in speculo euentura tibi prędentabantur, ex animæ natura tibi hoc contigerat? an exteriori aliqua ex causa? Primum suprà confutauimus: Si secundum effatus fueris, quærã iterũ quę'nam causa hęc, cœlúmne? an cœlo superior? hoc est, spiritales potestates, & Deus ipse, si cœlũ dixeris, ex 5. lib. te confutatũ agnosce, illudq; subde: Ex corpore futurorũ notas (si ibi etiam essent insculptę) in animam illabi non posse, non internuncijs sensibus: quare fieri nõ posse, vt ex corporeo cœlo euentura trahi queant, etiã per quietẽ, secũdo libro ostensum est: Si verò vel Deum & bonos angelos, vel dęmones pro causa assignaueris, aliq̃d concedã, plura redarguam, inter quę Deum nec spiritales substãtias quę Deo hęrent tibi patrocinatas in diuinatione: tibi, inquam, viro sacrilego, qui orbem penè peragraueris, vel in instituendo, vel reformando malorum dęmonũ cultu, quos tibi famulari crediderim, cùm alia ob mala, tùm pręcipuè quòd Christi fides & cultus vigere tum cœperat, cui aduersatum iri operib. tuis maximè volebant impij illi, & Deo infensi nequissimi spiritus: horum itaq; opera, & sacerdotem Eleusinæ futurum, & Hierophanta Epidauriorum prædixisti, sed & docuisti quo pacto in templo Aesculapij dormientes, vera somnia captarent. A Pythagora, inquiunt, ritus colendorum deorum didicisti, à patre mendacij edoctus es Tyaneæ, non à Pythagora, quem dubitasse etiam de dijs scribit Cicero: sed ad pestem ab Epheso pulsam diuertamus.

Pestem, inquit Philostratus, quę cœperat Apollonius prædicabat, sed hoc minimè vtique mirum, tùm enim demiratione dignum fuisset si duobus vel tribus annis, nullo existente vestigio, venturam prædixisset: Verùm cùm eam sensit, tùm tandem prædicare fategit, ita enim ab illo scribitur, cùm pestis Ephesum paulatim inuaderet, neq;

tùm

tùm adhuc satis apertè dignosceretur, prænoscens Apollonius venturum malum, palàm id cœpit prædicare: Item deorum templa, vt malum auerteret ambiebat. O inanẽ prænotionem, ô vanam prorsus medelam. Nam subdit, postquàm ingrauescere morbus cœpit, nihil iam amplius prodesse illis posse arbitratus, reliquas, inquit, Ioniç partes peragrauit: paulò pòst cedere lapidib. peregrinum in theatro fecisse narratur, vbi pro malis depellendis sacrificia fieri consueuerant, vide pietatem, vide sapientiã Pythagoræi Philosophi: Iubet vt peregrinus lacera & attrita veste amictus lapidibus etiã teratur & laceretur: idq; Ephesijs ipsis renuentibus & inhumanum & crudele censentibus peregrinum, scilicet, hominem occidere mendicum senem, atq; humilimè pro salute deprecantẽ sua, multaq; pro captanda misericordia loquentem, Tyaneus instat atrocius, vt lapidib. cedatur, deorũ inimicũ appellans, & Ephesios cohortatus, ne diutiùs illũ viuere permitterent. At, inquies, plenos igne oculos mõstrauit, ex quo Ephesij dęmonem esse illũ potuerũt agnoscere, quare & ingenti lapidũ tumulo sepelierũt, mox corpus educere tentantib. bellua spumas emittẽs, tãquàm molossus interfecta, cõparuit, & peregrinus euanuit. O rem detestandã, potuit certè peregrin⁹ ille & pauper, Tyanæi iussu lapidatus deorum esse inimicus, qui fortè vnum coleret Deũ, potuit & videri flammas emisisse oculis cùm ex ictibus lapidum in dolorem excitaretur: Iam enim, inquit, lapides iecerant, potuit & dæmon impiæ superstitioni atq; crudeli famulatus & hominis auferre & belluæ rabidæ corpus inferre. Sed rogo si illa erat pestilentiæ causa? cur nihil prodesse posse Ephesijs Apolloni⁹ arbitrabatur (vt dicis) Philostrate? Rursus num liquet Apollonij supplicationẽ prius ad deos factã? quid, quod & conuentus ad locũ vbi etiam dijs sacrificare pro pellendis malis Ephesij consueuerãt, superstitionẽ firmat. Cęterùm & illud considerandum, ex humorib. prauis à corporibus Ephesiorum iam euanescentibus, & ex aëris quasi infirmitate ad sanitatem redacta, pręscire dæmonem potuisse, & Apollonium edocuisse pestis exitum, & vt cumulatiùs cõsummatiusq; noceret, peregrinum hominem iubere interfici, & Ephesijs hoc præstigio imponere, quòd grassantem pestem, sub peregrini simulachro cecidissent. Sed dic oro quid causæ est, etiam si pestis, vt fingis, etiã si dæmon cederetur, vt corpus spumantis belluæ, sub lapidum tumulo cerneretur. An fortè dæmon ille interfectus est, corpus belluæ gerens? An peregrinus cõuersus in belluam? aut vtrumq; aut alterutrũ si dixerint, insaniæ decipulas incurrent, cùm vel neutrum, vel alterum, dici à Philosopho Theologoq; homine nequeat. Potest sanè quod antè diximus afferre dæmõ belluam vt eam se crederent occidisse Ephesij, quos simul cũ Apollonio tàm in superstitione quàm in crudeli opere confirmaret.

Veniamus ad alia pleraq;, sed paucis retexenda quæ Philostratus octo libris texere sategit: Apollonius vt viros bonos agnosceret, Soli preces fudit: Interrogatus quò proficisceretur, eò, inquit, quò me sapientia & dæmon ducet. Quid arrogãtius? Quid magicen redolẽtius dici potuit? quid verò delirius? cùm à se ipso missus dicebat, suãq; esse terrã vniuersam, quid vanius cũ ex leęna cœpit Auguriũ? quid superstitiosius cùm thure Soli sacrificauit? quid iactãtius, cùm verbis lamiam modò in vnam, modò in aliã sese effigiem conuertentẽ pepulisse credidit? Dęmonem eum fuisse putandum est, qui se pulsum Apollonij potentia credi volebat, quò magis ille & superstitiosius insaniret: quid autem indoctius? cùm docuit Philosophiam recuperari ab eo non posse, qui eam semel contempsisset, cùm Bacchum daturum veniam arbitrabatur, si abstinuisset ab omni vino. Si verò vinũ ex dactilis vuaceo prætulisset illum indignari? cùm putauit humorem illum qui è Tantali phiala distillabat, & ob firmandam amicitiam (quoniam Tantalus hospitalis ac benignus habitus esset) porrigebatur, à Brachmanis potionis fuisse corruptibilis, sed insigniora notemus. Euocata, inquit, Achillis vmbra, quinq; quęstiones interrogare permissus est. Putabã ego de reb. altissimis priusquàm totas explorarem percunctatũ Apolloniũ. Prima fuit: An iuxta poëtarum dicta sepultchrum habuerit: Secunda an eius causa iugulata Polyxena fuerit: Deinde vtrũ ad Troiam vnquàm venisset Helena: Deinceps miratus cur tot præclaros homines Græcia tulerit Troiani tẽpore belli: Demùm quã ob causam Homerus Palamedem carmine non honorârit. Quæstiones certè, præter tertiã de qua dubitatũ, quando raptam eam nec dictis asseruit, & Dion Prusiensis Homerũ impugnans abnegauit, nõ modò min⁹ dignæ homine, qui ꝑ Deo coleretur, sed etiã mediocri philosopho minimè cõgruæ.

Prædi-

Prædictiones autem illæ, quibus Tyanæus iactatur, partim humana cōiectura, partim dæmonis consortio fluxerunt: Antistites quippe illos futuros, & Vespasiani fortunā, & Domitiani cædem instantem, & alia pleraq; prænosse potuit, vel ex ambitione illorum fortasse ad primatum, vel eo ipso ad illos quasi per manus deuoluendo, aut ex potentiorum amicitia & opibus, aut ex inclinatione & assensu eorum ad quos pertinebat electio, vel ex dæmone prænosse; qui hæc eadem & coniectari futura & præsentia scire exquisitiùs poterat, & Apollonium afflare ad ipsa vulganda vel vigilem, vel somniantem, cui vaticinationi studebat, idq; insigne ridiculum ea de re prodidit somnia manifestiores significationes ijs ostendere, qui in lintea, vt ipse faciebat, veste pernoctabant, affectabat & dæmonum colloquia sub religionis prætextu: nam & cum Trophonio inquit Apollinis filio clàm inuitis sacerdotibus locutus est, priùs & Aesculapium frequenter sciscitatus fuerat. Iam verò quæ tribuūtur ei miracula de reuocatione puellæ ad vitam, de cruribus ex compede tractis, vana sunt omnia, vel omnino dæmonica: Neque enim Philostratus mortuam affirmauit puellam, sed finge dixisse, potuit syncopi detineri, & ex seipsa vi naturæ, vel adiumento quopiam videri reuixisse, potuit & dęmon cooperari vt astantes hallucinarentur præstigio: sicuti exuere pedicis crura illi perquàm facile fuit. Arte, inquit Damis, magica effectum non putari, quoniam incantamentis non est vsus: quasi necessarium sit Necromāti & Mago quotiescunq; operantur, verba profundere, nec alia sint signa quibus tanquàm vocati se dęmones præsentēt, qui etiam iniussi sponte sua multa committunt. Illud quoq; si verum fuit, in dęmonem referendum est, quod è prætorio disparuit Romæ ante meridiē, non multò verò post auroram in dicearchia, Demetrio, Damidiq; apparuit, rectè quidem huiuscemodi gratia Epidauriorum Hierophanta respondit, nolle se Apollonium initiare hominem incantatorem & dæmonib. nō liberum: addere poterat crudelem & inhumanum, quod & peregrini cędes antè narrata, & consilium Gymnosophistis datum planè declarat: homicidam enim quempiam ab eis honorandum monuit, qui, scilicet, occidisset Philiscum trahētem originem à Thamo, tertiadecima iam generatione propagata, à quo nudorum regio deuastata fuisset. Impium hoc atq; crudele cōsilium, quis philosopho dignum arbitrabitur, nedum eo qui supra hominem aliquando sit habitus: Monet vt appetentes vindictæ sint, in insontem illatæ: Nam & Philiscus qui genus referebat in Thamum populatorem regionis ex tertiadecima generatione, cur pœna plectendus erat insons, videlicet illius criminis? cur hoc desiderari & à Gymnosophistis ratum gratumq; haberi? sed exploremus demùm quid de Apollonij morte Philostratus enarret.

De morte, inquit, non satis constat, cùm alij mortuum, alij viuentem sint arbitrati, postea tamen veluti oblitus eorum quæ dixerat, mortuum dicit: Mirari tamen se cùm magnam habitabilis terræ partem circumierit, sepulchrale nusquàm vidisse: De ætate etiam non conueniunt, cùm alij octogesimum, alij nonagesimum, alij etiam centesimum excessisse annum perhibent. De genere item mortis, deq; loco, incerta & varia funduntur: Alij dicunt Ephesi decessisse, vbi duarum ancillarum ministerio vteretur: Alij in Lyndo, cùm Palladis templum ingressus repentè ex hominum conspectu disparuisset: huic ipse libentiùs accederem opinioni, cùm paucos etiā ante annos, presbyterum quempiam dęmon, cuius commercio delectatus fuerat, strangulasset: accepi hoc ab homine qui eo familiariter vtebatur. Hoc ipso verò anno alterum viuum asportatum colloquijs dæmonum vtentem compertissimum est. Alij in Creta, in templo (vt aiunt) Dicteæ matris, vbi vinctus à sacerdotibus, vti sacrilegus fuerat, excessisse produnt. Hæc autem contrarietas mendacium patefacit: nam si amici & laudatores non conueniunt, quin & contradicunt sibi, in illius tamen laudibus certātes ficta sint aliqua in eius gloriam necesse est, cùm omnia simul vera esse nequeant, quæ nihilominus eiusmodi sunt, vt dæmonum vi atque astu fieri singula potuerint: sicut & illud post mortem decantatum, quod apparuerit, & de anima disputauerit: facilè hoc dæmoni eius imagine desumpta, vt superstitiosis illius in vita gestis adstipularetur, quod autem colatur, vt Deus omnium sermonib. falsum quidem Philostrate, à paucis certè id factum est, cito que vanus hic & damnatus perijt cultus, vt solent omnia alia figmēta atq; mendacia, cuius etiam meminimus in primo theorematum nostrorum, de fide & ordine credendi. Neq; officit quod Tyana regijs illum honoribus coleret, quod

reges

reges olim eisdem quibus gauderent honoribus, venerati sint. Periêre hæc omnia vti vana dogmata non à bonis iudicijs diuina & maxima credita, sed vt humana etiam instabilitate minora: Eum igitur comparabis Christo? quem non venerati olim, sed & persecuti acerrimè reges & principes, cui aduersi fuêre rhetores atq; philosophi, templorum sacerdotes refragati, in quem totus deniq; mũdus & dæmonum vniuersa potentia conspirauerant: qui tamen non sermonibus tantùm, non in vna ciuitate, non ad temporis momentum, sed omnibus iam in populis, in vniuerso orbe, nec regum modò, sed Dei honore (vt decet) colitur, non vno vel paucis annis Deus creditus: sed mille iam quingentis & tribus adoratur & regnat, & illius regni nullus erit finis. Quid igitur Magiæ nomine denotetur, & quotuplex ea sit, & quàm vana, & religioni aduersa, monstratum est, & in vniuersum confutata, particulariter quoque reiecta, adeò vt ex ijs quæ hoc libro disputata sunt, nihil esse magicum puto quod reijci non possit atque refelli.



DE CVRIOSA PRÆNOTIONE,

LIBER VIII.

CAP. I.

QVID ACTVM ET QVID agendum.

ARDENTIVS fortasse quàm oportuit aduersus omnia superstitionum genera, à quarto libro huius operis ad hunc vsq; octauum videri possumus disputasse: verùm aliter opinabuntur, qui in Pontificijs libris, in Iustiniani Codice acerrimas leges & sanctè seueros canones legerit, aduersus Aruspices, Mathematicos, Diuinatores, Astrologos, Maleficos, Augures, & cæteram superstitiosam turbam promulgatos, in titulo de Maleficis & Mathematicis apud ciuiles leges, ac vigesima in sexta causa Decretorum: In decretalibus quoque epistolis Pontificum titulo de Sortilegijs, in articulis quoque aduersus vanitates sacrilegas editis à Parisiensi vniuersitate toto in orbe Christiano meritò celeberrima, vt doctorum sacrorum sententias omittam. Opportunum igitur fuit post prænotionem ipsam in vniuersum diuinamque & naturalem illius species, tribus primis libris pertractatas, quatuor sequentibus in superstitiosas & eas quidem multifarias cùm inuehere, tùm & rationibus fortiter dimicare. Nunc sequens est, vt de curiosa prænotione, quietiùs aliquãtò disputemus, quod polliciti sumus conseruantes: propositum enim nobis atq; in superiorib. promissum curiosum genus, pòst superstitiosum explicare: Demùm quod ambiguũ esset & dubiũ, sequenti libro declarare pro viribus, quò, scilicet, vera à falsis, ab incertis certa, diuina quoq; à superstitiosis curiosisq; dirimantur.

CAP II.

QVID SIT CVRIOSA PRAENOTIO, EAMQVE MVLtis prodire modis.

DIximus primo libro, cùm de Prænotionis generibus ageretur, curiosum esse genus quod ex fine quærendi prodiret, dum ea, scilicet, cuperentur sciri vel peterentur quæ vel fine ipso inania essent, superfluáve aut prohibita: Item & quæ indigna quæsitu fundereque id se posse & alijs immiscere generibus, vt quod ex se alioquin vel diuinũ esset vel naturale, hoc pacto curiosum euadere, quando etiam adeò ipsis que Angelis leuia, vana, & indigna curiositatis vitio quandoque postularentur aut optarentur intelligi, & à natura quoq; inuesti-

inuestigari,& peti solerent quæ præstare illa non posset: Quare cùm veritatis quærendæ studium ad virtutem pertineat, & virtus quæq; suis terminis claudatur, quos citra vltraq; nequit consistere rectum, diligenter considerandum est: Primùm si ea petenda sunt, quo habito, à quibus petenda, item quo modo, quo tempore, & quã demùm ob causam seruandæq; circumstantiæ omnes virtutis, ne eam affectantes, in opposita vitia quæ illam hinc inde circumstant, dilabamur: Nam tametsi bonum quoddã quæsierit quispiam vt inde vergat in malum, studium hoc ex fine damnatur: Si id nil prosit aut parum, superfluum est, & vanum, cum fine adepto nihil minus cõsequaris: pluraq; sint quorum ope ad rectè viuendum ad felicitatem indigeas, quibus acquirendis vacandum esset, ex eo quoq; si aut petis aut impetras, à quo ne petas, ne impetres cautum est, aberras: quemadmodũ si ex dæmonis commercio sciscitari aut nosse cupieris: & quanquàm suprà hoc inter superstitiones computatum sit, nihilominus eo etiã curiositatis inde vitium prodit, quod ex nimio & inordinato sciendi appetitu prohibitis vteris, & interdictis, cultu verò & conuersatione peruersã in superstitionẽ & sæpenumerò in idololatriam laberis. Putauit Fabius Quintilianus, sic à diligenti curiosum distare, quemadmodum à religione superstitio: & quanquam ipse inter religionem, cuius minimè cultor erat, & superstitionem quam, scilicet, amplexabatur imprudens, non rectè dirimeret, à diligentia tamen curiositatem non imperitè discreuit. Illius enim cura laudatur, istius superuacua sanè operositas contemnenda est: friuola quoq; & nullius momenti si vehementiori studio quærantur, curiositas exurgit. Ex vltimo demùm fine cum omnibus ille non præponitur, curiositate peccatur: Præponi autem is debet, aut tùm cùm res agitur cogitãdo, aut ex prioribus saltem cogitatibus præstitutum esse oportet, vt habitu, vt aiunt, saltem homo id cogitet, quod actu alioquin non cogitaret. Quippe cùm malum ab omni non solùm re, sed cogitatu nostro abesse in primis oporteat, ne id vnquam, scilicet, sequi aut delectari eo velimus: Deinde quæ etiam bona cupimus, nõ propter se quærenda petendaq;, vt eis tanquàm, supremo fini quiescamus, sed in Dei honorem & gloriam, & ea omnia, & nos ipsos in Deum, inquam, à quo sumus, & in quem redire debemus, conferenda sunt: Illudq; dignum animaduersione, vt homo supra proprij ingenij captum & conditionis humanæ facultatẽ nimis abdita ne quærat, & sua natura suiq; facultate intellectus, & humano studio contentus, ad ipsius Dei secreta ne penetret præsumptione temeraria, sciẽtiæ ordinem & modum peruertens. Curiosa itaq; prænotio suboriri & alĳs modis ĳs omnibus potest, quos suprà duximus in medium: Nam curiositatis vitiũ circa intellectus & sensuum cognitionem versari manifestum est: Cùm igitur ordo inuertitur & præposterè agitur in præcognoscendo curiosæ prænotionis, vitium eo modo scaturit, præpositione addita duntaxat vt curiosa prænotio dici ea possit, quæ in pręcognoscendi studio aberrat, in ea incidens quæ suprà docuimus euitanda, in omni studio cognitionis. Sed vt commodiùs in ipsam differere possimus quæ præcognoscenda sint, à quibus, quo pacto, quo tempore, & quam ob causam, discutiendum decernendumque est.

CAP. III.

QVAE VT PRAENOSCANTVR CVPIENDA petendáve.

PRimùm igitur ea nobis licet optare vt prænoscamus, & quærere, quibus benè in hac vita nobis sit, & in futura feliciter atque beatè, ea omnia sunt quæ ventura nobis indicauit Deus omnipotens per Iesum Christum, per Apostolos, per Prophetas, de mundi fine, de iustorum æternis præmĳs, de pœnis impiorum sempiternis, & demùm quæ vel formidanda in posterũ, vel speranda Diuinis literis præcipiuntur & suadentur: Exin quæ ad vitam hanc commodè & honestè transigendam conducunt, & optare, & procurare nobis possumus, siue ea ad vniuersum genus humanũ pertineant, siue particulares hominũ gradus & conditiones concernant. Primi generis prudentia est & prouidentia, scriptum enim, prudentiã homini sapientiam esse, eamq; diuinis monemur eloquĳs obseruãdam, vt eruamur à via mala. Siquidem prudentia est, qua quilibet & commoda, & incõmoda facilè ventura prospicit, ex ordine & gubernatione mundani ordinis, ex moribus hominum,

minum, ex conditione prouinciæ, ex qualitate regionum & temporum, quibus non solùm sibi cõsulit, sed ijs quos ab eo regi & gubernari conueniet. Hæc ad eum qui ratione pollet indiscriminatim spectat, siue alijs præest, siue se ipsum duntaxat curat & regit. Qui verò particulari officio incumbunt, ea prænosse consentaneum est, quibus seu officium illud, seu artem appellare malueris, perficere exactiùs queat: Hinc Nauticæ rei, hinc Agricolationis præcepta prenoscendi: hinc Militaris, hinc Medica iuuatur ars, de quibus tertio libro egimus, quantum operi conducibile visum. Præter hæc qui plura vel vehementiùs quæsierint, aut nunquàm, aut vix vitium curiositatis effugient, quod etiam taxabant Gentes. Vnde me legisse memini Socratem vatum consultationibus non concessisse, quæ relationem ad exitum non haberent, & quorum occasio cognoscendi, aut ratione aut arte præberetur. Sed etiam fallit dæmon hac in re nonnunquàm eos qui diuino quærendo amori se mancipant, cupitq; maximè eorum aliquem expiscari hamata porrecta esca: nam vt suadeat amati confidentiã, vt animi custodiendam mundiciem insinuet, cùm occurrunt quæpiam vel in noscendis, vel in agendis rebus ambigua extimulare illos non desinit, quo procurent se de illis edoceri diuinitús. Verùm ij perquàm facilè insidiosam escam euitauerint qui nouerint quidẽ fundendas preces ad Deum, vt peccatum omne malumq; declinent, vt in primis diuina seruent præcepta, vt eius voluntatẽ efficiant: Nihilominus & illud scire eos conuenit ad quæcunq; etiam bona diuinaq; consilia obligatos nos Deum ipsum noluisse, quod si dubia emerserint illa quæ vel ad intellectum, vel ad voluntatem spectant & actionem, Diuinas literas consulendas esse, quibus veluti signis ducantur, alienã quoque prudentiam & rationem sciscitandas: sicubi autem humana nõ satis industria faceret, nec Sacræ, vt esset in votis, literæ suppeterent, vtrum peti aliquid posset à supernaturalibus causis, verti posset in dubium: nam & is à quo petendum est considerandus, & quæ nam illa essent, finis, quoq; modus & tempus, examinanda sunt.

CAP. IIII.

VTRVM A DEO ET BONIS ANGELIS petenda prænotio.


SVprà satis, vt arbitror, detestati sumus eos qui à dæmone vt prænouerint, irretiuntur, deq; pactis cùm expressis, tùm subpressis abundè tetigimus, & Astrologiam & Geomantiam & reliquas cũ ipsa Magia prænotiones noxias eliminauimus: quare ab illis nullo pacto nec optari nec quæri, aut peti prænotio debet: qui secus egerit experietur quàm graui cõscientiæ iactura, quàm magno animæ detrimento demùm id fiat: à Deo igitur & bonis Angelis petenda est prænotio, si qua tamen petenda est, quæ aut natura non insit, qualis prudentiæ prænotio, aut liberali vel honesta arte queat comparari, de quibus tertio libro disseruimus. Diximus si qua petenda est, cum prima fronte, contenti eis prænotionibus esse debere videamur, quæ diuinis eloquijs promulgatæ sunt, illud quoq; in eis scriptum est: *Non est vestrûm nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Accedit quod Augustinus in x. suarum confessionum libro, multa de curiositate disputans inter alia inquit: Nec curo nosse transitus syderum, nec anima mea vnquàm respõsa quæsiuit vmbrarum: multisq; suggestionum machinationibus secum inimicum egisse docet, vt signum aliquod peteret à Deo multosq; itidem ex curiosarum visionũ desiderio meruisse illudi. Idem auctor in libro de Vera religione inter alia scribit, dicitur superstitiosis: *Regnum Dei intra vos est*, dicitur curiosis: *Nolite quærere quæ videntur.* Quapropter apparet illum sicut superstitiones, ita & curiositatẽ damnare, illis intra se Dei habere regnum si voluerint, & dæmonis vel imperium vel societatem effugerint, istis solum Deum quærendum & sempiterna. Hæc autem in Sacris literis copiosè docẽtur, & prædicuntur. Quare & ijs, & similibus plerisq; moueri quispiam posset & opinari, nullo pacto licere prænotiones rerum à Deo vel bonis Angelis postulare, sed exquisitiùs cernentibus liquet ea ipsa nihil officere, si rectè intelligantur. Namq;, vt secundo diximus libro, cùm de Prophetia scriberemus: Multa occurrere olim & in posterũ occursura, consentaneum est, quæ de futuris pendent, quibus ignoratis incõmoda multa cõtingent, cùm in Ecclesia ipsa, tùm varijs gradibus hominum & regibus atq; principibus: Euangelica verò litera ipsa abundè significat, nõ prohiberi futurorum inquisitiones

sitiones cùm dixit: *Non est vestrum scire*, nam non omnia dixit, *sed quæ Pater posuit in sua potestate:* Et si iuxta Hilarij doctrinam, & iuris regulam, dictorum intelligentiam ex dicendi causa capiamus: Deprehendemus tùm à Christo prolata illa verba, cùm interrogaretur: *An in tempore illo regnum Israël restituturus esset. Respondit* enim *eorũ non esse tempora & momenta scire, quæ Pater sibi reseruasset.* Omnia verò non reseruata hinc liquidò patet, quod post verba illa, vt Noui testamenti decursu conspicitur: Multa Paulo, Ioanni, Petro reuelata sunt, Agabus quoq;, & etiam Philippi filiæ, diuina reuelatione prophetârunt: Augustini verò sententiæ, si quis eas probè cõsyderet aduersus eos tendunt, qui rectam linquentes, in curuas, & labyrinthæas vias amplexarentur, in cõfessionibus enim post illa quæ recitauimus, adiecit, elata illos mente fuisse, qui Deum quærebant doctrinæ fastu, exerentes potiùs quàm tundentes pectora: quos narrat sibi adduxisse socias superbiæ suæ potestates aëris huiusinodi, à quibus per potentias magicas deciperentur: Quare id non sonant Augustini verba, vt nephas putetur, à Deo bonisq; angelis prænotiones postulare debitis modis, de quibus capite sequenti acturi sumus.

Multi quoq; & sanctissimi & celebratissimi viri reuelationes à Deo postulârunt, & impetrârunt: Sic Martinus & petijt, & obtinuit à Domino vt nosceret cuius esset sepulchrum, quod veluti martyris fuisset, cùm latronis esset, colebant, quid? quòd sexto illius voluminis libro, ipse Augustinus de matre Monica verba faciens, inquit: Cùm sanè & rogatu meo, & desiderio suo forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, vt ei per visum ostenderes aliquid de futuro matrimonio meo: quæ sanctissima tamen erat, & habebatur fœmina: diuinis alijs reuelationibus assueta nunc in sempiterna cœlorum patria felix. Idem Augustinus 5. de Ciuitate Dei libro Theodosium Imperatorem laudat, qui cùm Maximi successibus angeretur, quo & Gratianus occisus, & pulsus Valentinianus fuerat, non est lapsus ad curiositates (vt ait) sacrilegas atq; illicitas, sed ad Ioannem in Aegypti heremo constitutum prophetiæ spiritu præditũ misit, à quo victoriæ nunciuñ certissimũ accepit, eundemq; Theodosium accepto rursus prophetico respõso Eugenium tyrannum oppressisse. Thomas quoq; in quæstionibus de Quolibet, decernit aliquibus conditionibus, licere ab animis mortuorum haurire occulta, & sponsionem ab eisdem petere dum viuunt, vt post mortem nos de seipsis reddant certiores: quanquàm ab eo Henricus de Hassia dissentit apertè ex curiositate id fluere, confirmans verendumq; monens ne animarum prætextu dæmon illudat. Cæterùm in Veteri testamẽto, in Nouo, & adultæ iam Ecclesiæ tempore, & senescẽtis iam orbis ætate, semper vtriq; sexui reuelationes factæ & postulatæ, & quanquàm aliquando id benè vertit, si pia præcessit humilitas, nonnunquàm aliter euenit, si illa defuit. Accessit autẽ curiositas, vt sequenti libro dicetur, neq; nos moueat, quòd æterna quærenda, non temporalia petenda sunt: nam & peti si qua petuntur ad finem illum vt cõducant, operæprecium est. Illud autem magni Antonij præceptum ad monachos consideratione dignum, & memoria pro curiositate frenanda est, vt videlicet curemus non præscire quæ veniant, sed implere quæ iussa sunt, nec instituti boni hanc flagitare mercedem, cùm magis victoria contra diabolum optanda sit: quòd si fortè aliquis inquit, hoc libenter assumat, vt futura cognoscat, puro sit corde, cùm anima Deo seruiens, si in ea perseuerauerit integritate qua nata, plus scire possit quàm dæmones, talemq; affirmat Helisæi animam fuisse.

CAP. V.

QVIBVS CONDITIONIBVS PETENDA prænotio.



Ed neq; friuola & inania, nec passim & frequentissimè desideranda postulandaq; sunt, nec ab omnibus indiscriminatim, nec quacunque ex causa vt præsciant optandum à Deo & petendum est: cùm à Deo dicimus, Angelos intelligimus, cùm ipsi nil vnquàm præter voluntatem Dei reuelent, nec eius nutui refragentur vnquàm, eorumq; fiat ministerio quod impetratur diximus: inania & friuola, cùm amentes multi, quorum curiositati terminus à ratione præfixus non est, quæcunq; cupiunt, Dei afflatu prænosse affectarent, audientes Deum crebriter ad Mosen locutum plurima, Hebræis, Regibus, etiam de rebus particularibus, nec

maximis reuelata per Prophetas: Carpum Cretēsem episcopum singulis diebus, propitijs visis antequàm consecraret diuinitùs confortatum, & plæraq; alia, quæ particulari tempori, particularibus hominibus, iuxta summum diuinæ prouidentię ordinem impartita sunt. Singularia quippe vel temporis alicuius, vel hominum priuilegia ad omne vel tempus, vel quoscunq; homines transferri æquum non est, qui secus egerint si fallantur, id sibi imputent & eos pœniteat, quid? quòd ea sæpè quæ ad se attinēt ignorabūtur, sciētur verò quæ spectāt ad alios, vnde illud cōiector emersisse poëticū:

Ad proprios casus cæca Sibylla taces.

Frænanda porrò curiositas est, & ea quæ vel in Sacris literis, vel statutis Ecclesiæ, vel Theologorum doctrinis, vel sanis philosophorum dogmatis, vel ciuilibus legibus, aut Medicinæ præceptis reperiuntur, vera inde trahenda, vt antè subsignauimus, non importuna curiositate supernè quęrenda sunt. Nam omne verum à Deo proficiscitur, non vno autem modo, sed multis. Plurima enim per Apostolos & Prophetas, plæraq; per leges etiam humanas (Reges enim eò regnant, eodemq; auctore, legum conditores iusta decernunt) multa per Theologos, nonnulla per Philosophos etiam patefecit. Siquidem, vt ait Apostolus: *Quod notum est Dei, manifestum est illis.* & iterum: *Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quare nec quæcunq;, nec inania, aut friuola, nec passim itidemq; peruestiganda diuinitùs, quæ humanitùs nosse possumus. Pudeat homines in religione Christi, contemplandæ veritati deditos, prophana mente & curiositate sacrilega, quęcunq; minutula per reuelationem rimari, cùm apud Aegyptios superstitionibus innumeris non veræ religioni obnoxios id nephas putaretur. Rescribit Iamblichus ad Porphyrij epistolam pro Anebone magistro: Sacerdotes Aegyptiorum de rebus exiguis diuinam intelligentiā non interpellasse, sed de ijs quæ ad purgationem, solutionem, & salutē animæ pertinerent. Apud antiquiores quoq; damnata futurorum peruestigatio nimia, vnde illud ex Dicearcho: Nescire ea melius esse, quàm scire, vt mittam quæ à Phauorino hac ipsa de re perorata sunt apud Gellium, & sanè, quæ nec condùcunt ad bene beateq; agendum, aut quæ multo pòst tempore futura sunt, vt pręsciamus desiderandum non est, ea tantùm quæ ad salutem pertinent, de quibus alioquin erudiri ad vnguem vel sacris eloquijs, vel aliorum consilio, vel literarijs monumentis non possumus, postulare quandoq; datum est, & quæ eo tempore, quo in humanis permanemus, tametsi quæ posteritati profutura sint, non omnino excludamus. Demùm in omnibus præ oculis habendus Omnipotens, & condictio ea præ intelligenda semper, si bonum, si saluti vel nostræ, vel aliorum conducens. Subeat Christianorum mentem pudor eximius, dum nimia futurorum anhelant cupidine & prænoscendi magis quàm propriæ salutis æstuant siti, quando Iamblichus ipse vana religione plurimum hallucinatus censuerit deos suos occulere futura, tùm cùm virtus exercenda esset, ad idq; conferret ignoratio futurorum, vt animus inde melior euaderet. Si verò nihil interesset expediret autē vt animus præsentiret pro salute, pro reditu ad sublimia, tum vaticinium animis inseri: Si hoc ille vidit in tenebris, in luce ipsi non videbimus? & salutem nostram & Dei gloriam in primis non præponemus, quibus & cognitio omnis & præcognitio deseruire debet, quod si nequeat apprehendere quispiam ex se, ex eis accipiat, quos benignitate sua elegerit Deus vt hominibus consultant dubijs in rebus & magnis de quibus alioquin aut omnino nō erudiri, aut ita exactè atq; perfectè & particulariter possumus, quanquàm sacrilegium minimè putaremus, si quispiā humiliter id à Deo peteret sibi fieri eis quas memorauimus condictionibus, ac dum vrgens esset necessitas, nec adesset qui diuinis reuelationibus illustraretur. Sed quoniam de particularibus non est scientia, qualia sunt humana opera: ideò vniuersalibus huiusce condictionibus positis receptui canamus, cùm item commodè sciri non possit, quínam sint diuinis hauriendis afflatibus idonei, quibus nos ipsos videlicet concredamus, idcircò ad dubiarum reuelationum regulas descendamus.

DE PRÆNOTIONIBVS DISCERNENDIS,

LIBER IX.

CAP. I.

QVOD DIFFICILE SIT DISCERNICVLVM PRAEnotionum, quod tamen regulis quibusdam iuuari queat.



MNIFARIIS rerum prænotionibus octo iam superiorum librorũ decursu, Deo ferẽte opem, vtcunq; tractatis, sequẽs est vt de discernendis illis disseramus: Ita nostra pollicitatio, & ordo etiam voluminis efflagitant rem equidem arduam: Quippe cum omni in re, de qua agitur, difficile sit iudicium, in hac maximè vel difficilimum existimabitur, non tàm propter rerum de quibus egimus affinitatem communionemque quàm propter obtusam humani intellectus suapte natura aciem ad pernoscenda diuina, ad hæc propria cuiusq; affectio, & rerum terrenarum amor magnoperè impediunt. Communicant autem sæpenumerò cum diuinis prænotionibus naturales, cum superstitiosis curiosæ: ex quibus non mixtio iam dissultet atq; confusio, verùm nostri potiùs oculi mentalis inter discernendum hallucinatio: Nam vt mittam quòd supra naturã proximè stat, & quasi illi incubat gratia, quòd ex curiositate in superstitionem abitur, quòd se religionem esse superstitio mentitur, & quod cuiuscunq; supremi gradus infima cum supremo ex imis communicant: hac in re illud præcipuè aduertendum quòd noster intellectus, cùm intellectilium substantiarum infimus & sit, & habeatur, angelicis substantijs sine intermedio substat, proximè, scilicet, illis (vt sic dixerim) iunctus & quodammodo contiguus, vti etiam Angelis, Archangeli, principatus, & reliqui diuinæ hierarchiæ chori superstant. Quapropter cùm nostra anima parùm ab Angelis diminuta sit, à se quandoq; * extimare etiã potest percepisse quod alioqui Angeli reuelassent, & econtrà percepisse ab Angelis quod ipsamet ex se ipsa finxisset, vel somno præpedita, vel nimio amore obcæcata, vel ardentioribus odijs affecta, vel corporalibus morbis hallucinata. Quapropter regulas peruestigare atq; cõstituere, si fieri posset, oporteret, quibus, scilicet, à diuinis humana & naturalia, à curiosis superstitiosa, & hæc quoq; ab illis, & ab alterutris alteræ secernantur: hoc autem pacto voti compotes commodiùs fiemus, si res & obiecta ipsa à quibus trahi eæ regulæ debeant, & quæ'nam sint & qualia consideremus, eoq; diligentiùs id obire officij debemus, cùm discrimen sit non mediocre, aut falsa approbare pro veris, aut pro falsis vera reijcere & improbare, nisi in eis considerandis perpendendisq; duce vtemur prudentia, quæ ijs in rebus tanti etiam facta est ab ipsa gentilitate, vt quanquàm falsa religione ducerentur, curarent nihilominus ne deciperentur, & habendum inprimis delectum iudicarent: Nam & apud Ciceronem periculum scribitur esse, ne aut neglectis ijs, quæ ad diuinationem pertinent, impiæ fraudi, aut susceptis anili superstitioni locus detur: & Philostratus affirmat lucrum esse neque omnibus auditis habere fidem, nec omnia rursus aspernari: quantò id magis nobis curandum, quos vera instruit religio, vt probemus spiritus, vtrum ex Deo sint, sathana in angelũ se lucis transfigurante. Perpendenda igitur reuelantis conditio, ipsa quoque alia ex parte reuelatio eiusque natura perpendenda, quibus, scilicet, proprietatibus polleat; & hoc si in alijs reuelationes suscipiantur. Si verò in nobis ipsis desuper exceptæ fuerint, tùm affectiones propriæ & ipsæ pariter reuelationis proprietates diligenter examinandæ, ijs omnibus ea quæ reuelantur, dignoscere, & internoscere datur, sed exactiùs Dei dono illo quod ab Apostolo, spirituum discretio nuncupatum est, de quo agendum in vltimo capite, aliæ priùs regulæ quæ & ipsæ ad probationem spirituum pertinent, discutiendæ & vestigandæ sunt. In eo igitur homine qui nobis patefaciat futurorum abstrusa, extrinsecùs in eo quæpiam, intrinsecùs nonnulla, consideranda erunt: nam &

* existimare

vita,& mores exactè rimandi, quantum extrinsecùs liceat: dein quæ patiatur intrinsecùs, dum superna percipit disquirendum percunctandumque ab illo est. Reuelatio verò quænam sit, primò inspiciendum, postea hoc pacto examinanda, si constans, si Sacris literis consona, si ad bonum conducens: Si verò nos sumus qui diuina patimur, tum ea ipsa quæ priùs in reuelatione diximus examinanda, scrutabimur: demùm & mores proprij, & affectio & reuelationis, non modò natura, sed modus in considerationem cadat necesse est. Demùm an lumen ipsum propheticum adsit absítve, perpendendum fuerit, quibus de rebus, quanquam secundo libro plura disseruimus particularia, hîc nonnulla, quo ad discerniculum spectat, promenda sunt.

CAP. II.

QVAE IN EO HOMINE CONSIDERANDA, QVI prænotiones suas vti diuinas manifestat.



Rimò is qui se prænoscere dicit, considerandus est, quando ex hominum imposturis fieri potest, vt prænotiones prædictionesque appareant, quæ non sunt, sed vel sycophantorum ludibria, vel stultorum deliria: possunt enim astu dissimulato, quod ordinario alioqui noscēdi more iam factum didicerint, quasi illud pernouerint ostentare, possunt & insani sua somnia, sua visa, pro reuelationibus præbere credenda. In hoc vno etiam decepti à semet, vel ab nigro humore, præter debitum occupati: nam qui nimia macie confecti, & cholera nigra laborant, quandoque videre sibi videntur inaniter, & qui senio quoque macerati, ad extremam decrepitam peruenerunt, nisi multa sanctitatis indicia præcesserint, ne delirent maximè formidandum. Apud Gentes hæc quoque formido fuit, vt in Marone deprehendimus, qui Turnum sic introducit respondentem furiæ, formam Chalybis anus indutæ:

Sed te victa situ veriq; effœta senectus,
O mater curis ne quicquam exercet, & arma,
Regum inter falsa vatem formidine ludit.

Plurimum & in primis reuelantis hominis condictio pensitanda, Euangelicis hoc & Apostolicis præceptis admonemur: Attendite (inquit Euangelica doctrina) *à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces:* scribitur item: *probate spiritus, vtrum ex Deo sint:* Et iterum: *Venient* (ait Dominus) *multi in nomine meo dicentes: Ego sum Christus.* Et Apostolus cauendum nobis præcipit, ne decipiamur. Et in veteri quoq; Testamento monemur: Ne falsis prophetis, etiam si vera quandoq; dicerent, fides haberetur. Sed & Paulus quoq; Apostolus ait: *Prophetias nolite spernere: Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Ante omnia igitur, vt mihi quidem videtur, perspiciendum, vniúsne Dei cultor sit ille qui prædicit & catholicæ Ecclesiæ alumnus, nulla hæresis tabe maculatus, exin pensandum, an cum fide quā profitetur, vita concordet, ne, scilicet, agni pelle prætensa, inexhaustæ famis lupus insidietur. Si primum deest, & dæmonum cultu mancipatus fuerit, qui prænouit abrogāda illi credulitas, vti & dæmoni ipsi, cuius afflatu prænoscere cultores suos consentaneum est, eæq; inter prænotiones superstitiosas reponendæ, quales suprà in Brachmanis, Apollonio, alijs fuisse docuimus. Sic & Hesiodi Musarum apparitio existimanda fortasse dum ad montem Helicona gregem egisset: Vnde seu id finxit antiquitas, seu dæmonum nympharum specie illa vis fuerit Ascræo illi pastori poëticam insinuatam ferunt, Sic Ennius dum aquā potasset fontis Hippocrenes, somniasse scribit, se Homeri animam hausisse, & exin carmina cecinisse, quæ certè Meletæas chartas minimè redolēt, potuit sibi videri, sed falsò: Sic & Minoëm fabulati sunt à Ioue edoctū, Lycurgo leges ab Apolline datas: sic Melesagoram Eleusinium à Nymphis edoctū Athenienses diffamârunt, & Romani sua illa cum Egeria nympha Numæ colloquia decantârunt: Sic & Epimenides ille Cretensis fertur longo quodam eruditus somnio: Sic Hermotinius Clacomenius, cuius animam relicto corpore errare solitam dixerunt, vagamque è longinquo multa nunciare: Sic & Proconesius Aristæus, cuius animam exire corpus corui effigie autumabant, quos ante Homerum cum multis alijs scriptoribus floruisse putauit Tatianus, nec dissensit Eusebius, quanquam alij aliter. Sic Socrati, vt

Plato

Plato in eius Apologia voluit, astabat dæmon, cuius voce ad nil vnquàm agendũ impulsus à multis verò coërcitus est, & præsertim à fuga mortis, quod etiã in altera Socratis eiusdem Apologia Hermogenis apud Xenophontem testatur auctoritas, qui prodit Socratem dixisse meditanti defensionem sibi dæmonium aduersatum: de quo dæmone Apuleius librum scripsit, quem de Socratis Deo nuncupauit: & licet apud omnes ferè Platonicos dæmonum sit, deorumq; distinctio, Amelius tamen putauit dæmones erraticos esse Deos, cui Proclus in commentarijs in primum Platonis Alcibiadem refragatur, quanquàm & ille quoq; deliret. Talium igitur prædictiones abijciendæ & eorum qui nostra tempestate se dæmonibus mancipant: Idololatris similes, & hac in parte peiores quod susceptæ legis desertores sunt, & vni Deo palàm aduersi: quem illorum multi in participatum cultus admittebant, quod si fictilia isti non colunt, venerantur tamen dæmones sublimes alioqui creaturas, sed praua ex voluntate deterrimas, & in Deum, quibus possunt viribus, bellantes: fortè nec desunt qui colant adhuc idola, qui etiam cœlestia corpora Dei honore supplices adorent. Scribit Pius secundus, Pontifex Maximus, suo in libro qui Asia inscribitur: Pontificatus sui tempestate, à cuius fine iam septem & triginta circiter fluxêre anni, repertum iuuenem qui Solem coleret, in hunc autẽ errorem vehementioribus Astrologiæ cultoribus ruina timenda est. Audiui quoq; in remotis illis & insulis & terris incognitis olim, quæ Hispaniarum & Lusitaniæ regum opera nuper inuentę sunt, fuisse Gentes multas idololatriæ deditas. Cauendũ itaq; ne huiusmodi oracula aut sciscitemur, aut suscipiamus:

Oblata attollunt (inquit ille) *vanos oracula fastus:*
Et semper tacita sortes ambage malignæ.

Possunt enim sępenumerò in facinus impellere cupiditatibus inflammatos, quemadmodũ vesana spe Sibyllini vaticinij pellectos Lentulum & Cæthegum, ad perdendã patriam, cùm alij, tùm Portius Latro disseruit: Iis ergo consideratis, si vnius Dei cultor qui prænoscit & prædicit esse deprehendatur, videndum protinus, an catholicæ Ecclesiæ membrum sit, ne exemplo Montani & Priscillæ decipiant: Fingebant enim illi Prophetas se, & magno fuêre detrimento: nam præter alia docebant solui nuptias, & Montanus se Paracletum asseuerabat, & alia cùm assectatoribus agebat, quæ probatis Prophetis aduersabantur, vt Apollonius & Apollinaris probauêre, Hieronymo & Eusebio referentibus. Deinceps considerandi mores & vita, si fidei, qua se pollere fatentur, conueniant, si superbia soleat efferri, si voluptate dilabi, quæ vitia in diuites grassari solent, quare si diues fortasse fuerit, qui prænunciat, an vitijs huiusmodi infestetur, inspiciendum est, parte altera si pauper exquirendum, in quo & timenda auaritia, & subtilior etiam quàm in diuite superbia. Pauperum autem duæ species quãtum ad præsens attinet negocium: nam & alij præter voluntatem pauperes sunt, alij ex voluntate: in illis timenda auaritia, in his formidanda superbia, & quidem deterior quò latentior, quæ de suo opposito, humilitate modestiáve quandoq; nascitur, dum quis complacet sibi de virtute nimis & supra se ambitiosè reflectitur. Primi generis homines antiqua Gentilitas quanquàm alijs mille falsorum deorum fallacijs apertè delusa suspectos habebat. Vnde illud à Iuuenale decantatum propter eos vates, qui lucra sequebantur:

Diuitibus responsa dabit Phryx augur, &c.

Et illud Actij, qui verbis aures diuitant alienas, suas vt auro locupletent domos: & de Iudæis quos fortè per id tempus recens illa sub Tito captiuitas disperserat egestate confectos, id quoq; pariter à Satyro vulgatum:

——atq; ære minuto:
Qualiacunq; volunt, Iudæi somnia vendunt:

Nam etsi fallerẽtur semper in cultu falsæ religionis, quam veram autumarẽt, veras tamen & ludicras apparitiones esse posse putabãt, vera & falsa per quietẽ visa & simulachra ostẽdi arbitrabantur, vnde apud Homerũ & Vergilium, fictæ illæ portæ, quarum eburnea illa falsis deputata somnijs, cornea veris, cuius natura peruia perspicuaq;, sicut illius solida & crassa. Secũdi generis homines apud nos multũ cauẽdi cùm à pposito desciscunt: nã, quanquàm volentes paupertatẽ professi sunt, possunt nihilominus aliquando eã perosi affectare diuitias, & sua somnia, sua visa, quo honorẽtur magis & secretiùs thesauros accumulent principibus & populis venditare. Scribit Augustinus

ſe non expertũ peiores ijs qui in monaſterio defecerunt, ſicut nec meliores qui profecerũt. Eiuſmodi ſacerdotes prauos Gentilitas etiam notauit. Vnde veritus, vt puto, Demoſthenes à Philippo antiſtites Apollinis corruptos, ſcripſit Pythiã Philippicem, quare in illis voluptas & ambitio publica, in iſtis vtrumq;, ſed & affectatior & ſubtilior ſuperbia, occultiorq; libido, & demùm hypocriſis nocentior metuẽda eſt. Sciſcitandi amici, interrogandi familiares, obſeruanda vita diligentiſſimè, quantum datur & licet: nam tametſi quod ſecundo libro diximus, mali homines aliquãdo & vera, & magna prædicere poſſunt, vt in ſuperioribus, & in Balaam, & alijs vidimus, nihilominus raro id euenit, ſyncerè nunquàm, hoc eſt, quin ex altera eius vel doctrina, vel moribus falſitas, aut error immiſceatur: quapropter fraus in iſtis metuenda ſemper.

His conſideratis, ingenium & iudicium prophetantis, alijs in muneribus quos fortè obierit, æqua lance penſandus, ſi recti iudicij fuerit, ſi prudenter habuerit ſe: nam qui nimis auidus, minusq; conſideratus & præceps aliqua in re eſt, ſiue ea ad concupiſcibilem, ſiue ad iraſcibilem pertineat, verendum ne ita in ijs quæ ad intellectum & diuina ſpectant, pariter ruat, & ex imprudentia prolapſus offendat. Hinc etiam æſtimanda quadantenus corporis temperatura, ſanitas, ſtudium, cùm & ægroti multi & ipſi phrenites, ac ob intentionem animi nimiam exorbitantes, vidiſſe quandoq; ſe putent & audiſſe, quæ nunquàm aut oculis, aut auribus hauſerunt, ex multifarijs vehementioribusq; phantaſijs hallucinati. Igitur & quo animi eius feratur impetus, & ardenti, ne vel amore, vel odio maceratus fuerit, percunctandum, quãdo & in ijs etiam qui nouitio quodam feruore Deo famulantur ob fixas imagines rerum, quibus meditandis ad pietatem excitari cupiunt vana pro veris oſtẽdi poſſunt, & à dæmone, & à ſeipſis etiam illudi, eoq; potiſſimùm, cùm præter magiſtrorum dogmata habenas laxant, ſinente, ſcilicet, Deo, vt in poſterum cautiores euadant, vel vt piaculum eluant. Sententia eſt Antonij aduerſum nos diaboli poteſtatem dupliciter dari, vel ad pœnã ſi delinquimus, vel ad gloriam, ſi probamur. In ſomno verò potiſſimùm periculum ineſt, cùm ea quæ interdiu etiam vigiles frequenter cogitauerimus:

Tempore nocturno reddat amica quies: & in amatorijs præſertim rebus id euenit vt qui amant, ſibi ſomnia fingunt: quod quidem à ratione nõ abhorret, cùm nulla in noſtris animi affectio regnet impetuoſior amore, quamobrem eis qui feruentiori amoris impetu feruntur, etiã ad res nõ malas periculũ imminet, ne affectu nimio hallucinentur. Dum enim voluntas nimio plus propẽſa eſt, aberrare iudiciũ poteſt: modus autẽ ſeruandus, quando nihil aliud præter Deum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus noſtris amare præcipimur, quod quo pacto intelligendum eſt, alibi declaratum: Nec omittendum perſcrutari, qua de cauſa quis ſuas prænotiones inuulgat. Inde enim facilis via ad inueſtigandum leuitate ne an vtilitate, & hac quidem ſpiritali an temporali, ſua, an aliorum, an vtrorumq; magis moueatur. Quod ſi finis bonus videbitur prima fronte, non ob id tamen perſigendus, ſed de finibus ipſis habenda quæſtio, cùm non ſolùm apertum & proximum, ſed occultum atque longinquum inſpiciendum eſſe Ioannes Gerſon doceat, qui etiam hiſce de rebus ſæpe & ſalubriter ſcripſit. Attendamus item conuerſationem reuelantis, ſi communis, ſi priuata, ſi ſecreta, ſi publica, ſi in actiua, ſi in contemplatrici vita degit, ſi veſtimẽtis affectatis, & deuotionem prætendentibus nimiam vtatur: Si mas, ſi fœmina, ſi vaga & garrula, ſi ſtabilis & quieta (nam in pace factus eſt locus Dei) cuius ſpiritus, vt docent Sacræ literæ, non quieſcit niſi ſuper quietem & humilem, & trementem verba illius. Signum autem humilitatis inaffectata conuerſatio & communis, quanquàm in ſolitarijs, & habitu quoque & victu raris, Dei virtus inhabitet, vt in Helia, Ioanne Baptiſta, & Aegyptijs illis monachis ſanctiſſimis, Antonio, Paulo, Hilarione, cæteris communem tamen conuerſationem Chriſtus homo & Deus elegit, ad eiusque exemplum plurima monachorum turba, Baſilio & Benedicto patriarchis vitam duxit, & ſub Franciſco, Auguſtino, Dominico, ſancti & innumeri greges, maribus quoque quàm fœminis (ſi cætera ſint paria) ſynceriùs adſtipulandum: eas quippe ne publicè in Eccleſia docerent, vetuit Apoſtolus, ſed & prima parens verbis abuſa eſt, ad hæc rationis iudicium in hominibus potentius eſt & illuſionibus vanis pugnatiùs obſiſtens. Henricus ex Haſſia, & qui eum ſequitur, recentioribus prophetijs parum tribuit, & S. Brigitæ, S. quoque Catharinæ Senenſis, reuelationis minimi ducendas putauit. Multa in medium

dium ducta sunt; quibus eius opinio confirmetur, tùm quod ea fieri potuerint quæ prædixerūt humana industria, lumine fidei confortata, tùm quod illudi potuêre, tum quia fœminę, quas docere vetârit Apostolus: tum quia (multa inquiunt) eorum superuacua videntur, tùm alijs de causis, quas dissolueremus fortasse in progressu disputationis; ni alias in oppositum ipsi duxissent, & fieri idipsum diuina dispensatione potuisse non negent: verùm apud alios maioris id momenti quod eadem in re contraria protulêre: Nam illa Virginem Dei matrem sine peccato originali conceptam asseruit; hæc cum peccato conceptam sibi reuelatum affirmauit, cuius etiam discordis reuelationis, Antoninus archiepiscopus Florentinus meminit in summa sua eo loco vbi de Virginis conceptione disserit. Sanè cùm hoc præteritum fuerit de quo affirmabat vna, negabat altera, verum vna ex parte, falsum ex alia prolatum sit necesse est, nec distingui aut ad concordiam facilè reuocari queunt prænunciata de præteritis euentis; quemadmodum euenit in promendis futuris: nam & auditorum ruditas, & non impleta cōdictio, quæ sæpenumerò vel à Prophetis expresè subnectitur, vel ex rei ipsius natura intelligitur, Prophetas ipsos excusat, si quando non ita videtur impletum ad lineam quod prædixerunt.

Sic Bernhardus ille sanctissimus, pariter & doctissimus, plurimis olim lacessitus calumnijs, quod eius hortatu ad regiones Christianorum in Oriente recuperandas, & à Maomethensium manibus vindicandas ductus exercitus fuerat, cuius pars fame cōsumpta, pars icta gladio, & incommodis multis affecta, reijcit in murmuratores calumniam, quos propter iniquitates suas, nec seruata Dei iussa perijsse confirmat, secundo in libro suo de Consideratione ad Eugenium Papam, docens promissiones Dei, iustitiæ Dei non præiudicare, & Mosis vtitur exemplo, qui populum Dei ex Aegypto educturus meliorem illi terram pollicitus est: Eduxit nec eductum tamen ob eorum scelera in terram quam promiserat, introduxit: Sed & Israëliticas tribus aduersum vnam Beniamin tribum, quæ scelus commiserat, præliantem meminit, quæ primùm Dei nutu, mox iussu bellum iniêre, & vltores sceleris ac plures Dei etiam auctoritate freti semel atq; iterum funduntur fuganturq;, à scelestis & paucioribus, tertiò tamen monitis paruisse, atq; vicisse, quæ ille fusiùs, facundiùs & doctiùs explicat. In quibus aduertere vtiq; debemus, non semper intelligi reuelationes, etiam cùm liquidè indicantur: nam & tempus & condictioni explicata fuerint, occasionem interpretibus aberrandi præstare queunt: Sic istæ tribus victoriam cōsecuturæ erant, sed tertio prælio, illi in terram promissionis ingressuri fuerant, nisi duræ ceruicis, & Deo rebelles fuissent: quæ autem absolutè proferūtur, & ita explicantur omnino euentura, effectum suum sine dubitatione consequuntur, de quibus secundo libro satis diximus. Condictio igitur erat in causa, vt Bernhardi consilium calumniarentur, non doctrina, non vita, non reuelationum discernendarum ruditas, non sexus; non superbia, cui maximè & vita & scriptis bellum indixit: qui enim superbiæ delectatur operibus, dignus est illudi, qui, scilicet, iactanter, turpiterque se tollit in sublime, qui & parte alia dissimulata superbia, superbit elatiús. Ita multi decepti, iusto Dei iudicio, quos in exemplum aliorum legimus falsis vatibus obligasse fidem: sic & apud Esaiam, vt quinto libro meminimus, superba Babylon ab Astrologis decepta est, quæ nisi prauos mores admisisset, non iacuisset prædæ, nec fallaciæ prædicentiam, qua de re in Staurosticho ita me cecinisse recordor:

Sic septemplicibus grassatur perdita vinclis,
Bellua multorum capitum quibus impete sæuo,
Deiectam legimus quondam Babylona superbam:
Quam nec crudeli populasset milite Cyrus,
Nec centum crebrò nutassent ariete portæ:
Nec Genesis falsè lusisset dogmate mendax:
Stellarum varijs intentus cursibus Augur:
Ni prius hostiles hausisset perfida mores.

Ita enim est, ita profectò praui mores in causa sunt, vt fides habeatur vanis prædictoribus, & præcipuè qui superbia tument, decipiuntur: cognoscuntur autē vel hac ratione nō difficulter, si aliorū spernunt cōsilia, si de quibuscunq; erudiri se à Deo per reuelationes pręsumūt. Nā & Moses crebris Dei colloquijs prę alijs assuetus, quiq; de minutis etiam

tis etiam rebus ad populi gubernationem spectantibus supernis illustrationibus clarebat, Iethro alienigenæ viri consilium sumpsit nec spreuit, tanquàm ad oraculum relaturus, si ferendum renuendumq; esset. Sic Paulus qui ad tertium vsque cœlum raptus fuerat, humana ope, humano etiam consilio est quandoque vsus. Scribit aduersus Montanum & asseclas Apollonius apud Eusebium, oportere ex fratribus agnosci, vel etiam probari Prophetam, subdens sicut Dominus dicit: *quia arbor ex fructibus cognoscitur*, ita Propheta probatur ex fructibus, præcipuum autem ego probati Prophetæ fructum, veritatem puto, non fucatam, non adulteratam, sed puram ac nitidam quàm altissima gignat humilitas, quæ non meretur illudi, quæ non elata, non pertinax est, non inquieta, non garrula, non auri aut honorum sitibunda, nec vani finis cupida, nec omnino sapiens in oculis suis, ratione, auctoritate bonorum, doctorumq; virorum vtens. Porrò si tribulationibus vexatur, aut libenter patitur, aut certè desperata non furit: vult enim Augustinus, vt aduersitates amare non iubeamur, sed tolerare. Hoc pacto si alijs Prophetis conformes sunt, dignoscitur, quorum alij odio habiti, & vexati, alij quoque iniurijs affecti, alij etiam inani regum vel populorum suorum rabie trucidati. Sic impius ille Ieroboam Prophetis insultauit: Sic Esaias sub Manasse rege serra diuisus in partes: Hieremias à populo lapidibus interfectus: Amos fuste transfixus: Ezechiel occisus: Daniel leonibus in pabulum expositus: Helias, Heliseus, alij ab Iezabel, ab Achabo, ab alijs persecutiones passi: & in Nouo testamento Dominus Iesus caput omnium, cuius membra sumus, acerrimè vexatus est & crucifixus, cuius præcursor Ioannes plus quàm propheta capite truncatus, sic Paulo caput abscissum, Petro crucis calix epotus: sic & alij penè innumeri, qui præter alia in se diuinitùs collata dona, diuinas etiam reuelationes hauserunt: demùm si verax qui prænoscit prædicitque perquirendum: Nam qui delectatur mendacijs, non Christo, qui veritas est, sed diabolo mendacij parenti conformatur: quare si quandoque prædicta alicuius mentiuntur, etiam si quæpiam vera sunt, quæcunque effatur, aut falsa, aut de falsitate suspecta protinùs habeamus: & præsertim (vt diximus) si fœmina fuerit quæ prædicit, quæ minus ratione pollet, vt Aristoteles cùm alibi, tùm in politicis voluisse videtur. Quamobrem minus etiam apta ad discernendum: Sed & humidioris naturæ cùm sit, fluunt rerum species impensiùs, anxiæ præterea fœminæ, & voti cupidæ plerunq; sunt, quibus de rebus crebriores illis reuelationes fieri dicuntur, & hallucinationes quandoq; sequuntur credulæ: item multùm & phantasiæ imbecillioris, cuius fatigatione falli facilè queunt, quæ omnia in vniuersum illis tribuuntur, tametsi multæ viris plurimis prudentia, & iudicio quandoq; præstent.

Hæc extrinsecùs perscrutari nobis datum: Intrinsecùs autem, si facultas conceditur perquirendum. Veteranúsne an Tyro in hac ipsa militia sit, qui prædicit deceptúsne vnquàm fuerit, an vt deciperetur tentatus dæmone se transfigurante in angelũ lucis: Illud quoq; si iugi obseruatione deprehenderit eius præsensa prævisaq; euentum sortita: rectum enim, vt Aristoteles docet, sui pariter & obliqui est iudex: quare si effectũ fuerint nacta, quæ longo tempore præuidit, quo pacto illa reuelata sint memoria cõseruans, cum alijsq; conferens quandam ceu artem colligit discernendi veras à falsis, à supernaturalibus naturalia, à superstitiosis & curiosis diuina, cùm id quod reuelationes veras comitetur experimentis didicerit. Si verò nunquàm se delusionibus tẽtatum dixerit, & nouitiũ in percipiẽdis visis affirmauerit, suspectus haberi debet, ne tùm maximè deludatur: quẽ enim non aggreditur dæmon? & quis nautę vix initiato se cõmittat in fluctibus? viri illi quos diuini claritas luminis perlustrabat, dæmonum tentationibus sæpenumerò vexati infestatiq; fuerunt: Antonium dico, Martinum, Franciscum, Benedictum, aliosq; cõplures. Conandũ item, vt si fieri queat ad id eo examine deueniatur, quo noscere possimus, prophetico eo lumine illustretur nec ne: Nã si primum aderit credulitatis fieri accessio poterit, si aberit, nil opinione & quidẽ tenui ducamur impensiùs: quam equidem distinctionem quoquomodo subsignatam, cùm apud Platonem, vt quarto libro monstrauimus, videre possumus, tùm apud Proclum eius enarratorẽ in primum Alcibiadẽ: vaticinatorẽ enim distinxit à vate, quando hunc scientia, illum opinione duci putauit. Percunctãdum item si dum visis exceptis, ad diuinorum amorem, & terrenorum cõtemptum excitetur: Si pacem animi & quietem nanciscitur: Diuini enim spiritus excepti proprietas, vt à terrenis & temporarijs auocet ani-

cet animum, & ad cœlestia æternaque incendat, paceque & quiete perfundat, quam mundus dare non potest. Illud autem consideratione dignum, alium in antiquis, alium in recentioribus prophetis modum obseruandum: eorum enim vita & virtutes in primis spectandæ, sicuti & in exordijs positarum legum, non tàm quid traderetur, quàm quis traderet, examinãdum fuit, quemadmodum in principio nostrorũ Theorematum de fide nos dixisse meminimus: In istis verò post confirmatum canonem, quid tradatur magis quàm quis tradat, considerandum: cùm enim priscis illis temporibus, vt probati iam prophetæ vt vnius Dei cultores recepti fuissent, etiam si quæ viderentur extranea operabantur, vt qui se percuti iussit in maxillam, vt Ezechiel muro perfracto, vt Hieremias lumbari putrefacto, si hæc, inquam, facerent quæ viderentur extranea: æqui tamen boniqúe consulebant auditores pij: Iunioribus autem & qui nostra tempestate prædicunt, non statim acquiescendum: Siquidem operæprecium est attentè perspicere quàm prioribus consonent, quàm declarent vetera, quàm necessaria, quàm vtilia, quàm bona suadeant.

CAP. III.

QVO PACTO IPSA VISIO ET REVElatio consideranda.



Itaq; ipsa reuelatio perpendenda, quam superioribus libris diximus multis fieri modis posse, per spiritales substantias in assumptis corporibus apparentes, loquentes, docentes multifariam, in somno & in vigilia per voces quoq; auribus haustas: formatas quidem ab illis quanquàm non apparentibus, ex vocibus item in imaginatione ipsa eorundem spirituum ministerio facricatis, nullo vsu exterioris sensus adhibito: videri etiam posse imagines, vel carneis, vel imaginarijs oculis, ab eisdem spiritibus oblatas & significatrices rerum futurarum, in intellectu demùm euentuum notas sæpenumerò illabi, sine adminiculo sensuum, sine ope phantasmatum, quibus omnibus, vt vera cognoscantur, vt à Deo manasse deprehendantur, affulgere lumen quoddam, quod propheticum dicitur: cuius beneficio clarissimè extraque omnem controuersiam à falsis vera, à diuinisque atque angelicis & naturalia & superstitiosa dirimantur. Hoc ipsum lumen, de quo in superioribus multa diximus, varia nomina sortitum est: nam & per intimam inspirationem & per internum saporem quandoque exprimitur, & per experimentalem aliquando dulcedinem, perque diuinam illustrationem, interdum per vtramque significatur: per sensum quoque minus sensibilem: per absconditum manna nonnunquàm patefactum est: per donum quoque discretionis spirituum manifestatum. Ita ex Sacris literis: ita ex Theologis, qui non solùm doctrina, sed experimentis id didicêre, multifariam declaratum est, pro vt quisq; (quod intelligebat) aliquo verbo posse significantiùs exprimi cogitauit: de quibus etiam in sequentibus disserendum. Verùm philosophis, nec Theologis hominibus admiratio fortè suberit, quomodo per lumen istud tàm lucidè cernere notas rerum prophetæ queant, quos ne quærantur in re ferè simili admonebo, dari, scilicet, apud eos cognitionem clariorẽ ea quę demonstrationis appellatur: nã principia illa & profata, & dignitates, demonstratæ cõclusionis notitiã præcellunt, quod planũ incontrouersumq; est in Aristotelica doctrina: In Platonica verò tàm apertum est, quàm quod maximè: Nam & apud Iamblichum legimus tactum quempiam diuinitatis dari qui notitiæ præstet, vt mittam lucidam illam scientiam, qua etiam vulgus participat omni ratiocinatione illustriorem: cuius enim de medio compertum, nec vllo quidem discursu, se nullo pacto dormire dum vigilat: id enim quodam ceu tactu & experimentali cognitione cõsequitur, cui nulla inuenta, nullus omnino syllogismus potis est refragari. Sic & lumini illi nulla queunt argumenta, vel ignorantiæ tenebras, vel crepuscula opinionis inferre. Itaq; dũ reuelatio se offert examinãda, considerandũ est primò quæ'nam sit somnoria, ne, vt Varronis vtamur verbo, an vigil: hęc illi præpõderat si lumen absit; si adest, tantundẽ ea roboris obtinet. Discutiuntur enim omnes dubitationũ tenebræ præpotenti illo diuinæ lucis radio, & vniuersa concursantium phantasmatum nubila pelluntur. Quod si apparuerit persona nuncians monénsve siue angelũ se, siue defuncti hominis animam dicat, non statim

ſtatim aſſentiendum: nam & eum,& quæ'nam loquatur piè diligenterq; ſcrutari conuenit: Fieri enim poteſt vt angelus ſathanæ, pro vero angelo ab improuidis colatur,& quandoq; pro Chriſto: Quare dum ſanctiſſimo illo Martino ſe quondam offerret dæmon Chriſti figuram prætendere ſatagens vt falleret, Chriſtum, inquit, non viſum eſſe aureis illis quæ præferebat ornamentis, qua ſoliditate conſtantiaq; animi victus abſceſſit: Simili ferè modo, & Franciſcus beatiſſimus & alij apparentem ſub Chriſti ſpecie dæmonem pepulerunt. Alius dum transfigurato in Chriſtum dæmone illudendũ ſe metueret, clauſis oculis reſpondit: Satis mihi, ſi Chriſtum in cœlis videro: alius eundem fugauit dicẽs: vide ad quem mittaris: neq; enim is ſum, qui Chriſtum videre merear. Si hoc pacto fieret, non tot noſtra tempeſtate illuſiones magno cum detrimento ſentirentur: Fugandas eas pia humilitate, non imprudenti cupiditate recipiendas, cùm alij aſſeruêre, tùm ipſe Gerſon monens cum Petro dicendum eſſe: *Exi à me Domine, quia peccator ſum.* Nã ſi à Deo oblata viſio fuerit, cùm humilibus ille ſe exhibeat, quanquàm renuas, non recedet, ſed vel tùm perfunderis lumine, quo certior fies vel redierit, cumulatiùs tibi profuturus, & te pro humilitate, ad ampliores fortaſſe viſiones exaltaturus, qui humilitatis virtute, ſcilicet, ſupra te ſapere poſthabueris, nec ambitioſa curioſitate fluctuaueris: quòd ſi id nolueris, condictionem ſaltem adhibe,& te deludi poſſe cogita, priuſquam admittas, aut refellas quod nunciatur. Memini in oppido meæ ſuppoſito ditioni, fœminam quandam laudatiſſimæ conuerſationis ſacerdoti, cui de contractis noxis confitebatur, præter confeſſionem patefeciſſe, à Chriſto ſe diebus penè ſingulis viſitari, qui ea forma videbatur quaſi duodecim eſſet annorum, eximiam præſeferens pulchritudinem & ornatum: nam & illuſtri veſte, & redimiculo frontis inſignem apparere, in qua rubra crux & inſtar pyropi fulgida radiaret, alioqui ſæpenumerò, monere eam ſolitum, & ad propoſitum cœptæ religionis hortari: Retulit ad me ſacerdos ille, hinc plurimùm demiratus: hinc ſubueritus fraudem diſſimulari, inuaſit me ſtatim, nec ab re ſuſpicio, angelum eum eſſe ſathanæ, recordatus ornamentorum illorum, quæ veluti poſitus in cruce, Martino antiſtiti ſanctiſſimo, quaſi eſcam ſub hamo prætulerat, & ab eo redargutus abſceſſerat, recordatos dæmones ipſos angelos Dei ſe mentientes, Antonij ſtudium laudaſſe, miratos perſeuerantiam futura præmia pollicitos, eosque demùm crucis ſigno, & deuota fide & ſpiritali lætitia iugiq; Dei recordatione, quibus ille præcipuis vtebatur armis effugatos, nihilominus percunctatus ſum de fœminæ humilitate, de tempore quo ſe Chriſti cultui mancipauerat: Reſpondit humilem videri, tres tantùm annos Chriſto ſeruiſſe, ſed neque eximiè, adeò vt eximijs iſtis priuilegijs apta ſibi videretur. Dixi, opinari me illuſionem eſſe: poſt paucas hebdomodas retulit puerum illum, ita enim videbatur, minutula quædam & parui momenti retuliſſe, conatum prætereà omnem dubitationem ab ea tollere,& inſinuari ſe, vt ſignum crucis imprimeretur in vertice, ob hæc mea mihi opinio firmata eſt, tandemq; ex opinione certior factus agnoui dæmonẽ eſſe, cùm mendacium dixiſſe ſacerdos ille compererit: Prædixit enim futura quæpiã tempusq; præfixit, præterijt tempus, nec res euenit. A` Chriſto autem qui ipſa veritas eſt, nil magis alienum quàm mendacium reperitur.

Poſſem & alia multa recenſere prædicta, euentu ſuo fruſtrata, nõ modò ex antiquis prophetis Baal, nec ſolùm ex ijs qui proximi noſtro ſeculo fuerunt, quorũ aliqua Ioannes Gerſon enarrat, ſed meo quoq; tẽpore multa obſeruaui: nam & qui alios,& qui ſeipſos quoq; deceperunt vidi, cùm à dæmone, tùm à ſeipſis (vt puto) ludificati: quanquàm & veros etiam prædictores expertus ſum, quorũ prænotiones plæraſq; ab humana, & vt puto, dæmonica cognitione remotas, cũ ipſo rerũ euentu ad lineam quadraſſe comperi. Noui hominem ob nimiam credulitatem aliquibus obſtrictam, quos veros Prophetas autumabat, minimam autem eis, qui illis ipſis aduerſabãtur, pœnas dediſſe nonnullas: ita enim factum vt percunctantem illum in aliquibus permiſerit Dominus, & illudi & flagellari, quo erudiretur in poſterum, ne poſthaberet probare ſpiritus vtrum ex Deo eſſent, quo minus dæmonicis illuſionibus inconſultò acquieſceret,& neu curioſior eſſet & elatior in Deo, per Prophetas identidẽ ſciſcitãdo, néve circumferetur omni vẽto doctrinæ. Sed enim reuelationi quoq; ipſi proſpiciendũ, ſi viſis alijs & reuelationibus confirmetur an infirmetur, quòd ſi diuerſę ſuper eadem re fuerint, & pluribus & quæ à probatioribus hominibus aſſeuerantur, aquieſcendum: maximè

maximè si ei diuina eloquia & humana ratio consentiat, de quibus sequenti capite differemus: pensanda itaque multa sunt, & illud in primis si constans ipsa reuelatio fuerit, si Sacris consona libris, si ad honorem Dei & hominum salutem pertinet, si non abhorrens ab eis visis, & ab eo scribendi loquendique modo, quæ sanctis hominibus ab Ecclesia probatis attribuuntur, si similitudinem gerat cum eis de quibus non dubitamus. Sed neque prorsus insolitæ visioni assentiendum dissendiendúmve, potiùs in neutram declinandum partem, & in tempus examen differendum: Iacob enim dum de somno Iosephi filij sermo haberetur, cui multa inuidebantur à fratribus, non statim sententiam tulit. Pater autem, inquit Scriptura, rem tacitus considerabat, & stellam illam ex Iacob ortam, id est, Mariam virginem Christi matrem cœlorumque reginam, dum ab Gabriele angelo salutaretur, non actutùm assensisse legimus, sed cogitasse qualis esset ista salutatio. Sanctus quoque Ambrosius iudicium præceps non habuit in reuelatione sibi facta de corporibus martyrum Geruasij atque Prothasij: Ita & alij quorum & nomina, & merita ad præsens recensere longum & operosum esset, sancti viri pariter effecêre. Ita magnus ille Antonius, cuius sæpè mentionem habuimus, necnon libenter si opus fuerit habituri sumus, faciendum monebat, præcipiebatq; inter alia suis auditoribus, cùm aliqua se illis offerret visio, audacter requirendum, quísnam ille esset, & vnde venisset, ac sine mora si sanctorum esset reuelatio ex angelica consolatione timor verteretur in gaudium: si verò diaboli esset oblata tentatio fidelis animæ percunctationibus euanesceret: Sic Naue filium auxiliatorem interrogando cognouisse, nec Danielem percunctantem latere potuisse inimicum: ita faciendum est nobis eorum exemplo cogitare, scilicet, quę nam visio, & qualis etiam reuelatio sit, si constans an nutabunda, si plena aut interspersa varis rebus, an magis grauis & fœcunda bonis: Si cum Prophetarum & Apostolorum visis conuenit an euariat, si bonum suadet purum atque syncerum, an adumbrata veriùs boni specie inescat ad malum, id multifariam dęmon efficit: nam & malum suadere potest, quod malum ex fine est, ex suo etiam genere malum habetur, & malum etiam, quia vetitum est, quo grauius videlicet perniciosiusque noceat: non enim (vt Augustinus inquit in libro de Vera Religione) simplex peccatum est, non solùm malum, sed etiam vetitum admittere: Insidiatur verò callidiùs & faciliùs imponit versuto illo præstigio dæmon cum dissimulata malitia, quampiam boni prætendit vmbram, aut finis, aut alterius circumstantiæ: Illud quoque circumspiciendum non statim verum eum haberi debere prophetam, qui id ipsum protulerit, quod alius etiam verus asseruerit: nam vt alias mittam causas, potest dæmon aliquando nouisse reuelationem, quæ sancto cuipiam viro facta sit, illiusque sensum pseudoprophetæ manifestare, quo & suus etiam quem afflat alioquin falsus propheta verus appareat, deinceps examinandum veráne omnia reuelatio contineat adusque minimum: Quippe cùm in spiritu veritatis nulla sit falsitas, in spiritu verò mendacij (vt Gerson ait) mille sunt quandoque veritates apertæ, vt in vnica latenti falsitate decipiat: hac de causa dæmoniacos Christus, & Paulum Pythonissas, compescuisse, & à veritatis testimonio prohibuisse: deinde si supernæ præferat titulos sapientiæ, quos Iacobus Apostolus recenset, ea enim pudica est, pacifica, modesta, suasibilis, consentiens bonis, misericordia & bonorum operum plena, cuius absq; simulatione iudicium est: Cæterùm & cogitãdum est, cùm multi dicantur, spiritus posse à quibuslibet visiones spirari, q̃ quanquàm diuersæ & sint, & habeantur pro diuersitate spirituũ, internoscere tamẽ & iudicare non omninò facilè: Cùm enim pręter Deũ qui spiritus est omniumq; spirituũ creator & corporum, Angelus etiam spiritus sit, dæmon spiritus, humanus spiritus rationalis, human⁹ spiritus animalis, vnum accipere quis pro alio potest, qui in dignoscendo versatus nõ sit: quando & in faciliori etiã consideratione sæpenumerò nõ difficilè labimur, quippe cùm affectiones rationales animæ, ab animalibus eiusdem quæ in phantasia, scilicet, & sensu reponantur, secernere non omnibus in promptu sit: patet & de consensu in vitiandum probè aliquando nescitur, consenseritne ratio an magis sensus interior iniussu rationis aberrauerit. Mitto difficultatem inter superiorem & inferiorem portionem spiritus humani: Quapropter si fieri potest, inuestigandum quantum ad reuelationẽ pertinet vnde spiritus veniat, aut quò vadat, quod Nicodemo, quia id nesciebat Christus Dominus ait: *Vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Idipsum

Bernhardus quanquàm diuinis reuelationibus assuetus nunquàm sciri datum sibi affirmauit: hoc etiam ad donum discretionis spirituum pertinet, cui illud potissimùm peculiare dirigere hominem, ne aut in admittendo reuelationes noxias aut in renuendo vtiles deliret: fit enim quandoque vt nisi sapor ille intimus aut diuinus radius illabatur in mentem, nec ratio nec experimenta sint satis: Nam mitto quòd Zacharias Ioannis pater propterea quòd Angelo reuelanti non credidit, semestri linguæ vinculo pœnas luit. De illo quid sentiendum? de illo, inquam, qui mandanti Prophetæ, vt se percuteret non acquieuit: vt Regum sacra narrat historia: ob id enim quasi facinus admisisset. Idem Propheta qui dixerat: *In verbo Domini percute me:* subiunxit, *quia noluisti obedire percutiet te leo, atque eo ipso die leonis est violentia necatus:* Ratio enim ad id caligabat, quod statim diuinus ille radius ostendisset.

CAP. IIII.

DE DISCERNICVLO CONTRARIArum reuelationum.



SEd enim radius hic non datur omnibus, qui enim suscipiunt, de quibus sequenti capite agendum, eo vti ad certissimum discerniculum queunt: quibus verò deest, alia est opus discretione ne decipiantur, & eò præsertim quòd super eadem re contrarię sæpenumerò visiones prædictionesque habentur: prophetæ Baal numerosi prædixerunt Achabo regi eundum illi in Ramoth Galaad aduersus Syros felicem prælium pollicentem, sinẽte Deo vt spiritus mendax omnes deciperet. Micheas Dei veri Propheta primò illis (impietate regis ita exigente) consentire visus est, mox veri proferendi à rege adiuratus, fundendum fugandumq; illius exercitum prædixit: actutumq; trusus est in carcerẽ, quoniam & regiæ voluntati, & prophetarum gregi fuerat aduersatus: sed Micheam verum, reliquos falsos probauit euentus: In ijs non difficile discerniculum, quoniam Dei testis vnus Myriadis dæmonum extra controuersiam præferendus est: verùm aliquando euenire posset, vt qui dæmone ducuntur, vel simulando, vel dissimulando fallant: Sed nec omnino clarum incontrouersumq; quispiam arbitraretur esse, quin diuersa & contraria possent à bonis angelis reuelari, non qua illa ipsi à Deo haurirent, qui est ipsa veritas, sed qua quisque eorum sua ducitur coniectura in rebus illis contingentibus, quæ ad ordinem & mysteria ecclesiastici decursus pertinent: sicuti in Daniele patet apud eos qui principem illum angelum præsidentem Persis bonum fuisse asseuerant, qui tamen angelus angelo reuelanti Danieli viginti & vno diebus restiterit: Sed quàm totius ij ipsi qui instruuntur, certiores fiunt consulto ab angelis Deo: nec putandum est bonos angelos reuelare posse contraria: Aliud enim coram Deo merita offerre contraria: sic enim pugnam illam, seu prælium & resistentiam sacri doctores interpretantur, qui sententiam Gregorij suscepêre, arbitrantis principem illum Persarum bonum esse, non malum: vt alij putârunt: aliud, inquam, est quemquè merita offerre, pro suo vel populo vel Propheta supplicante: aliud contraria pugnantiaque reuelare, cùm eorum qui contradicunt, verus alter sit necesse est: In angelis autem bonis nec falsitas esse potest, nec mendacium, qui primæ, scilicet, veritati hæserunt ab initio, eaque perfruuntur perpetua beatitudine stabiliti, cui falsitas inesse non potest. Periculum maius imminet dum qui Prophetæ creduntur, contraria proferunt, & ambigitur, cuinam sit assentiendum. Grauiores tum & doctiores rudibus præferendi, dicerem sanctiores, si sanctitas hæc in terris extra controuersiam posset agnosci: Mares quoque fœminis ob eam, quam suprà scripsimus, causam, quod si ambæ sint fœminæ, & contradictorias reuelationes promant, vt de beata Brigita & Catharina diximus: Iam sexus non in causa in quo pares, non vita & gloria alterius alteri præiudicat, vtræque & sanctæ, vtræque beatæ in cœlis, & in terris ab Ecclesia honoratæ, non in experientia discernendi, vtręque diuinis reuelationibus assuetæ, vtręque de earum discerniculo scriptis mandauêre: quam ergo veritate illustratam, quam delusam vel à dæmone, vel à seipsa dicemus: an fortè ad Theologos recurremus? qui discordes etiam sunt, tametsi Catharinæ maior pars eorum qui probati sunt, concordent, Brigitæ nunc ferè omnes qui religionibus addicti, difficillimum sanè limpidam

cernere

cernere veritatem inter rationes, auctoritates, reuelationes alternè pugnantes, & aduersas, quando etiam nec adhuc Ecclesiæ iudicium, aut hanc aut illam opinionẽ condemnauit: vtpote quorum nulla per sese ad felicitatem perducat, & liberum sit homini vtram maluerit deligere, tunc in cœlis veritatem noscemus, & qui modò alteram opinantur, tunc alteram intuebuntur: Sic & de similibus facere nobis in arbitrio est, cùm vtrinq; & placita, & rationes, & reuelationes huiuscemodi offerant se: Maior numerus si cætera sint paria, minori præferendus est. Cæterùm & in alijs diuinorum similitudo eloquiorum imitatioq; sanctorum, & rationis etiam humanæ consensus: Altera in lance duntaxat positus præponderat, quare eis reuelationibus, quæ alioqui credendæ, quoniam & Sacris literis, & humanę rationi atque prudentiæ conueniunt, & doctis probatæ sunt, si plurium accedat confirmatio prophetarum, & eorum qui spiritus discernere nosse creduntur, sine vlla dubitatione assentiendum, tametsi quæpiam in contrarium duci viderentur: nam sunt adeò insulsæ vel ex se quandoque, vel condictione proferentium, vel comparatione illarum quibus refragantur, vt eas confirment potiùs quàm infirment, & se vel à dæmone, vel à malesano homine profectas prodant, nec aliquo pacto mirandum, si dæmon Christo, & veritati mendacium aduersetur: Vnde veri semper prophetæ cum falsis bellârunt: Sic Micheæ non solùm, sed Heliæ & alijs aduersati sunt prophetæ dæmonum. Sic & Delbora, & Olda, & Philippæ filiæ diuinæ prophetissæ: Sic Prisca, Maximilla, & aliæ dæmonicæ.

CAP. V.

QVEMADMODVM EXAMINARE CONSIDERAREque reuelationes suas debeat qui prænoscit.



QVi verò suscipit reuelationes diuinitùs, ea ipsa quæ in alijs consideranda monstrauimus, in se ipso in primis cõsideret, in seipso, inquam, & extrinsecùs & intrinsecùs, non solùm quò ad vitam & mores, sed quò ad ipsam etiam reuelationis essentiam, & qualitates pertinet, ne tanto sibi perniciosiùs noceatur à dæmone, quanto minus sibi cautè prospexerit, & superos influxus aut curiosiùs affectauerit, aut oblatos imprudentiùs admiserit: præter hæc & alia quoq; pensanda, dum & sibi non solùm, sed alijs etiam detrimento esse possit qui temerarius fuerit. Illud autem non obliuiscatur examinare, quod apud Syrum Isaac virum diuinis rebus inhiantẽ, & peritum rerum spiritalium legi, multas esse causas cur reuelationes præbeantur: Primùm generalis vtilitatis gratia dari eas cẽsuit: dein propriæ consolationis propriæq; adhortationis atque doctrinæ: tumque id subnectit vel simplicioribus illas Deum largire consuesse, & quibus nulla penitùs malitia dominatur, vel ijs qui ad summum sanctitatis culmen peruenerũt, vel qui zelo Dei incensi inflammatiq; sunt, & seculo huic & humanæ quoq; conuersationi, atq; ijs omnibus quæ videntur, nuncium remiserunt. Sed & aliquandoq; euenire, ait, vt qui minus operantur, & minus laborant, eas percipiant magis, quoniam ei cui à visilibus humanisq; rebus consolatio est, minus à spiritalibus atq; inuisibilibus visitatur, & diuinum citat responsum, quod solitario cuipiam hac de re datum est, quærenti enim illi reuelationes dictum fuisse, refert: Est tibi satis colloquij & consolationis humanæ. Alteri ab heremo ad episcopatum translato, & solita reuelationum solatia postulanti responsum fuisse scribit, nõ episcopatus causa priorem gratiam recessisse, sed quoniam heremi habitatoribus condonari reuelationes solerent, nec decere vt quisquã vtraq; polleat, ni aliquod eorum, quę suprà memorauimus, in causa sit. Conuersationem igitur tuam qui reuelationes suscipis, diligenter examinato ne ludificeris, & vbi vel communem in ea vtilitatem, vel propriam exquisitè non percipis, vel reijce, vel ad aliorum iudicium defer, quod nequaquàm refugere debes pręcipuè ni magnoperè vel experimentis, vel doctrina polleas. Quare ni diuinarum rerum scientia aut diuturno vsu peritus fueris, nec sacris eruditus literis qui occulta prænoscis, peritos doctosque in reuelationibus discernendis protinus consulas, ij enim pensabunt in primis, si superba curiositate, quę te alioquin nimium tui amatorem pręteriret, ducaris in pręceps: Si humilis fueris, enixè rimabuntur, illi si carueris, hoc si tenueris, benè se habebit res: sed parùm idoneus sciscitator fortasse eris ob minimam non aliarum

tantùm rerum, sed tui ipsius cognitionem superfluum autem amorem: nam & illud examinis dignum ducent, si hoc diuulges, vt consularis, vt spiritali prouentu dites, alios ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ: ob hæc Paulus, Antonius, alij, quanquam humilitatem seruarent, ipsi & alios docerent, proprias tamen gratias, & contemplationem suarum mystica diuinasque reuelationes patefecerunt: alioquin tacendas, ni aut propria, quod diximus, aut publica vrgeret vtilitas, quæ illi aut quanta aut qualia cogitabunt atque decernent. Pensabunt & illud num tua illa alteri visioni, reuelationíve aduersetur, quæ Sacris mandata literis vel recens demissa cœlitùs, & euentu rei & nobilibus alijs signis veluti diuina à peritis Theologis confirmata sit. Euenire siquidem nec difficulter potest, vt cùm difficile sit, à diuinis dæmonica secernere, malignus Sathan bonis semper infestus, lucem veritatis, quam exsufflare nequit, obumbrare satagat, legitimis adulterina commiscens, vt cùm reuelationes, scilicet, aduersæ videantur, nesciatis ad quem pertinet, vtram deligat, alia relicta, vel quidnam sibi faciundum, & quo pacto interpretandæ sint, vt veræ ambæ credantur, qua perniciosa fallacia tentatos etiam Gentiles, indicant varia dæmonum oracula sibi ipsis aduersa: Indicat & illud Vergilij:

— nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se iactant responsa deorum,
Sat fatis Venerique datum, tetigêre quod arua,
Fertilis Ausoniæ Troës sunt, & mea contra
Fata mihi ferro sceleratam excindere gentem.

Hæc, inquam, pensabunt, si aduersa prioribus fuerint, quæ alioquin bona putentur, & finis quoque rationem habebunt, si ad mores videlicet, ad rempublicam, ad diuini cultus honorem, ipsa reuelatio pertineat, an magis iactabunda, nec aliud quicquam præter admirationem paritura: Si sacris quoque sermonibus consona fuerit, examinabunt: Nec te periculo, vel contemptus, vel irrisus committent, priusquam ad sacras alias reuelationes conferant. Cyprianus martyr eo in libro, cuius aduersus Astrologos fecimus mentionem, reuelationem sibi factam, quod clerici fœminarum contubernio vti non deberent, testimonijs Scripturarum fultam reliquit: ne, vt ait, veluti somniator irrideretur, idem alij effecêre, quanquam aliquando ipsemet Cyprianus suas reuelationes sicuti & alij, sine testimonio prompserint, quod probatos & expertos non dedecet: Sed ex te sciscitarentur illi, num carere velles reuelatione ipsa, modò in alios, vel in te id emolumenti afferretur: si alteri data fuisset, bonum enim & diuinæ signum illustrationis, si in eo te albo reposueris, vt omni curiositate reiecta, nihil nisi spiritale commodum cupias: teipsum prætereà hac in parte non ignorato vt percipias, quínam motus animi reuelationem ipsam præcesserint, qui comitentur, qui sequantur, sed & cogitationes priores veluti anteambulones animo perpendito, & posteriores veluti asseclas examinato, quibus facilè deprehendas ipsius reuelationis conditiones, quemadmodum ex principis famulatu & insignibus, non difficulter, quínam sit ille, cognosci datur. Tristitia verò si reuelationem comitatur, nec recedit, sed perseuerat, etiamsi primo gaudio perfusus fuerit, dæmonicæ illusionis titulum præfert, quod & dicturi sumus in probatione spirituum: sin lætitia & hilaritas post metum exoritur, & permanet crescitque, diuinæ præsentiæ signum, & haustæ veritatis indicium est, hoc ipsum confirmant exempla, de Sacris literis accepta & antiquorum Theologorum, cùm experimenta, tùm dogmata: sed tàm rationi humanæ id consentaneum est, vt Gentes ipsæ putârint à diuinis idipsum reuelationibus proficisci debere, & qui susciperent, diuino quodam numine perfundi, sicut fingit Maro, hoc ipsum accidisse Aristæo, dum cecinit:

Hæc ait & liquidum ambrosiæ diffudit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit, at illi,
Dulcis compositis spirauit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor, &c.

Rectius multò, vt mihi videtur, quàm Homerus, & si (vt celebres nostræ religionis doctores probant) Mosaicam ipse in Aegypto doctrinam olfecerit. Hic enim post Palladis à Telemacho discessum robur illi & audaciam additam cecinit, & paulò pòst stupore eundem affectum prædicat, quod diuinæ apparitionis signum minimè duci-

mè ducitur, quin ex aduerso stuporem, priùs timorémve, dein fiduciam & hilaritatem diuinæ visiones secum afferunt; quem ordinem hoc in loco cæcus ille poëta alioquin multa videns, & penè Lynceus non aspexit, canit enim: τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ θῆκε μένος καὶ θάρσος, & post paulùm: θάμβησεν κατὰ θυμόν· ὀΐσατο γὰρ θεὸν εἶναι. Citamus autem aliquando Philosophorum Gentilium, & Poëtarum etiam vtriusq; linguæ testimonia, vt nostris hominibus pateat etiam ex alienis veritas ea, quam pro viribus asserere conamur, vtq; dignoscatur, si quid boni in eis legendis eruitur, id ipsum à Deo omnium bonorum fonte, & à Mose, atque Prophetis, scriptoribus Gentium longè antiquioribus emanasse, quod illi sæpenumerò figmentis inquinârunt.

Sed ad id reuertamur vnde diuertimus: dicebamus multa examinaturos qui periti sunt diuinarum visionum, illudque item illi magnoperè nec semel rimabuntur, an dulcedine reuelationis propriæ tenearis, & doni ipsius cæco amore capiaris, minus quam decet in eum propensus, qui largitur: Periculum enim ne hunc in modum hamo propriæ delectationis inescaris à dæmone, vt prudenter cautum est in dialogo beatæ Catharinæ Senensis. Nec te lateat, quod & suprà de Achabo narratum, & quod in Ezechiele scriptum est quarto decimo capite, quod & consultori, & consulto noscendum esset, ne iuxta suas immundicias consultori detur responsum, néve propheta in sui perniciem decipiatur. Caueat quoque ne vel inani mercedula pellectus, vel vano rumusculo captatus, non solùm vana videat, sed vana cogitet & memoria repetat, quæ Moses, Ezechiel, Hieremias, alij contra prophetas falsos promulgârunt. Illud quoque spectato si promptus fueris, bonorum doctorumque virorum consilijs acquiescere, an magis pertinaci voluntate defendere quod habueris: dices fortè si lumen affulserit, te non egere altero qui iudicet, cùm certior sis eius beneficio quacunque ratione, quocunq; naturali lumine, etiam principiorum scientiæ: fateor quidem te extra omnem esse rei illius dubitationem, quæcunq; ea sit, si pro ea noscenda prænoscendáve prophetico illo fulgore perfusus fueris. Sed & tu quoque iterum fateberis posse fieri vt decipiaris, putans te id habere quod non habes: Si minus ratione polles, & emotæ sis mentis, si extremæ quoque affectus fueris. Noui enim plurimos alijs in rebus non mali iudicij, nec à vero abhorrentis, vna in re suprà quàm dici possit hallucinari, quid dicam an exoculari? putare se esse Pontificem, præesse alijs, cùm etiam subesset vix dum sacris initiatus. Alium noui etiam literarum studijs candidatum ex nimio odio putasse inimicam sibi fœminam, flatu afficere aërem pestilentia, vnde plurimi oppetierint. Quid? quòd vanum quendam prophetam in annalibus obseruatum reperi, qui elapso etiam tempore quo futurum quidpiam asseruerat, tanta mentis cæcitate ducebatur, vt nunquàm falsum dixisse fateri, nec minis, nec vexationibus voluerit, & iam centum & eò ampliùs anni fluxêre quo mendax apparuit: Ioannem de Rupe scissa doctum alioqui theologum, legimus eò insaniæ deuectum, vt quæpiam de futuris à semet affirmata, nec minis, nec carcere (quo à sui ordinis ministro detinebatur) recantare voluerit, quin & impensiùs ea semper asseuerauit, tandem spiritus mendax in ore illius inuentus est. In temporis enim condictione falluntur multi, quæ antiquis Prophetis Spiritu sancto plenis non frequenter etiam patebat, hanc temporum condictionem & metam qui curiosiùs prædicere satagunt, sæpenumerò delirant, & maximè cùm Antichristi præscribunt tempus. Nam Arnaldus Hispanus præter ea quæ à se de futuro Antichristi aduentu coniectatus fuerat, reuelationem quampiam multarum atque magnarum rerum fœtam adducit, in libro de Mysterio cymbalorum & aduentu Antichristi ad monachos Scalæ Dei, quæ centum annos præfixit euentibus: Præteriêre ducenti, nec impletam esse prænunciationem constat: Hanc magni fecit reuelationem Arnaldus, quoniam ab homine illiterato Latino edita stylo fuerat, sed falluntur in reuelationibus falsis: Alij perniciosiùs, vt qui in heremo quinquaginta annos cùm egisset, & ad omnium penè culmen virtutum cùm peruenisset, illusus à dæmone, & malè persuasus in puteum se præcipitauit, qui penè iam exanguis ab accurrentibus monachis ereptus, atque vt pœniteret monitus, in obstinatione sua mori maluit, quàm negare se angelico diuinoque præcepto id effecisse, quod astu scilicet dæmonum perpetrauerat: alteri suasisse dęmonem, vt filium immolaret: alteri vt circumcideret se, Cassianus narrat. Alius Ruffus nomine, officio episcopus, iuuenem quędam in Hispania auctoritate signis comparata Heliam se profitentem,

tem, mox Christum asserentem adorauit, propter quod episcopatu eum deiectum Seuerus affirmat.

Signa autem ea quæ à Iudæis olim expetebantur, nunc etiam efflagitari solent, ab ijs quibus fides exigua: non satis firmum argumentum haberi debent propheticæ veritatis: nam sæpè signa fallacia sunt dæmonum opere patrata. Hoc verò bifariam contingit, dum aut ille palàm assistit inuocāti Mago qui se Prophetam mentitur, aut astutè callideq; malitia dissimulata ingerit se, tàm illū scilicet quàm populos ludificans, ex ignoratione verò dęmonicæ potestatis pro veris miraculis sæpè recipiuntur, quę prçstigia sunt, adulterinaq; ostenta. Namq; totius creatæ naturæ operationes excellere, quæ miracula extra omnem prorsus controuersiam sunt, consentaneum est, vel ex re ipsa quæ fit alioquin supra ipsius naturæ vim & facultatem, vel in faciendi modo, vt ea, scilicet, fiant, quæ aut momento, aut eis intermedijs quibus vel naturæ inferioris virtus, vel dæmon ea tanquàm instrumento vtens operari nequeant: sanè in plærisq; delusa Gentilitas diuina putauit, quæ supra vires duntaxat inanimatæ naturæ fiebant, in cote nouacula cæsa, in aqua gestata cribro, in alijs plęrisq;. Sic & Platonici multi delusi in dæmonum operibus, qualia apud Iamblichum leguntur demirantem multa, quæ malignorum spirituum ope fieri potuerunt, ea verò ab ijs patrari nullo pacto queunt quæ suprà (vt diximus) totius naturæ vim agunt, qui veri Dei freti potentia sunt, si vel rem factam, vel modum & ordinem faciendi spectes: quòd si à nostris interdum fiant, quæ dæmonicam potentiam exsuperare non videntur, tùm finis ipse perspiciendus, quo clarè sacra secernuntur à prophanis. Sed & imaginaria (vt diximus) ludificatione sæpè fallunt dæmones, vt in dubium propheticæ veritatis argumentum ex istiusmodi apparentia desumi nequeat. Adde quòd veterum Prophetarum, quanquàm alij miracula perpetrauerint, vt Helias, vt Heliseus, alij tamen nullis eiusmodi claruisse leguntur, vt Amos, vt Hieremias, vt ipse Ioannes Baptista, *plus quàm Propheta*, qui veluti scriptum in Euangelio est, nullum signum fecit, quare paruam habent efficaciam eiusmodi prodigia, plus ponderis inest in vita & in moribus. Atqui munus est, Dei veris Prophetis habere fidem, falsis abrogare credulitatem. Siquidem multi qui nec Amos, nec Zachariæ, nec Hieremiæ, dum in humanis degebant, obstringebant fidem, periêre, quanquàm miraculis minimè coruscarent, quanquàm sacerdotes eos persequerentur. Sed neq; ob miracula Heliæ, & Helisæi perfidi crediderunt, nec Christo Domino, quicunq; eius videre miracula adhæserunt, quin & plurimi persecuti, & Iudas prodidit Apostolus, & factorum testis: Hinc deprehendere quoque possumus fidem esse donum diuinitùs concessum, quo, qui non obstiterit Deo iugiter illustranti, particeps fit. Abutuntur autem plurimi supercœlesti gratia, & ne copiam exuperantis luminis intueantur conniuent, quotus enim quisq; ad celebre illud miraculum paulò antè Germaniæ monstratum oculos aperuit, cùm ob Christi passionem nobis, vt vereor, mandatam obliuioni, cruces, lanceæ, claui, spineæ coronæ, & quæ alia ille pertulit, cœlo demissa sunt: hæc quasi pluuiatiles guttæ pannis, & carni hominum illabebantur: rubro plurimùm colore, quandoque nigro. Sed & rebus etiam inanimis affigebant, qua de re quadringentos & ampliùs heroicos versus, quibus titulus Staurostichon scripsimus, & Maximiliano Cæsari dedimus, qui superiore anno dum essem apud eum in Germania, nobis plurima id genus miracula ostenderat.

Sed iam vnde abieram redeo: Consideranda sunt diligenti examine quæ reuelantur tibi, cauendumq;, *ne lumen, quod in te est*, iuxta Domini verbum *tenebræ sunt*, illudq; considerato *illum dissensionis non esse Deum, sed pacis*. Quapropter si probi illi & docti viri fuerint, quos consulis, aut consentient, aut non reclamabunt, si lumine scilicet eius didiceris quod patefacis, si verò doctus ipse fueris, reuelationes tuas ad Sacras literas, vt ad indicem lapidem argentarij fabri monetam solent, examinato. Sic prudentissimus theologus Gerson disseruit, & præter alia quæ diximus, caue ne sub inuolucris ænigmatum, vel amphibologiæ, vel Barbarorum nominum deludaris à dæmone: ita enim facilè quicquàm falsi irreperet, quod à diuina reuelatione procul est. Decimooctauo capite Deuteronomij, de discerniculo verbi quod Dominus loqueretur scribitur: *Hoc habebis signum quod in nomine Domini Propheta ille prædixit, & non euenerit hoc, Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit.* Satis enim dæmoni ad nocendum, vt inter innumeras veritates vel minimum falsitatis immisceat.

miſceat. Sanctimonialis quædam ante paucos annos à maligno ſpiritu ſub figura glorioſæ Virginis decepta, regulas, ſi rectè memini, bis duodenas miſit, eodem nomine ad præcelſum quendam regem, quibus & prouinciarum ſuarum regnum temporale & animæ quoque ſpiritale commodè ſanctéq; gubernaretur: rectæ illæ quidem & eximia claritate perſpicuæ, nonnulla quoque prædixit, quę confirmauit euentus, adeò vt totum ſe illius conſilio gubernãdum tradere volebat rex, ni vno in mendacio deprehenſum illud oraculum, & regem ipſum, & ſubditos pariter ab imminenti periculo liberaſſet: ſemet quoque decipere prenoſcens poteſt, ſi abſoluta pro condictionatis (vt ita dixerim) & contrà ſi quę condictionem habent annexam ſimpliciter & abſolutè pronunciat, non enim tantùm decipitur, ſed decipit ſemet: nam quęcunq; à Deo reuelantur effectum obtinent ſemper, eo in ſenſu quem ille intellexit, non ſic autem à Propheta ſemper intelliguntur: Nam & Eſaias de morte regis Ezechię, & Nathan de ſtruendo templo, & Ionas de Niniue ſubuerſione, quod Spiritus ſanctus vellet, primò non diuulgârunt, correcti autem à Deo ſtatim & moniti ſunt, quid agendum eſſet, alioquin fortaſſe in eos populos ſurrexiſſet iuxta legis edictum. Dignatur igitur declarare Deus Prophetis ſuis, qui puro eius amore flammati ſunt, dum in prenunciandis euentis non collimant: nec à periculo deluſionis abfueris, ſi auidus habendę viſionis, & reuelationis hauriendę fueris, quanquàm bonum tibi præſtitueris finem: Nudum enim à Deo ab omni cupiditate habere animum oportet, vt etiam exemplo Petri identidem à te tanquàm à peccatore reijcere reuelationes eas non perhorreſcas, quod non difficulter aſſequere, ſi te ſupernorum huiuſcemodi munerum minimè dignum cogitaueris: & ſanè tanta eſt humana miſeria, vt niſi mens obcæcata fuerit, cogitare non poſſit ſe dignam eſſe diuinæ reuelationis, aut ſe ſuis confiſam viribus, deludi facilè poſſe non formidet, multa certè caligo Gentium oculis offuſa fuit ob multa ſcelera, & potiſſimùm ob idololatriæ facinus, rationis tamen lumen id penitùs non extinxit, multa namque de vno Deo, de ſanctis moribus lumine Diuini vultus, *quod ſupra nos ſignatum eſt*, vt inquit Propheta, viderunt multa quoque à Sacris literis, quanquàm non ſyncerè didicerunt, ab antiquis noſtræ religionis doctoribus eſt demonſtratum, adeò vt nec abs re, de qua diſſerimus, alienæ omnino fuiſſe videantur: Si quidem multa ſuprà attulimus, quæ probare id commodè poſſent. Sed prætereà apud Homerum omnium, qui apud Gentes extant ſcriptorum antiquiſſimum, ſæpè reperi in Odyſſea potiſſimùm eos quos introducit de ſupernis loqui, monere, ne id ipſum quod dicerent vulgaretur, ſed & aliquando dubitaſſe affirmat eos, qui viſa ſuſcipiebant, ne deciperentur, atq; inter alia Telemachum fabulatur dum Vlyſſis parentis in aliam transformati effigiem vocem audiret, ancipiti ſtetiſſe animo, ne à dæmone deluderetur: quamobrem ambiguis cogitationibus æſtuantem illum Homerus patri reſpondiſſe cecinit:

Οὔ σύγ' ὀδυσσεὺς ἐσσι πατὴρ ἐμὸς, ἀλλὰ μὲ δαίμων
Θέλγει· ὄφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στεναχίζω.

Inde quoque periculum imminet falſitatis, ſi de tempore futuri euentus prænunciaueris, nulla hauſta temporis ipſius condictione per reuelationem, ſed humana duntaxat coniectura diuino oraculo tempus præfinieris: falli quoque poteris, ſi quod cõfuſè implicitéve & in vniuerſum perceperis, humana poſtea ratione particulariùs definire & explicare præſumes, eamque interpretationem, vt diuinam alijs præbere: Igitur omnia cautè pronuncianda, ne ſurrepat lubricus error & quoad certior effectus fueris, ſuſpende iudicium. Hac de re Hieronymus multa dixit & ſcripſit, quòd ſi quid reuelatio continere videatur tua, quod bonis videatur moribus obuiare, vt olim Abrahæ de filij immolatione, vt de Propheta percutiendo quod ſuprà narratum, & ſi quid ſimile. Si diuinitùs reuelatio venerit, iuſſionem ſeu voluntatem diuinam intelliges, affulgente lumine illo, quod propheticum nuncupauimus, quo limpidè clareq; cognoſces ita agẽdum omnino eſſe, ſicut lumine fidei Scripturæ diuinæ credendum eſſe, ſicuti lumine naturæ, prudentia duce, in agendis rebus fore procedendum, alioquin Abraham in filiũ, Oſeas in ducẽda vxore fornicaria peccaſſent, quorũ alterũ legi, alterũ etiã naturę cõtraire & repugnare videbatur: oportuit igitur potentiori fulgentioriq; quod ſuprà diximus, lumine manifeſtũ fieri contra eas leges eũdum eſſe, ita iubente Deo, qui ſe iubere oſtenderat ijs quos clariſſimo illo lumine perfuderat, quod donum dicitur diſcretionis ſpiritũ, de quo iam particulariùs pertractandũ eſt.

CAP. VI.

QVOD DIFFERT À PROPHETIA SPIRITVVM *discretio, quo veræ probantur reuelationes, deq; probatione multiplici.*



HOc igitur donum quod spirituum discretio nuncupatur, non idem est quod prophetia, quod reuelatio, ita edicit Apostolus, ita docet Augustinus, ita experimenta confirmant: is enim in gratiarum, quæ gratis datæ vocantur, enumeratione, donum discretionis spirituum à prophetiæ dono discreuit, *alij*, inquit, *donum scientiæ, alij sapientiæ, alij prophetia, alij discretio spirituum:* Idemque alibi ait: *Probate spiritus vtrum ex Deo sint:* quod non dixisset, si à reuelatione & prophetia discretio ipsa spirituum non differret. Legimus quoque & experiuntur multi, reuelationes infundi illabiq; animæ futurorum notas, cùm sæpenumerò non discernat qui suscipit, à Deóne, an dęmone, an ab humano spiritu deriuatæ fuerint. Illud autẽ repugnare quis fortè opinabitur quod in principio libri secundi diximus de reuelatione, sed qui totũ caput perlegerit, facilè percipiet reuelationẽ à nobis bifariam fuisse distinctam, quarum alteram ad spirituum discretionem pertinere subsignauimus, sed coniungi sæpenumerò & eodem lumine patefieri. Augustinus in libro de Cura pro mortuis agenda, de apparitione martyrum disputans, an eorum id præsentia fiat, an per angelos qui eorum personas suscipiant, an vtrunque: subdit cui data est dijudicatio spirituum, ipse scit ista, sicut scienda sunt, & talem fuisse credendum Ioannem illum monachum, quem de belli ciuilis euentu maior Theodosius consuluit Imperator: habebat, inquit, etiam prophetiam, neque enim singulos singula munerum istorum, sed etiam plura vnum habere posse non ambigo. Hæc ille. De hoc item Ioanne Augustinus idem, in quinto de Ciuitate Dei, plura disserit, vt suprà nos ex parte meminimus, & Paulus Diaconus, & Ruffinus in historijs, & alij qui monachorum vitas chartis retulerunt. Donum verò discernendi spiritus, id agit vt spiritualis nostræ animæ gustus inter syncerum manna diuinæ reuelationis, & mellitam dæmonis offam exquisitè dijudicet, & ad ea etiam quandoque protendatur iudicanda, quæ in aliorum animis illabuntur, vnde & aliquibus datum, vt alieni cordis arcana cognouerint, cùm tamen scriptum sit: *Nemo scit quid sit in homine, nisi spiritus eius qui in ipso est.* Opus est enim ad hæc noscenda superiore quadam cognitione, quæ propriæ etiam & naturali cuiuscunque notitiæ fulgori præponderet, omnium autem non est discernere spiritus, & probare si ex Deo sunt, sed eorum quos ad id elegit Omnipotens *singulis distribuens* (vt inquit Apostolus) *prout vult.* Sed hanc probationem spirituum multifariam sumi posse reperimus: quodam enim generali modo eruditionis, & studij eloquiorum diuinorum probare datur spiritus si ex Deo sunt, cùm regulæ multæ in Sacris literis, & Theologorum monumentis reperiantur ad reuelationes veras à falsis discernendas, de quibus egimus suprá. Fit enim per inspirationem intimam, & lumen illud prophetiæ vt proprias quisque seu prænotiones veras seu falsas illusiones discernat, est & modus alius ex vtroque mixtus, cùm tàm doctrina quàm experientia discernuntur & probantur spiritus: Est & illud ipsum discretionis donum, quo non solùm propriæ, sed & alienæ reuelationes cognoscuntur, discernuntur, dirimuntur: Nam & donum ipsum discretionis quandoque ad priuatam suscipientis instructionem conceditur, quandoque ad Ecclesiæ ipsius ædificationem, quemadmodum & prophetiæ, & linguarum, & sanitatum, gratia diuinitùs præstatur: sed nec probis tantùm, sed interdum & reprobis dari possunt, vti Gerson & in examinandis doctrinis, & in distinguendis visis, & in probandis spiritibus, quibus de rebus singulos edidit libros, copiosè docet: Nulla autem regula humano excogitari ingenio potest, quę aliquando in particulari aliquo casu, aut non fallat, aut fallere non possit: præter eam quæ Dei (vt diximus) dono supernè demittitur.

Prima igitur probatio doctrinam spectat: Secunda experientiam, non tamen humano ingenio comparatam, sed diuina largitione concessam alicui pro se: Tertia continet vtranque, diuini muneris: Quarta est, ex officio Hierarchico & aliena quandoque secernit. Cassianus autem discretionem communiori significatu expressit, vt non solùm ad reuelationem, sed ad omnia pariter agenda protenderetur, & ex ab-

batis

batis Mosi sententia definiuit veram discretionem non nisi vera humilitate acquiri, quo pacto inter datas gratis reponi gratias non modò videretur, sed ex ea quæ gratum facit hominem proficisci, simili modo discretio probatur apud beatam Catharinam Senensem prima parte dialogi, tametsi procedente opere de discernendis visis præcipiatur, vt mox dicturi sumus. Dignum autem consideratione est, non intelligere nos de omnibus reuelationibus, etiam veris discretione spirituum opus esse, aut eas experimentali dulcedine oportere discerni. Nam quæ in Sacris libris continentur, & quæ consensu vniuersalis Ecclesiæ susceptæ iam sunt, præter hunc ordinem habentur: de illis enim fides est non certitudo, qualis discretione spirituum & lumine illo experientísve gustu comparatur, quanquàm non contendimus quin speciali priuilegio fieri posset, vt ea quæ iam credita sunt, indito particulari lumine particulariùs etiam & exquisitiùs cernerentur, verùm supposita fide quę reuelantur, examinanda sunt & probanda: cui ergo spirituum donata discretio, vtatur ad Dei honorem, ad Ecclesiæ suique ipsius vtilitatem, cui doctrina Dei etiam clementia obtigit, vti potest ad finem eundem, cui etiam experiri concessum est diuinas reuelationes, & interno gustu eas secernere, & dirimere à naturalibus & dæmoniacis in Deum ipsum, à quo omne bonum, id referat. Imitentur quicunque spiritalibus afficiuntur, sanctissimos illos viros, qui vel omnibus his modis, vel alteris diuina probauerunt: Sanctissimos, inquam, Apostolos, & post eos, Carpum, Dionysium, Cyprianum, Antonium, Martinum, Franciscum, Ioannem Heremitam, Ambrosium, Bernhardum, & alios ferè innumeros, qui partim doctrina, partim meritis & exemplis spiritus probauerunt, & quod experiebantur, ipsi non vno omnes verbo, sed diuersis eodem tamen spectantibus, quod passi fuerant exprimebant, prout cuique eorum videbatur posse id significantius effici.

Antonius cui specialis discernendorum spirituum obtigerat, gratia non difficilè arbitrabatur, bonos spiritus à malis posse discerni: nam inter alia, sanctorum Angelorum tradidit amabilem & tranquillum aspectum esse, qui tacitè leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciamque peccatoribus infunderent, tùm mentem nostram non turbidam, sed lenem & placidam Angelorum luce radiari, & auidam: prætereà, vt cum his quos videret festinaret ad cœlum: quòd si fragilitate condictionis humanæ miro quis eorum fulgore perterrefactus fuisset, quod multis Diuinæ scripturæ locis indicat, omnem ex corde continuo auferri metum, quem incuti monuit, non tàm ex pauore animi, quàm ex magnarum rerum aspectu. Pessimorum verò angelorum, truces vultus, sonitus horrendos, sordidos cogitatus, plausus, motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum, ex quibus confestim timor animæ, sensibus torpor incuteretur, mœror, tædium, metus mortis, cordis hebetatio, & alia nonnulla, præter hæc incommoda. Si igitur post timorem horrore contempto successisset gaudium, & ad Dominum fiducia, atque ineffabilis charitas Diuini esset auxilij signum: sin autem, inquit, incussa formido permanserit, hostis est qui videtur, quoniam nec refouere nouit, vt Gabriel pauentem Virginem ne timeat iubet, quinimò pauorem duplicat, & vsq; ad profundam impietatis foueam, vt sibi homines prosternantur, impellit. Monica verò Augustini mater, cuius etiã suprà meminimus, discernere aiebat: Nescio quo sapore, quem verbis exprimere non poterat, quid interesset inter animam suam somniantem & Deum reuelantem: Beata Catharina illa (cuius paulò antè mentionem fecimus) retulit se hoc à Deo signum discernendarum mentis visionum accepisse: si dæmon in forma lucis seu angeli, aut ipsius veritatis, aut sanctorum in mente quapiam transformaret se, id euenire docuit, vt primo gaudium & alacritas præsentaretur animæ, mox euanesceret, & tædium accederet obortis etiam tenebris & stimulis atque fuscedine: contraque si à Deo visitaretur anima sanctum aspectu primo timorem, & cùm eo gaudium pariter & securitatem suscipere prudentia comite, & ea quidem dulci (vt dubitando non dubitet,) manente gaudio cum fame virtutum. Siquidem procedente opere manifestauit alacritatem ipsam perfectum omnino & sufficiens non haberi signum, nisi ardenti virtutum desiderio & humilitate perfunderetur anima, & in fornace diuinæ charitatis exureretur ea. Itaque virgo, si alacritatis feruentiorisque virtutum amoris fieret accessio, diuinas à dæmonicis discernebat. Diuus Bernhardus interno quodam

afflatu

afflatu & odore ſentiebat, guſtabatque, quando ſibi etiam aderat diuina virtus ad patranda miracula & operandas ſanitates. Apud Seuerum legimus, cùm per ſpiritum ſenſiſſet Martinus Domini adeſſe virtutem, Cathechumenũ orationibus eius à morte ſuſcitatum. Alij per illuminationem experientiæ: alij per lumen propheticum: alij per ſenſum Diuinum minus ſenſibilem, vt Origenes contra Celſum diſputans: alij per inſpirationem intimam: alij per conſilium: alij alijs id expreſsêre verbis, vt apud Gregorium, Caſſianum, Auguſtinum, Athanaſium, Hugonem, Ioannem Gerſon, alios legere datur & noſcere. Huiuſmodi autem in rebus, ſicut & in alijs omnibus Dei egemus ope. Quapropter cùm multa Antonius de probatione ſpirituum diſſeruiſſet, ſubiecit, hoc magnoperè poſtulemus, vt donum ſpirituum diſcernendorum mereamur accipere, quò ſecundùm ſententiam Scripturarum omni ſpiritui non credamus.

De prænotione igitur rerum in vniuerſum deque ſuis ſpeciebus, Diuina, naturali, ſuperſtitioſa, curioſa, & de eorum partibus, & proprietatibus, & de illis demùm internoſcendis, tùm aſſerentes vera, tùm improbantes falſa, nouem his libris tot à me literarum monumentis relata ſint, pro noſtra & eorum qui lecturi ſunt vtilitate, ad Omnipotentis Dei laudem, cui honor, gloria, & imperium, per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE, Domini & Concordiæ Comitis, de rerum Prænotione libri noni & vltimi Finis.

IOAN.





IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, ET CONCORDIÆ COMITIS, EXAMEN VANITATIS DOctrinæ Gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ: Distinctum in libros sex, quorum tres omnem Philosophorum sectam vniuersim: reliqui Aristoteleam & Aristoteleis armis particulatim impugnant: Vbicunq; autem Christiana & asseritur, & celebratur Disciplina.

TABVLA CAPITVM PRINCIPALIVM IOANNIS Francisci Pici Mirandulæ Domini, & Concordiæ Comitis, in Examen vanitatis doctrinæ Gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ.

CAPITVM LIB. II. INDEX.

CAPITVM LIB. III. INDEX.

CAPITVM LIB. IIII. INDEX.

CAPITVM LIBRI V. INDEX.

CAPITVM LIBRI VI. INDEX.

TABVLÆ TOTIVS EXAMINIS
Finis.

IOANNIS





IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, ET CONCORDIÆ COMITIS, IN EXAMEN VANITATIS DOCTRINAE Gentium, & veritatis Christianæ disciplinæ,

PROOEMIVM.



ANTA est percipiendæ veritatis hominibus innata cupiditas, vt à primis vsque seculis, quicunque præstare ingenio videbatur, is & eius inueniendæ, & alijs patefaciendæ negocium libenter susceperit. Inde tibi felicitatem, quam ipsa niti veritate constans erat fama, procuraturus. Quod cùm mecum ipse cõsiderarem, magna me tenebat admiratio. Humanum ipsum genus ad hanc veri notitiam natum, eiusq; capescendi suapte natura desiderio exæstuãs, & inter sese, & cum eo ipso quod desideraret, apertè rixari, crescebat admiratio ea indies magis, dũ cernerem veritatẽ ipsam nihilo tamen minus ab homine eximiè adeò diligi, vt deprehensæ vanitati, quæ per multorum iam mentes diuagaretur, veritatis nomen imponeret. Ea propter magno studio & quibus poteram viribus indagare cœpi, rei tàm mõstrosæ, tamq; perniciosæ radicem, quæ si potuisset euelli, videri facilè quiret, cum legitimis veri amatoribus benè actum esse atq; præclaré. Quo quidem in negocio dum aßiduè versarer, mihi demùm visum est, radicis huiusce causam fallaci opinioni acceptam referri oportere. Nam cùm vna tantùm veritas & sit, & habeatur, multæ tamen sunt viæ, quibus ad eam peruestigandam acceßit antiquitas, atq; hinc quanquàm diuersitas manauit opinionum, eis tamen & scientiæ, & sapientiæ, & doctrinæ, appellationes indiderunt, honesta illa quidem nomina, si quod sperabant, fuissent cõsequuti, sed non tot inter illos bella, nec tot seculis viguissent. Idipsum sensissent omnes, non nimio proprij amoris igne succensi, quod verum autumabant, id verum & esse & haberi debere obstinatißimè contendissent, non eos, qui ad sese vt veritatis discipuli fierent accedebant, erroris perniciosi magistros reliquissent, eo ad mentis consequendam sanitatem difficiliores, quo iuramento etiam firmare præceptorum dogmata consueuerant. O miseriam dubio procul singularem, liberum hominis animam ad expeditam contemplandæ veritatis actionem editum, nec cœlo, nec vlla re creata contentum, in vnius opinionis ergastulo, tanquàm manicis & compedibus vinctum detineri. Sed quoniam vanitatis huiusce radix, in eorum qui sapientiam apud Gentes profiteri dicerentur mentibus atq; doctrina triplicem quasi fibrã degerat, qua non ipsa modò aleretur, sed truncum promeret, & ramos, & folia, quorum etiam ad vmbrã numerosissima turba conflueret. Ideo existimaui me gratum bonis ingenijs facturum, illam ipsam, si fieri posset, vt eruerem, eiusq; fibras rationis acie tanquàm duro ferro conuellerem: quod equidẽ non difficulter posse fieri arbitror, si vniuersam Gentium doctrinam, superstitione, incertitudine, falsitate, labare, hoc ipso quod in manibus habemus, opere monstrauerimus: vt enim veritas est religionis, ita superstitionis est vanitas, & si verum dixisse probamur, cum certo à nobis ea patefiunt quæ certa esse nos ostensuros recepimus, ita vanitatis arguemur si & pro certis incerta, & pro veris falsa tradidisse deprehendamur.

Quare quod attinet ad religionem, vanum id appellabimus, quod prauum habet initiũ, vana & fallacia media, finemq; minimè consequitur: quo ad alia etiam vanum & dici, & haberi potest, id quod non stat promißis & pro certo præbet ambiguum. Vanum item quod veri specie prætenta falsum iudicat. De vanitate autem, scilicet, ea quæ ad religionem pertinet, cùm Græcos tùm Latinos ex nostra religione Theologos multa scripsisse inuenio, ipse quoq; nonnulla diuersis in operibus, vt eorum exigebat ratio, mãdaui literis. Quapropter ipsa de re à nobis multa non sunt dicenda, sed potiùs afferenda, sunt rara quæpiam, aut parum cognita, aut à plerisque non animaduersa, quæ eò perniciosiùs quirent nocere, quo latentiùs insiderarentur. De secunda & tertia vanitate qui disserere tentàrunt, id in vniuersum generatimq;, & plurimorum in communi fecisse videntur: per partes verò & speciatim de ipsis qui decernerent & pauci fuère,

 & pau-

& pauca quidem attulêre. Iustinus Martyr, Eusebius, Theodoritus Græca lingua, Latina verò Lactantius, Augustinus, Thomas Aquinas, nonnihil aduersus Philosophorum quæpiam dogmata disputârunt, at in peripateticis refellendis, nec Græci illi multùm, nec Lactantius admodum incubuit, nec in eis ipsis etiam vexandis multùm operæ posuit Augustinus, quoniam eius ætate non colerentur eximiè, & in ijs quæ ad religionem duntaxat pertinerent, diligentiùs omnino versatus contra Platonicos disputationem conuertit, quos omnibus aliarum sectarum præstare philosophis, deq; religione minus malè sensisse, & constans & celebris erat opinio. Thomas libentiùs sese vertit ad Arabas, Peripateticos, Auerroëm, Auempacem, Græcumq; Alexandrum confutandos, omnem tamẽ vim ingenij eò direxit, vt errores qui nostræ fidei aduersi essent, quanto id fieri molimine posset, exploderentur. Quæ verò ad ipsam fidem non pertinerent, in opere quod contra Gentiles inscribitur, multa non duxit in controuersiam. Ego verò non solùm contra Gentium religionem prauam, superstitionémve, sed contra doctrinam, cuius ambitu illa ipsa etiam clauditur superstitio, disserere institui, & omnes philosophiæ sectas sub examen reuocare, & tanquàm in libra appendere, vt omnem omnino radicem, fibras omneis huiusce vanitatis, quæ nostra ætate plus nimio pullulauit, quibus potero viribus excindam. Illam enim didici nimio excultam studio, cum ingentis ad meliora natis obesse plurimùm, tùm veræ felicitati, quam & pollicetur, & præstat Christiana religio, non mediocriter aduersari.

Itaque à prima illius exorsus origine docendum ante omnia duco, primo operis libro vndénam isthæc humana sapientia, & tantis præconijs celebrata doctrina manauerit, qui eius authores extiterint? quot fuerint? quid tãdem scripserint? quos vbi & varios, & animi dubios, & controuersiis agitatos, ad Pythagoram atque Thaletem tanquàm ad antiquißimos iudices adduxero, atq; inde Philosophiam, quæ nunc colitur ortam deriuatamq; monstrauero, dissentientes etiam ipsos iudices fuisse vanosq; plurimùm ratione conuincam. Atque hinc discedens per Ioniam & magnam Græciam tanquàm per geminas philosophiæ regiones exspatiatus, ditionem Pythagoræ atque Thaletis & eorum qui illis proximè successerunt, opportunè discutiens & in stateræ lancibus collocans, quàm diuersæ inde Philosophorum sectæ, quasi diuersæ humanæ sapientiæ regna defluxerint, mox quàm aduersi inter se, in vnaquaque secta philosophi quasi pugnaces populi & exercitus terrigenarum repentè surrexerint, patefaciam, subindéq; monstrabo illam ipsam Gentium philosophiam tanquam in frusta lancinatam atque dispersam, quæ sub Platone in vnum quasi corpus coacta credebatur, & ad quoddam quasi dixeris iuuentutis robur peruenisse, cùm antea sub antiquioribus illis puerascere magis quàm adolescere censeretur, post adeptum ipsum robur inani petulantia lasciuisse, & non ad Hecubæ modò & Niobes, sed ad murium, ad phalangiorum etiam inuidiam numerosam sobolem effudisse, quæ primò inter nascendum viscera eius à qua duxit originem, quasi vipera dentibus corroserit, inde nata & adulta ritu scorpionum, araneorumq;, parentes dispulerit & interfecerit, mox in semet versa prior instar terrigenarum non in Colchicis campis, vt Thebanis, sed in cuncta Græcia, in toto Latio, in omni barbaria conflixerit & proprijs suismet armis magis quàm nostris vulneribus occubuerit: Namq; de veritate, qua omnes quærebãt, & de qua maximè certabatur, monstrabo, philosophos ipsos & cum præceptorib. perpetuis eisdemq; truculentis dimicasse prælijs, & inter sese adusq; interneciem decertauisse: nec demùm quid ea sit, nec vbi sit, decretũ fuisse, concorditer ab ipsa tàm variæ philosophiæ turba, simulq; docebo, si vsquã illa est, comprehendi ne tamẽ ea ipsa queat an minimè, diu multũq; ab ipsis philosophis ad dubitatũ, atq; inde nec in artib. quæ liberales dicũtur, nec vlla in parte philosophiæ, nec eius vllo penè in dogmate consensisse illos, enumeratis magna ex parte dissensionib. aperiã: & hæc quidẽ primò volumine, quo facilè deprehendetur in altera lance, vel si vnũ Sacrarũ literarum dogma posueris syncerũ incontrouersum verũ, omnibus Philosophorũ pugnacibus & incertis dictis præponderare.

Secundo verò libro ne si in communi duntaxat hæc fecisse videremur nimisq; generatim, non autem per partes docuisse, non solùm quid quisq; illorum propriè & exactè, sed etiam qua id ratione decerneret, secũdo, inquam, libro idem sumus facturi, & rationes quæ veritate captanda, & ab eius iudicio steterint, & quæ contra ab alijs adductæ sint, planè distinctéq; quoad poterimus, relaturi.

Tertio multa quæ in liberales artes moliti Philosophorum aliqui fuerint, haud grauatus afferre, quibus etiam machinis naturalis & moralis & diuinæ fundamenta Philosophiæ subruere conati sint quantum fieri perspicuè à me posit explicabo, in solis nostræ Christianæ religionis sacratißimis monumentis indubiam veniri veritatem comprobaturus. Sed quoniam nostræ


stræ quam nunc viuimus ætatis à prioribus seculis longè est aliena conditio, tunc enim omnia florebant dogmata Philosophorum, & diuersæ eorum familiæ excolebantur, quæ postea omnes cessisse Aristoteleæ visæ sunt. Alia propterea mihi facta est laboris accessio, qui prioribus omnino non incubuit, vt quot libris contra alias egissem sectas, tot aduersus Aristoteleam agendum esse videretur: & quanquàm tribus primis libris quandoq; nonnulla aduersus Aristotelem disputabimus, id obiter tamen & veluti in transcursu fiet: Tribus verò postremis ex proposito dataq; opera, dogmata ipsius celebratissima examinabimus, simul vt detur intelligi ipsa eius doctrina in libra appensa quæ qualisq; nam sit: ac etiam (verbo longè absit inuidia) exactiùs fortasse, quàm sit adhuc perfectum, simul vt eadem triplici quoq; labare vanitate repetitis altiùs principijs ostendatur. Nam multitudo nostræ ætatis Philosophorum facilè concederet ante Aristotelem omnes aberrauisse Philosophos, à quo & si interdum ipse offendisset, explosi tamen illi antiquiores essent, & ab eodem prorsus consumata Philosophia, cuius certa plurimum dogmata & inconcussa inuenirentur, adeò, vt qui in ea quicquam moliretur, nõ secus haberetur, ac si in ipsam Philosophiæ legem commisisset. Quæ quidem multitudo, quàm longè sit ab eo quod putat se consecutam, tribus ipsis liberis poterit animaduertere, pariterq; deprehendere Gentium authores, Mineruam quæ ab ipsis præses sapientiæ existimabatur esse, cùm innuptam dicerent, si eo dicto significabant nulli ea viro cognitam, non magnopere aberrauisse, atq; hac in re plerique nostro sibi poterunt labore consulere, quandoquidem poterunt didicisse Aristotelem ipsum, nec legem esse naturæ, nec Philosophiæ ipsius doctrinæq; scitum, nec mundani senatusconsultum, vt secundùm eum non de eo iureconsultorum instar ferri sententia liceat: neq; enim in eò colendo consensus Gentium conspirauit: nam vniuersa reclamasset Academia, porticus tota constrepuisset & numerosæ aliæ philosophorum sectæ ad ipsum humani tribunal ingenij totiusq; naturæ iudicium prouocasset: neq; item nostri vnanimi eum assensu probauerunt, ipsiq; etiam eius discipuli & iuratissimi interpretes, & sæpenumerò & acerrimè vexauerunt, quorum autoritatibus & rationibus non insistam solùm, sed clarissimis idipsum (vt arbitror) argumentis comprobabo. Hunc autem laborem, si calumnia deprehendero caruisse, libenter apponam lucro: tamen abest vt laudem ex ipso sperauerim, solo, scilicet conscientiæ teste & æquis paucorum hominum iudicijs planè contentus. Neq; enim ignoro quibus viribus sit opus, vt inueterata in hominum mentibus opinio, etsi falsitate labefactata sit, aboleatur. Certa esse omnia Aristotelea, vera omnia, nihil contradici posse, quis non affert? ego non certa, sed probabilia, cùm & rationes multæ ex eisdem fundamentis, & authoritates quoque multæ contrà duci facillimè queant. Ego non vera omnia, sed pleraq; falsa pariter ostendam: sed de hac re plura cum Libro 4. hoc ipsum negocium adoriemur.

Tantum hoc loco rogatos Lectores velim, ne priùs aspernentur, quàm cognouerint: néve damnent anteaquàm legerint, neu iudicent me ex obtrectatione alienæ doctrinæ vanam aucupari voluisse gloriolam: Quæ fortè me fuisset populari etiam cum aura subsecuta, si vt in Aristotelis aliqua dogmata, ita in opera, vel omnia, vel plurima edidissem commentarios: neque enim vt alia taceam, quæ à nobis afferri potuissent, futura (ni fallor) Aristoteleis amatoribus grata, Arabum & Latinorum inter exponendum ipsius libros errata deerant, quæ non multo labore extra omnem controuersiam refellerentur: Neque abstrusa Græcorum interpretum dogmata longè aberant, Latinis hominibus qui Græcè nesciunt, prorsus incognita, & nostro labore futura notissima. An ex libris Alexandri, Porphyrij, Hammonij, Philoponi, Magenteni, Simplicij, quorum nobis fuit copia, tanquàm ex latissimis & fertilissimis peripateticæ philosophiæ campis, poteramus facere non spicilegium, sed messem? an per Theodori Metochitæ, per Iosippi Rhacenditæ, per Michaëlis Ephesii, per Michaëlis Psellij, per Pachemeri ἐξηγήματα τοῖς χόλιαι τόμοις, perq; Sophonij & aliorum qui etiam post Themistium scripsêre paraphrases, tanquam per pinguia culta & consitos agros frequenter deambulantes, cùm farraginem carpere, tùm racemationem facere prohibebamur? accedentibus maximè Iamblicho, Damascio, Dexippo, Olympiodoro, Syriano, viris Platonicis, qui sunt opera Aristotelis interpretati. Ac si Ioannem Picum Patruum meum hac in re imitari voluisse, & aliqua eius dogmata sequi, mihi fortè non defuisset facultas plerisque in locis efficiendi, vt cum Platone, Aristoteles rediret in gratiam. Sed omnes non vnam & alteram tantummodo philosophiæ sectam versandam & discutiendam existimaui: quo in studio, quo in examine si mihi videbatur, vt & aliæ, & illa quæ Aristotele nititur vanitate labaret, idq; & rationibus, & testimonijs probare præclarissimis possem, num potiùs impetenda fuit quàm excolenda? cur non potiùs ipsimet à nobis authores di-

res diuersarum sectarum, & tractandi, & in alterutrum vertendi, & omnes vnius illius tàm celebratæ sectæ interpretes vexandi fuerunt? quid enim ex tantis illis vnius honoratæ sectæ sudoribus, tantoq́ temporis dispendio, quid quæso vtilitatis potuisset expectari? pauca enim apud Gentium philosophos vera dogmata, eaq́ aliunde, hoc est, à Sacris literis sincerius haberi queunt, ex quorum fontibus illos ipsos potauisse philosophos, cùm alij, tùm nos, & aliâs, & ipso quoque operis decursu referemus. Quòd si quandoque mentes eorum diuinæ veritatis & bonitatis radius illustrauit, parum tamen inde luminis minimumq́ caloris ad nos reflecti potuit, siquidem exiguum & adumbratum lumen reddunt quæ ipsa parùm luce participant, minimumq́ omnino calefaciunt, quæ nec ipsa sint calida, qualia fuêre philosophorum ingenia, cùm atris colendorum dæmonum superstitionibus addicta, gloriæq́ propagandæ fumo longè tenebrosa, tùm proprij amoris gelu in semet ita reuoluta atque restricta, vt neutiquàm ingentes illas faces diuinæ bonitatis admiserint, quibus ad eam multis viribus amandam accendi potuissent. An igitur quæso consultius factum, si vanitates eorum quæ sibi veritatis vendicare sedem moliebantur detexerimus? vt ipsam veritatem quam in profundis puteis & antris latitare dixit antiquitas, in Sacris versari literis, Christianaq́ potissimùm doctrina & fide, ibiq́ domicilium sibi sedemq́ constituisse syncerius & magis apertè colligamus, atq́ discusso torpore calorem qui inde consurgit, planè persentiamus. De cuius quidem veritate fidei atque doctrinæ cùm alij multa & nos etiam aliqua & alibi, & præcipuè in Theorematibus de fide scripserimus, hoc etiam in opere quandoque inter disputandum, sed in initijs librorum frequenter, semper in finibus, ne falsa rationem adiecisse & vera non asciuisse argueremur, nonnulla etiam sumus verba facturi: mox de ipso amore quem fides parit, dicato opere differendum erit. Sed nunc ad explodendam doctrinæ Gentium vanitatem, hoc est, expendendam in trutina mundi sapientiam, vt cum disciplinæ nostræ pondere collata, illius vanitas, veritas huius clarißimè dignoscatur, ope diuina freti properemus.

IO AN-






JOANNIS FRANCISI PICI MIRANDULAE DOMINI, ET CONCORDIAE COMITIS, IN EXAMEN VANITATIS DOCTRINAE Gentium, & Veritatis disciplinæ Christianæ,

LIBER I.

Cap I.

DE ORIGINE DOCTRINAE GENTIUM, ID EST, earum Theologiæ, Sapientiæ, Philosophiæ.



ELICITAS quam studio veritatis consequi ingeniosi homines affectabant, quoniam vires per sese mortalium superat, eorum ipsorum ope nequiuit attingere, hinc factum arbitror vt ea de re, nec vera, nec cōsona literis mandata sint, sed falsa, sed dissona: qua quidem in re mirum videri debet, paucos tamen extitisse qui resipuerint, spectantes, tot seculis inter eos quorum vestigijs insistere posteriores debuerāt, semper lites, semperq; bella viguisse. Decepti aūt ij omnes (vt opinor) fuêre falsa nominis ostentatione, quoniam quidem prisci illi & si compotes minimè essent eius rei quā quęrebant, nomen sibi tamen ab ea tanquàm & comprehensa, & possessa desumebant, quo factum vt in quib. fuissent studia doctrinæ, apud illos Theologi, Sapientis, Philosophi, nomen oriretur. Nam Deum alij sesē inuenisse iactabant Theologorum cognomento donati: alij & diuina simul, & humana cognosse perperam autumantes Sapientiæ sibi vendicabant nomen: modestiùs aliquantò, qui Philosophiæ nomenclatura fuêre contenti. Vnicus tamē erat populus, cuius antesignanos qui essent secuti, ijs ipsis vitare tenebras dabatur errorū, & ad eam felicitatis semitam gradus fiebat, cuius potiundę summa votorum fuerat: Ac certò sequi eos & debebant, & poterāt, quandoquidem eius populi magna erat apud vniuersas nationes & nominis celebritas, & dignitas vetustatis: eò enim confluere soliti quicunq; habiti in omni literarū gloria præcellentes, & ab antiquissimo quodā quasi sapientiæ gurgite, noscendi sitim sedare consueuerant. Multis etenim annorum seculis quàm Gentium, & erat, & à præclaris authoribus habebatur Hebræorum doctrina vetustior. Canit Lucretius, naturę rerum rationē repertam nuper: & scribit Seneca, ab initijs motæ sapientiæ ad sua tempora mille annorum spatium non intercessisse. Illam verò Hebręorum reuelatā diuinitùs sapientiā multi ex nostris probauerunt, non Gręcorum modò celeberrimos authores anteire vetustate, sed etiam eos quos suorum deorum antiquissimos varijs errorib. delusa vetustas autumauerat: verùm enimuerò nō tàm illi hominū generi successendum, quàm seculi posteriorib. nonnullis sapientiæ studiosis, qui duce etiam veritate Christianæ legis beneficio cōperta, tenebris sese mancipiant, & mendacio, atq; auidi libertatis, volentes premuntur seruitute.

Primi itaque apud Gentes viri, qui præcellenti & perspicaci ingenio pollebant, felicitatem quærentes, diuinitùs eam dari putauerunt. In Deo autem quærendo plurimùm hallucinati sunt, ac pro vno, & vero plures & falsos inuexerunt. Hac etiam in re minimè cōcordes: nam alij corpora cœlestia deos arbitrati sunt esse, vt primi Gręcorū si Platoni stamus, vt ipsemet Plato, qui stellas esse animales deos putauit, Apuleio etiam teste, quanquàm & inferiores quoq; statuit, & vnum incorporeum vltra mundanum atq; supremum, quem & deorum, & dæmonum conditorem existimauit. Alij elementa corporea deos crediderunt. Chaldęi diuinos honores igni tribuerūt, à quorum tenebris Abrahamum virum iustum magno collustratum lumine Deus extraxit,

xit, Aegyptij aquam pro Deo venerati ſunt, nec ea ſolùm, quando & animantibus rationis expertibus, & terræ fructibus diuinos etiam cultus exhibuerũt. Alij ſtatuis maligno motis & agitatis dæmone diuinos impendere honores maluerunt. Heraclitus & Empedocles ignem intelligibilem ſtatuerunt Deum. Alij alia, vt alibi retulimus, & hac de re hoc ipſo etiam in opere ſepoſitus eſt mihi locus vnus atque alter: nam paulò pòſt varias Gentium circa diuina referam ſententias, libris verò poſterioribus illas ipſas refutabo, cùm aduerſus ſupernaturalem Gentium philoſophiã diſputabimus. Sat ſit quantum ad doctrinæ Gentium originem pertinet pauca pretuliſſe, vt antiquiſſimum eorum ſtudium in deis & quærendis, & honorandis fuiſſe deprehendatur. Si igitur qui in hac veſtigatione & cultu verſabantur, Theologorum nomen aſſecuti ſunt, eoque nomine antiquiſſimus apud eos Orpheus dignatus eſt, eodem Heſiodus, Homerus, item & alij, qui & poëtæ quoque fuêre. Nam Orpheus carmine plures deos eorumq́; cultus docuit, ipſorum quoq; generationes carmine decantauit Heſiodus. Homerus etiam de dijs hymnos compoſuit, vt cæteros taceam qui omnes nihilominus varia, diſſona, controuerſaq́; tradidêre, vt fiet manifeſtum cùm aduerſus illos pugna ſuſcipietur, plena ſiquidem ambagibus omnia, plena dæmonum fallacijs, quib. rude illud ſeculum deludebatur, vnius veri Dei mentione poſthabita. Quod ſi Abrahami & Iobi Vſſitidis cultorum vnius Dei veſtigijs hærere maluiſſent, de ſuperſtitionum tenebris ad veram trahi religionem potuiſſent, maximeque Aegyptus illa ſuperſtitioſiſſima regionum omnium, quam Abrahami nepotes incoluerunt: qua de re benè actum & conſultum eſſe Orpheo, qui poſtquàm Aegyptum inuiſit, pluriũ deorum cultu ſpreto, vnius cognitione donatus eſt, quòd Iuſtinus philoſophus & martyr oſtendit eo in libro, quem è Græco vertimus in Latinum.

Poſt Orpheum & alios quibus Theologorum cognomen factum eſt, ſapientis emerſit vocabulum: nam etſi Lycurgus olim ſapiens eſt habitus, itemq́; bellorũ periti Vlyſſes & Neſtor, eo tamen poſtea nomine omnes qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, ſignificari apud Gentes conſueuerunt, quo item vocari præcipuè ſoliti qui de natura diſſerebant: neque enim ij Philoſophi tantùm & Phyſiologi, ſed ſapientes appellabantur: vnde & Thales ille qui primus tradidiſſe fertur naturalis præcepta philoſophiæ, ea nomenclatura extra controuerſiam honeſtatus, etiam inter ſeptẽ eos qui ſapientis nomine præcellenter dignati ſunt, primum locũ apud multos obtinuit: floruiſſe illos Cyri temporibus & Euſebius & alij prodidêre, quorũ antiquiores multò illi ipſi Gentium Theologi, qui tamen Hebræis illis primis ætate ſi conferantur, lõgè vti ſignificauimus iuniores inuenirentur, cuius rei & Porphyrius meminit, vt Aphricanum, Euſebium & multos ex noſtris taceam. Ipſi verò qui ſapientię cognomen obtinuerunt, pluréſne an pauciores, quàm ſeptem fuerint, magna quæſtio eſt, itemq́; illi ipſi ſeptem, Sapientes verè fuerint an minimè, non parua controuerſia. Cicero id tàm negare videtur autoritate maiorum, qui hac de re ſubtiliùs diſſeruêre: quàm affirmare Lucilium, Acilium, Catonem, Scipionem, Socratem, Sapientes fuiſſe: Eam verò ſapientiam, quàm interpretabantur Stoici Lælius apud eundem Ciceronem dicit à nemine poſſeſſam. Communicata quoque alijs fuit eadem appellatio, adeò grata hominum generi vt à plęriſque ignobilium artium artificibus ſit vſurpata, quod apud Homerũ licet ſpectare, imitatorem plæriſq; in rebus Moſaicæ diſciplinæ, in qua eſt videre fabros ſapientis vocabulo dignatos: Inde fortaſſe euenit vt quicunque inuenire aliquid, aut efficere hominum memoria dignum potuêre, ad eos nomen ſapientis propagãtum ſit, tanquàm digni haberentur, quibus honos impartiretur: σοφοῦ enim nomen ἀπὸ τοῦ σέβομαι deducunt Græcæ linguæ boni autores, vt ſit σοφὸς, quaſi σεβὸς, qui videlicet colatur ab omnibus. Placuit Ariſtoteli eum præcipuè pollere ſapientiæ nomine, qui res in finem dirigeret ordinaretq́;, & altiſſimas rerum contemplaretur cauſas. Cuius rei & initio librorum primæ Philoſophiæ, & ſexto Ethicorum volumine mentio facta eſt, ſed quædam etiam diſtinctio ſapientis haberi poſſet, quando id nomen cuipiam meritò poſſemus impartiri, & totius vniuerſi conſideratione, & perpenſione particularis etiam negotij prudenter grauiterq́; peracti. Noſtrorum verò Theologorum plæriſque placuit, Bernhardo potiſſimùm, & iunioribus quibuſdam, ſcientiam à ſapientia ita ſecernere, vt illa ad intellectum, hæc ad affectum pertineret: de ſapientia ſecus ac ipſi philoſophi definientibus: ſed tunc, hoc eſt, illorũ ętate, qui

qui dicebantur sapientes,eo nomine promiscuè vtebantur & honoris, & gloriæ causa,excellentis itaq; nomen dignitatis commune iam & vulgarium cùm haberi cœpisset,extitit aliquis cui placuit vt mutaretur, qua de causa aliud sibi sumpsit Pythagoras agnomẽ, & pro Sapiente se Philosophum dixit.Pythagoras,inquam,qui à multis habitus est Samius & filius Mnesarchi,& si Mnemarchum eius patrem quandoq; apud Iamblichum nominatum inuenio:quanquam nec defuerunt qui non Milesium eum vt Iamblichus & alij permulti,sed & qui Tyrium,& qui Tyrrhenum esse voluerunt,etiam qui Syrum. Qua de re prçter Laërtium & Eusebius,&Theodoritus disseruêre:sed de patria alia,quomodo de inuentione philosophorũ nominis, omnino nulla:quàm permulti hominis modestiæ ascribunt,& causam produnt,non vno tamẽ modo: scribit enim Cicero Heraclidem Ponticum secutus, Pythagoram Phliuntem venisse, eumque cum Leonte Phliasiorum principe disseruisse quædam & doctè, & copiosè: Cuius ingenium & eloquentiam cùm admiratus esset Leon,quçsiuisse ex eo qua maximè arte confideret: respondisse Pythagoram artem se scire nullam, sed esse philosophum:admiratum principem nouitate nominis quæsisse, quínam essent philosophi? & quid inter eos,& reliquos discriminis intercederet? respondisse Pythagoram similem sibi videri hominum vitam & mercatum eum qui habentur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate: nam vt illic alij corporibus exercitatis cupidine gloriæ coronam peterent,ducerentur alij quæstu & lucro,esse quoddam genus eorũ qui solùm visendi gratia venirent studioseque perspicerent quid ageretur, & quomodo:Ita homines in hanc vitam quasi in mercatum profectos, alios gloriæ,alios pecuniæ seruire, raros esse qui cæteris omnibus posthabitis rerum naturam studiosè intuerentur,hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim philosophos.Huiuscemodi sermonem apud Phliasios habuisse Pythagoram ex Pontico Heraclide referẽs Cicero,subdit illud non inuentorem modò nominis,sed rei amplificatorem fuisse, & in Italiã postea venisse, eamq; Græciam, quç magna dicta est,exornauisse & priuatim,& publicè præstantissimis & institutis,& artibus.

Iamblichus verò Syrus primo operis volumine quod inscripsit de Secta Pythagorica, narrat Pythagoram cùm in Italiã venisset, Crotoniatas iuuenes ad eruditionem & disciplinam excitauisse, & habuisse in Gymnasio concionem, atq; inter alia dixisse homines institutis eruditioneq; à bestijs differre:sic & Græcos à barbaris,& liberos à seruis, & philosophos à vulgo secerni: ac in vniuersum talem eos habere præcellentiam,quali pollerent si ex eorum aliqua ciuitate septem inuenirentur qui cæteros omnes in stadijs Olympicis anteirent: nam qui sapientia præstarent alijs, septem duntaxat ex vniuerso terrarum orbe connumerari: posterioribus verò temporibus, quibus & ipse viuebat, vnum omnibus eminere philosophia: etenim hoc nomine sese pro sapientis vocabulo primitùs agnominauit: totidem fermè verbis Iamblichus in hanc sententiam Græcè disseruit: & procedente opere subdidit ipsum Pythagoram primum sese philosophũ nominauisse,& ea ferè narrat quæ Cicero ab Heraclide Põtico suscepit,sed inter sapientem nihilominus & philosophũ discrimen posuit,de quo non pigebit me disserere interpretis etiam officio perfunctum. Pulchram,inquit, esse totius vniuersi,& eorum quç in eo voluuntur syderum cõtemplationem, cuius ordinem si quis perspexerit,à primo quodã,& intelligente manasse deprehẽdet? primum autem hoc ipsum, esse idem quòd naturam rationum & numerorum per omnia discurrentem,quibus hæc omnia sunt & diligenter constituta,& decenter ornata. Ac sapientiam quidem esse harum rerum scientiam,quæ circa & pulchra, & prima, & diuina,& integra,& sempiterna versetur,quorum participatu reliqua pulchritudinis honestentur nomine. Philosophiam verò huiusce speculationis esse imitatricem, quæ pulchra etiam & ipsa esset, ac eruditionis diligens adseruatrix ad instituendos homines accommodata. Nec videtur Iamblichus à Cicerone dissentire, qui alio in opere, hoc est, secundo de Officijs affirmat, philosophiam esse studium sapientiæ: sapientiam verò rerum diuinarum, & humanarum, earumque quibus hæ res continentur esse scientiam, hinc multæ philosophiæ diffinitiones emersêre, de quibus peripatetici, præsertim Græci, qui opera Aristotelis sunt interpretati ex Pythagoræis ea potissimùm & Platonicis colligentes disseruêre. Epicurus autem finiuit eam sermonibus & disputationibus quç felicem vitam constituerent. Stoici prudentiã dixêre sciẽtiam

tiam bonorum,malorum,neutrorum,eamq; artem esse degendę vitæ,quàm qui perciperent soli essent boni,soli sapientes, omnes tamen eò spectauerunt, vt ex philosophia felicitatem prodire significarent. Sic qui ducem vitæ & vitiorum expultricem,sic qui similitudinem Dei,quoad fieri humanitùs posset eam præbere voluêre:sic quicũque eam finiuêre ab eo ipso quod diximus longè non deflexerunt. Sed hactenus de initio Theologiæ,Sapientiæ,Philosophiæ Gentium, hoc est, de earum doctrinæ primordijs.

CAP. II.

QVÀM VARIVM PHILOSOPHANDI GENVS INTER GENTES, quàm variæ philosophantium sectæ à primis vsq; seculis ad nostra tempora,& quare author,alia via hoc in opere quàm Ioannes Picus eius patruus solebat,philosophetur.



Vtato sapientiæ nomine,mutata est quodãmodo res,quæ ei nomini subijciebatur, non propterea quòd philosophia imitatrix sapientiæ dicta sit à Pythagora:nam siue modestiæ causa id factum sit, & arrogantiæ deuitãdæ gratia(quanquàm posteriores philosophos sibi insolentissimũ id nomen arrogauisse scribit Fabius)siue quòd illa perfectior,hęc imperfectior haberetur:Circa id ipsum tamen eodem authore vtræq; versabatur,& hęc imitabatur quod illa iam erat assecuta:diuersi autem hoc in ipso studio diuersis & rebus,&modis ducebantur: Nam qui Milesium Thaletem secuti sunt,res naturales in eis ipsis vt sensui obijciebantur considerabant,& ab obseruando syderum cursu non abhorrebant, quando Thales primus eorum rationem Græcos edocuit,vt scribit Origenes in libro φιλοσοφουμένων,primusq;,si in quarto Floridorum credimus Apuleio, Geometriæ penes Graios repertor fuit:Pythagoras verò Mathematicis numeris & magnitudinibus omnia dimetiri voluit,miscuitq; primus,vt à quibusdam est proditum,Astronomiam & Geometriam & Musicam. Sed enim in Aethiopia nudi erant philosophi, & in India Brachmanes in hoc Pythagoræis similes,quod ab animalium esu abstinebant,& prętereà ab omni quod per ignem præpararetur edulio, ab omni item veste alieni,ea solùm contenti quàm dicerent animæ factam esse ab ipso Deo,quem lumen dicebant, & rationem quæ occulta cognitionis mysteria sapientibus spectarentur: id autem ipsis tantummodò Brachmanis patere,quoniam soli vanam abiecissent gloriam, quæ ita esset animæ externa vestis sicut corpus interna. Sed ex Asia reuertor in Græciam, ex qua etiam tanquàm ex longo exilio reuersi & Pythagoras & Thales occasionem præbuêre diuersæ philosophiæ, diuersis etiam signatæ nominibus: nam qui Thaleti hæserunt,Ionij philosophi nuncupati sunt,qui Pythagoram secuti Italorum vocabulo signati,quoniam in ea Italiæ parte quæ dicta est magna Græcia,Pythagoras diu & vixit & docuit. Aliud autem prodijt discrimen, quoniam philosophi generis Ionici magna ferebantur loquendi libertate, & sua sensa expromendi,multa verò seruitute premebantur Italici, & ea in primis quòd asseclis Pythagoræ silentium indicebatur. Tertia apud Eusebium proditur generalis secta philosophiæ quæ in authorem referatur Xenophanem eademque Eleatica nominetur, quoniam (vt puto)Zeno & Parmenides Eleatæ,ab eo fuerint instituti, sed enim alibi inter Pythagoræos numeratos & Zenonem,& Parmenidem, & qui ab ijs fluxerunt inueni. Verùm enimuerò vt ad Ionicos redeam multæ postea sectæ: nam Milesius Anaximander cum quo & Pythagoram diuersatum,& cum eo Thaletem audiuisse docentem author est Iamblichus, à magistro & ciue suo planè dissensit:sic & Anaximenes quanquam & ipse discipulus & Milesius ab vtroque variauit. Anaxagoras item Clazomenius Pythagorę habitus ęqualis,sectatores & ipse habuit, primusque mentem quandam mundo assistere inter philosophos edocuit: Pythagoræ verò discipulis id moris erat vt solum haberetur id ratum quod Pythagoras decreuisset. Itaque in Ionica philosophia multæ sectæ, quandoquidem quisque fermè suam constituere sategit. Nec minus in Italica philosophia concors illa,& à Pythagora mirum in modum laudata morum dogmatumque consensio,diu integra permansit:ea enim non solùm, vt quidam putârunt, *diuisa* est in ἐσωτερικοὺς & ἐξωτερικοὺς,hoc est,intraneos & extraneos. Inueni ego sectas eorum *plures*, easdem-

easdemq; discordes, siquidem non solùm inter Pythagoræos & Pythagoristas discordia, quæ non modò talis erat, qualis inter Atticos & Atticistas, vt Iamblichus prodit, hoc est, quo ad nomen pertinet, verùm multa in re ipsa dissensio, eodē authore. Illi in Cœnobio, ij proprijs in domibus manebāt, illi syndone amiciebātur, & ad visum Pythagoræ, & ad animi sensuumq; penetralia admittebantur, vendebant omnia præterea priusquam admitterentur, & signatū argentum apponebant Pythagoræ: Demùm alia ijs, illis alia, & noscebantur, & probabantur: verùm etiam & auditores qui dicebātur, à Mathematicis dissidebant, vt paulò pòst aperiemus, non vti philosophus Taurus apud Gellium existimauit, eosdem fuisse intra tempus tacendi, auditores, deinde Mathematicos, mox & Physicos. Diuersi enim erant & plurimum aduersi, adeò vt ipsi Mathematici Pythagoræorum nomine indigni censerentur ab auditoribus, vtpote cùm doctrina qua vterentur, Pythagoræ non esse diceretur, sed Hippasi cuiusdam, vt alij volunt, Crotoniatæ, vt alij ex Metaponto: contrà Mathematici se Pythagoræos veriùs & esse, & haberi debere iactabant, quoniam rerum quę dicerentur, demonstrationes haberent, illi verò qui auditores vocabantur narrationes simplices, quibus cōsuesset Pythagoras senes alloqui & expertes disciplinæ, vt quibus per ætatem non liceret studio & fatigatione difficilia speculando consequi, eorumque sectæ tum fuisse initium dicebant, cùm Pythagoras è Samo inualescente Polycratis tyrannide Crotonem petisset. Resistebant alij contendentes arcana illa esse Pythagoræ quæ ipsi hausissent diuisa in partes tres: nam alia quia est significat, alia quid maximè, tertia quid faciendum aut non faciendum.

Sed enim discrimen & illud in Pythagoræis, quod alij nephas putabant communiter & vulgò præcepta dare, quòd seruasse dicti sunt Euritus & Philolaus, & Carondas, & Zaleuchus, qui iuuenes Pythagoræ seni soliti erant adsistere, prætereaq; & Brysson, & senior Archytas, & Empedocles, & Aristeus, & Lysis, Zamolxis quoq; & alij. Secus autem putauit Hipparchus, ad quem extat Lysidis epistola indignantis Pythagoræ secreta dogmata profanari, quæ non in arcanis habere nephas esset, ac si reuelarentur inquinatis Eleusinia mysteria, quam quidem epistolam refert Iamblichus in primo de secta Pythagorica, expromit Bassarion Cardinalis inter Platonicas defensiones. Citat quoq; patruus Ioannes Picus in Heptaplo, illud quoq; dissidium quòd præcognitio quædā per numeros Pythagorici aduersus alios seruabant, quàm & Abari Hyperboreo communicasse Pythagoram fama ferebat. Nec illa quoq; dogmatum consensio, quòd symbolorū nonnulla alij legitima, alij supposititia & notha censebant, & super eorum interpretationibus mirum in modum euariabant, quando alij nudè atque simpliciter sono verborum innixi acquiescebant, alij profundioris intelligentiæ quærebant allegoriā: sic à fabis edendis & carne abstinendum præcepisse Pythagorā volebant multi, nec ipsum illis vesci solitum: contrà alij & esitauisse fabas & porcellos voluerunt: nec interdictū Pythagoræis ne fabis vescerētur affirmauêre: & aliud quiddam per fabas significasse volebant, aliamq; non edendę carnis rationem insinuatam, vti Aristoxenus in libro de Pythagora, vti etiam Plutarchus Aristotele nixus in Homeri vita significârunt, cuius etiam rei Gellius meminit in noctibus Atticis. Ac Iamblichus quidem ἀκοπολογίας quæ dicebantur Pythagoricæ in nonnullos refert sophistas: Sic & aurea quæ dicuntur Pythagoræ carmina non ei, sed Philolao accepta referri debere consensus doctorum obtinuit. Differebant & numerorum opinione, qua de re cùm de Arithmeticis loquemur, tertio huius operis libro mentio fiet: differebāt & in Pythagora æstimando, quem alij Pythium: alij Hyperboreum Apollinem: alij vnum ex dæmonibus qui Lunam incolerent, putabant esse: alij alia, sed nec illa quoq; parua dissensio qua Eleatici qui se Pythagoræos profiterentur, Parmenides, inquam, & qui sectam instituit Eleaticam Colophonius, Xenophanes, de rerum principijs, cùm alijs antiquioribus Pythagoricis non sentiebant, à numeris ad terram deuoluti, vt paulò pòst cùm de principijs agetur, manifestum fiet. Nec ijs quoque aut illis assensus est Diophantes Syracusanus: is enim quanquàm Pythagoræus habebatur, Democritum sectatus est Abderitam, indiuisibilia corpuscula & ipse constituens, quæ postea Epicurus Atheniensis quinta generatione post Democritum natus appellauit τὰ ἄτομα cùm prius ἀδιαίρετα & ναστὰ tàm ille, quàm Metrodorus Chius nuncupauisset. Aliæ quoq; Pythagoræorum dissensiones operis decursu patebunt. Verùm ij omnes ab

SSs Ionicis

Ionicis differebant, quòd symbolis præcepta dabãt & ænigmatum vice magis innuebant, quàm explicabant dogmata. Nec eadem omnibus lex silentij, quando alij triennio solùm tacebãt, vt Origenes scribit, alij quinquennio silebant, minus tamen biennio tacuisse neminem apud Gellium scribitur: quanquam aliud alijs tempus adscriberetur tacendi pro æstimato, vt ille inquit, captu solertiæ: præterea magicis etiam vtebantur Pythagoræi, ijdemq; habiti Magi, non propterea solùm quod cum Magis esset Pythagoras diuersatus, sed quoniam supra hominem ope dæmonica quicquam operatur, vnde illud de Tyaneo apud B. Hieronymum posset declarari. Apollonius siue ille Magus, vt vulgus loquitur, siue Philosophus vt Pythagoræi tradunt: nam apud vulgus etiam Magi infames, vt fortè illud Horatianum eò pertinuerit:

Nec te Pythagoræ fallant Arcana renati.

Ipse enim Pythagoras Magica tetigisse dicitur, vt scribit Origenes in φιλοσοφουμένων. Iamblichus quoq; in opere de secta Pythagoræa multa de ipso Pythagora narrat mõstrosa, & quæ humana vt fiant arte omnino nequeunt, vt quòd eodem die & in Italia pluribus in locis, & in Taurominio Siciliæ disputauerit, & cùm Abar Hyperboreo qui aërem tranasset fretus Apollinea sagitta familiaritas ei fuerit: sic & Empedocles Siculus ex Pythagoræa secta per aërem, vt ipse cecinit, auis ambulabat, vnde ipse in hymno ad sanctum Geminianum cecini:

Abarim taceant spatiumq; remensum
Vsq; ab Hyperboreo templo Fabrumq; volantem
Et Siculum volucri sulcantem nubila gressu: & in hymno ad S. Martinum:
Aetrobaten sileant vacuum per inane vagantem:
Ipsum quem celeri nugata est vana vetustas:
Ventorum spatia & nubes tranasse sagitta.

Ea verò quæ postea Tyaneus aut fecerit aut fecisse dicatur, nota sunt, & ab Eusebio dicato contra Hieroclem eius laudatorem opere, & à nobis etiam confutata. Sic & Dryidæ Gallorum à Pythagoræis profecti, Magicis vacârunt. Eos enim vt est etiam ab Origene narratum, Zamolxis Thracius erudijt Pythagoræ seruus, & qui Pythagoræo superfuit incendio cum Lyside, qui sese ad Lacones contulit, & Thebanum etiam Epaminundam instruit: eos certè Druidas Pythagoræos fuisse ex primo Lucani satis apparet:

— vobis authoribus vmbra
Non tacitas Herebi sedes, ditisq; profundi
Pallida regna petunt. Itemq;
Maximus haud vrget læti metus inde ruendi
In ferrum mens prona viris animæq; capaces
Mortis & ignauum est reditura parcere vitæ.

Et quanquàm Cæsar in vj. belli Gallici commentario profectam eorum disciplinam ex Britannia scribit existimatum, eius tamen conditiones ab eodem narratas Pythagoræam fuisse manifestant: Memoria verò eam contineri, literis prodi nephas esse. Græcarum literarum apud eos vsum fuisse, animas non interire, sed transire ad alios: Magos etiã eos fuisse pleriq; prodiderunt. Democritus quoq; ad Magicem discẽdam enauigasse dicitur, cuius discipulus Hippocrates proditur, is qui primus ex omnibus memoria dignus, ab studio sapientiæ medicã facultatem separauit, quæ paulò pòst in tres diducta partes, diethericã, pharmaceuticã, & Chirurgicam: vtpote quæ victu, quæ medicamentis, quæ manu mederetur: & hæc quidem non minoribus agitata est controuersijs, quàm ipsa qua de agimus philosophia: nam eius authores clarissimi naturæ cognitionem sibi necessariam arbitrabãtur, & sese rationales appellauerunt, huiusq; sectæ quæ rationalis dicitur principem facit Hippocratem Galenus in Isagogico. Cõtrà Serapion, & qui eum secuti Glaucias, Heraclides Tarentinus, & duo Apollonij, & Sextus Afer, in vsu eam & experimentis collocantes, ex ipsa professione sibi Empiricũ nomen assumpsêre, vt est author Cornelius, quanquàm Galenus in Medicorum Introductorio libro docet Empiricorum facultatem Philippo Coo acceptã referri debere, qui primus eam à logica siue rationali secta diremerit: tametsi Acronẽ Agrigentinum eius authorem nõnulli fecerint, quos Plinius Secundus in vigesimo nono historiæ naturalis libro secutus est: ita eam Acroni assignans, vt Clinicẽ Hippocrati qui eam

eam, scilicet, instituerit, cremato Aesculapij templo, vt Varro existimauit: Iatralepticæ quoq; authorē fecit Prodicum Selymbrium. Vtcunq; fuerit, Acroni ipsi Galeno authore, siue vt ab alijs scribitur, Creoni & Serapion & plæriq; accesserunt, & ipsa freti experientia non quòd rationibus & doctrina non pollerent, vt quidam nostri tēporis existimant, vt Plinius etiam videtur sensisse: sed quia ratione nō constare Medicinam, hoc est, ea comparari non posse, sed vsu duntaxat & experimentis existimabant, in eos qui sese rationales profiterētur acerrimè disputârunt, quòd & ex primo Cornelij Celsi de Medicina libro & ex sexto Pyrrhonio qui & Empirica scripsit, colligi manifestè potest. Deinde fuêre qui se Methodicos nominârint, authore Themisone, ab vtrisque diuersi, quòd etsi negare videatur Cornelius in primo suæ Medicinæ, & rationes etiā ad id afferre moliatur, vt ostendat quo pacto illis conueniant, fatetur tamen Galenus tàm in libro de sectis Isagogico præcipuè, quàm alibi, diuersos videlicet esse. Idq; Sextus ipse apertè scribit, eos cùm scepticis plurimùm conuenire docens, à quibus non rationales modò atq; dogmatici, sed ipsi Empirici apertè dissentiant.

Sed reuertor ad philosophos inter quos Socrates aliud doctrinę genus introduxit, nam cùm plæriq; diuina & naturalia quærerēt, quàm vt discerni possent logica facultate, cuius inuentor Pythagoræus Zeno perhibetur, impensè vacandū arbitrarentur, illa ipse post habens nec digna ducens (si credimus Xenophonti) vt sese in ipsis homo philosophus occuparet, solis componendis moribus & perturbationibus animi sedandis operam dedit: Quapropter dictus est philosophiam deuocasse de cœlo, & in vrbibus & domibus collocauisse, & ab Aristotele quoq; primo de partibus Animalium scriptum est, definiendi vsum temporibus Socratis increuisse, sed indagationem rerum naturaliū desijsse, atq; omne philosophandi studiū ad vtilem virtutē ciuilemq; vsum fuisse translatum. Sanè principem eum ipsum Socratem Ethicę philosophiæ facit Origenes, sicuti dialecticæ Aristotelem. Ab illo tamen veluti fonte diuersa manârunt flumina doctrinæ, sed duos pręcipuè discipulos habuit eloquentia inprimis clarissimos omnium consensu Xenophontem & Platonem: quantum verò attinet ad rerum cognitionē, ille morū, hic totius indagandæ naturæ curam suscepit, ipsamq; miscuit philosophiam: Namq; in naturali philosophia, vt plæriq; volunt, secutus est Heraclitum, in diuina Pythagorā, in morali & rationali Socratem, in Mathematicis Theodorum Cyreneum, ad quem audiendum Cyrenas profectum, cùm alij, tùm Apuleius prodidit, & Astrologiam adusq; Aegyptum iuisse petitum, sed à Socrate dialecticam nō esse illi traditam, clarè Xenophon literarum monumentis tradidit. Enimuerò à Xenophonte Plato scribendi genere euariauit: nam cùm antiquissimi dogmata Carminibus traderent, mox & prosa oratione, subobscurè tamē, ænigmatibus etiam Pythagoræi assuessent, clarissimè & limpidissimè Xenophon literis sua sensa commendauit. Plato magna quidem elegantia & vberi facundia celebratus, sub Mathematicæ tamē disciplinæ velamentis adumbrauit plurima, & inuolucris fabularū obtexuit: Adeoq; in loquēdo varius, vt ex eius sectatoribus fuerint qui eum nihil affirmasse, alij omnia, alij quæpiam voluerunt. Multæq; inde in eius doctrina sectę quibus eius mens in partes tracta, & quasi lancinata videbatur, vt hinc etiam præstare sit consentaneum, eos magis reijcere, quàm colere, qui & cum alijs, & cum seipsis etiam digladiantur: Sed de ijs paulò pòst suo loco, nunc reliquos Socraticos percenseamus.

Stoici circa virtutē versati, nec non delectati sunt impensiùs logica facultate: At nō omnino cōcordes, siquidem & in moribus ipsaq; virtute nō ex integro cōuenerunt, & in plærisq; alter alteri aduersus, adeò, vt sese plurimùm impugnârint, & in logicis eadē nullo pacto senserint, quod & operis decursu aperietur. Quid? quod ipsis etiā in verborum significationibus planè pugnaces, quando Chrysippus in omni verbo ambiguitatem inueniri voluit, quam opinionē ab Eleatis fluxisse satis potest ab Apuleio colligi, qui ambifariam, vt ille loquitur, omne verbum distinguendi, Eleatam, siue Zenonem, siue Parmenidem existimauit principem. At alij nullo etiam in verbo ambiguitatem inueniri voluerunt: sunt qui inter vtranque extremam semitam sese continuerint, certè Diodorus cognomento Cronus, quod est à Gellio obseruatū, nullum verbum ambiguum dici voluit, sed obscurum. Stoicorum autem ipsorum mos atque proprietas breuiter argumēta perstringere contortiusq; concludere. Nec alia defuêre ab hoc Socratico fonte deducta flumina philosophię, sed quę vndas minus nitidas

traherent, quæq; etiam lutulentè decurrerent: huic enim & Cyrenaici & Epicurus voluptatibus dediti, ſuorum dogmatum initia libenter ferunt accepta, atq; in primis Ariſtippus Cyrenaicæ repertor ſectæ malebat diſcipulus haberi Socratis, authore Apuleio. Cynici nimiā libertatem ne temeritatem dixerim vnumquemq; adlatrandi vnde Caninum deriuauit nomen, ab eodem Socrate duxiſſe originem, ſi poſſent oſtendere benè ſibijpſis actum putarent, tantum erat Socraticorum nomen celebre ab vno Socrate in multos deriuatum. Omnes etenim philoſophorum ſectæ, vel ab earum inuentoribus conſtitutoribusq; vt Pythagoræi, vt Socratici: vel ab ipſorum authorum patria, vt Cyrenaici propter Ariſtippum Cyreneum, & Megarici propter Megarenſem Euclidem nomen accepêre: vnde miror cur Megaricorum principem Cicero Xenophontem faciat in ſecundo Academico, quando etiam ibi ab Euclide Megareo dictos poſtea fateatur: ſimilis quoq; in Eretrienſibus ambiguitas quos nominatos dicit à Zenone, Parmenide, Xenophane, mox à Menedemo qui fuit Eretrias Eretriacos appellatos: Certè Eleaticos propter Xenophanē & Parmenidem Eleaticos nominari ſolere, ſcio proditum eſſe memoriæ nō Eretrienſes. Item à loco in quo philoſophabantur manabat nomē, ſic Stoici à porticu dicti, & Academici à villa, in qua degebat Plato ab Academo heroē ſortita nomen: itē ab actu quodam intercidente philoſophantibus vt ab ambulando Peripatetici, etiam ab effectu quodam philoſophandi, qui quoniam dubiam haberent veritatem & aſſenſum cohiberent, Ephectici dicti, ijdem & ambigui nominati, & quæſitores, & Sceptici, ob conſiderationem perpetuam: ijdē & Pyrrhonij, non quòd author ſectæ fuerit Pyrrhon, vt viſus eſt exiſtimaſſe Simplicius in Ariſtotelis Categorias, vt etiam Gellius in decimo, ſed quod eius iam inuentæ & amplificator & declarator extiterit, quod apertè ſatis habetur à Sexto philoſopho in primo πυῤῥωνείων ὑποτυπώσεων. A`fine item quem ſibi philoſophantes præſtituebant denominatas conſtat ſectas fuiſſe, vt à voluptate Epicurei, itemq; à vitæ ſpecie & ſimilitudine vt Cynici: aliud enim finis eſt quem aſſequi volebant, aliud eſt ſpecies exercitationis, qua eò tendebant, neq;, vt Simplicius ait, voluptate voluptatem venebantur Epicurei, ſed laboribus maximè & continentia. Omnes deniq; ſectæ vel ab inuentoribus & amplificatoribus, & eorum patria, vel à rebus ipſis, in queis vel finis philoſophiæ poneretur, vel modus indicaretur philoſophandi cognomē ſumpsêre: A`rebus item circa quas vel ſolas, vel maximè verſaretur eorū ſtudium, ſic & phyſici dicti nonnulli ſunt & dialectici & morales. Nam Phyſicorū antiquum eſt nomē, quo & Thales, & Democritus, & Heraclitus, & alij permulti vocati ſunt. Sic & Diodorus cognomento Dialecticus, & Moralis Socrates, qua de re latiùs opere procedente. Atqui, patriæ cognomen cui multum hæret, Simplicius incertas videtur ſectas reddere. Pythagoras enim à Iamblicho alijsq; permultis Samius creditur, quē tamen fuiſſe Tyrium Neanthes prodit, Tyrrhenum verò & Ariſtarchus & etiā Theopompus, vt eſt apud Theodoritum, Syrius etiam ab Euſebio dicitur: Thaletem quoq; Mileſium pleriq; omnes volunt fuiſſe, Leander tamē & Herodotus ex Phœnicia. Finis quoq; ſectas parum diſtinguit: nam & Cyrenaici & Epicurei voluptate bonū metiebantur, quorum diuerſæ patriæ, authorum quoq; diuerſa nomina. Requiritur itaq; nomen authoris, cui ſi addatur & patria, nec alium ſibi philoſophū ea in patria cognominem ſortitus ſit, ſectas apertiùs diſtinguit: verùm ad tollendam ambiguitatem patris nomen Græci ſubſcribere cōſueuerunt, vt Socrates Sophroniſci: Ergo à Socratis nomine quoniam ab eo multæ ſectæ, multæ quoq; Socraticorum ſpecies, proprijs ſignatæ nominibus effluxerunt. Verùm Socraticus Plato Ariſtonis filius clarus iam & eloquentiæ nomine, & ſapientiæ, vbi ſectatores habuit, ij ipſi ſe non Socraticos ampliùs, ſed Platonicos vocauerunt, qui tàm multi fuerūt, tamq; celebres vt & ipſi ſectas conſtituerint: ſi quidem Ariſtoteles prius Socratis, mox Platonis auditor Peripateticam condidit diſciplinam, quoniam deambulantes in Lyceo Gymnaſio plurimùm docerentur conſectanei, & viuente adhuc Platone ſcholam Athenis habuit. Mos autem ei fuit, ſcribendi quidem ſubobſcurè, non tamen vt Plato: ſiquidem huius fabulæ & confuſanea rerum de quibus agebat diſputatio, & quaſi dicatur miſcellanea diſciplina, alibique alias repetita, & numeri præterea & magnitudines offundebant lectoribus nebulas. Illius verò ſub apertis vocabulis & eruditis, & de articulato procedendi modo, remotiſſimi ſenſus & ambigui ſpargebāt caliginem, adeò, vt ſimilis iudicaretur ſepiæ, quæ ne capi queat, atramen-

atramentum effundit, hinc libros auscultatorios, vt ipse nuncupabat, & editos esse scripsit & non editos, quoniam futuri erant ijs tantùm cognobiles, quibus & eius quoq; vox cognita fuisset.

Post Platonis obitum eius auditorium tenuit vel Speusippus, vt alij vel Xenocrates. Certè Xenocrates à Platone vel primus, vel secundus docuit in Academia villa, vnde & qui Academici dicti in multas postea familias diuisi, duas & Cicero, & Lactantius citauêre veterem & nouam: Seneca item in quæstionum naturalium vltimo libro Academicos tamen veteres & iuniores citat, alij multò plures. Nouem ego Platonicorum sectas multa diuersa legendo & obseruando (si non fallor) comperi, ab eadem villa nomen sortitas: Primam quæ discipulorum Platonis & auditorum fuerit in qua floruisse maximè Xenocratem constans fama est: secundam quę & media dicta est cui præfuerit Archesilaus auditor Polemonis: tertiam cui & Nouæ cognomẽ est factum, cuius princeps Carneades atque Clytomachus: quartæ quoq; mentio inuenitur quæ sub Philone floruerit, & Charmidæ: quintæ primordia in Antiochum referunt: alia est Aegyptia nomine cuius institutor Ammonius, alia quę Romana siue Itala, Plotini authoritate suffulta, Lycia itẽ quæ Proclo fertur accepta, addo (si placet Platonicus) eam quam Iamblichus siue instituit, siue exornauit: quanquàm non ignoro diuersè olim scriptum, quanquàm item in hac successione Platonica referenda authores omnino non conuenisse scio, quando alio modo Laërtius, alio Numenius, & Eusebius, Lactantius alio, Augustinus alio, diuerso alij, alio Sextus, alio Cicero vtatur, qui Aristotelem dissentientem re ipsa, non facit ab Academia veteri, cui etiam nouam iungit, quam dedit Archesilæ, & in eadem ratione dicit Carneadem permansisse, quæ tamen ab alijs apertè negantur, vt progressu patefiet, & de his hactenus: Nam quo pacto Academiæ inter se differant & Capite huius libri quarto paucis, & sequenti libro pluribus innotescet, cùm quid vel quæque earum, vel plurimæ de veri notione præscripserint aperiam.

Atqui Peripateticorum plures quoq; familiæ (nam ferè quisq; post Theophrastum & Neleum Peripateticæ sectæ philosophus, propriam & ipse condere sategit) adeò vt in multas partes distractũ Lyceum & quasi discerptũ, redintegrari sub Alexandro cœperit Aphrodisæo: is tantæ fuit celebritatis dũ vixit, vt plæriq; omnes Peripatetici non crederentur, nisi & Alexandrei quoq; putarentur esse, tametsi à multis posteà vexatus procedente tẽpore, vt sileam Themistium qui postea floruit, vtq; à Simplicio, ne repetam qui eorũ qui præcesserant, consectaneorum dogmata proprio perpendiculo dimẽsus est. Inde populata Græcia, & Italia, crebris Barbararũ nationum incursionibus deuastata, ad Mauros, & Arabas philosophia peruenit: A quibus mirũ est in modum cultus Aristoteles, Plato parùm, alij omnino nihil. Cuius rei causam quantum assequi coniectura potuimus, quarto huius operis libro referemus. Sed qualiscunq; illa fuerit, Arabes ipsi & Mauri nunquàm in porticu aut spatiantes disputârunt, aut quãquàm multæ in ea cellæ, sedere voluerunt, nusquàm item apud eos Scepticorum nomen, quanquàm eorum multi & ante Aristotelem, & post Aristotelem fuerunt, & eius scripta vexauerunt acerrimè, multiq; item cum Aristotele vixerunt. Scepticus enim Pyrrhon Alexandri Macedonis tempore floruit. Fuit autem Sextus philosophus sub Marco philosopho Imperatore, Plutarchi consanguineus, qui Sceptica scripsit, vt est apud Suidam in collectaneis, & apud alios, atq; is puto est Sextus, cuius meminit Apuleius: nam & à Sexto philosopho à Plutarcho Maternæ se originis fundamenta traxisse prodidit Apuleius: & in vita Marci Imperatoris atq; philosophi Iulius Capitolinus scribit Sextum Cheronensem Plutarchi nepotem præceptorem ipsius Marci fuisse: est & apud Suidam Sexti quoq; Sceptici Lybici non Gheronæi mentio. Decem & ego Sexti sceptici libros perlegi, qui etiam empirica scripsit monumenta, idemq; dictus empiricus, verùm alius à duobus illis, an alter eorum fuerit, nõ satis adhuc habeo compertum. Certè Galenus in libro de Sextis Sexti empirici Afri meminit, & in eius Isagogico Sexti etiam empirici mentio est. Atq; hinc fortasse possunt refutari qui arbitrantur illud Quintiliani in decimo huc pertinere, cùm ait scripsisse nõ parùm multa Cornelium Celsum Sextios secutum: nam quod alij legant Sceptios pro Sextios, mihi nõ facit satis, quoniam & apud Senecam Sextiorum mentio, & apud Ciceronem in Epistolarum maximè libris ad Atticum Sextij sæpè nomen citatur, & Horatius etiam scri-

bit ad Sestium, & quidem potuêre Sestij esse qui nō Sceptici fuerint, quamuis aliquis qui Sextus diceretur, inter Scepticos reponatur. Ipse quoq; idem Seneca vltimo naturalium quæstionum volumine inquit, Sextiorum noua & Romani roboris secta, inter initia sua cum magno impetu cœpisset, extincta est. At neq; Sceptica facultas noua, sed antiqua, nec Romana, sed Grȩca, nec extincta cùm cœpisset, sed diuturna. Scepticorum omnium erat nihil in alterutram partem aut affirmando, aut negando posse (vti aiunt) velis tendere, sed omnia cōsiderare diligentissimè, & omnibus qui quicquam dogmatum afferent contradicere: nulla quoq; eorum mentio qui se Electores nuncupabant, quorū partes erāt à singulis quod placebat apiū more deligere, & proprio demùm labore & opere mel coactū atq; compactū alijs gustandū tradere. Solus autē Aristoteles pro vniuersa philosophorū turba adeò celebri fama in Arabū mentibus vixit, vt qui philosophū diceret, non aliū daret intelligi quàm Aristotelē: sed enim in Aristotele quoq; interpretando multæ Arabum sectæ, ad Auicennam vsq;, & philosophum magni nominis & medicum, à quo Platonis placita præ alijs Arabibus obseruata constat. Auerrois postea ad Aristotelem interpretandum conuersus propriam cōdidit sectam, cui hæserūt ferè omnes qui in Lutetiæ Parisiorum Gymnasio primùm philosophiæ se dediderunt, à quo postea multi dissensêre qui philosophiæ simul nostræq; Theologiæ & perdiscēdæ, & in alios transfundendæ vacauerūt, quorum quantum attinet ad philosophiæ dogmata, multa dissensio, multæ clientelæ. Nam sunt qui ad alium alijs posthabitis recurrant, eumq; solum putent & obseruandum & imitandum, siue iudicio proprio, siue fama ducti & præceptorum persuasione.

Hæc ferè de philosophorum sectis multiplici ex lectione collegi, quanquàm nō me præterit aliâs, Ciceronem de sectis disseruisse, aliâs Varronem, qui dicitur ex magno numero ad paruum deduxisse, sectas, cuius rei meminit Augustinus in xix. de ciuitate Dei. Sed fretus erat Varro vna finium quos illi diuersè sibi statuissent consideratione, non autem varietate doctrinæ, aut modo philosophandi. Cicero verò per solos Socraticos diuisionem fecit in tertio de Oratore ad Quintum fratrem, quasi per dissidiū cordis & linguæ, vel nulla, vel parua eorum quæ tractauimus diuisionis habita mentione: nam veriùs eloquentiæ diuersitati quàm differentibus dogmatis, dum eos inter se dirimeret, inniti videbatur. Sed sanè & nostra, & paulò superiori ætate multitudo philosophorum vnum est Aristotelem secuta, parum fortasse gnara, nihil vnquàm inter philosophos omnes conuenisse, aliquē vnum esse præ omnibus sequendū philosophū. Plato eos qui ante se scripsêre vel deridet, vel cōfutat, Peripatetici Platonē, hos Stoici, Stoicos, alij, Epicurei alios, Epicureos alij, Sceptici omnes, quos miror ab Eusebio dici magno risu omnium explosos, qui in omnes ita acriter disputant, vt eis nō omnino facillimè resistatur. Nunc sanè, vt dixi, secta Peripatetica est in pretio, quid sectam dixi & non magis Aristotelem? in quo interpretando diuersæ sectæ, diuersi duces, quanquàm extitit Ioannes Picus Galeotti patris mei frater, qui & ingenio, & memoria, & indefesso studio, & doctrina singulari, & præcellenti inter scribendum de rebus maximis facundia, nostri temporis hominibus & admirationi fuit & stupori. Hic quod ab alijs fieri posse creditū est magis quàm probatū, & pollicitus fuerat & seruasset, hoc est, Aristotelis & Platonis dogmata conciliare, quod negocium ad prȩsentem vsq; diem multis difficillimum, nonnullis etiam supra humani captum ingenij creditur esse. Mihi autem venit in mentem consentaneum magis esse, & vtile magis, incerta reddere philosophorum dogmata, quàm conciliare, vt patruus volebat. Sequi enim in hac re malo antiquos illos ex nostra fide Theologos qui in Gentium philosophos potiùs agendum duxêre, & eorum excindenda dogmata, quàm ipsorum ex dogmatis philosophari, nonnullorum more qui seculis posterioribus doctrinȩ studia percoluerūt, quanquàm & inter hos fuerūt, q prioribus illis accesserint. Ac sanè Augustinus in literis lōgè eminentissimus apud philosophos Gentiū, nō omnia, nec etiā plurima necessariò vera, vt posteriores quidā, sed si qua vera inuenirētur, ea tanquàm ab iniustis possessoribus vendicanda scribit in libris de Christiana doctrina: & alibi tàm ille quàm alij, cùm Græci, tùm Latini nostræ religionis Antistites & disciplinæ ꝓceres idipsum fecêre, quod ex parte mōstrabitur opere procedente. Itaq; postquàm variā philosophandi genus, & varias philosophantiū sectas ab exordio philosophiæ ad nostra vsque tempora quasi obiter & in transcursu deduxi, dissensiones referam insigniores,

quæ

quæ & inter sectarum principes, & inter consectaneos, & inter seipsos quoq; viguêre, mox aduersus eos omneis dirigam stylum.

CAP. III.

QVOD PHILOSOPHI GENTIVM, NEC IN PARtienda sua philosophia, nec in colenda conueniunt.



Idimus Gentium philosophiam varijs laceratam sectis sibi ipsi non cohærere modò philosophi, ne ipsi in ea aut partienda aut colenda conueniant, & sibi ipsis cohæreant dispiciendum? ab ipsa eius diuisione capiemus initium. Philosophiæ igitur alij nullam sectionem fecêre: alij bimembrem cõstituêre: alij vniuersam diuisêre in partes treis, eorum quoq; qui vnicum tantum genus voluerunt esse, adhuc magna discordia: nam alij illud vnum voluerunt esse physicum: alij logicum: alij morale. Primæ opinionis fuêre Thales, Anaximenes, Anaximãder ex Ionico genere, ex Italico verò Empedocles atq; Parmenides, quibus consensit Heraclitus: verùm nec in hoc omnium consensus vnus, quoniam Ionici illi id omninò constans, & impermiscuum censebant esse, nõ ita Empedocles & Parmenides: ille enim, authore Aristotele de Rhetorica præcepit, & Parmenides non fuit expers Dialecticæ, cuius princeps habitus est Eleates Zeno Parmenidi notus, eodem Aristotele authore. De Heraclito quoq; dubitatum physicus ne tantum an moralis etiam philosophus fuerit, qui vnico genere fuêre contenti, sed id logicum non physicum maluerint: memorãtur ij Panthoides, Alexinus, Eubulides, Bryſſon, Dionysiodorus, Euthydemus: vnicum etiam, sed morale genus constituisse Socratem & assiduus ei, & amicitia coniunctissimus Xenophon prodidit, & Timon asseruit, in Platonem vterq; inuectus quòd & logicam Socrati, & physicam adscripserit facultatem. Sunt & qui affirment Cyrenaicos vnico eoq; morali philosophiæ genere fuisse contentos, tametsi id satis non constet, quoniã de causis etiam considerârunt & de probationibus. Ariston Chius eousq; morali hæsit, vt ab eo etiam plæraq; circumscripserit, quæ alij admittebant libenter, vt admonitiones instructionesq; sola accessione virtutis, & expulsione vitij satis esse ad beatè viuendum arbitratus. Cæterùm bimembrem fecêre philosophiam plæriq;, sed nõ eadem vsui sunt dissectione, quandoquidem Xenophanes Colophonius vniuersum illud supremumq; philosophiæ genus in physicum est partitus & logicum, morali prætermisso, quod amplexatus Archelaus Atheniẽsis ipsum à physico è regione distinxit, logici minimè memor, cui & Epicurum alij numerandũ censent, qui logicam speculationem abiecerit, alij contrasentiunt, non omnem quidem eum præterijsse rationalem facultatem contendentes, sed eam tantummodò causatũ quæ à Stoicis traderetur: quare triplicem ab eo putatam philosophiam nõ duplicem. Nec defuêre qui Cyrenaicos assererent in duas diuisisse species philosophiam, ethicã & logicam, exclusa naturali. Plato verò princeps fuit philosophiæ trifariã constituendæ, vt vnum eius genus logicum, aliud physicũ, tertium morale, & esset, & haberetur, quem & Xenocrates, & Aristoteles, & Stoici sunt secuti: quanquàm has partes alij vocârunt, locos Apollodorus nominauit, Chrysippus & Eudromus species, alij genera. Sed nec omnis omnino hac in re consensio Stoicorum: nam Cleanthes sex partes philosophiæ statuit, authore Diogene, dialecticam, oratoriam, ciuilem, naturalẽ, theologicam, moralem, quam quidem moralem Cleantes ipse & Zeno, Simplicius tractârunt: & minores illam in partes distraxerunt: Chrysippus verò, Archedemus, Zeno Tarsensis, Apollodorus, Diogenes, Antipater, Possidonius in subiectos diuiserunt locos, de appetitione, de bonis & malis, de perturbationibus, de virtute, de fine, de prima extimatione, de actibus, de officijs, de adhortationibus & hortationibus. Enimuerò quanquàm tria philosophiæ genera sunt constituta, non propterea in partium ordine vlla est communio sensuum, vlla dogmatum reperta cõsensio: nam alij à logica facultate vt Stoici, & alij putârunt incipiendum à morali, nonnulli Socratem secuti, plæriq; à physico genere vt antiquiori. Porrò in particularũ dissectione non minor, quàm in partibus orta dissensio, quando logicum genus alij ambire grammaticam & rhetoricam cum dialectica voluêre, alij vnum, alij etiam alterum excludebant. In moralibus quoq; & Plato, & Aristoteles tres constituêre particulas, quinque Cyrenaici

maluerunt, vt enim illi ethicum, politicum, œconomicum, ita hi agendum esse dicebant de eligendis & fugiendis, de affectibus, de actionibus, de causis, de probationibus, quæ duo postrema à tribus nonnulli dispescunt, & hoc dialecticæ, illud naturali adscribunt. Super quo etiam diuidundo certatur. Verùm diceret quispiam, diuersas esse vias ad philosophandum, sed nihil referre, si diuerso itinere tendant ad vnum, quod posteà nos & concorditer, & fideliter doceant. Dispiciamus igitur num pacatè & quietè nos quicquam docuerint, altiùs quàm possimus exorsi.

CAP. IIII.

VTRVM VLLA SIT VERITAS, ET SI SIT, VTRVM HABERI possit an minimè inter philosophos Gentium non conuenisse, quorum diuersissimæ opiniones referuntur, ibiq; etiam ostenditur Platonem ea de re, sectatoribus per partes particulas minutiasq; distractum atq; discerptum, pugnacissima discordia.



AT sanè inter omnes philosophorũ sectas de quibus habita mentio est, quasdam putasse comperio nihil est in rebus veri atq; certi, quasdam contrà: certè alij nihil omnino verum esse dixêre, alij verum esse quodpiam maluerũt, sed maximè pugnaciter: nam quidẽ sola intellectilia vera existimârũt, nonnulli sola sensilia, alij tàm hæc quàm illa. Xeniades Corinthius nihil dixit esse verum, quem & quidam sunt secuti. Platonici quidam & Democritij multi sola intellectilia veri nomine digna putârunt: Epicurus & alij sola sensilia. Aenesidemi sectatores inter hæc etiam distinctionem excogitârunt, verũ & illud maximè apud philosophorũ sectas & pugnax & varium, vtrum illa sit veritas aut vllum verũ: nam inter hæc duo magnã nec qualem ipsi agnoscimus distinctionem posuêre, an inquã vlla sit veritas, & si sit, haberi tamen ea possit an minimè? quando alij se posse dicebant rerum veritatem inuenire, ac iam de ijs quæ differebant se inuenisse gloriabantur, vt omnes ferè qui dogmatici nuncupati sunt. Constat alios diuersissimè putauisse, nam fuêre permulti qui veritatem inueniri posse diffiderent, nec vllo pacto fieri posse censerent, vt ea cõprehenderetur ab homine, quales qui Carneadem & Clytomachũ, Platonicos quorum suprà meminimus, secuti sunt. Alij quærunt adhuc nec in hanc, nec in illam partem inclinati, quos propterea Scepticos, quasi considerarios dixeris indagatorésve nuncupaueris: hinc tres supremas philosophiæ partes constituit Sextus: quando alij comprehendi res posse dicerent, negarent alij, quærerent alij & dubitarent. Galenus autem in libro de Philosophica historia quatuor maluit: nam præter dogmaticam affirmantem, & Scepticam dubitantem, litigiosam contentiosámve, & mixtam adiecit: sed sanè contentiosam, vocauit quam Sextus nouam Academicam & rerum cõprehensionem negantem appellârat. Namq; inter eius sectæ viros nominat Clytomachũ inter principes nouæ Academiæ constitutum. Mixtæ sectæ Xenophanem addixit & Democritum. Illum videlicet dubitantem de omnibus & nihilominus asserentem omnia vnum esse, & eundem esse Deum: hunc verò ambigentem de omnibus præterquàm de atomis, & vacuo. Sed cuínam sectæ philosophorum si priscis illis temporibus vixisset, Nicolaum Cusam addixissemus? sciri posse asserentem, negantem nihilominus quicquam sciri posse præcisè: quę omnia ille prosequitur latissimè, & in libris de Docta Ignorantia, & de Coniecturis, & de Venatione sapientiæ, quibus in libris supra rationem eleuatus cõcidere (vt eius vtar verbis) opposita existimauit, & nihil perfectè cognosci procul omni dubio sanxit.

Sed reuertamur ad antiquos philosophos, quos proprias ad sectas vetusti illi rerum scrutatores sine lite non redegerunt: nam alij Democritum inter dubitabundos, Sextus autem inter dogmaticos reponit, vti progressu operis patebit: neq; enim omnino clarum & incontrouersum de quibusdam huc ne an illuc flecterẽt, an veriùs vel litigio perpetuo, vel perpetuæ dubitationi eos quibus id internoscẽdi cura fuit addicerent: par enim circa Heraclitum quæ circa Democritum quæstio: nam fuêre qui dicerent Scepticam philosophiam cum Democritia communionem habere, quibus à Scepticis resistitur, vel ex eo quoniã asserebat Democritus & atomos esse, & vacuũ, à quibus

quibus assensum Pyrrhonij cohibebant, & contra Democritum dicerent, & pro Democrito, si quisquàm illũ falsò decreuisse putarent: quæ quidẽ disceptatio non vergit propriè ad sectas dispartiendas, sed ad hoc ipsum, haberi ne posset aliquo veritatis instrumẽto veritas. Scepticã verò sectam nonnulli Pyrrhonium, Aenesidemum, sicuti, viam esse putabant ad Heracliteam, quoniam sensisset Heraclitus & eidem subiecto inesse cõtraria & videri, hoc autẽ vltimum etiam à Scepticis admitti. Cõtrà stetit Sextus & ipse Pyrrhonius afferens contraria circa idem videri, non esse dogma Scepticorum, sed negócium potiùs, nõ modò ipsis, sed omnibus fermè philosophis cõmune: Atqui & commune esse cuilibet è medio, quoniam mel dulce sanis esse, amarũ ictericis, cui non videatur reperitur nemo, sit autẽ ita necne suapte natura, consideratione dignum esse. Verùm quoniam Heraclitus multa profert dogmata eis cõtradicunt dubitabũdi tanquàm arroganter aut negata, aut cõfirmata, sicuti & cæteris qui quicquã asserendi curam suscepêre. Cyrenaicos alij volebant Scepticis adscribi, quoniam & ipsi naturales duntaxat affectiones comprehẽdi putarent, resistunt Ephectici, voluptatem carnis & molliciem quam finem censebant Cyrenai reijciendo, & amplexando quã ipsi vocant ἀταραξίαν Latinè in perturbationem si licet interpretemur, ad quã suspensione iudicij deueniri putabãt. Præter hæc alij Platonem inter dogmaticos reponunt: alij dubitabundum censent fuisse: alij partim quidem inter eos, partim etiã inter illos reponendum arbitrantur: sicuti Permedotus & Aenesidemus: Ii causam hanc sui sensus afferũt quod Gymnasticis Dialogis vbi maximè Socrates introducitur aduersus Sophistas aut ludens, aut luctans, ambiguum videatur sermonis genus inuehere, vbi verò quicquam affert seriò & pensiculatè, vel in persona Socratis, vel Timæi, puta de Ideis, de prouidentia, vel de virtutibus & vitijs diligendis vitandisq;, tum dogmata proferat, à quibus dissentit Sextus, ipse Pyrrhonius, nullo pacto dubitabundis Platonem adscribi volens, quoniam vel vnum dogma si statuat, vel vni iudicet standúmne sit, an'ne, tùm non ambiguorum in numero, sed in iudicantium & dogmata præscribentium ordine vti collocetur existimat. Idem & Phasius Timon de Xenophane scribens perhibetur sensisse. Marcus autem Varro apud Ciceronem in primo Academico voluit Platonem nihil affirmare, contrà verò magna Platonicorum turba, inter quos etiã Apuleius & Alcinous, quorũ vterq; Dogmata collegit explicuitq; Platonica, & hæc quidém antiqui variarum sectarum Philosophi ipsiq; etiam Platonici de Platone sentiebant in vniuersum, præter Academiarum dissensiones de quibus paulò pòst dicturi sumus.

Præter id etiam quod super particularibus eius dogmatibus de Deo, de anima, de veritatis iudicio, de voluptate an bonum, an malum, summúmve bonum, summúmve malũ, an indifferens, atq; etiã de alijs quot penè capita tot sensa, vt in plærisq; palã fiet ipsa operis quod habemus in manibus lectione. Hinc quàm incerta sit Platonis doctrina, percipi potest, quę à sectatoribus, & per partes, & per particulas, & per minutias etiam lacerata sit. Sed enim quantũ attinet ad affirmationem ipsius vel ambiguitatem non defuêre Platonici qui ætate nostra aliam de eo ipso sententiam ferrent, docere illum vbiq;. Verùm inter hanc doctrinam id attulit dissidij Marsilius Ficinus, quòd quæ in epistolis, vel in libris de Legibus, vel in Epinomi siue philosopho disserit, Plato suo ipse ore, ea haberi debere certissima vult, quæ verò in libris cæteris Timæi, Socratis, Parmenidis, Zenonis, ore disputat, verisimilia. Sed tanta est in Platone varietas, vt ipsi etiam Dialogi qua de re sint compositi, adhuc certetur. Parmenidẽ de vno esse rerum principio, deq; Ideis, & Marsilius & alij scripsêre. Ioannes Picus patruus in libro de Vno & Ente Dialogum ipsum inter dogmaticos minimè reponendum censet, vt qui sit logicæ exercitationi veriùs accommodatus. Et si quis Marini Platonici dogmata qui Proclum audiuit perpendit, eum pro patruo litem dedisse facilè comprehẽdet, adstipulabiturq; ei Atticus Platonicus eo in opere qđ aduersus eos scripsit, qui postquàm Aristotelem profiterentur Platonem minimè sequebantur. Affirmat enim Zenonem, Parmenidem, & qui Eleaticæ disciplinæ professores essent, logicæ facultati tantummodò studuisse, apud Platonem verò eo in Dialogo de Parmenidis opinione & doctrina tractari quis ambigat? secũdæ Academiæ quæ & media dicitur princeps Archesilaus dissensit à primæ principibus & hæsit Pyrrhonijs adeò, vt quasi eorum consectaneus habitus sit. Numenius in libro de Academicorum dissensione, re illum fuisse Pyrrho-

Pyrrhonium affirmat, nomine Academicum, Crantoris à quo amabatur pudore, qui, ſcilicet magni fuit in Academia nominis, tametſi & Archeſilas nihil ſciri poſſe affirmaret: nec hoc ipſum nihil ſcire, quod ſibi Socrates relinquebat, eundemque à prima non differre Academia. Marcus Varro apud Ciceronem eſt author, quanquàm alij qui ſe putant acutiùs eius ſenſa diſcuſſiſſe, velint multiformem haberi Archeſilam, vt qui ad experiendos auditores ſi nodos Platonicorum dogmatum valerent diſſoluere, Scepticum ſuſcepiſſet negocium, probatis verò atq; legitimis tenenda Platonica dogmata inſinuaſſet, quapropter de eo Ariſtonis dictum afferri ſolet: Archeſilam anteriori parte quidem eſſe Platonem, poſteriori verò Pyrrhonem, at media Diodorum dialecticum videlicet illum, cuius vteretur præceptis. Clarè verò illum ipſum & manifeſtè Platonicum cenſendum eſſe Sextus confirmat, Numenius negat. Sed de eo plura libro ſequenti. Hunc ipſum Archeſilam ſecutus Carneades dicitur à plęriſq;, qui cum eo nouam volunt Academiam conſtituiſſe, neq; enim Cicero in libris quos pro Academicis edidit mentionem facit, niſi veteris & nouæ, neq; item Lactantius in tertio contra Gentes. Auguſtinus tamen in his quos ſcripſit cōtra Academicos principem tertiæ Academiæ Carneadem recipit, quartæ aut quintæ non meminit, quanquàm de Philone & Antiocho, & Plotino verba facit.

Nouæ Academiæ cui & tertiæ cognomen eſt factum, principes in eo perſeuerabāt ab alijs diſſentientes, omnia eſſe incomprehenſibilia, quæ alij certa, alij dubia iudicaſſent, cuius opinionis inuentum alij in Xenophanem referunt, alij repetunt ab Homero, Origenes videtur Ecphanto in Syracuſio tribuere: vtcunq; ſit Carneades ſi eā non inuenit certè auxit eximiè, cuius tamen ſectatores nō inaniter atq; fortuitò ſe res aggredi fatebantur: nam vt alij certa dicebant & incerta, ſic illi probabilia & improbabilia nuncupabant, cuius etiam diſtinctionis cùm alibi, tùm in ſecundo de Officijs meminit Cicero. Certa ipſi & incerta nolebant dicere, atq; per hoc non comprehenſibilia, & in eo euariabāt à Scepticis quòd quę vertebantur in diſputatione, ea cōprehendi negabant, præter hoc vnum, nec hoc quidē expreſsè, quòd certò cōprehendi ea nō poſſe comprehenderent. Ipſe verò Cicero in primo Academico Varronis ſententia Carneadis opinionē non admodum diſtinguit ab opinione Archeſilæ, vtpote cuius Academiam nouam dicat eſſe, & ita etiam in primo de Legibus & alibi, quę tamen ſolet, vt diximus, ita Carneadi attribui, vt Archeſilæ media. In ſecundo verò libro docet vtriſq; decretum eſſe, nihil percipi poſſe, quanquàm Epochen, id eſt, aſſenſionis retētionem, videtur Archeſilę qui Carneadi libentiùs tribuere, qui tamen ſimul à dogmaticis eò differebant, quòd comprehenſio illis ſine controuerſia decernebatur rerum, & multarum, & magnarum, iudicio quoq; bonorum & malorum tàm inſigniter euariabant à Pyrrhonis Carneadei, vt ea ponerent in perſuaſione, illud eſſe cenſentes bonum quod magis probabile & perſuaſibile magis, ſuoq; modo ſtatuebant malum proportione pari, cùm Sceptici ἀδοξάςως, vt ipſi dicebant, in eis penſandis dijudicandiſq; ferentur, nulla diſputatione freti, communem ſequentes vitam vſuiq; communi aſſentientes, ne omnino ſine actione manerent, quod ſeruabant in naturæ inclinationibus, in neceſſarijs affectibus, in ſuſceptione legum & morum, in artium traditione. Prætereaq; Pyrrhonij philoſophi æquales potiùs putabant eſſe phantaſias rerum earumq; conceptus, ita vt altera non eſſet altera probabilior, cùm tamē Carneadei & ceteri eiuſdem ſectę alias probabiles, alias improbabiles exiſtimarent, atq; in ipſis etiā probabilibus perſuaſibilibusq; conſtituerent gradus, vt hinc mirer me in libro φιλοσοφȣμένων Origenis legiſſe, Academicorum principem fuiſſe Pyrrhonem, à quo ſint Pyrrhonij nuncupati: diſtare enim ab illis magnoperè ſuprà narrauimus, ſed tamē minus eo mirandū, quod vetus quæſtio eſt & à multis (vt Gellius prodit) ſcriptoribus Græcis tractata, an, quid, & quantum, inter Pyrrhonios & Academicos interſit, atq; vtroſque affirmat ipſe & Scepticos & Ephecticos & dubitantes olim appellatos. Illud certè maiori dignum nota ab Origene ibidem proditum; quod primus omnium Pyrrhon rerum incomprehenſionem inuexerit: namq; ille neutiquam hoc, ſicuti nec aliorum quicquàm affirmauit, & eodem in opere ipſemet Origenes Zenophani ἀκαταληψίαν, vt eius vtar verbo, hoc eſt, incomprehenſionem primo omnium adſcribit, & eiuſdem ſententiæ fuiſſe Ecphantū Syracuſium: pòſt paulò ſubiecit, hoc eſt, veram non haberi rerum cognitionem. Miror etiā Ciceronis primo in Academico poſitū, Carneadem

nihil omnino percipi posse dicere, nihil excipiens, quando satis receptum est excepisse illum hoc ipsum, quod esset nihil, posse comprehendi. Cæterùm quartæ Academiæ cultores Philoni hærentes, censebant captatrici phantasia res ipsas capi non posse: in seipsis autem eas esse captabiles atq; cōprehensibiles, ita enim Sextus memoriæ prodidit. Numenius verò in libro de Academicorum dissensione scribit Philonem confirmasse & amplificasse dicta Clytomachi, ac se aduersus Stoicos omnibus armasse viribus, sed temporis spacio rerum veritate effectum esse vt incomprehensibilitatis opinio conuicta fuerit, Philonemq; ipsum ne transfuga videretur, redargui se magnopere cupijsse. Antiochus verò (vt Augustino videbatur) dissipatus atq; dispersus, quintam ex porticu Academiā ędificauit, in eamq;, vt est author Numenius, aliena dogmata inuexit, Philoni præceptori in plęrisq; aduersus, dicere etiam solitus, authore Sexto, sese in Academiæ spacijs Stoica philosophari, ostendere namq; sategit, se apud Platonem Stoica dogmata reperisse. Hic ipse Antiochus, vt scribitur, siue in primo Academico, siue in Hortensio (nam vterq; libro titulus est) appellabatur quidem Academicus, erat autem si pauca mutauisset germanissimus Stoicis: quare mirum in modum ab eo Sceptici dissentiunt, qui in vllam sectam vehementiùs non inuehuntur, quàm in Stoicam, in eamq; (vt Augustini verbis vtar) potissimùm Academicorum exarsit ingenium: idem quoq; Antiochus veteres à iunioribus defendere sategit, qui visus est (vt eidem Augustino contra Academicos differenti proditur) nonnullis gloriæ cupidior quàm veritatis, de cuius quidem Antiochi dogmate, multa apud Ciceronē disserit Lucullus, an syncerè? nescio: Illud certè ad calcem disputationis ei tribuit vt Carneadis minus probarentur placita: quis, inquit, apertè perspicueq; & peruersa, & falsa secutus esset, nisi tanta in Archesila, multò etiam maior in Carneade, & copia rerum, & dicendi vis fuisset? Is idem & à Cicerone introducitur dicere pingue & sibi contrarium esse, quod in Antipatrum referretur reprehensum, quod diceret consentaneum esse ei qui affirmaret, nihil posse comprehendi, id ipsum saltem dicere posse comprehendi: quando non potest conuenienter dici, nihil comprehendi posse, si quicquam comprehendi posse dicatur. Illo modo potiùs putat vrgendum fuisse Carneadē, cùm sapiētis decretum nullum esse queat, nisi cognitum, perceptum atq; comprehensum, vt hoc ipsum decretum quod sapientis esset, nihil posse percipi, fateretur esse perceptum. Proinde inquit idem Cicero, quasi sapiens nullum aliud decretum habeat, & sine decretis vitam agere non possit. Sed vt ille habet probabilia non percepta: Sic hoc ipsum nihil posse percipi: nam si in hoc haberet cognitionis notam, eadem vteretur in cæteris, quam quoniam non habet, vtitur probabili: & post paulum: tàm vera, quàm falsa cernimus, sed probandi species est, percipiendi signum nullum habemus. Plotinus & Iamblichus & Proclus primæ videntur Academiæ hæsisse magis, sed Plotinus sermonis obliquitate fretus, remotioribus verò mysterijs addicti. Proclus & Iamblichus, qui videtur etiam delectatus sacrificijs dæmonum, Porphyrium secutus magistrum, quæ tamen Plotinus anteà contempserat. Inter Scepticæ quoq; sectæ cultores quanquàm dubios in ipsis etiam dubijs nō clara consensio, quod ex ijs quæ diximus, & si alia de hac ipsa re non diceremus, colligi potest, idq; demùm concludi potest, inter sectarum principes & consentaneos siue ij assererent rerū comprehensionem, siue negarent, siue dubitarēt ambigerentq;, nullam in vniuersum intercessisse concordiā.

CAP. V.

QVOD SVPER VERITATE PHILOSOPHIAE RATIOnalis, naturalis, supernaturalis, mathematicæ, moralis, Gentium philosophi nihil attulêre certi atq; constantis.



EXijs quæ sunt allata, satis constat, super veritate haberi ea posset, an minimè? Gentibus non conuenisse. Nunc si philosophiā ipsam veritate niti putârint disquiramus, quod negocium ipse potiùs disputationis ordo postulat vt suscipiamus, quam rei ipsa natura. Nam si dissentiūt super veritate noscenda, hoc est, super ea re quæ illis summè in votis & fuit, & esse debuit: Quæ'nam ampliùs philosophiæ veritas? quæ'nam quæso erit humana sapientia? nisi

tia? nisi homines sapiant, quis fructus philosophiæ? Si amor sapientiæ & studium inefficax, & prorsus immane? quomodo aliquid se profitebuntur nosse? quomodo efficient aliquid philosophia dignum? si certum adhuc non est an fieri possit vt quisque sapiat? super qua re quæso fundabitur philosophiæ iudicium, si nulla res cõprehendi queat? vidimus supra alios aliud genus contempsisse philosophiæ & abiecisse, alijs logicum, physicum alijs, nonnullis morale tamen modò probari, quibus si liceat Esseos Hebræorum philosophos addamus, de quibus est apud Philonem (Iudæum, scilicet, non illum qui quartæ dicitur Academiæ constitutor & præceptor Antiochi) probasse tantummodò eos, & moralem philosophiæ partem, & eam quæ de Deo, & de creatione omnium perscrutatur. Rationalem verò philosophiam non existimasse ad viuendum necessariam, naturalem autem maiorem quæ ab humana capi natura posset, atq; hanc leuioribus hominibus, illam sophistis reliquisse. Vidimus item sectas omneis ad tria reductas genera philosophorum, qui docerent, & se scire affirmarent, qui docerent se scire quod nihil sciri posset, qui dubitarent, atq; etiam inter hos quis cui debeat adscribi, non est clara cõsensio, atq; has omnes discordias super ipsa comprehendenda veritate fundari vidimus. Duæ igitur partes ex tribus videntur rationalem philosophiam, quæ artem docet veri noscendi, prorsus tollere de medio, & interimere vniuersam sapientiam: nam cùm apud philosophos, quorum studium erat in veritate rerum, & noscenda, & alijs patefacienda, tùm magna sint de ipsa veritate in vniuersum, vt vidimus pugnata in ordine bella: quid de regulis quibusdam, quas niti veritate putant alij, negant alij, decernendum erit? quid posteà de ipsis naturali & morali philosophia, quas ad illas dirigimus regulas & earum perpendiculo metimur? Nã qui docent, veras putant se habere regulas, alioqui doctrina omnis aut præberetur, aut exciperetur inaniter. Qui res negant comprehendi posse hac vna re contenti, quam habere se putant, quod nihil sciatur comprehendaturq;, reliquis veritatibus nuncium remittunt. A quibus verò semper ambigitur & in omnes literaria prælia suscipiuntur, ab ijs quidem ipsa videtur subneruata vniuersa philosophia, eoque magis quod non solùm pauci, quos memorauimus, iudicium veritatis in omni parte philosophiæ omniq; doctrina sustulerunt, sed & Anacharsis, qui, vt inquit Apuleius, sapiẽs inter socordissimos Scythas natus est, & Dionysiodorus, & Protagoras, & Gorgias, & Metrodorus Chius, Anaxarchus quoq;, Monimus, Eudemonicus, prætereaq; Xenophanes, Colophonius, & Xeniades Corinthius. Nec existimes dubium tantummodò esse apud Timonem, Pyrrhonem, & Scepticorum turbam, veritatis iudicatorium, sed etiam apud illos qui illud ipsum nullo pacto sustulerunt, qui etsi in hoc concordes visi, discordes in reliquis deprehensi sunt. Nam fuêre qui illud in ratione duntaxat esse voluerint, fuêre qui in parte solùm irrationali, fuêre qui in vtraq;. Nam Thales & cæteri antiqui physici, sensu posthabito in mente veritatis iudicatorium collocârunt, atque ij potissimùm naturalem philosophiam incertam putabant, quia sensum quo res naturales cognoscuntur, incertum fallacemq; putabant: Inter quos Anaxagoras qui per excellentiam φυσικώτατος est appellatus, à quo nec abhorruit Asclepiades: sed inter eos qui mentem statuerunt veritatis iudicem, non plana consensio: nam Pythagoras, & Philolaus numerum simul cum mente iudicem creauerunt, Epicurus & Cyrenaici, & alij quidam ratione non vsi, sensum maluerunt: Heraclitus quem & Aristoteles secutus est vtrunq; asciuit ad iudicandam veritatem, atq; inter eos qui vtroq; nixi sunt, alius aliud magis atq; in primis adhibuit: nam proposuit Aristoteles sensum, vt qui pro firmo & constanti habuerit, nihil esse in intellectu hominis quin prius fuerit in sensu, alij sensui mentem prætulêre. Fuêre & qui affectibus de phantasia ortis tribuerint multùm, vt Carneades, & Clytomachus, ex Academicis, & Stoici quoq; phãtasiæ concessêre, quanquàm inter eos magna sit pugna, quæ libro sequenti spectabitur. Nec defuerunt qui non duobus contenti, sex ad veritatem adhibuerint iudicia: sed vtinam centum adhibuissent instrumenta, milleq; sagenas, ne per latiores plagas, tanquàm piscis paruulus, aut per manus tanquàm lubricus anguis elapsa fuisset.

CAP.

CAP. VI.

QVAM VARIAE SENSERINT GENTIVM PHILOSOphi de Grammatica, de Rhetorica, & Dialectica artibus, quæ instrumenta captandæ veritatis haberi solent.



VT autem per partes hoc dignoscamus exactiùs, de ipsis captandæ veritatis instrumentis agendum est, quæ quidem si examinauerimus, comperiemus vtique etiam si statutum apud eos sit haberi posse veritatem, & super ipsius iudicatorio conuenerint, & verè posse homines philosophari censuerint, dissentire tamen super instrumentis, & in ipsa etiam instrumentorum ianua confligere. Ac primum quidem illud constat, alios putasse Grammaticam artem constare, alios minimè, alios ambigere, distinxêre alij & multiplices attulêre dissectiones, ijsque omnibus contradixêre, de eius quoque definitione inter ipsos minimè constitit. Dionysius Thracius existimauit Grammaticam esse ἐμπειρίαν, hoc est, peritiam experientiámve eorum, quæ apud poëtas plurimùm versarentur. Contradixit Ptolemæus peripateticus ἐμπειρίαν non esse Grammaticam apertè contendens, cui & nonnulli assensêre, inter quos Asclepiades. At perfectam Grammaticam Chares habitum dixit esse, quo ex arte dictiones atque sensa noscerentur. Crates inter Grammaticum Criticumque distinxit, illi solam linguarum notionem, huic & omnis Logicæ peritiam adscribens. Demetrius verò cui fuit cognomen Chlorus, cognitionem dixit esse Grammaticam earum, quæ apud poëtas & apud communem vsum essent dictionum. Sed multa certè apud Grammaticos in ipsa Grammaticæ diuisione discordia, sunt qui partes eius faciant tres, alij plures. Dionysius sex: Tauriscus Criticæ artis cui & supposuit Grammaticam, tres quoque partes adnotauit, sed qui tres Grammaticæ partes fecêre, eas nominauêre artificialem, historicam, propriam: artificialem dixêre, in qua de elementis literarum, de partibus orationis, de orthographia, & quæ ijs annexa sunt præcipiatur: Hanc partem non consistere plerique volunt, literis, dictionibus, orthographiæ, etymologiæ, analogiæ, contradicentes, quorum rationes tertio libro à nobis in medium afferentur. Historicam etiam partem nonnulli condemnant, & censent instabilem, eam dixêre quidam agere de personis diuinis, humanis, heroicis, de locis, quoque puta, montibus, fluuijs fictionibusq; fabulosis: Propriè verò versari putauerũt circa poëtas & historicos, vt dignosceret quæ obscurè dicerentur & inuolutè, quæ clarè & apertè, vt demùm à legitimis adulterina dispesceret, aduersus quæ multi disputârunt, qui & reliquas omneis Grammaticæ partes pro virili sustulerunt.

Rhetoricam quoque facultatem abiecisse multos planè constat, varia quoque de ea sit ne ars an minimè disseruisse. Sic in Gorgia Plato: sic Lysias & alij manifestârunt, nam & quid sit, & quò tendat, non omnibus conuenit: Alij scientiam vt Stoici: alij non scientiam, sed artem dixerunt esse, vt Xenocrates, scientiæ abusus nomine, vice artis, more antiquo, ij scientiam benè dicendi, Aristoteles sermonum artem definiuit, Plato persuasionis artificem sermone intermedio, sed alij magis persuaderi rebus posse putauerunt, vt auro gloriæq; cupidine, & corporis etiam pulchritudine, certè & Platonis aliqui sectatores & præcipuè Clytomachus, atque Charmidas, & Critolaus Peripateticus malam artem veriùs quàm artem duxerunt esse Rhetoricam, qui assensi videntur Creticis legibus, & Lacedæmonijs, quorum etiam Ephori Spartiatam Iuuenem quòd Rhetoricam didicisset, pœnis prosecuti sunt, tantum abest vt arrogantiam Byzantij rhetoris tulissent, qui interrogatus quo pacto sese lex Byzantiorum haberet, vt ego volo, respondit. De logica etiam facultate præter id quòd eam multi sustulerunt, vt suprà satis relatum videri potest, clarum etiam apud eruditos est, partes ex quibus conflatur, à multis philosophis esse sublatas. Sic enim Sceptici neque signum, neque demonstrationem, neque inductionem, neq; syllogismum admittunt, quibus autem ea rationibus expellant, libro tertio patefiet. Vniuersam verò non secus adiecêre Empirici medici, ac ipsi logici & dogmatici philosophi accersiuerint, assensêre autem Empiricis Sceptici, quatenus eam non probauerunt, & in dogmaticos & logicos inuexerunt acerrimè. Ac videtur Scepticis assentiri Democritus dum

suo in opere quod canones vocatur, logicæ demonstratricíq;, facultati acriter contradixit, qui verò admisêre logicam alij pluribus, alij paucioribus contenti partibus fuêre: & quidam expulêre dialecticem, nonnulli eam principem constituêre, multasque illi facultates submisêre, eam Alcinous Platonicus partitus est in diuisiuam, qua genus in species, totum in partes, vox in significata, accidens in subiecta, subiectum in accidentia dirimitur, in definitiuam, ex diuisione generis per differentias in compositione generis, cum differentia proxima corrogantem: in inductiuam, vel à simili, vel à singularibus ad vniuersalia: in resolutoriam, cuius officiū progredi à sensibilibus ad intelligibilia, à probabilibus ad propositiones sine medio, à suppositionibus ad principia quæ non subijciuntur: in syllogisticam quæ vtatur & necessario syllogismo, & opinabili, & rhetorico enthymemate, & sophistico.

CAP. VII.

QVOD SVPER MATHEMATICIS ARTIBVS: ARITHmetica, & Geometria, superq; medijs Astrologia, & Musica, Gentium philosophi non conueniunt.


AT fortè inconstantes apud philosophos artes habentur à nōnullis appellatæ sermocinales, quibus tanquàm triuio nonnulli putabant iter esse ad veritatem? fortè eam in quadriuio dicent esse concorditer? fortè & amabiliter rationis quadrigis veri stadium percursuri sunt? quandoquidem hæ non artes modò liberales dignæ homine, sed & scientiæ quoque alijs omnibus certissimæ maximeque duæ illæ priores habitæ sunt, quibus vniuersa quæ à Græcis dicitur Cyclopedia, plurimùm cōsueuit honorari. Ac multi quidem à Geometria exorsi, tollere illam de medio procurârunt, sublatis omnibus quæ ipsi supponunt, nec probant, principiaque omnia, vnica negatione tanquàm falcis tractu dissecuêre, ac definitionem puncti, lineæ, superficiei, corporis, non magno (vt ipsi putant) labore sustulêre. Alij extare illa omnia, nec euanida esse figmenta planè contendunt. Quærunt alij & magna in ambiguitate versantur. Non secus de Arithmetica faciunt, atque in ipsis eius principijs apertè rixantur, Astrologiam vel eò infirmantes, quòd incertus non modò astrorum numerus, sed Planetarum, vti clarè Phauorinus asseuerauit. Sed & ambiguum est, nec in eo antiquioribus cum iunioribus vnquàm planè conuenit, quotuplex cœlum, cùm octo alij, plærique nouem, nonnulli decem apertè constituant: alij multò plures inuexerint, qua de re quinto de rerum prænotione libro satis à nobis est dictum, vt ostenderemus hanc ipsam dimetiendorum astrorum rationem incertam esse facultatem, eam verò quæ futura vaticinando promittit, vanam atque fallacem, qua de re & tertio huius operis libro multa quoque repetere conueniet. Musicæ autem facultatis exordia planè non probant multi Philosophorum, adeò vt quod ab aliquibus laudetur, vituperetur ab alijs, duplici de causa, quippe cùm inueniantur qui eam abijciant, vt inutilem & noxiam etiam adipiscendæ felicitati: quidam verò vt vanam & inconstantem suisque principijs nutabundam & vacillantem, quare subrutis principijs de medio tollere nixi sunt: quanquàm fuêre qui eam probârint, fuêre qui nec nutu, nec renutu, aut fauere, aut aduersari voluerint: quibus de rebus, ipso, cuius sæpè meminimus huius operis tertio libro, sepositus est disputationi locus, vbi & quæ contra rhythmos, tonos, pedes, harmonias, eleuationes, depressionesque musicas, & quibus etiam rationibus afferantur, quantum operi conducere videbitur, colligemus.

CAP.

CAP. VIII.

QVAM VARIE, QVAMQVE PVGNACITER DE SVpernaturalis, naturalisq́, & moralis philosophiæ partibus generalibus, maximeq́ principalibus, Philosophi Gentium senserint atque decreuerint.



AN in philosophia mathematica solùm discordes Gentium philosophi, in supernaturali verò naturali atque morali concordes? an magis in ijs bellaces pugnacesque, & super earum partibus maximè principalibus atque generalibus rixarum pleni & perpetuis litibus addicti? quantum ad genus Theologicum pertinet, fuêre ipsum qui tollerēt, sed adeò pugnaciter vt quidam & rem ipsam, & eius ex animo notionem tollendam arbitrarentur: alij notionem in hominem animis relinquebant, rem ipsam iri sublatam, non contendentes: fuêre qui hæc omnia statuerent, sed non concorditer, quando alij diuinitatem in vnum, alij in plures dispartitam deos voluerunt, & qui in vnum maluerunt, nomine non conuenêre: hinc plura apud poëtas nomina, hinc Anaxagoræ intellectus, amor Hesiodi, & Parmenidis. Contradicunt alij non solùm qui omne diuinum sustulerunt, sed & qui notionem reliquêre, vt Epicurei, & qui deorum cateruas inuexêre. Nec defuerunt qui non solùm deos & eorum curam prouidentiamq́; sustulerint, sed quibus etiam placuerit, huiuscemodi ficta omnia ad frenandos hominum animos, vti Critias Atheniensis, quique deos nihil aliud fuisse quàm homines egregios, vti Euhemerus arbitratus est. Prodicus autem Cius Solem, Lunam, fontes, flumina, & quæcunque mortalibus vsui essent, deorum habita loco dicit, quemadmodum Aegyptij Nilum propter fertilitatem regionis. Cererem quoque tritici inuentione, Dionysium vino inuento, Neptunum aquæ, Vulcanum vsu ferri mōstrato inter deos collocârunt. Democritus existimauit spectra quædam & simulachra inter mortales versari, quorum alia benefica, alia malefica inuenirentur, eisque futurarum rerum præsensiones hauriri, hos deos esse. Certè Aristoteles duobus ex locis deorum notionem hominibus inditam existimauit, hoc est, ex ijs quæ humanis accidunt animis, & ijs quæ in sublimi fiunt, quibus factum est nomen Meteorologica: sed quoniam de Aristotelis circa deos opinione satis egimus, prima eius nostri operis parte quod inscripsimus de Prouidentia Dei contra Philosophastros, & acturi etiam sumus opere procedente, propterea hoc loco nil amplius referendum puto. Aduersus autem omnes qui deos esse dicerent, Carneades vi multa disseruit, vt excitaret (inquit Cicero) homines non socordes ad veri vestigandi cupiditatem.

Sed sanè circa deos non solùm vt circa alia dogmata tripliciter bellatum, quia videlicet fuêre philosophi appellati qui eos negarent, qui assererēt, qui ambigerent, sed & in eorum quoque notione & æstimatione discordia; ac de ijs hæc etiam à Scepticis est distinctio excogitata, vt secundùm religionem, & patrias leges putarentur esse, secundùm philosophiam nec admitterentur, nec excluderentur: fuêre etiam & qui faterentur se nescire vt Simonides, & qui tempus deliberandi quærerent in cæteris liberè decernentes, vti Milesius Thales; quibus de rebus latiùs tertio huius operis libro disputabimus, atque inde colligemus quantum Christo debeamus, qui & Gentium tenebras illustrauerit, & veram de vno Deo sententiam pectoribus credentium inseruerit, & infinitis miraculis confirmauerit: Naturæ verò partes primas & maximè vniuersales, alij sustulêre, alij reliquêre, alij an relinqui tollíve debuerint, dubitauêre. Sic, an agerent res quæpiam an minimè, paterentúrve quæpiam, ita vt aliquid alterius dici causa posset, in controuersia fuit apud Philosophos: nam vel omnes, vel plurimi dogmaticorum causas & effectus attulêre, non esse autem transmutantem causam & motum, plurimis placuit, quam & nonnulli sophistæ sustulêre, non magis hoc quàm illud Sceptici probauêre. De toto quoque cui & vacuum plærique nectebant, deque modo accipiendi omne & totum, itemque de parte, inter Stoicos, Epicureos, Peripateticos, pugna. Aenesidemus autem Heraclitum hac in re secutus & idem esse, & diuersum esse, apertè totum ipsum pronunciauit. De corpore quoque non leuis omnino discordia: Item de motu, loco, tempore, generatione & corruptione, non modò viguit triplex illa, quæ est suprà à nobis sæpè citata dissensio, sed aliæ permultæ, sitne

motus an minimè: & si sit, quid sit: nam aliam alij definitionem attulêre. Cæterùm motus mutationisve sex ab Aristotele constitutæ sunt species, plures autem Aenesidemus & sectatores posuêre, sed & omnes sustulêre Parmenides, & Melissus, & Diodorus Chronus: Sceptici verò illas quidem reliquêre quantum pertinet ad ea quæ videntur & sensibus obijciuntur, hac in re à Peripateticis, Epicureis & reliquis dogmaticis non diuersi: Quantum verò ad philosophicas rationes attinet, nõ admisêre. Super loco autem & tempore non parùm multa bella pugnata sunt: nam etsi sit locus dubitant, & si sit, quid sit ambigunt: Temporis autem alia à Peripateticis, alia à Stratone Physico, alia ab Aristarcho Mathematico, alia à Democrito & Epicuro tradita est definitio, aliæ ab alijs quoque positæ, omnes autem à plærisque philosophis impugnatas multis rationibus fuisse tertio libro manifestabitur. Hinc generationis & corruptionis vim non solùm quòd mutationis continentur genere, sed alijs etiam de causis sublatam iri voluêre. Morale verò genus philosophiæ maximè ab ipsis Philosophis est impugnatum: nam boni & mali fines ducunt in controuersiam, dubitant si est aliquid à natura bonum vel malum, atque ita & qui affirment & qui negent non defuêre. De felicitate quoque non parua dissensio, ambigentibus plærisque vtrum præstetur hominibus, feliciter viuere suapte natura supposito etiam constitutoque & bono, & malo: vtrum prætereà aliqua sit ars degendæ vitæ, & si est, an possit hominibus doctrina manifestari. Sed quoniam hæc nimis fortasse in communi generatimque dicuntur, particulatim ab initio repetere non inutile fuerit, & philosophorum dogmata diuersa, de rebus diuinis, de naturalibus, de moralibus, ad vsque primi huius voluminis finem recensere: Mox harum opinionum sententiarumq; rationes diuersas, duobus quę sequentur voluminibus afferre.

CAP. IX.

QVOD GENTIVM PHILOSOPHI DE OMNIVM rerum principio differentes non conueniunt.


AT fortè qui veritatem per se capere propter dissensiones non potuerunt, nec philosophiam ijsdem ipsis in sese veritate niti putauerunt, instrumentaque non omnino vera censuerunt, & partes naturalis supernaturalisque, & moralis doctrinæ vniuersales, & maximè principales atque communes, tanquàm ipsa veritate minimè nixas abiecerunt: Nihilominus videri posset illos existimasse particularia philosophiæ dogmata non abhorrere à similitudine, veri propterea in eam communi consensu delatos, placideq; & amabiliter de illis decreuisse. At non ita esse liquido conspicietur: vt autem à summo ad imum discordes philosophorum errores deprehensuri aliquo freti ordine deueniamus, dissensiones eorum colligamus, non omnes quidem, sed plurimas atque insigniores, nec ex Aristotele solùm, Platone, Plutarcho, Seneca, Firmiano, Laërtio, Augustino, Ambrosio, & Eusebio, non eo qui versus in nostram linguam à Georgio Trapezuntio (nam diminutus & mancus adeò, vt nec tertia pars videatur esse translata) at ex Græco ipso Eusebij contextu magno in primis & copioso, sed etiam ex Galeno, Iamblicho, Sexto, Pyrrhonio, itemque Athenagora, Iustinoq;, Christianis philosophis, & Theodorito, alijsque nec tritis omnino authoribus, nec vulgò cognitis. Primùm autem nobis sese offert de primo rerum principio dissensio, & sanè fuêre qui principium quidem rerum statuerent, fuêre qui tollerent, fuêre qui in eo & tollendo, & statuendo ambigui manerent. Nam qui dogmata sese tradituros professi sunt, aliquod asserunt rerum esse principium, sed quódnam id sit, Deúsne, à rebus omnibus secretus? an mundi anima? an magis non vnũ, sed multa? Prætereaq; corpúsne sit, an spiritus? inter eos multa dissensio, qui nihil deprehendi posse affirmant, nec illud quidem primum rentur sub veri cognitionem cadere, qui verò de omnibus ambigunt, vertunt etiam in dubium, sítne principium an minimé. Sed hac in re discrimen quoque reperitur, nam Sceptici ita de principio sentiebant, vt de religione & legibus, quib⁹ sine doctrina atque, vt ipsi dicebant, ἀδοξάστως acquiescebãt: qua verò philosophi Sceptici nullo pacto, sed in alterutram partem æquis, vt ipsi autumabant, argumentis disputabant. At multi ambigebãt hac vna in re, quamuis minimè dubij cæteris in rebus manerent, ijque

ijque potiùs quàm Academici existimabant contrariarum rationum paria esse momenta. Certè & dij quoque negabantur esse, non à philosophis modò, qui & cætera prorsus abnuerent, sed ab ijs qui astruebant multa, quales fuêre Diagoras Milesius siue Melius, vt quidam, & Theodorus Cyreneus, & Euemerus, Tegeates ille quidem vt Plutarchus, vt Sextus philosophus, vt etiam Theodoretus Episcopus voluit: ex Messana verò ciuitate Lactātius producit Euemerū, cuius opus ab Ennio in nostram linguam versum est. At qui principium esse aliquod rerum fatebantur, nec numero conueniebant, nec essentia, siue natura, nec sede: nam stellas deos esse cœlestes Anaximandro placuit, ducto fortè de Aegyptiorum placitis argumento, quos Diodorus prodit primos existimasse Solem & Lunam deos esse, atque huic Isidis, illi Osiridis nomen fecisse, quos Græci fortè sunt imitati, siquidem scribit in Cratilo Plato, videri sibi primos hominum qui Græciam inhabitârint, eos duntaxat putasse deos, quos & sua tempestate multi Barbarorum Solem videlicet, & Lunam, & astra, & terram, & cœlum, quæ quidem vt viderunt cursu quodam ferri, atque, vt ille dicit, θέοντας, ab hac ipsa τῦ θεῖν, hoc est, currendi natura, θεὸς, id est, deos nuncupauisse. Democrito visum est Deum esse mentem igneam & mundi animam: corporeos esse putauit Epicurus deos, ab hominibus tamen longè discretos, sed hominum figura, quanquàm nec defuêre qui ex hominibus deos conficerent, quique non dæmones modò prauos, sed hominum vitia & morbos pro dijs haberent, aduersus quos & in Hymnis, & in libris de Prænotione rerum disseruimus. Stoici diuinam substantiam intelligibilem & igneam esse decreuêre, carentem forma, transmutari autem in ea quæ vult, & omnibus assimilem fieri, nec id omnino consonè, antiqui enim aliter, posteriores aliter decreuêre, & ipse quoque Seneca in Naturalibus quæstionibus Deum vniuersi mentem scripsit, & totum quod videtur, & totum quod non videtur, & id quod maius non possit excogitari: Sed & alij artificem quoque ignem Deum esse dixerunt, multò peccantes magis, quàm si duces aliquos antea non habuissent, de primo rerum principio rectiùs decernentes, siquidem Anaxagoras in Aegypto diuersatus affirmauit principiò constituta esse corpora & Dei mente fuisse exornata, & omnium generationes ea esse perfectas, eoque magis peccasse videtur Cleanthes, qui Solem dominari & rerum potiri putauit, si vera Cicero scribit aduersus Lucullum disputans, neque enim in huiuscemodi opinionibus referendis omnes conueniunt. Pythagoras item Aegypti spectator vnitatem principium & Deum opinatus est esse: Lysis & Philolaus Pythagorici non ita videntur sensisse: nam alter numerum ineffabilem, alter maximi, intimique (ita dixerim) numeri summitatem. Plato quoque principium rerum omnium Deum magna voce testatur, quanquàm & alios inuexit deos, quos etiam Aristoteles admisit, eorum verò supremum in ætherio supremo corpore collocauit, in ignea verò substantia Plato: sed de hac re latiùs sexto huius operis libro disputabitur.

Cæterùm Origenes opiniones refert hac in re Platonicorum varias, quando alij dicunt Platonem putauisse vnum & ingenitum, & incorruptum esse Deum, argumento eo quod in legibus scribitur: Deus quidem, vt est antiqua oratio, principium, finem, & media omnium habet: alij multos: inde id suspicati, quoniam ea scripsit verba, Deus deorum, quorum ego opifex & pater sum. Sunt etiam qui non indiscriminatim, sed propriè atque distinctè dicant ab eo appellatum Deum, illis moti verbis, & magnus quidem in cœlo Iupiter volatilem currum impellit, atque illa eius quoque verba, in suffragium vocant, quibus cœli & terræ citat genealogiam. Nec defuêre quibus placuerit constitutos ab eo plures deos generabiles quidem, sed eius ipsius voluntate immortales, propterea quæ in Timæo dialogo referuntur, & propter illa quibus dæmonum quoque naturam admittit, quorum alios bonos & salutares, alios malos & noxios prædicauit. Sed hactenus ad præsens, diligentiùs alibi. Quantum verò ad hoc primum attinet operis volumen, bene actum videtur fuisse, ne ordo inuerteretur monstrasse de primo rerum principio non conuenisse Philosophos Gentium, naturæ fretos adminiculis, opus est enim Diuino supernoque lumine & sacris, non ab homine, sed ab vno & vero Deo traditis eloquijs, in quæ vt Orpheus incidit, dum esset in Aegypto, plurium olim deorum assertor, apertissimè recantauit, vnius omnium rerum principij, vnius Dei mentionem honorificam li-

terarum monumentis relinquens. Ex hoc tanquàm fonte rerum minimè comperto, non modò rerum naturæ flumina ab ipso manantia, sed quæ ad ipsum pertinent fontem incomperta mansêre, sed & actio quoque principij eiusque cura rerum humanarum: nam quanquàm alij & ferè omnes curare Deum humana dixerunt, paucis reclamantibus, non vna tamen illud ipsum voce patefactum est, quemadmodum cùm de prouidentia Dei contra philosophastros ageremus, libro dicato monstrauimus. Sic nec de modo eum colendi vlla consensio, quæ res tum patebunt, cùm aduersus Gentium deos & falsum eorum cultum decertabimus, nunc quænam circa res naturales pugnæ philosophorum extitêre, tractandum est.

CAP. X.

QVOD SVPER CAVSIS RERVM SVPERQVE NATVRA & eius principijs decernendis, inter Gentium Philosophos multa dissensio.

ITaque ea quæ de rerum principio cùm dissereret philosophorum turba dissensit, minimè quoque inuenta est concors, de causis principijsque naturalibus præcipiens. Hic enim diuinas, ille naturales materialesque, mathematicas alius causas commentus est: nam Anaxagoras, Pythagoras, Plato, diuersè decreuerunt, nec defuêre qui vnam tantùm, & qui duas inuexerint, & qui tres accersiuerint, nec laboriosum quoque reperisse, qui tribus contenti abnuerunt cæteras, nec non quibus quatuor non fecêre satis, & præter ea concausas adsciuerint. Verùm nec sola super numero discordia: In rebus ipsis qualésne sint, & quibus appellari nominibus conueniat? adhuc magna concertatio. Nam corporeas alij, nonnulli contendunt incorporeas. Tres ducunt in medium Stoici, quarum vnam προκαταρκτικὴν vocant, aliam προηγουμένην, tertiam συνεκτικὴν, sunt & qui συνεκτικὴν admittant quidem, sed & cōcausam velint, & alias quoque, quæ si cooperariæ dicantur à quopiam, is à Græco verbo συνεργὰ non exciderit. Peripatetici duas intrinsecùs accipiunt, formam & materiam, extrinsecùs, duas agentem siue transmutantem & finem: nam qui transmutat, materiam informat alicuius rei gratia, atque vbi sese id quod agit, ostentauerit, statim proditur materia, exoritur forma, & aperitur finis. Addidêre Platonici concausas, quando & Ideas quibus informatus artificis animus excitetur ad agendum, requiri dicunt, & instrumenta quorum ope conficiat quod concepit in mente. Sed hac quoq; de re controuersia, quoniam Plato separat Ideas à materia, cui resistit Aristoteles, quem hac in re alij aliter exponunt, Xenocrati sententiæ non Platonis aduersum: ita re decernunt, nostras tantùm quæ in mente gerimus, rerum Ideas siue species, Stoicus Zenon agnouisse videtur, nec super hac re concordia, quando animæ congenitas, multi volunt, plærique verò de rebus inustas affirmant. Cæterùm Sceptici nullam agentem causam admittunt, & in reliquos inuehuntur Philosophos, quorum argumenta tertio huius operis libro explicabuntur. At in principijs naturalibus, quæ lites, quæ pugnæ dissentientium Philosophorum ipsa etiam in natura, quænam sit apertè bellantium? Alij ignem artificiosum eam dicunt, alij Deum, alij totius vniuersi vim, alij principium motus & quietis. Anaxagoras compositionem & diuisionem, alij nihil omnino, non propterea quod aut Carneadei sint, aut Sceptici, sed quia nihil ipsa per sese visa sit esse natura, nisi mensura, & mixta elementorum, vt putauit Heraclitus, alij nihil omnino principij admittendum censuêre: alij contrà, alij inter vtramque opinionem positi obmutuêre, quantum ad iudicium proprium attinet: Alioquin alienis in opinionibus confutandis vocalissimi. Ex eorum autem qui admisêre principia, alij corporea simul & incorporea, spiritalia & materialia miscuêre, Deū videlicet Ideas, materiam, quam quidem opinionem Socrati & Platoni Plutarchus inter Gentes: ex nostris Ambrosius Platoni prorsus attribuit. Iustinus martyr Platonem scribit in sententiam de principijs, sicuti & alijs plærisque in rebus varium, quando interdum tria principia posuerit: Deum, materiam, speciem: interdum quatuor, quippe qui mundi animam tribus illis adiecerit. Aristotelis omnibus iam ferè nota sentētia est, materiæ, formæ, & primę, & priuationis, quę rerū naturaliū principia constituit, vnde mirer cur

apud

apud reliquos legerim, & apud ipsum quoq; Ambrosium in primo Hexameron libro duo Aristotelem posuisse principia, materiã, & formam, speciémve, & cum ijs tertium quod operatorium dicitur, cui suppeteret, competenter efficere quod adoriundum putasset. Fortè priuationis habere mentionẽ noluit, & efficientẽ potiùs, & per se operantem causam asciuit. Zeno Cytieus ferè consensit, sed nec priuationis meminit, nec quinti corporis, cui propriam naturam propriumq; inesse motum arbitratus est, à rebus naturalibus compositis omnino diuersum, quanquàm hac in re Aristoteli, & ex Gentibus, & ex nostris multi contradixêre, vti opere procedẽte patefiet. Cùm autem nos ad præsens principia dicimus, materialia potissimùm intelligimus, saltem composita, num prima illa simplicia, quibus retulêre accepta quæcunq; fiunt philosophorum plurimi: Sed quoniam confunduntur, hæc sæpenumerò ideò non ita exactè & signatè elementa composita à simplicibus, principijs & causis dispescuimus. Itaq; qui de compositis principijs locuti sunt, alij corporea prorsus naturaliaq; exclusêre, alij naturalia tantùm admisêre non corporalia, alij corporalia quidem non naturalia, alij tàm corporalia, quàm naturalia statuerunt. Pythagoras abiectis corporibus naturalibus motui mutationiq; subiectis, Mathematica inuexit, numeros videlicet & commensurationes, quas Harmonias nuncupat, & ex ijs composuit elementa Geometrica, nam & antea vnitatem constituerat, & dualitatẽ sine termino. Mathematici quoque nonnulli fines & extremitates corporum posuêre. Straton Physicus qualitatibus duntaxat naturalibus contentus fuit. Democritus autem indiuisibilia corpora, & Epicurus atomos posuit, quas, corpora, scilicet, voluerunt esse ratione speculabilia, ingenita, infinita, perpetua, incorruptibilia, quæ nec frangi quirent, neq; mutari, quantum ad eorum attinet substantiam, per infinitum nihilominus vacuum motarentur. Euariârunt tamen eo quòd duo tantùm corporibus accidere putauit Democritus, magnitudinem atque figuram, quibus etiam pondus Epicurus adiecit. Heraclides Ponticus, & Bithynus Asclepiades posuerunt, ἀνάρμυς ὄγκυς: ij verò qui & corporalia simul, & naturalia introduxêre principia, motumq; & generationem atq; corruptionem rerum non sustulerunt, mirum quoque in modum varij. Alij vno contenti fuêre principio, sed nec quidem concordi sententia: nam & finitum, & infinitum, alteram peperit controuersiam: De qualitatibus elementorũ prodijt altera: porrò fuêre qui & duo maluêre principia, inter quos etiam Zareta Chaldæus lucem, & tenebras sub patris & matris nomine statuit, & illius calidum, esse, siccum, leue, velox: huius autem frigidum, humidum, graue, tardum: Alius tertium duobus adnexuit, alijs quaternarius hac in re placuit numerus, nec defuêre quibus grata magis quinque fuêre principia, sunt & qui sextum adiecerint. Verùm enimuerò, nec stata & pacifica magis in rei natura & qualitate inuenitur, quã in numero fuerit concors philosophãtium turba: siquidem eorum qui vnum duntaxat inuexêre principium, alius id voluit terram esse, alius aquam, aërem alius, alius ignem: pari quoq; pacto qui duo & tria simul voluêre, quænám ipsa duo, vel tria constituenda essent, simul non conuenêre. Adeoq; omnibus huiuscemodi in rebus variârunt, vt nec etiã defuerint, qui per multa quoq; materialium principia, & qui infinita commenti fuerint: Pherecydes Syrus terram dixit esse principium, Thales primatum aquæ dedit, ex qua modò densata, vt Origenes ait in libro φιλοσοφυμένων, modò rarefacta, omnia constituerentur. Motus autem ad eam promendam sententiam fuit, vt quidam putant, Homerico versu illo:

Oceanum diuum Genesim Tethymq́ parentem: vel illo magis,

Oceanus Genesim qui cunctis omnibus affert: etiam ex animalium semine, quod humidũ cõstat esse, & humido etiã ferè vtantur animãtes nutrimẽto, & quod per stygem aquam iurabatur, quarum rerum meminit etiam Aristoteles in primo libro Metaphysicorum, vel fortè Aegyptiaca illa imbutus opinione, qua Nilus credebatur Deus ex fœcunditate regionis, quæ aquæ Niloticæ ferebatur accepta. Siquidem in Aegypto diu philosophatus Thales iam senex Miletum repetijt. Anaximenes autem Milesius aërem putauit esse principium, quoniam animam quæ nos continet, aërem credidit, vniuersumque orbem spiritu & aëre contineri existimauit, cui & annumeratur à quibusdam Diogenes Apolloniates & Idæus Imereus, ac vt à nonnullis memoriæ proditum est, eis etiam adscribitur Archelaus Atheniensis magister Socratis. Sed infinitum aërem illum putauisse rerum principium, & Plutarchus

in Placitis, & Iustinus quoque martyr memoriæ produnt, eique miscuisse dicunt densitatem, & raritatem: Nec defuêre qui scripserint opinioni huic accessisse Heraclitum, nullumque aliud principium præter aërem adsciuisse: eum tamen fama constantior fulgauit sicuti & Metapontinus quoque Hippasus voluit, solùm ignem rerum esse principium existimasse, atque ex eo fieri omnia, & in eum omnia resolui, sicuti & illi quos antè citauimus, de qua & aëre prius existimauerant. In opinionem verò Pherecydis qui terræ primatum largitus est, vti à Sexto philosopho & Theodorito scribitur Theologo, concessit Xenophanes, Colophonius existimans vniuersum quidem esse perpetuum sempiternumque, sed ex terra omnia manasse, quam opinionem ab Eleate Parmenide scribit confirmatam: & quoniam libri horum authorum non omnibus noti, quia in Latinam linguam nunquàm fuêre (quod sciam) conuersi, sed & Græca quoque illorum exemplaria rarissima haberentur, placuit ne noua hæc videretur de primatu terræ sententia, tàm Philosophi, quàm Theologi verba Græca subscribere. In tertio itaque libro πυῤῥωνείων ὑποτυπώσεων Sextus ita scribit: Φερεκύδης μὲν γὰρ ὁ σύρος γῆν εἶπε τὴν πάντων εἶναι ἀρχήν, idemq; in nono libro πρὸς φυσικοὺς cùm dixisset alios existimasse rerum elementa corporea esse, alios putasse incorporea, eorum explicaturus dogmata, qui corporea censuissent, hisce verbis vsus est: Φερεκύδης μὲν ὁ σύρος γῆν ἔνεπε πάντων εἶναι ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον. Theodoritus verò in libro aduersus Gentes secundo, in quo de principio disputat, ita prodit: ξενοφάνης δὲ ὁ κολοφώνιος τὸ πᾶν ἀΐδιον ἐκ δὲ τῆς γῆς τὰ πάντα· καὶ παρμενίδης δὲ ὁ τούτου ἑταῖρος ὁ ἐλεάτης ὡσαύτως τὸν δὲ τὸν λόγον ἐκεράτυνε, Xenophani quoque terræ opinionem adscripsit Sextus Empiricus, verùm adiecit & aquam. Idem Theodoretus in libro cui de Materia & Mundo titulum fecit, Xenophanis mentionem habet, qui putasset mundum sempiternum esse, & vnum, & immobilem, mox tanquàm oblitus, ex terra nasci omnia dixisset, eiusque ipsius hoc affert carmen: ἐκ γῆς γὰρ τὰ δὲ πάντα· καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ. Anaximander Thaletis auditor vnum & ipse principium commentus est, sed infinitum eum maluit quàm finitum: Rheginus autem Hippus & aquam, & ignem miscuit. Oenopides Chius, ignem & aërem. Parmenides ignem & terram. Onomacritus in Orphicis tria connexuit, ignem, aquam & terram: Tribus ijs & aërem adiecit Empedocles, quem & Stoici, & Peripatetici secuti sunt. Verùm traditur eum putauisse ramenta quædam minutissimaque corpuscula præextitisse quatuor elementis, quæ quidem ramenta atque minutiæ Heraclito quoque feruntur acceptæ, quanquàm Empedocles quatuor principijs corporeis incorporea duo præfecit, amicitiam atque discordiam, quibus actio & generatio ferretur accepta. Quintum verò corpus elementis præfecit Aristoteles, vt eorum inde virtus penderet gubernareturque. Innumerabilem porrò turbam principiorum materialium Anaxagoras inuexit, quibus ὁμοιομερῶν, hoc est, similium particularum nomen & ipse constituit, & Diodorus qui cognominatur Cronus minima eaque indiuisilia corpuscula commentus est: atque hæ de principijs diuersæ pugnantesque sententiæ sat fuerint, ne altiùs à Moscho Phenicio viro opiniones repertam antiquiores, quando eas duxisse ab illo originem Possidonius voluit, quem existimo eum fuisse, cuius meminit Iamblichus in primo de secta Pythagorica. Sed Mochi non Moschi facit mentionem, cùm scribit Pythagoram in Phœnicia cum Hierophantibus & Prophetarum filijs, & Mocho Physiologo diuersatum. Origenes verò Diodori Eretriensis, & Aristoxeni Musici testimonio scribit ad Zaretam Chaldæum iuisse Pythagoram, & ab eo hausisse multa. Sed de his hactenus, alias ad controuersias properandum est.

CAP.

CAP. XI.

DE CONSTITVTIONE MVNDI ET FINE, DEQVE EIVS *vnitate, magnitudine, & figura: deq; materia, & forma, quàm varia quamq; pugnantia prodantur à Philosophis.*



HAnc qua ambimur vniuersi machinam, quam mũdum, ab ornatu, à figura, orbem veteres appellauêre, cuiq; (vt inquit Plutarchus de placitis disserẽs Philosophorum) Primus Pythagoras ab ordine, Cosmi nomen instituit, num fortè Philosophi nos docebunt vnanimi cõsensu, pace iam inter eos constituta? minimè gentium, maiora etenim semper inter eos prælia, nulla pax, nulla consensio: nam alij Dei prouidentia constitutum volunt, vt Pythagorici, vt Platonici, quanquam sunt qui censeant Platonem Pythagoricos secutum, nõ ita prorsus existimasse. Alij ne hoc, nec illud prorsus, sed mixtum quasi dixeris quidpiam ex prouidentia & casu, siquidem & Atticus, & Plutarchus Platonici ordinem mundi habuisse principium existimant, sed præfuisse inordinatum motum ab anima praua & informi exagitatum, tanta est de Platone in omni penè quæstione, quid senserit excitata controuersia, vt & diximus, & latiùs dicturi sumus. Certè Dei prouidentia constitutum iudicant quicunq; Mosaica & didicerunt, & sunt secuti, eundemq; ipsius voluntate nunquàm existimant esse desiturũ, quanquàm ex se quidem disperire possit atq; corrumpi, sic & antea Pythagoram putauisse, Plutarchus est author, sic voluisse Platonem, eius dialogus qui Timæus inscribitur, satis aperit. Timæus autem ipse Locrensis quem eo in opere Plato magno studio consequitur, Pythagorẹus fuit, & eius quoque de mundo extat ad hunc diem liber idiomate Dorico conscriptus, & quanquàm apud vnum quòd scientia Tertullianum in Apologetico obseruaui hoc mundi corpus existimatum à Pythagora innatum (vt eius vtar verbis) & infactum, tamen alij de eo aliter prodidêre, & à Platone explicatam eius fuisse sententiam dixêre. Ambrosius in primo Hexameron scribit Platonem putauisse materiam increatam, & sine initio, ex qua mundum Deus non tanquàm creator, sed tanquàm artifex constituerit. Varro sanè inter initia secundi rerum Rusticarum libri de Origene rei pecuariæ dum differit, affirmat Pythagoram & Aristotelem putasse animalium principium extitisse nullum: contrà verò Thales Milesius, & Cytius Zeno: Sed multi certè factum putârunt, nec inter eos defuerunt qui existimârint illud ipsum corrumpi defectu nutrimenti, quæ opinio risu ne magis an exibilatione digna, an potiùs silentio non satis dixerim: fuêre enim qui vaporibus ali astra cœlumq; prodiderint, Stoici conflagrationem & purgationem mundi huius futurum accipiunt, sed non consonè, quando alij totius, alij partis dicunt fore, atque ita per partes purgari & renouari, & tanquam resurgere: Ij ipsi quoque fatum esse contendêre, idque explicârunt exemplo canis super curru alligati, qui si vult, sequitur, si non vult, cogitur: alij ipsum fatum negârunt, prouidentiam tantùm admittentes, visum & aliquibus est, vtrumq; dari oportere: sed inter hos pugna, quando non satis conuenêre quomodo inuicem se haberent, & cui plus dandum tribuendumq; esset.

Redeo ad mundum quem concursu atomorum, alij & fortuitò factum eundemque interiturum putant, alij Aristotelem secuti nullum habuisse principium, nullumque finem habiturum autumant cœlum & elementa, idque certissimis putant se demonstrationibus confirmauisse, hoc nixis fundamento, quod alioqui motus antequàm vllus esset motus fuisse deprehenderetur. O` rerum inopes & rationis egentes, quasi per motum Deus cœlum, & quæ eo clauduntur, condiderit, & non eius voluntate manauerint, vt nostra, & credit, & optimè credit Christiana religio. Qua de re vltimo Operis libro, cùm in Aristotelis dogmata disputabimus, sepositus est locus ad differendum. Atqui mundum Dei prouidentia existimant conditum philosophi, eademq; regi putant, non conueniunt omnino, quandoquidem alij Deo summo, alij menti propinquæ id tribuunt, diuerseq; pro Idearum opinione diuersa, qua de re secunda operis nostri parte, quod inscribitur de Prouidentia Dei contra philosophastros multa ipse disserui. Certant & ij qui mundum constitutum volunt, non æternum, vnde scilicet: nam cœperit eius exordium? quod primo initium, primo susceperit ortum? & qui chaos prẹcessisse mundum voluerunt, ex illo, aliud alio in primis trahunt. Empedocles ætherea primùm secreuit, inde ignem, terram postea, demùm scaturiuisse

turiuiſſe aquam voluit,ex qua ſit ortus aër, & cœlum conſtitutum quidem ex æthere, Solem vero de igne prodijſſe, at humiliora & terreſtria de alijs eſſe conflata. Zareta Chaldæus is, quem Pythagoras audiuit ex luce & tenebris tanquàm ex fœmina & viro mũdum generauit,quem eſſe voluit idem quod natura & muſica harmonia. Nonnulli à terra tanquàm à centro putauit initium fuiſſe deſumptum. Plato viſibilem quidem mundum ad exemplum intelligibilis conſtituit, eius verò quod videtur animam: Mox & corpoream eduxit molem, ex igne, & terra, exque aqua, & aëre conſtitutam. Pythagoras à primis corporibus, ſed ſua ipſe corpora, Mathematico immergens pelago, ex quinque figuris στερέων, id eſt, ſolidorum fabricat mundum, ex pyramide ignem extrahit, aërem ex octangulo, ex vigenangulo (ita dicere liceat) aquam, terram ex cubo facit emergere, dodecangulo ſphæram machinatur vniuerſi? Cuius opinione delectat & Pythagoreus Timæus & Plato, idem pelagus proprio nauigio ſulcârunt.

At qui de eius vnitate & magnitudine, quanta viguit inter Gentes concertatio? Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Parmenides, Meliſſus, Heraclitus, Zeno Cytieus, Cratetis diſcipulus, & Stoicæ ſectæ princeps, & alij vnum eſſe decernunt, maximeq; Ariſtoteles & Plato, quanquàm eorum argumẽta, quibus id probare conati ſunt, diſſoluere conentur multi, vt operis decurſu patebit. Anaximander verò & Anaximenes, & Archelaus, & alij, vno minimè contenti mundo, multosque ædificârunt. Sic Diogenes & Leucippus, Democritus quoque & Epicurus innumerabiles fabricârunt, atque ille quidem infinitos & magnitudine inter ſe differentes adeò, vt in aliquibus eorum, neque Solem eſſe dixerit, neque Lunam, in aliquibus autem maiores inueniri, quàm quæ apud nos viſerentur, ſed in quibuſdam eorum plures eſſe Soles: Diſtare autem inter ſe ſuos mundos inæqualiter ſanxit, quorum alios augeri (vt refert Origenes) alios minui atque corrumpi decreuit. idque euenire cùm alius in alium inciderit, eſſe verò quoſdam mundos animalibus deſtitutos, & plantis, & omni humore vacuos. In noſtro autem hoc quem incolimus, terram priùs fuiſſe quàm aſtra. Et ſanè Metrodorus, non ſecus abſurdum putauit vnum tantùm in infinito mundum collocari, ac ſi magno in campo vna duntaxat frumenti ſpica naſceretur: porrò quod attinet ad magnitudinem finitum alij dixêre, Meliſſus, Mileſius, & alij infinitum, nullisq; terminis clauſum putârunt: primæ opinionis Plato & Peripatetici, ſecundæ Democritus, Epicurus, Seleucus: At Diogenes infinitum quidem eſſe vniuerſum, mundum verò clauſum terminis affirmauit, diſtinctionemque inter mundum & vniuerſum excogitauit, etiam Empedocles, cùm mundum quidem vnum duntaxat cenſuit, totius verò, ſiue vniuerſi eum eſſe portionem per exiguam, vel alterum horum, vel vtrumque videri multis poſſet imitatum eſſe Stoicos: nam quidam putant pro infinito à Stoicis habitum eſſe πᾶν, ab alijs contrà ſentitur: certè πᾶν quod vacuum exiſtimant & infinitum, cùm Democritus tùm ſectatores, & abnuunt Stoici, & deridet Empedocles, & confutat Ariſtoteles: quanquàm Straton partim ijs, partim conſentit illis: nam extra mundum nihil eſſe vacui cenſet, intus verò vt ſit non prohiberi, ſed de ijs poſteà.

At de mundi quoque figura multa quidem & pugnax opinio, ſphæricum plerique philoſophorum & maximè Ariſtoteles & Stoici eum volunt eſſe, alij minimè. Nec inter hos ſenſuum communio. Nam ſunt qui pomi ſpecie malint, ſunt qui in coni figuram putent fabrefactum, alij oui magis placuit figura, ſed Epicuro ſuos mundos ſphæricos quidem eſſe gratum fuit, non diſplicuit autem & alijs quoque figuris eſſe formatos, nec defuêre Philoſophi qui de figura mundi tantas non excierint lites, modò is rotæ inſtar volueretur. Sed nec vltima de eius materia fit quæſtio, quam alij putârunt aquam, alij ignem, alij mixtam quandam ex elementis naturam: nam qui principia rerum fecerunt elementa, ex ijs vniuerſum quoque mundum conflari exiſtimârunt, alij vnam duntaxat materiam priorem elementis cogitatione ſaltem conſtituerunt, quæ illis ipſis ſicuti cæteris, quæ illorum mixtione & coagmentatione conflantur & coaleſcunt, veluti baſis quædam communis & antiqua ſubſternatur, atque inter hos etiam lites & prælia: diſquiritur enim perpetuáne ſit, an condita? vnáne an plures? eædemq; illã circumplectuntur ambiguę Philoſophorum ſententię, quę & mundum etiã ipſum arbitratu diſſono variârunt, & ꝑtereà nõ parùm

multæ

multæ consurgunt extrinsecùs,sunt qui eam ipsam tribuant elementis duntaxat ab ea verò & cœlum, & superiora omnia corpora gyro agitata perpetuo prorsus eximant, vt immunia materiæ susque deque sint modisq; omnibus expertia, sunt qui vnam omnibus in corporibus collocandam existiment materiam, nec hoc etiamnum consonè & amabiliter: nam literaria suscipiuntur prælia,eiusdémne rationis & naturæ sit an diuersæ ea, quæ in superioribus, & quæ in imis corporibus inuenitur. Ad hæc super dimensionibus materiæ certatur, interminatæ ne sint, an terminum susceperint aliquem, neque in hoc pugna finitur: contendunt enim actum ne habeat aliquem ex sese, an mera sit potestas, quæcunque sit recipiendi, & omnibus quidem apta vestiri formis, quantum verò ad nudam eius essentiam pertineat, omnis actus expers & vacua. Dices hæc etiam inter Auerroëm, & nostros Theologos esse iam pugnata in ordine bella, de cœli, scilicet, materia & de dimensionibus, superque eadem causa inter Thomam & Scotum, & Aegidium dissensiones viguisse, & adhuc esse sub iudice lites, quando super ipsius actu materiæ Thomæ & Scoti sectatores non conueniant, nec duplicis actus discretionem efficere potuisse, vt controuersia tolleretur: Fateor id quidem.

Sed vndénam hæ manârunt discordiæ? Certè non ex Moyse aut duodecim Prophetis quòd meminerim, nec quod sciam ex Euangelio: At ex Philosophis Gentium prodiêre, præsertimq; de Peripateticorum doctrina fluxêre, qui adeò locuti sunt ambiguè, vt eorum ex dictis quisque propriam confirmare sententiam sategerit. Nonnihil tamen hac de re Theologos veteres egisse omnino non negauerim, sed parciùs, vt qui alijs in rebus quæ ad humanam pertinent salutem, & in primis ad Dei ipsius amicitiam consequendam, occupatiores fuerunt, adeò, vt Ambrosius ille magnus, dum in opere, quod inscripsit Hexameron, sermo incidisset de loco, & de sede elementorum, quæstione videlicet iam trita, & tàm ipsis discussa veteribus, quàm quæ maximè, eam tamen reiecerit ex proposito, vtilioribus vacaturus: Sed videbor fortasse in nostri temporis homines inuehere, qui in illis occupantur euentilandis, quare ad Priscos Gentium Philosophos reuertor de materia variè difformiterq; præliatos. Thales enim, & Pythagoras, & Anaxagoras, & Heraclitus, & Stoicorum turba vertibilem & transmutabilem eam putârunt esse. Democritus verò, & Metrodorus, & Epicurus eam nec pati quidem voluit, quia atomi & vacuum sint (ita loquar) impassibilia, & eam quidem alij cum mundo factam, alij æternam, vti & Paripatetici & Platonicus Xenocrates. In forma etiamnum discernenda inuenti non sunt inermes Philosophi, forma, inquam, non figura, qua extrinsecùs vel in orbem, vel in conum, vel in oui speciem, aut pomi, putetur conditus mundus: ea enim forma quæ dicitur, veriùs figura aduentitia est, vtpote qui accidat eius essentiæ iam constitutæ: propriè enim ea dicitur forma, qua res id ipsum quod est acquirit: hanc formam alij animam esse dixêre, cæteri animam sustulerunt prorsusque negauerunt inesse mundo: Alij adeò bicipiti sensu locuti sunt, vt ad hanc diem super aliquorum verbis philosophorum certetur, qui duobus fermè annorum abhinc millibus sua sensa literarum monumentis prodidêre. Nec desunt inter Theologos lites hac de re motæ, quoniam Philosophos Gentium legerunt varia decernentes. Creditur enim à multis Platonem existimasse mundum esse animal. Alij Aristotelem eiusdem putant esse sententiæ. Contrà stant multi nullo pacto consentientes ab Aristotele esse mundo animam tributam, ex Theologis qui Parisienses appellantur. Thomas Aquinas excellenti viri iudicio mundum negat animal esse, asserit multis rationibus Aureolus, quibus resistitur ab ijs qui à Thoma stant: ex antiquis autem Theologis Hieronymus super Ecclesiastæ Salomonis animatum Solis orbem videtur voluisse: Sed nostros ad præsens non discutiamus, Gentium sensa depromentes, cùm ex ijs qui mundum quoque animatum putârint, sit discors sententia, quænam illa sit anima, quam alij Deum putant, alij substantiam quidem præcellentem, & intellectilem, sed multis à prima mente gradibus pendentem, in qua, scilicet, reponantur Ideæ rerum efficiendarum. Alij primùm quidem mentem, sed ab vno & summo Deo creatã mundo præficiunt, cuius etiã prouidentia putãt administrari. Sic inter Plotinũ, Proclũ, Platonicos, de mũdi forma discordia, quã & de toto quoq; vniuerso quantũ ad cõstitutionẽ, & finẽ, & magnitudinẽ & figurã, & materiã, inter p̃clarissimos philosophorũ viguisse iam constitit,

constitit,qua contemplatione sequestrata, spectandum nobis occurrit vtrum in partibus mundi, & effectibus constituendis decernendisq; ita discordes Philosophi deprehendi queant, vt in ipsa iam vniuersitate controuersos pugnacesque deprehendimus.

CAP. XII.

PHILOSOPHOS GENTIVM DISCORDITER ATQVE pugnaciter tàm de mundi partibus supremis, cœlo, stellis, atq; omnibus, quæ in sublimi generantur, quàm de imis & etiam subterraneis, eorumq; motibus disseruisse.


C primum quidem cœlum mundi partem nobilissimam, atq; supremam in multas lancinant partes, nec omnino concorditer. Nam alij octo, alij nouem, alij plusquàm triginta, etiam & quadraginta constituêre, atque his Aristoteles de Methaphysicis agens assentit, potiùs ad Calippum, scilicet, se referens & Eudoxum, quàm vt curam inuestigandæ rei ne dum comprehendẽdæ susciperet. Mitto epicyclos illos, siue globulos, maioribus, vt quidã existimant, globis insertos, vt quidam minimè, tamq; id variè & pugnaciter, vt Auerrois controuersias eiusmodi componere iuuenis confisus, desperauerit senex. Cæterùm eorum in ordine sanciendo nullus apud philosophos ordo. Plato post sphæram non errantem statuit quidem errantium syderum globos, primò Saturni, mox Iouis, inde Martis, postea Veneris, deinde Mercurij, deinceps Solis, postremò Lunę. Contrà verò & Anaximander, & Metrodorus, Chius, & Crates, supremum omnium atque extimum fecêre Solem, deinceps Lunam, & Metrodorus, & Crates, & Anaximander ordine posuerunt, postea verò & immobilium sphæram stellarum & reliquos Planetas: Aristarchus autem post sphæram stellarum non errantium Solem, id est, primùm Planetarum & supremum collocauit: Veteres quoque Mathematici hac in re varij atque diuersi: nam alij medium Planetarum Solem constituêre, id ipsumque probauit Ptolemæus: Lunam verò inter eos postremam sedem obtinere maluerunt. Alij verò secuti Aegyptios & imitati Platonem & Aristotelem, citimam quidẽ fecêre Lunam, sed super illam nullo intermedio Solem collocârunt, quam opinionem & ex iunioribus Mathematicis nonnulli refutato Ptolemæo sunt amplexi: Attamen Alpetragius (quanquàm non ex Gentibus fuit, sed Christianum se esse professus est) nec hoc, nec illud approbauit: Solem enim non in medio Planetarum statuit, non etiam supra Lunam primum voluit esse, sed proximè supra Mercurium, ita vt Venus Sole superior, & inter Planetas media censeretur. Nec defuêre qui trium superiorum ordinem prorsus incertum pronunciârunt, cuius rei & Picus patruus in nono aduersus Astrologos, & ipse in quinto de rerum Prænotione, & in quæstione de Astrologiæ falsitate meminimus, & hac de re etiam opere procedente sepositus est nobis locus aduersus Astrologiam disputandi.

Nunc ad antiquos Philosophos nostra reuertatur oratio. Democritus & Leucippus, quasi quadam veste induit & membrana obduxit mundum, Parmenides anteà quasdam circumplexas coronulas ex denso & raro fabrefecit, ac lumine & tenebris temperauit, & imposuit orbi: Ita tamen vt quod ambit cætera, ceu murus firmum esset & solidum. Epicurus ex suis mundis aliquos raro terminauit, aliquos denso, quorum alijs motum, quietem alijs, elargitus est, quo de motu quanquàm in gyrum fieri plerique omnes consentiunt, non tamen in modo conueniunt & causa. Nam Diogenes & Anaxagoras ad Meridiem verti voluêre, quorum opinioni, siue ea ipsa freti, siue rationibus, & obseruationibus moti quidam iuniores Mathematici consentiunt, latitudinis motum introducentes. Verùm & Planetas contrario quoque motu ire ac supremum faciat cœlum primus, quòd scientia Alcmeon dixit, postea multa & Philosophorum & Mathematicorum turba secuta est. Illi idem sua sponte moueri orbes, alij mentibus à materia seiunctis motum ferri acceptum voluêre. In dextra quoque & sinistra mundi minimè concordes: Orientis etenim regionem dextram & esse, & haberi debere: Occidentis verò sinistram sanxerunt, Pythagoras, Plato, Aristoteles. At dextras partes tropico æstiuo: sinistras autem hyberno tradidit Empedocles, nec defuêre, quibus modis placuit à summo ad imum fieri.

Iam

Iam nec maior in ipsa rei natura & essentia, quàm in numero & ordine consensus apparet. Alij igneos putârunt, alij chrystallinos, alij nullo pacto quatuor elementorũ essentiæ participantes, sed quintæ cuiusdam naturæ propriæ, & ab inferioribus omnino seiunctę, cuius sententiæ primus author perhibetur Aristoteles, ita vt calorem ipse in sese suaq; forma non cõtineat, sed sua virtute calorẽ inferiorib. corporib. impartiat. Democritus verò Solẽ nullo modo calidã habere naturã affirmauit, authore in Stromatis Plutarcho. At in stellis & Planetis fortasse concordes putaueris, Solem & Lunã igneas nubes esse putauit Xenophanes, Solẽ ex paruis conflãs igniculis, & vnoquoq; die illũ fieri nõ negauit. Thales verò terrestres cẽsuit, & ex terra quoq; illos fabricauit Anaximenes. At qui nec in figura concors sententia, sphærica esse Aristoteles voluit, & naturã quinti corporis habere: Heraclitus in scaphæ speciẽ formatum, Solem maluit & Lunam: nec defuêre qui curruli rotæ similia fecerint. Anaximenes latũ esse Solem, & veluti aulea quædam, extentum affirmauit. Alij Lunam cylindri forma conditã statuerunt. Maluit Diogenes esse hederaceæ frondis specie, & Philolaus Pythagoricus chrystallina, ex igne tamen qui in vniuerso est, splendorẽ assumere. Existimatum est à Platone plurimum quidem ignis habere Solem & Lunam, non tamen esse aliorum elementorũ expertia. Sanè Lunam Anaximenes & Parmenides, & alij ex solo igne conflârunt, Pythagoras petrosum corpus arbitratus est esse, Heraclitus terram caligine comprehensam; Anaxagoras & Democritus præter ea quòd firmamentũ eam voluerunt esse igneum, in ipsa etiam & campos constituêre, & mõtes & valles, vt iam nihil ferè videantur, aut parùm à fictis Luciani discrepare fabulamentis. Certè Xenophanes (vt est apud Ciceronẽ & alios) habitare dixit in Luna, eamq; esse terram multarum vrbium & montium: & Pythagoræi quoque nonnulli Lunam instar eius quam calcamus terræ inhabitari quidem existimârunt, quòd ipsa etiam terrestris & densa videatur. Sed animalibus & arboribus quinquagies maioribus, quàm ea quæ apud nos conspiciuntur. Astrorum verò multitudinem terrestrem & ignitam existimauit Melesius Thales. Sed & Anaxagoræ placuit terrestria quidem esse astra, sed petras antea fuisse, quæ ex vniuersi rotatu in sublimi raptatæ sint, & inflammatæ affixæq; cœlo, astrorum nomen obtinuerint, quam sententiam confirmauit Democritus, nec displicuit Metrodoro, Solem etiam ex ignita petra fabricanti: ex aëre autem illa fabrefecit Anaximander & rotę instar egit in gyrum, & impleuit igne, vt quibusdam quasi buccis flammas emitteret. Diogenes etiam respiracula esse voluit, & hederæ figura donauit; illud adijciens aliqua in terram quandoq; delabi sydera, quę vbi extincta fuerint, inde conuinci petrę habere naturã, refertq; testimonij loco fuisse compertũ ἐν αἰγὸς fluẽtis, inflammatũ quondam sydus cecidisse. Empedocles fixorũ syderum naturam eò distinxit aberrantium conditione, quòd illas tantùm chrystallo colligauit. Atqui Plato quæ de Sole eadem & de Luna sensit: idẽ & Aristoteles. Porrò Xenophanes ex ignitis ea nebulis conflata confirmauit, subdiditq; interdiu extingui, noctu tamen carbonũ instar inflammari, atq; luminis & orientis initium, & decũbentis finem, accensioni & extinctioni refert accepta. Nec defuêre vt Heraclites & Pythagoręorum nonnulli, qui vnumquodq; astrũ putarent mundũ, quo & aër & terra contineretur, & sphęrica plurimùm figura constare, à quibus non vsquequaque dissensisset Anaximenes, cui placuerat esse sydera clauorum instar affixa chrystallo. Alij maluerunt esse tanquàm aulæa picturata. Cleates Stoicus coni speciem vnicuiq; syderi tributam voluit: vt minus nunc mirer Petrum Apponensem, qui narrauit stellas magnitudine sacci, à quibusdã nautis visas & obseruatas, sed minus iterum mirarer, si figura sacci non magnitudine dixisset, ne fabulosis veriùs quàm sapiẽtibus Philosophorum opinionibus videretur adstipulari: quoniã & Solem Heraclitus pedalis existimauit magnitudinis, & alij palmæ noluerunt excedere quantitatem Lunæ ipsius diametrum, cuius tamen circulum Anaximander decies & nouies terra maiorem existimauit: Parmenides verò Soli æqualem: at Anaximander Solem quidem æqualem terræ, circulum verò quo respirare ipsum voluit & ferri, septies & vigesies terra maiorem esse decreuit. Empedocles autem terræ prorsus æqualem, Anaxagoras Peloponesso composuit, & maiorem etiam existimauit. Sed fortè concorditer vnum esse decreuerunt solẽ? Neutiq; id quidẽ, Xenophanes multos Soles, multasq; commentus est Lunas, vnde & rationem voluit eclipsis reddere, quã primus Anaxagoras interuẽtu Lunæ fieri duxit, eũq; posteriores

sunt Mathematici secuti, quem successor noluit Anaximãder sequi, qui defectus causam retulit in ignei, quo respiraret oris obturationẽ. Heraclitus versa illa, quam imaginatus fuerat, figura scaphæ subtilissimam reddidisse rationem putauit, vt cauũ quidem supra, dorsum autẽ infra nostros ad aspectus verteretur. Xenophanes extinctione credita, quærentibus fieri satis, illa ipsa putauit. Aristarchus post fixorum syderum sphæram collocato Sole, & versa circum Solis globum terra, putauit orbem Solis eiusmodi reuolutionibus obtenebrescere.

Nec maior in defectu Lunæ consensio: nam vt Heraclitus conuersa scapha eum fieri voluit, ita Berosus conuersa ad nos parte quæ ignea non sit, id maluit euenire. Anaximenes obturato ore quæ circum rotam sit constitutum. Plato, Aristoteles, Stoici, menstruas occultationes in eius ad Solem congressum referunt: defectus verò illius quos Græci Eclipses vocant, ad nos deriuari, quotiens ea in terræ vmbram inciderit. Illius quoq; lumen proprium esse voluit Anaximander & Antiphon quãquàm rarius & ob maiorem Solis illustrationem ita dixerim obumbratius: Thales atq; etiam Parmenides & qui eius doctrinã secuti, illustrari à Sole maluerunt non obfuscari. Anaxagoras idẽ non sentit, sed in causa putauit esse frigidi & terrestris, nescio cuius compositionẽ, vnde igneo splendori tenebrosum quidã misceretur, indeq; euenisse vti vocaretur astrum fallacis aspectus. Stoici quoq; diuersitati naturę id ipsum ferri acceptum voluêre: distare autem illam à Sole semel atq; iterum magis quàm à terra. Mathematicis quibusdã placuit non dupliciter, sed decies & octies, ipsum verò Solẽ abesse à terra miriadis stadiorum septuaginta octo censuit Eratosthenes. At si quis fortasse nostrorum Mathematicorum auderet ab ijs contra illos velle stare, vel secundùm eos magis litem dare, audiat oro Theodoritum episcopum in libro de *Materia & mundo* differentem, quorum sensa Latinè referam, ne Græcę ignoratione linguæ desinant q-dam audacis erroris admoneri: Ecquid (inquit) afferre opus est ea, quæ illi de figuris, & deliquijs, & distantijs fabulantur: neque enim solùm de eorum inter se interstitio differunt, verùm & quantum spacij inter ipsa & terram intersit definiunt, & quatercẽtenas atq; eò ampliùs numerant stadiorum miriadas à terra ad Lunam, indeq; ad Solem totidem, neq; erubescunt maris profunditatem ignorantes, quo tamen dimittere funem piscatorium queunt, aëris & ætheris dimetiendi cupiditate deflagrare, neq; inutilis quod assumpserunt negocij memores, neq; admonitionis Aeschyleæ recordati illius, quæ nihil iuuant, frustráne quærito? horũ enim vnumquodq; etiam si posset inueniri nihilominus esset inutile.

Ac ne Gentium videamur obliti Xenophon suis in monumentis de Socrate verba faciens ita scribit: Omnino autem & vniuscuiusq; cœlestiũ quæ machinatus est Deus curiosum esse vetuit: neq; enim ab homine inueniri posse existimabat, neq; Dijs putabat gratificari quærentem ea, quæ illi declarare noluerunt, periclitari autem & insanire talia cogitantem, nec minus Anaxagora desipere qui altum quiddam sapiens Deorum opera patefacere tentauerit. Rursusque ea eadem re in hunc modum: Nullus vnquàm Socratem vel impium quidpiam vel iniustum aut facientem vidit aut dicentem audiuit: neque enim de vniuersi natura, vel de alijs vt plurimi faciunt disputabat, considerans quo pacto se habeat is qui à sophistis mundus appellatur, & qua necessitate cœlestia fiant: Sed qui talia curarent eos demonstrabat insanos, atq; vltrà procedens plęraq; prodit insignia ad cohibendam audacem scrutatorum petulantiam quę longum esset enarrare.

Sed redeamus vnde videmur digressi, vt percipere detur eos qui nec de vniuersitate stellarum, nec de earum insignioribus concorditer decreuêre, de quibusdam etiã minutis & simul collectis ad orbem illum qui lacteus dicitur, constituendam minimè cõuenisse: Eum orbem sanè comperies à quibusdam Pythagoræis existimatum syderis esse inflammationẽ, quod à propria sede ceciderit, à nonnullis alijs fuisse olim Solaris cursus orbitam, nec defuisse qui refractione quadam radiorum Solis eum ipsum fieri existiment, vt ita appareat, quo pacto & in Iride id cõtingat & nebulis, quanquàm visum est alicui non Solis, sed stellarũ luminis quę non sint sub Sole cõprehensæ, esse refractionem. Metrodoro placuit Solis esse tramitem, vtpote qui circulus ipse Solis & sit, & debeat haberi. Anaxagoras terrestri vmbræ acceptum retulit. Ad rarum & dẽsum Parmenides referendum putauit, quorum mixtura lacteus dissultaret color.

Democri-

Democritus multorum minorumq; syderum atq; simul positorum, ob densitatem & frequentiã sese collustrantium, splendorem esse censuit, quam opinionem postea recepisse Aristotelem visum Alberto, & eam tanquàm propriam in Meteoris collocasse. Verùm & aliam quoq; Plutarchus assignauit Aristoteli, vt qui putasset id ex euaporatione sicca deuenire, idq; ipsum aliqua eius verba in Meteoris videntur innuere, & ex eius mente nonnulli ita suspicati sunt, quam opinionem amplexatus videtur in Sphæra sua Proclus Platonicus dum scribit: Lacteum circulum constare ex tenui nebulosa substantia, secus tamen alij decreuêre, vt satis indicauimus. Sed de hac re Sexto libro. Possidonius quandam putauit ignis constitutionem, & veluti constipationem, quæ sit astro splendidior & luce densior, atq; hæc quidem controuersia vniuersam superioris corporei mundi concludet partem. Nam cùm alij stellis id tribuũt quæ sunt in orbe collocatæ, & fixæ: alij vaporibus & huiuscemodi quæ in sublime generãtur, ideò rei vtriusq; terminus fiet.

Nunc de Meteorologicis agendum, vt expletis maioris mundi controuersijs ad enarranda inferioris mundi placita discordia atq; pugnãtiã noster sermo vertatur. Occurrunt autem in primis Cometæ quos Pythagoreorum nonnulli stellas esse voluerunt: Sed statis apparere temporibus, nec splendere semper, Diogenes item stellas esse censuit. At Anaxagoras atque Democritus concursum esse splendoris à duabus vel pluribus stellis emissi. Nec defuêre qui putârint Cometas esse refractiones ad Solem, non secus ferè ac assolet in obtutibus conspicilliorum accidere. Aristoteles ignitum quiddam ex euaporatione sicca dissultans. Enimuerò Statoni placuit Cometem astri lumen esse densa in nube susceptum. Pontico Heraclidi sublatam nubem luce collustratã. Epimenidi delationem igniti spiritus cui terrestris quidpiam sit admixtũ. Boëtius maluit aëris esse rarefacti apparitionem. Xenophanes collectionem & commotionem inflammatarum nubium. Metrodorus violentum Solis in nubes iactum. Nec magis in tonitruo, fulgure, fulmine, conueniunt Philosophi. Anaximander de spiritu hæc originem trahere existimauit: quotiens enim crassa nube comprehẽsus is & violenter excussus fuerit ob subtilitatẽ & leuitatem, tunc eruptio quidem strepitum, distinctio verò ex nubis nigredine splendorem perficit, vt mittam quæ retulit Seneca in secundo quæstionum Naturalium. Metrodori sententia est cùm in nubem ex densitate crassam spiritus inciderit, fractura quidem perficere strepitum, percussu autem atque scissione splendescere, velocitate verò delationis ex Sole caliditatem adsumere, & fulmen emitti, cuius debilitas desinat in fulgetrum. Anaxagoræ opinio est cùm calor in frigus, hoc est, cùm pars ætheria in aërem inciderit, sonitu quidem tonitruum perfici, fulgura verò nebulosi nigroris aspectu fieri, magnitudine autem & multitudine luminis ita fulmen oriri, sicuti corpulentiori typhonem igne & nebuloso fulgetrum. At Stoicis placuit ita finire tonitruum, nubium collisio: Fulgurem ita ex collisu accensio: Fulmen sic violentioris collisionis coruscatio. Aristoteles autem putauit omnia isthæc in euaporationem siccam esse referenda, quæ cùm occurrerit, humidæ vi exitum parat, atq; collisu & tractu tonitrui sonitum faciat, incensu verò & inflammatione caliditatis, fulgura: Fulgetra verò & Typhones superantia materiæ, quam eorũ vtrumq; secum trahit, calidiorem quidem illam, hanc autem crassiorem. Taceo de capris, trabibus, globis, halo siue corona, & cæteris de quibus & Aristoteles in Meteororum libris, & Seneca in libris Quæstionum naturalium disputant: quæ quanquam varij plena dissidij, in promptu nihilominus esse, vel mediocriter eruditis queunt. Atqui nebulas ex aëre longè crasso generari putauit Anaximenes, eo verò magis collecto densatoq; imbres exprimi: porrò niuem fieri, postquàm delata aqua, grandinem verò quotiens comprehensa fuerit humido spiritu. Metrodorus autumauit ex aquosa delatione constitui nubes, quas Epicurus expirationibus composuit, ex longo autem demissu rotundari voluit, siue teretia fieri, & grandinem, & pluuiam. Verùm enimuerò isthæc in sublimi generata subsistere quidem ea satis constat. At sunt quæ minimè subsistunt, apparent tamen, adeoq; conspicua vt admirationi vetustis hominibus fuerint non mediocri. Vnde & Iris ipsa cœlestis arcus Thaumãtis filia dicta est, propter admirationem, vt censuit Plato. Ea quo pacto fiat, siue rectis, siue curuis, siue refractis lineis, disputant: siquidem in aëre contingit ex splendentibus lapidibus & cornibus, conspicuas videre lineas, inflexas autem & curuas in aqua cernimus, cùm

visio flectitur ob densiorem aquæ materiam, vnde & remi vidētur curui tàm etsi recti fuerint, cùm procul scilicet nauigijs alligatos eos & mersos mari spectamus. Atque in speculis multa videmus refracta & dissultantia. Sunt qui censeant euaporationem humidam, cùm in nubes inciderit, in parua confestim ramenta disseparari: itaque Sole in Occidentem vergente, ex aduerso omnis Iris cernitur, tum cùm visio aspersionibus stellarum occursans refrangitur: quæ quidem aspersiones non figuræ, sed coloris esse formas ideò putant, quòd primò puniceum quiddam, secundò purpureum, tertiò subnigricans & viride se præsentēt obtutui. Metrodorus autem voluit Iridem tùm fieri, cùm per nubes Sol exsplenduerit, vtpote quia nigrescat nubes, & splendor ipse subrutilet. Anaximenes Iridis causam retulit in splendorem Solis, dēsæ nubi & crassæ, & nigræ occursantem, cùm penetrare nequeant radij nubemq; transmittere. Placuit Anaxagoræ ex crassa nube qua solari coruscationi resistat, refractionem contingere. Placuit Senecæ Iridem imaginem Solis esse & roscidam, & caua nube conceptam.

In natura quoq; ventorū dispar consensus. Anaximandro placuit ventum fluxum esse aëris, de subtilissimis in eo partib. & humidissimis à Sole vel motis, vel liquefactis conflatum. Aristoteles siccam euaporationem cēset esse ventum. Stoici fluxum aëris simpliciter nuncupant, diuersas appellationes diuersis è regionibus, è quib. flare consueuit sortitum. Metrodorus existimauit fieri vētum ex aquosa euaporatione ob Solis adustionem, impetu diuinorum spirituum. Sed de ventis & cur obliqui ferantur in commentarijs hymnorum plura diximus.

At de terra elementorū infima, & horum de quibus egimus matre & alumna, quanta inter philosophos discordia viguit? de numero eis, & natura, de figura, de positu, de inclinatione, de motu, deq; eo quo ambitur & alluitur mari. Vnam Thales terram dūtaxat esse putauit: Id ipsum & Aristoteles & Stoici. Icetes aūt Pythagoræus duas, hanc quam incolimus, & aduersam: sic & Philolaus, cuius opinionis meminit etiam Aristoteles in secundo de Cœlo, eamque Pythagoricis in vniuersum adscribit. Ex ijs autem qui vnam dixêre, finitam alij putârunt, vt Aristoteles & Stoici, Xenophanes autem ex inferiori parte in infinitam profunditatem radices mittere, quòd etiam refert Aristoteles, atque ex aëre & igne conflari, idq; fortasse voluit in Academicis notare Cicero: cùm vt videamus inquit, terra penitùs ne defixa sit, & quasi radicibus suis hæreat, an media pendeat. Metrodorus terram quidem habere substantiam, sed fecem esse aquæ, sicuti Solem aëris fecem existimauit. Thales idem, qui putauit vnam esse tātummodò terram, eandem sphæricam esse censuit, sic & Stoici & Aristoteles. Anaximander lapidis & columnæ, Anaximenes tabulæ specie figuratam maluit: humidam ille præterea dixit esse, vti retulit Origenes, inq; medio libratam atq; rotundam, hic verò latam & pulsatam ab aëre, exque illa astra esse omnia constituta. Leucippus tympani specie constitutam, cuius rei etiam apud Aristotelem, sed non sub Leucippi nomine mentio. Democritus disco similem, quantum pertinet ad latitudinem, intrinsecùs autem concauam esse voluit, positam illam in meditullio, non solus Anaximander censuit, sed & Thales ipse & consectanei, quem & Aristoteles, & alij permulti secuti sunt. In infinitum agere radices postquam placuit Xenophani, is neutiquam mediam poterit collocare. Anaxagorę placuit latam esse figura, & insidere aëri qui eam, quoniam sit fortissimus ferat. Philolai Pythagoræi sententia est ignem medium esse elementorum non terram, cuius etiam rei in Pythagoræos in vniuersum relatę meminit Aristoteles in secundo de Cœlo: Illum enim omnium esse domum voluit Philolaus, posteà terram esse nobis oppositam, dein hanc quam incolimus constitui ex aduerso illi sitam atque delatam: proptereaq; fieri vt qui in altera sint, eos qui collocentur in altera videre nequeant. Inclinare nostram hanc terram ad meridionalem plagam Leucippus opinatur, & causam fert acceptam raritati, qua Meridies abundat, densatis & congelatis ob frigus partibus quæ iacent ad Boream. Democritus idem est opinatus, sed eò quòd debilior sit pars australis, eò terram auctam deuergere, totam verò paulatim & infinitam esse, & omni ex parte non vallari ab aëre Anaximenes existimauit, si vera in Stromatis Plutarchus docuit.

Hanc ipsam terram fuêre qui crederent non moueri, in gyrū verò motari Philolaus existimauit, circum ignē, in obliquo circulo instar Solis & Lunę. Ponticus Heraclides & Pythagoræus Ecphantus minimè illam transponunt, rotæ instar cinctam, sed tamen

men mouent ab Occidente in Orientem circa ipsius eiusdem centrum. Hanc ergo quam plæriq; immotam, alij pulsatam, Philolaus in gyrum instar Solis & Lunæ motatam. Heraclides & Ecphantus in Orientem ab Occidente exagitatam. Nicæas Syracusius Theophrasto & Cicerone referentibus solam existimauit moueri, neq; præter eam quicquam mundo moueri, vtpote quæ se circum axẽ summa celeritate conuerteret. Cœlum verò Solem, Lunam, Stellas, & deniq; supera omnia stare, quàm etiam fuisse Platonis in Timęo opinionẽ, sed paulò obscuriùs dictam quidam sunt arbitrati: Socrates & Ariston Chius nihil horum sciri posse existimârunt, quod sibi tamen quoquomodo scisse visus est Democritus, qui medius inter illos incedens, ab initio quidem motam & erraticam fuisse terram opinatus est, ob paruitatem & leuitatem, postquàm verò densata est, & procedente tẽpore grauis effecta, stetisse immotam: vt min⁹ mihi videatur mirum, si Nicolaus Cusa in secundo libro de Docta ignorantia terram nec esse figura orbiculari, nec esse immobilem asseruerit. Intus verò & accidenti præterq; naturalem totius molis motum illam commoueri & tremere, quo motu tremoréve & nutare videantur, & corruere ædificia, tàm clarum vt qui non credant, suo periculo sæpenumerò experiantur. Cur autem id fiat, varij varia. Thales & Democritus causam referunt in aquam. Anaximenes siccitatem & raritatem terræ putauit causam esse ipsorum terræmotuum, & illa fieri auctiones & excessus aquarum vt quibusdam relatum: quanquam aliter eam opinionem referat Seneca in sexto Quæstionum naturalium, sicuti & alia plæraque. Anaxagoræ placuit in aërem cur terra tremeret esse quærendum. Alij in ignem causam motus ipsius placuit referri, quod memorat Seneca, qui ab Aristotele & Theophrasto non vt Græcis visum (inquit) diuini tamen & dulcis eloquij viro & nitidi sine labore, non videtur omnino abhorrere, in æstimãda motus terræ causa. Si verò Stoicos interroges vnde tremor terris, vtiq; respõdebunt, cõcussionem illam eò euenire, quòd humor qui est in terra diuiditur & secedit in aërem atq; excidit. At si roges Peripateticos quidnam causæ est vti terra & moueatur, & contremiscat? propter frigoris concursum respondebunt vndecunque collecti, calidum quippe fumum cui cum frigore pugna perpetua est festinare, vt superiora contendat vtpote leuem: eius autem repagulis aduersam exhalationem obsistere & excitare cõmotionem. Metrodorus aduersa incedens via terram commoueri non putat naturaliter, quoniam nullum corpus proprio in loco moueri existimat, nisi quis aut trudat illud, aut trahat: sed eius aliquos locos ab alijs impelli. Parmenides atque Democritus propterea quòd æqualiter ab omnibus partibus distet, manere illam volunt, minimeque moueri, solùm verò quassari, Anaximenes ob latitudinem incubare: Alij malunt eam super aquam moueri non secus ac quæ latitudine pollent, & instar tabulæ quæ per vndas motatur. Plato abnuit motum terræ per omnem differentiam positus, cùm nec suprà, nec infrà, nec antè, nec retrò, nec dextrorsum, nec sinistrorsum agitetur, quoniam omnium sit infima: Aliquos autem eius ob raritatem locos annuit commoueri. Epicurus etiam non nihil aëris & aquæ miscet, vt excitet motum.

Cæterùm de mari quod terram circumiuit qualis quæstio? de sapore, de fluxu atq; refluxu. Namque putauit Anaximander maria esse primæ humiditatis reliquias, quarum magnam partem exusserit ignis & trãsmutauerit exustione residuum. Anaxagoræ visum est cùm ab initio stagnaret humor, consumptam eius esse partem Solaris itineris frequentia, & eo quod pingue erat euaporato, reliquum in salsuginem & amaritiem concessisse: Terræ sudorem combustæ ob Solis ardores existimauit in causa esse, nec ab hac sudoris opinione vsquequaq; abhorruit Antiphon. Aliter autem Metrodorus, aliter & Platonici, qui elementaris aquæ partem quæ plurimum habeat aëris ob refrigerationem collectum, dulcem esse, partem verò quæ ex calefactione & inflammatione exhalationem perpessa sit, volunt contraxisse salsuginem: quàm Xenophanes retulit acceptam mixtioni terræ, ea coniectura, quòd in meditullio terræ & in visceribus montium conchæ inueniantur, repertaque sit olim in lapidicinis Syracusijs piscium & phocarum figura quædam in Pharo autem insula lauri figura in profunditate saxi. Fluxum verum maris alij in Solem qui ventos eleuet impellentes vndas retulerunt: qui venti vbi posuêre, residat atq; refluat pelagus. A` qua opinione nec Heraclitus abhorruit, nec Aristoteles. Plato aliæ causæ rem hanc acceptam videtur retulisse, Pytheas Massiliensis incremento Lunę, maris auctionem, decremẽto minutio-

nutionem aſſignauit. Timæus Pythagoræus fluminibus in Athlanticum pelagus mittentib. retulit cauſam aucti & imminuti Marini tumultus. Seleucus Mathematicus terram miſcuit & Lunam, vt cauſam inundati & exſiccati littoris expromeret: Alij alia, vt Picus patruus in quarto aduerſus Aſtrologos & nos etiam alibi retulimus. Sed enim de motu non ſolùm fluentis & refluentis aquæ, ſed de omni quoq; motu corporum, num magna & ſempiterna lis? motu, inquam, non violento & impetuoſo, ſed naturali: quando alij à generante & remouente quod prohibet, alij à forma intranea, & ij omnes ab Ariſtotele dicunt ſe non recedere. Illi verò propria eius verba citant, ſed ijs omnib. Ecphanti Syracuſij aduerſatur opinio, affirmantis corpora non grauitate aut impetu, ſed diuina poteſtate quam mẽtem & animam appellat moueri. Sed iam ſatis ſuperq; fortaſſis hac de re & de toto maiori mundo narratum eſt, nunc in minori mũdo quàm magnæ inueniantur philoſophorum diſſenſiones & rixæ referendũ eſt nobis. Primùm de homine in vniuerſum, mox de anima, itemq; de ijs quę ea cum corpore dicitur habere communia, indeq; de ipſo corpore tractaturis, vt poſtea de moribus & hominum fine quam pugnantia protulerint diſpiciamus.

CAP. XIII.

QVÀM VARIAE, IN VNIVERSVM DE HOMINE, HOC eſt, minori mundo, quid ſit, vnde venerit, quò vadat, philoſophorum ſententiæ reperiantur.



HOminem eſſe qui dixerunt Philoſophi, quidnam is eſſet homo ſine cõtrouerſia non dixerunt: nam & fuêre qui affirmârint animal eſſe rationale, mortale, & fuêre qui negarent, & fuêre qui ambigerent. Primam Dogmatici qui dicuntur Philoſophi opinionem ſecuti ſunt: ſecundam & tertiam cùm noui Academici tũ Sceptici ſunt inter ſe partiti. Sed & Socrates præterea apud Platonem fatetur ſe neſcire quid ſit homo, dubitat Democritus. Auxerunt alij dubitationẽ oraculo Pythio cõmoniti quo noſſe ſe quemq; pręcipiebatur. Meſenius Dicæarchus hominem ſe videre dixit, animam prorſus abnuit, nullamq; prorſus eſſe viſum illi, & Sextus, & alij dixêre: dixit & Cicero, cùm alibi, tùm in ſecundo Academico, quem tamen librum Auguſtinus in tertio Academico ſub Hortenſij nomine citat, ſententiam quæ ibi eſt ducens in medium, quàm tamen & in Academico & in Hortenſio eſſe poſſe non nego. Contrà alij ſolam animam hominem exiſtimârunt, vt plurimi Platonis aſſeclæ. Inter ipſos etiam Dogmaticos non parua lis: nam vt præteream multa quæ hac de re ſecundo libro de Logica inſtitutione ſcripſi, cùm de arbore Porphyrij quæſtio haberetur. Illud certè conſtat ſi putamus Iamblichum vera narraſſe, quòd in homine ſpecies ab Ariſtotele factæ ſunt in libro de Philoſophia Pythagorica, cùm ita ſcripſit, Iamblicho ipſo referente: animalis, aliud eſt Deus, aliud homo, aliud vt Pythagoras. Quid igitur ſi rationale, quo homo dirimitur à Dijs, & à Pythagora, non ſatis habetur apud ipſum, quid item ſit rationale quo dirimitur à brutis, adhuc apud Philoſophos ſtatutum neutiquam reperi. Ariſtoteles & ſectatores multi, rationali & irrationali differentia diremptos à belluis homines voluêre. Anaxagoras tamen omnia animalia eſſe rationalia putauit, eò quòd actiuam, vt ait, rationem habeant, non tamen intellectum, & Pythagoras, atq; etiam Plato ſi Plutarcho audire velimus, rationales eſſe animalium quæ irrationalia vocantur, animas affirmauit, non tamen rationaliter agere propter inhabile corporum temperamentum. Diogenes participare quoq; ea intellectili parte non dubitauit, & Archelaus vti proditum eſt ab Origene omnibus animantibus innatam mentem affirmauit. Sunt & qui rationibus quoq; ex eorum actionibus id probandum ſuſceperint apud Scepticos, & extat liber Plutarchi ſub hoc titulo περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. Certè Satyros non modò vti ratione & legatione fungi, ſed & religionem colere, Hieronymus, Antonio illo magno teſte, retulit in vita Pauli primi heremitæ. Itaque aut Satyrus homo eſt, & ſic hominum diuerſæ ſpecies, vtpote homo qui Satyrus eſt, & homo qui non Satyrus: aut ſi non homo, ſed brutum, ſed bellua, tùm bruta ratione pollebunt: aut ſi quid tertium commentus fueris inter hominem & belluam, id certè ſi diuinis viris credimus pollebit ratione. Sed à Philoſophis Gentium ad noſtros aſcendi: Reuertamur ad incœpta illud

lud affirmantes ab Honorato Vergilij interprete sanciri. Nymphas, authore Aristotele, scias esse quidem, sed mortales, vt Fauni & Panes, sed hac de re etiam libro quinto longè plura, cùm de definitione tractabimus.

Ceterùm sit homo quodcunq; malint animal: vndénam venerit, quò tendat hoc animal, multæ sunt discordesq; sententiæ. Namq; vt mittam, quòd alij terrigenas voluerunt homines esse, quod alij satos, & ex Draconũ dentibus ortos, poëtica enim hęc & fabulosa: sed quę Philosophi produnt, quàm vana, quàm pugnãtia? sunt qui sempiternum dicãt hominum genus, vt qui Aristotelis opinionem de Mundi secuti sunt æternitate, plenam in quã hominib. semper terrã fuisse, semper plenam futuram autumẽt. Sunt qui initium habuisse malunt, & temporis ortum, atq; inter hos quoq; non parua lis. Alij primùm in Attica natos homines putant: alij in Arcadia, in Aegypto alij, & aliter etiam ab alijs decernitur, vt est apud Censorinum inter diei natalis initia. Apud Aristotelem legi in tertio de Generatione animalium quod risúne an confutatione sit dignius, nondum satis constitutum habeo: primam hominum atq; quadrupedum generationem, si ea initium habuit, aut ex ouo, aut potiùs ex verme, prodijsse. Sed enim fuêre qui & marem, & fœminam ex eadem regione simul educerent: Nec defuêre qui mares è terra primitùs pullulasse credant ad Orientem, & Meridiem, fœminas ad Septentrionem: Cui opinioni de Generatione maris & fœminę agens, assensus est Empedocles, refragatus autem Parmenides, ad Boream mares, ad austrum fœminas potiùs ortas putans. Ac fortè ea de causa id putauit Parmenides, qua etiã authore Aristotele secundo de partibus animalium libro, existimauit mulieres viris calidiores, argumento copiæ sanguinis qua fiant menstrua, eiusq; opinionem alijs quoq; placuisse refert, displicuisse Empedocli. Anaximander verò, referente & Plutarcho & Eusebio, hominem ex animalibus diuersarum specierum ortum affirmauit. Iam felix quidam putârunt hoc animal, siue mas, siue fœmina: Miserum alij, nec quem finem vitæ habiturum esset, concorditer sanxerunt. Theognides esse melius nõ nasci hominem existimauit, aut natum quàm citissimè aboleri, cuius sententiam Græci quidam & Latinorum plurimi sunt imitati. Alij animal esse ad felicitatem natum maluere: alij inter vtranque positi sententiam expectandum vitæ finem docuêre, quæ sententia Soloni fertur accepta: quam ille fortasse vertit qui cecinit:

——sed scilicet vltima semper
Expectanda dies homini, diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

At quæ'nam sit hæc hominis felicitas? maiores omnino & plures lites, quàm quæ de Lydiæ termino produntur, quà de re suo loco disseremus, cùm de moribus & bonorum fine dissensiones referentur. Certè quoad pertinet ad rẽ hanc Pythagoræus Philolaus antiquorum Theologorum & vatum vsus testimonio, scribit animam tãquàm in sepulchro, sic in corpore sepeliri, daturam pœnas. Pythagoræ quoq; circumfertur sententia animam incorporeum esse dæmonem, peccato delapsum, & pœnę causa in corporea relegatum, quorum opinionẽ, vt puto, imitatus in Cratylo Plato, quod nos corpus dicimus, σῶμα Græci, σῆμα nuncupauit, hoc est, sepulchrum, in quo videlicet anima collocaretur. Contraria tamẽ in tertio de Republica libro retulisse videtur, scribens corporis habendam curam animę gratiâ, & harmonię, per quam & viuere dabatur, & rectè viuere. Hoc autem nostrum (vt inquit Satyrus) viuere triste, nec quando finiatur satis norunt, nec signum concorditer afferunt humanæ vitæ. Aristoteles sensu illam, & motu conclusit, atq; ijs duob. quæ viuerent à non viuentibus, tanquàm signis euidentissimis internosci putauit. Alij facere isthæc duo satis ad discerniculum, vel ex eo credere nequeũt, quoniam vllus quandoq; non deprehenditur motus, sensus nõ vllus, in ijs qui obijsse diem & exhalasse animam existimantur: & paulò tamen pòst vitalem trahere spiritum dignoscuntur. Certè Democritus (teste Celso Cornelio) viri iure magni nominis, nullum esse putauit signum vitæ finitæ, quòd & ipsemet Celsus in Prognosticis refert: quare quod anima reliquerit corpus, aut non reliquerit, vtrum internosci queat, inter philosophos viguit controuersia. Sed iam de animæ ipsius controuersijs agendum esse ipse nos admonere locus videtur in quem incidimus.

CAP.

CAP. XIIII.

QVÀM MAGNAE ET QVÀM MVLTAE INTER PHILOsophos Gentium de humana anima dissensiones & rixæ, vbi ostenditur quàm magnas etiam hac de re diuinitus ostensa, Christo gratias agere debeamus.



PEracta, quantum visum est proposito operi expedire, narratione dissensionis Philosophorum multiplicis, de maiori mũdo & eius partibus: Iamque minoris mundi qui homo est dissensionibus multis in vniuersum declaratis, restat vt de eius partibus disseramus: Cumq; duæ & sint, & habeãtur maximę & principales, anima & corpus, ab anima parte vtiq; digniori videtur exordiendum. Hanc in homine, alij vnicam, alij multiplicẽ fecêre. Sed de hoc postea: de celebrata magis dissensione in primis, id est, de eius immortalitate (si placet) agamus. Atq; vt ab initio repetam, plurimi Philosophorum mortalísne esset an minimè? hoc est, num cũ corpore interiret? num maneret superstes? minimè perquisiuerunt. Primus traditur Pherecydes Syrus de eius immortalitate disputauisse: fuêre autem qui animam non censuerint à corpore discedere, sed vnà animum & corpus occidere: qui verò non extingui animum putauêre, alij semper, alij diu permanere, alij statim dissolui existimârunt. Pherecydis auditor Pythagoras immortalem quidem eam asseruit, sed vagabundam, quasiq; desultoriam, vt quæ in diuersa corpora & humana, & etiam belluina transgrederetur, vicibusq; temporum varijs reuerteretur: trita hæc neq; apud Philosophos tantummodò, & qui eius vitam scripsêre Græcè, & qui de ipsius dogmatis disseruerunt, sed etiam apud poëtas decantata. Quam ob rem ille in eius ipsius persona:

Morte carent animæ semperq; priore relicta
Sede nouis domibus viuunt, habitantq; receptæ.

Vnde autem motus ad hæc deliria promenda Pythagoras, subditur:

Ipse ego nam memini Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ,
Cognoui clypeum leuæ gestamina nostræ,
Nuper Abanteis templo Iunonis in agris.

Sed non Euphorbum se solum fuisse dicebat, sed plerosque alios quos citat Adamantius. Alios itẽ atq; diuersos quos & Clearchus, & Dicæarchus, & post eos Gellius nominauêre, addita etiam Alce fœmina pulchra, sed meretrice. Hunc multi secuti sunt in vana hac opinione tuẽda, inter quos Empedocles qui se & piscẽ, & fruticem fuisse olim suis ipse carminib. cecinit. Atq; etiã vt puer & puella antea fuerit voluit credi, vnde eius illa verba κόρῳ τε κορή τε: à qua opinione Plato neutiquam abhorruit, tametsi Pythagoræ & Platoni Plutarchus id attribuat, vt animam putârint, minimè obnoxiã corruptioni, tanquàm exeuntem ad vniuersi animam, atq; secedentẽ ad id quod est eiusdem cum ea substantię: quam sententiam tenuisse Heraclitum prodidit Theodoretus in libro de Natura hominis. Sed Plato animę distinctionem commentus partem eius quæ rationalis dicitur exemit à corruptione, & superstitione corpori fecit, reliquas interire siuit, sic aliqui voluêre, alij contrà: Nam Proclus quidem & Porphyrius solam partem animæ rationalem voluerunt esse immortalem, cæteras corruptibiles. Xenocrates verò & Speusippus sensitiuam quoq; immortalem esse contenderunt. Numenius autem & Plotinus vegetatiuam pariter immortalem asseuerârunt. Anaxagoras & Diogenes immortalem esse humanam animam simpliciter existimârunt: Aduersam huic semitam & sensibus corporis mancipati & Democritus, & Epicurus posteà tenuit, animas omnino emori cum corpore perperam opinatus, sequitur quem plurima turba non Græcorum modò, sed Latinorum quorum monumenta periêrũt, prȩterquàm Lucretij sex libri magno adulescentum exitio seruati, quoniam belluinis opinionibus à primis annis imbuti facilè religionem posthabent, adeò in teneris assuescere multùm est: neque enim rerum prouidentiam, nec superstitem corpori fore animam ratus ipse Lucretius, voluptarijs hominibus in quodcunque obscœnum facinus

facinus habenas laxauit: quod opus Epicureus scripsisse dicitur, per interualla insaniæ, sed insanior mihi tum videtur fuisse cùm scriberet & sanus putaretur. Quoniam extremæ est insaniæ, sanam Epicuri multis de rebus, & de anima potissimùm sententiã credidisse. Stoici medij ferè sunt inter eos quorum explicuimus sententias: nam & superstitem corpori animam credũt, sed non semper: Debilitari enim & paulatim perire quæ ineruditorum sunt, quæ verò sapientum vsque ad vniuersi conflagrationem perseuerare: si quidem minimè desiuerunt à Citieo Zenone, qui arbitratus fuerat humano parentum semine transfundi animas in prolem, quapropter id sequebatur futuras obnoxias corruptioni: tametsi dictus est quandoque existimasse humanam animam non corrumpi. Panætium autem quanquam Stoicum ab alijs dissentire Stoicis legimus, nec mirum, quando etiam ea inter se secta cõflixit. Alij enim virtutem solum bonum, alij præter virtutẽ alia bona vt Ariston, & Antiochus, & alij à cæteris dissidentes, beatissimam à beata vitam dirimebant. Sed redeo ad Panætium mirum alijs in rebus Platonis laudatorem, eum tamen ipsius de animæ immortalitate sententiam non probasse, author est Cicero, quanquàm animum à mente distinxisse Panætium videtur velle. Certè aduersus communem illam Stoicorum vanam vtique & impiam opinionem inuectus est & Pythagoræus Numenius, & Platonicus Longinus: Animam inquit ille & generatam, dicunt & corruptibilem, non tamen à corpore solutam statim corrumpi, sed immorari circa ipsum: diuersæ tamen quoniam insipientiũ animæ quibusdam temporum spacijs perdurarent, hominum vero virtute præditorum ad vsque rerum omnium in ignem resolutionem. Addit Longinus, Zenoni quidem atque Cleanthi iure quispiam subirasceretur de anima quam contumeliosissimè disputantibus, ambo enim illam ex solido corpore ἀναθυμίασιν dixêre. Hæc ille & platonicè quidem & pié.

Sed & inter Platonicos non parua lis, suprà enim ostendimus, inter Proclum, Porphyrium, alios eius sectatores non conuenisse. Prętereà verò noscendum est, controuersias quoq; alias viguisse, alijs asserentibus affirmatam à Platone ingenitam esse animam & incorruptibilem, ratione ea adstipulãte, quoniam semper mobilis est, semperq; non modò se moueat, sed motus omnis fons atq; principium: Contradicentibus alijs atq; contendentib. Platoni visum incorruptibilem quidem animam, sed generatam, & ipsam immortalitatem Dei voluntate consecutam: Nec defuêre qui & generatam dixerint, & corruptioni obnoxiam à Platone existimatum, eandemq; compositam sanxerint: Adducunt craterem illum, cuius Plato meminerit in quo sit anima cõflata & corpus, illi nectunt & copulant non terrosum & graue, sed tenue & lucidũ, atq; vt illi ipsi dicunt αὐγοειδὲς: contrà stant multi docentes neutiquam id à Platone potuisse existimari, vt qui iudicia post mortem constituerit, & pœnas, & præmia: qui sanè mihi videntur Platonicè magis loqui. Apud eum enim in Gorgia Socrates, neque, inquit, viuere hic quantumcunq; temporis optandum est viro, qui ferè sit vir, neq; hæc vita amãda est: & in eodem dialogo Socrates: nam mori quidem nullus formidat nisi rationis expers & ignauus, iniustè autem se gerere formidat: multis enim peccatis refertam animam ad inferos descendere, extremum omnium est malorũ. In libris quoque τῆς πολιτείας, Latini libros de Republica vocamus, clarissimè videtur scribere de animę immortalitate, & pœnis quæ post mortem manent scelestos homines. In primo enim operis eius, timoris meminit quo afflictantur ante mortem, qui iniustè alios homines affecerint: in decimo verò eiusdem pœnas refert Aridei tyranni, atq; aliorũ, quorum animę infernis subterraneisque in locis cruciabantur. Nulli autem dubium, quin Platonicorum caterua meliorum, immortalem Platoni animam creditam esse censuerit. Sed inter hos alij transmigrationem ab illo positam rentur, & Pythagoream Palingenesiam statis quibusdam decretisque temporibus. Resistunt alij asseuerantes, docuisse Platonem sortiri animas loca firma pro meritis, eiusque ipsius verbis vtuntur loco firmissimi testimonij, quibus explicat alios cum Ioue futuros, alias cum alijs dijs, cõtrà, alios in pœnis mansuros sempiternis. Alia quoq; de anima & non parua inter Platonicos lis, vndénam veniret in corpus? à summo Deo prodire illam vetustissimi putauêre, alij eius esse portionem, alij à summo creari Deo, alij ab anima mundi. Et eorum qui creatam putârunt: Alij ante corpus voluêre creari, ita vt extaret ipsa per sese, mox ingrederetur corpus, vel ad expianda prioris vitæ facinora, vt qui Pytha-

Pythagoræ placitis hæserunt, vel ad luenda supplicia, quæ ipsa luere nequiret incorporea, atque ijs creditum animam substantiam esse per sese corpore abiunctam, nec egere corpore.

Aristoteles de anima rationali ita obscurè locutus est, vt adhuc quid de animæ senserit immortalitate, magna sit disceptatio. Antiqui nostræ religionis scriptores, & ex Gentibus aliqui, censent Aristotelem putauisse rationalem animam esse mortalem: Iuniores immortalem. Quanquàm nec desint qui antiquorum tueantur sententiam, qua de re agemus cùm de incertitudine ipsius Aristoteleæ doctrinæ, maximeq; libro huius operis quarto & sexto disputabimus. (Quid autem ipsi sentiamus de opinione Aristotelis, in commentarijs in tertium eius de Anima librũ indicauimus,) Vbi quàm diuersè ab Alexandro & Auerroë sit intelligendus aperitur, quando ille mortalem hic vnicum ab eo doceri intellectum contendit: vterq; vanè, vterq; impiè, nec desunt nostra tempestate qui blaterent eorum opinionem saltem secundùm philosophiam veram esse, quasi Auerrois & Alexandri schola sit vniuersa philosophia, & quasi verũ possit esse aduersum vero, quorum errorem etiam nuper Leo decimus Pontifex Maximus in Laterano concilio condemnauit, anno à Christiana salute tertio decimo supra millesimum & quingentesimum, quarto decimo Kalen. Ianuarij octaua in Sessione, in qua & ipse sedi, & pronunciari decretum ipsum vidi. Sed de hac re aliás.

Nunc ad opiniones diuersas redeamus, nõ in ipsa solùm immortalitate, sed in ipsius quidnam sit, declaratione discordes. Thales primus appellauit animam naturam immobilem: Alchmam per se mobilem, quanquam & hoc putauisse Thaletem Plutarchus est author. Pythagoras numerum seipsum mouẽtem cui Xenocrates consensit: At numerum pro mente cœpisse dicitur Pythagoras. Plato substãtiam intellectam ex se ipsa mobilem, & secundùm Harmonicum numerũ motam. Aristoteles Entelechiã primam, corporis naturalis, potestate vitam habentem. Entelechiæ verò siue endelechiæ vocabulo ab ipso authore primitùs conflato actus & perfectio quædam subsignatur, atque, vti placuit Ciceroni, sub nouo vocabulo quasi continuata motio & perennis expressa est, tametsi de ea alibi loquens, quinta, inquit, illa nõ nominata magis quæ non intellecta natura. Dicæarchus nihil omnino esse animum docuit, quanquã sub Pherecratis Phthiotæ sententia id putari posset quispiam illum exposuisse, motus Ciceronis verbis in prima Tusculana. Sed & ipse Cicero ita illũ sensisse ponit, & ipso opere procedente librorum eius qui Lesbiaci dicerentur, mentionem faciens, affirmat illum acerrimè contra immortalitatem disseruisse, & in secundo Academico quemadmodum suprà dicebamus, Dicæarchi refert opinionem, cui visum sit nullum esse animum. Galenus in libro de Philosophica historia & aliqui Græci authores referunt Dicæarchi de anima sententiam aut eandem prorsus, aut certè non absimilem, ac sine vlla dubitatione Sextus Pyrrhonius scribit nullam esse animam à Dicæarcho existimatum, quare in ea nuncupanda & finienda laborem sibi sumere gratis noluit. At Plutarchus Dicæarcho scribit placuisse nuncupare animam elementorum quatuor harmoniam, quam sententiam non Dicæarcho, sed Clearcho Theodoretus adscribit. Nec abhorruit ab hac finitione medicus Asclepiades, opinatus animã sensuum esse mutuũ exercitium, Philoxeno placuit harmoniam nuncupare, Cor alij dixêre animam, Empedocles corpori suffusum sanguinem, vti ex eo refert Cicero: Alij cerebri partem: Sed alij in corde, alij in cerebro collocârunt. Zeno ignem appellauit: alij spiritũ maluêre, vnde anima & animus, ἄω enim spiro, vnde & ἄνεμος ventus. Qui omnes ferè, quãquàm discordes, in hoc vnum tamẽ conuenire visi, vt aut incorporea penitùs esset anima, vt qui numerum eam dixêre, & actum corporis, & substãtiam intellectilem, aut saltem non solidum corpus, vt qui harmoniæ vsi sunt nomine, & spiritus. Sed non defuêre qui corpoream putârint, vti Archelaus & ante illos Anaximãder, Anaximenes, Anaxagoras, quibus omnibus placuit eam aërea finire natura: eos autẽ fortè Varro secutus est, qui, referente Firmiano, scripsit, anima est aër conceptus ore deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus. Igneam verò Parmenides & Hippasus animam putauêre. Democritus maluit igneã esse mixturam ex ijs quæ ratione comprehendi quirent, quæ quidem haberent sphæricas Ideas: Igneam verò potestatem, ita vt corpus deniq; eam esse putârit. Heraclitum alij nihil à Parmenide & Hippasso volunt abhorruisse. Sunt qui malint eum existimasse mundi animam

animam eorum quæ in ipso sunt humorum euaporationem, atq; ita animaliū omniū animam ab extranea & intranea exhalatione deduxisse. Stoicorum multi spiritalem dixêre multo participantem calore. At ad lucem in ea expendenda sese contulit Heraclides: alij de sydereo quodam afflatu deriuari voluerunt. Epicurus ex quatuor quibusdam qualitatibus, ignea, aërea, spiritali, & alia quam nesciuit nominare, mixturam, quasi pultem conficiens composuit animam. Empedoclem alij non vti Cicero, sed simpliciori ex mixtione confecisse animam dicunt, atque ex æthereâ illam & aëria substātia conflauisse. Critias ex sanguine & humore compositam maluit, quem fortè Maro imitatus cecinit:

Purpuream vomit ille animam —: quanquàm vt Poëtæ solēt modò hanc, modò illam cepit sententiam variando & ornando poëmati consentaneam, quare sæpenumerò de anima & Pythagoricè quoq; sensit & Platonicè.

In animę quoq; numero multa discordia, nam vnam alij, nonnulli plures voluerūt: tres multis esse placuit, vnam quæ vegetum redderet corpus captando alimentum, augendo, generando: aliam, quæ sensile redderet: tertiam qua intelligens homo fieret. Hanc propriam esse hominis, secundam cum brutis esse communem, aliam cum plantis, quæ animalia dici voluerunt, & Empedocles, & Plato, si Plutarcho stamus, noluit Aristoteles. Sed animā tamen habere non negauit & nuncupauit animata. At qui tres fecêre, eas disclusêre locis, & capiti, & pręcordijs, & hepati suas dedêre: fuêre qui vnam duntaxat in homine poni animam arbitrarētur, quæ nihilominus aliarum obiret animarum officia, eaque in sese clauderet, atque inter hos quoque magna discordia: portaret ne secum abiuncta corpore virtutes illas inferiores? an magis hæ cum corpore simul corrumperentur: vti suprà diximus apud Platonicos dubitatum? eaq; postea controuersia ad posteriores nondum satis terminata manauit. Cæterùm & qui vnam dixêre animam, in ea diuidenda non secus bellant ac milites in partienda præda: sunt qui eam sibi optent integram, sunt qui bifariam dirimi velint, nec desunt qui triplici dissectione vtendum putent, adsunt & qui omnibus reclamantes octo in partes dilacerandam malint. Vetustiores philosophi vnam sibi habere animam contenti, reliquis nuncium remisêre. Plato res accersiuit, Aristoteles vnam quæ reliquas potestate quadam & virtute contineret, vt quæ sentiendi & vegetandi corpus obiret munia: quoad verò pertinet ad intelligentiam, inter Peripateticos multa dissensio, & quantum etiam pertinet eo vbi scilicet à corpore separata fuerit, quidnam fiat de inferioribus potestatibus? Sed enim antiqui illi qui vnam dixêre, eam sibi integram habere præoptantes, sibi nullo pacto sunt partiti. Pythagoras & Plato duas animæ fecêre partes, id quod rationale dicitur, & quod irrationale, atque hoc bifariam dispescendum putauêre, ac alteram partem irascentiæ vocabulo nominârunt, alteram concupiscentiæ nomine signârunt. Rationalem Democritus & Epicurus amplexi, non abdicandum etiam existimârunt eam, quæ ratione careret. Xenocrates in sensilem & rationalem partem seiunxit animam. Aristoteles quinque numerauit partes potestatésve, appetitricem (ita dicere liceat) nutricem, sensitricem, motricem secundum locum, intellectricem. Pythagoræ successores quinq; & ipsi partes, non tamen easdē assignauerunt: vt enim ex quinq; rebus humana corpora constituerunt, quatuor videlicet elementis, & corpore æthereo, ita cuique eorum suam animæ particulam indidêre, quorum hæc fuêre nomina, prudentia, intellectus, sciētia, opinio, sensus. Stoici octo in partes animam diuidēdam arbitrati, vnicuiq; sensuum suam tradidêre portionem, visui, auditui, odoratui, gustui, tactui, & prætereà sextam voci particulam, septimam seminali potestati, octauam principi parti, hoc est, rationi, qua cæteræ mouerentur, non secus ac à pisce polypo sui illi cirri multiplices: vbi verò principalis animæ pars resideret vt in regia, tàm diuersa Philosophi protulerunt, quàm qui maximè, Democritus, Hippocrates, Plato eam in cerebro collocârunt. Erasistratus circa cerebri ventriculum quod voeat, ἐπικρανίδα. Herophilus in cerebri concauo quæ & basis est, Straton in parte frontis interiori, Parmenides & Epicurus in toto pectore sitam putauêre, Empedocles & Aristoteles in corde, Stoici itidem in corde, vel in spiritu circum cor, Diogeni placuit eam in arteria cordis concaua quæ spiritalis est manere. Inueni & qui dicerent Empedoclem in constitutione sanguinis illam posuisse, alij circa cordis membranulam sitam maluerunt, alij circa cordis collum morari censuerunt.

fuerunt, alij in toto corpore maluerunt, ita vt mentis locus esset nullus, sed per totum corpus sparsa discurreret, quod placuisse Xenocrati, Firmianus est author. Nec defuêre qui eam in septo, quod diaphragma dicitur à Gręcis, collocârint. Pythagoras vitalem partem circum cor, rationalem circa cerebrum reponi maluit. Alij ex iuniorib. quos refert Plutarchus, à capite ad septum vsq; portendi voluerunt, vnde nil mirum si posterioribus quoque temporibus de cerebri & cordis primatu dissentit ab Aristotele Galenus Pergamenus medicus, & Alexander in calce sui de anima libri, pro cordis primatu multa discusserit, etiam ad dissectiones vsque animantium afferēdas descendens. Horum discordias componere satagens Auerrois rusticorum arbitrum instar sese gessisse videtur, partem huic, partem illi concedens, & ita dirimens controuersiam, vt ab alterutro non staret, & secundùm alterutrum litem non daret, initia videlicet operationum cordi, fines cerebro dilargitus.

Cæterùm nec existimes conuenisse vniuersos, ipsam animam esse in corpore, cuius diceretur anima: alij enim circa corpus esse, alij in ea ipsa corpus collocârunt. Sedenim fuerunt qui intellectum dicerent, ita animę coniunctum, vti pars toto coniuncta est, & affectiones quæ dicuntur inseparabiles, rei ipsius essentię, cuius habētur, & sunt affectiones. Fuêre qui diuersum omninò censerent, nec omnes tamen hac in re etiam concordes: nam alij id quod intellectum dicimus, animæ ipsius intellectum esse voluêre, vnde & anima intellectrix, siue intellectiua nuncuparetur, quam opinionem Aristoteli adscripserunt multi ex nostris Theologis, qui Parisiensium cognomen sortiti sunt, vtpote apud Parisiorum versati scholas, & eorum more scribentes, Thomam dico Aquinatem, magnæ virum doctrinæ, & titulo sanctitatis insignem, & Ioannem Scotum, & alios complures. Aduersam verò semitam calcauit Auerrois existimās intellectum alterius esse naturæ, & quandam separatam ab anima substantiam. Sed nec in hac re consensio, quandoquidem ille vnum omnibus hominibus intellectum putauit assistere: alij singulos singulis hominibus datos maluerunt. Ac notior est apud mediocriter etiam eruditos, quàm vt probari debeat quanta in Auerroë à nostris cōmota sint prælia, ita vt dicato opere multi eius de vnico intellectu opinionem refutârint, & præcipuè Thomas Aquinas, & Egidius Romanus, ambo viri præcellentes, ille etiam numero cœlitum adscriptus. Quanquàm & inter multos Theologorum non qua Theologi sunt, sed qua sunt Aristotelis interpretes non conueniat super illa Aristotelis sententia, separatur hoc ab hoc, tanquàm perpetuum à corruptibili: siquidem animam intellectiuam cùm discedit à corpore gerere, alij secum volunt (vt iam præmonuimus) quadam quasi in radice omnes sensilis animæ potestates, quas alij corrumpi volunt. Sed non est hic locus hac de re agendi, vtpote qui de Gentium dissensionibus duntaxat agamus: quare ad priscos reuertamur philosophos, inter quos Pythagoras & Plato voluerunt, id quod intellectum dicimus aut mentem. Græci νοῦν diuinam quandam esse particulam, quam neutiquam Aristoteles corrumpi voluit. Atqui & inter eos qui primas intellectui concesſêre non est cōuentum, quo pacto is sese ad inferiores haberet potestates, alij enim principem absolutę potestatis eum constituerunt, vti pro arbitrio regeret affectus omnes: alij necessitatis seruum esse maluerunt & subiecerunt Parcis & fato, & à rotatione cœlesti non exemerunt. Quibus acerrimè restitit Plato, volens omnino omni libertate animam esse donatam, principemque & dominam affectionum & perturbationum omnium, atq; in eius esse potestate constitutum flectere quocūq; velit, vincere aut vinci malit, quod clarissimè in legibus declarauit, scribens primam esse & optimam victoriarum omnium se ipsum vincere, vinci autem & turpissimum & pessimum: sic inter se philosophi de sua ipsorū anima & rixantur, & pugnant, vt hinc sicuti alijs ex multis si non magis innumerabilibus excitari debeamus maximas ad agendum gratias Christo Deo & homini, qui nos & animæ immortalitatem docuerit, & suę dogmatis Ecclesiæ creari humanas animas à Deo simul & infundi corporibus, quorum sunt formæ, declarauerit, easq; pro bene actis æterna præmia, pro sceleribus supplicia sempiterna recepturas.

CAP.

CAP. XV.

DISSENTIRE PHILOSOPHOS GENTIVM APERTISsimè super animæ functionibus atq; muneribus corpori communicatis.



Anè putandum quoq; non est, qui in anima fuêre discordes, eos in affectionibus eius consentire, & functionibus corpori traditis. Sensum quē sensorij præceptionem, cōceptionem alij dixêre, fuêre qui animæ, fuêre qui & animæ & corporis proprium existimârint, eumq; multifariã discreuerunt nominaueruntq; philosophi. Nam sensu, & habitus, & potestas, & actus, & phantasia, per sensorium comprehendi dicitur à Stoicis. Rursum & sensoria quoq; dicuntur spiritus intelligibiles à principali animæ parte ad organa protendi. Epicuro placuit sensum esse potestatem, sensitiuum autē esse quod ipse vocat ἐνέργημα. Plato corporis & animæ communionem putauit sensum esse, quoad pertinet ad extranea: Potestatem siquidem & virtutem animę, instrumentum verò corpori dedit, ita vt ambo intermedia phantasia eorum quæ sunt extra captatricia fierent. Leucippus & Democritus sensum intellectionem incidētibus quæ extrinsecùs iacent rerum spectris simulachrísve, fieri putauerunt. Sed sint hac in re, si placet, concordes, nū postea conuenient vt verus sensus veraq; & sit, & habeatur phantasia? Stoici veros quidem putant sensus, visiones autem, siue imaginationes, siue phantasias dicere malueris, nō omnes esse veras arbitrãtur, sed plerasq; falsas. Contrà Epicurus tàm phantasiam omnem, quàm sensum veritate pollere sanxit. Sed opinionum alias veras putauit esse, alias falsitate labare. At si sensus deciperetur quoad spectat ad intellectilia duntaxat, phantasiam & quò ad hęc, & quò ad sensum pertinet, posse decipi existimatum est. Empedocles & Heraclides à commensurationibus meatuum particulares fieri sensus voluerunt, tùm, scilicet, cùm vnum quodq; proprio sensui aptatum fuerit. Aristoteles decipi sensum putauit si circa commune obiectum, & quod ex accidenti opponatur, non autem proprium sit, aut si maiori quàm opus est interstitio distet. Sed hac de re quinto maximè huius operis volumine verba fient, cùm mōstrabitur alijs falli sensum modis quàm qui sint ab Aristotele numerati, nec eius iudicium solidum & constans, quemadmodum ille autumauerat, haberi debere, quare de his suo loco, nūc quod instat agamus. De communi sensu differens, Aristoteles, magno vtiq; vir ingenio maioreq;, vt opinor, & iudicio, & astu, cùm animaduertisset, in oculo, verbi causa, quæstionem & iudicium non fieri de rei visilis magnitudine & paruitate, sed coloris duntaxat, diuersitatem excipi, putauit id, sensum ad alium nō qui esset ex quatuor aliorum numero, gustu, scilicet, olfactu, odoratu, tactu, sed communiorem pertinere, cuius partes essent rerum compositarum discernicula, quare non sextum addidit, sed communem & superiorem ei constituit, cui diuidendo post Aristotelem multi insudârunt, partiti enim sunt interiores sensus, ita, vt quinq; iam sint apud multos, magis vt numero extrinsecùs positis sensibus respondeant, quàm vt vlla cogat necessitas. Nam & phantasia, & æstimatio, & eiuscemodi sensus intranei à posterioribus introducti, ita, vt etiam Auiçennæ tribuant dissidium imaginationis & phantasiæ, quas tamen ille in libro de Viribus cordis differre non censuit, omnes sub vno sensu communi reponuntur à Peripateticis antiquis, quod & in Themistij, & Alexandri monumentis licet animaduertere, diuerso & nomine, & officio, non re ipsa, communē sensum dirimentibus: de cuius quidem sensus intrinsecùs positu siue sede, siue regia multa dissensio: nam fuêre qui in corde, fuêre qui in cerebro collocârint, & eorum qui plures fecêre sensus intraneos, alij alios cerebri vētriculos, aliasq; cellulas & receptacula pro eis excipiendis & meditati sunt, & à natura constituta esse, & per corporum dissectiones monstrari contendunt. Democritus autem non tot in homine sensus putauit esse, sed affirmauit plures, quàm qui putarentur vulgò inesse, & irrationalibus animantibus, & dijs, & sapientibus datos. Cui, si deos ibi accepit cœlestia corpora, multi Platonici & ex Peripateticis aliqui libenter adsentirentur, vt monstratum à nobis in commentario in tertium Aristotelis librum de Anima.

Verùm & de vno quoq; extrinsecùs posito sensu multa dissensio: Democritus & Epicurus incidentibus idolis, spectrísve, aut simulachris, rerū putârunt visionē contin-

gere, radiorum quorundam obiectu, quæ vbi inciderint obiectæ rei, rursum ad visum reflectãtur. Empedocles spectris & imaginibus visæ rei radios admiscuit. Hipparchus radios voluit ab vtrisq; oculis emitti, & adusq; illorum terminos extendi. Scio adhuc inter Platonicos & Peripateticos vigere controuersiã, an extrà mittendo, an intus suscipiendo visio contingat, hoc Aristoteli, illud adscribitur Platoni, cuius etiam illa circumferri solita. Genus quoddam ignis, vt ait Gellius, lucisq; de oculis exire, idq; coniunctũ continuatumq; vel cũ luce Solis vel cum alterius ignis lumine, sua vi & externa nixum efficere, vt quęcunq; offenderit illustraueritq;, cernamus. Stoici emissionem & ipsi radiorum ex oculis, sed simul aëris intentionem in medium adduxêre. Multiplex est etiamnum in speculi visionibus cõtrouersia, quam fieri putauit Empedocles secundùm deflexum. Democritus autem & Epicurus speculares apparitiones fieri putârunt, ex simulachrorum substantijs, quæ à nobis quidem ferantur, firmentur autẽ in speculo ob reuerberationem. Pythagoræi secundùm refractiones visus maluerũt: Ferri enim visionem extente vsq; ad æs, procedentem verò illam & incidentem denso corpori & leuigato retrocedere. Seneca primo Naturalium quæstionũ libro affert de speculis duas esse opiniones: alij enim, inquit, in illis simulachra esse putãt, id est, corporum nostrorum figuras, à nostris corporibus commissas ac separatas: alij imagines aiunt non esse in speculo, sed ipsa aspici corpora retorta oculorũ acie & in se deflexa: Posteà ipsius libri decursu: nihil enim, inquit, iudicamus in speculis, nisi fallaciam esse, nihil aliud quàm alienum corpus mentientibus, non enim est in speculo quod ostenditur, alioqui non exiret, nec in alia protinus imagine obduceretur, nec innumerabiles modò interirent, modò exciperentur formę. Quid ergo? simulachra ista sunt & verorum corporũ imitatio, hæc Seneca. Orta quoq; dubitatio nùm videri *tenebræ possent*? affirmant Stoici, vtpote cùm illis videatur, ex visu quendam *splendorem in tenebras* extendi, neq; falli visionem, vtpote quæ verè videat, tenebras esse. Sed alij non id per sese, sed ex accidenti, hoc est, lucis carentia id faterentur.

In auditu quoq; quàm diuersa audiuimus philosophorum dogmata? Empedocles illum fieri dixit, excepto spiritu, in auriculæ meatibus, quem dicit susceptũ iam in aurem, eleuari. Alchmeon auditum fert acceptũ vacuo, quod sit auribus insitum, & hoc esse id quod resonat, excepto spiritu: quoniam vacua omnia emittant sonitum. Diogenes maluit aërẽ esse in causa, vtpote qui in capite cùm sit, à voce verberetur moueaturq;. Plato & qui eum secuti, putauêre aërem qui remoretur in capite percuti, percussum refrangi, & dissultare, atq; ita fieri sensionẽ auditus. Sed moueatúrne aër qui foris est sono, vel voce diuerberatus, ad auditionis vsq; sensoriũ, diuersi diuersa prodidêre: Nã sunt qui spiritaliter moueri duntaxat & cieri auditũ volunt, putantq; nõ aliter decreuisse Aristotelẽ: sunt qui eodẽ authore nixi & rationibus etiã freti oportere censeãt vt in auriũ penetralia, inq; vltimos anfractus admittatur aër. De ipsa verò voce, quàm diuersæ ferantur voces nemo paululum eruditior vulgo non nouit, quando & Grammatici quoq; in ea quandoq; finienda disceptent, & Dialectici nonnihil dictitent, à naturalibus tamen philosophis id mutuati. Putauit autẽ Democritus aërem in corpora eius figuræ penetrare, verbi causa: si rotunda fuerit rotundis, si quadrata quadratis, atq; simul reuolui & aptari fractionibus vocis: sic & graculus aduersus graculum crocitare, & semper à Deo simile simili aptari. In littoribus etiam scrupuli similes similibus, & suo quoq; modo in alijs & sphærici, & oblongi. Plato vocem dixit esse spiritum per os à cogitatione deductum: Ab Epicuro proditum est, fluxum esse emissum à vocantibus, vel à sonantibus, vel à strepentibus: qui quidem fluxus vbi consimilibus figuris ob viã factus fuerit infrangatur, & cùm simul auribus inciderit, tùm sensum auditus oboriri, atq; hinc patere satis potest, Gellium in quinto noctium Atticarũ non falsò retulisse, quid Democritus & Epicurus, de voce senserint, quorũ opiniones ex alijs authoribus explicuimus. Anaxagoras verò prodidit memoriæ, fieri vocem incidente spiritu in aërem solidiorem, vnde & percussio reciprocatur, & adusque aures perfertur, qua de causa etiam id quod echo solet appellari, planè dissultat. Stoici voluêre aërem non commisceri ex diffractis particulis. Corpus item ne vox esset an corporeum quiddam dissensêre Philosophi. Pythagoras, Plato, Aristoteles, negant vocem corpus esse. Stoici prorsus affirmant, illi mouentur quòd aër illa ipsa non sit, sed figura potiùs & affectio. Pro confesso autem & præiudicato Stoici volunt nihil

nihil agere posse aut efficere quod non sit corpus, quare cùm vocem imaginentur (& falsò vt Pythagorei & Platonici, & Peripatetici dicerent) agere quicquam facerève, auribus cùm incidit, propterea corpus eam esse decreuerunt. Ictum aëra, dum malunt esse vocem, quàm percussionem & deductionem aëris, instar aliorum.

In odoratu quoque decernendo diuersè Philosophi sentiunt. Alchmeon eius sensorium collocauit in capite quo, scilicet, tracto spiritu res odora percipiatur. Empedoclis autem sententia fuit respirationibus quæ à pulmone manant odores dijudicari: Quo fieri voluit vti non sentiatur odor cùm grauis est respiratio propter asperitatem, viderique id liquidò in ijs qui defluxum pituitæ patiuntur. Aristoteles verò in corde odoratus sensorium posuit. At in gustu quàm varij Philosophorum gustus fuerint, veterum monumenta declarant. Siquidem putauit Alchmeon humido & χλιαρῷ quod est in lingua, ob mollitiem secerni succos. Dioclem verò prodit memoria sanxisse aliter & raritati linguæ & mollitudini sensorium tradidisse, proptereaq; nonnullas à corpore ad linguam ipsam protendi venas, & disponi volunt, quàm diffusos ad sensum ipsum atq; sensorium attrahant succos, quemadmodum attrahit in seseq; admittit spongia circumfusos humores.

Verùm de affectionibus alijs præter sensum, deq; perturbationibus corporis varia literis philosophi credidêre. Stoicis etenim placuit sensus excipi proprijs in sensorijs, sed affectiones reliquas ab ipsis τὰ πάθη nuncupatas. Cicero perturbationes vertit, nō in sensorijs, sed proprijs in locis qui patiuntur collocari. Tam hæc, quàm illa proprijs excipi locis voluit Epicurus, vtpote qui putauerit sensorium esse prorsus impatile. Contrà verò Straton ab ijs omnibus euarians, omnes affectiones omnesque sensus, ad sensoria, non ad loca quæ quicquam perpessa fuissent, relegauit. An somniantes quoque philosophos discordes non inueniemus? qui vigiles & experrecti tantas cierint contrariarum tempestates opinionum: sunt qui discerni somnum à vigilia negēt, quoniam multa quandoque & similia & eadem etiam in quibusdam fiant dormientibus, quæ propria sint & habeantur vigilantium: sunt qui affirment discerni, sed non concorditer. Alij enim discretionem sensui, alij verò concedunt rationi. Sed quo pacto somniemus, vniformiter non declaratur. Democritus in causa putat esse spectrorum simulachrorùmve, atq; vt Græcè dicunt εἰδώλων præsentiam. Straton irrationali cogitationis naturæ id acceptum retulit, quæ in somnis sit quodammodo sensatior. Aristoteles in vapores ascendentes, & vbi humefacti frigidi & graues effecti fuerint descendentes, somnum retulit, eumq; similem epilepsiæ voluit, & quodammodo esse epilepsiam, quæ fit cùm multus spiritus ad superna delatus fuerit, & inter descendendū tumefecerit venas & meatus spirituum obturauerit. Alia Alchmeon, alia Empedocles, alia Diogenes, alia Plato, & Stoici commenti sunt: nam & aër refrigeratus, & sanguis, & remissio spiritus, in causa esse dicuntur. De insomnijs etiam multa quæstio, quando alij omnes somniare homines putent, alij minimè omnes, multosq; excipiant, vt videri potest apud Aristotelē in quarto de Natura animalium & apud Plutarchum in libro de Oraculorum defectu, de causa etiam insomniorum multa lis. Herophylus alia insomnia voluit naturæ adscribi, alia Deo mittenti, namq; putauit afformare sibi animam, quod futurum est vtile, & hęc voluit fieri simulachris incidentibus, cùm quæ volumus spectamus in somnis: sic & Vergilius, *an qui amant sibi somnia fingunt.* Alia quæ Deo inspirante euenire voluit, necessariò prodire non dubitat. Hinc de diuinatione per somnum multa est orta dissensio, quam alij animæ diuinitati ferūt acceptam, eam verò Epicurus & Xenophanes sustulerunt, reliquit Aristoteles, sed nō clarè satis, quid ea de re senserit, dedit intelligi, quoniam diuinationi per somnum nec accessit omnino, nec ab ea prorsus abhorruit. Qui locus, quoniam tractatus à me olim, nisi fallor, plenissimè in libris de rerum Prænotione, à functionibus animæ ad corporis constitutiones eiusq; partes & affectiones descendere iam possumus.

CAP. XVI.

IN HVMANO CORPORE CONSTITVENDO, INQVE ipsius affectionibus proprietatibúsve decernendis, inter Gentium philosophos etiam Medicos miram dissensionem viguisse.



HVmanum corpus post primam hominis conditionẽ constitutionémve, super qua discordes Philosophorũ sententias retulimus, hominis enasci semine ferè omnes philosophi conueniunt. Sed ex quibus fiat istud semen, & quidnam sit & à quo depromatur: Itemq; ab vno tantummodò mare, an etiam à fœmina? Multa certè & magna lis, quę duobus & eò amplius annorum millibus sub diuersis agitata iudicibus, adhuc sine fine perseuerat. Alij ex quatuor elementis, alij ex quatuor qualitatibus ea consequentibus, & humoribus ex illis quatuor constitutis, componunt. Non defuêre autem qui ex tribus componi dicerent, vt in Isagogico Galenus ipse commemorat, tria porrò illa numerabantur, sicca, humida, spiritus: qui quidem spiritus secundùm antiquos in naturales & animales dirimebantur: tertium Stoici introducebant habitualem: alij alia. Alchmeon cerebri partem esse semen putauit. Pythagoras maluit esse optimi spumam sanguinis, idque quod ex alimento superfluit generationi seruatum. Plato defluxum cuiusdam medullæ, sic & antè Hippon, & alij cogitârant, vt est apud Censorinum. Alij ex carne & adipe deriuatum maluêre. Aristoteles & in vniuersum magis, & cautè quoque magis locutus, id censuit esse semen, quod in se ipso commouere posset ad perficiendum tale quiddam, quale id est, à quo excernitur: & quanquam inter genituram & semen distinguat libro primo de Generatione animalium, & genituram spumam procedente opere vocat, semen autem excrementum, hoc est, reliquias alimenti censet, & partem, vtilis excrementi longa disputatione colligit, tamen decima problematum particula in Alchmeonis sententiam procliuis videtur fuisse, cùm scripsit videri semen è cerebro per spinam labi: idque argumento esse voluit, quod castrati boues maiora gerere cornua videantur, & mulieres, & pueri non caluescant: & in secundo de Generatione animalium simile esse cerebro semen voluit, quoniam aquosa eius materia est, & calor aduentitius. Epicurus dixit esse quod ab anima & corpore simul euelleretur, ipsum ab omni deduci corpore & principalibus maximè partibus existimauit, atque hinc etiam orta controuersia, quoniam à partibus corporis quod educitur, corpus esse conuincitur, sed multi incorporeum quiddam semen esse putauerunt. Alij quo ad vim incorporeum dixêre, quo ad materiam verò esse planè corpus. Aristoteles eos qui ab omni parte dixerunt semen excerni, non mediocriter vrget, eorumque ad id probandum rationes super vehementia voluptatis, super mancis infantibus, quos manci, scilicet, parentes generauerint, super similitudine parentum, quas nati referant, super totius & partis proportione maximè fundatas, acriter impugnat primo libro de Generatione animalium: Vnius autem ne viri partes essent illud proijcere, & fœminæ solæ partes, illud ipsum excipere, mira dissensio. Pythagoras, Democritus, Hippocrates, Epicurus, & fœminam quoque semen proijcere sanxerunt. Aristoteles diuersè decreuit, quanquàm sunt qui velint eum idem sensisse, inter quos Lactantius. Post Aristotelem verò Galenus eo posthabito veteribus accessit. Auerrois postea hoc minimè probato sectatus est Aristotelem, omnisque ferè medicorum posterior caterua super hac re, & decertauit olim, & ad hanc diem planè decertat. Sed reuertamur ad veteres: Aristoteles & Zeno nouo quodam vsi commento sunt, vt quod sensu quandoque perceptum est, negare minimè viderentur. Fassi enim sunt humorem quendam, nequaquam tamen seminalem manare à fœmina instar sudoris, qui ob exercitium excutitur, tametsi Aristoteles non vsquequaque diffiteatur, aliquod semen à fœmina prodire: nam quarto de Generatione animalium semen fœminæ appellat, & procedente opere, menstrua dicit esse semen inconcoctum. Hippon autem prodidit non minus à fœmina, quàm à mare seminis effluere, atque à viris ossa, à fœminis verò carnem constitutum iri. Aristoteles verò in secundo de Animalium generatione, materiam, corpusq; à fœmina ministrari censet: à mare autem vim atq; animam sensilem præberi.

Porrò mariũ in vtero qui generentur, causam alij in semen in quo ipsa sit sexus cõtrarietas

trarietas retulêre, inter quos Anaxagoras: Locum etiã matricis dextrũ & sinistrũ quoquomodo in causa esse voluêre, quando hinc fœminas, inde mares proficisci dixerũt. Alij maluêre in vterum causam referri: ex calido enim vtero mares, ex frigido fœminas deduxêre, sicuti Empedocles: cur verò ea sit in vteris caliditas atque frigiditas, in menstruorum naturam retulêre. Democritus in vterum quidẽ causam reiecit, sed non calidum aut frigidum, at in quo semen obtinuerit, quod ab ea prodit parte qua mas & fœmina inter se dissentiunt, quod & refert Aristoteles quarto libro de Generatione animalium, & longo progressu cõfutat, longoq; discursu causam ipse refert in superãtiam potestatemq; principij, id est, seminis virilis & concoctionẽ, à qua cùm in cõtrarium declinatur, fœminã mari contrariam generari existimat, maris verò semen non superare, & ob iuuenilem, & ob senilem ætatem, & alijs etiã de causis existimauit: atq; inde etiam similitudines varias dissimilitudinesq; parentum auorumq;, & ex integro, & ex parte deduxit, agentis motui referens accepta omnia: quoniam nõ idem est, sed varius & actu, & potentia, & degener, & proximus, & propinquus, & solutus, quæ ille libro latissimè & verbis oppidò, per quã multis & sæpè repetitis explicuit. Fuêre & qui calidũ & frigidum magnum habere in sexus discrimine momẽtum arbitrati sint, proditumq; iam est nonnullos putasse primos terrigenas mares ad Orientem & Meridiẽ genitos: fœminas autem ad Boream. Contrà verò decreuit Parmenides in Boreæ frigus masculum referens, & hanc attulit causam, quoniã densi plus habet in sese vir: Rara verò magis in fœmina tẽperatura corporis, quare ad Meridiem potiùs illam, quàm ad Septentrionem ortam. Hipponactis autẽ sententia fuit diuersitatis causam in semẽ cùm benè compactum & robustũ, tùm & fluxile & debile magis esse referẽdam, huic fœminas illi mares acceptos & debere, & posse referri: quæ quidem mihi videtur & Hippocratis fuisse sentẽtia, in calce libri de Fœtu planè reposita, cùm de gemellis, siue maribus, siue fœminis, siue mare & fœmina disserit. Tum enim in crassius fortiusq; semen sexũ refert virilem, in humidius verò debiliusq; fœmineum. Fieri enim nõ posse censet vt semper simile sit semẽ, & quod primò, & qđ deinceps vno etiã in coitu eijcitur: quare debilius aliquãdo, & aliquãdo fortius haberi, vnde & masculus & fœmina generentur. Anaxagoras & Parmenides voluêre quod est ex dextra parte semen, dextram in matricis partẽ, quod è sinistra in sinistrã debere iaci: Cùm verò sit huius ordinis permutatio, tũ fœminas generari. Leucippus permutatis particulis id euenire docuit. Sunt & alia super hac re dissidia. Aristoteles in sexto de natura animaliũ dum de coitu fœtuq; ouiũ & caprarũ dissereret, sexum eorũ retulit in aquarũ diuersitatem, & præterea aquilonis flatibus mares, austrinis fœminas adscripsit. De hominibus verò in quarto de generatione animaliũ id sensit, quod suprà retulimus, quanquàm & ibi quoq; flatibus aquilonis magis quàm austrinis gigni mares asseuerauit, & aquas etiã in causa dixit esse, quoniã earũ plurimus vsus, vnde si crudæ frigidæ've fuerint, fœmineo partui cõducere putauit: terras etiã propter alimentum & dispositionẽ corporis, ex temperamento aëris continentis in causa esse voluit, cur sexus diuersitas paretur.

Sed fingamus inter eos conuenisse, quo pacto fiat hominis cõceptio & generatio, quod postea dissidium, vndénam sit huius hominis formandi & constituendi in vtero principium? Aristoteles primũ cor putauit fieri, quanquã secus Plutarchus existimat scribitq; placuisse Aristoteli vti non primò formetur cor, sed ὀσφύς. Quando & in fabricatione nauis primùm carina cõstruitur. Sanè Aristoteles cor primùm posuit, cùm alibi tùm vbi de iuuentute & senectute, vita & morte disserit, tùm etiam sæpenumerò in libris de animalium historia, precipueq; secundo de eorũ generatione, vbi id ipsum compertum dicit & sensu & ratione, indeq; venas, oriri scribit, & ex ijs quę de historijs & dissectione animaliũ edidit, patere censet. Medici quoq; cordi primatũ in generatione hominis dedere plurimùm, quanquàm Hippocrates maluerit vmbilico dari, & apud eum in libro de Fœtu, quẽ suprà citauimus, legi, se vidisse semẽ, quod sex dies in muliebri matrice mansêrat: atq; in eo mox saltibus eiecto cõspexisse, subtile quoddã quod sibi vmbilicus esse videbatur, & cũ illo spirare, & ex illo totam pelliculã, qua semen cõprehenderetur extendi. Plutarchus id sanxit in quo & venæ, & arteriæ. Sed & venas etiã oriri à corde voluit Aristoteles, vt diximus. Deq; earũ ordine & ductu, à Synesij Cyprio, à Diogene Apolloniata, à Polybio dissentit in tertio de Natura animaliũ. Alcmeon caput formari ante omnia membra voluit, atq; huius videtur opinionis etiã

Lactantius fuisse in libro de formatione hominis, sumpto ex auibus argumēto, quòd in eorum ouis sæpè deprehenderit primū oculos in fœtibus affingi: contrà existimauit Aristoteles in sexto de Natura animalium, cùm scripsit in ouo cor quasi punctum sanguineū in candido liquore cōsistere, quod & salit iam & mouetur vt animal. Nec defuisse credas qui cēsuerint magnum pedis, præ omnibus membris, digitū afformari, quas opiniones si eas nouisset omnes Ouidius, putarem sua illa pro irrisu cecinisse:

— fuit illa dies qua semina tantum

Spesq́; hominum primæ matrisq́; habitauimus aluo, vt, scilicet, semen dixerit, quia nihil aliud formatum esse prius aut posterius in aluo materna, philosophi concorditer decreuissent. Verùm consensu communi statutū aliquid de prima & reliquis afformatis partibus fortè (si placet) imaginemur, cessabunt, ne rixæ tamen super huius animalis origine? num & de tempore non vteri solùm ferendi, sed formationis in vtero præliabuntur? num & de ipso iam formato multa supererunt discussa semper, nec dum constituta: quo pacto videlicet nutriatur & augeatur? somniet aut vigilet in aluo materna? Prætereaq́; cùm videamus quorundam virorum semen minimè genitale, & fœminæ quoq́; prorsus infœcundę cognoscantur, num & super causa sterilitatis conuenient? minimè prorsus. Et cùm aliàs quoq́; videamus nō vnum tantùm, sed gemellos & plures etiam vno partu profundere? cùm item perperam fœcundas, & quæ pariant monstra spectemus, fortè harū causas rerum, & sciscitabuntur, & inuenient amabiliter? At sint omnes fœcundæ fœminæ, mares omnes genitali semine polleant, concipiatur infans integer vnus vel plures, si malumus, & nobis sit formidini sterilitas, prodant in lucē, similes etiam parentibus iudicentur: Isthæc rogo similitudo dissimilésne paritura est Philosophorū sententias? Crescat puer, adolescat, floreat etiam iuuentute: necnon quod plurimis optabile perueniat ad senectam, atq́; illa cùm plena malis mortē pariat: num super ijs morti saltem proximi conuenient, an magis altercationibus pressi & fastidio diem claudent extremum? indiscussum etiam relinquentes quid ipsa sit mors, quàm similis somni, eius videlicet somni tam diuturni salubris admonitio? Itaq́; singula examinemus, diuersa referentes placita. Futuri hominis in vtero iam per receptum semen concepti formationē incipere voluit Empedocles à sexto & trigesimo die, vniuersis autem partibus perfici ab undequinquagesimo, quadragesimo alij, quæ opinio in Aristotelē referri solet & Varronem. Certè apud Varronē in hebdomadibus situm ritè eas Gellius inspexit, nobis enim periêre, genitale semen primis septem diebus conglobatur, coagulaturq́; & fit ad capiendā figuram idoneū, quarta hebdomada futuri maris caput & dorsi spina informatur, septima ferè hebdomada totus homo in vtero absoluitur. Auicenna fœminæ formationem vsq́; ad trigesimum quintum, marem ad quadragesimum quintum vsq́; protendit. Sanè Aristoteles in septimo de Natura animaliū marem qui die quadragesimo ex abortione editus fuerit, mēbra habere discreta retulit, apparereq́; ipsum fœtum magnitudine formicæ maiusculæ, sed fœminā quæ infra tertiū mensem abortione ipsa eruperit, nondū esse planè distinctā. Asclepiades masculos ob calorē à sexto maluit & vigesimo incipere, finiri autem in partibus quinquagesimæ: A` secundo verò mense fœminis formandis initium, à quarto finem percipi. Hippocrates & rectiùs, vt mihi quidem videtur, sensit, & prudentiùs decreuit in libro de Fœtu: nam quanquàm quadragesimū fœminæ formandæ, trigesimum mari adscripsit diem, paulò tamē minus pauloq́; etiam plus temporis condonauit, placuitq́; ei plurimum in fœminis quadragesimus secūdus, in mare verò trigesimus. Manere autē in vtero septimū alij mensem, nonum pleriq́; omnes. Decimum non omnino pauci, vndecim quidā voluêre. Aristoteles in septimo de Natura animalium, vnum pariendi tempus cæteris animalibus datum, homini verò multiplex affirmat: nam & septimo, & octauo, & nono, & decimo, plurimum etiam vndecimum nonnullas fœminas mensem tangere scriptum reliquit. Alij etiam quatuordecim mensibus gestari posse infantem voluêre, qua de re satis egimus in commentarijs hymni nostri, qui est ad Virginem, dum carmina illa exponeremus:

— voluitq́; nouem gestarier aluo

Mensibus integris —.

Hippocrates decimū mensem assignauit maturo humano partui, & longo quidē progressu, nec vult longius datū esse pariendi tēpus, decipiq́; fœminas quæ id asseuerent, existimat,

existimat,vt quę vento turgeant matrices,turgere semine falsò cēseantur,nec breuiùs etiā datum putat,nisi aut vis quæpiam inciderit,aut defuerit alimentum. In libro verò de Alimento, & nonum, & decimum assignauit, & ocyùs, & seriùs etiam fieri partum voluit,quanquàm nec ocyùs multò,nec multò seriús. Varro in Hebdomadibus quadragesima hebdomada postquam conceptus est, nasci infantem voluit: At in quarto decimo rerum Diuinarū,vndecimo etiā mense,vt Gellius refert,nasci posse voluit, octauo etiā quandoq; natos affirmauit. Præterea verò inueni,qui diceret octauū mensem non aliquando solum esse vitalem,vti putauit Aristoteles & Auicenna,sed vtilem etiam partui,quod tamen negauit Hippocrates dicato libro: ita enim sensit Polybius & Diocles, quorū primus etiā sex mensium vitalē infantum nasci censuit, fieri autē vt septimo dicatur mense natū ob dierū qui à sexto transferuntur ad septimum. Contrà verò Aristoteles loco quem suprà citauimus,decernit enim fœtū,qui maturiùs quàm septimo mēse prodeat,nullo pacto esse vitalē: sed sunt qui voluerint vita frui posse infantē,qui è materno vtero prodeat,modò in eo permanserit centū & octoginta duos dies,& alteram diei partē.At maneant in vtero(si placet tamē Philosophis & Medicis) æquo infantes omnes tēpore,placebítne illis postea,vt æquè alimentum capiant? An magis illud eis ministrabit Democritus & Epicurus per os,Alchmeon per totum corpus, Stoici & plæriq; omnes per particulā & vmbilicū,quam & Anaxagorę fuisse opinionem quidā retulêre. Certè fuit etiam Aristotelis,qui augeri fœtus per vmbilici annexum,retulit libro de Animaliū generatione secundo,viq; ipsa nutriendi quæ in animalibus inest,agi statim vmbilicū quasi radicem in vterū asseuerat.Per vmbilicū certè augeri voluit Hippocrates & spirare, per os etiā & nares spirare pariter affirmauit, eodem libro de Fœtu. Sed putarem ego tùm cùm in vtero erant infantes,si ratione vti & philosophia valuissent, potuisse quidem aliquid constituere verius quàm per debiles quibus vtuntur côiecturas.Nam Democritus & Epicurus ideò nutriri putauit infantē nondum natum per os, quoniam statim genitus, fertur ad mammas ore comprehendendas, quia solitus sit quasdā in matrice mammillas ore desugere. Carunculam alij imaginantur, quos & refert, & reijcit cū ipso Democrito Aristoteles eodem secundo libro de Generatione animaliū.Alius tanquàm spongiā imaginatus infantē vndecūq; sibi attrahere circumfusum putauit alimentū: alij alia vt etiā dici ne animal, vbi statim nutriri & augeri incipit, non secus conueniant, ac in reliquis consensêre. De somno quoq; & vigilia dum gestantur vtero multa verba, discutit hanc rem Aristoteles, inter initia quinti libri de Generatione animaliū, atq; hinc an vigilia, an somnus præcedat? an veriùs prima illa dispositio, nō somnus,sed similis somno putanda sit?quoniam vita plantæ per id tempus animalia viuunt, & inquirit,& longa inquisitione torquetur.

Sed enim semen quo fiunt isthęc humana corpora eiusmodi potest esse,vt nunquā cōcipiatur rectè,idq; cū & ab alterutro, & ab vtroq; qui coëant in vnū vacantes proli, queat euenire,mirū quàm pugnaciter hac etiā de re discrepent philosophātes.Aristoteles quòd viri & mulieres nō progignant fœtus,in libris de Generatione animalium planè differit, nec omnino semel:in quarto enim dicit in causa esse defectus moderationis,aut caliditatis,aut frigiditatis: nā si calor valdè superat,exsiccat humorē,si multò deficit,nō concoquit,vt hinc eueniat,iunctos inter se cōiuges nō generare,disiunctos posse. In secūdo verò eiusdē operis nō in hominibus solùm, sed in cæterorū etiā animaliū genere vt equorū & ouium,quòd mares & fœminæ prolem nō faciant,euenire putauit locis ad coitum cōmodis oblæsis, siue ab ortu naturæ, vnde & quidā viri nō barbescant,& quędā non pubescant fœminæ,siue procedente ætate,propter corporis nutricationē pleniorē. Vnde viris pinguioribus semē,mulieribus verò mēstrua desunt, vtpote quæ in corpus absumantur. Morbo etiam fieri posse docet vt viris humidū nimis & frigidū semen emittatur,mulieribus verò purgationes vitiētur,& morbida reddantur excremēta:suprà verò,hoc est,primo de animaliū Generatione libro, sterilitatē ex immodico genitali membro deduxit, eò quòd semē longè admodū fertur, atq; ideò frigidū & infœcundum euadit. Diocles hominibus qui proli vacent, & spe frustrentur id in causa existimauit esse, quòd vel non soli semen iaciant, vel quòd minus sit effusum quàm oporteat,vel sit vitiatū,ac ꝓpterea minimè genitale,vel quòd membra sint resoluta, suopteq; destituta munere, vel existimat fieri posse ꝓpter obliquitatē virilis virgæ,qua nequeat rectè semē emitti,vel propterea quòd genitales tàm

 maris,

maris,quàm fœminæ partes inuicem non poſſint aptari,quod & putârunt Stoici. Puderet hæc me ſcribere,niſi multò etiam apertiùs ſimilia proderentur,in libris catholicæ noſtræ Eccleſiæ probatiſſimis,cùm de frigidis & maleficiatis agitur in epiſtolis decretalibus,& cùm de moribus ad ſalutem pertinentibus, & coniugum coitu à noſtris Theologis diſputatur, vt peccata quæ homines ſacerdoti, oporteat Chriſtiano ritu confiteri,queant internoſci. Itaq; Dioclis opinio ſic ſe habuit. Stoici etiamnum cauſantur inimicas eorum,qui liberis operam dant,vires & qualitates,quare putant euenire vt quæ cũ vno infœcunda fuerit viro, eam cũ alio vterũ ferre & parere. Contrà; qui ad nouam acceſſit coniugem,quod cum priore nõ potuit,effeciſſe vt conciperet. Medicorũ multi & præcipuè Eraſiſtratus culpam reijciunt in matricem,vel quòd craſſioris, vel quòd rarioris, vel quòd durioris temperaturæ ſit, vel item propterea quòd obturati ſint meatus, vel quòd carnei nimis, vel quòd imbecilles nimis & debiles,vel habitudinis malæ,vel quòd diſpergitur iam conceptũ ſemen,vel quòd conuellitur.In matricẽ quoq; infœcunditatis cauſam quo ad fœminam attinet, Diocles retulit, nec in matricẽ ſolùm,ſed & in ſemen quemadmodũ & in viro decreuerat:Sed de matrice differẽs teſtatur ſe ſpectaſſe in anatomes ſiue (vt Latinè dicam) in diſſectionibus, mularum, eaſdem quæ & mulierum ſterilitatis eſſe cauſas, & Empedocli ſubſcribit affirmanti nõ propter aliud euenire,vt nõ concipiant,ferantq;,niſi vel ob paruitatẽ,vel ob humilitatẽ,vel ob anguſtiam matricis,quæ diſtortè adnata ſit ventri,ita vt ſemen rectè in eam iaci nequeat,neq; etiã ſi iaceretur ſuſcipiat. Sed aliam ab ea quàm Diocles hîc attribuit Empedocli opinionẽ, Ariſtoteles in ſecundo de Animaliũ generatione illi ipſi adſcribit. Vtra verior præterquàm ex Empedoclis carmine, videri poſſe non arbitror,ait enim illũ putauiſſe quemadmodũ & Democritus putauerat, omnia quæ præter ſuã cognationem coëant,eſſe ſterilia: & ſuprà docuerat Ariſtoteles, in canibus, & vulpibus, & lupis, miſceri coitũ, & canes Indicos ex bellua quadã ſimili & cane generari. Atq; in auibus etiã id ſpectatum vt in perdicibus, in gallinis,in diuerſo genere accipitrũ. Addit creditũ etiam in marinis, vt Rhinobati videlicet ex ſquatina & raia naſcantur:in Africa quoq; idẽ fieri, vnde natum prouerbiũ,Africam ſemper aliquid noui afferre.Refert ipſe potiùs ſterilitatẽ in naturã & temperamentum equi & aſini,idq; lõgo progreſſu,& ſubtili quidẽ, neſcio an vera perpenſione vtriuſq; animalis,& naturæ, & qualitatis ſeminis, & temporis coëundi, quo fieri etiam quandoq; poſſe & factum eſſe dicit, vt mula concipiat, ſed non enutriat, maſq; itidem generare poſſit: Sed potiùs in continentis aëris naturam & qualitatem ſoli,& pabuli referri poſſet.Si verus eſt author Columella, Marcum Varronem,Dionyſium, Magonem,prodidiſſe mularum fœtus regionibus Africæ adeò nõ prodigioſos eſſe, vt tàm familiares ſint incolis partus earum,quàm ſint nobis equarum,alij prætereà authores idem prodidêre. At mulos neutiquàm generare putauit Alchmeon, propter ſubtilitatem ſeminis.

Sed redeamus ad homines quorum ex ſemine iam concepto,cùm tam diuerſa formentur: nã plures quandoq; & recti,& integri infantes,quãdoq; vix vnus isq; tam deformis,vt monſtrum nõ legitimus naturæ cenſeatur partus: diuerſæ'ne erũt ſuper hac re ſententiæ?quis dubitat? Empedocles duos aut tres vna oriri acceptũ retulit ſemini, qđ & nimis multũ ſit effuſum,& multifudũ. Ariſtoteles etiã 4.de Generatione animalium in ſeminis multitudinẽ refert,quod quoniam à natura quæ terminũ cuiq; rei ſuũ præſtituit,non quantælibet molis animal conſtituere poteſt,ideo plura gignit animalia:quæ cùm ab vniparis eduntur inter portenta numeranda ſint: hominẽ verò & vniparũ,& pauciparum, & multiparũ interdum eſſe. Aſclepiades ob differẽtiam corporum & proprietatẽ cenſet euenire,quandoquidẽ ſunt qui habeant ſemẽ magis: quàm alij genitale: ſic hordei aliquod granũ,binas vel ternas quandoq; ſpicas afferre. Eraſiſtratus (quod & euenire irrationalibus animantibus docet)id refert in matricẽ,quæ ſi bene ſit purgata,tũ in conceptũ ſit magis & prompta, & expedita. Stoici locos quoſdam,vel cellas plures imaginantur in matrice, in queis cùm ſemẽ inciderit, plures decernunt fœtus oriri,hos alij plures ſtatuunt,alij pauciores fuêre qui ſeptẽ in diſſectionibus dicãt repertos, alij negant,nec id cellulis,ſed quibuſdã quaſi rugis, & tanquàm ſulcis multiplicibus attribuãt, quare ſeptẽ duntaxat ſimul poſſe cõcipi plures nequaquàm,fuêre qui dixerint, quos paucis antè annis refutauit, vanoſq; fecit experientia, cùm Dorothea in Alpibus mulier (quod in cõmentarijs quoq; noſtrorũ hymnorum ſcripſi-

scripsimus) viro suo duplici partu 20. filios peperit, 11. vno, 9. altero, vt iam desinant mirari, qui apud Paulum Iureconsultum lib. 5. Digestorum legerunt in titulo: Si pars hæreditatis petatur, quinquies quaternos enixam Penelopem, & multas Aegypti vno vtero septenos, & qui apud Aristotelem quoq; legerunt, quandam quatuor partubus mulierem viginti fœtus edidisse, quintos singulis enixam partubus: scribit enim de natura Animalium 7, & de Animalium generatione 4. cùm alia singulos pariant, alia plures, genus humanum in ancipiti esse, proditq; & vnum fœtum, & duos, & tres, & quatuor, & quinq; cùm plurimùm simul nasci posse, id quod & Plinius recensuit: Non eo vero modo Gellius qui & retulit, Aristotele authore, hunc esse finem multijugæ hominum partionis, adijciens ancillam Augusti Cæsaris quinque in agro Laurentæ pueros peperisse. Sanè Hippocrates Gemellos tantùm citat, numerosi partus de fœtu differens omnino non meminit, quanquàm sinus & ipse multos, & inflexos, & sexui, propinquiores distantioresque citat, vt quæ numeroso conceptui sufficere queant, quoniam quæ multipara sunt animalia multos, quæ paucipara paucos, obtinere commonuit, cumque semen in sinibus diuisum pellicula obducitur, tum gemellos oriri. Monstrosos autem partus (nam sine manibus quandoque, sine digitis, sed & belluino persæpe capite gignuntur, & sex digiti homines, & vt sic dixerim quadrimanes) alij, vt Democritus refert, in duo semina, quorum alterum anteà, alterum posteà subeat, & confundantur, quam opinionem & recitat Aristoteles & confutat. Empedocles verò & alij in superantiam seminis, aut in eiusdem referunt defectum, necnon in motus principium, vel in diuisionem seminis. Placuit autē Stratoni id fieri, vel appositione, vel ablatione, vel transpositione, vel inflatione. Medicorum autem quidam, propter id quod tum euersa est, & inflata matrix. Aristoteles causam referre videtur in parentes & auos, lib. de natura Animal. 7. cùm læsos, & claudos, & cæcos, ex læsis, & claudis, & cæcis, scribit progenerari, & referre etiā næuos, & verrucas, & cicatrices auorum. In 4. verò de generatione Animalium causam reiecit in naturam, & diuersas conceptiones: quam ob rem monstra rarò fieri scripsit in ijs quæ singulos pariunt, motumque illum varium, de quo suprà sumus locuti, citat, qui iam sit ita solutus, vti materia non superetur, monstrumque affirmat fieri, & defectu, & superantia, & mixtione præter naturam. Inter monstrosa quoque numerandum esse filium, qui aut patri, aut matri non sit vllo modo similis ibidem censuit. Similitudinis autem causa dissimillimè proditur. Nam præter opinionem Aristoteles suprà citatam, quòd patri similes sint fœtus, Parmenides causam putauit esse semen, quod in dextram matricis partem ceciderit: Quòd matribus similes, quod in sinistram excretum semen sese receperit. Empedocles autem similitudinem omnem parentum in virtutem seminum refert: dissimilitudines autem accidere putauit ob id quod seminis calor exhalauerit. Refert Lactantius in libro de reformatione hominis natorum similitudinem, in semen alterius parentis, quod alterius videlicet semen superauerit, dum vtraque in se permixta semina coalescerent, id autem præualere quod vberius fuerit & alterum quodammodo amplexetur & includat, nec esse discrimen sexus vllum: Id enim euenire, siue mas fuerit, siue fœmina, quare quod potentius fuerit semen, & vberius secum trahere similitudinem, indeq; fieri, vt quandoq; vnius tantum parentis, proles lineamenta prætendat, si æqua verò fuerit permixtio figuras misceri scribit, vt aut communis soboles, aut neutrum referre videatur, dispares quoque fieri naturas existimat, cùm in leui vteri partem masculinæ stirpis semen inciderit: nam & si gignatur mas, aliquid tamen fœmineum præ se fert, lenitatem corporis, insignem formam, delicatos artus, exuberantem candorem, vocem gracilem animum imbecillum: Contraque ait masculam ita dixerim fœminam, si contrà fiat generari. Hæc autem quæ attulit Lactantius de antiquis eruta Philosophis magis quàm à se meditata facilè existimauerim: namq; apud Aristotelem quarto de Generatione Animalium, quod attinet ad similitudinē, duplex antiquorū refertur opinio similitudinis, & reijcitur altera ab vtrouis parente plus seminis venerit, ei similis proles magis generetur, quæ opinio ab ea, quā refert Lactātius, nihil videtur abhorrere. Alia vt multorum quasi mixtio seminum fiat vno in semine, quæ etiā non multùm euariat ab illa, & ab Aristotele non ita prorsus exploditur, vt impossibilis: Verùm si parentibus dissimilis proles: Alijs verò similis inuenta fuerit, maior admiratio, nec minor in

redden-

reddenda causa dissensio, quæ & dissidium sæpenumerò coniugum peperit, putantibus viris sese ab vxoribus deceptos, vnde vulgò ferè prouerbium emersit, cùm gratificari patri quis voluerit in prolē, non te, inquiūt, decepit vxor: casū id euenire medicorum plurimi voluerunt, idq; maximè dum semina viri, & mulieris nimiùm frigoris cōtraxerunt. Empedocles autē Pythagoreus phantasiæ cōcipientis mulieris acceptā retulit infantiū formā: cùm sæpenumerò accidat vt imagines quæpiā & statuæ sic mulieribus placeāt, sic ipsæ illis afficiantur, vt dùm concipiunt illarū memores, afformēt & producāt simillimos fœtus: quod fortè vt alia pleraq; de Sacris literis suffuratus est, exemplo ouium Iacobi Patriarchæ, vt opinionem taceam, Auicennæ in id ipsum ferè cōuenientis. Stoici verò συμπάθεια cogitationis, & defluxuū, & radiorū, excretionibus fieri alternas similitudines voluêre. Aristoteles superfœtatā vario semine mulierē, alterū suo marito, alterū adultero similem peperisse scribit in septimo de Natura animalium: factum narrauit, causam non discussit, existimat autē fieri, vt proles non parentibus, sed aui euadat similis, varij motus cuius suprà meminimus ratione, in quarto de Generatione Animaliū pertractati. Ipso verò in libro septimo exemplū affert filiæ ex adulterio Aethiopis in Sicilia natæ, quæ colorē patris non retulit, sed qui ex ea postmodū natus est filius, auo, scilicet, similis euasit. Fœminas magna ex parte matri, mares patri similes procreari censet, atq; etiā ex diuerso, cōtraq; fieri scribit, particulatim etiā similitudinem fieri docuit, atq; alia parte corporis matrē, alia patrem referre prolem consuêsse: naturæ etiā ratione alias sibi, alias suo marito similes generare, idq; æquè Pharsalicæ cognomine Iustę, exemplo confirmauit. Sed de causa huius rei postea latiùs in quarto de Animalium generatione disseruit.

Hic autē tot laboribus, tot ærumnis, & generatus, & natus homo, quo pacto postquàm cibū comedit nutriatur, nū fortè conuenêre? minimè certè, ne dumparum, vt Cornelius asserit, siquidē Hippocrates illū ipsum cibū putauit per calorē concoqui, quod & magna iuniorū turba existimauit. Erasistratus non in ventre concoqui, sed atteri cibum maluit, quod & placuit plærisq; sectatorum. Plistonicus autē his posterior, vt qui Praxagoræ fuerit auditor, neutrū arbitratus, putrescere cibum censuit, nō concoqui, nō atteri, cui multi consensêre, sed nihil horū placuit æmulis & asseclis medici Asclepiadis, quibus constitit crudam materiā sicut assumpta est in corpus omne deduci. Cornelius Celsus affirmat minimè ab vllo, quomodo id fiat scientia cōprehensum esse. Sed quoniam nutriatur hoc animal, compertum esto: Quandiu hac fruitur vita? quàm citò ad senectam omnibus expetitam, mox penè omnibus, vel inuisam, vel molestam peruenit? In Aethiopia triginta annorum senes esse, prodidit Asclepiades, in Britannia centū & viginti, causam retulit in calorem, qui maximè vrit Aethiopum corpora, solis ardoribus rariora: Densiora verò Britannorum corpora propter frigus viuaciora putauit. At Aristoteles de breuitate & lōgitudine vitæ disserens, lōgioris vitæ esse prodit qui in calidis quàm qui in frigidis nascātur locis, idq; etiā duobus problematibus, quartadecima Sectione cōfirmat, causamq; refert in naturæ firmitatem diuturnitatemq;, ex siccitate prouenientem, itemq; in humorē refert & calorem, qui diutiùs præseruatur, quarū rerum interitus est mors. Stoici defectui caloris adscripsêre senectutē, Aristoteles alibi multa adiecit, & cordis, & caloris, & humoris, mentionē fecit, de longitudine & breuitate vitæ, deq; senectute disserens, & vita, & morte, cuius caloris duæ essent corruptiones, altera violenta, altera naturalis ex inopia nutrimēti. At sit hoc vitæ spatiū longæuum, num sanitate fretū, an magis mille morbis interruptum? quorū causas Asclepiades reddidit, manātia corpuscula, quæ per inuisibilia foramina subsistēdo iter claudūt. Alchmeon qualitatū monarchię acceptas retulit, cùm vel calor, vel humor, vel siccitas, vel frigus, vel dulcedo, vel amarities, exuperat. Diocles morborū plurimos inæqualitati eorū, quæ in corpore sunt elementorū attribuit. Sic & quosdā ex sapientię professoribus existimasse Cornelius docet, aduersam videlicet valetudinē creari, cùm ex quatuor principijs, vel superat aliquid, vel deficit. Idem Cornelius affirmat Herophilo visum, omne vitiū in humidis esse, Hippocrati verò in spiritu: Sed Galenus in Medicorum Introductorio Herophilum Chalcedoniū & Praxagoram Coum, in humoribus causas ægritudinū posuisse dicit, Athenęum autem & Archigenem in spiritu. vnde & spiritales dictos enunciat. Alijs autem placuit, authore Cornelio, tum oriri ęgritudines cùm sanguis in eas venas quę spiritui accommodatę sunt,

ſunt, transfunditur, qua inflammationem, quam Greci phlegmonē vocant, excitat, & inflammationem talem effici motum voluit Chius Eraſiſtratus qualis in febre eſt, qui quidē Eraſiſtratus & Aſclepiades, authore Galeno, in ſolis principalibus & elementaribus particulis, cauſas morborū collocauēre. Sed enim legi Eraſiſtratum exiſtimaſſe morborū cauſam multitudinem cibi, & cruditatem, atq; corruptionem. Legi & apud Clementē Alexandreum, inter morborū cauſas varietatem eduliorum ab Antiphane Delio Medico numeratā, hinc dolor, hinc febris, quā alij caloris extranei & ignei vocabulo ſignârunt. Alij addiderūt ei finiendæ non parū multa. Eraſiſtratus febrem putauit eſſe motionem ſanguinis, qui ad vaſa ſpiritus accurreret, cui diuerſa quoq; ratio medendi: nam quidam voluerunt ægri naturam exploratam habere, ſiccitatemq́; humiditatemq́; corporis, vitæ genus laborioſum an quietum, cum luxu an cum frugalitate, conſuetudo quoq; degendæ vitæ, valida an infirma adſciſcenda, ex quibus curādi ratio ducenda eſſet: quibus reſtitit Eraſiſtratus, quoniam & alij, & iidem alias poſt iſta non febricitarent. Ipſe quoq; Cornelius ſcribit cauſas, quæ vel ſecundam valetudinem præſtent, vel morbos excitent, & quomodo ſpiritus, aut cibus, vel detrahatur, vel digeratur, ne ſapientiæ quidē profeſſores ſcientia nouiſſe, ſed cōiectura fuiſſe perſecutos. Sed eſto vniuerſa ætas tranquilla tranſigatur ſanitate, quotam eius partē ſibi vendicat ſomnos? de quo ſuprà dictum eſt. At cōueniant in ſomno Philoſophi, & fingant ſomno corpora nunquàm corripi: Vigiles ſint ſemper, num & mors propterea non obrepet? num & ſuper ea quid ſit, etiam apertè diſſentient? Alchmeon eam putauit euenire cùm totus in venas ſanguis omnino ſeceſſerit, Empedocles cùm ſanguis omnino friguerit, Diogenes cùm aëriū omne de venis exceſſerit, Plato & Stoici cùm omnino ſenſibilis ſpiritus remiſſiùs cōtigerit, Ariſtoteles cùm omne calidum in corde penitùs refriguerit, vel violenta extinctione, vel marcore ob ſuperantiam caloris, atq; ob humidi alimenti defectum: quod etiam prodidit in libro de Reſpiratione: decernit enim in libro de Longitudine & Breuitate vitæ calido & humido conſtare vitā. At ſenectutem, & mortem, frigore & ſiccitate cōtingere, eademq́; ferè in libro de Vita & morte diſſeruit. In Problematum verò ſectione quartadecima, mortem putredinem quandam eſſe, & caloris interioris refrigerationem affirmauit, & ſenectutem etiā putredine definiuit? Itaq; non in vita ſolùm, ſed ad mortem vſq;, de ipſa etiam morte Philoſophi corrixantur, vnde ſapientiæ præcellentis titulo dignatus Socrates, iſthæc poſthabuit, componendis moribus vacaturus, de quibus etiam moribus quàm diuersè, quamq́; pugnaciter philoſophentur, ordine conſequenti diſquiramus.

CAP. XVII.

QVOD DE SVMMO BONO, DEQVE HOMINIS FELIcitate, & multa, & magna inter Philoſophos Gentium bella fuēre, diſſenſionesq́; perpetuæ.

MAgna apud homines Philoſophos de bono cura fuit, magnaq́; prorſus altercatio, vti erit videri cùm tertio libro aduers9 morales Philoſophos diſceptatio referetur, maior autem quid ipſum eſſet ſummū bonum controuerſia maiorq́; pugna. Vnde & alia quoq; de bono in cōmuni (neq; enim quodcunq; bonū ſummum eſt bonum) viguit diſceptatio: nam quæ à quibuſdā cenſebātur bona, ab alijs ducebantur nō bona: vnde & bonorū, & malorum, atq; eorum quæ indifferentia vocarentur, nata diſtinctio eſt, ſuper qua diſtinctæ quoq; Philoſophorū opiniones atq; ſententiæ. Quo factū eſt, vt de virtutibus quæ ideò magno habitæ ſunt in precio, quoniā ad bonum ferrent, pugna ſuboriretur. Virtutes inquā morales, hoc eſt, non quæ à natura profectæ (illas enim neq; laudandas, neq; vituperandas Philoſophi penè omnes voluēre) ſed quæ à ratione, & voluntate, liberoq; ductæ arbitrio, atq; vſu confirmatæ, in morem procubuēre: vſu enim mores introducuntur. Super ijs itaq; qui Philoſophos conueniſſe putaret, quàm longiſſimè aberraret à via idq; minus credenti fiet manifeſtum controuerſijs eorum explicatis, ſed ſummi boni nunc habenda mētio eſt. Summū hominis bonū & finē, decreuit Epicurus eſſe, vt ille Græcè dixit τὸ ἥδιστα ζῆν, hoc eſt, ſuauiſſimè viuere, vt boni authores retulēre: licet apud Gelliū illa ſummi boni ab Epicuro ſit allata definitio σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα, quaſi dixeris, bonā habitudinem. Aduerſum quem philoſophorum multi inſurrexēre, alios fines,

fines, alia introducentes bona quæ summa ipsi censerent: Ac Plutarchus eousq; etiam prouectus in librum Epicureos conscripserit, cuius titulus ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως κατὰ Ἐπίκουρον, quod neq; dabatur suauiter viuere secundùm Epicurum, hoc autem suauissimè viuere voluptatem esse finiebant: sed minimè concorditer. Alij enim corporis, alij animi, quidam vtriusq; maluerũt, alij etiam non summũ bonum voluptatẽ, sed summũ malum affirmauêre, inter quos Antisthenes Socraticus, insanire potiùs quàm oblectari cupiẽs, ac vt ipse dicere solitus μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. At Hierocles non Pythagoræus ille iunior quem confutauit Eusebius Cæsariensis Episcopus, sed Stoicus antiquior, finem voluptatis meretricium dogma nuncupauit. Critolao placuit voluptatẽ non solùm esse malũ, sed multorum parentem malorum. Speusippus autẽ sic malũ esse voluptatem, vt dolorem malum pronunciauit, bonum autem ex extremis ijs malis conflari. Plato verò adeò multiformis hac in re & varijs, quòd authore etiã Gellio in nono Atticarum noctium, eorũ quos memorauimus nonnulli inter se diuersi, ex Platonis verbis suas traxisse sentẽtias iudicentur. Sed enim Epicurus, vti diximus, varios sectatores habuit. Zeno verò Stoicus nec malũ nec bonũ, sed indifferẽs quiddam putauit esse voluptatẽ. Cyrenaici voluptatẽ esse assertores, quorum princeps Aristippus, dissentiebãt à plerisq;, atq; ij omnes à Democrito taliũ parente dogmatũ, qui pro voluptate ἐπιθυμίαν, quasi concupiscentiã dixeris bonorũ finem esse decreuerat. εὐαρέστησιν, hoc est, complacentiã maluit Heraclitus: & quanquã videri possunt hæ sententiæ cortice tenus cõcordes, si quis tamen eo dempto introspexerit nõ tantùm nominis, sed rei dissensionẽ deprehendet. Cùm enim diuersi sint hominũ appetitus, diuersè quoq; potest quisquam concupiscere, diuersè complacere sibi: Nam alij continentia & temperantia sensuum, alij dissolutione & intemperantia delectantur: quare sub dubio & in ambiguo reliquerunt, quid auditoribus darent intelligi. Bonum autem ipsum vacuitatem doloris Hieronymus existimauit. At id ipsum, quod magis omnino probabile, magisq; omnino persuasibile finẽ bonorũ Carneades & Clitomachus arbitrati sunt, quamuis etiã naturæ primis bonis omnibus aut maximis frui placebat maximè Carneadi, dũ turbam Stoicorũ illã incesseret, quę solã honestatẽ pręferre cõsueuisset.

Verùm tàm illi ipsi quàm mediæ Academiæ cultoribus adscribi solet, vti voluerint, finem boni in indaganda, quem alij in possidenda volebant veritate consistere, quæ quidem honestas consisteret veritate à natura profecta, idq; videtur explicuisse Cicero in tertio de Officijs: Etenim, inquit, quod summũ bonum à Stoicis dicitur, conueniẽter naturæ viuere, id habet hãc, vt opinor, sententiã, cum virtute cõgruere semper. Et paulò pòst: Illud quidẽ honestũ, quod ꝓpriè vereq; dicitur, id in sapiẽtibus est solis, neq; à virtute diuelli nũquam potest. Nota verò tria illa sunt, animi, corporis, externa bona, quibus & Peripatetici & Academici veteres bonũ metiebãtur, quanquã Peripateticus Diodorus indolentiã & honestatẽ iunctas prætulerit. Tria quoq; Dinomachi Caliphiq; sentẽtia, voluptatum cum honestate copulantium. Redeo ad antiquiores.

Pythagoras, vltimum existimauit bonum perfectissimam sententiam numerorum scientiã. Anaxagoras speculationẽ vitæ, & illam quæ ex ea sequeretur libertatem: Herillus Zenonis auditor cognitionem atq; sciẽtiam, Antisthenes alacritatem, Hecateus sufficientiam: Plato magnifica quadam vsus definitione, ipsam abscondisse definitionem visus est, multis finem bonorum statuẽs fieri Deo pro viribus similem: fieri autẽ posse virtutibus illis quatuor celebratis. Sed se ipsas docuit virtutes inuicem cõsequi, & vnius esse speciei, non autẽ vitia, vtpote quandoq; sese inuicẽ consequantur, quandoq; sibi aduersentur, vti prodit Origenes, esseq; illas excessus quosdã secundùm honorẽ & dignitatem, quoniã eius nihil sit preciosius, nihil honoratius, secundùm essentiam verò quasdam mediocritates esse definiuit. Socrates verò iustum esse voluit εὐδαίμονα, hoc est, felicem: nam quod Græci εὐδαίμονα promunt, in felicis nomẽ vertêre Latini, & quẽ ὄλβιον dicunt Graij, beatũ Romani transtulêre, & huius sanè quã illius si origo videlicet & cõpositio spectetur vocabuli, maior in translatione similitudo, quãdo beatum quasi benè auctũ voluêre Latini: illi ex toto & vita nomen ὅλ' βίω conflauêre, auctu autem facile, totum nos consequi facilè videmus. Quanquam inter beatam & beatissimam vitam distinguat apud Ciceronem Marcus Varro, illamque solis animi bonis haberi posse, hanc verò minimè ni corporis & quæ dicuntur externa, adiungerentur. Ergo felicem Socrates vocare consueuit eum qui esset exornatus virtute

iustitiæ,

iustitiæ, & impios nominauit, qui quod vtile dicitur à iusto dispescerent, solùm id esse vtile putans, quod honestum esset. In hunc pleriq; sunt inuecti, iustum ab vtili discernentes, vel ex eo quod iniustum posset quoquomodo videri vtile: iniustum verò, ab inutili disseparatum censeri, quod enim iniustum, id noxium, quod autem noxium, neutiquam vtile. Cornelius Celsus (vti Augustinus refert in primo Soliloquiorum libro, vbi cum suamet ratione disputat) summum bonum esse sapientiam, summū malum, dolorem corporis affirmauit. Vetus Academia, authore Polemone, finem putauit bonorum honestè viuere, fruique rebus his quas primas homini natura conciliet. Timon quiete & tranquillitate qui vteretur, felicem putauit. Ephectici omnes imperturbationem felicitatis adamabant loco, idem ferè quod Timon, qui à Theodoreto socius & æqualis est habitus Pyrrhonis, à Sexto verò præco prophetáve, à Laërtio discipulus. Timon, inquā, Phliasius Scepticus philosophus, & poëta * Sillorum scriptor. Simonides cuius hac in re sectatum placita Aristotelem, sunt qui censeant, primùm sanitatem prætulit, deinde naturalem pulchritudinem, mox sine dolo diuitias, quorum contrariam paupertatem, Theognides fugiendā putauit per inaccessas petras & fluctiuagum mare: cui & non nihil adiecit ille qui cecinit, *dicacitatū

Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

At Stoici illi veteres, de quibus diximus, neutiquam assentiri Aristotelicæ sententiæ pulchrum homineq; philosopho dignum putauerunt, opinati finem bonorum esse virtutem, quando se ipsa illam ad beatè viuendum esse contentam arbitrabantur: ac denique summum censebant bonum esse conuenienter naturæ viuere, nihilque animam vel iuuari corpore vel noceri, neque ad virtutem si noluerit sanitate cogi, neque ad vitium præter sententiam, sed alij alia de bonorum finibus, vt Euclides Megaricæ conditor sectæ docens esse summum bonum quod simile sit, & idem semper, vt alij quoque diuersa progressi via. Sed hæc ex authoribus magni nominis decerpta, sint satis.

CAP. XV.

DE BONIS, MALIS, ET INDIFFERENTIBVS, quàm variè & differenter Philosophi Gentium decreuerint.



AT enim diuisionem bonorum, malorum, indifferentium, plerique Stoicis referre acceptam videntur. Origenes Platonem eius authorem facit, qui alia dixerit sine medio, alia cum medio, siue mediata (si dicere liceat) Græci ἔμμεσα vocant: Sed bona à Platone diuisa prodit Apuleius in libro de Morali philosophia, in eximia, prima, & per se, & per præceptionem bona. Sed & præter hæc rerum quoque media posita ab eo sunt, qui velint, atque in primo membro somnum vigiliamq; & huiuscemodi cętera collocari: In secundo bona & mala: In tertio quæ vtriusq; extremi naturam participant, vt rubrum quod albi & nigri particeps est. Sola verò & propria bona quæ sunt in animo, quæ circa corpus & ad externa pertinent, non vera bona. Vt hinc fortasse ille cecinit:

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus vsq;
Auroram & Gangem paucos dignoscere posse
Vera bona.

Atque hanc præcipuam inter Platonem & Aristotelem dogmatum dissensionem enumerant nonnulli, quoniam hic & bonis corporis & externis, bonorum nomen imposuit. Sed & inter ipsa quoque media siue indifferentia, vt nonnullis dici placuit, non exiguum discrimen, nam illa ipsa sub certa lege quidam reposuêre. Alij eiusmodi esse dixêre, vt eis homines & vti possent, & abuti. Sed enim ea ipsa diuisione plerique philosophorum cùm vti solerent, Xenocrates nullo pacto plurali vtendum numero censuit, sed singulari, hunc in modum: Quodcunq; est, aut bonum est, aut malum, aut neque bonum, neque malum: & cum alijs demonstratione firmare diuisionem minimè curarent, solus id tentauit. Alij aliter partiebantur ità diuidētes: Rerum quæ sunt, alia indifferentia dici debent, alia differentia, & hæc in bona dirimebant & mala, in quo rursus controuersia: nam fuêre qui de natura pendere illa vellent, fuêre qui prorsus abnuerent. Iterum quoque discordia super indifferentibus, quando nonnullis

placuit indifferens trifariam capi, nonnullis displicuit. Rursum eorum quæ sunt indifferentia, alia προηγμένα, quasi dixeris præcedentia, alia non præcedentia, alia quæ neque ijs, neq; illis eueniret. Et hęc fortè sunt illa quæ Cicero in Tusculana quinta, præcipua vel producta dici Stoicis asserit, à Peripateticis bona nuncupata. Idem author quæ ab illis commoda, à Peripateticis bona docet, appellari, qua de re Augustinus in nono de Ciuitate Dei ex Gellij Epictetiq; sententia disputat, & commoda à bonis verbo magis quàm re seiungi ita existimat, vti non tàm rerum sit, quàm pugna verborum. Cæterùm & in bonis discordia: Nam bonum definiebant Stoici vtilitatem vel ab vtilitate non differens, vtilitatem autem virtutem vocabant, non differens autem ab vtilitate, virtute præditum hominem: ac bonum ipsum trifariam partiebantur, in id videlicet in quo erat vt intus prodiret vtilitas, id est, virtus atque in id quod eueniebat, vt quis vtilitate commodum caperet, vti virtus, & præditum virtute officium. In illud item quo fiebat vtilitas, hoc autem esse & virtutem, & virtute præditum officium, & virtute præditum virum: & Deos (vti dicebant ipsi) & virtute præditos, dæmones, putauerunt. Atq; ita secundus gradus primum comprehendebat, & tertius ambibat vtrunq;. Alij verò dixêre bonum esse quod per sese eligendum esset: Alij maluerunt finiri bonum id esse quod conduceret habendæ felicitati. Alij quod ipsam perficeret felicitatem, quam Stoici finierunt εὔροιαν βίου.

Pari autem pacto super malo digladiantur, super ijs etiamnum quæ dicuntur indifferentia præliantur, ea vno modo volūt esse, quibus nec fuga fiat, nec appetitio. Alio quibus alterutra eueniat, sed altera nō magis altera. Tertio quibus nec ad felicitatem, nec ad miseriam fiat accessio. Qua de re multæ deinceps natæ sunt controuersiæ, quid enim afferat vtilitatem, quid sit eligendum, quid felicitatem vel efficiat, vel perficiat vt statuatur, hinc inde bella pugnata sunt. Naturam alij virtutem volunt esse, alij malunt voluptatem, sunt qui præeligant indolentiam, nec desunt qui alia consciscant. Necnon quid sit indifferens & quomodo, & cuius ordinis, ambigūt, certantq;. Exemplum capiamus in sanitate de qua tot literis aduersa pugnantiaq; mandata sunt, vt si quæpiam referantur, queamus existimari, fecisse satis ad alia condiscenda, de quibus vti de regno corrixantur Philosophi. Sanitatem igitur alij in bonis ducendam rentur, alij minimè, & eorū qui boni eam natura donant: alij maximū bonum dicunt esse illam: alij minimè: & ij rursus qui eam minimè ducunt in bonis: Alij inter ea quæ dicuntur indifferentia præcedentia collocauêre, alij inde penitùs exemerunt. Putauit sanè Simonides nullam habere sapientiæ gratiam eum, qui non haberet honestam sanitatem, quod antè Lycimnus putauerat, mox & Herophilus, sapientiam, insusceptilem & incertam artem, & vires imbelles, & diuitias inutiles, & vanam rationem existimauit, absente sanitate: & hæc quidem ille vt Medicus propriam laudabat artem, & in libro de diæta ita scriptum reliquit: Crantor verò primas tradidit virtuti fortitudinis: cui proximam fecit sanitatem: in tertia collocauit sede voluptatem: quartum diuitijs locum assignauit. Stoici nullo pacto bonum esse voluêre, sed ex tertio modo indifferentiam capiendam volunt, quæ nec ad felicitatem conducant, nec ad miseriam. Et in primo ordine indifferentiam, quæ illi προηγμένα vocant collocādam: Morbum autem ijs quæ ἀποπροηγμένα dicunt connumerandum censent. Ariston verò Chius contradixit apertè, nec inter ea quæ προηγμένα solent nuncupari, putauit sanitatem esse reponendam. Sic igitur bellum perpetuum & incerta victoria. Rursum cùm bonorum tria genera statuerit Aristoteles circum animam vt virtutes, circum corpus vt sanitatem, atq; externa, vt amici, diuitiæ, & cętera id genus. Stoici plures, & ipsi bonorum species non refutauêre, sed commodorum (vti diximus) libentiùs nomine vsi sunt: quædam autem omnino bona, quæ nec circa animam, neq; extrinsecùs essent, aut adinuenerunt, aut inuenisse gloriati sunt, verbi causa, virtute præditum hominem ad semet solùm non ad alios relatum. Et quæ Peripatetici bona putant corporis & externa, ea in bonis minimè ducentes, virtutem solam ducunt amplexandam: voluptatem verò quam multi bonum censent, alij nō parum multi vt superiori capite diximus malum eam non bonum esse voluerunt, & Cleanthes illam nec putauit à natura proficisci, neq; vllam habere in vita dignitatem: Archedemus à natura quidem proficisci non abnuit, dignitatem nihilominus annuit non habere. Panætius quandam existimauit esse naturalem voluptatem, non tamen omnem. Nec defuêre inter Cynicos, qui

voluptatem malum putârint: sed hac de re capite superiore satis abundeque disseruimus.

CAP. XIX.

QVOD DE VIRTVTIBVS ET LEGIBVS INTER Philosophos Gentium multa discordia.


HIs omnibus de rebus effectum est, vt non consona modò de moribus, & virtutibus dogmata literarum monumentis prodita sint, sed dissona & pugnantia: Nec inter populos modò & sparsas mundo Gentes, quorum ritus & mores innumeri, totidemq; penè, vt scribit Plinius in septimo, quot sunt hominum cœtus, sed inter ipsos, qui alijs duces & magistri degendæ vitæ preponebantur, philosophos. Virtutes putauit Aristoteles & Peripatetici omnes medias esse, inter duo extrema vitia, vt liberalitas verbi causa inter prodigalitatem & auaritiã constituta. Stoici hoc nullo pacto admittunt, & hanc spernũt mediocritatem, sicut & misericordia, & huiuscemodi quibus animus afficitur patiturq;, nullo pacto ducant inter virtutes: Adeoq; discorditer hoc negocium de moribus est pertractatum, vt quæ putabantur apud aliquos virtutes præclarissimæ, apud alios vitia putarentur, & contrà quæ aliquibus pellebantur vt noxia, & vitabantur vt vitia, à quibusdam vt virtutes, vt saluberrimi omnino mores exciperentur. Ipsas verò virtutes alij voluerũt hominibus adnasci, alij acquiri studio & industria, alij diuinitùs dari, qua in re etiam non sibi ipsi consensisse Platonem, Philosophus & Martyr Iustinus asseuerat. Fuêre autem ex nostris nonnulli, posterioribus seculis, qui quod ipsi inter sese non potuerunt efficere, conati sint in alijs: Ac tales propterea distinctiones attulêre vt alter in alterius gratiam hoc in negocio redire potuerit, diuersis considerationibus, videlicet & effectus, & causæ, & inchoatæ, & perfectæ virtutis: & quanquàm in plerisq; maiorem verborum, quàm rerum pugnam esse dicerent, aliquam tamen propterea in rebus pugnam esse non negauerunt. Sed enim pugna non in virtute solùm ipsa atque vniuersum cõtingit, sed in plerisq; omnibus, vti & turpe, & illegitimum, pulchrum & secundùm leges à diuersis habitum sit: Impium & nephandum, & scelestum, pro pio & religioso sit cultum & sancto: qua de re tertio huius operis agemus, cùm aduersus morales Philosophos non opinionum varietates solùm & frequẽtia dissidia, sed Scepticorum argumenta ducentur in medium, quæ eo confirmabuntur, quod & exempla nationum, & doctrinæ Philosophorum afferentur super bono ipso & malo, huiusq; fuga & illius desiderio tàm varia, vt nihil ferè magis varium possit excogitari. Sanè in ipsis officijs non aduersæ modò inter se sectæ, sed diuersissimi inter se consectanei. Panætius ab alijs sæpè discordat, alij à Panætio: Hecaton eius auditor sextum de Officijs librum quæstionibus refersit, in quibus terminandis Antipatri & Diogenis Stoicorum sententias affert sæpè contrarias, de quibus est apud Ciceronem tertio libro de Officijs multa videre.

Cæterùm & Philosophorũ plurimi, & scriptæ leges, quid scriptæ leges? innata prorsùs & inusta naturæ lex iubet iustitiam seruari in omnes, nec cuiquam noceri, multò minus proprios filios non occidi: At Solon non Philosophus modò, sed sapientię cognomine dignatus, legem tulit Atheniensibus, qua proprium filium vnicuiq; permisit interficere. Lex erat Britannis vt viri multi vnam haberent vxorem. Lex apud Parthos vt vna mulier plures haberet viros. Apud Persas lege latâ matres, sorores, filiæ, patribus, fratribus, filijs nubebant. Lex apud Getulos mulieribus virorum, viris mulierum officia præscribebat: alia quoq; multa enormia planè & scelesta, apud mores & leges diuersarum nationum, apud ipsos quoq; Philosophorum mores & Politicos Moralesq; eorum libros tertio huius operis libro legi poterunt. Sed & nostræ ætatis ciuilibus in legibus multa & visuntur & leguntur tanquàm legitima, quæ nec seruantur, nec per diuinam legem seruari licet, tanquàm prophana & scelesta: de vsuris, de diuortijs, de concubinis, alijsq; nonnullis, quorum multæ leges in Digestorum libris spectantur, & in eis etiam quæ seruantur, certè multa diuersitas, non modò inter Gręcos, sed inter Latinos quoq; qui à Græcis acceperunt. Ac Græcia quidem ipsa inter se pugnax & varia, in ipsaq; legum origine aut mentita aut planè superstitiosa. Minos enim ab antro Iouis suas habuisse leges clarè testatus est Zaleuchus à Minerua, Ly-

curgus à Pythio oraculo, alij aliter. Neque enim vanum illud oraculorum authoramentum, persuasit Mytilenæis Pittaci legibus nõ audire,& Atheniensibus Draconis, Solonis,Clysthenis,& Thebanis Philolai, & Pylijs Nestoris, & Argiuis Apidos, sed variæ ciuitates varijs in Republica legibus vsæ sunt,varias quoq; Philosophi præscripserunt,vt apud Platonem & Aristotelẽ suis in libris, vbi de Republica & legibus agunt, apertissimè videri datur;quisq; enim ferè suas commentabatur leges,hinc & apud Latinos mira varietas : nam quanquam ius fieri & suum vnicuiq; reddi voluerint, etiam ipsæ Gentes non solùm nostri, eoq; plurimum spectet omnis ratio ciuilis disciplinæ: quo pacto tamen id ipsum ius, quod eo dictum quasi iustum sit, plurimi voluêre, debeat internosci,multa discordia : primùm quod Legum interpretes ipsi variarum sectarum,varios Philosophos sunt imitati, siquidem à Stoicis alij,alij ab Academicis & Peripateticis pendere visi.Labeo Platoni addict⁹ multa nouauit in legibus Romanis, cuius & noster Augustinus mentionem facit, & Pomponius Iureconsultus primo digestorum libro latè meminit. Marcianus quoque eodem libro Chrysippum in lege definienda sequitur. Celsus Theophrastum de legislatorum officio præscribentem amplectitur. Veram Vlpianus cum Celso,nisi fallitur, philosophiam affectat,quam si rectè signasset,multùm illi posteritas debuisset.De hac enim re,vt vidimus,multa ambiguitas,multa discordia. Deinde & qui dijudicare ipsum debeat ius,qui eo iure agere,qui repelli,iure vario sancitum est. Hinc de iudicijs, & iurisdictione omnium iudicum, & de actionibus, & exceptionibus,diuersa tractantur : Multa actoris,multa rei atq; patroni,variaq; officia constituta. Multa & varia pœnarum genera:Multa agendi atque probandi præscripta: Nec vllæ penè communi consensu regulæ.Siquidem quę Romano non subdebantur imperio,suas habebant leges, habentq; proprias non solùm extra Europam ciuitates & regna. Sed nunc in ipsa Italia Venetiæ (quæ autẽ subsunt Romano imperio vrbes & municipia eius ipsius authoritate Imperij) suis legibus, suis statutis vtuntur, quanquàm sese aliquando referunt ad ciuiles & antiquas Romanorum leges, quarum innumerabilia volumina conscripta olim sunt. Sed earum (vt verbis vtar Tertulliani) totam illam veterem & squallẽtem syluam legum nouis principalium rescriptorum & edictorum securibus truncârunt, vanissimas quoq; Papias leges post tantæ authoritatis senectutẽ à Seuero principe scribit exclusas. Sed maximo nihilominus numero legum habebantur volumina, quę resecauit & ad pauca redegit Theodosius Imperator. Deinde illa ipsa Iustinianus volumina enucleauit atque digessit, super eis etiam ad hanc diem bellant acerrimè causidici. Quoniam ea sunt plurimùm,vel responsa prudentium,vel edicta Romanorum principum,vel Plebis aut Patrum scita atque consulta. Nam vt olim Gentes & nationes(quod est in Iustini historici Epitomate)nullis legibus tenebantur,& arbitria Principum pro legibus erant,tamen vbi leges petitum Romani miserunt,eorum ad arbitrium & ad responsa, ipsis reditum Romanis est,adeò sæpè iniqua, vt Opilius Macrinus Imperator, quemadmodum in eius vita Iulius Capitolinus retulit, statuisset, omnia rescripta veterum Principum tollere,vt iure non rescriptis ageretur,nefas esse dicens leges videri Commodi & Caracallæ,& hominum imperitorum voluntates. Sed etsi lege agatur,si Plebis etiam Patrumq; firmata consensu, multa nihilominus ambiguitas, ideò non exactè omnium consonat mentibus,vt pote quæ non omnino perspicua cuiq;,sed probabilis,nec ratio reddi potest omnium quæ à maioribus introducta sunt, vt Iulianus scribit primo Digestorum libro,titulo de Legibus & Senatusconsultis, & longa consuetudine : neq; etiam inquiri oportere rationes eorum quæ constituuntur,alioquin multa ex ijs quæ certa sunt subuerterentur, eodem & titulo, & libro scribit Neratius, qua de re Legislatores antiqui,vt agentibus probarentur, quos, scilicet, humanus omnium consensus nõ probasset, ille ab antro Iouis,alius à Pythio oraculo, alius à Minerua suas leges traxisse fabulatus est, nec satis esse arbitrati,si à naturæ lege quam vitiauerant deriuare suas leges ipsi videri possent, vel per modũ conclusionum, vel per communium determinationes particulares,vt mos est loquendi Neotericis Theologis, quia, scilicet, deprehendissent, diuina opus esse authoritate propter humani imbecillitatem ingenij. Ratio enim in plurimis hominibus, & imaginationis, & sensus impetum, sæpenumerò sequitur : & vt quisq; affectus est & delinitus,ita frequentissimè iudicat, vnde videas ab alijs cædes, ab alijs libidines, ab alijs alia vitia aut admitti

(vt dixi-

(vt diximus) aut si non admittantur, vel negligentiùs, vel seueriùs vindicari: de cæteris quoq; idem iudicium, cùm aut plus æquo & sensui & imaginatrici indulget potestati ratio, aut minus quàm par est, si opus fuerit, apertè reluctatur. Cæterùm quia suapte natura probabiles erant leges, hinc factum vt alia multoq; minor probabilitas, emanaret. In eis enim interpretandis vel propter legum contrarietatem, vel propter sensum earum qui sese variè offert varijs contemplantibus, Iureconsulti dissenserunt, & iuris ipsius statutas regulas, alius aliò trahere conabatur, & non sensa modò, sed verba interpretabatur variè, vt hinc ad aliam sequioris ordinis probabilitatem iudicium traheretur: fiebat enim vt vnusquisq; quem malebat sequeretur genus, videlicet, infimum probabilitatis. Atq; ita tot seculis humanum genus ciuili tumultu exagitatum est, ijs in suam sententiam vel leges, vel interpretum responsa trahentibus, qui opes inde aut quærere, aut conseruare partas procurassent, quo factum vt dissentientes inter se interpretes, tàm varias iudicum sententias pepererint, quàm leges ipsæ vel contrariæ, vel ambiguæ, varia interpretum dissidia cumulauerant. Accessit quòd nulla videtur in rebus humanis regula à qua quicquam non possit excipi, & auxit sæpenumerò difficultatem quæstio facti, testium vocibus plurimum terminanda, qui vitiari solent multifariam, proptereaq; vel non esse vllo modo factum, vel non ita, aut quantitate, aut qualitate, aut respectu loci, temporis, solet afferri. In vitijs etiam arcendis nō variæ modò pœnę: Imò varia si vitia censeri deberent, inter Legum positores dissidia, necnon inter ipsos quoque philosophos. Nam in ipsis quæ omnes vitia fassi fuissent, quanta inter Stoicos Peripateticosq; dissensio? cùm ij vitium aliud alio maius esse dicerent, illi prorsus negarent, & æqua esse omnia vitia magna voce contenderent: Alij etiam vitia non esse disputarent, quæ alij pro vitijs exterminassent, vnde & leges quoque variæ prodirent, & in damnando, & in permittendo, & in ambigendo, quid permitti damnariq; deberet, anxijs plurimum eam ob causam philosophantium animis: vt hinc celebrandi Sacras literas magna quoque præbeatur occasio, apud quas illud scribitur: *Lex Domini immaculata conuertens animas.*

CAP. XX.

EPILOGVS PRIMI LIBRI IN EXAMEN VANITAtis doctrinæ Gentium, vbi & de veritate & excellentia Sacrarum literarum agitur.



Pparere sanè incipit & liquidò quidem, incertā esse omnium Gentium philosophiam: nam cùm varium sit philosophandi genus, variæ philosophantium sectæ, varia dogmata philosophorum, qui principes habentur, inter quos nec philosophia diuidenda, nec in ipsa iam diuisa conuenit, & quod multò est deterius, cùm ipsi inter sese de rebus si non singulis, certè & primis & maxis, & cognitu dignioribus, altercentur & pugnent, nec adhuc pugnæ finis inueniatur, quid restat prætereà vt non ipsa Gentium doctrina & vana, & incerta prorsus iudicetur? Damnata hæc à Xenophonte ἐν ἀπομνημονεύμασι ex ipsa discordia, vt etiam Philosophos qui sublimia naturæ quærerent speculamina, similes furentibus longo pulchroq; discursu iudicârit. Irrisa hæc à Luciano in Timone, ob eandem contentionem, cùm iocatus in Iouem eorum aures obturatas dicit disputantium clamoribus Philosophorum, atq; ob id preces non audire. Magna hæc quoque censura Senecæ notata, de liberalibus studijs disserentis, quòd ad syllabarum scilicet dictiones, & coniunctionum ac præpositionum proprietates descenderent philosophi, vt diligentiùs scirent loqui quàm viuere. Fabius Quintilianus affirmauit sui temporis Philosophos plærosq; non virtute ac studijs, vt haberentur Philosophi, laborasse, sed vultum & tristitiam & dissentientem à cæteris habitū pessimis moribus prætendisse. Taxata hæc eadem à Cicerone in opere de Legibus, dum narrat Gellium proconsulem Athenis Philosophos qui tùm erant, in locū vnum conuocasse, vt aliquando controuersiarum aliquem facerent modum: quòd si essent ex animo vt nollent ætatem in litibus conterere, posse rem cum eo conuenire, & simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid conuenire de eorum inter se dissensione. At quanta illa quæso, & quàm multiplex, & quàm interminata discordia? vidimus enim

quanquàm nec omnes dissensiones collegisse fateamur, nec ipsis in dissensionibus enarrandis vno modo scribant authores, quàm & magna est, & quàm multiplex, variarumq; ambiguitatum fœta dissensio: vidimus sectarum principes & consectaneos, & in vniuersum, & per partes dissidisse: Ac singulatim enarratis dogmatibus, de rerum principio variè atq; pugnaciter decreuisse, in causis etiam rerum naturalium in ipsaq; natura principijsq; materialibus discordes fuisse: In mundo constituendo, in decernendo illius fine, in dimetienda magnitudine, in designanda figura, & huiuscemodi cęteris, planè inueniri varios, inconstantes, atque pugnaces. Iam de ipsius mundi partibus, cœlo & stellis cùm differerent, nihil eos ferè vna voce proferre, cùm de imis & aëreis disputarent affectibus, plures induere facies quàm autumnus. De homine verò cùm docerent, nihil docuisse, de eiusdem anima cùm disputarent, tàm incõstanter id effecisse, vt caruisse illos anima suspicari quispiam posset, nec philosophos fuisse, sed euanidas potiùs vmbras & simulachra viuentium. Mitto de animæ functionibus atque muneribus varia iudicia, sileo de corpore, taceo prorsus de hominis felicitate, & summo bono, & moribus, quis id queat haberi: Cùm in his omnibꝰ nihil certi statuerint & pacati, sed omnia & nutantia, & bellici plena tumultus, oppidò quàm insipienter effuderint, adeoque vanè vt sub ambiguo etiam reliquerint deprehendi rerum ne veritas possit an minimè? Studium prætereà inter eos præcipuum, vt alter alterum incesseret, & qui posterior esset eos qui ante se scripsêre vexaret. Plato enim superiores omnes tanquàm censor notauit, quod maximè videtur fecisse in Theeteto, atque in Sophista dialogis. Platonem Peripatetici incusârunt: Noui Academici Peripateticos & Stoicos. Hi verò & in Peripateticos inuehuntur, & inter se cõfligunt, ab ipsisq; eorum primordijs factionibus æstuârunt, atque, vt ait Numenius, inter sese adeò diuisi fuerunt, vt alij magis, alij minus se Stoicos esse faterentur. Sceptici in omnes argumentati sunt, eoq; res deuenit, vt non verbis modò, sed pugnis (vt ille inquit) bellum inter Philosophorum sectas iniretur.

Conferamus hæc literis Veteris & Noui testamenti sacrorum eloquiorum, à quibus nostram, id est, Christianam disciplinam petimus, & in illo veritatem sub nube figurarum atque velamine contemplamur, in hoc eam ipsam cernimus clara & manifesta in luce reuelatam. Conferamus, inquam, nostram disciplinam quam verè discimus ex Sacris literis cùm doctrina Gentium, quæ quod non didicit, sæpenumerò docet, modò falsò, modò incertè, vt mittam quàm arroganter, & inter conferendum, horum veritate & pondere, illarum vanitatem faciliùs deprehendemus. Quid pondus, quid vanitatem dixi? quando vnum dogma ex Mosaicis, Propheticis, Euangelicis, Apostolicis literis in examine positũ, omnibus qui in altera lance collocari queant Gentium doctrinis, longè præponderet. Sanè videbimus si in trutina ponantur, cùm multa & digna scitu, & prorsus vtilia, tùm illud in primis, quòd sicuti rude illud ignarumq;, & parui semper apud bona iudicia momenti: ita & philosophorum hoc, longè eruditissimum, multæq; æstimationis & gloriæ,

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

In vnum autem eximia concordia conuenit, nostrorum multitudo Theologorum, in Sacris literis omnino concors, in Ecclesiæ pręceptis admittendis obsequẽs, vna pollens fide, vna cõmuni spe freta, vna charitate suffulta. Si quid verò inter ipsos Theologos discordiarum emersit, id totum fluxit à fontibus Philosophorum, quando eorum lutulentam aquam augendæ potiùs quàm extinguendæ siti, per sese conducentem, limpidissimæ illi atque viuæ diuinorum eloquiorum venæ, quò magis hæretici homines proprij eorum erroris admonerentur, nostri seculis posterioribus Theologi miscuerunt. Verissima illa quidem & sacratissima eloquia, ab eiusmodi Philosphis, magno adeò in pretio habita sunt, vt ad ea cognoscenda nauigârint, exilijs veriùs quàm peregrinationibus susceptis, vt illa ipsa procallerent: ea de causa petijt Aegyptum Orpheus, & à Mosaicis didicit monumentis, vnum esse Deum qui coli deberet ab omnibus: Ea propter eorum quæ antea docuerat, cecinit palinodiam præclaro hymno, & hac de re Musæum admonuit. Thales Aegyptum inuisit eodem se Pythagoras & Democritus contulêre: nam & multò ante Philadelphi tempora, vt Aristobulus & Eusebius & alij meminêre: Lex Moysi in Græcam linguam, non exactè quidem vti posteà per duos & septuaginta Interpretes gratia Ptolemæi, sed vtcunq; fuerat con-

rat conuersa, vt pateret quoquomodo Græcè scientibus, quare non modò per viuas Interpretum voces. Id enim à nullo videtur posse negari, sed per sese aliquando legere vetusti illi Philosophi Moysi legem, si vera illi quos retulimus, narrauerunt, hoc est, eam ante Ptolemæi tempora in Græcam linguam fuisse conuersam. Hinc satis colligi potest eos qui ante Septuaginta editionem Interpretum, dixerũt ignota Græcis Mosaica monumenta, vt videtur velle Augustinus in octauo libro de Ciuitate Dei, redire posse in gratiam cum illis, qui ante illa ipsa tempora Græcis nota fuisse, historiæ mandauerunt. Ii enim de cognitione non perfecta & expolita, siue Aegyptiorum, siue Hebræorum in Aegypto vel voce vel scripto interpretantium mentionẽ fecêre, qui Mosis tantùm libros transtulêre: Illi verò de perfecta & examinata, probataq; Septuaginta interpretum editione locuti sunt. Certè quacunq; via potuit in Mosaica doctrina, Plato tàm est versatus (si Numenio Pythagorico standum putemus) vt nihil aliud sit ipse Plato quàm Moses Atticè differens, si nostro Iustino & Philosopho, & Christi martyri, omnia inde præcipua ipsius dogmata traxerit, sed Ariopagi metu fabulis obtexuerit, plura quoque inde illum & traxisse, & inquinasse, non dicit modò, sed duobus libris probat Eusebius. Diuus quoq; Ambrosius cùm alia de Platone, tum illud præcipuè affert in libro de Bono mortis, quòd suos illos Iouis hortos, ex canticis Solomonis acceperit. Aristotelem quoq; à Iudæo quodam viro, & multa, & egregia didicisse. Clearchus Peripateticus in libro de Somno memoriæ prodidit, & Theophrastus atq; Porphyrius ex Hebræis multa laudauêre, vt facile est videre apud Eusebium ea ipsa ex parte referentem. In nouo quoq; Testamento multi Philosophorum insudârunt, idq; laudârunt inuiti, vt Amelius Platonicus & alij, de qua re quoniam & ab alijs, & à nobis etiam alias plæraque scripta sunt, nunc innuisse pauca quàm explicuisse multa sit satius.

Nostræ itaq; fidei dogmata diuinitùs tradita, diuinitùs etiam confirmata sunt, non fucis verborum vllis aut syllogismorum ambagibus: quãdoquidem rerum omnium maximum, vt ille inquit, iudicem decebat non argumẽtari, sed breuiter ac nudè pronunciare: addo & pronunciata firmare signis atq; portentis: neq; enim conuenit vt si diuina sint principia & supra naturam, deterioris generis debeant haberi ea quibus comprobentur: quare miraculis quoq; supra naturam confirmata, hinc mundi maxima est admiratio suborta & ipsorum illa veneranda philosophorum, qui & magis etiam demirati fuissent, si perspexissent & aduertissent animo, quòd principia nostræ Christianæ religionis sunt diuinitùs tradita, quod media signis diuinitùs editis robur accepêre: quòd finis est æterna felicitas, vt huius nostri syllogismi prima quasi propositio fides habeatur, diuino lumine patefacta: deinde tanquàm secunda subsequatur miraculorum innumerabilis multitudo ad ipsam fidem, & opera quæ inde promuntur confirmanda eodem lumine clarissimè perspecta, demumq; vita omnino felix ex ipsis veluti assumptionibus colligatur, diuino illo & præcellentissimo lumine in cœlesti sede consummata. Ipsis igitur in Sacris literis quæ à Deo profectæ sunt, veritas promissa, felicitas, constantia: In libris Philosophorum qui sensum maximè secuti & phantasiam, vanitas, incertitudo, dissidia, quæ quidem dissidia vbi hoc primo huius operis libro magna ex parte enumerauimus, authoritatibus freti, & tanquàm historia recensendarum opinionum vsi. Nunc rationibus & disputationibus id ipsum vt fiat, & tempus, & promissa postulãt: qua in re nec ab ordine abhorrebimus Aristoteli seruato in doctrina de animalibus edenda, quandoquidem quę ad eorum spectarent, materiam, nonnullis libris explicuit, historica vsus narratione, vnde & ij libri nõ de natura, sed de historia animaliũ Græca inscriptione notantur, satisfacitq; id ipsum quæstioni rei quod est, siue vt sit, neoterici quia est, solent appellare: postea verò seorsum alijs libris egit de partibus, & alijs de generatione ipsorum, vt causas, & finis, & formæ, quas esse propè easdem censuit, in illis quidem libris perquireret, in his verò postremis cum partibus ad generationem spectantibus, eam præcipuè quæ nomen efficientis accepit, vt quod historia experimentis nixa, quibusdam libris aperuerat, deinde reliquis libris id ipsum disputatio rationibus freta discuteret atque firmaret.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, ET CONCORDIÆ COMITIS, IN EXAMEN VANITATIS DOCTRINAE Gentium & veritatis Christianæ Disciplinæ,

LIBER II.

PROOEMIVM.

NIHIL ferè possumus comperiendæ gratia veritatis humanitùs excogitare, quod à veteribus Gentium Philosophis non aliqua sit nobis ex parte subindicatum: qui si conuenissent rectis præditi moribus, ab ea quis diuinitùs purgatis mentibus affulget luce collustrati, potuissent in posteros quicquid eis illuxisset veri, nulla inuidia refundere. Sed huc illuc per anfractuosas diuagati semitas, ad regiam ne conuenirent, aut ignoratione, aut ambitione, detenti sunt. Erat autem in causa quod & suapte natura veritas humano quæsita more, oppidò quàm difficilis esset inuentu, & inuenta maximo haberetur in precio, magnaq́ possessorem laude cumularet, quanquàm & insyncera, & plena difficultatum. Ii ipsi quoq́ Diuinæ hauriendæ luci ob vitiorum tenebras idonei minimè reddebantur, quando & idipsum lumē, quod quidem Propheta cecinit esse super nos signatū, quodq́ omnem illustrat hominem venientem in hunc mundum, & si non potuerunt penitùs abijcere, ei tamen nubes malè peruias opposuerunt: hinc Dei notionem naturaliter inditam & inustam mentibus humanis, vel disceptationibus tentabant abolere, vel si id nequissent, vitijs eliminare: illud autem & Philosophorum vulgus explosit, hoc verò Paulus condemnauit scribens: Cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificasse, aut gratias egisse, sed suis in cogitationibus euanuisse, & dicentes se esse sapientes, stultitia laborasse: *Et sanè alijs de veritatibus quid ipsi decernere potuerunt sapienter Philosophi? quando in vna tàm clara & ab ortu naturæ connata, tàm imprudenter hallucinati sunt, dubitantes an verum aliquod inueniretur? Non vsquequaq́ tamen obcæcati, vt in hoc decepti sint, id scilicet, esse difficile cognitu: qui enim absconditam dicebant veritatem & incomprehensam, minimè tamen se inficiari dicebant, posse comprehendi: Qui sempiternā sciscitatione contenti erant, alijs quidem negocium facessebant, nec inuenisse illam contendebant, dubitabundi verò manebāt ipsi nihilominus, & quærebant semper. At qui putabant se veritate potiri posse, & alias etiam se esse potitos, multò illam tamen studio, magnis quæsitam laboribus affirmabant, vt alijs etiam paulò minus inaccessam facerent, eatenus videlicet, vt qui paruo emptam vellent, magno tamen constare illam erudirentur. Sic alius in puteo demersam, alius in horrendis latitare antris dicebat. Atq́ ille in ea quærenda, ridebat hominum studia, & solitarius disputabat secum, sepulchrorum etiam habitator factus, hic eadem studia hominum, lachrymis prosequebatur: Ac principio se nihil scire, ad finem omnia scire testatus, obscurè tamen sic vt tenebricosi nomen inde susciperet, ab ipsa fortè bile atra percitus, qua laborasse illum scribit Theophrastus. Hinc ille in Dianæ templo talorum lusus, hinc odio hominum vita in montibus acta, hinc vitæ finis, non dignus Philosopho. Fuere tamen non multò pòst, qui magis in promptu illam esse contenderint, quorum dissensio falsum ab eis promi satis apertè significauit. Nam sensu nonnulli, plæriq́ phantasia, quidam intellectu, pars omnibus ijs modis deprehendi & dijudicari posse illam decernebant: contrà stabant alij, & vniuersim, & singulatim, multa fundentes, adeò vt ad tria hæc capita totum Philosophorum de veritate, an, scilicet, ea sit, an haberi possit, an vlla re peruestigari, negocium reductum est: vt alij censuerint necessarium esse, veritatis omne iudicatorium sublatum iri: alij relinqui, variè tamen hoc ab eis contendebatur: alij primis adhærentes magis, illa ipsa quæ ab alijs sunt relicta, debere tolli. De quibus omnibus præsenti libro disseremus non authoritatibus duntaxat nixi, quòd fecimus libro superiore, sed argumentis ipsorum vsi, quæ vbi pro viribus explicuerimus, veritatem ipsam, è Sacris haberi literis posse, indeq́ petendam esse subsignabimus.*

CAP.

CAP. I.

QVOD IVDICATORIVM ΚΡΙΤΗΡΙΟΝ *A GRAECIS vocatum, multis capitur modis, & quid eo agendum, quidq; hoc ipso libro tractandum, & quomodo.*



SVPERIORE libro monstratũ est, super veritate dissensisse Gentium Philosophos, quæsitumq; diu, nec planè & concorditer constitutum, ea ne per Philosophiam, rationalemq; eius partem haberi ab homine posset an minimè? nec iudicium aliquod fieri de ea posse, ex perpetuo Philosophorum bello colligere, satis apertè potuimus. Id autẽ & vniuersim ostensum est, & authoritatibus duntaxat probatum: Nunc & particulatim, & rationibus, id ipsum monstrandum comprobandumq; est. Occurrit autem primo veritatis κριτήριον quod dicitur à Græcis, cuius vice iudicatorium transferimus potiùs quàm iudicium, verbum reddentes verbo. Vt enim Peripatetici Latini æsthitirion apud Aristotelem, transferunt sensorium, & etiam instrumentum sentiendi: ita & criterion, iudicatorium vertamus, & instrumentum iudicãdi, siue locum iudicij: quare semper cùm de criterio erit mentio, iudicatorij vtemur nomine, & instrumentum quo fit aliquod iudicium, dabitur intelligi, & etiam locus quoquo modo, in quo causa siue lis iudicatur. Id autem nomẽ multifariam cùm sumi possit, priùs explicandum videtur, vt eo id in significatu capiamus, qui nobis est propositus, κριτήριον pro eo positum est, quo quicquam agimus aut desistimus in obeundis actuosæ vitæ muneribus: Pro eo item quod fidem nobis facit rei alicuius, sitne an minimè? & hoc veritatis appellatur iudicatorium, quòd & trifariam accipitur, communiter, propriè, magisq; propriè. Primo modo res quælibet qua vtimur ad quicquam deprehendendum, iudicatorij nomen accepit, vti visio, auditio, cæteri sensus naturales. Secundo modo omnis res quæ arte quicquam apprehendit metiturq;. Sic & regula omnis, & amissis, perpendiculúmve, quorum ope dignoscimus rectúmne sit lignum aut curuum? iudicatorij vice desumimus. Tertio res omnis cuius ope, vsúve, in rei latentis & minimè claræ cognitionem deuenimus: quare quæ rationalia duntaxat, & sunt, & habentur, iudicatorij nomen præcipuè obtinuêre, quem in modum, qui dicuntur dogmatici Philosophi, ad veritatem iudicandam ferri solent. Hoc autem rationale iudicatorium, tribus & ipsum modis accipi consueuit: nam id à quo est, & per quod est, & secundùm quod est. Ita enim illi ὑφ' οὗ, δι' οὗ, καθ' ὅ, id autem à quo dicitur esse iudicatorium, homo est, per quod verò, sensus, siue mens: At secundùm quod, phantasia imaginationéve, quando eius intermedio, homo ducitur ad iudicandum quicquam eorum, quæ solent in medium gratia disputationis afferri. Sic & in ponderibus examinandis tria hæc videntur conuenire: Adest enim artifex, qui metiendo ponderi vacat & bilancem tenet: Adest & statera ipsa siue bilanx per quam pondus libratur: Adest & positus quidam stateræ ipsius, & habitus, secundùm quem aut huc, aut illuc vergit. Homo igitur componitur ei qui pondus librat, ab eo enim fit iudiciũ. Mens & sensus stateræ comparantur, per quam fiunt iudicia: Phantasiæ verò iactus & habitudo quædam, positioni & habitudini stateræ coaptatur, secundùm quam persuaderi solet homini vt quicquam dijudicet. Hoc itaque iudicatorium veritatis, quidam existere affirmauerunt, vt Peripatetici, Stoici, & prætereà non parùm multi: alij negauerunt prorsus, nonnulli sub dubio reliquerunt, & qui affirmauerunt: alij in ratione collocârunt, alij in actionibus duntaxat irrationalibus esse voluerunt, alij in vtrisq;.

De ipso igitur in primis iudicatorio videtur agendum, opus est enim eis qui veritatem sibi consciscere artificiosè volunt, ante omnia sibi & principium & modum inueniendæ illius constitutum, & ratum habere: quòd si nutauerit, non solùm authorum dissensione perpetua, sed vacillauerit prorsus & rationum vi, & experientiæ potestate: sanè tum & reliqua infirma, nutabunda, ruinosa esse liquidò conspicietur. Itaq; hoc secundo lib. de iudicatorij veritatis differemus infirmitate. Primùm dispicientes vllúmne habeatur in cõmuni veritatis iudicatoriũ, vllúmne verum in cõmuni apud Philosophos constans habeatur: Deinde vtriusque tàm iudicatorij quàm veri ipsius opiniones

opiniones diuersas, diuersasque rationes, quibus in illis aut comprobandis, aut refellendis vsi sunt Philosophi, seorsum referemus. Inde Scepticorum contradictiones afferentur in campum, aduersus eos qui affirmauêre veritatis esse κριτήριον: & ordine consequenti de eo cui nomen factum est à quo, exin de alio cui obtigit nomenclatura per quod, de tertio demùm quod solet nuncupari, secundùm quod, tractabimus: Postea de vero ipsa existat an minimè? & si existat quibus id in rebus liceat deprehendere, non iam in communi, vt antea, sed particulatim singulatimq;, singulorum diuersa placita, diuersasq; in illis comprobandis rationes, quemadmodum in iudicatorio seorsum facturi sumus, referemus. Demùm vbi sit veritas indicabimus, quæ omnia statuto iam ordine vbi discussa absolutaq; fuerint, tertio libro manus admoliamur, vbi quænam in liberales artes & omnem Philosophiam argumenta Sceptici excogitârunt, explicabuntur. Quæstio igitur de iudicatorio veritatis nobis opportunè suscipitur euentilanda, non solùm quia homo suapte natura animal est veritatis amicum, nec ob id tantummodò quòd pulchrum, & præclarum plærique omnes existimant, eorum in quibus sectarum principes, & totius humanæ Philosophiæ præsides digladiantur: sese aliquando pacatè potiri posse: sed propterea quod de ijs quæ sequentur Philosophiæ partibus vniuersis, vlla ferri sententia nequit à Philosophis Gentium, hoc quasi totius controuersiæ probatissimo teste, imò omnimodæ causæ arbitro, non adhibito in consilium prius, & non audito, & diligenter non auscultato. Vides enim alios veritatem sese & nosse, & docere iactantes: Alios bene sibi & gloriosè putantes actum, si eorum iactantiam frenare potuerint. Rursus adsunt qui præcipitem, vt putant ipsi, vel auferentium assensum, vel cohibentium temeritatem reuocare, & ad iudicium vel sensus vel mentis adducere, dignum homine Philosopho coniectentur. Ergo cùm tota quæstio propositióve quæstionis, contineatur duobus vocabulis, iudicatorio videlicet & veritate, quæ ab ipso vero, vt quidam putant, comprehenditur. Non enim vt nostri Theologi, ita & Philosophi Gentium omnes, & maximè Stoici decernunt, vt illa abstractum sit nomen, hoc concretum, atque illud transcendens etiam vocabulum habeatur, sed aliter omnino vt sumus dicturi, & quidem arroganter (vt videbitur) præcipiunt, cùm inquam tota quæstio & iudicatorio & veritate, siue vero contineatur: ac de iudicatorio quo ad nomen attinet, quotque modis capiatur, iam egerimus, nunc an sit aliquid, quod sub eo nomine verè & sine controuersia iaceat, disquiramus. Deinde id ipsum de veritate vel vero, pari pacto percepturi, mox ad alia quæ promisimus, exequenda, seorsum vtrumque discutientes, quasi à summo ad imum progrediemur.

CAP. II.

VTRVM HABEATVR ALIQVOD VERITATIS IVDICATOrium, vtrum verum vllum in communi reperiatur an minimè, quàm multæ rationes hinc inde afferantur. Ibiq; etiam quod verum sit, quòd veritas: multæ tàm Stoicorum, quàm Peripateticorum nostrorumq; Theologorum sententiæ.



Taque sunt qui affirmant aliquod esse iudicatorium veritatis, quando ferè ita omnibus videatur: contradicunt Sceptici nec admittunt consecutionem, quoniam quod est tale, potest tamen tale videri. Iterum possunt eos vrgere Dogmatici, vt tentet ipsos quod negauerant fateri: quos ductum naturæ constat agi, vel ad appetendum quidpiam, vel declinandum, & pro confesso quoque positum præscriptumque est, cùm afficiuntur molestia, cùm lætitia mulcentur, habere sese aliquod quo veras esse, non falsas, non illusorias affectiones eas percipiant, nec posse illos abnegare dum leges suscipiunt patrias, dum docentur, se prorsus carere iudicio, se lumine aliquo interiori non pollere, quo vel benè, vel malè, vel verò, vel falsò agere, nō internoscant. Respōdent ipsi iudicatorij cuius suprà meminimus, multa distinctione vsi, fatenturq; ne omnino sine actione sint, ne asymboli ab hominum consortio maneant, suscipere se aliqua sine discussu, sine controuersia, quę vbi sub examen Philosophiæ euenerint, alia quæstio enascitur, (neque enim eo progressi sunt vt negent quod videtur) sed eo ipso ducuntur ad agendum: an

dum: an verò id quod videtur ita sit, & tale vti videtur, de hoc multa & magna quæstio, adeoque multiplex, vt semper ab illis discussa & disputata, nunquàm verò aut constituta sit, aut decreta. Sed enim aduersus illos qui iudicatorium constituunt veritatis, hunc ferè in modum Sceptica familia disputat. Vos quæso Stoici & Peripatetici, & quicunque in hoc albo estis, vt sit iudicatorium, vos appello, vtpote quibus non conuenit, qualénam id sit, & quo numero? qui verò negant, videri quidem ita non abnuunt, sed esse non consentiunt: Ambigimus nos & adhuc disquirimus, tàm multiplex igitur discordia dijudicaríne potest an minimè? Si dijudicari nequit, nobis consentire, cohibentes assensum & vestigando philosophantes, si potest, quo id fieri queat modo? nobis etiam communicate. Sed qui hoc valetis? quando adhuc decretum non est, non modò quòd sit, sed an sit vllum, qua super re ipsi, perpetua lite maceramur. Rursum vt de iudicatorio componatur discordia, oportet nos habere iam confessum & cõstitutum iudicatorium, vt ipsa, scilicet, discordia tollatur, vt in alterutram partem sit aut non sit ipsum iudicetur: Atque vt queamus iudicatorium habere certum & constans, principio tolli est opus & iudicari, multiplicem de eo ipso discordiam: si autem iudicatorium iudicatorio dijudicari dixerint, in infinitum rem abituram qui nesciat inuenitur nemo: pari pacto ad infinitam disquisitionem occasura res est, si demonstrationis (qua de re sumus latè disputaturi) mentio fiet: nã demonstratio iudicatorio indiget (nulla enim sine iudicio sensus aut intellectus, aut vtriusque demonstratio communietur) vt apertè & extra omnem controuersiam notum est ijs, quibus aut Peripatheticorum, aut Stoicorum tractatus de Demonstratione perlecti sunt, ne dixerim in manibus sumpti. Si autem demonstratione iudicatorium indiget, circulo res agitata perpetuo nunquàm terminabitur, cùm alter altero, & alterutro alterutrum semper indigeat.

Sed aiunt esto aliquod habeatur iudicatorium, id vanum, inquiunt, & inutile, cùm verum suapte natura existátne an minimè, clarum non habeatur: Veteres enim Philosophi verum à veritate trifariam secreuerunt, essentia, constitutione, potestate: essentia quia verum dicebant incorporeum, corporeã veritatẽ: verum enim, si Stoicis audimus, est vt λεκτὸν, id est, dictum, ita transferre nobis liceat siue enunciatum, & ἀξίωμα, id est, dignitatem: quod nomen Cicero in prima Tusculana vertit pronunciatum. Veritatem verò scientiam omnium verorum declaratricem, quæ quodammodo ductrix habeatur, huiuscemodi autem vocant corpus: est enim secundùm ipsos spiritus. Constitutione autem, quoniam verum simplex quiddam esse putabant, vt verbi causa, ego scribo. At veritatem decernebant multorum quæ vera essent, cognitione constitui: potestate verò quoniam veritas scientia haberetur: verum autem non omnino: quapropter in solo sapiente & virtute prædito, volunt veritatem inesse Stoici: verum autem & in ignaro esse posse non negant, quem vera quandoque fari contingit. At verum ipsum subsistat an minimè, dubitant quam maximè permulti: & quoniam in ipso circumscribitur veritas, quæ dicitur multorum, quæ vera sint collectio, eædem ferè lites & dissensiones quæ & suprà sunt allatæ. Sed de hac omni re procedente hoc ipso volumine dubitatio sumetur & perpensio fiet. Nostri verò inter quos Augustinus præcipuè in libro Soliloquiorum primo vbi, cum sua ipse disputat ratione, ita veritatem à vero, vti castum à castitate distinguit: veritatemque verò præstantius affirmat, quoniam si quid verum est, veritate ipsa verum esse differuit. Alij verò ex nostris de quo etiam est apud Sanctum Thomam, veritatem quidem & verum trifariam acceperunt definieruntque. Primò id in quo verum fundatur, atque ita Augustinus dixit verum est id quod est: præcedit enim rationem veri ipsum ens, tanquàm fundamentum. Secundò id quod propriè ipsam veri rationem perficit, quo pacto dicitur veritas, conformitas, & intellectus, & rei: æquatur enim res intellectui, atque hinc fortè dixit Aristoteles in libro Peri herminias, ex eo quòd res est, vel non est, aut veram, aut falsam dici orationem. Et in quarto Metaphysicæ facultatis, inquit, verum dicimus cùm dicitur esse quod est, aut non esse quod non est. Tertiò effectus veri verum solet appellari, quem in modum Hilarius vero censuit ipsum esse manifestari, & Augustin⁹ in libro de Vera religione docuit, id quod est, ostendi veritate, & secundùm veritatem de rebus inferioribus iudicium ferri. Res item, intellectus, & qui inter ea medius est sensus: qui, scilicet, & res iudicat, & ipse

& ipse ab intellectu iudicatur, eique etiam confertur, vt res quædam & index rerum inferiorum: Atque vt semel dicatur tam veri fundamentum, quàm & terminus, & ipsa quæ inter ea est habitudo, atque relatio, veritatis exprimitur nomine: & à quibusdam dicitur in re esse vt in causa, in anima reponi vt in subiecto, oratione verò tanquàm signo exprimi & indicari. Vtcunque verò statuatur, multa veri & falsi nomine signantur: ipsum autem verum & veritatem atque horum iudicium quemcunq; Philosophorum in suam trahere velle opinionem, & suprà satis est patefactum, & operis progressu maximè declaratum iri existimamus.

Quare nostris ad præsens omissis, Philosophorum in Philosophos disputatio referatur. Aiunt enim cùm tanta sit de vero & veritate controuersia, quanta & de iudicatorio fuerit, diuersis Philosophorum sectis & negantibus, & asserentibus, & ambigentibus, quî fieri facilè potest vt disceptatio tollatur? qui enim verum aliquod esse fatetur, si sine demonstratione id protulerit, ei fides non habebitur, ob varia dissentientium Philosophorum placita, si demõstrationem afferre tentauerit, ea si falsa fuerit, repellatur, si veram dixerit esse, circulo res euoluetur, quia per demonstrationem vt vera sit quæretur: quæ demonstratio an vera iterum an falsa sit, demonstratione patere conueniet. Itaque fiet vt hæc per illam, illa per aliam ita fulciatur, vt ad nullum tandem finem sit inquisitio peruentura. Ampliùs aut quæ videntur solùm vera sunt, aut quæ non videntur: vel eorum quæ vera sunt, alia videntur, manifestáve sunt, alia minimè: nihil autem horum verum esse dicunt, nullum igitur verum: si enim solùm quæ videntur apparéntve nobis, vera sunt, vel omnia dicent esse talia vel quæpiam: at si omnia dixerint, sermo circumuoluitur subuertiturq;. Videtur enim aliquibus nihil esse verum, neque enim quispiam suum authorem alieno iudicio in pari causa iure postponet: quod si aliqua responderint ex ijs quæ videntur esse vera, absque iudicatorio si id responderint, quo pacto res occasura est? neque enim poterunt hæc ab illis ita secernere, vt aliqua vera, aliqua falsa pronuncient, vsi autem iudicatorio, aut manifestum dicent & apparens illud ipsum iudicatorium, aut minimè: hoc autem neutiquam dicturi sunt, sola enim ad præsens vera supponimus esse, quæ videntur, quæ apparent, quæ manifesta sunt: Quare manifestũ & apparens id esse fatebuntur, quòd vbi dixerint, instabimus ita: quoniam quæritur quænám apparentia sint vera, quænám falsa: idcirco quod sumitur apparens manifestúmve ad iudicandas res quæ videntur, in eadem etiam ipsum quæstione versabatur, vtpote apparens, quare alio egebit apparenti iudicatorio, num verũ sit an falsum vt internoscamus? & illud alio, deincepsq; alio aliud, adeò vt finem inquisitio non inueniat.

Sed cùm infinita iudicare nequeamus, etiam non poterimus certò comprehendere an sola quæ nobis offeruntur apparentq;, iure meritoq; vera iudicari debeant? pari pacto eueniet si sola quæ non videntur, quæ manifesta non sunt, quæ minimè patent, vera esse dixerimus: omnia enim vera esse non dicent: neque enim quispiam rationabiliter dixerit, pares haberi stellas, neque etiam idem meritò affirmaturus est impares. Atqui si rem aliquam quapiam alia re dijudicauerimus, vt hæc quidem non manifesta neq; apparentia dicamus esse vera, illa minimè, apparenti aliquo tanquam iudice, si sententiam non feremus, eadem nos circumstabunt, quæ suprà, scilicet, presserunt incommoda: si verò eo quod non est apparens, tanquàm arbitro laturi sententiam sumus, tum alio non apparenti egebimus arbitro: nam quærimus quæ non apparentium vera, quæ falsa sint: quare opus erit vt hoc non apparens (quando etiam de illo disquiritur cùm inter non apparentia reponatur) alio itidem quod non appareat iudicemus, hoc ipsum autem non apparens obscurumque & ignotum siue non manifestum, alio item ignoto dijudicemus, vt nostra tandem ad infinitum excurrat oratio, quò fit vt obscura solùm ignotáve siue non apparentia vera dici non debeant. Reliquum est vt id promant eorum quæ vera sunt, alia esse apparentia, alia minimè, quòd quidem absurdum fuerit: siue enim omnia tàm non apparentia, quàm apparentia vera censuerint, siue aliqua apparentia, & aliqua etiam nõ apparentia vera esse dixerint, anceps incommodum non vitabunt: nam si omnia, eorum rursus peruertetur oratio, concussuri enim sunt velint, nolint, esse vera, & non esse vera: nam verum illicò pronunciabitur & pares esse stellas, & impares: Si secundum dederint: quomodo iudicabimus vt eorum quæ appareant, hæc quidem vera, illa verò sint falsa? Si enim ap-

nim apparēti aliquo vtimur ad arbitrandum, nostra dubio procul in infinitum abibit oratio. Si verò non apparenti arbitro maluerimus vti: Tum quoniam quæ non apparent, indigent iudicio, quónam teste, quo iudice quæso sumus ad iudicandum vsuri? manifestóne an obscuro? apparenti an ignoto? siquidē apparenti circulo semper agitabitur oratio: hoc enim per illud, rursumq; illud per hoc, diuersisq; & permutatis vicibus id fiet, inuicemque alterum altero probabitur: si dixerint non apparenti iudicium fieri, tùm res ad infinitum progredietur: pari pacto eueniet, si de obscuris & non apparentibus idem habeatur sermo, quando quidem si quispiam obscuro quopiam & ignoto iudicare ipsa tentauerit, illis ipsis infinita prorsus sese præsentabit oratio. Si apparenti & claro, tum si semper quod apparet clarumque fuerit adsumet, ad infinitæ probationis incommodum recidet: si ab hoc, ad obscurum fiat digressus, circulo semper agitabitur oratio: vanum igitur falsumque tuentur esse, vt eorum quæ vera sunt, aliqua sint clara, siue apparentia, alia obscura & minimè nota. Quo fieri volunt vt si apparentia vera non sint, nec item sola non apparentia vera, neque etiam aliqua apparentia, & aliqua obscura vera, nihil omnino sit verum: quòd si nihil verum esse concedatur, & iudicatorium si vllum reperiretur verum esse, in eo solum dijudicando fore vtile, quòd cùm ipsum minimè reperiatur, proculdubiò & vanum prorsus, & inutile iudicatorium posse decerni. Hæc illi & alia plura non in communi solùm & in vniuersum, sed particulatim singulatimque, vti dabitur hoc ipso volumine legere. Sed diuersas opiniones suis cum rationibus & fundamentis anteà narrasse præscripserint, primùm eas quibus iudicatorium omne veri sublatum est, posteà illa quibus constitutum est, demùm Scepticorum locos ad contradicendum & ad cohibendum assensum excogitatos, subindeque rationes quibus omne veri iudicatorium verumque ipsum, sub ambiguo relinquatur. Demùm verum ipsum vbinam sit, paucis aperietur.

CAP. III.

DE OPINIONE ET RATIONE XENOPHANIS Colophonij in auferendo veritatis iudicatorio.



HActenus itaque paucis de veritate & eius iudicatorio, sed pluribus operè procedente. Nunc autem particularibus de vtraque re & opinionibus, & rationibus explicandis vacandum est. Colophonius Xenophanes veritatis iudicatorium sublatum iri voluit, propterea quòd nulli hominum notum esse verum existimauit, vtpote quia rebus in obscuris delitesceret, quapropter non censuit verum quidem quo ad sese pertinet non esse, sed quia incertis in rebus id maneret, fieri nequire vt inde penitùs erueretur: quare relictum hominibus id esse duntaxat, quòd videri, solemus dicere, quòd si fortè fortuna quispiam in verum incideret, nihilominus ne scire illum quo pacto id fuerit deprehensum, sed putare tantummodò & opinari. Nec secus euenire hac in re voluit ac ijs contingeret, qui tenebricosa in domo & multa preciosaque intus adseruanti descenderent, aurum inuenturi: nam quisque eorum vbi quidpiam ex domo captaret, id putaret aurum esse, quorum tamen nemo ita persuasus esset, vt verè arbitraretur, sese aurum quamuis in illud fortassis impingeret, consequi posse. Ita, inquit, hunc in mundum perinde ac in magnam domum multa descendit Philosophorum turba, veritatem quæsitura, quam & si quispiam apprehenderit, ei nihilominus assentiri non debemus tanquàm rectè coniectanti. Quò fieri existimauit vt veritatis iudicatorium habere nequiremus, ob rerum quas quæreremus naturam & incertam, & indeprehensam. Hæc officio functus interpretis ex Græco Sexti Pyrrhonij libro Latinè disserui, quoniam in opusculo Aristoteles eo in quo tractat dogma Xenophanis, nihil horum meminit, præterquàm quòd de illo, vt sic dicam, quo ipse Xenophanes vtebatur vocabulo, paucula verba inter differendum Aristoteles ipse promit in hunc modum: κἂν εἶναι πολλὰ κἂν ἡμῖν ὡς τὸ φαίνεσθαι μόνως. Nec item Cicero multa differit, nam dum Lucullo respondet pro Stoicis in Academicos differenti, Xenophanem & Parmenidem minus bonis quanquàm versibus, sed illis versibus increpare scribit eorum arrogantiam quasi irati, qui cùm sciri nihil possit, audeant se scire dicere: Hæc ex illo paucula. Ex

ipſo autem Sexto longè plura, qui ex propoſito quid Xenophanes de iudicanda veritate protulerit, nota voluit poſteritati, ex eo igitur Sexto multa tãquam à Philoſopho contra Philoſophos, & attulimus, & afferemus, atque aduerſus ipſum etiam duce ratione diſputabimus. Sed tamen & ipſo magis vtemur in quibuſdam confutandis, nõ tamen omnibus, & ſæpenumerò, nõ ſemper, ſed tum maximè cùm alij Philoſophi inter ſeſe veri iudicatorium partientes dilacerantesq́;, poſteris documentum præbuerunt vt ipſis fides non haberetur.

CAP. IIII.

DE OPINIONE ET RATIONIBVS XENIADIS CORINthij, & Anacharſidis Scythæ qui veritatis iudicatorium ſuſtulerunt.



SEquitur Xeniadis opinio cuius & meminit Democritus. Ea perſuadere cæteris voluit, ſibi an perſuaſerit neſcio, omnia falſa eſſe, & quãlibet phãtaſiam, & quamlibet fallere opinionẽ: & ex eo quod non eſt, omne quod eſt, fieri putauit, & in eo itidem quod non eſt deſinere atque corrumpi. Quæ quidem opinio quantum aut diſtet aut proxima ſit ei, quæ in Xenophanem relata eſt, vel ex eo poteſt intelligi: quòd ſi veri nihil deprehendamus, ad falſi, ſcilicet, diſcerniculum, vtpote cùm iam ſit omnibus præiudicium falſitatis inuectum, fiet dubio procul, vt non detur iudicatorium, quo illa diſtingui queant. Cæterùm quòd omnia ſint falſa & eiuſmodi vt comprehendi nequeant & interſtingui, cauſam retulit in ſenſum, ac eius argumentationis vis hoc quaſi puncto colligitur. Si id quo cæteræ dijudicantur, res falſum eſt, neceſſariò ſequitur vt omnia ſint falſa, ſed falſum eſt illud, igitur & omnia falſa: ſenſus autem ipſi de omnibus reb. ferunt iudicium, atque ij fallaces, ergo, inquit, conficitur quod volebamus. Anacharſis autem Scytha, vniuſcuiuſque artis iudicatricem ſuſtulit comprehenſionem, valde ſubiratus Gręcis, quòd eam reliquiſſent: quis eſt enim, inquit, qui ex arte iudicat? ſanè vel idiota, vel artifex: idiotam porrò ſi dixerimus, quæ'nam ſequentur abſurda? Inſolens enim earum quæ ad artem pertinent, non ſecus aberrabit ac cæcus, qui ea conatur quæ pertinent ad videntem, ac ſurdus qui molitur ea quæ aures dijudicant. At ſi conceſſerimus inſolenti & ignaro cuiuſquam artis, eius ipſius artis quam ignorat iudicium, quo pacto differret ab arte artis ignoratio? Enimuero ſi artificem dixerint, ex arte ferre iudicium, rurſum ſequentur abſurda: aut enim qui eiuſdem eſt artis æqualem artificem, aut qui diuerſæ eſt, diuerſæ quoque artis magiſtrum iudicauerit. Sed qui eiuſdem non eſt artis, in artis artificem alienæ quo pacto ſententiam tulerit? Artis enim propriæ ſcius & gnarus cùm ſit, ad alienam tranſlatus idiota putabitur. At eiuſdem artis opifex, æqualem ſibi, hoc eſt, eiuſdem facultatis artificem probare qui poterit? qui iudicare? Hoc ipſum enim diſquirimus: quíſnam ſit, qui de ijs qui in eadem arte conſtituti ſunt, vna eademque poteſtate prorſus arbitretur? quòd ſi illum hic iudicauerit, fiet vt idem ſit qui iudicat & iudicetur, & cui fides, & arrogetur ſimul, & derogetur, quatenus enim eiuſdem artis, alienus eſt ab alijs qui iudicantur, ipſe autem cùm iudicatur ei non habetur fides, quatenus verò iudicat ei, protinus habebitur. Fieri autem quo pacto poteſt, vt idem ſit qui iudicat & qui iudicetur? & cui fides & habeatur ſimul, & non habeatur? quare confici putauit, qui ex arte iudicet reperiri neminem, ex quo tolli iudicatorium planè putauit.

CAP V.

DE OPINIONE ET RATIONIBVS PROTAGORAE, QVIBVS voluit veritatis iudicatorium in vniuersum tantummodò sublatum iri, ibiq; nonnihil contra Aristotelem deq; opinione Dionysiodori & Euthydemi, & Nausiphanis.



PRotagoram Abderitem Sophistam magis quàm Philosophum, cuius & apud Platonem multa mentio, & eius nomine inscriptus dialogus, inter eos Philosophos qui iudicatorium veritatis sublatum iri voluerunt, scriptores prisci collocârũt. Opinatus est Protagoras, omnes imaginationes, opiniones omnes veras esse, & ita haberi debere: sed non in vniuersum, particulatim tantummodò, quoniam veritas earum esset in rerum numero, quæ ad aliud referuntur, quare omne quod mihi (verbi causa) videtur, apud me ita est: Vnde & exclamauit, omnium rerum mensura est homo, & eorum quæ sunt, vti sunt, & eorum quæ non sunt, vti non sunt. Contraria quoque sententia suam confirmabat, si enim dicebat id abnegaueris, tum confirmabitur, quia tu qui id negas homo es. Demùm concludebat id verum esse, quòd cuique videretur, cuius opinionem in Cratylo Socrates citat, cùm Hermogene disputans apud Platonem. Ibique vel ex hoc cõfutat, quòd omnes homines prudentes essent, nullus imprudens, si verum id esset quod cuique videretur: efficaciusque hoc si nõ est, certè vrbanum magis, vt mea fert opinio, aduersus Protagoram extitit argumentum, & magis eius accommodum sententiæ, quàm quo vsus Aristoteles in quarto Metaphysicorum libro. Placet eius verba Græca subscribere, quoniam rectè non iacent in plærisque Latinis codicibus, & vice Protagoræ Pythagoram reposuerunt: vt etiam apud Senecam fecisse quidam videntur, vbi affirmauit in opusculo de Liberalibus studijs Pythagoræ visum, de omni re in vtramq; partem disputari posse ex æquo, & de hac ipsa an omnis res in vtramque partem disputabilis est, & in rerum natura nihil esse nisi dubium. Id enim magis Protagoræ conuenire potuit, & si non exactè, quàm Pythagoræ, de Diuinis deq; Mathematicis rebus multa asseueranti. Sed vtcunq; hac de re statuatur, certè apud Aristotelem sæpè imperiti librarij Pythagoram Protagora mutauêre, atq; hoc maximè loco: Disputat enim Aristoteles aduersus eos qui eandem rem & affirmari simul & negari verè posse contendebant: mox & subijcit: ἐστὶ δ᾽, ἀπὸ τῆς αὐτῆς δόξης καὶ ὁ Προταγόρου λόγος. καὶ ἀνάγκη ὁμοίως αὐτοὺς ἄμφω ἢ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι. εἴτε γὰρ τὰ δοκοῦντα πάντα ἐστὶ ἀληθῆ, καὶ τὰ φαινόμενα ἀνάγκη εἶναι πάντα ἀληθῆ, καὶ ψευδῆ. πολλοὶ γὰρ τἀναντία ὑπολαμβάνουσιν ἀλλήλοις, καὶ τοὺς μὴ ταυτὰ δοξάζοντας, ἑαυτοὺς διεψεῦσθαι νομίζουσι, ὥστε ἀνάγκη τὸ αὐτὸ εἶναι τε καὶ μὴ εἶναι. καὶ εἰ τοῦτο ἐστὶ ἀνάγκη τὰ δοκοῦντα εἶναι πάντα ἀληθῆ. τὰ ἀντικείμενα γὰρ δοξάζουσιν ἀλλήλοις διεψευσμένοι, οἱ καὶ ἀληθεύοντες, εἰ οὖν ἔχει τὰ ὄντα οὕτως ἀληθεύουσι πάντες. hæc Aristoteles: quorum verborum hic sensus est, deriuatur ab ipsa opinione ratio Protagoræ: ipsos enim ambos (qui videlicet affirment & negent) simul & veros, & non veros esse necessariò consequetur. Si enim quæcunque videntur & vera sunt, & apparentia: necessarium est vt omnia & vera sint, & falsa. Multi enim contrarias habent inuicem opiniones, & eos omneis, qui non eadem quæ ipsi, existimant, mentiri putant, quare necessarium est, idem & esse, & non esse: & si hoc est necessarium, vtique omnia quæ videntur, vera sunt, opposita enim opinantur inuicem, & qui mentiti sunt, & qui vera locuti: quòd si ita sese habet, omnes vtiq; veraces: hæc Aristotelei contextus sententia. At quispiam dicere posset, nihil hoc officit Protagoræ primò, quia id quod concludit Aristoteles aduersus Protagoram tãquàm absurdum, ipse anteà præponebat Protagoras vt necessarium, debebat hoc ipsum quod concludit impugnare. Secundò quia non ita propriè, vt Aristotelico processu ei adscribitur, ille existimauit: nam veritatem & falsitatem, non à rebus, nec ab hominibus, qui diuersa opinantur, & quorum opiniones diuersæ conferantur, metiebatur: Sed & à re quacunque, & à quocunq; homine: Verbi causa, verum quod ad me attinet, id esse dicebat, quod mihi videbatur: verum quantum ad te pertinebat, quod tibi videbatur, censebat esse: hęc autem simul nolebat componi. Neq; enim Sophistarum subtilissimus ignorabat hæc, si componerentur conferenturque, fuisse futura contraria: sed per sese examinanda censebat, tot esse iudicia diuersa, quot particulares homines

constituens. Atque ita verum non componebat, sed partiebatur: neq; etiam putabat qui sibi contradicerent falsa dicere, vtpote qui volebat omnia vera, nihil falsum inueniri: quare & vera illa dicebantur esse contradicenti, & vera Protagoræ, quòd hinc etiam patet: Quoniam affirmabat insanum hominem, fidum esse iudicem eorum quæ in insania fierent, & dormientem eorum quæ in somnis, & infantem quæ in infantia, & senem quæ in senectute contingerent: neque enim proprium putabat, vt ab ijs qui differentes haberent affectiones, alij dissimiles iudicarentur. Sic nec sapientes eorum quæ insanè fierent, nec vigiles eorum quæ à somno correptis funderentur, nec senes quæ à pueris committerentur æquos esse iudices voluit: vt enim hæc illis non videri, ita nec quæ ab illis fierent, ijs videri existimauit: omnia autem quæ videbantur, ei cui videbātur, vera esse: quapropter volebat si aut insanus, aut dormiens in qua reperiebatur dispositione fidus non esset & firmus iudex eorum quę commiserat, postquam aut sapiens effectus, aut vigil fuisset: sic rursum eorum æquum iudicem non esse vbi illa ipsi contigissent, quò fiebat vt iudicatorium firmum & constans haberi nequiret, cùm dispositio qua fertur, iudicium variasset. Sed enim quanquam iudicatorium collocauit in homine Protagoras, vt in vniuersum veritatis iudicatorium tolleret, in particulari autem relinqueret, alia tamen via visus est incedere: existimauit enim materiam fluxilem esse, qua semper dilabente, accessio fieret loco eorum quæ defluxêre, sensusq; ipsos suo proprioq; ornatu transmutari, & alios propè fieri voluit, & propter ętatum varietatem, & propter corporum dispositiones: rationes autem rerum omniū quæ videntur, in ipsa iacere materia, quò fieri vt omnia ita sint, vt cuique videntur, sed alias aliter ab hominibus fieri iudicium, ob diuersas affectiones dispositionésve, vnde & secundùm naturam, & præter naturam, & puerorum, & senum, & vigilantium, & dormientium (vti diximus) varia oriri iudicia, & ea tamen vera decernebat: hæc pro opinione Protagoræ dici possent, non vt vera probaretur, sed vt non fortissimè ab Aristotele ad sensum, quo locutus erat Protagoras, improbaretur. Similia verò Protagoræ habebantur antiquitùs & Euthydemi & Dionysiodori placita, vt quidam putant, ego non puto, vt paulò pòst aperiam. Existimabant illi, & ens, & verum inter ea quæ sunt ad aliquid, reponi, vt scribit Sextus. Sed enim Euthydemum apud Platonem in Cratylo me legisse memini, vexatum à Socrate, quòd affirmaret omnia omnibus esse similiter ac semper, ex quo sequi putabat Socrates, vt alij boni non essent, alij mali, si semper & æquè omnibus, & virtus inesset & prauitas, quare contraria potiusquàm similia putabat Euthydemus Protagoræ opinioni. Nausiphanes verò vti est apud Senecam, voluit ex ijs quæ videntur esse, nihil magis esse, quàm non esse, & hac in re mihi videtur germanus maximè Scepticus: qua verò Seneca idem refert Nausiphani placuisse, hoc vnum certum esse, nihil esse certi, desciuisse à Scepticis satis constat, quibus nihil erat certi, vt antè diximus & procedente opere latiùs explicabimus.

CAP. VI.

QVIBVS SIT ARGVMENTIS GORGIAS VSVS IN EVERtendo veritatis iudicatorio, ibiq; nonnulla contra Gorgiam & de Metrodori & Anaxarchi sententia, qua illud ipsum iudicatorium sublatum iri voluêre.



Orgias verò Leontinus Rhetoricę facultatis celebratus artifex, cuius memor Plato in Rhetoras disputans pulcherrimum dialogum Gorgiæ nomine prætitulauit, cuique, vt inquit Cicero in tertio de Oratore, tantus honos habitus est à Græcia, soli, vt ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur: hic ipse Gorgias ijs qui iudicatorium sustulerūt veritatis, adnumeratur. Is autem secus ac Protagoras eam in rem progressus est; in libro enim cui nomen fecit, De eo quod non est, siue de Natura, tria præstituit capita, quibus immoratus suum confirmare placitum sategit, ea capita hunc in modum disposuit: vt primum probaret quod nihil est: secundum quod si est, ab homine comprehendi nequit: tertium quod & si quis id queat comprehendere, alijs tamen enarrare non possit. Primum caput ita exequitur: Si est, vel ens est, vel non ens, aut (si placet dicere)


cere) quod est, & quod non est, quanquam & prisci authores Latinæ linguæ, & postea Fabius Quintilianus ab hoc nomine ens neutiquam abhorrent, cùm tamen nonnulli nihil scij gnariq; Philosophię, sed parùm intincti literis humanis illud formident cane peius & angui. Si est, inquit, aut ens est, aut non ens, vel & ens est, & non ens. Sed ens non est, neque non ens vti dicetur, neq; & ens, & non ens, vti docebitur: igitur non est, etenim quod est non ens, non est, si enim non ens est, erit simul & non erit, qua etenim non ens intelligitur, non erit: qua autem est, non ens, rursum erit: omnino autem absurdum & esse aliquid simul, & non esse, non igitur erit non ens. Aliter autem hunc in modum. Si non ens est, ens non erit. Aduersantur enim hæc inuicem, etenim si non enti acciderit vt sit, ipso enti non esse contigerit. Si autem vtique ens non est, neque quod est non ens erit: At qui neque ens erit. Si enim est ens, vel sempiternum est, vel generatum, vel simul & sempiternum & generatum, neque autem hoc, neque illud, neque vtrunque simul, inquit Gorgias, ergo neutiquàm ens fuerit. Si enim ens erit æternum, (hinc enim capit exordium) principium aliquod non habebit, quod enim genitum est, principium aliquod habet, quod autem ingenitum, & æternum cõstituitur, principium non habuit: quod autem non habet principium, infinitum est: Si autem infinitum est, nullo modo est: Si enim alicubi est, illud ens in quo est, aliud ab ipso est, & sic non amplius erit infinitum, quod ab aliquo circumcluditur: Maius enim quod continet eo est quod continetur. Infinito autem nihil est maius, quare alicubi neutiquam erit infinitum, neq; enim in ipso circumclauditur: nam idem esset id in quo est, & quod in ipso est, atq; ens ipsum duo esset, locus videlicet & corpus. Id enim in quo est, locus est, quod autem in ipso corpus, hoc autem prorsus absurdum: neq; igitur in ipso est ens, quare si sempiternum est ens, infinitum est, si autem infinitũ est, nullibi est, si autem nullibi est, non est: igitur si sempiternum est, ea consequi omnia existimauit. Atqui neq; fieri potest, inquit, vt genitum sit ens: si enim est genitum, vel ex ente, vel ex non ente genitum fuerit, sed neq; ex ente genitum est: Si enim ens est, non genitum fuit, quia iam erat: neque ex non ente, quod enim non ens, facere neutiquam potest, propterea quod ex necessitate debeat id quod generandi habet potestatẽ, alicuius subsistentia participare: Igitur genitum non est ens. Iis ipsis confici volebat, vtrunq; esse non posse simul, & æternum, scilicet, & genitum, tolli enim hæc inuicem Gorgias autumabat: nã & si æternũ est, inquit, ens genitum non est, & si genitum est, non est ęternum. Enimuerò hoc falsum esse & veritas ipsa & religio mõstrat, quare disputationem Gorgiæ interpollemus pietatis ergô. Dei filius & æternus est, & genitus, quia æterno genitus, nec etiam putârunt aliqui ex nostris, æternum non potuisse esse mundum, etiam factum à Deo, si id geri tamen ipse voluisset. Siquidem pes, quẽ supponeremus in puluere pressisse vestigium ab æterno, effecisset vti æternũ esset vestigium, quanquàm factum à pede. Falsum etiam inter alia illud Gorgiæ, non ens fieri non posse, quando ex non ente actu quod tamen sit ens potentia potestatéve, fit actu ens: qua distinctione multa quę suprà dicta sunt, non ambigimus posse dissolui. Illud etiam æquiuocatione labat infinitum quod ipse ait, æternum esse, & omnia occupare: nam infinitum mole potest accipi, & tempore, alterum autem capit pro altero, & alterutro fallacia incurritur.

Sed reuertamur ad Gorgiæ disputationem qui rursum alio ex capite nouaturus disceptationem inquit: Si est ens, vel vnum est, vel multa, neque vnum autem, neque multa, vt ostendetur, igitur non est ens. Si enim vnum est, vel quantum, vel continuũ, vel magnitudo, vel corpus est: quódnam verò illorum aliquod esse ponatur? vnũ non erit. Si enim constituetur esse quantũ, diuidetur: continuum autem si esset, intercidetur: similiter si magnitudo intelligatur, non erit indiuisibilis: si corpus triplex esse conuincetur, longitudine, latitudine, profunditate: Absurdum autem putare ens aliquod illorum esse, igitur ens vnum quiddam non erit: atqui nec multa: Si enim non est vnũ, neq; multa est. Multa enim componũtur ex ijs quæ sunt, vnum: Quapropter vno sublato tolluntur simul & multa: Itaque quod neque ens est, neque non ens est, ex ijs quę diximus, manifestum fieri putauit. Quod autem vtrunq; etiam non sit, collectu facile est. Sed hactenus de primo capite Gorgiæ quod sumus ad verbum ferè interpretati. Subiecit aũt concesso vt ens sit & habeatur, nõ esse id propterea excogitabile homini. Si enim, inquit, intellecta non sunt entia, ens non intelligitur, & quidẽ (vt ipse putauit)

uit)ratione duci. Si enim, inquit, intellectis accidit esse alba, & albis accidit intelligi, sic si intellectis acciderit non esse entia, necessariò accidet entibus non intelligi. Quod si intellecta non sunt entia, ens non intelligitur: intellecta autem non esse entia tãtisper volebat presumi, dum probaret, igitur ens non intelligi volebat: Intellecta autem non esse entia clarum hinc esse dicebat: nam si intellecta sunt entia, omnia intellecta sunt, vbi quis ipsa intellexerit: hoc autem absurdum: neq; enim si intellexerit quis hominẽ volãtem vel in plaustro super mare discursantem, statim volabit homo, vel super mare currus impulerit. Ad hæc si intellecta sunt entia, quæ sint non entia, non intelligentur, contrarijs enim accidunt contraria, & sanè contrarium est enim non ens, & propterea si enti cõtinget intelligi, non enti accidet non intelligi. Hoc autem absurdum, siquidem scylla, & chimæra, & multa eorũ quæ non sunt, intelliguntur. Igitur non ens intelligitur. Vt autem visa propterea visa dicuntur, quoniam videntur, & audita propter hoc audita, quoniã audiuntur, & neq; visa spernimus, & abijcimus, quoniam non audiuntur, neq; eliminamus audita, quia non videntur, vnumquodq; enim proprio sensu, & non ab alio iudicari oportet: sic & intellecta, & si visu non cernuntur, neq; audiuntur auditu, fiet nihilominus vt à proprio iudicatorio comprehendantur. Si igitur quispiam intelliget in pelago plaustra circumagi, & si hęc non viderit, debet intelligere, quod in pelago plaustra discurrunt. Absurdum igitur hoc, non igitur ens intelligitur atq; comprehenditur. Quod si etiam concedamus, inquit Gorgias, vt comprehẽdatur ens, exponi tamẽ id alijs hominibus nequit: Si enim entia visilia sunt, audibilia, comiterq; sensilia, & eorum quæ iacent extrà, alia visu, alia auditu, comprehendũtur, & non promiscuè: permutatim quoq; non poterunt hæc alijs hominib. nunciari: sermo enim est qui nunciat, sermo autem non est res subiecta, igitur res ipsas alijs minimè nunciamus, sed sermonem, qui diuersus est à reb. subiectis: sicut igitur visibile nũquàm fiet audibile, & vice versa, sic ens quod extrà iacet, non vtiq; fiet id quod noster est sermo: cùm autem sermo non sit, alteri quicquam non declarabit: sermo enim, inquit, ab ijs rebus quæ extrinsecùs accidunt nobis, constituitur, hoc est, à rebus sensilibus & labiorum paratur motu: quod si ita est, sermo non erit eius rei quæ iacet extrinsecùs constitutor, sed res ipsa erit sermonis indicatrix. Atqui nec dicendum quoque est, quemadmodum & visibilia, & audibilia iacent, sic & sermo, fieriq; propterea vt ex subiecto & ente, quæ subiecta sunt & entia, nuncietur. Si enim subiacet natura sermo, differt tamen à reliquis subiectis rebus, & plurimùm distãt corpora visibilia à sermonibus, per aliud enim organum captabile est id quod visibile dicimus, & per aliud sermo. Igitur multa subiecta sermo non indicabit, quare nec illa naturam eorũ quæ sunt ad inuicem declarabunt. Iis ad hunc modum apud Gorgiam disputatis conficiebatur nullum esse iudicatorium, vtpote qui & entia tolleret, & eorum etiamsi essent cognitionem sublatam iri volebat, quæ & si relinquerentur alteri, tamẽ significari eam posse negabat. Atq; hæc quidem de Gorgiæ disputatione ex Græco Philosopho Sexto in nostram linguam vertimus, quæ non omnino similia sunt ijs quæ peculiari opusculo recitauit Aristoteles de dogmatibus Gorgiæ: nam quanquàm ibi tria illa constituere voluisse Gorgiam refert, nihil esse, & si sit non cognobile, & si cognobile alijs non indicabile, tamen alio ea modo persequitur, & alia interponit aliorum dogmata, & in eum etiam disputat, quod ideò diximus vt apud Sextum quæ ipse propriè & proposuit, & probare curauit Gorgias, recitata synceriùs videantur. Recitare autem eius dogma, non improbare, nisi quatenus veræ fidei repugnarent, hoc loco nobis est propositum. At ad calcem ferè libri huius cùm peruentum fuerit, omnes Philosophorum opiniones improbabimus, vel potiùs Scepticos in alios Philosophos argumentantes ducemus in medium. Sed & alij fuère qui veritatis iudicatorium sustulerunt, quorum & si varia, ad eundem tamen finem sententia tendebat. Aiebat Metrodorus homines nihil scire, neq; etiam hoc ipsum scire quod nihil scirent. Aduersus hac in parte Socrati affirmanti, se tantummodò id scire quod nihil sciebat. Porrò apud Anaxarchum & Monimum de iudicatorio talis lata sententia fuerat, vt entia compararentur vmbratilibus lineamentis, & eos qui exciperent, ijs qui in insaniam & somnos inciderent.

CAP. VII.

DE OPINIONE PHYSICORVM QVI À THALETE FLVXE're, deq; opinione & ratione Anaxagoræ, quibus placuit iudicatorium quidem sensus auferri, mentis autem relinqui, & quàm falsò eis Aristoteles insultauerit.



PRimi qui à Thalete Physici fluxêre, iudicatorij considerationem attulêre in medium, & sensum quidem vt plerisq; in rebus fallacem prorsus abijcientes, rationem veritatis quæ in rebus est, iudicem constituerunt. À quo veluti à carcere mouentes, de principijs & elementis (ea initia dicuntur à Marco Varrone apud Ciceronem) ordine pręceperunt, quorum elementorum comprehensio illa ipsa potestate fieri putabant: hinc Anaxagoras sensuum debilitatem causatus, quòd obscuri nimiùm essent, sententiam tulit, verùm à nobis iudicari non posse illorum infido iudicio, id quod duorum permutatione colorum cognosci volebat: nam si album, verbi causa, & nigrum caperentur, & ex altero in alterū stillatim fieret infusio, non posset visus internoscere minimas mutationes, quamuis eæ ipsæ natura subsisterent: à qua ratione minimè Asclepiades medicus abhorruit, quin & ea quodammodo videtur vsus, in primo de vini propinatione: si enim pallida, inquit, & nigra miscuerimus vina, impotens erit sensùs ad internoscendum simplex ne color fuerit, qui visui subijcitur an minimè? quare Anaxagoras veritatis iudicatorium in sola ratione constituit, atque illud etiam est argumento quòd niuem dicebat nigram, non albam videri, quia sciret aquam nigram, vnde illa esset congregata, rationem hanc qualemcunq; propendere sensui communi existimans: qua de re cùm alij, tùm Cicero mentionem facit in Academicis, hæc Anaxagoras, qui non (quemadmodum illi Aristoteles in quarto primæ Philosophiæ adscripsit) asseruit prudentiam ad rationem & intellectum pertinētem, idem esse cum sensu, & tales esse res quales quisque existimaret: Sed hac de re fusiùs libro sexto cùm aduersus Aristotelem disputantes, falsò eum veterum dogmata recensuisse, palam fiet.

CAP. VIII.

DE OPINIONE ET RATIONE PARMENIDIS, ET quàm falsò eam & retulerit Aristoteles in quarto libro Metaphysicorum, & repulerit.



PArmenides autem quanquàm Xenophanis socius, cui videri tantùm & opinari placet, non autem certò cognosci, opinabilem notitiam coniecturalemq; abijciens, & immobile & certam & scientem asciscendam autumauit: qua de re in libro quem inscribit περὶ φύσεως multis cecinit versibus; cuius hæc sententia: Ab equis in altum se ferri, videlicet more poëtico. Id autem est dictu ab irrationali impetu & appetitu, nec non per famosum dæmonis solum itinerari, quibus verbis interpretes putant significari physicæ rationis contemplationem: præcedere puellas, à quibus ducatur subdit: quibus tanquàm ænigmate, sensus innui putauêre, & potissimè subindicari cēsent auditum per illa verba: δίνοις δινωτοῖσι κύκλοις: visum autem cùm decantantur, ἡλιάδες κοῦραι προλιποῦσαι δώματα νυκτός. postquàm verò citauit κληῖδας ἀμοιβοὺς, mentem qua rerum certam cognitionem haberet, certamq; scientiam, ab eo datam intelligi putauerunt, eoq; magis, quo & subintulit ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεμὲς ἦτορ. Idem Parmenides docet fieri non posse vt rebus intellectibilibus quispiam propinquet, præterquàm solo intellectu: vt etiam comprehendamus hinc aut calumniosè, aut certè falsò, illi ab Aristotele adscriptum esse, prudentiæ & sensus mixtionem, in quarto libro primæ Philosophiæ, vtpote qui intellectum mēbris corporeis contulisset, idq; scribit & obscurissimè & perplexissimè: nihil plus tamen colligit, quàm quòd vt dispositio membrorum est & temperatura, ita ei datur & constituitur intellectus, non autem quòd eadem sint, vt clariùs sexto huius operis libro docebimus.

CAP. IX.

DE OPINIONE PYTHAGORICORVM, ET DE ratione etiam Philolai & Possidonij in iudicatorio veritatis asserendo.



Ythagorici verò ratione sola minimè contenti in veritate dijudicãda, numeros & similitudines accersiuerunt. Existimauit Philolaus eum qui speculari vellet vniuersi naturam, habere illum ad eam ipsam, naturam quandam quasi cognatam oportere, quoniam simili simile cognosceretur, nec terram nisi terra, nec aquam, nisi aqua videremus, & absque æthere, potis non esset homo, mentis acie conscendere in æthram. Sed nec daretur ignis præterquàm ab igne cognosci: nec amorem prçterquàm amore posse deprehendi existimauit. Sic & alij ex Pythagorç secta voluêre, vt est apud Aristotelem comprehendere: Sic & Platonem quoque videri posset opinatum dum disserit in Timæo, quòd incorporea est anima. Si enim, inquit, visio susceptrix lucis est, est & statim lucida, & si anhelitus aërem percussum dijudicat, quid quidem est vox, statim eam aëriam contemplamur: pari pacto in odoratu & gustu procedens, adusque ideas conscendit, quæ quoniam incorporeæ, & numeri quoque & termini corporum incorporei noscuntur: ijdemque quoniam excipiuntur ab anima, eam idcircò colligit incorpoream. Possidonius quoque Platonis Timæum exponens, lucem non nisi lucida visione percipi censuit, nec nisi aëreo auditu vocem comprehendi: Sic vniuersi naturam, debere à cognata ratione cognosci cẽset. Erat autem apud Pythagoricos principium vniuersæ constitutionis ipse numerus, quare vniuersorum iudex ratio, non esse videbatur iure meritoque imparticeps putanda, huiusce numerariæ, vt sic dixerim, potestatis. Inde & per singula discurrendo vel hominum officia, vel constitutas artes, numeros & harmonias inueniebant, maximeq; in quaternitate illa per quam religiosè iurabant, qua de re alio sumus loco verba facturi.

CAP. X.

DE OPINIONE ET RATIONE EMPEDOCLIS CIRCA iudicium veritatis, & quàm falsò Aristoteles eius opinionem in quarto Metaphysicorum recitat & impugnat.



Mpedocles Pythagoræ assectator, & ipse simili iudicari simile voluit. Sed eius expositiones sex constituisse illum veritatis iudicatoria putauêre: nam præter duo efficientia rerum principia, amorem atque discordiam, simul materialium principiorum memor, terræ, & aquæ, & aëris, & ignis, hæc esse etiam iudicatoria censuit. Cæterùm vetus opinio est multorum Philosophorum firmata consensu, simile simili percipi posse atque cognosci. A` qua nec Democritus, nec Plato abhorruerunt, quanquàm dissimilibus moti argumentis. Fuêre & qui Empedoclem dicerent voluisse veritatis iudicatorium soli rationi duntaxat acceptum debere referri, & nullo pacto sensibus dandum: atque in recta ratione, & diuinum quiddam inesse & humanum: quorum primum explicari non posset, secundum explicationem reciperet, qua etiam in re sensum abdicat à perceptione veritatis, idque multis pulchrisq; carminibus. Quo satis posset percipi non rectè Aristotelem narrauisse opinionem eius in quarto libro Metaphysicorum: sensum & prudẽtiam idem apud eum existimatas affirmãs: nam & sensum à ratione distinxit, & in ratione cùm humanum, tùm diuinum quiddam, inesse decreuit. Quàm falso verò id ei imposuerit, conijci potest ex ipsius Empedoclis carminibus, quibus intellectũ distinguit à sensu: Vbi & intellectus mẽtionem facit, & aliqua esse adeò sublimia canit, vt nec sensu, nec intellectu comprehendi possint. Sed hac etiam de re libro sexto fusiùs, vbi ipsius verba propria, & referemus, & transferemus ad verbum, nec elegantiæ, nec carminũ Empedoclis habita ratione. Vbi enim quæritur veritas, & maximè contrà virum tàm præcellentis ingenij, tantæque Philosophum authoritatis, non à fuco solùm, qui

ſemper abijciendus, ſed ab omni ſuſpicione fucatę orationis abſtinendum. Sed enim cognoſci dabitur Ariſtotelem quid in Empedocle damnat, in ſeipſo damnare, qui animas corpora ſequi dicit, & in Problematibus iudicium rationis ex temperamento corporis dicit immutari. Empedoclem verò qui prudentiam homini & plantis etiam dedit, diuerſa dediſſe ratione conſiderandum eſt. Illam enim diuinitùs hominibus aduenire per reſpirationem cenſuit, rurſum in ſomnis obliuioſos eius homines fieri, rurſum in vigilia prudentes, accidente per corporis poros ſiue meatus, tanquàm per ianuas, intellectu, & recedente in ſomnis: non eatenus tamen quin quadam quaſi in radice reliquiæ ad reſpirandum manerent, futuræ poſtmodum tanquàm rediuiuæ: quemadmodum carbones igni proximi incenduntur ſtatim, procul ſi fuerint extinguuntur. Hæc Empedoclis opinio eſt, quæ tametſi cenſeatur ab ipſa veritate aliena, non tamen agnoſcitur ab Ariſtotele confutata.

CAP. XI.

DE OPINIONE HERACLITI ET RATIONE IN VERitatis iudicatorio decernendo, itidemq́ de opinione Democriti, & quòd eam malè retulit Ariſtoteles in quarto libro Metaphyſicorum, & Cicero malè in Academicis.



NEc Heraclitus diſſenſit ab ijs quos retulimus: nam iudicium veritatis in mẽtem reduxit: qui autem diceret id ab eo ſublatum, totum hoc ei calumnioſè imputaret. Quid enim quarto libro primæ philoſophiæ ſcribat Ariſtoteles, Cratylum mouiſſe digitum, & Heraclitum bis intrare in flumẽ vetuiſſe, ſemel etiam Cratylum: nihil officit ei quod diximus. Nam non ad omnem id veritatem referendum exiſtimauit Heraclitus, ſed ad innuendum ſignificandumque, difficillimum eſſe in rebus fluxilibus dilabentibusque continuè veritatem poſſe reperiri: quam & abdicauit à ſenſibus, & in intellectu diuinitùs dato collocauit ſcribens κακοὶ μάρτυρες ἀνθρώποισιν, ὀφθαλμοί. mali teſtes hominibus oculi, qui tamen inter ſenſus longè eminent, & plurimæ rerum ipſis intermedijs oſtenduntur differentię, vt Ariſtoteles voluit in primo libro Metaphyſicorum: Sed & adiecit Heraclitus aures non eſſe ſinceras quæ tamẽ in cognitione rerum, ab ipſomet Ariſtotele magnifiunt, quoniam auditus diſciplinæ ſenſus eſſe perhibetur. Temperaſſe tamen ille ſententiam viſus eſt loquẽdi modo ᾗ ὦτα inquit βαρβάρους ψυχὰς ἐχόντων ſi non magis exiſtimauit partes eſſe barbaræ animæ & ineruditæ ſenſibus habere fidem. Nec item quoad pertinet ad intellectum ſimpliciter, ſed communi & diuino tantummodò veritatem percipi cenſuit, hoc eſt, eo intellectu, qui ſit diuinitùs datus, qualémnam verò intellectum rationémve Phyſicus intellexerit Heraclitus, ex Homero coniectantur interpretes, nam cecinit ille τοῖος γὰρ νόος ἐστὶ ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν, τε θεῶν τε: & ex Archilocho itidem qui eadem repetijt ſcribens, talia homines ſapere qualia indit eis indies pater omnium: qua etiam ſententia vſus Euripides: nec videtur hoc ab opinione Empedoclis omnino abhorrere. Hoc autem iudicatorium commune, communiter quoque omnibus aſſiſtere vel ſomniauit, vel luſit, vel perperam autumauit Heraclitus: quòd ſi cuipiam viſum eſſet quicquam, quid non alijs videretur, contraria id ex cauſa infidum & inconſtans exiſtimabat. Sed difficile omnino & fuit olim, & nunc eſt intelligere, quid volebat Heraclitus: tanta enim fuit in homine ſermonis obſcuritas, vt etiam inde Scotini cognomentum traxerit. Scribit in Theeteto Plato ſolere Heraclitios ſe interrogantibus, ænigmata quædam reſpõdere, quorum ſi ratio aut ſignificatio quæreretur, alio ænigmate non declarare, ſed augere difficultatẽ. Democrito verò non diſplicuit ſimilitudinem in cauſa eſſe vt veritas dijudicetur, quoniã & in rebus animatis, & etiam in ijs quæ ſunt inanima, quandam ad ea quæ ſimilis generis ſunt congregationẽ, ſuapte ſponte facilẽ animaduertit. Sic etenim videre eſt (inquit) grues ad gruum, columbos ad colũborum greges peruolitare, ſic & lentes ad lẽtis alios coccos congeri, & hordei grana, hordeaceis tumulis cõgregari. Verùm q̃ ſenſibus apparent, hęc abſtulit vt incerta, vtpote q̃ verè nõ putauit cõprehendi: reliq̃ autem

tem

tem tanquàm probabilia opinabiliaque: Vera autem & compertissima putauit, & vacuum, & atomos, quo factum vt lege quadam naturæ, putaret esse, & dulce, & amarum, & calidum, & frigidum, ac vt ille suis inquit verbis: νόμῳ γὰρ γλυκύ. καὶ νόμῳ πικρόν. νόμῳ θερμόν. νόμῳ ψυχρόν. causa horum vacuũ & ἄτομοι: subiecit enim αἰτία ἤδε, ἄτομα, καὶ κενόν. quo in verbo miror atomorum ab eo factam mentionem, cùm ex antiquis proditum sit ἀδιαίρετα vocata à Democrito, mox ab Epicuro, qui multis post eum generationibus natus est, atoma nuncupata. In libro verò de Ideis non omni ex parte consona prioribus protulit. Sed in libro qui Canones dicitur, duas posuit cognitiones, sensuum & mentis, quarum hæc ad testimonium fideleque iudicium veritatis inducitur, illam verò tenebrosam nuncupat γνώμης δὲ δύο εἰσὶν ἰδέαι. ἡ μὲν γνησίη. ἡ δὲ, σκοτίη, καὶ σκοτίης μὲν τάδε σύμπαντα. ὄψις, ἀκοὴ, γεῦσις, ψαῦσις, id est, sententię duę sunt species, altera quidem legitima, altera verò tenebrosa, & tenebrosa quidem hæc omnia: visio, auditio, odoratio, gustatio, tactio: legitimam verò censuit quæ ab ijs esset ἀποκεκρυμμένη, vt mirer hinc Aristotelem in quarto libro primæ Philosophiæ scripsisse Democritum dixisse, aut nihil esse verum, aut nobis non manifestum, idque ex varietate sensuum: cùm tamen ipse, vt eius etiam verbis ostendimus, cognitionem mentis legitimam dixerit, quę autem sensus non falsam, sed tenebricosam appellârit. Sed fortè aut hæc non vidit Aristoteles, aut si vidit, falsò calumnioseque retulit, qua de re etiam libro sexto dicturi sumus. Chius quoque Metrodorus malè de opinione Democriti arbitratus, imposuit Ciceroni, qui aduersus Lucullum cùm disputat, Democriti authoritatem adeò præponit authoritati Philosophorum inferioris ætatis, Cleanthis, Chrysippi, reliquorum, vt cũ eo collati quintæ classis esse videantur: atque hic inquit hoc non dicit quid nos, qui veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus: Ille verum esse planè negat: & paulò pòst: nego, inquit, scire nos, sciamus ne aliquid, an nihil, scientiáne id ipsum nescire aut scire, scire nos, ne omnino sit ne aliquid an nihil sit: hæc Cicero. Qui quàm longè deflectat ab eo quod suis verbis censeat Democritus, illa ipsa Democriti verba monstrauêre, quæ etiam sunt ipsi Aristoteli aut ignorata aut suppressa. Illud certè omnibus ferè notum eruditis, & multis proditum locis de Heraclito & Democrito, quòd alter in profundo antro, alter in puteo iacere veritatem affirmârit, quasi ænigmate insinuatum vellent, haberi quidem veritatem posse, sed magno cum labore.

CAP. XII.

DE OPINIONE PLATONIS ET RATIONE, IN VEritatis iudicatorio decernendo, & quàm variè eam varij interpretentur.



Mnium ferè antiquorum Philosophorum, ac præsertim eorum qui Physici vocati sunt de iudicio veritatis opiniones rationesque percurrimus. Plato succedit qui quanquàm est varius & variè quoque, vt est suprà monstratum, soleat exponi, à Pythagoræis tamen non est visus abhorrere, iudicio multorum, quemadmodum suprà constitit, cùm de eorum opinione tractatus haberetur. Ipsemet Plato in Timæo partitus est res in ea quæ intellectibilia sunt, & quæ sensilia: earum quæ intellectilia nuncupantur, compotem fieri statuit intellectum, vt quæ ab ipso & comprehendi possent, & comprehenderētur: quę sensilia verò sunt, ea duntaxat putauit opinabilia: quo circa existimârũt quidam, statutum ab eo rerum iudicium ad rationem esse referendum, quæ & comprehenderet adsciscere tque sibi eam, quæ per sensus habetur claritatem. In hoc à Democriti euariârunt sententia, quòd obscuritatem ipse non claritatem sensibus inesse decreuerit. Itaque Platonis ipsius placita qui perpenderunt in Timæo posita, in eam sententiam iuêre. Ait enim & esse aliquod quod semper est, generationem non habens, & esse quidem aliud generatum, nequaquam verò ens, & illud intellectione cum ratione esse comprehensile, hoc autem opinione cum sensũ: comprehensile verò apud ipsum vocari dicunt Platonici, rationem communem claritati & veritati: oportere aiunt vt ratio ad iudicandam veritatem ab ipsa claritate commoueatur, cùm per ea quæ clara sunt & manifesta rerum verarum iudicium fiat. Sed claritas ipsa per sese non putatur satis

esse

esse ad veri cognitionem: neq; enim si quicquam secundùm claritatem apparet, ita & secundùm veritatem subsistit. Adsit autem oportet eum, qui & quid appareat solum, & in eo quod est apparere, veritate quoq; an fulciatur indicet, hoc est, ratione: quocirca vtrunq; simul concurrere volunt, & claritatem qua veluti à carcere ad calcem iudicandæ veritatis ratio feratur, & rationem ipsam ad ferendam de ipsa claritate sententiam. Porrò ad iudicandam claritatem, & quod in ipsa est verum interstinguendum, cooperatur simul ratio cum sensu: huius enim ope suscipiens imaginationem veri, efficit & notionem, & scientiam: quare conficitur eam esse captatricem & claritatis; & veritatis. Atq; hanc quidem esse Platonis de veritatis iudicatorio sententiam plæriq; decernunt: distat autem ab eo quod Platoni tribuit in Academicis Cicero, qui omne iudicium veritatis, veritatemq; ipsam abductam ab opinionibus & à sensibus, cogitationis ipsius & mentis esse voluerit: atq; etiam ab eorum sententia longè magis, qui nihil omnino decreuisse de hac omni re Platonem sunt arbitrati. Existimat autē Augustinus in tertio contra Academicos, Platonem quoniam sentiebat duos esse mundos, intelligibilem in quo veritas habitaret, & sensibilem quem manifestum est, nos visu tactuq; sentire: illum verum, hunc verisimilem & ad illius imaginem factum putauisse, atq; ideò de illo in ea quæ se cognosceret anima, velut expoliri, & quasi serenari veritatem: de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari: hæc Augustinus, & alia complura eodem spectantia: atq; ita varij variè Platonis sententiam exponunt, longeq; ab alijs eius mentem Numenius interpretatur, quando in libro de Academicorum dissensione non solùm Platonem ipsum ab Aristotele atq; Zenone, sed à sua ipsius Academia separat, ipsumq; in ipso, vt ait, considerans, Pythagoreum appellat, atq; inter Pythagoram & Socratem mediū constituit. Reliquum est vt sectatorum etiam Platonis varias opiniones, & longè inter se dissentientes suis cum rationibus afferam, atq; recenseam, ab antiquioribus Platonicis exorsus

CAP. XIII.

DE OPINIONE ET RATIONE SPEVSIPPI ET XENOcratis Platonicorum, in statuendo veritatis iudicatorio.



SPeusippus duo & ipse iudicatoria constituit, Xenocrates tria: ille quidem cùm & intellectiles res habeantur, & sensiles, vtrisq; suum aptauit: & intellectilibus quidem scientificam (ita dixerim) rationem, sensilibus verò sensum scientificū (ita liceat quod ille ἐπιϛημονικὸν dixit appellare) opinatur enim talem haberi sensum, qui eam comprehēdat veritatem, quæ secundùm rationem est, qualem tibicinis digiti, artificem habent actionem, non in se ipsis quidem consumatam antea, sed ad ratiocinationem coexercitationis perfectam: & quemadmodū viri musici sensus, claritatem habet captatricem, & harmoniæ rei, & eius quæ careat harmonia, & hanc non suapte natura, sed ex ratiocinatione congenitam, sic & sciētificus ipse sensus, à ratione scientifica exercitatus, eam quodammodo concipit, & ad syncæram & minimè errabilem rerum cognitionē inducit. Xenocrates verò cùm tres imaginatus esset substantias, sensilem, intellectilem, compositam opinabilemq;: sensilem esse putauit eorum quæ intra cœlum, intellectilem omnium quæ sunt extra cœlum, opinabilem & compositam ipsius cœli. His ita se habentibus eius quæ extra cœlum est, hoc est, intelligibilis essentiæ, iudicatorium putauit esse scientiam: eius, quæ intra cœlum sensibilis, sensum: eius quæ mixtæ compositæ've rei, opinionem, id verò iudicatorium quod est per scientificam rationem, & firmum putauit, & verum, quod autem per sensum, id quidem verum, non ita tamen, vt primo posset ęquari. Tertium verò & mixtum compositumve id commune esse, & veritate & falsitate censuit. Siquidē opinio & aliquando vera, & aliquando falsa reperitur. Vnde Parcas treis ab antiquis putat constitutas, quarum ἄθροπον intellectilium putauit esse, eamq; minimè vertibilem, aut transmutabilem, κλοθὼ verò sensilium, λάχεσιν opinabilium esse rerum existimauit.

CAP.

CAP. XIIII.

DE OPINIONE ET RATIONE ARCHESILAI PLATONICI circa veritatis iudicatorium, idq́; ex multis authoritatibus.



Equitur Archesilaus, qui à vetere Platonis discedens schola, quę Speusippi fuerat & Xenocratis, mediam constituit, quæ & secunda nuncupatur, quanquàm Numenius in libro de Academicorum dissensione Scepticū eum re voluit esse, nomine tantùm Academicum. Hunc excipit Carneades, qui tertię nouęq́; & author, & institutor Academię perhibetur à multis, vel si eius Lacydes fuit author, procul omni dubio Carneades magnus amplificator. Sed primùm Archesilai examinemus placita, quæ quatenus ab eius sectatoribus produntur, varia videri possunt. Nam aliqui nullum ab eo veritatis iudicatorium definitum voluêre, alij definitum quidem videri volunt: sed vt Stoicis contradicatur, Augustinus in tertio Academico putauit percipi veritatem posse existimatum ab Archesila, contrà verò protulisse, vt Zenoni aduersaretur Stoicorum Principi, qui cum eo simul Polemonem audierat, quare occultasse Archesilam Academiæ sententiam de intelligibili mundo & veritate, atq; instituisse dedocere potiùs quos patiebatur malè doctos, quàm docere quos dociles nō arbitrabatur, vtpote qui percepisset eos nihil præter hunc sensilem mundum nosse, & Deum ignem & animam esse mortalem existimare. In secundo verò Academico dixerat, ex Zenonis Stoici opinione, cohibendi assensus occasionem Academicis datam, cùm statuisset Zeno verum ipsum ea non posse habere signa, quæ inessent ei quod falsum est. Sed cùm ex dissensionibus Philosophorum, ex sensuum fallacijs, alijsq́; rebus, induceret tale verum non inueniri: atque ab eodem etiam Zenone accepisset, nihil esse turpius quàm opinari, ex duobus illis Zenonis placitis confecisse, nihil approbaturum esse sapiētem. Sed enim Cicero Chrysippum fuisse in causa dicit, vt ei magnopere contradiceretur, conquirenti, scilicet, omnia studiosè quæ facerent contra sensum & perspicuitatem, contraque omnem consuetudinem, contraque rationem, eumq́; ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse, itaque ab eo ornatum esse Carneadem. At Zeno Chrysippum antecessit ætate, & Archesilaus in Zenonem prius, quàm in Chrysippum Carneades inuexerat, quare ab Archesila potiùs impugnationis ansas, quàm ab ipso Chrysippo potuit accipere Carneades. Iam enim inter Stoicos & Academiæ cultores certabatur. Vtcunq; fuerit, certè proditur Stoicos putare tria hæc iuncta, sciētiam, opinionem, & eam quæ in horum termino confinióve collocaretur comprehensionem, quorum sciētia esset & secura, & certa, & impermutabilis à ratione conceptio, opinio verò falsa & debilis assensio. Comprehensionem autem inter has mediam, putârunt esse consensum captatricis phantasiæ, quorum scientiam in solis constituunt sapientibus, in solis verò stultis opinionem, communem verò vtrisq; comprehensionem. Hęc dicentibus Stoicis contradixit Archesilaus, ostendens comprehensionem non esse iudicatorium inter scientiam & opinionem, in hunc modum (si vera à Sexto relata sunt) argumētatus, ipsa consensio quam dicunt comprehensionem & phantasiam, vel in sapiente fit, vel in stulto, sed si in sapiente fit, scientia est, si in fatuo, opinio, & nihil præter hæc potest inueniri, nisi nomen inane. Nam si comprehensio est captatricis phantasię consensio, vana res est, & stare non potest: primùm quidem quoniam consensio non ad phantasiam fit, sed rationem: dignitatum enim siue maximarum propositionum consensiones sunt, deinde quia nulla talis verè phantasia inueniretur, quæ non fieret falsa, vt per multa & varia qui discurreret, facilè comprobaret. Vbi autem captatrix phantasia non substiterit, neq; comprehensio fiet, hac autem non existente omnia sunt incomprehensibilia. Sed si omnia censeantur incōprehensibilia, sequetur & secundùm Stoicos vt sapiens debeat ab assensu mētem cohibere. Quare sublato Stoicorum iudicatorio, si quisque eorum assentiri voluerit, quoniam omnia incomprehensibilia sunt, neutiquam comprehensæ rei, sed incomprehensæ assentietur, quare non sciet, sed opinabitur, quod non sapientis, sed stulti officium ab eis ipsis esse putabatur: hinc censebant euenire sublato iudicatorio, vt omnis eorum actio & vitæ officia vana traderentur,

rentur, & fœlicitas præceptis eorum cōstituta labaret euanesceretq; : nam si assensum cohiberent vitæ munera, & officia, quæ quis exequi deberet, quæ declinare, nescirentur: multoq; minus constituerentur efficaciter & pro regulis tenenda traderent: Hæc quidem & alia non pauca in Stoicos & meditari & scribere solebat Archesilaus, iudicatoriū veritatis ab eis constitutum euertens, ipseq; ab assentiendo se cohibens, nullū potiùs veritatis iudicium stabiliunt, siue ita existimaret faciendum, siue vt Stoicos refelleret, quemadmodum & Metrodorus, & alij prodiderunt. Numenius autē in libro de Academicorum dissensione Archesilam in subsidijs tenuisse dicit Crantora Platonicum, & Diodorum, & Pyrrhona, & Crantoris ope orationem eius credibilem effectam: Diodori verò Sophisticā, Pyrrhonis autem auxilio mutabilem, atq; ita eloquētiam Platonicam ab Archesilao fœdatam, qui non putârit ingeniosi esse viri in eisdem permanere. Firmianus autem in tertio cōtra Gentes scribit Archesilam, eò quòd singulæ sectæ multarum sectarum iudicio conuincerentur stultitiæ, reprehensiones omnium inter se collegisse, confusionemq; ignorantiæ clarorum Philosophorū, & se aduersus omnes armauisse, & instituisse nouam non philosophandi philosophiam. Atq; hæc de Archesila, ex Sexto, Numenio, Cicerone, Firmiano, Augustino, sat fuerint.

CAP. XV.

DE OPINIONE CARNEADIS AB ALIIS DIVERSA IN triplici iudicatorio decernendo, & quàm variè de eo varij disseruerint.



CArneades autem ab Augustino proditur deposuisse illā veluti calumniandi impudentiā, qua videbat Archesilā non mediocriter infamatum, sed ipsos propriè sibi Stoicos atq; Chrysippū, euellendos euertendosq; proposuisse. Cōtrà verò Sextus Philosophus arbitrabatur, instituisse Carneadē, non Stoicis tantummodò, sed omnibus qui antè scripserunt se contradicturum, & quodcunq; ab illis constitutū veritatis iudicatoriū euersurum, id ipsum videtur in eo quem suprà citauimus libro cōfirmare Numenius, scribens renouasse Carneadem morem Archesilæ, pugnandi cū omnibus & cōtradicendi, atq; huc, atq; illuc nūc affirmando, nūc negando, solitū volubilitate orationis omnia distrahere: Differre autē ab Archesila, quòd se rectè intelligeret, quòd negat in Archesila fuisse, quē Scepticum re facit, nomine Academicū, vt suprà dicebamus: nā Pyrrhonis vestigia secutū fuisse affirmat, refertq; Timonē, Mnaseam, & Philomelū Scepticos, suū esse cōsectaneū affirmauisse. Carneadē verò modò dolo, modò vi, etiā præparatos & præmeditatos homines cōfundere ita cōsuesse, vt eorum quibus cùm pugnaret, resistere posset nemo. Cæterùm Carneades ante omnia voluit vt quęcunq; ab alijs ducere nos in veritatis cognitionē existimabātur, ea nos nō docerent, sed fallerēt, ipsumq; veritatis quod appellabat iudicatoriū, neq; in ratione, neq; in sensu, neq; in phantasia, neq; vlla in re alia prorsus inueniri censuit, mox conatur ostēdere, quòd si vllū haberi iudicatoriū debeat, id neutiquam sine quopiā affectu, posse cōstitui, qui ꝓdeat à claritate: hoc autē nixus est fundamento, quòd sensili potestate differt animal ab inanimis, atq; ideò cōstituit, vt omniū quæ ab ipsomet prodeunt, & incidunt etiā extrinsecùs, capax efficiatur. Vbi verò sensus ipse immobilis manserit & impassibilis, & inuertibilis, neq; sensus est, inquit, neq; captator alicuius, cōuersus verò & affectus, & ictus vbi fuerit, ob occursionē eorum, quàm clara sunt, tùm res monstrari voluit, quam ob rē censuit in affectu qui prodiret à claritudine, quærendū esse iudicatoriū, quem affectū non alienū ab apparitione interpretes eiusq; sectatores existimant: vnde & phantasiā affectum quendam animalis esse decreuerūt, qui & sui ipsius, & alterius cōstitutor habeatur. Quemadmodū enim lumen & ipsum mōstrat, & omnia quæ sunt in eo, sic & phantasia dux, cū sit eius quæ est animali notionis, ea ipsa lucis instar, se ipsam debet ostendere, & id etiam quā constituitur clarū apparensq; mōstrare. Sed quoniam euenit vti semper nō verax, sed mendax etiā sæpenumerò inueniatur, vtpote qua à rebus à quibus promitur discordet, & falsa nunciet, necessariò colligit in omni phantasia veritatis iudicatorium non posse relinqui. Sed & alia pleraq; subdit, quibus tàm ipsam quàm sensus omnes, vnde ipsa prodit, & infirmet, & tollat. Quærens postmodū ipse iudicatoriū & indaganda vita, & in felicitate quærenda possidendaq;, multiplicis meminit phantasiæ: namque & πιθανὴν quæ persuasilis potest dici, citat, & persuasibilē simul & ἀπερίσπαστον, quasi dixerim in-

rim inconuulsilem, & aliã cui nomen fecit διεξοδευομένην, & etiam περιοδευομένην. pertranseuntẽ fortè siue obambulantẽ & circueuntem, dicere Latinè possumus, & inter hæc multas quoq; diuisiones attulit. Nam persuasibilẽ vocauit eam, quæ vera appareret, sed multiplicẽ quoq; fecit hanc ipsam, vtpote qui aliquã ex ijs obscuram dicit esse, vel quia modicũ in se habeat quid cerni possit, vel quia procul appareat, vel ob debilitatẽ & infirmitatẽ visionis ita sit cõstituta. Sed & aliter quoq; distinxit, eam demùm iudicatorij vice cõstituens, quæ & appareret vera, & satis lætitiæ secũ ferret, quam quidẽ & gradus in sese habere voluit, quoniam alia magis, quàm alia videretur vera, appareret, & persuaderet magis, ac pulsaret animum: quid verò persuasile nuncupat, trifariã quoq; secernit: nam aliud vocat persuasile, quod & verum sit, & verum appareat, aliud quod falsum quidem sit, sed & appareat verum, aliud quod sit verum vtrisq; cõmune.

Sed quoniã phantasia, vnica non constituitur specie, sed instar annulorũ qui cathenam constituant, cùm alius pendet ex alio, propterea secundũ posuêre iudicatorium persuasilẽ & inconuulsilem phantasiã, vt ea esset, verbi gratia, qua me ipsum perciperem, quæ scilicet à me cõuelli nequiret pro falsa, quoniam omnia cõcurrerent ostendentia verò ipsam niti. Sic & alterius etiã longè optimeq; cogniti viri, qui præsens factus, omnia in animo inderet veritatis signa, faciem, colorẽ, magnitudinem, figuram, vocem, vestimentorum genus & singula. Quo factum vt Medici quidam antiqui, febrientem hominẽ vna re duntaxat cognosci posse noluerũt, vti ex pulsus vehemẽtia, vel calore, sed ex cõcursu multorum, pulsu, calore, rubore, siti, tactus attractione & reliquis proportione pari. Rursum in hac phantasia, quæ dicitur incõuulsilis, gradus fecêre, quoniã alia sit alia magis (ita dixerim) inconuulsior. Cui & circumeuntis obambulantisq; vocabulũ indidêre, & veritatis aliud in ea iudicatoriũ collocauêre: Primũ enim rebus, vtcunq; accidant, cõpetere putant: Secundũ quo in magnis & excellentibus vtendũ putant: Tertiũ duntaxat impartiuntur ijs, quæ ad fœlicitatẽ pertinent quo & recursare, & ratiocinari animo detur, priusquàm feratur iudiciũ, & omnia demùm circumagere tantisper, dum habito tempore ad discernendũ idoneo, lustratisq; omnibus quibus decipi poteramus, tutò queamus iudiciũ ferre. Quemadmodũ si quis obscurã ingressus domum, funis inuolucrũ speculatus, actutùm posset id existimare serpentẽ & resilire: At rediens iterũ, & conspiciens eam rẽ, quam serpentẽ putârat immobilẽ manere, magnũ hoc habere momentũ existimat ad sententiam ferendam, vt nõ sit serpens: Ratiocinatus iterũ serpentes solere immobiles manere hybernis frigoribus adstricti, baculum cõsulit, & tangit inuolucrũ, atq; ita demùm circumagens omnia comperit nõ esse serpentẽ. Hæc & alia Carneadis interpretes & sectatores Græci, & ipse quoq; Sextus, de triplici illius iudicatorio disseruêre, multoq; magis, vt mihi videtur rem explicant, quàm illa ex Clitomachi primo libro de sustinendis assensionibus apud Ciceronem in quæstionibus Academicis recitata. Placuisse videlicet Carneadi duo esse genera visorũ, in vno esse hanc diuisionẽ, alia visa esse quæ percipi possint, alia quę nõ possint: In altero autẽ, alia visa esse probabilia, alia nõ probabilia: Itaq; quæ contra sensus, contraq; perspicuitatẽ dicantur ea pertinere ad superiorẽ diuisionem, contra posteriorẽ nihil dici oportere. Magis, inquã, explicare vidẽtur Carneadũ negociũ illa quàm hæc Ciceronis ex Clitomacho, quàm etiã illa eiusdẽ Clitomachi, quamuis vsq; ad senectutem cũ Carneade fuerit, quamuis homo & acutus vt Pœnus, & valde studiosus ac diligens, ex libro ad C. Lucillũ excepta, & à Cicerone conuersa ea sunt: Academicis placere esse rerum eiusmodi similitudines, vt aliæ probabiles videantur, aliæ cõtrà: id autẽ non esse satis, cur alia percipi posse dicantur, alia nõ posse, propterea quòd probabilia multa falsa sint. Nihil autẽ falsi perceptum & cognitũ possit esse, itaq; ait vehementer errare eos, qui dicunt ab Academia sensus eripi, à quibus nonnunquàm dictũ sit, aut colorẽ, aut saporẽ, aut nullũ sonum esse: illud sit disputatũ non inesse in his propriam quæ nusquã alibi esset veri & certi notã, dupliciter quoq; dici assensus sustinere sapientẽ, vno modo cùm hoc intelligatur omnino eum rei nulli assentiri, alterũ cùm se à respondendo vt aut approbet, aut improbet quid sustineat, vt neq; neget aliquid, neq; aiat: id cùm ita sit placere alterũ, vt nunquàm assentiatur, alterum tenere, vt sequens probabilitatem, vbicunq; hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non, respondere possit. Deniq; Herculeum quendam laborem exantlatum à Carneade, quòd & feram & immanem belluam sic ex animis nostris assensionem,

id est,

id est, opinationem & temeritatem extraxisset, eundem quoque Clitomachum affirmasse, nunquàm se intelligere potuisse quid Carneadi probaretur.

CAP. XVI.

DE CYRENAICORVM SENTENTIA ET RATIONIBVS AD veritatis iudicatorium constituendum, vbi nonnulla aduersus Ciceronem, deq; Asclepiadis opinione.



Xposita Platonicorum diuersa de veritatis iudicatorio sententia, Cyrenaici excipiunt, à Socratis & ipsi (vt volunt) schola profecti: Aiunt iudicatoria esse affectus qui ab ipsis τὰ πάθη dicuntur, eaq; sola & percipi, & non mentiri. Eorum autem quæ pariant affectus, nihil esse comprehensibile, neq; non mendax; cùm enim inquiunt, aut dealbamur, aut dulcore perfundimur. Possumus non falsò quidem, sed verè id affirmare, quæ autem affectum indunt album, vel dulcem non possunt monstrari, fieri enim potest, vt quis non albo dealbetur, & à non dulci dulcedine afficiatur: quemadmodũ qui tenebras diutiùs perpessus, & ictericus est, pallido commouetur aspectu ab omnibus quæ incidunt, & qui opthalmiã patitur, rubore perfunditur, & qui diducit pupillã tanquàm à duobus obiectis rebus cõmouetur, & qui correptus insania geminos intuetur Soles, geminasq; (vt ille) Thebas inspectat, atq; interdũ geminis assurgit mensa lucernis: deniq; quoad pertinet ad res quæ extrinsecùs incidunt, decipi omnes homines putârunt ex animæ imbecillitate cognoscẽtis, idq; vel loco fieri, vel distantia, vel motionibus varijs, vel permutationibus, vel ex alijs etiã causis, vnde iudicatoriũ volunt hominibus esse cõmune, rebus autẽ nomina imposita esse cõmunia. Album etenim dulceq;, omnes communiter nuncupant, cõmune autem quiddã album & dulce non habent, singuli, cùm vnusquisq; à proprio capiatur affectu: quare & hoc ita mihi, secus alijs plerisq; videri potest, ob diuersas sensuum dispositiones. Spectamus enim, quod alijs pallidũ videtur, alijs puniceũ videri. At hoc vt mihi videtur non tantummodò affectis sensibus ob rerũ incidentiã, sed variæ quoq; temperaturæ ab ortu naturæ ita cõstitutę potest accẽptũ referri. Verùm hac de re lõgè plura quinto operis huius libro dum de sensus indicio & iudicio, aduersus Aristotelẽ disputabimus, non ex Cyrenis (vt ille inqt) laserpiciferis, sed ex ipso Athenarũ Lyceo profecti. Nũc ad Cyrenaicorũ disputationẽ enarrãdã reuertamur, qui etiã extendũt, & affectus ad bonorũ fines, & malorũ, quorũ aliqua suauia, alia aspera decernunt, alia itidẽ mediam quandã sapere naturam opinantur, & illa quidẽ bona rentur, quorum finis siue cõtrouersi voluptas est, ea mala quorũ finis dolorẽ incutit, media quorũ finis nec bonũ, nec malum. Omnium itaq; rerũ affectus ipsos, cùm iudicia, tùm fines esse putauerunt. Viuimus enim, inquiunt, affectus secuti & claritati, & cõplacentiæ (vt aiunt) consentientes. Claritati quidẽ quoad cæteros pertinet affectus, cõplacentiæ quoad vnam spectat voluptatẽ. Hactenus Cyrenaici, iudicatorium corripientes magis quàm Platonici, solis enim claritatibus & affectibus circumscribunt, cùm Platonicis placuerit id claritate quidẽ, sed & ratione metiri, quò fit vt mirer quo pacto in Academico secũdo Ciceronis scribatur Cyrenaicos putasse in solo tactu interiore, aut doloris, aut voluptatis, veri esse iudicium. Plura enim eos ad veritatem dijudicandam admisisse manifestauimus, illudq; est compertissimum, non omnia quæ persentimus, animoq; etiam cõcipimus, aut dolorem, aut voluptatem inferre, & mediam quandam inter asperitatem & suauitatẽ naturam suscepisse. Non abhorruit à Cyrenaica opinione Asclepiades iudicatorium cõstituens in sensu, quo res ipsas non ratione comprehendi existimauit, si vera putamus Antiochum retulisse.

CAP. XVII.

DE OPINIONE STOICORVM ET RATIONIBVS in veritate falsitateq; demetienda.



Toici phantasiã captatricẽ veritatis iudicatoriũ existimârũt, qua de re quãquàm suprà cùm de Archesila diceretur, actũ est, nõ nihil tamẽ quia multa ipsi dicũt, multaq; dicũtur in eos, hoc etiã loco videtur cõmemorandum, quo etiã loco nõ inutile fuerit inter assensionẽ & approbationẽ distinxisse. Itemq; inter id quod incertũ est, & id quod nõ potest percipi, cuius etiã rei apud Cice-

ronem mentio est Academicis. Ad hæc inter perspicuitatem, & perceptionem dirimêre, quibus de rebus inter Stoicos & posteriores Academicos, non parua lis: Sed quia inter ipsos etiam Stoicos discordia, idcirco quid ipsi sentiant, disseramus. Phantasia apud ipsos non vno accipitur modo, ita enim definiunt: phantasia est τύπωσις ἐν ψυχῇ, id est, informatio siue impressio in anima: super qua re statim dissensêre: Cleanthes enim accepit informationem secundùm æqualitatem & excessum, instar eius informationis impressionísve quæ fit in cera per anulum, quod absurdum esse Chrysippus existimauit, quoniam eueniret vt idem corpus, circa se diuersis formis imprimeretur: quare Zenonis verbum τύπωσις non pro informatione cepit, sed pro eo quod Græci ἑτεροίωσιν vocant, nos (si permitteretur per linguæ Latinæ vindices) siue alteritatem, siue alterationem appellaremus. Quare aliam ipse eo verbo attulit definitionem, quæ posterioribus etiam non placuit, vt hinc non parua commota sint in literis apud Stoicos prælia, quæ referre ad præsens, & longum nimis esset & superuacaneum. Sextus Empiricus ea diligenter exposuit in primo contra Logicos volumine. Cicero verò ad calcem secundi Academici, qui solet etiam Hortensius appellari, narrat Zenonem cùm extentis digitis aduersum manum ostenderet, dicere consueuisse visum est huiusmodi: Deinde cùm paululùm digitos extricasset, assensus huiusmodi, cùm planè compressisset pugnumq; fecisset, comprehēsionem illam esse dicebat, qua ex similitudine etiam nomen ei rei quod antè nō fuerat, catalepsim imposuit: cùm autem læuam manum admoueret, & illum pugnum arctè vehementerq; cōprimeret, scientiam talem esse docebat, cuius compotem nisi sapientem esse neminem. Cæterùm multas visorum differentias excogitârunt Stoici, alia enim visa siue phantasia persuasibiles, aliæ impersuasibiles dicuntur esse, aliæ vtrunq;, aliæ neutrum: *Primæ* habentur eæ quibus lenis æquabilisq; commotio circum animam exoritur, vt nunc esse diem, nunc me scribere: Secundæ quæ contrario se habent modo, & ab assensu nos retrahunt, vt si dies est, Sol non est super terram: Tertiæ quæ ad res diuersas relatæ, modò tales habentur, modò diuersæ, ob variam ad quæ referuntur habitudinem, vt quæ de sermonibus trahuntur ambiguis: Quartæ quibus non modò ambigua, sed nullo tempore altera pars, altera probabilior videri potest humanitùs, vti stellas verbi causa vel pares esse, vel impares. Earum etiam quæ probabiles persuasibilésve nominantur, alias dicunt veras, alias falsas, alias tàm hoc quàm illud, alias neutrum. Verum autem hoc & falsum referunt in naturam enunciationis prædicationísve, quæ vel ita vel aliter queat afformari, hoc est, verè vel falsè: vera igitur prædicatio ex qua vera prodibit phantasia, vt ego nunc scribo, falsa ex qua dimanat falsa, vt ego nunc inter excubias militum quiesco. Veram simul & falsam putant quę insanis & furentibus adest, qualis stulto cuidam rustico quem domi habebamus: nam cùm filium videbat, gaudebat quidem, sed alio nuncupat vocabulo, quatenus enim à re præsenti monebatur, phantasia putari posset vera: nam filium agnoscebat, quatenus verò alio vocabat nomine, non vti filium, sed alienum accipiens, vtiq; falsa. Neq; veras, neq; falsas arbitrabantur quæ generales essent, quorum diuersæ contrariæq; species, sicut animalis aliud rationale, aliud irrationale. Animal verò in cōmuni, nec hoc propriè, nec illud, aut est aut haberi potest. Verarū postea distinctionē fecêre, nam alias voluerūt haberi captatrices comprehensatricesq;, alias minimè, quales perturbatione quapiam incidere mēte captis, & nigra bile correptis compertū est, qui & si veram attrahunt phantasiam, non tamen ex iudicio captatricem, magis autem extrinsecùs & casu quopiam occursantem, quare neq; illis formantur, neq; assensu feruntur. Comprehensatricem verò decreuerunt, quæ à re fiat existenti, & secundū id quod existit indelebilis, & quodam veluti sigillo munita, hanc constituêre Stoici veteres iudicatorium veritatis, quæ ad alias phantasias talem habeat proprietatem, qualem inter serpentes alios cerastæ: quibus contradixêre Platonicorum multi, fieri posse existimantes, vt captatrici phantasia, falsum impermutabile comprehendatur. At iuniores addidêre Stoici oportere, vt ea phantasia nihil habeat aduersum, quoniam carere eam fide, & veritate posse cēsuerūt, ob aliquam extrinsecùs circumstantiā. Afferunt Admeti & Menelai pro exemplo fabulas: Cùm enim Rex ille Thessaliæ ratiocinaretur, Alcestem vxorem vita functam esse, & quod mortui non reuiuiscerent, spectaretq; quam illi Hercules attulisset, dæmonium existimauit non Alcestem: & Menelaus cùm in naui reliquisset Helenæ

spectrum,

ſpectrum, eamq; inueniſſet in Pharo apud Proteum, non vxorem,ſed eius autumauit ſimulachrum fictum à dæmone.Et de Stoicis hactenus,& de omni ſecta quæ à Socrate Platoneq; profecta, Socratem ipſum tanquàm parentem agnoſceret, & à Platone non abhorreret. Nunc de Ariſtotele nouam ſectam inſtituente & impugnante Platonem,verba facienda ſunt.

CAP. XVIII.

DE OPINIONE ARISTOTELIS ET THEOPHRASTI & ſectatorum, in iudicatorio veritatis decernendo.



Rriſtoteles verò & ſectatorum plurimi duplex veritatis iudicatoriũ conſtituêre, ſenſum rerum ſenſilium, intellectum mentémve intellectilium: commune autem quiddam vtriſq; Theophraſtus imaginatur τὸ ἐναργές, quod clarum nos lucidumq; poſſumus appellare: ordine quidem ſenſus pręcedit,vi mens & poteſtate,quanquàm ordine poſterior eſt,& ſenſum videtur ſubſequi, ſed hoc apud Theophraſtum fortaſsè clariùs,apud Ariſtotelẽ nullo modo,qui ſenſum pręponit ſemper,& in tertio de generatione animalium ſenſui magis quàm rationi credendum aſſeuerat. Qua de re operis proceſſu latiùs diſputaturi ſumus. Certè à re ſenſili mouetur ſenſus,ab ea verò motione,quæ de ſenſus claritate prodit in eorum animis, quæ ex ſe moueri queant,animantium, motio quædam ſuboritur quæ & memoria ſolet, & Phãtaſia vocari. Memoria quidem eius qui circa ſenſum ſit affectus: Phantaſia verò eius rei ſenſilis, qua ſenſus afficitur, patitúrve, & qua tanquàm veſtigium quoddam inuritur in animis atq; relinquitur. Quapropter ab Ariſtotele definitur motus à ſenſu, factus ſecundùm actum: porrò veſtigium ipſum cùm & ex aliquo fiat & ab aliquo,puta ex pedis poſitu,& ab amico ſic & eadem animę motio,ſiue inuſtio, ſiue impreſſio, ſeu magis veſtigium fit ex aliquo circa ſenſum affectu perpeſſionéve, & ab aliqua ſenſili re cuius etiam ſeruat ſimilitudinem. De ipſa verò motione cui memoriæ & phantaſiæ nomen eſt factum,alia quædam in animis noſtris motio ſuboritur,quæ & cogitatio vocatur,& intellectus,ob differẽtes de ea cõſiderationes.Nam qua rerũ cogit & affingit imagines,cogitationẽ,qua verò quędam ſplendeſcit claritas, mentẽ ſiue intellectum vocauêre, cùm enim potis eſt anima talem, vel talem in ſeſe rerum phantaſia perceptarũ notionem tanquàm cõponere, & meditari, & cogere,cogitatio vocatur:cùm verò id iã vigilanter effecerit,nuncupatur mens,vel intellectus,διάνοια ferè dicitur:Cæterùm ab intellectu cogitationeq; conſtituuntur,& notio, & ſcientia, & ars: cogitatio verò fit cùm interdum particulatim ſpecies concipiuntur,interdum ſimul & ſpecies,& genera. Sed omnium phantaſmatũ in intellectu congregatio, & particularium omnium in vnum quiddam vniuerſale collectio, nuncupatur notio: in hac autem cõgregatione atq; collectione ad vltimum & ſcientia, & conſtituitur & ars.Illa exactum quiddam & minimè variabile requirit,hęc autem non ita:vti autem ſcientiarum & artium natura,generatione poſterior eſt,ita & quæ appellatur opinio: vbi enim animus ictus à ſenſu,rei viſæ cõſenſit & acquieuit,tum nata eſt opinio. Quibus omnibus ſatis colligi poteſt cognitionis rerum iudicatoria, ſenſum & mentem à Peripateticis conſtitui, & ſenſum quidem ſeſe habere organi ſiue inſtrumenti vice, intellectum verò inſtar artificis eo vti. Ac veluti nos ſine ſtatera nequiremus grauium rerum & leuium perpenſionem facere: neque ſine amuſſi perpendiculóve recti & obliqui differentiam capere,ita mens abſq; intellectu minimæ poteſtatis eſſet rerum ipſarum ſententiam ferre.

CAP. XIX.

DE OPINIONE EPICVRI IN DIIVDICANda veritate.



Oſt Ariſtotelem & Theophraſtum ſequitur Epicurus, & tempore, & dignitate longè inferior, quanquàm ipſum Ariſtotelem acriter impugnauit. Ei ipſi Epicuro ſequẽti ſenſum,placuit iudicium phãtaſiæ: quam opinioni iunctam putauit,& appellauit claritatem, & omnino veram exiſtimauit,vt quæ primos affectus,hoc eſt,voluptatem & laborẽ oſtenderet:Illam à ſuauibus delectabilibusq;, dolorem à triſtibus afflictricibusq;,& oriri,& expromi rebus exiſtimabat: eademq;

demq; ſententia non vniuerſum ſolùm, ſed & particulatim, & ad rem quamcunq; ſingularem, cùm haberetur relatio, ducebatur. Verùm falli putauit pleroſq; ex differentia ſenſilium, cùm incidere videantur phantaſiæ, quibus alieni gratia coloris vel figuræ, aliter quàm putabatur res obijciatur: excogitauit etiã vt differentibus ita pugnantibus phantaſijs euenire, vt altera vera eſſet, altera falſa. Sed non animaduertit à ſenſu differre phantaſiam, quod boni omnes philoſophi volunt, & ipſe vno de Imaginatione libro multis ab hinc annis edito, ſatis oſtendi, aliud enim ſenſu, aliud phãtaſia pcipi poteſt: atq; vbi ſenſus nõ vno tantùm modo, ſed ſexcẽtis ita dixerim modis errauerit, toties aberrare phantaſiã poſſe manifeſtũ eſt. Sed explicandi nunc, nõ confutandi locus. Opiniones autẽ phantaſijs iunctas cognataſq;, cùm veras itidẽ, tùm falſas exiſtimauit veras, quæ teſtes eſſent claritatis, & aliàs in contrarium teſtes non haberent, falſas in quas à claritate ferretur teſtimonium, & pro quibus nullum ferretur. Porrò illa atteſtatio quam ἐπιμαρτύρησιν vocat, comprehenſio eſt per claritatem, vt hoc opinabile, verbi cauſa, amicum aduentare quempiam, tale ſit, quale ipſe opinione perceptũ eſt, nulla phantaſia contrarium ferente ſententiam, quare iſthęc atteſtatio & non atteſtatio, vt aliquid verum eſſet in conſilium adhibebatur, & in iudicatorij veritatis collocabatur ſede. At quod aliquid falſum eſſet, ipſa non atteſtatione & contrà teſtificatione diſcerni dicebat, omnium autem fundamentum & baſis claritudo ipſa cenſebatur. Hæc ad ſummam à Philoſophis omnifariæ de veritatis iudicatorio cõſtituta ſunt, in quos multam Sceptici contradictionem, nec vnam quidem in rem, ſed in multas, ſed in plurimas moliuntur.

CAP. XX.

DE SCEPTICI PHILOSOPHI RELIQVIS OMNIBVS QVI aliquod veritatis iudicatorium constituerent, triplici via & modo, acriter contradicunt, vbi quædam repetuntur altiùs, & de fidei præstantia Christianæ agitur.



Vidimus & narrauimus ordine Philoſophorum ſectas omneis, qui veritatis iudicatorium ſuſtulerunt, vidimus & eas omneis, qui reliquerunt, nec illorum modò, ſed horum etiam expoſuimus opiniones varias, quæ potiſſimũ quinq; ad capita redigi poſſunt: nam alij mentem, alij ſenſum, alij vtrunque pro iudicatorio ſumebant, alij phantaſiæ primas dedêre, ſed quę nam eſſet veri captatrix phãtaſia diſſentiebant, alij phantaſia vtebãtur, ſed vti famula atq; miniſtra, vel ſenſus, vel mentis: hęc omnia Sceptici placita confutari ſimul, triplici via & modo procedunt exiſtimantes iudicatorium omne ab aliquo eſſe, & per aliquam rem, ac etiam ſecundùm aliquã fieri: quare ipſa triplici via aggredientes iudicatorium omne ſublatũ iri procurat. Primum omnium, à quo iudicatoriũ ipſum manat, quídnam ſit, ignorari contendunt, hoc eſt, hominem, qui ferre iudicium debet, quo minimè noto, nec notum eſſe poſſe volunt iudicium, quod ab eo pendere conſenſus omnium probat. Verùm etſi hominem percipi quid ſit conceſſerint? Iudicatorium aliquod, quod appellẽt per quod: hoc eſt, ſenſum eius, & mentem, ita multis affectam volunt, vt ab eis iudiciũ veritatis nequeat expectari. Tamen ſi detur etiam concedaturq; vti & ſenſus, & mens poſſint quo ad ſe pertinet, ferre ſententiam, nihilominus ſublatum volunt iudiciũ id, cui factum eſt nomen ſecundùm quod, hoc eſt, phantaſiam, propterea quòd eam, nec rectè, nec ſyncerè ferri cõtendunt, adeò, vt ſi cætera vera ſuapte natura forent, falſa tamen fierẽt internuncia phãtaſia, quę ſuopte ingenio falſa potiùs quàm vera pręſentet. Quare cùm reperiri nequeat opinio quæ iudicatoriũ decernat vllũ, qđ nõ à ſenſu, vel mente, vel phantaſia prodeat, & cùm hæc in homine ſint omnia, iudicio de homine ſublato, & illa ipſa conſequenter ſublatum iri cenſent. Sed ex abundanti docere moliuntur, cognito etiamnum homine, non propterea vel in ſenſu, vel in phantaſia, vel in mente illius, certũ veritatis iudicatorium poſſe conſtitui. Quę ſecta quanquàm omnẽ pro viribus aliã dogmaticorũ ſectã ſuſtulit: Stoicos tamẽ qui magno in dignoſcenda veritate iudicio, ſe pollere putabãt, vehementer inceſſit, & Peripateticos etiã magnopere vexat, hac in re maximè, quoniã ipſi tria hæc ad percipiendam veritatem concurrere exiſtimabant, ſenſum, intellectũ, phantaſiam, quæ ipſi quàm multis, & quàm magnis poſsũt machinis à tribunali, celſaq; iudicij ſede deturbare detrudereq; moliũtur.

At priuſ-

At priusquam tres ipsas monstremus & percurramus vias, aperire nonnulla operæprecium duco, quibus & faciliores ipsæ viæ, & salebrosæ minus inueniantur. Fuit antiquitùs in contradicendo magnum omnino apud Philosophos studium, magna cura, quoniam inde sibi gloriam cuius auidi potissimùm fuêre, comparabant, hinc particularia sibi aliqui, vel argumenta, vel sophismata * consciebant, alij conficere artem procurabant, quemadmodum apud Rhetoras pleriq;, apud Philosophos Aristoteles octo libris, quos Topica nuncupauit: Sed ij & veritatem haberi posse, & eius ipsius iudicatorium præsupponebāt. At alij impugnabant, tanquàm falsa & tollere quæ illi potuissent, gestiebant: Alij extitère qui neutiquàm ferrent iudicium, & omnibus tamen, & maximè ijs qui certam se habere doctrinam iactarent, quibus possent viribus contradicerent, nec id asserentes sese verum propterea dixisse, sed ita videri, suaq; ipsorum argumenta & rationes posse alijs tolli, quin & à se ipsis viribus sublatum, non secus ac pharmaca quæ se ipsa cum eis quos ducunt, humoribus egerunt: ij ipsi vtebantur consideratione perpetua, & semper cohibebāt assensum, & principia alienę doctrinæ tanquàm fundamenta conabantur eruere, quibus effossis ędificium omne corrueret. Inter hos Pyrrhon magnum habuit momētum, deinde & Aenesidemus, & alij permulti, vltimus quòd sciam in eorū secta Sextus Empiricus, quem cum plerisq; alijs adhiberi in Ecclesia nostra ad fastum & vanam curiositatem consueuisse, dolet Gregorius Nazianzenus, & rectè quidē, quando vitia illa extirpanda sunt, non fouenda. Ad Philosophorum verò repellendam arrogantiam, & excellentiam fidei Christianæ monstrandā, possunt esse vtiles eiusq; desiderio magni olim viri & præclari tenebantur, vt alibi scripsimus, quādo hostibus Ecclesiæ nostræ nocere queunt, & contra Ecclesiam si retorquerentur, nihil haberent virium: neq; enim nostræ principia fidei pendent ab homine, sed ab ipso Deo, nec sensu habentur aut phantasia, aut humana inuentione, sed reuelatione Diuina: nec experimētis artium sensilibus, sed fidei lumine stabiliuntur, & prodigijs atq; miraculis, in quæ nec argumētari validè possent, aut Pyrrhon, aut Sextus, aut quiuis alius Philosophorum, quantouis ingenio, quantauis copia literarum: Tanta enim Diuinæ veritatis vis, vt quæcunq; in eam oppugnandam parētur arma, retundantur atq; resiliant, quare nō ad nostram doctrinam, hoc est, Christianam, quæ præstantior & modis omnibus sublimior est, sed ad Gentium Philosophiam quę humanitùs inuenta est, vel demoliendam, vel infirmandam, Sceptica cōsideratio potest conducere, quorum finis erat ex suspensione iudicij nullo pacto perturbari. Iudicium verò suspendebat propter contradictionem, & opinionum, & rationum, & diuersam rerum naturam, conabanturq; omni rationi æquam rationem opponere, idq; non vno duntaxat modo apud eos obseruabatur. Nam & apparentia apparentibus, & intellectis intellecta, contraq; hæc illis, illa ijs è regione constituebant: verbi causa turris eadem procul rotunda, propè quadrata, conspicitur, vtrunq; enim diuersè collocatis hominibus potest apparere: intellecta intellectis, exempli gratia, quibus videbatur non esse prouidentiam, quia malè boni habebant, opponebatur esse prouidentiam, ex ordine cœlestium, ex tecto naturæ processu, & alijs similibus. At apparentibus opponebant intellecta, instar Anaxagoræ, quoniam qui dicebant apparere sensui, niuem esse albam, instabat ille niuem aquam esse cōgelatam, aquam verò nigram esse, niuem igitur nigram habendam opponebant: item non solùm præsentia pręsentibus, vt in ijs de quibus egimus exemplis, sed & præsentia præteritis, vel futuris. Modos autē quos & locos etiam vocabāt & topos, ad cohibēdum assensum, propter rerum diuersitatē, deinde & ad contradicendū parabant, alij plures, alij pauciores constituebant, sibi. Nec inter Scepticos modò ipsos, sed eos etiam qui inter Academicos numerantur, quatuor enim libros de sustinendis assensionibus scripsisse Clytomachum Cicero est author, & Phauorinum decem scripsisse libros, quos & πυῤῥωνίων τρόπων inscripsit, Aulus Gellius in decimo memoriæ prodidit. Sed ipsis in modis compescendi assensus, & sustinendarum assensionum diligentiores, vt arbitror, Sceptici fuêre. De quibus omnibus agendum est, priusquàm eorum viæ ad tollendum iudicatorium stratæ monstrentur: quoniam hæc tanquàm viarum, quædam ostia, & claues etiam Scepticorum, in reserandis Philosophorum ostijs, haberi queunt.

* consuebāt,

CAP. XXI.

DE LOCIS QVOS ET AD ASSENSVM COHIBENdum & ad opponendum Sceptici custodierunt.



Cepticos apud antiquiores, decē siue modi, siue loci, siue typi, ad assensum cohibendū custodiebātur, de quibus mentionē facit in Pyrrhone Diogenes, sed nec explicat eos, nec eo vtitur ordine quo Sextus in primo πυῤῥωνίων ὑποτυπώσεων, quem nos magna ex parte, quantum ad hoc præsertim attinet, secuti, & ex Græcis ipsius libris transferemus, & alijs ex authoribus addemus, quę opportuna & consentanea rei, de qua agimus, videbuntur. Primus itaq; authore Sexto, pertinebat ad animaliū differentias. Secūdus ab hominum diuersa natura siue habitudine varia sumebatur. Tertius excipiebatur à differentibus affectibus seu præparationibus quæ in sensorijs inueniebantur. Quartus à circumstantijs & dispositionibus manabat. Quintus à positu rei vario, à loco, & locorum intercapedine pendebat. Sextus à mixtione trahebatur. Septimū quantitas & præparatio subiecti cōstituebat. Octauus de ijs quæ sunt ad aliquid siue de relatione sumebatur. Noni raræ vel frequētes aggressiones fecêre vocabulum. Decimum variæ disciplinæ, diuersi mores, differentes leges, fabulosæ narrationes, opiniones & cōiecturæ philosophorū dissidentes, cōstituerunt. Quod si hęc decē loca ad pauciora curemus redigere, tria dūtaxat generalia, in quibus cætera concludentur inueniemus: vnum à iudicante, aliud à iudicato, tertiū ex vtroq; dissultabit. Subijciētur & claudentur in primo quatuor priores: nam quod iudicat aut animal homóve, aut sensoriū, idq; aliqua circumstantia. Septimus & decimus in secundum referentur: In id quod est ex vtrisq; cōflatum. Quintus, sextus, octauus, nonus recurrēt. Rursum queunt tria hęc in vnū commune magis referri, hoc est, in id quod dicitur ad aliquid siue relatio, quorū tria illa species erunt, reliqua decē accidentia: hæc quidē antiqui Sceptici. Iuniores autē modos quinq; tradiderunt, eos Laërtius Agrippæ retulit acceptos, quorū primum ex dissensione parârunt: secūdum ex eo quod res in infinitūm queat excurrere: tertium ab eo quod est ad aliquid, cōstituerunt: quartū dixêre hipotheticum: quintū vocârunt promiscuū, atq; is est qui inuicem vel alternè cōficitur: duo alij prætereà modi soliti sunt assignari τῆς ἐποχῆς, quasi dixeris abstinentiæ, qua cohibebant assensum & dubitabundi considerabundiq; manebant. Quoniam omne quod cōprehenditur, vel ex ipso, vel ex alio cōprehenditur, à quo duplici vel gemino loco, cunctis rebus dubitationē se putabant inuehere: octo demùm ad euertenda particularia Philosophorum placita Aenesidemus excogitauit: is enim & ὑποτύπωσιν edidit ad Pyrrhonia, vt Laërtius docet & Sextus, itemq; de Pyrrhonis etiam rationibus & de quæstionibus, & cōtra philosophiam scripsit libros. At Sextus opinatus est quinq; illos à iunioribus Scepticis traditos modos, huic ipsi officio satisfacere posse, sed ij omnes, quos recēsuimus, modi singulatim seorsumq; sunt exponendi, & ab ipsis decem antiquitùs constitutis, sumendum exordium est.

CAP. XXII.

DE PRIMO AD ASSENSVM COHIBENDVM LOCO QVI ab animantium paratur diuersitate, vbi quæpiam contra Aristotelem inter ostendendum rationes eius in quarto primæ Philosophiæ de sensus veritate, facile dissoluuntur.



Rimus à Scepticis antiquioribus excogitatus paratusq; dubitationi locus, ex animantium prodit differentia, quò fit vt non eadem ob id apparere debeant, non easdem suboriri phantasias, sit cōsentaneum, propter diuersam eorum generationem, diuersas quoq; partes, & sensus diuersos, & appetitum, & fugam. Alia enim sine coitu nascuntur, alia coniunctione maris & fœminæ: & eorum quæ sine coitu, alia ex igne, vt quæ in fornacibus apparere zoophita dicuntur à multis Philosophorum, alia ex aqua marcida, vt culices; alia ex putrescenti vino, vt minutissima illa animalia muscis quadam ex parte similia, alia ex terra, alia ex limo, vt ranæ, nam

Semina limus habet virides generantia ranas; alia ex volutabro luti, vt vermes; alia ex herbis, vt erucæ; alia ex fructibus, vt parui illi qui in caprificis nascuntur culices,

culices, sunt & quæ de aliorum animantium cadaueribus nascantur: nam de tauris apes, de equis vespas constat oriri:

— mactatos obrue tauros
Cognita res visu est, de putri viscere passim,
Florigeræ nascuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, &c. necnon
Pressus humo bellator equus crabronis origo est: ex asinis item nascuntur scarabæi, ex tineis papiliones: nam,
Quæq; solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ (res obseruata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram: ex maritimo etiamnum cancro mutilato, si sepeliatur, scorpio prodit, quare & cecinit idem Poëta:
Concaua littoreo demas si brachia Cancro,
Cætera supponas terræ, de parte sepulta,
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca: &
Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas: hæc cùm in ipso (vt sic dicam) putrescere constitutę sint, num diuersum ab eo quod anteà præsentassent suapte natura, præseferre simulacrum, imaginem, spectrúmve debebunt, vnde alia atq; formentur phantasmata, quæ nihilominus alia non videbuntur vulgo ipsi, nec vlla subtiliori cõsideratione ductis atq; suspensis, ex se ipso quoq; mortuo quod oriatur, animal vnicum proditur, siquidem
Vna est, quæ reparet seq; ipsa reseminet ales,
Assyrij phœnica vocant: & viuis quoq; in animantibus & hominibus maximè nascuntur lumbrici, nec desunt Medici qui affirment humana corpora nunquã illa preciosa supellectile vacua. Quid enim ad insinuãdam superbissimo animali modestiam, & humilitatem agnoscendam sui, à summo rerum omnium conditore prætermissum est? At quæ de coitu nascuntur animantia, alia ex simili vniformiq; genere prodeunt in lucem, alia ex diuersis tanquàm coagmentantur & coalescunt vt muli, & generis eiusdem nonnulla, de quibus Aristoteles in libris de generatione animalium planè disseruit. Rursum inter animantes sunt quæ viua nascantur, sunt quæ in ouis delitescãt habitura vitam, vbi solaris simul maternusq; calor, ea aliquo temporis spatio confouerit. Sunt quæ nec in ouis occlusa perferantur in lucem, nec à viuipara matre prorumpant animalia, sed informi caruncula promantur, maternaq; lingua formentur, vt vrsi. Compertum enim hoc & decantatum:
Nec catulus partu quem reddidit vrsa recenti,
Sed maleuiua caro est, lambendo mater in artus
Fingit —.

Ex ijs probabiliter colligi putant tàm diuersi ortus principijs, impromiscuas etiam & dissimiles pugnantesque qualitates & proprietates effluere, & diuersa visa, diuersas phantasias afformari. Produntur & animalia quæ mutent sexum, vt de leporibus audiui, certè Plinius mutatas in mares fœminas prodit: ac ille cecinit:

— & quæ nunc fœmina tergo
Passa marem est, nunc esse marem miremur hiænam.

Enimuerò principalium corporis partium tantam diuersitatem, maximeq; in sensuum pariturum putauerimus magnam nobis siue visorum, siue phantasmatũ diuersitatem? num & magnum præbituram momentum & in assensu cohibẽdo, & in opponendo censebimus? qui enim sunt icterici, pallore circumfusa putant, quæ nobis alba videntur, & ijs qui rubore sunt & sanguine oculos infecti, sanguinea præsentantur, quæ nobis alba. Quoniam verò inter animantes inueniuntur qui pallẽtes & affectos colore subuiridi habent oculos, & qui sanguineos, & qui subalbidos, & qui alio colore suffusos, consentaneum est differentem apud illos colorum conceptum fieri. Ad hæc si oculos intendamus in Solem, perseueremusq;, mox eos ipsos vergamus in librum, aureæ videbuntur literæ, & in gyrum commotæ. Præterea cùm animantes quæpiam suapte natura lampada quampiã gestare videantur in oculis, ita vt appareant lucẽ fundere subtilẽ, & facilè missilem, nocturnasq; tenebras effugantẽ, iniuriáne putabimus,

bimus, non illis ac nobis quæ extrinsecùs in pupillas incidūt, formas similes videri? At qui si Magorū præstigijs fit, vt qui adsunt modò ærei, modò nigri videantur, ex modica inspersione vnctionis mixtionisq; magicę, quanto rationabilius ex diuersis humoribus visilis pupillæ diuersorum animalium, vel ab ortu naturæ congenitis, vel morbo contractis, vel arte inditis, diuersæ vt enascantur phantasiæ rerum subiectarū? Sed sine vllo præstigio id potest accidere mutato ipsius rei colore, tanta est rerū diuersitas, tàm versipellis facies, vt de Chamęleonte proditur, cuius si mutabilis color, & inconstantia nesciretur, num teipsum deludi putares? vel à magicis præstigijs illudi?

Quando id quod ventis animal nutritur & aura,

Protinus assimulat tetigit quoscunq; colores, vt cecinit idem poëta ingeniosus. Quod si vel parum, etiamque leniter, defricuerimus oculum, oblongæ & tenues videbuntur formæ atque figuræ, & magnitudines rerum spectabilium. Itaque longè probabile censeri debet, quæcunque animalia, pupillam habent obliquam & prominulam, ceu capræ, ceu cati, & similia, diuersè de rebus sensui subiectis imaginari, multoque magis si binas haberent pupillas, vel in altero geminam, vt de quibusdam refert Plinius in septimo Naturalis historiæ: & secus omnino quàm quæ rotunda & circulari pupilla prædita fuerint. In speculis etiamnum videmus si differenter apponantur & diuersè collocentur, modò parua quæ opponuntur præsentare, vt concaua, modò oblonga & tenuia, vt conuexa. Sed & aliqua versis in cœlum pedibus, & declinato in terram capite, quodam quasi præstigio commonstrant, quæ alioqui recto statu consistunt: quis negauerit ijs de rebus ob sensuum illusionem, phantasias non variari? & sint homines, sint canes, sint leones, sint pisces, sint elephantes, sint terræ serpentia, secus ac sunt videri.

De visu satis diximus, at reliquis in sensibus qui idē non perspexerit? aliter commouebitur auditu, qui angustos aurium meatus, aliter qui latè longeq; patulos habuerit, nec non ijs quorū aures obturârint capilli, præsentabitur sonitus diuersè, ab eo cui nudatæ fuerint: secus etiam excipiunt sonitum noctu qui humi iacent, ac ij qui vel interdiu vagantur vel inambulant. Magna quoq; in odoratu diuersitas, aliter enim qui perfrixerint, & distillationibus infestantur, aliter qui exsiccato capite vel sanguine multùm pollent, vel flaua bile, adeò vt quod benè olere vni, alteri malè videbitur. An in gustu non magis? Amara hominibus salicum folia sunt, capris dulcia, quod si neges, aut dubites cùm capra non fueris: scio enim fatuam Pythagoræorum palingenesiam, irridere te potiùs quàm extimare, amaritie delectari illas omnino fateberis: quando pabulum est illis ex fronde saligna gratissimum, & longe lateq; petitum: nec illud responsum Sceptici admitterent, nesciri quales sint pecori, hominibus ingratas esse sciri: nam aut varium temperamentum ouis, scilicet, & hominis variè percipit, aut amaro delectatur caprinum genus, vt humanum dulci: Marina aqua salsa est hominibus & ingrata, dulcis & grata piscibus marinis. Sed & sunt in hominibus qui vel delectatur amaro, vel quod alijs amarum hominibus, illis dulce. Noui qui aloës succum exsiccatum coagmentatumq; ita commedant vt panem. Albertus filius trimulus, rheubarbari potione delectatus est adeò, vt nutricem extimulârit ad propinandum, neq; enim expellendorum causa lumbricorum petebat, cuius rei gratia primitùs illi datum est, procul ab illo cura Medicinæ, quando nec per ætatem licet, sed sensu ducebatur solo blandoq; gustu, austero alijs & aspernabili. An febre correptis flauaq; laborātibus bile, quod alijs dulce, amarum videtur? & vinum sanis quàm gratissimum, inflammatis febre perquàm molestum? idem quod & omnibus ferè, præterquàm ijs qui pleuriti decumbunt morbo: nam quò magis fert exitium, eò magis appetitur. Sed & gratius est quandoque morbo correptis quàm sanis merum. Venit cum Carolo eius nominis octauo Gallorum principe in Italiam Gallus quidam boni inter eos nominis, qui leuicula febre cùm teneretur, potabat suauiùs, quàm cūm functus sanitate pleno se cratere proluéret, mallebatq;, vt audiui dicere, febricula non absolui, ne tanta careret voluptate. Hæc cùm tàm diuersa fiăt, possunt & nasci, inscrutabili quæ in hominibus reperitur tēperamēti diuersitate. Sūt enim qui molli & bene tēperata lingua, palatoq; æquabili freti, bene gustent atq; suauiter: sunt qui asperitate & duritiæ linguæ palatiq;, ab ipso ortu naturæ parùm delectentur. Oblongo item gutture qui sunt, oblectantur magis, quod in Philoxeni voto damnauit Aristoteles, sed non rectè, vt ali-

vt aliqui decreuerunt. Ac sanè cùm & membrorum & humorum in homine sit tanta diuersitas, & multę quò ad speciem, & mille quò ad intentionem remissionemq;, possunt innumeræ humorum coalescere diuersitates, & identidem permutari. Ex nutrimento etiam si sit idem atq; vniforme, varia promuntur, spectamus enim vnum eundemq; imbrem cœlo demissum & exceptum arboribus, alijs in folia, alijs in ramos concrescere: sic & modò sanguis in nobis augetur, modò minuitur, ex nutrimento itidem & flaua bilis, & nigra, atq; pituita. Mitto quæ possint maiorem afferre mutationē, vt abstemios, vt temulentos, vt furijs agitatos, quibus omnibus diuersa omnino ex diuersitate ipsius temperaturæ, phantasmata coorientur.

Sed & sunt quibus venenum aut bestiarum, aut herbarum non obsit, alij id in temperaturam proprietatemq; referunt, alij in vsum qui naturæ vicerit proprietatē. Ponti Rex veneno ita assueuit, vt postea potum non noceret: notior est historia quàm vt debeat enarrari: fuêre quos venenum nō interfecerit, sed nutrierit, sed auxerit, nec nunc sturnorum, aut coturnicum refero gratissima semina ellebori & cicutæ, alijs auibus venenosa & exitialia, nec oscyamum vt suibus gratissimū, ita multis animantibus perniciosissimum: nec ceruis quæ in pastum cedunt animalia: nec hirundinibus gratam cantharidem, sed puellam herba venenata nutritam, authore Galeno medico præcellenti. Iacobus etiam Foroliuēsis medicus, quem credo auorum memoria vixisse, aliū scribit quod alijs, & salubre, & etiā Alexipharmacum, antidotumq; sumitur, sibi perniciosum fuisse, seq; veneni vice quoties in cibum sumpsit, toties vexatum. Referri nequit quanta sit in hominibus diuersitas, non modo in cæteris animantibus. Sed de hominibus sequenti capite plura. In tactu etiamnum quis non commoueri se, aliter ostreacea pelle, aliter carnea, aliter squammosa fateatur: & in tactu etiā illudi sese putaret quispiam, si lyncis lotium cùm primùm est effusum, tangeret, sub ipso enim tactu sentiret, rem subiectam mutare naturam, nanq; illius animalis quicquid vesica remittit, vertitur in lapides, & congelat in aëre tacto.

Sic & coralium quo primùm contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Fiat progressus à sensibus, ad appetitum & fugam, quæ tam diuersa in animantibus reperiuntur, quàm illæ si non & multò magis, id autem à diuersa quoq; natura prodit animalium. Myrrhæ odor hominibus gratus, scarabeis & apibus intolerabilis, eumq; fugiūt & oderunt: oleum petitur hominibus, ex eoq; vtilitas magna, vespæ & apes refugiunt, vt id quo necantur. Appetunt luti volutabra malè olentia sues, refugiunt ab ijs homines: sed & inter animalia sunt quæ herbas comedant, sunt quæ cespitibus vescantur, sunt quę semina depascant, sunt quæ carnes vorent, sunt quæ lacte viuant, nec desunt qui crudis vtantur: & contrà sunt qui non nisi quæ à coquis exquisitissimè sint parata, desumant, nec defuêre qui marcida & putrefacta malint. A cibo formicarum & culicum abhorrent homines mirum in modum, quibus etiamsi ederent, excitarentur tormina: illas vrsi maximè cupiunt, quærunt auidissimè, comedunt cùm ægrotant. Salamandris stomacharentur homines visis, non modò comestis, quas porci consectantur vt vorent, vipera si ramo fagi tangatur, manet attonita, sic & noctua si platani folio contingatur: fugit arietem elephas, leo gallinaceum gallum, & sonum tympanorum cùm tigris tùm maritima cæte formidant: longum esset referre quæ nam dissona de animantibus prodiderunt literæ. Hoc tantum colligamus diuersas oriri animalibus phantasias, de rebus quæ illis objciuntur prodeuntes: nobis autem quid de illis iudicij? possumus enim qualenam videatur nobis, id quod pręsens fit dicere? quale verò in sua ipsius natura sit, quo pacto decernemus? quo pacto, & nostras, & animātium reliquorum phantasias dijudicabimus? quando sumus & ipsi differentes ab illis, & ipsius pars differentiæ: vnde alio potiùs egeremus iudice, qui inter nos & illa, quid interesset, edoceret, vt hinc etiam reuelatam diuinitùs comprobare possimus doctrinam, quæ homini data est, tanquàm dux versanti in tantis errorum tenebris, & tàm magno sensus, & phantasiæ conflictu. Sed hac de re alibi, nunc in Aristotelem obiter pauca, quanquam tres operis huius vltimi libri doctrinæ Aristotelęę infirmandæ sunt destinati. Aristoteles ipse quarto in libro primæ Philosophiæ, cùm fateretur, diuersitatem maximam in animantium sensibus atque diuersa etiam in eodem sæpenumerò (vt sic dixerim) sensamenta, quæ nec multitudine, nec paucitate iudicari possent, nihilomi-

nihilominus posteà verum sensum esse molitur astruere: quod quanquàm non negamus esse, tùm, scilicet, cùm non fallitur, cùm non est varius, vt latè quinto libro disputabimus, nō tamen fatemur cogi nos posse rationibus Aristoteleis ad assentiendum. Eæ sunt, quod est in motu, potest percipi, quoniā terminis, & à quo recedit, & ad quē tendit, participat: Hoc totum potiùs dubitationem augere sensilis iudicij videtur, nō tollere, subest enim continuæ motioni, & terminorum est diuersa natura. Nec illa itē ratio videtur efficax rei manere speciem, quamuis quantitas immutetur: nam sensus exterior, nec speciem rei percipit, nec etiam propriè quantitatem: illud enim ad intellectum, hoc ad sensum pertinet communem. Accidentibus enim, id est, qualitatibus duntaxat immorantur externi sensus, quæ quidem qualitates, ducunt vel de longinquo ad essentiam speciemq; rei, vel sola coniectura deprehendendam. Ipseq; met Aristoteles in primo de Anima negare videtur apertè, à sensibus omnino cognosci speciem atq; substantiam, cùm scripsit accidentia magna ex parte conferre ad cognitionem eius quod est esse rei. Quod autem de cœlo subiecit, multum non affert momēti, quia etsi non mutetur quò ad auctionem, & decrementum (quanquam qui non admitteret, cœlum esse ex quinta essentia siue natura, sed compositum arbitraretur, dicere posset ipsum mutari, sed à nobis eam mutationem percipi nequire) quia, inquā, etsi non mutetur, quo ad auctionem & decrementum, tàm nihilominus à sensibus remotum est, vt proprio sensu nulla eius qualitas excepta luce deprehendatur, magnitudo namq; & motus, vt cognoscatur, sensu communi est opus ipsomet authore, sed & color qui videtur cyaneus cæruleúsve, quem dicunt cœlestem, falsò etiam vt produnt sensibus præsentatur: neq; enim vult ipse Aristoteles, vt vbi non est compositio materiæ, & formæ, vbi non est elementorum concursus, ibi sit colorū mixtio: & quod adnexuit de natura immobili, nihil officit, quando ea per sensum nequit apprehendi: posteà cùm magis affirmat sensum proprij obiecti non esse falsum, & culpam reijcit in phantasiam, id quidem maiori probatione indiguisset, maioriq; discussione. Sed neq; haberi debet sanorum & ægrorum hac in causa ratio, sed diuersæ temperaturæ, non vitiatæ, sed ita naturaliter constitutæ, ex quarum diuersitate, diuersæ phantasiæ, non falsæ, sed motiones à proprijs sensibus ritè factæ, vnde & diuersa iudicia: qua de re, quoad homines attinet, speciatim hunc in modum disseramus.

CAP. XXIII.

DE SECVNDO COHIBENDI ASSENSVS LOCO OB humanam diuersitatem constituto, vbi etiam nonnulla contra Aristotelem.



TEmpus est, vt secundo loco monstrando, qui à diuersitate hominum sumitur, insistamus, ex quo etiam roborabuntur, quæ in Aristotelem dicta sunt: nam vt volentes etiam concesserimus hominibus habendam fidē, in animalibus cæteris dijudicandis, quibúsnam quæso hominibus cui dissentiant, acquiescemus? nam cùm ex duobus homines constituamur, anima & corpore, vtroq; inuicem dissentimus: vt enim diuersa sunt corpora, ita homines diuersi: neq; huc eam afferre volo diuersitatem humani generis, cuius longo discursu meminit Plinius in septimo Naturalis historiæ, cùm citat Anthropophagos, Cyclopas, Læstrigonas, Sciopodas, Ophiogenes, Androgynas etiam & Pigmæos, authoritate Aristotelis, hæc etenim vulgata prætereo, sed diuersitatē ascisco, aut ratione munitam, aut raris nec protritis relatam authoribus. Accedant primò diuersæ hominum temperaturæ, à diuerso parentum semine, à regionibus diuersis, à varijs nutrimentis, ab vsu diuturno manantes, hæ in causa sunt, vt diuersa & præsententur & promantur phantasmata, hinc & diuersæ quoq; affectiones animorum diuersaq; iudicia. Differunt corporis forma & temperamento Scythæ ab Aethiopibus & ab Indis, illi à nostratibus, hinc varios mores, variæ suggerunt humorum mixtiones, à varijs non inclinationibus modò cœli, sed parentum seminibus, à quibus omnibus & varij sensus variaq; phantasmata, vnde & variæ sententiæ, hinc appetunt quidam quæ alijs abominationi sunt. Aethiopes nigras petunt vxores & simas, quò enim nigriores, quò magis simæ, eò pulchriores ab eis existimantur, authore Sexto, cōtrà verò Persæ quò candidiores

diores,& magis incuruo naſo, eò præſtantiori eſſe forma iudicantur, deterrima verò quæ ſint Aethiopibus planè ſimiles. Atque hinc grata multis pleraque ſunt,à quibus alij quàm maximè abhorrent. Quod ſi qui Medicorum ſpecies gradúsve temperamenti, & cœli inclinationis magis placidæ temperatæque duxerint in medium, quibus probatiores attribuant phantaſias, primùm diſſoluant operæpretium eſt quo pacto qui ad alteram extremarum latitudinum propiùs acceſſerit, non euariet ab alio,qui alteri proximiori iudicabitur: punctalem enim (vt ita dixerim) quis inueniat? Deinde illud declarent quomodo indiuiduales (vt dicunt) differentiæ phantaſiæ iudicium quoquomodo varium diuerſumque non reddat? quis ea queat enumerare quibus homo differt ab homine? ſuccurrant quæ ſuprà diximus, de Mythridate, de puella nutrita veneno, de rheubarbaro, deque aloës amaritie, mirum quàm aſpernabili,quæ tamen alicui dulcis viſa eſt amarities. Aloës & ipſe ſuccus demiſſus in ſtomachum,ſolet aluum ſoluere, rubram bilem ducere, & hoc plurimis. At noui hominem & doctrina, & moribus egregium arte Medicum, qui ſi ventrem fluidum mollemque obdurare velit, & obfirmare, pillulas catapotiáve confecta ex aloë deglutit:quæ res ſibi ſiſtit aluum, ſoluit alijs. Cicutæ ſuccus exitialis hominibus, quoque & nocentes à Maſſilienſibus necabantur,quo & moralis philoſophię parens habitus Socrates ab Athenienſibus extinctus eſt, non coturnicibus aut ſturnis, ſed hominibus innoxiè ſumptus eſt, aliqui hauſtus quatuor tollerauêre. Anus Attica etiam triginta ſine vitæ incommodo pertulit, eodem Sexto authore, & Alexandri miniſter quidam præfectus menſis nomine Demophoon, in ſole balneoq; rigebat, & æſtuabat in vmbra: ac vt Pſillos mittam Aphricæ populos, qui à ſerpentibus & aſpidibus icti non pereunt. Argiuus Athenagoras à phalangis & ſcorpionibus percuſſus nihil dolebat: qui Tintyritæ dicuntur incolæ Aegypti inter crocodylos impunè verſantur. Eſt & quædam Aethiopum gens ex aduerſo Meroës, adúſque fluuium Hydaſpem protenta, qui abſque vllo periculo & ſcorpiones, & aſpides,& cætera id genus ſerpentia comedunt, non ſolùm non læduntur ab eis, quod etiam admitteret Ariſtoteles qui ſcribit in octauo de Hiſtoria animalium in Pharo, & locis alijs ſcorpiones non lædere. Ruphinus quidam in Chalcide potato helleboro, nec ex toto, nec ex parte purgatus,ac ſi conſuetum ſumpſiſſet poculum, concoxit eoque nutritus eſt. Soterichus Chirurgus ſi quando ſenſiſſet ſiluri ſuffimenta, bile infeſtabatur. Ac (vt fecimus etiam ſuprà) noſtri temporis exempla miſceamus antiquis. Affinis meus Oliuerius Hoſtienſis Epiſcopus Cardinaliſque Neapolitanus, paulò antea magno prudentium virorum mœrore vita functus eſt ſenex, quem ſingulis annis verni flores (id enim in cauſa ferebatur) paulominus exanimabant, quibus tamen reliqui maximè demulceri ſolent. Andron Argiuus ita ſine ſiti vlla perſeuerabat,vt ſi per aduſtam Lybiam iter feciſſet, non quæſiſſet potum. Mirandulæ oppido noſtro erat fœmina, quæ priuſquàm viro iungeretur, nec aquam, nec vinum bibit vnquàm, quæ res morbo non referatur accepta: nam & ſanitate vtebatur, & rubicundo erat colore ſuffuſa vultum, & valentis fœminæ officijs ſemper eſt functa, viro autem iuncta cùm filiam concepiſſet, bibit: vt earum mittam virginum quæ noſtra ætate & ſine cibo, & ſine potu multos annos vixêre mirabiles hiſtorias, & heremitæ vnius abſtinentiam, quem audiui non longè à Colonia Agrippina decem & nouem annos quicquam non guſtaſſe, fidemque factam eſſe militum nonnullorum teſtimonio, qui in eius tugurio multos dies perſeuerârunt, miſſi ab antiſtite vrbis, ad rei veritatem explorandam: nam quæ diuino contigiſſe miraculo putantur, non ſunt humanis exemplis annumeranda, & ſi prodat Ariſtoteles fuiſſe hominem qui in tota vita non comederit. Redire ad Gentium facilè poſſum monumenta, quæ multa produnt hominibus adfuiſſe,ab alijs tàm diuerſa vt ſemper ſuppetat afferre,quæ conſuetis opponamus. Tiberius Cæſar inter nocturnas tenebras videbat, ſenſus enim ipſius non fallebatur in nocte, re viſili præſentata, fallebatur aliorum hominum; diuerſitas hoc naturæ particularis, diuerſitatem in viſili poteſtate poſuerat. Hominis ſimulachrum Thaſio cuidam adſtitiſſe ſemper, Ariſtoteles eſt author, alij tamen id non videbant. Scribit etiam Seneca primo libro Naturalium quæſtionum, quoſdam eſſe qui ipſi ſibi videantur occurrere, vt vbique imaginem cernant, refert in valetudinem primò, poſtea & hanc affert cauſam, quia infirma vis oculorum non po-

BBB teſt ne

teſt ne proximè quidem ſibi aërem perrumpere, ſed reſiſtit.

Cùm itaque corporibus humanis inſit tanta diuerſitas, num erit in eorum animis phantaſmatum iudiciorumque communio? & maximè ſiſtabimus Ariſtoteli decernenti animas, ea quæ informant corpora ſubſequi. Sed maiorem nobis faciunt diſſenſionis fidem, quæ ſcribuntur à multitudine Philoſophorum, & eorum maximè qui dogmata ſe tradere profitentur: nam & de omnibus diſcrepant, & ſuper ijs maximè contendunt & præliantur, quæ ſequi debeamus, quæ declinare. Electio autem & fuga plurimùm de voluptate deque dolore pendet, quæ & de ſenſu, & imaginatione penè ducuntur, adſtipulante maximè Ariſtotele memorijs, & imaginationibus plurimùm regi animalia. Cùm hæc itaque eligunt, hæc declinant, ſequens eſt vt putemus eos non ſimiliter ab eis ipſis phantaſmatibus moueri, quandoquidem ſi ſecus ſeſe haberet res, vel optarentur ſimiliter, vel non diſſimiliter declinarentur, quò fit vt aſſenſus cohibendi magna præſtetur occaſio, nec ſenſus in omnibus, cùm ſit in plæriſque varius, ritè ſyncereque poteſt ferre ſententiam, quòd tamen Ariſtoteles exiſtimauit: Aut enim omnibus, aut quibuſdam aſſentiendum: Si omnibus contrarijs contradictorijsque manus dabimus, ſi quibuſdam quæſo priùs dicant, quibúsnam herba ſit porrigenda, tanquàm victoribus: Reſpondebunt Platonici, audiendum eſſe Platoni, Peripatetici in Ariſtotelis ſinum tanquàm in portum paſſis velis eundum monebunt: Is te relegabit ad ſenſum, cuius ſi vel tantillam rationem exigendam exiſtimaueris, expelleris è Lyceo, quoniam decreto illi in metaphyſicis poſito contradicens: eorum quæſiſti rationem, quorum non eſt ratio. At quis eis quæ ſunt allatæ ſuprà obiectionibus faciet ſatis? de diuerſitate videlicet temperamenti, quæ ſenſuum parit diſcrimina, varijs in hominibus varia, vti latiùs quinto huius operis libro aduerſum ipſum Ariſtotelem diſputabimus, ex ſimilitudine naturali ferè omnimoda cum ictericis, ex ijs qui eo cum morbo naſcuntur, ex ijs quæ ſimilia iudicantur, non tamen omnino, ſed ex quibus tamen varietas prodeat, cùm multò maior in oculo varietas videatur ex maiori temperamenti diuerſitate, quàm in re ſenſili viſa, id eſt, colore, qui ſolùm ex duobus conflatur, ipſo Ariſtotele teſte, albore videlicet nigroreque. Fit autem propterea vt ex horum intentione atque remiſſione, variaque mixtione, infinitæ ferè ſpecies colorum habeantur, multò magis ex temperamento ex pluribus conflato, & humoribus, & qualitatibus, poteſt iudicium rerum apparentium oculis variari. A quibus diuerſæ quoque iuſta proportione fiant phantaſiæ, de quibus demùm varia iudicia dimanare, & certum eſt, & compertiſſimum: ſed de Ariſtotele ad præſens ſatis. Si alios ſciſcitatus fueris Philoſophos, qui ſenſu ducuntur, te ad præceptores remittent. Epicurei ad Epicureum, cui & palmam dandam affirmabunt, vt qui Lucretio authore,

Veridicis hominum purgauit pectora dictis, vt ego cano,
Falſidicis hominum temerauit pectora verbis.

Sic & Stoici Zenoni, & noſtris etiam temporibus diuerſæ ſcholæ, vt diuerſos habent duces, ita ei omne genus coronæ decernunt, quare perpetua durante lite, iudicium inquient Sceptici ſuſpendemus. Quod ſi maiori ſtandum parti cenſebit quiſpiam, reſpondebitur non eſſe idem in rebus Philoſophorum iudicium, ac in ijs quæ fiunt à maiori parte capituli in Pontificia lege, aut quæ maiori ſuffragio populi contingunt in re publica: nam ibi poteſt internoſci, quot aut qui ſententiam rogentur: apud Philoſophos verò qui rerum vniuerſitatem earumque naturam ſpeculantur, haud ita faciendum: nam de hominibus cùm differunt, niſi proprietates nouerint ſingulorum, nihil exactè & extra controuerſiam decreuiſſe queunt. Sed quiſnam quæſo omnes homines nouit etiam per Gentes & nationes? & ſi nouerit quis potis eſt percipere quid cuique genti placeat? poteſt enim apud quoſdam frequentiſſimè fieri, quod apud nos raro, contraque ea quæ nobis raro viſuntur, apud alias nationes poſſunt eſſe frequentiſſima: nec non latere nos quæ ipſi clariſſimè perceperunt quis dubitat? & quæ ipſos latuit, nobis eſſe manifeſta? Sed & ignorantur non parùm multæ gentes, vt ijs nauigationibus quæ noſtra ætate contigerunt, palàm factum eſt, quando ad occaſum terra vaſtiſſima prioribus incognita ſeculis & frequentibus referta populis ab Hiſpana claſſe reperta eſt, cuius ita nos ignari fuimus, ſicuti eius incolæ noſtrarum in quibus degimus regionum, & noſtra ætate ad Aethiopiam quoque

Lusitanus nauta antarcticis syderibus fretus adnauigauit, & penetrauit, ad Indiam, & Anthropophagos vidit, & multa didicit quæ priora secula nesciuerunt. Sed concedatur Gentes & populos singulatim nosci, num & in singulis postea hominibus tanta diuersitas? vt nil certi atque vniuersim, colligere queamus, quod non possit aliorum exemplis hominum particulariter infirmari. Sed iam tertium ad locum nos referamus.

CAP. XXIIII.

DE TERTIO LOCO AD ASSENSVM COHIBENDVM excitato, & super sensuum diuersitate fundato, vbi & nonnihil contra Aristotelem.



Excogitârunt & locum alium Sceptici, vt dogmaticôs refellerent, existimantes perperam ab illis agi, dum putant iudicium se ferre de alijs rebus posse quantumuis differentibus, cùm ipsi & in hac dissentientiũ differentiumq; rerum chorea voluantur. Sequi illi dicunt vti de ijs quæ videntur apparentq;, cùm iudicium ferre voluerint, ij ipsi priusquàm exordium capiant iudicandi, res ipsas pro iudicatis accipiant, quæ scilicet, sub iudicio versabantur, & quoniam plæriq; constituebant, in homine rationem, tanquàm id cui & iudicium volebant acceptum referri, contradicunt ipsi & assensum frenãt, oppositu tertij modi quem in affectibus vniuscuiusq; sensorij differentibus collocârunt. Id autem inferre curabant, vt si ea quæ sunt extra, rectè non capiant sensus, nec à mente quæ ministerio vtitur sensuum, ea ipsa posse capi. Primùm igitur differre sensus ipsos inter sese commonstrant, adeò vt si sensus sequamur, eiusdem rei prosítne an obsit? humanæ naturæ placeat an displiceat? diuersa fiant iudicia? ex quo etiam colligetur cuiuscunq; rei naturam scire nos vllo pacto nequire, nisi omnes eius affectiones per singulos sensus hauserimus. Literarum elemẽta ad visum si referantur, alijs alia æqua videbuntur, alia subsidere, alia præcellere & eminere: si referantur ad tactum, nullũ inter ea discrimen agnoscetur. Mel gustui suaue & gratum, oculis impositum graue & molestum, quare absolutè si ex eis quæratur, mel suauéne est an minimè? respõdere nisi recta priùs sensuum habita distinctione nõ queant. Odorata vnguenta & quæ maximè myrrha conficiuntur naribus admota placent, gustui displicent. Euphorbium oculis molestum, corpori reliquo minimè ingratum, quò fit vt nequeamus absolutè dicere suapte natura corporibus humanis obest an prodest? Pluuialis aqua iuuat oculos, arteriam & pulmonem exasperat, vt & Græcis dicitur τραχυνει. Marina torpedo summitatibus admota corporum stupefacit, reliquis partibus innocua. Quò fit vt qualísnam rerum talium natura sit nequeamus afferre, qualis autẽ videatur fortasse possimus: sanè quęcunq; nobis obijciuntur, varię sensibus nostris sese offerunt. Est in pomo leuor, odor, dulcedo, color, clarum tamen aut incontrouersum non est, solásne has habeat qualitates, an vnam in se tantum? quòd si referatur ad sensus, plures etiam quàm quæ dictæ sunt habere conuincentur, quare quemadmodum suprà de nutrimento cùm dicebamus, euenire potest, vt vnum quidpiam diuersè receptum efficiat diuersa, sic vt & pomum vniforme sit in sese, difforme tamen videatur diuersis exteriorum sensuum apparentibus. Sed & plures quàm quæ nobis videntur haberi in pomo qualitates posse hunc in modum probatur. Concipiamus animo aliquem virum abortum naturæ, tactum quidem habere, & odoratũ, & gustum, neq; audire autem, neq; videre, hic sanè quàm facillimè opinabitur concipietq; animo, quicquã non esse à principio, visibile neq; audibile: Sed tria illa duntaxat haberi qualitatũ genera, quæ ipse tribus illis sensorijs haurire potis est. Nos qui tantùm quinq; sensibus pollemus, persuadere nobis ipsis tentamus, tantummodò qualitate percipere posse, quibus sumus per sensoria capaces, sed & fieri potest vt aliæ sensorijs alijs incidant qualitates, quibus non participemus ipsi. Sed dicet quispiã natura ipsa factum est, vt sensus rebus sensilibus commensurentur, quę nam, inquiũt Sceptici, hæc est natura? Cùm tãta sit discordia tamq; iniudicata lis, adhuc inter dogmaticos perseueret de ipsa natura: qui enim iudicat hocipsum si est natura, vel ineruditus est, ac per hoc ei fides non habebitur, vel Philosophus, & ita cùm pars sit & aduersarium habeat in lite, iudicium ei non tradetur, vtpote qui iudicari debet non iudicare: quis item nouit non plures esse sensus quàm

quinq;? Respondebũt id à Philosophis asseuerari: Afferam & Philosophos qui plures malint. Democritus enim nõ tot putauit quod & diximus antea,& Plutarchus etiam in placitis Naturalibus,refert sensus in homine non esse quot haberi dicuntur,sed inesse & dijs,& alijs irrationalibus animãtibus & sapientib9 plures, quàm qui statuãtur à nobis,existimauit: cui potest adstipulari illud Simplicij Peripatetici in tertio in Aristotelem de anima Cõmentario,vbi non omnino abnuit sensum non posse quoquomodo cœlestibus corporibus tribui, modò sit diuersus ab eo quo nos & mortalia cætera sentimus: pari quoque pacto & phantasiam ab eis omnino non eliminat,nec plantis quoq; nõ posse sensum attribui contendit,obscuriorem tamen,& vt ait Plato, dormientem. Ioannes quoque Grammaticus inter Platonicos & Peripateticos nonnullos,de sensu corporum cœlestium decertantes, litem dare noluit,qua de re in nostris in tertium Aristotelis de anima Commentarijs latè disseruimus. Sic & de sensibus omnibus dissidium efficit, vt mentis quoq; vacillet iudicium, nec quæ ipsi minimè nouerimus, ea non esse in rerum natura iudicare debemus. Laurentius Vallensis cuius opiniones in Logicis institutionibus sæpè refellimus, nobilis fuit Grammaticus,& propè vindex iam desitæ Romanæ linguę. Sed cùm quid audiebat dicier,quòd ipse aut non legisset, aut legisse non recordaretur, actutùm ferè putabat non esse Latinum: posteà nihilominus qui examinauerunt veterum authorum scripta diligentiùs,Latina inueniebant quæ ipse tanquàm barbara seposuisset. Sic & æstimatores rerum prudentes à præcipiti iudicio opus est abstinere, & quod ipsi non nouerunt, id esse alijs incognitum affirmare non debent,aut ea quorum nusquàm factam mentionem audiuerunt, protinus à rerum natura non debent expellere. Sic & Aristoteles aliquos tantummodò quibus falli quiret sensus iudicium, excogitauit modos, nihil præterea putans eos aberrare posse: nos autem tot esse ipsius sensus vel modi, vel species quot hominum temperamenta, & diximus, & quinto huius operis libro sumus exactiùs probaturi, quò minus certa dijudicandæ rei sensilis, regula trahi queat. Sed enim incertum quoque magna ex parte sensus iudicium, suis ipsius regulis,ipsomet quinto huius operis volumine ostendemus. Nec longè ab eiusmodi videtur difficultate abhorruisse Nicolaus Cusa, cùm sensum nisi sensiliter iudicare dixit,& rationem nisi rationaliter,vt propterea aliter eam semper quàm res est,hoc est,coniectura iudicare existimauerit, si ad ea,quæ mentis sunt,examinanda conscenderet: quo pacto affirmat rationem iudicare duo & tria, & quinque esse præcisè, non autem probari hoc iudicium ab intellectu, apud quem vtpote qui sit ipsius rationis vnitas, omnis numerus est vnum, quare præcisio illa (vt eius vtar verbo) contracta est ad rationem,non absoluta. Sed reuertamur ad Scepticos.

CAP. XXV.

DE QVARTO COMPESCENDI ASSENSVS LOCO, qui de circumstantijs dispositionibúsve trahatur.



QVartus in circumstantijs, quæ & dispositiones quoque nuncupantur à Scepticis constituitur locus, hunceque ipsum contemplantur in eo quod est vel secundùm, vel præter naturam, in eo quod est dormire aut vigilare, in eo quod est moueri vel quiescere. Ad hæc puerum esse,adolescentem,iuuenem,senem,amare itidem, odisse,indigere cibo,saturum esse,ebrietate grauari,sobrietate vigere:prætereaque non dispositiones tantùm,sed quæ ipsas antecesserunt causæ,librari debent. Opus enim & audaciæ, & timoris considerationem habere,& tristitiæ,& gaudij meminisse. Atque vt à primordio harum quæ retulimus rerum ordine congruo repetamus & explicemus singula. Inæqualia incidunt rerum simulachra ijs qui secundùm & ijs qui præter naturam, mouentur hominibus: phreneticis namque & mente captis omnibus,videntur multa aut audiri,aut spectari, aut gustari,aut odorari, aut tangi, quæ sanis non videntur: præterea sunt ita affecti quidam, vt storacis aut thuris odore se capi dicant, quem non persentiant alij, eandem aquam locis inflammatis infusam bullire videbitur cuidam: alijs frigere,eandem vestem qui laborant morbo, quem Græci dicunt ὑπόσφαγμα iudicabunt rubram, nobis aliter apparebit. Idem mel, mihi dulce,amarum videtur ictericis; alijs nec hoc, nec illud:

qua

quâ de re fuſiùs quinto libro. Quòd ſi quis dixerit eſſe in cauſa mixtionem humorum, vt ex rebus ſubiectis diſſimilia phantaſmata ijs qui præter naturam ſe agunt appareant, ſciat ille & diſcat in primis eos qui ſani habentur, humorum ſemper temperie non pollere, ideò fieri poſſe, vt & quæ ſunt extra, & quæ talia ſecundùm naturam ſunt, qualia videntur ijs qui dicuntur, ſeſe habere præter naturam, diuerſa omnino ac ſuapte natura ſunt, appareant ijs qui habentur ſani: Humoribus enim malè commixtis perperamque temperatis dare poteſtatem variandi rerum ſubiectarum ſimulachra: eis autem qui diuerſa ex diſpoſitione malè compacti coalitique ſunt, non dare, fictitium omnino videri dicunt & vanum: ſicut enim ſani ſuapte quidem natura habent, quæ ſani ſunt hominis, præter naturam verò quæ pertinent ad ægros, ita & ægreſcentes, præter naturam quidem habent quæ ſani ſunt hominis, ſuapte verò natura quæ pertinent ad ægros. A vigilia item & ſomno diuerſæ promuntur imagines, quoniam non eodem modo per quietem præſentantur phantaſmata, quomodo cùm vigilamus, nec contrà: quare ipſas imaginationes non abſolutè, ſed vel ad ſomnum vel ad vigiliam relatas metiri conuenit. Quæ igitur fiunt in ſomnis præſentia, non ſubſiſtunt in vigilia: verſoque fit ordine, cùm vigiles aboleantur phantaſiæ ſuccedentibus ſomniculoſis, quæ tàm variæ ſunt vt ipſo in ſomno diſtingui non poſſint, quando & vigilare ſomniamus, & ratiocinamur etiam in ſomnis non dormire nos, ſed vigilare. Mitto longa illa ſomnia quæ Gentium narrat antiquitas, Endymionis, Epimenidis Cretenſis, ad multos annorum curriculos protenta, itemque Ariſteæ Proconeſij & Meleſagoræ Eleuſinij, & aliorum quibus ferebantur erudiri & multa cognoſcere, quæ vigiles ignoraſſent, ita certior illis & ſcientiæ accommodatus magis ſomnus, quàm vigilia diceretur: vt qui Gentibus credunt, noſtris non credunt, hiſtoriæ illi minus detrahant, de ſeptem viris qui multos annos in antro dormierunt, in quod ſæuientis iram tyranni veriti declinârant. Sed de ſimilitudine ſomni & vigiliæ pauca dicamus.

Tanta enim inter vigilantem & dormientem quandoque parilitas, vt vix & difficulter quidem poſſit in quibuſdam hominibus diſcrimen & interſtitium exactè dari: proditum eſt memoriæ de Theone Tithoreo Stoico, qui dormiens, ambulabat in ſomnis, & de Periclis ſeruo, qui ſummo etiam in culmine tecti ſpaciabatur. At ego noui hominem qui omnia dormiens vigilantis obibat officia, ſcribebat, loquebatur, incedebat, diſputabat, depromebat ex arbore fructus, tumque in eo patebat diſcrimen ſomni atque vigiliæ, cùm ad cor ipſius manus admoueretur, nec ego ſolus noui, multis hoc eſt planè compertiſſimum. Mirandulæ quoque oppido noſtro cauſidicus erat, qui noctu ſurgens vigilantis munia prorſus exequebatur: vt iam ſit minus mirandum quod ſcribit Ariſtoteles quinto libro de Generatione animalium de eis, qui dormientes reſurgant vt ambulent, videntes eo modo quo qui vigilant. Mitto eos qui nunquàm ſomniârunt, vt Cleon Daulius & Thramedes Eræi, vt eſt apud Plutarchum in eo libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. Scribit etiam Olympiodorus Platonicus oculatum teſtem Ariſtotelem citans, fuiſſe hominem qui nunquàm dormierit, ſed nec quicquam tota vita comederit, eumque ipſum Solari lumine, inediæ & vigiliæ incommoda penſaſſe, vt minus videatur mirum multos ſine cibo & potu, & menſes, & annos vixiſſe, quòd præter ea quæ diximus anteà in Auguſtini & Alberti ſcriptis inuenitur, & in Gallorum annalibus, & paulò ante noſtrum ſeculum fuêre plærique, & noſtra etiam ætate Palumba & aliæ pleræque virgines. Ad ætatum tranſgrediamur diuerſitates.

Idem aër ſenibus frigens videtur, adoleſcentibus tepidus. Idem cibus ſenibus ingratus, pueris gratiſſimus: Eadem vox iniucunda multis, quæ ſuauis alijs apparet. Ducitur lucro ſenex & ambitione iam partæ authoritatis: durus eſt atque difficilis: Prodigus harum rerum eſt adoleſcens, qui

Gaudet equis, canibus, & aprici gramine campi, nō difficilis & durus, ſed & facilis, &
Cæreus in vitium flecti, monitoribus aſper.

Contrà quoque ſenex quandoque pueri, & puer ſenis naturam videtur induiſſe, vnde varia in ætate diuerſis in hominibus phantaſmata varia ſuboriuntur, quò fit vt diuerſa quoque inde manent rerum iudicia. Hinc fortaſſe, vt opinor, præcellentiſſimus Medicinæ author Hippocrates, mutandum aliquid de ratione medendi præcepit, ob

locum, ob ætatem, ob tempus, ob consuetudinem, quod alioqui minimè mutari deberet, & in hac fortasse parte sectæ illi antiquissimæ adhæsit, certam non dari legem in rebus mutabilibus existimanti. Quò magis etiam putandum initio sententiarum suarum dixisse Hippocratem: occasionem esse præcipitem, vt ipsius rerum naturalium fluxum, & labilem inconstantiam significaret, quòd præcipuè videtur subindicasse Galenus, de arte disserens curatrici ad Glauconem. Motus item & quies in causa sunt vt diuersa rerum subiectarum phantasmata præsententur, diuersæ concipiantur imagines, quæ enim stantibus nobis immota videntur, eadem ipsa, naui si deuehamur, moueri videbuntur. Amicitia item atque odium diuersitatis imaginum præpotentes causæ sunt. Vidi turpissimas & meis, & aliorum oculis fœminas, quas alij pulcherrimas existimârint: vidi homines Thersiti similes, quos præstanti forma fœminæ, tanquàm speciosissimos deperibant. Diuersæ itaque phantasiæ diuersaq; rerum apparentia, de affectu, vel odij, vel amoris nascitur, vnde autem hæc? certè si naturam sequimur à temperaturæ diuersitate, si altiùs suscipiamus, ab occulto afflatu spirituum: possunt enim magicis præstigijs multa parari, permittente Deo, quod & in frigidis, & affectis maleficio, & apud leges & canones Ecclesiæ notum, pridem enim explosa sententia est eorum, qui in cœlestes configurationes hęc ipsa retulerunt, sed de causis hoc loco non est agendum. At de phantasiæ diuersitate conceptuque imaginum vario, quo qui malè afficitur, malè decernit, nec solùm in amicitia & odio, sed alijs etiam affectibus de vario conceptu varium promitur iudicium: vnde Cæsar apud Salustium censuit omnes qui de rebus dubijs consultant, ab odio, metu amicitiaque vacuos esse oportere. Ab esurie quoque & saturitate phantasmata omnino diuersa promuntur: Circum esculenta & potulenta, quod enim esurienti sitientique gratissimum, molestum saturo. Darius in fuga cùm aquam cadaueribus inquinatam bibisset, negauit se vnquàm bibisse iucundius: si non fuisset affectus siti, nauseam illi pro iucunditate aqua, non pota solùm, sed visa, peperisset. Sic & Dionysius tyrannus apud Lacones, cùm negaret se iure illo nigro quod caput cœnæ fuerat delectatum, responderunt hospites mirum non esse quando condimenta defuissent, eaque dixerunt esse laborem, sudorem, cursum ab eurota, famem, sitim, quare quod de labore, de sudore, de via fessis, & esurientibus gratum semper erat edulium, aspernabile videbatur ei qui non famesceret. Aliud quoque phantasiæ ex hac ipsa re discrimen, quòd supra modum saturis ebrijsque multa non apparent sordida, à quibus ieiuni sobrijque maximum abhorrent in modum. À præparamentis etiamnum, & prægustationibusque variantur conceptus imaginationum, idem vinum ei qui salsamenta comederit, melius iudicatur esse, quàm si mellita aut saccharo condîta suscepisset. Atque is qui æstuariorum foribus ea ingressurus adstiterit, calefit quidem, egrediens verò eodem loco frigescit. Idem ipsum bellici periculum negocij, homini timido & effœminato meticulosum, forti verò & bellis assueto, videtur nihil habere formidinis. Idem forense domesticúmve negocium, tristes afficit mœstitia, lætos iuuat.

Cùm igitur tanta sit in ijs quæ diximus & sensibus, & eorum præparamentis inæqualitas atque diuersitas, quo fiet modo vt ipsa rectè, syncereque dijudicetur? qui enim ijs ipsis de rebus ferre sententiam voluerit, aut aliquibus eorum quæ narratæ sunt dispositionibus tenebitur afficietúrve, aut erit omnino in vlla: si hoc detur, quàm absurda sequuntur, homines reperiri qui aut pueri, aut adolescentes, aut iuuenes, non sint: aut qui non vel cruda, vel natura, vel extrema sint senectute: qui itidem neque moueantur, neque quiescant, & id genus cætera: si primum concedatur vtique illud confectum erit. Eum qui phantasias iudicat diuersas & inæquales, esse iam participem ipsius inæqualitatis & diuersitatis: Atqui nec exactus erit iudex rerum, earum quæ iaceant à se diuersa, propterea quòd eis impedietur, à quibus tamen detentus est dispositionibus: quare nec qui vigilauerit & experrectus fuerit, eorum qui dormiunt phantasias dijudicauerit, & ritè secreuerit ab eis quæ sunt vigilum. Neq; sanus, inter sani & ęgroti imaginaria visa interstinguet rectè. Eis enim quę nobis sunt præsentaneę, quæq; ipso nos afficiunt actu, magis cōmouemur assentimurq; magis, quàm illis quę absunt. Rursum qui imaginationē ab imaginatione discernit, & dispositionem à dispositione distinguit, vel sine iudicij regula, & absq; demonstratione id effi-

id efficit, vel vſus demonſtratione & rationis amuſſi : ijs enim non adhibitis, non erit cùm præbeatur aſſenſus, neque etiam ſi ea adhibuerit, potis erit ad perſuadendum: ſi enim phantaſias interſtinguit atque dijudicat, aliquo vtetur ſanè ad ferendam ſententiam iudicatorio, hoc itaque iudicatorium ipſe vel verum dicturus eſt, vel falſum, ſi falſum ei fides abrogabitur, ſi verum, vel ſine demonſtratione id eſt dicturus, vel ea adhibita fidem facturus, ſi demonſtratione carebit, quo pacto fiet dignus vt ei aſſentiamur? At ſi parauerit demonſtrationem veram eſſe illam oportebit, alioqui perſuaſio non prodibit à falſa, quæ nec digna eſt demonſtrationis nomine, tantùm abeſt vt vllam ſe ipſa faciat fidem. Dicturus itaque eſt, veram eſſe demonſtrationem vt fides ei habeatur: At hoc quo pacto? ex iudicióne an minimè? ſi enim eam ipſam antè non dijudicauerit, demonſtrationem veramque compererit, dignúsne erit vt ea nobis perſuadeat? quòd ſi eam anteà perpendit dijudicauitque iudicatorio videlicet ſe vſum dicet, cuius tamen iudicatorij demonſtrationem quærimus, & eius quoque demonſtrationis iudicatorium expoſcimus: opus itaque aiunt ſemper erit vt demonſtratio ipſa iudicatorio, & iudicatorium demonſtratione confirmetur, vt verum demonſtretur eſſe. Sed neque fieri poſſe volunt vt demonſtratio ſana ſit, ſi veri aliquod iudicatorium non extiterit, neque iudicatorium cenſeatur verum, niſi demonſtratione præhabita. Caſus igitur lapſusq; fit in modum eum qui promiſcuus dicitur, quando alterum altero, rurſusque altero alterum probatur, circuloque res ipſa diuturno ducta, ſine fruſtratur. Nam ſi demonſtrationis eſſet demonſtratio, imò eius principium, in infinitum abiretur, idque etiam quæri non debere Ariſtoteles in poſterioribus Analyticis, & in quarto Metaphyſicorum docet. Si verò ſine demonſtratione paretur, ſimplici dictioni erit ſtandum, cui fides non habetur. Si autem res ad ſenſus iudicium reſoluatur, id quàm ſit infirmum & fallax, ſuprà ſatis oſtenſum eſt. Sed iam quinti nos poſcit loci conſideratio.

CAP. XXVI.

DE QVINTO AD ASSENSVS RETINENDI COMmoditatem parato modo, ex rerum loco, ex poſitu, ex intercapedine.



VIdentur aliter ac ſunt res ipſæ ex loco, ex vario poſitu, & locorum in quibus ſunt intercapedine, eadem porticus ſi cernatur ab altero termino, ſecus obtutui haurietur, ac ſi de medio ſpectetur. Idem nauigium ſi procul videatur & paruum, & ſtabile, ſi propè & magnum, & motu agitatum apparebit. Eadem turris de longinquo viſa rotunda credetur, proximè quadrata, ex poſitu quoque diuerſo diuerſa rerum facies. Lucernæ lumen in Sole collocatum videtur obſcurum, in tenebris autem illuſtre. Idem remus in mari fractus & curuus, in terra integer & rectus apparebit. Idem ouum in aue tenerum molleque, in aëre durum. Lyncis lotium in animali humidum, in aëre ita ſiccum, vt euadat in lapidem. Coralium quoque, vti diximus, apud nos quàm durum, & quàm ſaxeum? videmus, & tamen conſtat mollem ſub vndis herbam delituiſſe. Vox humana eadem aliter per os, aliter per ſiringam, aliter per tibiam effuſa percipietur. Imago eadem ſi reſupina fuerit & qualis, conuerſo autem dorſo, & eminere in ipſa partes, & ſubſidere videbuntur: Colli etiam columbarum apparebunt variare colores vario expoſitu. Quoniam igitur quæcunque ſpectantur & in aliquo loco, & in aliquo interſtitio, & ſecundùm aliquem poſitum ſitúmve, ſpectari conuenit, quorum vnumquodque variam affert phantaſiæ & apparentiæ mutationem: idcircò euenit vt frenare contingat aſſenſum, & cohibere præcipitem animi in ferenda ſententia temeritatem. Etenim qui voluerit aliquas phantaſias apparentiáſve dijudicare, & alteram ab altera ſecernere, aut ſine demonſtratione id efficiet ſimplici verborum affirmatione, aut demonſtrationem adhibebit, ſi illud fides ei non habebitur: ſi hoc, aut falſam ducturus eſt in medium demonſtrationem, tumque minus fidei ſibi vendicabit: aut veram, tuamque ad hanc ſtruendam veritatem opus erit demonſtratione, & ad hanc firmandam adhibiturum eſt aliam, quoniam & illam ipſam eſſe oportebit, atque ita in infinitum eſt euaſura probatio, quare ſi neque hoc, neque illo potis erit diju-

dicare, fiet vt abstinendum sit ab asserendo atque negando, quidnam suapte natura sit illud quod nobis apparet, id enim quale videatur, dici iure quidem posse volunt, quale autem sit, neutiquam verè posse dici Sceptici disputant.

CAP. XXVII.

DE SEXTO ET SEPTIMO AD ABDVCENDOS À IVdicio homines paratis locis, quorum alter ex mixtione, alter ex quantitate compositioneq́; constituitur.


Bstinere item à iudicandis rebus quænam sint, & quales, ex multis vtique nos debere Sceptici monebant, & hinc sextum parabant locum, quòd nulla rerum eorum quæ iacent extrà, nostris incidit sensorijs sola puraque, sed aliquo permixta: quare fortè, inquiunt, dici posset, qualisnam est mixtio, & eius rei quæ posita est extrinsecùs, & eius qua ipsam speculamur: qualis autem ipsa sit res, quæ collocata forinsecùs est, minimè clarè quimus afferre, vnde fit vt aliter semper ac est, nobis videatur. Noster etenim color vt incipiamus à visu, alius apparet in aëre tepido, aliter in frigido, quare non possumus dicere qualisnam sit noster color: sed qualisnam in hoc, vel in illo aëre videatur. Eadē quoq; vox (vt nos à visu ad auditum referamus) alia in subtili, alia in crasso videbitur aëre. Ad nares, si deuergamus, aromatibus sentiemus nos cieri vehemētiùs in Sole & balneo, quàm cùm nos frigidus aër obsepserit. Totum verò corpus ex diuersis, quæ illud circumcludunt, diuerso sese habebit modo. Si enim ambietur ab aqua leue: si ab aëre graue persentietur. At simus etiam memores eius quæ in nobis ipsis est mixtionis. Nostri oculi & tunicas habent complureis, & innatos humores pro mixtura humorum & corporis temperatura diuersas, quoniam verò quæ videntur extrinsecùs, non sine ipsis quæ sunt intrinsecùs, videri queunt: diligēter exacteq; res ipsæ vt ꝓpriè sunt, non percipientur, priùs enim & simul opus est apprehendere eam, quæ in nobis est mixtionem, per quam formis rerum ipsarum quę sunt extrinsecùs, patet ad sensorium aditus: Propterea icterici omnia vident à vero aliena colore, & quibus fractæ oculorum venæ, ij spectant itidem alieni coloris omnia. Quoniam item eadem vox alia redditur in locis patulis adapertisq́;, alia in angustis & anfractuosis, & alia in puro, & defæcato aëre, alia in crasso & nebuloso, consentaneum videtur vt exactè illa non percipiatur à nobis. Aures enim tortuosis & angustis meatibus fabricatę sunt, & vaporibus oppletæ cùm ab aëre continenti perlatis identidem, tùm ab ijs qui ex cerebro cerebriq́; vicinis locis exudant. In odoratu item subest & innata, & faciliter suborta, atque etiam inuecta materies, quæ impediat ne ad sensorium res odora tutò syncereq; perferatur. Sic & in gustu & reliquis sensibus pari consideratione statuatur in tantum, vt mixtura ipsa mixtionéve, iudicium sensus apertè vacillet, quo nutante & animi quoq; insyncerus de re sensili cōceptus habebitur. Si enim duces ipsius animi sensus falluntur, & ipse facilè dilabetur, eoque magis quo vti eum oportet aliqua etiam mixtione, quæ in penetralibus atque in intimis & penitissimis adytis occulta delitescat. Nam circa vnumquodq; eorum in quibus principem sentiendi sedem dogmatici collocârunt, humores quidam iacent, quare siue in cerebro, siue in corde sensus regiam reposueris. Mixtum etiam, non purum atque syncerum, rei quæ iacet extrinsecùs, spectrum præsens fiet.

Septimum huic ipsi locum subijciebant, qui ex rei quantitate & apparatu siue compositione dissultat, afferunt enim quod attinet ad rerum quantitates apparatus compositionesque fieri, vt eismet ipsis sua quæ iacent extrinsecùs subiecta confundantur, adeò vt clarè percipi nequeant: verbi causa, quæ radunrur ex caprino cornu minutiæ, si per sese, vbi abrasæ fuerint, spectentur, videbuntur albæ, in ipso verò cornu adnatæ & insitæ omnino nigræ. Itemque argenti ramenta, quæ tenuiter elimata fuerunt, seorsum spectata videntur nigra, secus, in tota massa si considerentur, apparebunt, alba, enim videbuntur. Sic & lapidis fragmina * tenaræi, si per sese cernantur, albore perfundi plærique putabunt, in integro verò conspecta marmore flaua videbuntur. Harenæ etiamnum grana seorsum abiuncta si tractentur, aspera, si in aceruum coacta simul tangantur, leuia tactui sentientur. Elleborum etiam si

* Terinæi,

tiam si subtile pubescensq; & obsitum lanugine propinetur, suffocat, non autem alio modo. Vinum si modicè sumatur, vires roborat, si modus absit, corpus dissoluit. Cibi etiamnum quantitas quàm diuersos promit effectus? nam si nimio plus eo impleamur, infirmat, & cruditatibus, & alijs penè infinitis morbis premit: Si moderatè, & vita conseruatur & sanitas, quare in his omnibus quo pacto firmum erit iudicium? possumus enim si respiciamus ad quantitatem, ad compositionem, qualiánam videantur dicere, quænám verò aut qualia suapte natura, quo pacto? ob diuersas videlicet phantasias apparentiásve, quæ ex diuersis & quantitate, & compositione dissultant. Num & in vniuersum apparet, quæ per se iuuarent, ob quantitatem nocere nimiam, & contrà quæ nocerent, minima quantitate non lædere? Testantur & medicæ artis pharmaca, quæ si ritè præparentur, alia sunt, & alios promunt effectus, quàm si non tractentur. Si rectè misceantur & exactè id quod ex eis compositum conflatumque fuerit, iuuat, si prætermittatur diligentia, interdum non vtile iam, sed noxium perniciosumque euadet.

CAP. XXVIII.

DE OCTAVO LOCO QVI EST AD ALIQVID QVA in re contra Scepticos aliquid dicitur, multa pro illis.

SIc & attendendum esse maxima diligentia præcepêre, vt relatio semper consideretur, siue id quod ad aliquid solet dici, quo euenire volunt vt semper nobis ministretur via ad abstinendum, & ad cohibendum assensum. Etenim scribunt posse nos semper dicere qualisnam videatur res, in eo quòd refertur, aut referri dicitur ad aliquid: qualis autem in sese suapteque natura sit, neutiquam clarè & apertè posse proferre. Esse autem omnia ad aliquid siue referri volunt idque dupliciter capiunt, esse autem ipsum tàm in hac re quàm in alijs, abusu quodam sumunt pro eo quod est videri: neque enim affirmant esse quicquam aut non esse, sed videri, & quídnam sit, inquirunt, considerant, atque perpendunt. Hoc itaq; quod dicimus ad aliquid non eis modis propriè & signanter Sceptici sumunt, quibus Dialectici, quibus Philosophi & Theologi iuniores, Aristotelem secuti consueuerunt, & de quibus abundè, nisi fallor, secundo Logicæ institutionis libro disseruimus, nisi fortasse quatenus relatio definitur ordo vnius rei ad aliam. Sed diuersa procedunt via, ipsumque ad aliquid, vti diximus, dupliciter ab eis capitur: Nam primò ad iudicantem referunt id quod iudicatur, quę enim extrinsecùs est subiecta res & iudicata, ita iudicanti videtur: Secundò ea referunt quæ simul contemplamur, vti dextrum ad sinistrum. Itaque ad aliquid esse omnia probant, aut secundùm id quod iudicat, quoniam res ipsæ, & huic animali, & huic homini, & huic sensui, videbuntur ita, & ad hanc vel illam circumstantiam: aut secundùm ea quæ simul contemplamur, quoniam res ipsæ, & in hac mixtione, & in hoc modo, & in hac compositione, & in hac quantitate, & in hoc positu videbuntur. Particulariùs autem concludere tentant omnia ad aliquid esse in hunc modum: vel differunt ab ijs quæ sunt ad aliquid ea quæ sunt secundùm differentiam, dispescíve dicuntur inuicem, vel non differunt: si non differunt, & ipsa ad aliquid sunt, si verò differunt, quoniam omne quod differt ad aliquid, est (dicitur enim ad illud à quo differt) etiam ad aliquid sunt quæ ab eis scilicet, quæ sunt ad aliquid differre dicuntur. Ad hæc eorum omnium quæ sunt, alia suprema sunt genera iuxta dogmaticorum sententiam, alia vltimæ species, alia & genera, & species, omnia autem hæc ad aliquid sunt, igitur ad aliquid sunt omnia. Rursum eorum quæ sunt omnium, alia manifesta sunt, alia occulta & significantia, & significata, quòd autem significat, & quod significatur ad aliquid sunt, ad aliquid igitur omnia sunt. Accedit quod eorum omnium quæ sunt, alia sunt similia, alia dissimilia, & hæc quidem æqualia & illa inæqualia, hæc autem ad aliquid sunt, omnia igitur ad aliquid. Hæc & alia Sceptici de hac materia, quibus & si posset aliquo modo responderi ab ijs, qui partes tueri Peripateticorum & reliquorum qui dogmata struunt, velint, quo pacto tamen ex integro & sine controuersia id ipsum fieri posset, planè non video: nam quod de generibus adduxêre & speciebus, id mihi neutiquam quod est propositum conuincere videtur, quoniam

niam alia est consideratio de generibus, quæ nostrum consequuntur modum intelligendi, alia de rebus quæ subsistunt & collocantur extrinsecus. Nam etsi relatio in illis dicitur includi, in his non dicitur propriè atque per sese, vt significare significarique non oporteat in se ipsa reposita. Sic nec significant, nec significantur omnia, vtpote quæ in profundo vel terræ, vel maris delitescunt. Sed de iudicante & re iudicata maximè dum fit iudicium, atque de sensu & re sensili in ipso actu sentiendi, quo pacto non referetur? & ad hunc propositum propriè loquuntur Sceptici, vt rerum infirmentur iudicia, nec obstat quod ab Aristotele ponitur in quarto Metaphysicorum cùm omnia non esse ad aliquid probat, primùm quòd si vtitur particula, si non omnia, inquit, sunt ad aliquid. Deindè quod contra eos ibi disputat, qui omnia quę apparerent, pronunciabant vera. Sceptici verò, diuersitatem inuehunt in apparentibus, ex qua diuersitate non esse omnibus certam hāc apparentiam volunt inferre. Vnde ijs quos confutat Aristoteles eatenus aduersi, quatenus negant omnia quæ apparent esse vera. Ab Aristotele verò dissentientes quoniam sensus iudicium in quo ille maximè fundatur firmum nolunt, & certum haberi, ex diuersitate ipsius apparentiæ rerum, quæ variæ varijs apparent: neq; enim inficiatur Aristoteles quod apparet alicui apparere dum apparet, nec aliter Sceptici volunt intelligi, nisi vt doceant in sese res iudicari nequire, sed in eo quod est ad aliquid, id est, quatenus apparent alicui.

CAP. XXIX.

DE NONO ET DECIMO AB ANTIQVIS SCEPTICIS constituto loco in sustinendis assentionibus, quorum ille, de raro & frequenter visis rebus conflatus est, hic de vitæ electione, de moribus, de legibus, de fabulosis persuasionibus, deq; Philosophorum opinionibus corrogatur.

RAro item, itemq; frequenter visa nos admonent, vt aliū paremus compescendi cōsensus locū: Sol etenim quanquàm nos excire in admirationem sui deberet magis quàm Cometes, nihilominus quoniā eum freqūetissimè videmus eiusq; ortum singulis diebus, singulisq; spectemus occasum, Crinitum verò sydus rarenter apparet, ideò euenit vt propterea, magis hoc demirari soleamus. Motus etiam terræ non ita expertos gnarosque, ac rudes & insolentes eius rei perterrefacit. Pelagus primo visum quantam spectantibus incutit demirationem sui? pulchritudo & eximia humani corporis forma statim sese & improuisò oculis offerens, commouet plusquàm ea quæ consueta sunt oculos oblectare. Rara enim quæ sunt & preciosa, & grata magis esse consueuerunt. Etenim si rarissimè conspiceremus aquam tot in vsus hominum datam, & argenteum illum ipsius fulgorem oblectandis oculis accommodatum infrequentissimè contemplaremur, succinere Pindaro facilè compelleremur canenti, ἄριστον μὲν ὕδωρ: contraque, auro si frequentissimè proque libito potiri datum esset, vtpote quod inter abiectos lapides ruderaque passim inueniretur, eidem Poetæ non adstipularemur adcinenti ὁ δὲ χρυσὸς, & quæ sequuntur. Quibus ex rebus monemur ex rei visæ aut raritate, aut frequentia, quid nobis appareat posse proferre: quid autem sit ea ipsa res preciosa videlicet in sese, aut suapte natura admirationis excitatrix, dicere non posse, huic ipsi locus decimus ab antiquioribus Scepticis adnectitur cuiusdam etiam frequentię & infrequentiæ particeps, sed qui ad actuosam magis, quàm ad contemplatricem inclinet Philosophiam. Nam de vitæ electione & instituto, de moribus, de legibus, de fabulosis persuasionibus, deque Philosophorum opinionibus corrogatur. Opponebant autem vnumquodq; aut sibi ipsi, aut aliorum cuipiam: verbi causa moribus, mores hunc in modum. Aethiopes inurunt infantibus stigmata, nos minimè, & Persæ quidem existimant decorum esse & graue talari picturataque veste vti, nos autem & indecorum & leue. Indi quoque mulieribus publicè miscentur, plurimi id moris existimant & turpe, & obscœnum. Legem autem legi hoc pacto, apud Tauroscythas lex erat hospites iugulare in Dianæ sacris, apud nos lex est hominem qui ad sacra confugerit, etiam reum incolumitate defungi. Apud Romanos lege cautum erat, ne quis cogi à paternis creditoribus posset filius, qui paternis cessisset bonis. Apud Rhodios etiam

qui

qui paternæ renunciasset substantiæ, paternis debitis tenebatur. Electionem & instituta vitæ alijs vita opponebant institutis, vt si quis quod Diogenes decreuisset, Aristippi decretis opponeret, aut placita Laconum placitis Italorum ex aduerso constituerat. Fabulosas persuasiones, eiusdem generis alijs hoc modo è regione collocabant. Fabulabantur Iouem patrem esse hominumque deorumque. Fabulabantur etiamnum Oceanum Deum Genesim Tethymque parentem, quod quidem Homericum carmen non satis, vt opinor, omnibus notum, super quo etiam Philosophi non consentiunt. Quis enim non censeat ab Homero dici aquam omnium esse principium, vt Oceani & Tethyos nomine aquam vtrinque rerum parentem affirmârit. At Tethym exponit Alexander Aphrodisæus in commentarijs Metaphysicorum Aristotelis (liceat mihi & in præsens, & post hac, quod & antea quoque licuisse puto, vocabulis vti quibusdam iam apud neotericos Philosophos receptis) in commentarijs, inquam, Metaphysicorum siue primæ Philosophiæ exponit Alexander terram, quæ sit tanquàm Titha, hoc est, nutrix rerum corruptibilium: sic & apud Platonicos prima materia nutrix etiam appellatur & mater, vti est apud Alcinoum qui eius appellationes recenset, facilè perspicere: Philosophorum autem opiniones inuicem sic resistere procurabant, ac si quis diceret vnum tantummodò est multorum authoritate Philosophorum elementum, contrà alius multa ab alijs à quibusdam etiam infinita diceret constituta. Non secus de anima quàm alij immortalem probauerunt, alij dixêre mortalem. Ac ita de reliquis qui in Philosophia solent locis pertractari. Mores autem legibus opponebant hoc modo: Persæ consueuerant pueris abuti, id autē ne fiat, Romanorum lege cautum est. Apud nos item vetātur adulteria, apud Massagetes verò si Eudoxo Cnido assentimur, mos est indifferens. Apud nos item leges prohibent aut matribus, aut sororibus filios fratrésve connubio iungi; Mos erat in Perside matres filijs, mos in Aegypto sorores fratribus nubere. Instituto autem opponebantur mores in hunc modum: Hominum est institutum & Gentium consensus, vt cùm viri vxorum habere notitiam voluerint, secretiora quærant ob pudorem loca. Idque noster Augustinus in libris de Ciuitate Dei refert acceptum primi parentis peccato. Mos autem Cratetis erat vt Hipparchiæ palàm misceretur coniugi, quæ vt erat & ipsa Cynica Philosophans, non erubescebat, persuasioni fabulosæ congrediebantur ita. Saturnus dictus est comedisse pueros. Mos autem nobis est filijs prospicere, & prouidere, & eorum salutem procurare. Moris etiam nostri superos credere & bonos, & beatos, qui tamen & vulnerati, & inuidi, & belligerantes à Poëtis introducuntur. Opinioni Philosophi cuiusdam, vt illi Epicurus existimat nostri curam superos non gerere. Mos afferebatur contrarius, consuêsse nos à superis bona petere. Aristippi sententiæ qua volebat fœmineam induere vestem, nihil absurdum esse, id è regione collocamus, solere apud nos in turpibus duci, muliebri indumento virile corpus amiciri. Sic autem institutum, lege aduersum ponebant, existente lege non licere cuiquam liberum hominem percutere, Athletæ suo ipsorum instituto vitæ, seinuicem percutiunt. Hominem per leges non licet occidere, qui singulari certamine vtuntur, se inuicem perimunt. Fabulosam persuasionem hunc in modum, ex aduerso ponebant instituti. Fabulæ ferunt Herculem Omphalæ & lanam colo neuisse, & alijs in rebus reginæ seruitutem pertulisse, quæ nec quiuis è medio perferre meritò potuisset, hoc autem generoso Herculis vitæ repugnat instituto: At Philosophorum opinioni ita resistitur: Athletæ, laboriosissimum vitæ genus amplectuntur ob gloriam, quam in bonis adeò ducunt, vt & pro ea obtinenda & oppetant mortem: quam tamen gloriam Philosophorum plærique vilem nec alicuius momenti existimandam censent. Legem verò poëticæ opponunt persuasioni. Poëtis narrantibus Deos Gentium, adulteria, stupra, incæstus, puerorum amores nepharios, coluisse, hæc omnia lex humana etiam sanctissimè prohibet, atque eadem lege tollere Philosophicam nitimur opinionem, eam, scilicet, Chrysippi & sectatorum, rem indifferentem existimantium matribus & sororibus filios, & fratres commisceri. Sic & Poëticas persuasiones, quòd mulieribus dij iungerentur, quòd superi ploratus ederent amore mortalium, Philosophorum opinionibus è regione collocabant, statuentibus superos minimè quicquam perpeti, & ita turpiter commoueri. Hæc exemplorum vice sint satis, vt dignosca-

dignoscamus antiquos Scepticæ cultores Philosophiæ, ex tàm varia diuersitate captare solitos ansam cohibendi assensus, adeò, vt res ipsa subiecta quænam sit non dicerent: quid verò videretur, quoniam varij varia sentiebant, diuersa posse constitui non abnuerent.

CAP. XXX.

DE QVINQVE LOCIS ASSENSVS COHIBENDI, qui Scepticis iunioribus accepti referuntur.


Iximus de locis decem quos antiquiores Sceptici constituerunt ad assensum cohibendum. Iuniores verò quinque tradiderunt, quorum inuentor apud Laërtium Agrippas fertur, illosq; ipsos, authore Sexto Philosopho, neoterici excogitârunt, non quòd decem illos abijciendos ducerent, sed vt copiosa & dearticulata magis haberetur occasio, præcipitem dogmaticorum Philosophorum arrogantiam contundendi. Primus igitur à dissensione authorum stabilitur, proposita enim re, de qua est agendum, tantam de ea diuersitatem, tantam litem, semper agitatam nunquàm iudicatam inuenimus, vt cùm satis non constet quid eligendum sit, quid repudiandum, abstineamus suspendamusq; iudicium. Secundus eo constituitur locus, quod in infinitum claritas probationis excurrit, quod enim in probationem alicuius affertur, alia eget probatione, hoc alia, idque adeò frequenter vt nulla finem certum inueniat oratio. Ad sensum enim tandem recurritur, quem fallacem esse multis modis ostensum est: humanitùs enim dari nequit principium quod incontrouersum aut sit, aut habeatur ab omnibus. Tertius relatione communitur locus, quando vel ex eo qui iudicat, vel ex eo, quod res considerantur simul, potest dici quidnam videatur id quod in discrimen venit, disceptationique subijcitur, quidnam verò id ipsum suopte ingenio suaptéve natura sit, quo pacto dicetur? Quartum posuit in ordine locum suppositio quæ dicitur, eam Græci vocant ὑπόθεσιν. Cùm enim ad infinitum vrgentur qui appellantur dogmatici, ab aliquo sumunt exordium quod minimè fulciunt communiuntq;, sed simpliciter sineq; vlla demonstratione concedi sibi dignum existimant. Locus quintus διάλληλος à Græcis dictus, promiscuus vel alternus (si placet) appelletur à nobis, tùm paratur cùm id quod quæsitæ rei stabile & constans deberet esse munimen & firmamentum, id tamen opus habet vt ex re ipsa quæsita firmetur, quo fit vt cùm alterutrum capere ad alterutrum communiendum nequeamus, vtriusque consensio iure cohibeatur. Omne autem quòd quæritur, ad hosce reduci locos, hunc in modum patefaciunt. Quòd subijcitur disputationi, aut sensile est, aut intellectile, qualecunq; autem fuerit, qui de eo disputant Philosophi, digladiantur. Alij namque sola sensilia dicunt esse vera, alij sola intellectilia, alij partim hæc, partim illa. Vtrum igitur isthæc dissensio poterit dijudicari? Si non poterit, habemus iam non ansam abstinendi, sed totum vas in manibus: si poterit, dicant nobis qui ita sentiunt vndénam sumetur iudicium? statuatur enim de re sensili, nos quæstionem habituros, vnde quæso fiet exordium iudicandi? à sensibili, an ab intelligibili? si enim à sensibili, quoniam de re sensili disquirimus ambigimusq;, & illud ipsum alio ad fidem faciendam probationemq; muniendam indigebit sensibili, & illud alio confirmante opus habebit, atque rursus hoc ipsum alio, quod dum eius ad infinitum excurrat oratio: Tanta est sensus varietas mutabilisq; & infirma conditio: Si verò intellectili re iudicare sensilem dicerent oportere, quoniã & de re etiam intellectili multa dissensio, necesse erit vt hoc ipsum intellectile dijudicetur, & alio quo confirmetur indigeat, vnde igitúrnam confirmabitur? si ab intellectili, continget illa ipsa ad infinitum excursio, si à sensili, quoniam ad munimen firmamentumque rei sensibilis assumpta est, quæ intellectilis dicitur, & ad probandam intellectilem sensili vtimur testimonio, actutùm promiscuus locus introducetur. Si quis verò hunc ictum declinare voluerit & concessu quodam gratuito, sineque demonstratione quicquam assumpserit, vt quidpiam quod dubium sit probet, dubius certè is erit demonstrationis modus. Si enim fides ei habebitur quicquam supponenti, non minor nobis debebitur contraria supponentibus. Quòd si etiam verum suapte natura est quod supposuit, ilicò suspectum falsitatis nomine reddetur, ob id ipsum quia petitum, quia suppositum fuerit, nec probatum. At si non verum, certè tamen & vanum, & inutile prorsus totius

totius probationis fundamentum reperietur, & si quid egerit perfeceritq; in supponendo quicquam ad faciendam fidem, ipsum, quod quæritur, supponatur, & nõ aliud cuius ope negocium, de quo fit quæstio, communiatur. Si autem absurdum est supponere quod quæritur, absurdum etiam fuerit & quod superstrui debet supposuisse. Quòd autem omnia sensibilia sunt ad aliquid ostendunt, quia sensilia ab aliquo sensilia sensu, & ad aliquem sentientem, aut qui sentire valeat referenda sint. Clarum igitur incõtrouersumq; & est, & haberi debet quacunq; nobis oblata de re sensili dissensione, posse nos eã ad hos quinq; locos reducere. Atqui de re intellectili si fuerit, & perpendere negocium voluerimus, facilè constiterit, eam quæcunq; fuerit ad eosdem referri locos posse. Si enim ea ipsa de re qualiscunq; sit, dicatur controuersiam nec dijudicatam, nec dijudicari facilè posse, tùm dabitur nobis abstinendi venia, etiam nõ petentibus. Si verò iudicari posse decernat quispiam, idq; tentet efficere, vel alia intellectili re id ipsum parabit: vnde ad infinitam probationem dilabetur, vel re aliqua sensili, quo fiet vt in promiscuum recidat locum. Ipsum enim sensile quo vti tanquàm teste voluerit, ambiguum ita est, vt alio indigeat teste, super ipso enim sensili etiamnum pugna? etiamnum lis? etiamnum dissensio? Quapropter sensili teste dijudicari nequit, ne ad infinitum percurrat oratio. Intellectilem igitur rem pro teste ducent in medium, non secus ad sensile pro intellectili dijudicando sumpsêre testimonium: propterea si ex hypothesi quicquam sumpserit, rursum id quod retulimus absurdum cõsequetur. Sed enim ad aliquid intellectilia omnia dicuntur, id est, ad intelligentem referuntur: & si suapte natura talia sunt, qualia dicuntur, ea de re non vtique digladiantur, & de quinq; iuniorum Scepticorum locis hactenus.

CAP. XXXI.

DE DVOBVS LOCIS ALIIS AD ASSENSVM COHIBENDVM: Itemq; de locis octo quos Aenesidemus ad contradicendum excogitauit: Itemq; de quatuor capitibus quibus nihil percipi & comprehendi posse, in Academicis Cicero disserit.

TRadunt & duos alios abstinentiæ locos: nam quoniam omne quod comprehensum est, vel ex ipso comprehendi videtur, vel ex alio comprehenditur, omnibus in rebus dubitationem inuehunt. In primis quòd nihil ex se ipso comprehenditur manifestum dicunt esse, tanta cùm sit inter Physicos de sensibilibus & intelligibilibus rebus dissensio & pugna, quasi dijudicabilis non est cùm dari nequeat aut sensile, aut intellectile, quo vtamur exactũ iudicatoriũ, quodcunq; enim capiamus, inquiunt, ambiguum, cõtrouersum, infidumq; reperitur, propterea minimè concedunt & alio etiam quicquam posse comprehendi. Si quid enim comprehendatur ex aliquo, quod semper ex alio cõprehendi oporteat, vel in promiscuum locum fiet lapsus, vel ad nullum terminum nullumq; finem infinita semper discurret oratio. Quòd si quis persuadere sibi voluerit vt quicquam ex se ipso comprehendat, quo postea comprehendat aliud, is idem recidet in ea quæ antè diximus, incommoda, quibus ambiuntur qui ex se ipso quicquam dicunt posse comprehendi. Quòd autem cõtrouersum adeò ambiguumq; est, vt de eo pugna suscipiatur, à se ipsóne? an ab illo possit apprehendi, id de iudicatorio veritatis & comprehensionis incertæ minimeq; apparentis excitat litem. Tot sunt abstinentiæ & assensus cohibendi loci à Scepticis excogitati: Decem in primis, mox quinq;, exin duo. Verùm & octo quoq; parauit locos Aenesidemus ad contradicendum causandumq; omnem dogmaticorum Philosophorum opinionem, vt quamcunq; afferent, eorum rationis causam infringeret. Primùm docebat in eo consistere, quòd eorum causæ genus & ratio, dubijs in rebus & ambiguis versaretur, nec vllum haberet confessum testem ex ijs, qui liquidò & extra cõtrouersiam pro claris verisq; recipiuntur. Secundum ex eo communiebat, quòd sæpenumerò adest abundans quædam facultas reddendæ causæ, multaq; occurrũt animo quibus inclinatur, vt multis modis rei quęsitę ratio queat afferri, ex quibus vnum duntaxat modum sequatur. Tertius erat Aenesidemi locus in eos qui eorum quę ordine fiunt, reddere causas volunt, nullo ordine fretas claro, atq; conspicuo. Quartus hoc ipso communiebatur modo, quo plæriq; ea quæ videntur compertaq; sunt capientes vt fiunt, etiam existimant quæ nõ videntur & incomperta

sunt, vt fiunt comprehendisse: fortè autem simili modo ijs quæ videntur, fiunt ea quæ non videntur, fortè dissimili vtpote proprio & peculiari. Quintus inde pendebat, quia vel omnes, vel plurimi (verbi gratia) causas reddere tentant secundùm proprias elementorum principiorúmve suppositiones, non autem secundùm communes & confessas aggressiones. Sextus in eos parabatur qui sæpenumerò quæ cumulo, & abundanter offeruntur propositæ materiæ communiendæ accersunt, quę verò contrà succurrunt æqualis etiam roboris & momenti prętermittunt. Septimus in illos directus, qui ita delinqunt vt sæpenumerò causas reddant & probationes afferant non solùm ijs quæ videntur apparentq; conspicua, sed proprijs etiam argumentis propriæq; materiæ contra stantes repugnantesq;. Octauus demùm locus is, secundùm quem sæpenumerò multi falluntur, cùm enim plura existant similiter ambigua, & quæ videntur apparere, & quæ disquiruntur egentq; probatione, ijs quæ similiter sunt ambigua, vtuntur, ad ea probanda quæ simili dubitatione sunt obuoluta: tot ille modos cõtradicenti subministrauit, quorum aliqui in vna & eadẽ quæstione simul incidere posse decreuit. Fore autẽ facilè Sextus Empiricus putauit, vt quinq; de quibus egimus ad cohibendum assensum parati loci, satis essent ad contradicendum. Aut enim consonam omnibus in Philosophia sectis & Scepticæ facultati, ac etiam ijs quę videntur, causam se dicet afferre is, cum quo nobis est disceptatio, aut minimè: si primũ dicet, videátne impossibile quicquam dixerit: nequit enim fieri vt quæ apparent & quæ non apparẽt consonent, dissentiunt autem magis & contradicunt. Si autem dissentiunt, requiretur huius etiamnum causa dissensionis, & exigetur ab eo: quòd si apparentem, apparentis rei causam voluerit insumere, & non apparentis item non apparentem, occasura est ad infinitum oratio. Si autem permutatim afferre causam maluerit, in promiscuum dilabetur locum: si autem alicui constiterit, vel super ijs quæ dicta sunt fatebitur causam constitutam, locus qui est ad aliquid introducetur, tollens, quæ secundùm naturam sunt. Si ex hypothesi quicquam adsumpserit, id sequetur de quo actum est, cum hypothesi suprà disseruimus. Illud quoq; cum ijs aptari posse videtur de quo Cicero in Academicis, quatuor esse capita quæ concludunt nihil esse quod nosci percipi, cõprehendi possit. Primum esse aliquid visum falsum: Secundum non posse id percipi: Tertium inter quæ visa nihil intersit fieri non posse, vt eorum alia percipi possint, alia non possint: Quartum nullum esse visum verum à sensu profectum, cui non appositum sit visum aliud quod ab eo nihil intersit, quodq; percipi non possit. Sed reuertamur ab Academicis ad Scepticos, & quibúsnam modis iudicatorium veritatis sublatum iri voluerunt, aperiamus.

CAP. XXXII.

QVO PACTO SCEPTICI PRIMVM VERITATIS IVDICAtorium cui nomen fecêre, in quo sublatum iri putauerunt: Ibiq; multa notatu digna atq; inter alia quod argumenta Scepticorum in dogmaticos Philosophos nostræ non officiant religioni.



HActenus Scepticæ facultatis fundamenta iecisse videri fortè possumus. Sed veriùs quemadmodũ essent iacta narrauimus, quòd negociũ eò desumpsimus, quia non exactè de veritatis iudicatorio, quid ipsi sensissent, tradere potuissemus, si præterita illa silentio fuissent. Ac euenissent vt inter disputandum multa repetere, explicare plæraq;, interserere plurima, necesse habuissemus, quibus & cõfusa narratio fuisset, & interpolata disputatio, & dilatata atq; interrupta legentium expectatio. Quare ijs explicatis ad ipsum vnde videmur digressi, veritatis iudicatorium reuertamur. Id cùm tripharíam Sceptici statuant, singulatim suoq; ordine vnumquodq; demoliri procurant. Primùm id cui, nomen est factum, in quo, deinde per quod, tertiò secundùm quod: Itaq; à primo sumamus initium. Homo itaque, id est, iudicatorium illud à quo iudicium prodit, quid sit non solùm non comprehendi, sed nec ritè excogitari dicunt Sceptici. Audiunt illud Socratis apud Platonem, neque scire se vtrum homo sit, an aliud quidpiam? Ego, inquit Socrates, nescio an homo sim? an & alia quædam bellua Typhone multiplicior? Idem

Cleanthes coactus repetere, coactus & Zenon Stoicę princeps familię diceret, ignorare se an in mundo esset, an mundus ipse in sese illum contineret? Item virne esset, an fœmina? Ad id autem propterea cogebantur, quòd inter eos qui non sunt sapientes se computabant, eum autem qui non esset sapiens, ignorare omnia contendebant. Si verò qui hominis notionem constituere volunt, primũ inter se digladiantur, quare & minimè cõsona fundunt minimeq; prudentia. Scribit Democritus in hunc modum: Homo quidem est, vt omnes nouimus, at propterea non cognoscimus hominẽ, quoniam & canem etiam nouimus, & quòd homo non est canis, & equum, & arborẽ cognouimus, & nihil eorum est homo, quare hominem propterea quisnam sit aut qualis non cognoscimus? qui quàm sit cognitu difficilis, declaratum putant oraculo Pythio illo, cognosce te ipsum, quòd non vulgò, sed exactissimis Philosophorum speculationibus esse traditum existimant. At malus dæmon id ex Sacris literis suffuratus est vt indicauimus alibi. Epicurus hominis declarare notionem volens monstrauit (vt ita loquar) digito tale inquit formatum, & animatum: vt ob id videatur putauisse eum qui ostendi nequiret, & subijci sensui percontantis, nõ esse hominem: & præthereà cùm significabat digito, aut virum, aut fœminam oculis percontantium subijciebat, vel puerum, prætereà vel senem, ita vt quicunque signaretur, alios excluderet. Dixerunt alij animal esse rationale, mortale. At quid aduersus hanc definitionem possit afferri, id patere ex primo huius Operis libro potuit, cùm monstraremus Dicæarchũ animam sustulisse, vnde & quod rationale dicitur, consequio tollitur, & Platonicos solam animam esse hominem dixisse, vnde & eam quæ dicitur mortalis differentiam sublatum iri sit necessarium: prætereaq; Aristotelem inter ipsum quod rationale dicitur differentiam excogitasse, authore Iamblicho, & ex nostris etiam Theologis iunioribus fuisse, qui eam hominis definitionem integram & exactam haberi noluerunt. Et ex antiquis Hieronymum extare, qui Satyros vti ratione decreuerit: Vnde aut aliud quiddam inter hominem & belluam rationale excogitari oportet, aut plures hominis afferre species, quoniam videlicet species alia sit homo Satyrus, alia homo non Satyrus: vnde aut plures quoq; differentiæ suborientur, aut bruta ratione vti confiteri cogemur, quòd antiquorum Philosophorum plurimi voluerunt, quibus ex rebus definitio quæ de homine assignatur communis & nota, videtur explodi, vt cætera taceam quæ dici possent, qua de re & in Logicis institutionibus facta est à nobis mentio, loco ipso ita exigente, & primo operis huius libro dum de dissidentibus, de minori mundo Philosophorum sententijs disserebamus: nũc verò, id est, libro hoc Operis secundo, quoniam propriè de hominis agitur iudicio, & quinto etiam libro fiet, cùm aduersus artem definiẽdi ab Aristotele traditam disputabimus, quòd quidem etsi repetitum videatur, non tamen absurdè factum, aut frustra, iudicari queat, quoniam hominis definitio quæ maximè clara putabatur esse, ea à Philosophis in controuersiam plurimùm ducta ostendatur.

Addiderunt aliqui intellectus & disciplinæ susceptibile. At qui dicunt elephantos dociles & religionis capaces? Certè hoc vltimum ipse non dixerim, primùm autem vt vel putarem, vel dubitarem, elephas me puero vectus in Italiam efficit, quando mira quædam pręcipiente magistro exequebatur, & humanę disciplinæ simillima: & nuper est relatum elephantem ab Emanuele rege Lusitano, missum ad Leonem decimum Pontificem maximum, cui elephanto mira insint quæpiam humanæ disciplinæ similia. Affirmârim & quæ Hieronymus literarum monumentis retulit de Satyro, qui cum Antonio locutus est, is enim non intellectus modò particeps & disciplinæ, sed etiam religionis, vt mittam Diogenis placitum in intellectu brutis communicando. Quibus omnibus, hæc etiam particula definitionis tollitur, quàm & ex actionibus aliorum animantium tolli, sunt qui censeant. Canem Sceptici ducunt in medium & ex aduerso maximè Stoicorum constituunt odoratui præstantem hominibus, & visu citiùs feras cõspicantem, audientemq; celeriùs: quòd autem attinet ad rationẽ, & quoad spectat ad eam quæ intùs est, & quoad pertinet ad illã quæ foràs exprimitur, vtraq; illos pro viribus incessunt. Primò quòd eligunt profutura, quòd noxia declinãt, quòd edulia sectãtur, quòd vibrata flagella fugiunt: Item quòd arte quadam venatoria pollent, atq; in id officij docentur egregiè. Nec sine virtute (inquiunt) canis esse videtur, iustitia in primis distribuente cuiq; quod suum est: nam fures arcent baubatu, & igno-

tos adlatrant, mordentq; : maximeq; illos qui nocte & domino, & domui insidiantur: domesticis autem mites adeò vt obediant, vt prosint, vt blandiantur : si autem iustitia freti, cur nõ & reliquis virtutibus, qui vnà nexæ & complicatæ decernũtur. Addunt videri fortem in custodia & tutela domus animosæ prçliando si opus est. Videtur etiam Chrysippo dialectica præditus canis, cùm ad triuium peruenerit, vtpote qui duas iam cùm olfecerit & inuestigauerit vias, & per eas vbi transisse feram nõ deprehendit, tertiam nihil vestigans, nihil olfaciens, impetu quodã percurrit, deprehẽsurus iam quod indagârat: quare virtute quadam ita ratiocinari dicunt videri, aut eo, aut illo, aut hoc itinere fera dilapsa est, non eo, non illo, igitur hoc: prosequuntur & alia multa in cane, vt quòd Medicinæ scius, quòd prudens in curandis & declinandis aduersis videatur: quod autẽ attinet ad rationẽ quæ sermone ostendatur forinsecùs, non idcircò, inquiunt, meritò putant canes irrationalia animalia: nã & sunt aues quæ humanã exactè vocem imitantur, quare hoc non satis ad interstitium atq; discrimen rationis, & vt sic dixerim irrationalitatis, eoq; magis quod Philosophi quidam necessarium non putârunt, vt à quibuscunq; expromerentur proprij mentis rationisq; conceptus, vnde & silentium multis indictum est præcepto magistrorum, multis & à natura inustum: omnibus ad tempus: nam nec eo pollent infantes, pollent pueri, nec loqui possunt, qui si multo pòst tempore & loquantur, & differant, canes nunquàm : illud aduertendum diuersas ab ipsis & animalibus cæteris voces fundi, quæ videantur eadem, & ita iudicentur à nobis. Illud item succurrere debet, quòd nec multarum nationum homines loquentes intelligimus, nec inter ipsarum voces articulatè distinguimus: si enim Persas & Indos, & Sidonios, & Erembos, audiremus, vna omnes lingua ipsos differere facilè daretur nobis intelligi. Magna igitur demiratione non est dignum (inquiunt) si canes & animalia reliqua non intelligimus, quanquàm possumus aduertere magnam inter earum voces distinctionem & differentiam : Aliam enim vocem expromunt dum hirriunt, quasi canẽtes bellicum canibus alijs: aliam cùm baubantur, quasi speculatores domestici: aliam cùm bellant & dominis auxiliantur: aliam cùm blandiuntur homini: aliam cùm inter sese vel ludunt, vel congredi volunt : aliam cùm verberantur, eiulatu & stridulis plenam lamentis : hæc ferè de suo cane me interprete Sceptici loquuntur in Stoicos, vt mittam qui dicti sunt bestiarum voces dijudicasse, Melampum, Tyaneum, alios. Noster autẽ Ambrosius libro Hexameron sexto, quãquàm dicit canẽ rationis exortem, tamẽ sentiendi sagacitate vim sibi rationis asciscere prodit, multaq; illi concedit, inter quam illud, quòd vbi vestigium cerui leporisve repererit, veluti syllogisticam vocem sagacitate colligendi odoris emittens (vt eius vtar verbis) aut in hanc partem, inquit, deflexit, aut in illam, aut certè in hũc se anfractum contulit, sed nec istam, nec illam ingressus est, superest igitur vt in istam se partem sine dubitatione contulerit: quòd autẽ noster hic Theologus sentiendi sagacitati, Gentium illi Philosophi rationi acceptum retulêre. Thomas verò prima parte secundi voluminis Theologicæ summæ id maluit adscribi naturali ad quosdam ordinatissimos processus inclinationi. Idem verò author eodem opere, quæstione quadragesima, dum agit de spe, quam à brutis non abdicat, & affirmat interiores animalium affectiones ex motibus exterioribus posse dignosci, videtur quoquomodo præbere ansam veniæ facilioris impetrandæ per priores illos Philosophos, dum suspicati sunt ex ipsis exterioribus brutorũ actionibus, subesse intùs aliquod principiũ, vnde illæ fluãt, maius eo quod nostri ipsis illis adscripserunt. Sed sanè Cyrillus apud Plutarchum cum Vlysse disputans, & vitæ belluinæ & humanæ quando vtramq; fingebatur expertus, discrimina recensens, præstare feras homini & iustitia, & prudentia, & fortitudine dicit: eas enim & bellica præstare virtute sine dolo, sine fraude, quibus abundabat Vlysses: non succumbere in prælijs, non seruire victas vt homo homini, idq; in leone cæterisq; vestigat: fœminas eorum magna virtute fortitudinis pollere, ac denique præstare hominibus feras, illud esse argumẽto, quòd comparationes quæ fieri solent ritè, ad meliora fiunt, sic hominem cùm laudamus fortem, leoni componimus, & cæteris animantibus: Alijs quoq; virtutibus præditum, cõferimus hominem, vt sint illa præcellentiora. Ille ipse Plutarchus si ex nostris aliqua legisset, ijsq; habuisset fidem, illud Salomonis adducere potuisset: *Vade ad formicam, ô piger:* & illud cùm in Psalmis tùm apud Iob, *coruorũ pullos ad Deum clamare & pasci*; atq; apud eundẽ, *gallo datam intelligentiã*, & illud Euange-

Euangelicum, *estote prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ*, ita tamẽ vt meminisset decantatum à Psalmographo, mulo & equo non esse intellectum, & homines qui quæ oportet, non intelligunt, comparatos esse iumentis insipientibus. Sed enim Plutarchus ex hoc trahit argumẽtum quæ irrationalia dicimus ratione pollere, quòd alijs ea participant magis, aliaq; sunt ex brutis dociliora, prudentioraq;: namq; plantæ omnes æquè stupidæ nec altera est animantior. Nec eorum vlla sensatior, quia nulla est sensus vllius particeps: quare quòd aliqua videantur prudentiæ magis & rationi proxima, id magnum in operis calce ad astruendam rationem belluis habere momentum existimat, & præstare magis hominem homini in sapiendo & ratiocinando putat, quàm fera feræ.

Sed hac de re hactenus, nam diffusiùs explicare talia, & de irrationalibus agere animantibus, nec nostri est consilij, nec propositi operis argumentum: sat fuerit hæc duxisse in medium, vt particulæ diffinitionis reiectæ videantur, non solùm autoritate veterum Philosophorum in vniuersum, sed iuniorum quoq; persuasionibus, qui rationalia dixerunt bruta, & eorum quidam etiam disciplinæ susceptilia: qua de re cùm alij tùm maximè Sceptici, definitionem hanc hominis notam demoliri sunt adnixi, illud etiam adijcientes: Ea quæ definitionem communiunt aut actu intelliguntur, aut potestate: si actu, nónne consequitur eum non esse hominem qui perfectam disciplinam non sit consequutus? & perfecta ratione non polleat, & in ipso quod est, mori sit constitutus? hoc est enim id θνητὸν, quod Latini mortale verterunt: Si verò potestate non actu: Iam non erit homo, qui perfectam rationem habeat, qui intellectu & sciẽtia polleat, quod est incommodo priori oppidò quàm absurdius. Accipiebant enim potestatem illam tantummodò seorsum, & actum quoq; seorsum. Præterea cùm dicimus quicquam susceptibile esse cuiuspiam rei, nõ propter ea illius declaramus essentiam: nihil enim magis quid sit ipsum, quoad sese suamq; naturam attinet iudicamus. Plato verò qui suam illam definitionem fuerat commentus, animal inuolatile, bipes, latorum vnguium, susceptile ciuilis scientiæ, reijcitur ab eisdem, præterquàm quòd aiunt nõ firmiter illum constanterq; ipsa de hominis finitione locutum, sed probabili quadam, vt fit, consuetudine loquendi vsum. Quòd si constanter, inquiunt, effecisse id se credidisset, quàm aberrauisset longè? nam etsi excogitari dicunt homo potest, cõprehendi tamen non potest, ipsum enim ex anima corporeq; dogmatici cõstituunt, quorum sit neutrum comprehensile. Neq; homo etiam qui est ex vtriusq; conflatus comprehendetur: quòd enim corpus comprehendi nequeat, sic argumentantur: quæ accidunt, alicui alia sunt ab eo cui accidunt, quotienscunq; igitur aut color, aut quid simile nobis ingeritur, accidentia corporis ingeri nobis consentaneum est, non ipsum corpus, quod quidem esse dicunt trina dimensione conflatum; deberemus itaq; longitudinem, latitudinem, & profunditatem comprehendisse, si iure corpus comprehensum à nobis affirmare possemus: cùm autem id nequeamus, & eis in accidentibus immorari necesse sit, fiet sanè vt is qui ex eis corpus dijudicari à nobis rectè contendat, non secus agat ac is qui diceret ipso ex colore auri, iudicari posse argenteum vas oblitum auro, aureum non argenteum esse, quòd tamen fieri omnino nequit: quare si aureum vas argenteo quod inauratum sit, nequimus ex accidentibus illis discernere, ita & cætera corpora, suis ex accidentibus non iudicabuntur. Adijcio illud ab Aristotele in primo de Anima libro prolatum, accidentia rei ipsius non declarare essentiam, conferre tamen ad cognoscendum magna ex parte quid ipsa sit, quasi diceret, si rectè eum putamus sensisse, ansam nobis indagandi & coniectandi substãtiam, ex accidentium cognitione præberi, & hæc quo ad hominis attinet corpus, quantum ad præsens attinet negocium.

At quo ad animam, ea quo pacto comprehendetur? quam alij non esse dixerunt vti Dicæarchus Peripateticus & sectatores, alij dicunt esse, alij abstinent & ab affirmando, & à negando, hanc dissensionem si dijudicari nõ posse dogmatici Philosophi censeant, consequenter censebunt eam non posse comprehendi, si dijudicabilem cõtendant: quónam id possit fieri modo, nobis expromant. Sensu? minimè: quando eam dicunt esse intelligibilem, si autem mẽte & intellectu dijudicandam malint, dicemus, inquiunt, nihil in anima esse magis controuersum quàm mens, quoniam multi qui putant concorditer existere animam, de ipsius tamen mente concordes non sunt: etsi

mente animam voluerint comprehendere, & de ipsa dijudicare discordiam volent, & quod minus quæritur, eò quod quæritur magis decernere atq; firmare, quod absurdũ est. Verùm enimuerò vt concedamus (aiunt) hominem esse animo comprehensilem, non propterea sequitur vt ab ipso res oporteat dijudicari, qui enim ei iudiciũ tribuerit, aut ad id affirmandum vtetur demonstratione, aut minimè, non primum si quidem opus est vt demonstratio vera sit & decreta, atq; ob id ab aliquo vt decernatur necessarium est: quoniam verò pro confesso & claro non habetur, à quo dijudicari illam ipsam oporteat (quęrimus enim iudicatorium à quo prodit iudicium, & illud est quod hac in quæstione versatur:) idcirco non poterimus dijudicare demonstrationem, atq; per hoc neq; iudicatorium, de quo sermo est demonstrare. Quod si nulla demonstratione adhibita dixerint ab homine res ipsas iudicari oportere, digni non erunt vt eis fides adhibeatur, quare controuersum omnino relinquitur iudicatorium quod dicimus à quo, id est, à quo prodit iudicium & in quo est iudicium hominem esse: nã cùm ab aliquo ferri hoc iudicium oporteat (qui enim nullo id iudicio dicerent exploderentur) is si erit homo qui iudicium tulerit, eueniet vt rapiat id & pro confesso capiat, quod dubium est & in quæstione versatur, eaq; suborietur fallacia quæ ab Aristotele in Sophisticis damnatur Elenchis, cùm pro discusso & dijudicato sumitur, quod indiscussum est atq; sub iudice. At enim si ab alio animante ferri hanc sententiam oportere quis dixerit, spectet is quæso, quæ'nam illum sequantur incommoda? nam si sine iudicio, risu digna res erit, si cum iudicio, rursum id ab aliquo ferri debebit, sed si à se ipso dimanet, adhuc illud absurdum erit, quando id quod quęritur per id ipsum quod quæritur iudicabitur: Si verò ab homine, promiscuus introducetur locus: si autem ab alio præter hæc, rursus illius iudicatorium quæremus à quo, atq; ita aliud, atque aliud quo ad infinitum obambulârit oratio. Esto autem vt ad homines pertineat rerum iudicium: Num multa est inter homines dissensio: dicant ergo nobis qui scientia rerum pollere se putant dogmatici Philosophi, sed consonè dicant & amabiliter cuínam potiùs præq; alijs id ipsum competat iudicium? qui postquàm in rebus minimis digladiantur, & nihil ferè decernunt, quod non bile & amarulentis verbis inficiant, quomodo compositè & pacato nos docebunt, cuínam sit assentiendum? quod si dixerint sapienti esse credendum: rogabimus cuínam sapienti? vtrúmne Epicureo? an Stoico? an Cynico? num magis Platonico? num Peripatetico? neque enim hoc cõsonè dicturi sunt, vt enim cuiq; sunt affecti homines, ita de eius sapientia ferè decernunt. Verùm si cui placuerit abdicata de sapiente viro quæstione, prudentiori simpliciter & æquiori rerum existimatori credendum putet, primùm quidem & de eo qui alijs prudentior sit pugna suscipietur: Deinde etsi consonè dicent posse capi, quísnam erit eorum, & qui nunc sunt, & qui fuerunt prudentior, cui standum sit? Talem nos quæcunq; signauerint, dicemus etiam dignum non esse cui prorsus indubia fides mancipetur. Nam quoniam multa & infinita ferè intentio & remissio prudentiæ, illud afferemus, fieri posse vt hoc homine quem & præsentium & præteritorum hominum dixerunt esse prudentiorem, alius nascatur qui sit multò prudentior, quare vt nunc huic tanquàm prudentissimo est habenda fides, illi mox, hoc posthabito (vtpote qui prærogatiuam amiserit) habenda erit omnis fides, omnis præstanda cõsensio. Adde quod etiam sperare alium quoque prudentiorem possumus futurum, & illo etiam alium multis prudentiæ gradibus præstantem, quoad finem nulla inueniat oratio. Sed neq; etiam tùm manifestum erit apud philosophos, vtrum talis vir omnibus alijs sit habendus prudẽtior: nam cõsonéne, an dissonè ita decreturi sint quis nouit? quare & semper expectari potest sapientior, & semper de illo etiam sapientiórne sit (addendum & in sapientiã persistat) ijs restat euentilanda adeò, vt prudentiori qui standum iudicat, iudicare etiã ipse de se queat, an sit in hoc iudicio prudens? Hæc ferè in dogmaticos acerrimè & subtilissimè disputantur à Scepticis: quæ etsi Platoni officiant, qui eatenus standũ sibi censuit, quatenus aliquis quam homo sacratior, aliud quicquam decreuisset, ex quo se cunctis pręstantiorem hominibus iudicare videbatur, nobis tamen non officit, qui non homines, nobis veritatem manifestasse dicimus, sed Deum sapientissimum, & omnis scientiæ fontem ac ipsissimam (vt sic dicam) veritatem, ei habemus fidem, in eum credimus, & ijs omnibus pręstamus assensum qui ex illo hauserunt, quę scilicet in nos refuderunt, felicis comparandæ vitæ saluberrima dogmata. Qui verò Platonem impensiùs

pensiùs diligunt, excusare ab arrogantia vel hoc vno posset, quod in Aegypto fuit & Diuina didicit, quare præstare humanis omnibus inuentionibus arbitratus est, quæ de Diuinis literis hausisset. Sed quicquid hac de re statuatur, illud sanè affirmo, non Diuina illa penitùs atque syncerè, sed multis in locis minus quàm humana, & prauis maligni dæmonij superstitionibus infecta.

Sed reuertamur ad Scepticos, illud etiamnum prioribus adnectentes, vt si dent aduersarijs aliquo prudenti viro prudentiorem neq; existere, neq; extitisse, neq; futurũ esse: illud tamen se non daturos, vt propterea in eius sententiam pedibus manibusq; (vt dicitur) descendendum sit, quoniam prudentes viri qui dicuntur & habentur, semper ambitu non carent honorum, soleantq; vilibus rebus vt suam ipsorum ostentent solertiam, authoritatem dare: quare quod ipse rerum fecerit iudicium, ita sanum non habebimus quàm quod maximè, cùm nobis constare nequeat, an ipsæ ita sese habeãt res suapte natura, an tum primum sint prudentis illius iudicio viri eam æstimationem consecutæ. Cæterùm si eo etiam descenderent quidam, vt tradi iudicium dicerent oportere consensui plurimorum, quàm id sit inane, non difficulter hinc potest perpendi; primùm quod rarum fortasse verum inuenitur, quare fieri potest, vt in eo deprehẽdendo vnus sit quàm multi prudentior, deinde & omni iudicatorio plures contra statuent eorum qui sibi consonent: qui enim qualecunq; iudicium derelinquunt, aliud quod videatur consentire ducent in medium, contraq; oppositituri sunt multitudinẽ. Ad hæc qui cõueniunt in vnum consentiuntq;, vel diuersis affecti sunt, ea in re dispositionibus, vel vna eademq;, si diuersis nullo pacto in vnum idemq; iudicium omnino conuenturi sunt. Si vna, quoniam & is qui diuersum quid affert, vnam habet dispositionem habitudinemq;, & ij quoq; qui simul conueniunt vnam, quantum, scilicet, attinet ad id, quo dicimus iudicium ferri à Deo vt nulla ipsa in multitudine quoad pertinet ad ipsam dispositionem, differentia reperiatur, quo fiet necessarium non esse, vt multis potiusquàm vni fidem habeamus. Incomprehensilis etiam multitudo est dissidentium iudiciorum, quoniam homines particulares nullo possumus comprehendere numero, & eorum indiuiduas percurrere differentias, ex quo etiam colligitur nõ posse nos decernere, quam in partem plures inclinent: quare confici volunt ex ijs omnibus vanum esse iudicium quod in multitudine iudicantium fundatur, si ad naturam & vniuersitatem referatur hominum, quæ scilicet, comprehendi nequit ab homine, quod si ipsi etiam multitudini minimè sumus adquieturi, minimè etiam inuenturi quempiam, à quo rerum iudicium tutò feratur. Atq; hinc deducunt quàm sit cognitio veritatis malè comprehensilis: si comprehendi is, à quo ipsa comprehensilis dicitur, omnino non queat.

CAP. XXXIII.

DE IVDICATORIO QVOD VOCATVR PER QVOD, idq; quibus argumentis repellant Sceptici, & quòd ea nihil aduersantur Christianæ disciplinæ.


AT qui si hæc omnia (inquiunt) de quibus controuersiæ sunt excitatæ, gratis & pacatè concedantur aduersarijs, non ob id tamen habebunt illi vnde tutò & securè ferre de rebus sententiam queant. Si autem minimè cõcedantur, erunt statim omnia sublata, quoniam reliqua omnia, aut pars, aut affectio, aut actus hominis. Cuius hominis (vt in quo est iudicium & à quo iudicium manat) iudicatorio sublato, tolli & reliqua necesse est, quod enim fertur iudicium, ab aliquo ferri necesse est. Sed concesso etiamnum ab homine rerum prodire posse iudicium, dispiciamus, an id per quod, & id secundùm quod iudicatorium dicitur, manere possit. Et quanquam vniuersim & in communi tacta hæc in superioribus & tacitè subsignata videri queunt, ne tamen particularius cõgressum fugere nos causentur, ipsi disputationi manus admoliendæ sunt. Primum id iudicatorium cui factum est nomen per quod euentilemus: Id vel sensus, vel mens intelligentiáve, aut cogitatio διάνοια dicitur à Græcis, vel vtrumq; dicitur esse: vbi autẽ nec alterutrũ, nec vtrũq; esse posse monstrauerimus, satis proposito fecisse videbimur. Itaq; incipientes à sensibus: Alij dicunt eos frustrà & in vanum exciri, & nihil percipere, vtpote quia nihil illis sub-

ijciatur eorum quæ vidētur capere: Alij ſubijci omnia à quibus dicunt eos poſſe moueri: Alij partim ſubijci, partim non ſubijci voluerunt, quibúsnam igitur (aiunt) ſumus aſſenſuri? neque enim ſenſui differentiam iudicabimus, quoniam de ipſo quærimus ſenſu, percipiat videlicet an minimè? & an ſit incomprehēſile, vtrum vanè ſenſus percipiat an verè? ſed eſto, inquiunt, verè percipiat, certè variè, non vno modo percipit ſenſus. Guſtus ab eodem melle modò dulcedine afficitur, modò triſtatur amaritie. Viſus eundem colorem modò rubrum iudicat, modò non rubrum. Eodem odore qui grauedinis excitator & fluctionis parens paulò antè fuerat, odoratus delectatur ſæpenumerò, & eo qui ſuauis olim fuerat, pituita caput infeſtatur. Sunt & qui audire ſe dicant quæ non commoueant aliorum auditum: Aquam febre correptis placidam, aliorum ſæpenumerò ſenſui moleſtam quis neſciat? vtrum igitur haſce apparentias veras quis dixerit? an omnes falſas? an potiùs partim veras, partim falſas? certò videtur eo non poſſe hanc controuerſiam iudicari, cùm iudicatorium per quod ferri ſententia deberet, liquidum confeſſumq́; non ſit. Sed neq; demonſtratione id pateſiet, cùm adhuc ſub iudice lis de iudicatorio verſetur, per quod veram demonſtrationem metiri oporteat. Quod ſi quis dixerit aſſentiendum ijs quæ ſecundùm naturam, ijs verò quæ præter naturam diſſentiendum: ſanè ridiculus fuerit, neque enim ſi ſine demonſtratione probauerit aſſenſus ei præbebitur, neq; veram demonſtrationem propter quæ diximus habiturus erit. Quod ſi eis concederetur phantaſias ipſas apparentiáſve, quæ ſecundùm naturam ſunt, veras atq; fideles, quæ verò ijs accidunt qui diſpoſiti ſunt contra vel præter naturam infidas: adhuc incertum erit ſenſus iudicatoriū. Nam & viſus ritè naturaliterque diſpoſitus, turrem modò quadram, modò rotundam æſtimat. Saturi hominis quanquam ſani guſtus ſuauia ſuapte natura edulia deſpuit, in quæ fameſcens inhiat. Idem quoque in reliquis ſenſibus, de quorum diuerſitate ſuprà eſt abundè narratum: & prætereà eo liqueſcet ſenſui veritatis iudicium non competere, quod non ſolùm in eo quod eſt vel dealbari, vel affici dulcore, moueri eum oportet, qui veritatem de re ſubiecta captaturus, ſed phantaſia, vel etiam mente verſare illam ipſam rem opus eſt, vt hoc eſt album, hoc eſt dulce, & in cæteris ſimiliter, ad quæ iudicanda ſenſus euehi non poteſt, etſi id conaretur præſcriptum videlicet egreſſus falleretur, aut verſaretur in dubio: quod autem dubium eſt, ei iudicium non cōpetit, ſed eget iudicāte, quare à ſenſu ad memoriā & intelligentiam ſcandere oporteret.

Cæterùm quod nec ipſum mentis officium inueniendæ iudicandæq́; veritati ſit ſatis, multa Pyrrhonij duxēre in medium: nam malè comprehenſile eſt mentem eſſe dicunt, quoniam Gorgias illam ipſam nihil eſſe decreuit, & Dicæarchus etiam ſuſtulit animam: Alij contrà: quis ergò litem ſedabit, neq; enim mente intermedia: ſument enim quod in quæſtione verſatur, aliud autem quid quæſo capient quo diſcernatur? In controuerſia igitur fuerit, ſit, non ſit intelligentia? Sed eſto vt confeſſum liquidumq́; habeatur, mentē eſſe, adhuc non poterit de rebus iudicium ferri. Si enim neq; ipſam ſe ipſa exactè perſpicit, ſed lis agitatur de eius ipſius eſſentia & initijs, & loco in quo eſt: quo pacto poterit aliorum quidpiam diligenter apprehendere? opus certè aiunt prius cognoſci ipſam quid ſit & quàm vera, ſi veri ipſius regula haberi debeat: cognoſcatq́; oportet ſe prius veri eſſe regulā, antequàm verum ipſa dijudicet, vt architectus amuſſi cognita, rectum ab obliquo diſtinguit: quid igitur ipſa ſit? nondum philoſophis conuenit: Dicæarchus enim, vti eſt narratum, eam nihil aliud eſſe dixit, niſi quodammodo corpus: Alij dixerunt eſſe, non ipſo tamen contineri corpore, quorum alij extra corpus, vt Aeneſidemus Heraclitum ſecutus arbitrati ſunt eſſe: Alij in toto corpore, vt quidam Democritij: Alij in parte corporis, quorum etiam multiplices variæq́; ſententiæ: nam alij differre à ſenſibus, alij eandem eſſe cum ſenſibus opinati ſunt, tanquàm incidētem per quoſdam ſenſorij locos, cuius diſſenſionis & Straton Phyſicus, & Aeneſidemus principes extitēre. Cæterùm ſi ſtatuatur mentem rerum eſſe iudicatricem, cùm tanta ſit mentium & tàm multiplex differentia? quo pacto per eam ipſam iudicauerimus? Alia enim eſt Gorgiæ mens cogitatióve, aut opinio, aut notio, ita enim quam Græci διάνοιαν vocant: quod paulò antè dixi: facilè appellauerim, alia, inquam, Gorgiæ ſecundùm quam, nihil dicit eſſe, alia Heracliti ſecundùm quam, dicit omnia eſſe: quo pacto igitur mente, hanc ipſam mentium differentiam iudicauerimus? neq; enim ritè dicturi ſumus huic accedendum menti, ab illa diſcedendum, ab

hac

hac standum aduersus illam. Si enim mente quadam, ferre iudicium ausi fuerimus, discordiæ partem assumentes, quod vertebatur in quæstione, rapuimus, quod principio negatum fuerat & in controuersiam ductum, tanquàm ambiguum & pro confesso & pro certo desumpsimus, quem modum argumentandi Aristoteles non admittit. Si verò alio quopiam quod non sit mens, litem dirimentes, fallaces deprehendemur, quoniam iam sanximus sola mente res ipsas metiri oportere. Et sanè ex ijs quæ suprà sunt dicta de iudicatorio, cui nomen est inditum, in quo ostendere se credunt, quòd neque solertiorem aliquam, & quæ alijs præstet in iudicando mentem inuenire poterimus, quæ etiamsi inueniatur aliqua solertior, omnibus alijs quæ fuerunt olim, & quæ sunt in præsens tempus: quoniam tamen manifestum non est, si aliqua est in posterum futura solertior, assentiri illi ipsi neutiquam oportuerit. Si verò statuamus mentem solertissimam omnium, & subtilissimam, & quæ in discursu omnibus antecellat, assentiemur ne ei propterea, nosque illius iudicio securè sumus commissuri? cùm periculum sit, ne mentis nimia velocitate falli queat, falsum quodpiam intermiscens, quod tamen nobis verum esse eximio illa acumine persuadeat, addamq; fieri posse vti diuersis ex causis sententiam mutet.

Reliquum est vt dicant vtroq; iudicium fieri, hoc est, sensu & mente, quod pariter poterit nec multo labore refelli. Neq; enim sensus ipsi mentem præeunt & tanquàm manu ducũt ad cõprehensionem veri, sed illi ipsi sæpenumerò aduersi sunt, certè mel quibusdã dulce, amarum quibusdã videtur. Addo ego non sanis dulce solũ, ictericis tantummodò amarũ videri, vt antè diximus, nec mel Colchicũ afferimus in medium quod amaritie perfundi, aut Sardoum quod tãquàm vitiatũ absynthio asperitate suffundi, memoriæ proditum est, aut Ponticum etiam aliquibus annis perniciosissimũ, authore Dioscoride: nam id aliquibus non debet sanis videri dulce, cùm sani, & amarum, & asperum, & perniciosum sint experti. Sed de aliarum melle regionum dicimus Asiæ terræ, Græciæ, Siciliæ, quod omnes cùm dulce pronunciant gustatum, alij tamen aliter decreuêre, & se diuerso modo mel ipsum sentire dixerunt, authore Sexto. Democritus neq; dulce ipsum dixit esse, neq; amarum, & dulce, & amarum dixit Heraclitus, & circa alios sensus aliaq; sensilia idem iudicium: sic igitur à sensibus profecta cogitatio mentisq; sẽtẽtia, diuersa & pugnantia cogitur decernere, quod quidem à iudicatorio est alienissimum. Ac videri quidem potest vti sensus impediat mentis iudicium, quemadmodũ enim si inter visum & rem visilem corpus inciderit, non sinet vt visus rem possit visilem cõprehendere: ita si inter mentis notionem, & rem quæ extra iacet, visus qui a mens ipse est, intercedat: nõ permittet notionẽ rei extrinsecùs positæ percipi, atq; ita in cæteris sensibus, nec internis, nec ratione pollentibus, vti gustu, auditu, reliquis, quare intus posita mens, & sensibus obumbrata, rectam nequibit rebus extrinsecùs positis ferre sententiam: & eò magis etiam res liquescet, si aduerterimus non apponi menti spectandas res ministerio sensuum, qui propriã tantummodò nunciant affectionẽ passionémve, exẽpli gratia tactus, calefactus igni, non ignẽ menti, sed calefactionem præsentem facit, cuius propriè fit compos: Mens non fit, alioquin non distingueretur à sensu, si videlicet sensiliter moueretur. Diuersa itaq; est rei apprehensio per sensum, ab ipsa re, multoq; magis rei ipsius notio mente concepta, etiam si similis esse perhibeatur. Quis enim ignorat longè differre notionem rei sensilis ab ipsa re. Ignis enim notio nõ comburit, cõburit ignis, quare ignẽ vrentem esse, ex ipsa eius notione quo pacto deprehendimus? & flagellum inflictum carni dolore carnem afficit, ipsum tamen non est dolor, nec in eo dolor inhabitat. Non secus si mel dulcore absynthiũ amaritie, ignis calore, sensum afficit, nec ignẽ calidũ, nec mel dulce, nec absynthium amarum, extra controuersiam pronunciaueris: sicut solem, etiam authore Aristotele & toto Lyceo cõsentiente, falsò calidũ aut putaueris esse aut asseres, rectè tamen illo te calefieri, & dices, & senties. Hoc ipse quod Scepticis suffragari videtur, exemplũ in medium duxi, quare si ritè talia esse pronuncies, coniectura sanè ob eius similitudinẽ aliquo modo perceptam, non autem certa & exacta ratione pronunciaueris, sicuti si Socratem nunquàm vidisses: Socratis tamen inspexisses imaginem, nunquàm scires illam ipsam ei esse persimilem, quò fiet vt sensu indicari rerũ notiones perfectè nequeant. Sed aliqui Dogmaticorũ qui animæ confundunt partes, & affirmant quemadmodum mel, & humidum, & dulce, sic animam dicunt intellectilẽ

& sensi-

& ſenſilem, & hanc partem à ſenſibus, illam ab intellectilibus moueri, nihil omnino dicunt quantum attinet ad propoſitam quæſtionem. Nam diuerſas eſſe poteſtates negari nequit, & vnam quanque proprium ad munus obeundum delegari, alioquin & rationalis ſimul & irrationalis haberetur, circa idem prorſus nulla diſtinctione verſata, an in re materiæ obnoxia id non vident? Mel & flauum, & dulce eſt, alteram tamen qualitatem viſus, alteram guſtus vſurpat, nec alteruter ſenſuum, cum alterutro, in obeundo proprio munere communicat, & ſanè tàm diuerſa iudicia mentis, ſenſuum miniſterio effici nequit, vt in vnum coëant, quare aut diuerſi ipſi, aut quo minus ſint diuerſæ mentis notiones ipſi non impediunt. Num fuêre Philoſophi qui omnia quæ dicuntur tanquàm vel falſa, vel ambigua ſuſtulerint, vt Democritij? fuêre qui conſtituerint vt Epicurei & Protagoræ ſectatores? fuêre qui nonnulla ſublatum iri voluerint, quædam reliquerint, vt Stoici & Peripatetici? aut igitur omnibus ſenſibus & omnibus illorum differentijs, itemq; omnibus intellectionibus & mentium notionibus, res dijudicant, aut quibuſdam? Si omnibus dixerint, dicent impoſſibilia, cùm tot diſſenſiones in ſenſibus, tot pugnæ in cogitationibus & intellectionibus apparuerint: ſubuertetur enim & ſe ipſam deſtruet ratio, Gorgiæ maximè cogitatione accedente, qua negatur neque ſenſui, neque cogitationi aſſentiri oportere. Si verò quibuſdam aſſeruerint res dijudicari debere, quo pacto interſtinguent quibus natura accedendum vel ſenſibus, vel animi ſententijs? & à quibus declinandum? Cùm adhuc decretum non ſit communi conſenſu, quódnam haberi oporteat iudicatorium, quo ſit vtendum in diſcordia ſenſuum & pugna mētium? ſi enim ſenſu & opinione cogitationeve, ſenſus opinionésve dijudicandas cenſuerint, res quæ in quæſtione verſantur pro re iudicata deſument: nam quæritur adhuc ſi per huiuſcemodi iudicatorium ferri ſententia aut poſſit, aut debeat.

Sed & illud non omittendum, inquiunt Sceptici, vt Dogmaticis ingeratur Philoſophis: nam vel ſenſibus ſenſus & mentium cogitationes, vel cogitationibus ſenſus & cogitationes, vel ſenſibus cogitationes, cogitatione autē ſenſus dijudicauerint: quod ſi vel ſenſibus, vel mente vtraq; iudicare voluerint, eligant alterum quod maluerint, & eos illæ ſequentur, quæ ſuprà ſunt allatæ difficultates. Si autem ſenſibus ſenſus, cogitatione cogitationes interſtinguere, ſecernere, & iudicare voluerint, quoniam pugnaces ſunt & ſenſibus aduerſantur ſenſus, & cogitationibus cogitationes, quémnā maluerint ex pugnacibus ſenſibus ad aliorū ſenſuum iudicium deligere? & quámnā cogitationem ad ſententiam de alijs ferendam? ſenſus enim communis hoc loco nō meminerunt, ſed aduerſus illum etiam, vt arbitror, tanquàm diuerſum, ſicut & de cogitatione & de phantaſia diſputaſſent. Certè quod quærebatur pro confeſſo capient nec conſentiente aduerſario, ſed reclamante, & repugnante rapuerint: pars enim eſt diſſidij illa quæ tanquàm pacata ſumetur, & res controuerſa vti res iudicata decernetur. Si verò ſenſibus cogitationes, cogitationibus autem ſenſus ſunt iudicaturi, promiſcuus ille qui ſuprà eſt reprobatus locus introducetur, ſecundùm quem vt ſenſus dijudicentur, opus eſt habere iam iudicatas cogitationes atque decretas, atque vt cogitationes probentur, ſenſus eſſe præiudicatos oporteat. Quoniam igitur neq; ſimilibus & vnius generis iudicatorijs, ſimilia & vnigena dijudicari queunt, neque vnigenis alienigena, neque alienigenis vnigena, fieri non poterit, vt aut mentem mente, aut ſenſum ſenſu, verè & extra controuerſiam iudicemus. Atque hæc fermè Scepticorum eſt de ſecundo iudicatorio diſputatio, quæ nobis nihil officit, qui noſtræ principia diſciplinæ non viſu, aut guſtu, ſed auditu, qui etiam ab Ariſtotele propriè dicitur eſſe ſenſus diſciplinæ, haurimus: *fides* enim, inquit Apoſtolus, *ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, hominis, ſcilicet & Dei, qui nec fallit, nec falli poteſt, quod verbum infinita ſupra omnem ſenſuum & humanam rationem ſigna, confirmauerunt.

CAP.

CAP. XXXIIII.

DE IVDICATORIO CVI NOMEN EST SECVNDVM quod, idq; quibus argumentis Pyrrhonij appellant, ibiq; laus Christianæ disciplinæ.



His igitur atq; similibus rationibus cùm Pyrrhonij Philosophi mentis & sensus iudicatorium reddere incertum molirentur, nō tamen circa phantasiæ iudicium cui nomen fecêre καθ' ὅ, hoc est, secundùm quod, res videlicet ipsę iudicantur, minus curiosi fuerunt. Primū itaq; aiunt si visum, ita enim phantasiam vertit apud Ciceronem Varro, quæ quidem phantasia imaginatio dici solet à Latinis, vt in nostro de imaginatione opere disseruimus. Dicta autem Græcis quasi φαιτασία, Ioanne Philopono & Suida authoribus, quoniam sit τῶν φανθέντων στάσις. Si itaque hæc phantasia est, vt dicitur esse à Cleanthe, quædam in parte animæ duce, Gręci vocant ἡγεμονικὸν impressio informatióve, secundùm æqualitatem & excessum, siue tenuis, immutatio vti visum Chrysippo, facilè refellitur. Anima enim vel pars illas spiritus est, vel quidam spiritu subtilius, quò fit vt non facile queat quispiam impressionem ipsa in parte imaginari. Id autem ἡγεμονικὸν quasi ducale principaléve siue præcedens dixeris, & κυριεύων, hoc est, & dominās: nā Marcus Antonius Imperator & Philosophus ex stoica secta, nomina hæc ꝑmiscuè capit eo in libro cui titulū fecit ἐκ τῶν καθ' ἑαυτόν. Id, inquam, hegemonicon carni misceri & ab ea nescio quid habere, dictitant. Nā si dicatur motus factus à sensu secundùm actum, vti definit Aristoteles, idem de ea quod de sensu ferè decernent, si sensili videlicet in parte ista ipsa recipietur impressio. Si verò in parte intellectili vel æquabilitas cogitetur, vel excessus impressionis, vt in sigillis identidem spectamus, vbínam quæso sine monstrosa mutatione rerum tantarum memoria excipietur? res enim quæ imprimuntur superuenientibus alijs maioris & vis, & impetus abolentur: tenuis quoque immutatio si affectione est introducta accessu maioris fortiorisq; deletur, si mutatione subiecti corrumpetur, id ipsum quod suscipit. Cæterùm si excogitemus aliquam esse phantasiam, incomprehensilis ea tamen erit. Si quidem affectio sit, siue passio ἡγεμονικοῦ, ipsum autem ἡγεμονικὸν, cùm nondum exierit litem: namque Asclepiades & sectatores nullum esse contendunt, qui verò id recipiunt de loco, & sede dissentiunt, cùm, inquam, controuersum sit & ambiguum, & ipsa quoq; eius ipsius affectio facilè non cōprehendetur. Sed demus cōprehendi posse phantasiā, propterea ne poterit secundùm ipsam de rebus ferri sententia? neq; enim per ipsam tantummodò conijciet, quæ sunt extrinsecùs, & imaginem rei notionémve animo concipiet, sed sensibus intermedijs: Sensuum autem isthæc impressio vel mutatio, aut eadem, aut diuersa est ab eo, quod in parte illa animæ principali imprimitur. Si eadem, cùm sensus ratione careant, & carebit ratione quod suscipit, qui enim aliter dici potest? si impressio hęc nihil aliud nunciat quàm quod per sensus haustum est: si autem aliud, tale nō erit quod imaginatione concipitur quale in re est, sed ab ipsa rei subiecta diuersum. Præterea sensus ea quæ illis extrinsecùs obijciuntur non comprehendunt (vt diximus) verùm suas ipsorum tantummodò affectiones: quo fiet vt phantasia à sensuum dependeat affectione, quæ differt à re extrinsecùs posita & sensili subiecta potestati. Quod si hæc affectio rei extrinsecùs positæ diuersa est, phantasia ipsa quidem erit, non ipsius subiectæ rei extrinsecùs, sed alterius, quod ab illa differat? quare si secūdùm eam, mens ipsa tulerit sententiā, perperam omnino, neq; secundùm rem subiectā, neq; ritè protulerit. Neq; illud etiam recipietur, vt anima per sensiles affectiones ea, quæ sunt extrinsecùs posita, concipiat: propterea quòd similes sint sensuum ipsæ affectiones, ijs quæ extra sunt posita, & ipsis subiecta sensibus. Vnde enim mens nouerit si similes sint affectiones passionésve sensuum, rebus sensilibus? cùm nec in res extrinsecùs positas inciderit, nisi fortè sensibus intermedijs, neq; sensus ipsi rerū earum naturā declarauerint, sed affectiones passionésve, quæ sunt ab ipsis inustæ sensibus. Ad hæc phantasia imaginatióve rei cuiuspiā, effectus est rei imaginatæ, imprimitur enim sensibus intermedijs: rei extrinsecùs positæ in animo phantasma & simulachrū, quare cùm se applicat mens ad quicquam concupiendum, tum effectū quendam & tanquàm imaginem rei extrinsecùs positæ, hoc est, ipsum spectrum, phātasma, simulachrū, imaginem, non ipsam in sese rem concipiet. Quod si quis dixerit ex affectibus

affectibus & discursu persuasam mentem, rebus extrinsecùs positis appellere, cum multæ quæ allatæ sunt superiùs difficultates, circumstabunt: vel enim eædem sunt res positæ extrinsecùs cum imaginibus earum quas concipimus animo, vel similes. Si eædem, quo pacto fieri poterit vt idem sit eiusdem rei & effectus, & causa? alterum enim ab altero diuersum, ostendimus enim rem extrinsecùs positam esse causam rei imaginatione conceptæ, si verò similes, certè quod simile est, ab eo est diuersum, cui est simile, hoc est, cum eo non idem, quare similia rerum quæ iacent extrinsecùs, non ipsæ res animo concipientur.

Sed quónam modo sciet mens ea esse similia? aut enim sine phantasia hoc arbitrabitur, sed hoc fieri nequaquam posse, ipse etiam censuit Aristoteles, docens necesse esse intelligentem phantasmata speculari, aut cum phantasia. Sed quî fieri poterit vt cognoscatur an sit similis rei, si res ipsa cognita non fuerit? In re autem cognoscenda vt perueniat phantasia, ad se ipsam cognoscendam, quónam modo perueniet? num si ita fiet, erit & phantasia simul & res phantasia ipsa cōprehensa? atq; idem erit à se ipso diuersum eiusdemq; rei erit & effectus & causa. Atqui si hæc omnia dentur excogitari posse, phantasiam eandem posse comprehendi, eandem susceptibilem esse rei decernendæ, & reliqua omnia gratis concedantur, quid amplius molientur? respondeant quæso num cuicunq; phantasiæ sunt assensuri? aliquam certè, si cuicunq; assentientur inuenient, qua decernetur omnes phantasias aut imaginationes esse fallaces, ita erat Xeniadis Corinthij imaginatio, atq; ita subuertetur ratio, & insolubile argumentum emerget. Si quibusdam dicerent assentiri oportere, quibusdā minimè: aut sine phantasia hoc dicerent quod erit absurdum, vti suprà ostensum, aut cū phantasia. Sed quomodo illā ipsam capient? quam videlicet sunt ad aliarū iudicium phātasiarum imaginationúmve capturi. Rursum enim alia ipsis phantasia opus erit, ad aliarum iudicium statuendū, & ad huius quoq; iudiciū alia indigebunt quo ad infinitū vsq; procurrat oratio. Cæterùm fuêre qui dicerent omnē phantasiam esse veram, vti Protagoras, fuêre qui omnē falsam, vti Xeniades, fuêre qui alias veras, alias falsas, vt Stoici, Academici, Peripatetici. Sed si omnes non rectè phantasiatos (quod cū præfatione venię sit dictū, & honos sit auribus eruditis) apertè monstraretur, dubio procul fieret veritatis iudicium nō debere in phantasiā referri. Sanè Protagoræ & Democritus & Platon obstitêre, & accuratiùs philosophi quoq; Sceptici contradixêre. Si enim omnis phantasia vera discursus ipse subuertetur fietq;, vt κατὰ περὶ τροπὴν quod Græci dicunt, reuoluatur conclusio, quod genus argumentandi antistrephonta nonnulli vocauêrunt. Si enim omnis phantasia vera est, & non omnem phantasiam esse veram, alicui phantasiæ cōstitutum fuerit, sic omnem phantasiam esse veram, falsum habebitur. Sed & pręter hāc conuersionem repulsionemq;, ex rebus quæ apparent, id cōuincetur, neq; enim mouemur æquè ad assentiendum huic conceptioni: dies est, cùm Solis radij aërem perlustrant, & huic nox est, eodē fulgore perstante: neq; huic Socrates Atheniensis in Lyceo disputat, Socrates diem obijt sumpta cicuta: sic & in consecutionibus apparebit, quas Græci Stoici συνημμένα, antiqui Latini connexa & coniuncta vocauêre, iuniores verò cōsequentias conditionales: si dies est, lux est, si ambulas moueris, vera esse hæc, quis dubitat? & has phantasiæ conceptiones damnari nequire, contra verò falsas, si dies est, tenebræ sunt, si ambulas non moueris. Multa prætereo quæ Sextus Empiricus in primo cōtra Logicos volumine, aduersus phātasias & copiosè & subtilissimè differit, nō modò euertere curas omnes nō esse veras, sed nec omnes quoq; falsas, ijsdem ferè argumentis: nam si omnes falsæ & nulla vera, verum erit nullam esse veram, & si verum est, nullam esse veram, aliquam esse veram planè conuincet.

Manifesta quoq; phantasiarum est ipsa distinctio: nam alijs ab assensu diuellimur, alijs impellimur ad assentiendum, ni hoc esset, neq; experientia, neq; inexperiētia, neq; ars vlla, neq; ignoratio rerum vlla videretur, verùm vt nec aliæ veræ, nec aliæ falsæ debeant iudicari, multa molitur, votum id Philosophorum magis esse, quàm veritatem arbitratus: nam si de captatrici phantasia verba fiant, quæ à re existēti quatenus existit depromitur, & tanquàm inuritur animæ, qualis vtiq; à re quæ non existat non posset excerpi, vti Stoici decernunt, contradicit Carneades, fieri posse ratus, vt à rebus quæ non existūt visa phantasiæ've depromantur, quales ab ijs quæ existunt, depromi solēt, nec secus ijs ac illis opere ipso assentiri à plerisq; consuêsse. Sic & in somnis qui sitiens bibit,

bibit, delectatur falsa imagine, & qui timet, vano metu clamat. Sic & in furore, aliud pro alio capitur. Nec secus falsę ac veræ imaginationi prętatur assensus, ab ijs qui mẽte sunt abalienata, quo pacto (vt est in fabulis) Hercules dũ fureret, phantasiæ qua cõcepit proprios filios non proprios esse, sed Euristhei, actionem illi opusq; coniunxit, eos videlicet interficiens, quos hostis scilicet filios falsò concepit: Arcus autem quo vsus est agnoscens, veram habuit phantasiam, atq; hanc veram ei quæ filiorũ erat falsę permiscuit. Si igitur sunt captatrices phantasiæ imaginationésve quatenus nos ad assensum opusque conducunt, quoniam & falsę etiam id efficiunt, non poterit eiusmodi promiscuæ & ambiguæ potestati, tutò iudicium tribui. Addiderim ego aduersus Stoicos Platonicis & Scepticis hac etiam in parte vt quandoq; soleo suppetias ferẽs, non solùm in ijs qui furore aguntur, sed in his qui sani sunt, fieri captatrices eiusmodi phantasias, non tãtùm extrinsecùs, sed intrinsecùs mutatis scilicet quatuor anni partibus: alia enim vere, alia autumno, alia hyeme, alia æstate sæpenumerò concipimus, quoniam mouentur humores, & temperamentum variè affectum varia præsentat phantasmata. Quis enim ambigat cùm trudit gemmas Zephyrus, cùm frondẽt syluæ, cùm formosissimus annus, hilariores & rerum delectabilium altrices exciri phantasias, magis quàm hyeme? æstate quoq; *cum læto turgent in palmite gemmæ*, alias oboriri & ab ijs diuersas quas impressit Boreas, *dum folijs decussit honorem*? eodem etiam in mense, vel vento, vel imbri, vel serenitate permutantur, permutato scilicet corporis habitu, statuq;, vel etiam commoto non in hominibus solùm, sed in brutis etiam animantibus, eoq; in ijs magis, quia eis ipsis imaginibus ratione qua carent, ipsę non obstent, vt temperamenti naturalem diuersitatem omittam:

Namq; vbi tempestas & cœli mobilis humor
Mutauêre vias.
Vertuntur species animorum & pectora motus,
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebant,
Concipiunt, hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes & ouantes gutture corui.

Pretereo cogitationes rerum & prętentarum in hominibus & futurarum: sileo crapulæ, inediæ, sobrietatis, ebrietatis, somni, vigilię, diuersarum regionum, motus, quietis, & aliarum rerum varias conditiones, quibus variæ concipiuntur imagines, variaq; phantasmata: demumq; supernarum mentium afflatus omitto, ex quib. & expressę, & fixæ, & certæ phantasiæ, quæ eiusdem hominis imaginationibus alijs quæ certæ aliàs habitæ sunt, aduersantur.

Redeo ad Academicos qui Stoicos philosophos, ex porticu ducunt in solem, capiuntq; oua duo omnino simillima, & alterum post alterum spectandum exhibent, inuicemq; permutant, vt enuncient Stoici tãdem sine errore si possunt, vtrum vnum sit, & solum ouum, quod sępiùs ostensum est, an aliud & aliud? eoq; rem euehunt, vt phãtasiam capiant à re non existenti, ac ab ea quæ & existit, & constat, subijciunt & illud si quicquam alicuius rei comprehensile esset, id maximè esset visus, videtur enim colores, magnitudines, figuras, motus, captare atq; comprehendere: At, inquiunt, non est ita. Mutantur enim homines in horas, actionibus, natura, ætatibus, circumstantijs, sanitate, ægritudine, somno, vigilia. Addo rei eiusdem phantasiam tàm sæpè variari vt eandem non esse dici nulla iniuria queat: siquidem aliena est frequenter ab ea imagine quæ antea animo capta est, euanida enim priore illa, eius loco alia sufficitur, non rei ipsi à qua deprompta est similis, vt similis erat prior imago, sed similis verius imaginis quàm rei, aut saltem non omnino dissimilis, quatenus ad illam ipsam imaginem rememorandam quoquomodo conducit, quare iudicatorium ritè non habebitur captatrix phantasia. Vti enim id quod aptatur & consonat obliquo, recti iudex esse non potest: ita nequit ipsa phantasia sine periculo iudicare, quæ & falsis, & incomprehensis tanquàm veris, & ritè conceptis quandoq; assentitur: peccant insuper Stoici, illud, quod alterum per alterum probant, in definienda enim captatrici phantasia rem existentem posuêre. At rem existentem cùm definiunt, adhibent captatricem phantasiã, quid enim est res existens, ipsi τὸ ὕπαρχον dicunt, interrogati, respondet id quod mouet phantasiam captatricem. Illud verò videntur hac in re peccare Academici, quod phãtasiam propterea iudicem constituunt non captatricem, sed quam πιθανὴν, hoc est,

persuasibilem dicunt, quia vel per eam vtilia degendæ vitæ decerpunt dogmata, vel quia in rebus veritatem, eius ope & vestigant, & decernunt. Aberrant primum quod nulla propria & sola vsui est ad actiones, & officia vitæ, sed vnaquæque vtilis, si obseruatio fuerit frequenter adhibita & secundùm quam alia quidem erit, ob hoc persuasibilis, alia ob aliud erit, vt ipsi dicũt διεξοδευομένη & ἀπερίσπαστος, hoc est, & obambulās, inconuulsilis. Deinde verò falluntur, quoniam persuasibilis phantasia sola erit iudex veri, opus enim vt hoc inueniatur multò anteà percurrisse, ne suspicione & coniectura loco certi iudicij freta mens, falsum pro vero dijudicet: vt autem ipsi damnabant Stoicos, quoniam confundi & misceri poterant in captatrici phantasia certa cum vanis, & cum firmis mutabilia, ita ipsi damnandi, qui nihil adhibent certi atque constantis in sua persuasibili, cui non queat etiam quicquam falsitatis ipso in discursu & tanquàm animi peregrinatione, in captãdis exemplis admisceri. Illud postremò repellunt cùm aiunt iudicatoriũ idcircò posse constitui, quoniã rectũ sui pariter & obliqui potest esse iudex, quod in regula, in statera, & cæteris visitur: puerile hoc dicunt esse Pyrrhonij, quoniam vnũquodq; similium instrumentorum supponitur iudicio sensus, mentisve, quibus illa ipsa iudicatoria constituuntur, atq; ita iudicatoriũ omne sustulerunt, vt in ambiguo relinquant, aduersari simul & ijs qui cõstituunt illud, & ijs qui sublatum volunt, vt assensum cohibere detur: quod certè nobis diuina, nõ humana authoritate nitentibus non persuadebunt, Gentibus persuadeant, si volunt, in caligine versantibus, nos lucem hausimus veritatem mentibus nostris diuinitùs infusam. Ipsam autem in veritatem humanitùs inuentam, vt eam videlicet infirment, quemadmodum eius iudicium infirmare moliti sunt, multa parauêre.

CAP. XXXV.

DE VERO QVOD SCEPTICI IN VNIVERSum disseruerint, vt illud redderent ambiguum.



Vòd & si concedatur, inquiunt, iudicatoriũ haberi, inutile tamen id esse perspicietur si veritas non extiterit, & inconstans verum esse mõstratum fuerit: veritatem autem à vero trifariam distinxisse Philosophos maximè Stoicos ostendimus, atq; aliter quàm nos cõsueuerimus, de vero autem agendum est, quod ipsi veluti dignitatem & enunciabile capiunt, omniũ verò enunciabilium scientiam esse veritatem putant. Verùm itaq; apud ipsos autores ita ambit veritatem, vt verorum collectio sit veritas, quæ planè tollitur ipso sublato. Cæterùm bifariam verum ipsum ambiguũ reddere conantur Sceptici. In communi primũ, qua de re in principio secundi voluminis non nihil egimus, hoc loco accuratiùs acturi, deinde & particulatim & exactè magis. Itaq; cũ de vero (inquit Sextus) sit controuersia etiam apud dogmaticos, quando alij quoddam verũ esse fateantur, alij nullum, dirimi certè ea nõ videtur posse: ijs enim qui affirmant, si sine demonstratione affirmant, fides non habebitur: tenui enim & sine viribus affirmationi, tenuis & infirma negatio debetur, quia iam controuersum est verũ, & varia sentẽtia distractũ. Si verò demõstrationem attulerint, eam si falsam fatebuntur, sibi ipsis ipsimet abrogabunt assensum. Si veram dixerint, in locum promiscuum incident, & demonstratione vera opus erit, atq; vt hæc vera probetur, alia itemq; alia, vt nullus tãdem terminus inueniatur. Infinita verò demonstrari non posse quis ambigat? Atqui subdit, ipsum quid, siue ens, maximè generale adeò, vt vasto ambitu claudat cætera, vel verum est, vel falsum, vel neque verum, neque falsum, vel & verum, & falsum. Si primum dederint, fatebuntur omnia vera. Si enim quod ambit omnia genera, verum est, facilè quę sub ipso clauduntur, vera esse conuincitur, & nihil falsum, quo conuincetur non esse verum: alterum enim altero dignoscitur. Si secundum cõcesserint, omnia erunt falsa eadem quam suprà attulimus ratione, ex quo deducunt nihil esse verum, ac per hoc nihil falsum cùm alterum & statuat, & tollat alterum. Falso autem non existente, neq; verum inuenietur (alterum enim alterius collatu cognoscitur) & prætereà si omnia sunt falsa, verum esse cõfiteri necesse est, cùm verũ sit, nihil esse verum: si tertium fassi fuerint, fateri etiam eos oportet particularia omnia quæ neq; vera, neq; falsa esse dicuntur, non fore vera, atq; obscurum erit & dubium nobis, an verum in rerum natura reperia-

reperiatur: quod si responderint ideò neque vera, neque falsa, quia bonum & malum in rebus, verum & falsum in intellectu consistant, quare opus esse compositione, & enunciatione: Audiant nunc de vnaquaq; re quod dicitur ipsa etiam de compositione dici, quando & extrema & eorum copula entis ambitum non effugit. Sed quod in enunciationibus etiam verum non inueniatur particularis disputatio non multò pòst suscipietur. Si autem quartum admiserint, vnumquoq; particulare & verum etiam erit & falsum, ex quo deducetur nihil esse verũ suapte natura, quod enim talem habet naturam vt verum sit, omnino falsum esse non potest, ipsa stante & permanente natura. Ad hæc vel sola quæ apparent videntúrve (vt inter initia huius secundi libri dicebatur) vel item sola quæ non videntur, vera sunt. Aut eorum quæ vera sunt, aliqua apparent videntúrve, aliqua non apparent. Si sola quæ videntur dederint, aut omnia daturi sunt aut aliqua: si omnia, subuertetur ratio; videtur enim aliquibus nihil est verum: & quæ per somnum & furorem videntur vera, non sunt. Si aliqua responderint, sine iudicatorio tamen id ipsum decerni nequiuerit, ipsum autem iudicatorium vel videbitur apparebítve, vel nõ videbitur, hoc nullo pacto dixerint, supponitur enim nunc sola esse vera quæ videntur: si apparebit, quoniam quæritur quæ'nam apparentia sint vera, quæ'nam falsa? inter apparentia verò iudicatoriũ cùm computatur, rursum alio indigebimus iudicatorio apparenti, & item alio vsq; ad infinitum, infinita verò quis dijudicet? Si vero sola non apparentia siue non manifesta vera susceperit, Dogmaticorum numero non computabitur; qui in huiusmodi rixantur non manifestis nec apparentibus, vt in principijs rerum naturalium, & quæ ex ijs conflantur, & coalescunt: & prætereà pugnantia vera simul esse fatebuntur, vti stellas pari numero in cœlo refulgere & impari quoq; numero. Si autem aliqua maluerint, quónam pacto illa, ita esse decernent, vt aliqua videlicet non apparẽtia vera sint, aliqua falsa, re enim apparenti nõ vtetur. Si verò non apparenti, quæremus quæ'nam sint illa non apparentium quæ vera sint, & quæ'nam falsa? indigebit enim hoc nõ apparens alio non apparẽti quo iudicetur, & illud alio, quo ad infinita excursatio proueniat. Relinquitur vt eorum quæ vera sint, alia dicant esse apparentia & manifesta, alia minimè, quod etiam refelletur, aut enim omnia apparentia, & non apparentia vera sunt, aut aliqua apparentia, aliqua non apparentia. Si omnia, rursum subuertetur oratio, atq; discursus, quoniam verum erit, & nihil erit verum? dicetur enim verũ esse, pares esse stellas, & impares. Si verò aliqua eorum quæ apparent, aliqua eorum quæ non apparent vera censebuntur esse, quomodo iudicabimus quod eorum quæ apparent vera sint, alia falsa? Si enim vtimur re apparenti ad infinitum procurret oratio: Si re non apparenti, quoniam quæ non apparẽt, alio indigent iudicio, rursum hoc non apparens alio iudicabitur, quod si apparens fuerit, promiscuus & qui inuicem viciosè procumbit probationis modus inuehetur. Si verò non apparebit, ad infinitum probatio relegabitur.

Prætereà, inquiunt, verum ipsum de quo fit quæstio, aut eorum est quæ suapte cõstant natura, suáq; differentia constituuntur, aut eorum quæ sunt ad alterum: si primum detur, illud sequetur absurdum, quòd quæ sua natura consistunt, similiter sui speciem exhibent, non differenter & varié. Quod enim verbi causa calet, omnes qui caloris susceptibiles sunt, pariter calefacit, non hunc quidem excalfacit, alium frigore afficit: Verum autem non ita, sed vnum & idem huic apparet verum, illi falsum. Si autem secundum dare maluerint, quoniam quæ talia sunt intellectu, & cogitatione constituuntur, & nulla rei facta mutatione, diuersas accipiunt conditiones etiam aduersas inter se atq; pugnantes, fiet vti verum non existat per sese, sed quomodo concipitur, eo modo existat, cogitatione solùm nixus nõ rei substantia. Illudq; item eueniet vt idem sit verũ simul & falsum, vt enim eadem columna dextra est atq; sinistra: Ad hunc quidem si referatur dextra, sinistra si collata fuerit alteri, & quemadmodũ idem & subtus est & suprà: supra quidẽ si comparetur & cõferatur ei quod subiectũ est: subtus verò collatu superioris, sic idem verum diuersis relatum conceptionibus, & verum inuenietur & falsum. Addit ex Aenesidemo plæraq; Sextus, in secundo cõtra logicos volumine, quorum illa videntur præcipua, aut verum sensile est, aut intellectile, aut vtrunq;: primum nequaquam, visile enim visione suscipitur, audibile auditu, odorabile odoratu. Sic & verum sensu sentietur quod est absurdum cùm sensus

ratione careat, qua verum capi dicitur. Secundum neutiquã aut enim omnibus cõmuniter intellectile est, aut quibusdam priuatim: id nullo modo, quia omnis quęstio tolleretur, hoc & minimè credibile, & prætereà pugnax ac cõtrouersum. Tertiũ quoque minimè suscipietur: nam vel omne sensibile omneq; intelligibile verum est, vel quoddam sensile, quoddam intellectile: primum si dederint, nulla id ratione dederint, fieri enim minimè potest, & pugnant prætereà sensilia sensilibus, intellectilia intellectilibus, rursumq; intellectilibus sensilia, & sensilibus intellectilia: & si omnia eiusmodi essent vera, idem esset & nõ esset, verumq; & falsum comprobaretur: aliud autem si responderint, controuersum fuerit, de illo enim quódnam sit, & quale quæretur, & disputabitur. Ad hæc de causa veritatis vt eam sublatam iri mõstret, nonnulla subiecit, quo pacto, inquit, hanc capiunt causam vt apparẽtem ipsis? an vt minimè visam & manifestam? si vti apparentem dixerint, mentientur docentes veritatem non subsistere secundùm id quod apparet atq; videtur. Si verò non vti apparentem & visam, quæram quomodo illis innotuit? ex ipso, an ex alio? ex ipso quidem impossibile est, quod enim non videtur, ex ipso non est comprehensile, ex alio si dixerit, de illo iterum quæram apparens fuerit an non apparens? & sic ad infinitum cedente disquisitione, verum nunquam inuenietur, quid igitur est quod nobis persuadet an verũ est? Sed qualémnam habet essentiam, sensilem? an intellectilem? an vtrunq;? At hæc iam inter dubia, & ambigua, & controuersa reliquimus. Si enim verum persuadet, quoniam tamen omnibus non persuadet. Ideò omnes non dabimus (inquiunt) ipsum esse, sed & esse, & non esse, & simul esse verum, & falsum, quatenus enim persuadet aliquibus, verum erit & existet, quatenus verò alijs non persuadet, falsum erit. Fieri autem nequit vt idem simul sit, & non sit, & verum simul, & falsum iudicetur: igitur verũ non persuadebit: Nisi fortè dixerint quod pluribus persuadet hominibus, id verũ esset. Mel igitur quoniam pluribus persuadet sanis se dulce esse, & vni non persuadet icterico & febrienti, verè dulce pronunciabimus? quod quidem nugis anilibus simile, cùm enim de veritate disquirimus, non ad multitudinis consensionem respicere oportet, sed ad ipsas dispositiones: vna enim dispositione vtitur æger, & vna omnes sani, non tamen huic magis, quàm illi accedendum, quoniam si conuersim procedamus, mel non esse dulce, vt dicamus cõuincemur, habitu respectu ad multitudinem: statuamus enim plures febre correptos & morbo icterico, vnum, tantummodò sanitate perfungi, omnibus autem ijs mel propinetur, certum est si multitudinis consensum sequamur, mel amarum esse nos pronunciaturos, quoniam febrientibus & ictericis, ita sit ex gustu persuasum: vt mittam quod quemadmodum suprà narratum, inter sanos multa fuit de melle discordia.

CAP. XXXVI.

DE VERO QVID IN PARTICVLARI DISPVTAuerint Sceptici vt reliquarum sectarum philosophis contradicerent, idq; diuersè, prout diuersè verum definiebant.


Æterùm ad particularia magis deuenerunt argumẽta Sceptici, vt diuersis Philosophorum sectis aduersarentur, & pręcipuè Democritiæ, Platonicæ, Stoicæ, & quæ ab ijs non longè dissentirent. Democritus autẽ & Plato quanquã sola intellectilia vera esse dixerunt, diuersis tamẽ de causis id arbitrati sunt. Democritus enim quoniã nihil sensile natura subijci voluit atomis, omni sensili qualitate destitutã habentibus naturã: Plato verò propterea quod semper fierẽt sensilia, nunquàm essent, existerent nunquã, instar rapidi torrentis, vti nec per duas minimas tẽporis particulas permanere, neq; suscipi quirent, sed nec ostẽdi propter fluxus velocitatẽ, vt dicebat Asclepiades. At enim Aenesidemus inter sensilia & apparẽtia quandam excogitauit differentiã, vt essent quæ cõmuniter omnibus apparerẽt, & quę particulatim alicui, illa vera esse, hęc minimè. Epicurus autẽ omnia sensilia indiscriminatim vera dicebat & existentia, verũ ita describẽs: verũ est quod sic se habet vt dicitur habere, & falsũ est quod nõ sic se habet vt dicitur habere, sensum autem susceptorum dicebat eorum quæ inciderent in eum, neque addere

addere quicquam, nec minuere, nec transmutare, omnino eum esse veracem volebat, atq; ita rem capere, vt res erat suapte natura, nec falli, cùm eum excirent rerum simulachra. Ab omnibus tamẽ sensilibus quanquam veris differre opinabilia voluit, quorum alia vera, alia falsa, & essent & haberentur. Stoici verò voluerunt aliqua sensibilium, & aliqua intellectilium vera esse, non autem ex se statimque, sensilia vera pronunciabunt, sed secundùm relationem ad ea quæ ipsis componerentur & adiacerent intellectilia. Verum autem definiebant, quod existeret, & opponeretur alicui, falsum quod non existeret, & non opponeretur alicui, & hæc quidem inter has Philosophorum sectas de vero & falso differentia. Erat & illa dissensio: nam alij circa significata verum & falsum constituebant vt Stoici, volentes tria hæc inuicem coniungi, quod significat, quod significatur, quod occurrit. Primum esse vocem dicebant, secundum res ipsa per vocem declarata, tertium res extrinsecùs posita in sese suaque natura constituta, quorum trium duo esse corpora decernebant, primum & tertium, medium autem incorporeum, id est, res significata & enunciata, quæ & vera esset, & falsa: & hoc non communiter omnino, sed alia quidem deficiẽs, alia perfecta, quæ & vocaretur pronunciatum siue dignitas, cuius hæc erat descriptio: dignitas est (illi autem ἀξίωμα dicebant) quæ vera est, vel falsa. Alij verò vt Epicurus & Straton Physicus in voce solùm, alijs duobus abiectis, verum & falsum collocabant, alij in mentis cogitationisq; motu. Inter hos collocari potest Aristoteles qui sanxit verũ & falsum esse in intellectu, cuius ita sint signa verba, sicuti signa sunt verborum, notæ extrinsecùs positæ atq; characteres. Sed qui ijs contradicunt Pyrrhonij, Aristoteli etiam contradicere facilè conspicientur, quanquàm aduersus Aristotelẽ disputandi tribus huius operis postremis libris paratus est mihi locus, non ex Pyrrhonijs, sed ex ipso Lyceo desumptus. Itaq; Sceptici damnant in primis Democritum atq; Platonem, qui spernant sensus, & tollant sensilia solis intellectilibus hęrentes, confundunt, inquiunt, res & non solùm rerum veritatem, sed ipsarum notionem expellunt: omnis enim notio à sensu fit, vel non sine sensu, & vel ab incidente, vel non sine incidẽte videlicet & occursante rei extrinsecùs positę simulachro. Vnde non inueniemus phantasias quæ secũdùm somnum & furorẽ dicuntur falsæ, alienas prorsus ab ijs quæ nobis nota sunt per sensum secundùm occursationem nobis factam à simulachro: qui enim sibi fingit erinnyas sanguineas quasdam & draconibus impexas puellas, ex ijs quæ sibi nota sunt earum formam componit & affingit: & qui volantem in somnis hominem conspicit, non sine viso homine, nec sine quodam volatili conspecto, id animo obrepit per quietem: atq; vt in summa dicatur, nihil est inuenire secundùm notionem cogitationemve, quod non habeat aliquod iam notum, eo ipso de quo diximus imaginis occursu, quod quidem capitur vel secundùm similitudinem eorum quæ ipso occursu apparuerunt, vel secundùm additionem, vel secundùm minutionem & decremẽtum, vel secundùm compositionem. Secundùm multitudinẽ quidem, vti (verbi causa) ex visa iam Socratis imagine, ipsum nõ visum animo concipimus: Secundùm augmentum verò cum ex communi hominis notione atq; conceptu, commoti & exciti imaginamur non hominem iam, sed augustiori statura, quali fuère gigantes, qualiq; fingitur Polyphemus, qui sit ingens arduus altaq; pulset sydera: Secundùm minutionem & decrementum, veluti cùm ex communi hominum habitu pygmæum animo voluimus: Secundùm compositionem verò, sicuti cùm ex viso homine & equo, centaurum animo fabricamus, cùm tamen is nunquam inciderit nobis, nunquam oculis obuersatus fuerit: quamcunque igitur notionem præcedere oportet, incidentem quendam per sensus imaginem, quò fit vt sublata re sensili, omnis pariter notio sublata iure existimetur.

Ad hæc qui dicunt, omnia quæ apparet falsa esse, & sola intellectilia existere secũdùm veritatem, vel sola assertione contenti id dicunt, vel etiam demonstrationẽ addiscunt. Si sola assertione id contendunt, sola etiam negatione repellentur: Si demõstrationem parant, eam illis subuertemus subruemúsve: aut enim quodã vtuntur apparenti, & sensibus agnito, vel minimè viso & ignoto, primum neutiquã dicent, quoniam omne tale sublatum volunt, secundùm verò si dixerint illud sequetur absurdi, quod manifesto & noto indicari & cognosci ignotũ conuenit, quare Platonis & Democriti sententia nequaquã (vti volunt) admittenda est: excipit Epicurus, quem nec

admittendum rentur, quoniam falsum sit, non decipi sensus, cùm eum eliciunt simulachra, quando Orestes furias se videre existimabat, & Erinnyes implexas serpẽtibus atris, eius sensus moti & exciti simulachris, veri erant, suberant enim ipsa simulachra, sed intellectus existimans solida ipsa esse simulachra, & veras furias, fallebatur. Ac præterea cùm aliquas dicit veras phantasias, aliquas falsas & opinabilia distinguit à veris sensilibus, quo pacto id parat? neq; enim re apparenti & visa, talia enim quęruntur, neq; etiam ignota & minimè apparenti & visa, talia enim quæruntur, neq; etiam ignota & minimè apparenti; per id enim quod clarum est & notum, res obscuræ & ignotæ manifestantur. Sed enim inuitus Epicurus in similem dubitationem cecidit: si enim confitetur aliquas depromi phantasias à solidis corporibus, aliquas à simulachris nudis & euanidis, & ita secernit à claritate, & veritate opinionem: quæro, inquit Sextus, quomodo inter illas dijudicat, neq; enim claritate, quæritur enim, neq; opinione, quæ per claritatem fit credibilis: absurdum enim ex ijs quæ magis dubia sunt, quæ minus ambiguitatis habent, comprobari. Minus quoque Stoicis præstatur assensus, quoniam afferre nequeunt: quæ'nam sint captatrices comprehensatricésve, & à rebus subiectis, extractæ phantasiæ, & quæ à rebus ipsis non quatenus tales sunt, sed quatenus videntur: quam statuunt differentiam inter veras & falsas, siue sensiles sint, res siue intellectiles: fatentur enim prodire aliquas à rebus subiectis, non tamen secundùm ipsas res subiectas, quales quę inciderunt & Herculi furenti, ex filijs enim depromptæ, sed non quatenus eius ipsius erant filij, sed quatenus videbantur Eurysthei, alioqui eos non interfecisset: discerniculum igitur afferre nequeunt cùm rectè, cùm perperam comprehenduntur phantasiæ.

Cæterùm si fiat transitus ad ipsam veritatem, enunciabilíne in propositione, an in voce, an in mente consistat? pugna quoq; & controuersia multiplex inuenietur: namque λεκτὸν, quod illi vocant, nos dictum seu mauis enunciatum dicere possumus, decernunt esse quod existit secundùm rationalem phantasiam constitutum, rationalis autem (vti volunt) phantasia est secundùm quam, quod phantasia conceptum est, ratione constituitur. Plures autem enunciati species afferuntur, deficiens, perfectum, atq; huius multæ differentiæ, imperans, negans, interrogans, optans, comparans, & horum quædã vocant ἀξιώματα. Cicero diceret pronunciata, omne (inquit) in prima Tusculana pronunciatum, sic enim mihi in pręsentia occurrit vt appellarem axioma, vtar pòst alio si inuenero melius, id ergo est pronunciatum, quod est verum aut falsum: hæc ille. Alij dignitatem nuncupant, sed ita Stoici volunt, vt sit id axioma vel verum, vel falsum. Hoc igitur enunciatum quod incorporeũ vocant Stoici, & à voce significante esse distinctum volunt: quo pacto, inquiunt Sceptici, constituemus? vel ex sese, hoc dicent existere Stoici, atq; ita illud sua authoritate constituent, vel eius substantiam sunt aliqua demonstratione confirmaturi. Si primũ, tunc & licebit Sceptici contrariam suamet authoritate proferre sententiam: neq; enim illis, inquiunt, magis quàm nobis debetur fides, si sola authoritas ducatur in iudicium: si verò ad tribunal se demonstrationis cõferent, peior quædã illis acciderit dubitatio. Si enim demonstratio est oratio, & oratio ex enunciatis constituatur, fiet vt enunciatis aliquod esse enunciatum concludant, qui enim vnum non concesserit enunciatum, non erit vllo pacto enunciata plura concessurus, eis autem qui in demonstrationem sunt enunciata quæsituri, si suopte nutu ea esse decreuerint, alius suopte re nutu esse inficiabitur. Si verò id per demonstrationem probare tentauerint, in infinitum abibit oratio. Demonstratio siquidem expetetur, eorum quæ in secunda demonstratione comprehẽsa sunt enunciatorum, & tertiam afferentes eorum quæ in tertia sunt conclusa, quarta desiderabitur, atq; ita nullus finis inuenietur. Illud quoq; in Stoicis inaniter dictum Sceptici causantur, quod perfectum enunciatũ cõpositione consistit nominis & verbi, nullum autem quod compositum & sit, & diuisile, incorporeum esse contendunt, & hac etiam de causa nomen sicuti & enunciationem incorporeum esse non admittunt, quod videlicet componatur ex syllabis. Sed neq; subsistere per sese vllum enunciatũ dicunt, cùm pars parti in enũciando succedat, & antequàm allata sit posterior, prior elabatur: simili ferè vtuntur ratione qui solent de verbis consecrandæ hostiæ in quarto in sententias Theologicas commentario recentiores disputare Theologi, ipsi tamen argumenta opposita verè dissoluunt, veris imbuti diuinis mysterijs, quæ

Gentes

Gentes ignorârunt. Ad quorum dissidia narranda vt refellantur redeundum est.

Reprehendunt prætereà Stoici philosophi Sceptici quod ignotum, per ignotius, vel æquè saltem ignotũ, explicare satagãt: interrogati enim quid sit quod subsistit, id, inquiunt, quo captatrix phãtasia mouetur, ita de hac eadẽ phantasia si percũctemur, ad id quod subsistit reuertentur, responsuri captatricem phantasiam esse, quæ ab eo quod existit proficiscitur, quatenus existit, atq; in promiscuũ & alternè sese indicantẽ & declarantẽ incidunt locũ. At enim ipsum enunciatũ, siue simplex est quod partiuntur per determinatũ, cui ostẽsionis signũ vt hic, ille, iste, cõnectitur, & per indeterminatum, cui signũ singulare nõ adijcitur, sed cõmune & indefinitũ, vt quidã, aliquis, & eiusmodi, & per mediũ cui neutrũ additur illorũ, verbi causa homo sedens, Socrates disputat, siue nõ simplex est, sed compositũ, qđ vel συνημμένον, hoc est, cõiunctum, vel συμπεπλεγμένον, hoc est, complicatũ, vel διεζευγμένον, hoc est, disiugatum siue disiunctũ vocant. Primũ nota, si, vel, si quidẽ constare dicunt Stoici, vt si dies est, lux est. Neoterici dialectici, nostra lingua condictionalẽ vocant consecutionẽ, complicatum illud nota, & conficitur: nostri copulatiuum dicerẽt enunciatũ: disiunctum verò particula vel, siue, aut, conflatur disiunctiuum nostri dicerent, quibus in omnibus & ipsi habẽt antecedens enunciatũ, cui nomen faciunt ἡγούμενον & πρῶτον, hoc est, præcedens & primum, habent & consequens ab eis vocatũ λῆγον & δεύτερον, hoc est, desinens & secundum, habent & illationem, ἐπιφοράν, appellãt: hoc itaq; enunciatum siue simplex, siue compositum, calumniantur multipliciter: demonstratiuum ita liceat dicere vllũ simplex non posse verificari contendentes, cùm sub ostensione non cadant quæ ostendere moliuntur. Sed particulæ solum aliquæ iure & merito totius enunciati veritatem & prædicationem minimè suscipiant, quod si in demonstratiuo id nequeat verè fieri, multò minus in duobus reliquis quæ sint lõgè magis ab ostensione remota. Sed præcipuè dissensiones adducũt Dialecticorum magni nominis Philonis & Diodori super compositis: nam ille trifariam voluit * synemmeni nõ verum esse, hoc est, cùm à vero incipit, in verum desinens, cùm item à falso desinens in falsum, & cùm à falso orsum, desinit in verum. At vno modo falsum cùm orditur à vero, & finit in falsum, cui Diodorus cõtradicit ferè in omnibus, qua de re in quarto Logicarum institutionum latè ipse disserui, alij etiam duos alios * synemmeni modos adducũt, de quibus verba fient libro sequẽti, dum ea quæ in Logicos attulêre Sceptici referentur: vt igitur inquiunt, discamus in quónam enunciato veritas collocata sit? de sanitate & veritate enunciati, prius constare oportuerit, quo pacto verò constiterit, durante lite? aut enim omnibus assentiemur? aut quibusdã enunciatis tanquã veris, & ipsius veri indicibus signis atq; iudicibus? omnibus vt assentiamur fieri nõ potest, pugnantibus enim assentiremur, quæ enim pugnant ęquè persuadere nequeunt. Si quibusdam vel hoc nostra sponte facturi sumus, & sine indicio, vel cum ratione, monstrante nobis orationis sanitatẽ: Si primum cur magis huic quàm illi sumus assensuri? Si secundũ aut quęstionẽ concludet & terminabit oratio, aut minimè: Si hoc ipsum fiet, sine fide fuerit & vana: Si illud, certè id erit propterea quod ea quę sumpta sunt, conclusio cõsequetur, quo fiet vt per illationem & alicuius consecutionem id ipsum enunciatum comprobetur. At consecutio probanda iterum fuerit, de cuius veritate in enunciato cõiuncto quærebatur. Itaq; erit tale hoc quale id quod incidit in promiscuum locũ, cùm alterum solet per alterum comprobari. Si enim ex consecutione probandũ est coniunctum, quoniam hoc in negocio orationem quandam percurrere oportet atq; orationem hanc, vt sanitate fungatur haberiq; vera debent, consecutionem habere paratam & confirmatam oportet, per quam quod est verum iudicetur, tum in ambiguo res tota relinquitur. Non secus ambigunt de copulato in quo vt verum sit, vera esse omnia volunt, falsum verò quod ex omnibus confletur falsis: quod verò ex falsis verisque componitur, non magis verum quàm falsum, & si quidem illis liceat pro arbitrio & voluntate statuere, & ipsis de rebus præcipere: concedatur vt complicatum illud copulatumq; quod vnum habeat falsum, id falsum esse pronuncietur: liceat autem & alijs opponere & dicere quod ex pluribus veris & vno falso coagmentetur, verum esse. Si autem rerum naturæ adhærendum putant, quod ex vtroq; cõponitur non magis hoc, quàm illud pronunciabunt: sicuti quod ex albo nigroq; cõmixtum est, nõ magis album quàm nigrum asseuerabimus. Respondebũt Stoici similitu-

** id est, cõnexum vel coniunctum*

** cõnexi vel coniuncti*

dinem minimè viribus fulciri. Si quidem vestimentum maiori ex parte integrum, aliqua tamen & minima quidem ex parte laceratum atq; corrosum: Non à maiori parte, sed à minori sumere denominationem debet & diffractum atq; diruptum censeri.

Contrà stant Pyrrhonij, concedentes communi quidem hominum cœtui vitæq; communi, licere nominibus vti non exactè, & minimè proprijs locutionibus, sed nō philosopho, quoniam ad ipsam rerum naturam exactè non respicit vulgus, sed ad opinionem. Sic enim fodere puteum dicit, & texere vestem, & ædem ædificare, nō tamen proprié. Si enim est puteus, non fodietur, sed iam defossus est, & si vestis est, non texetur, sed iam contexta fuerit. At enim nostri Dialectici nō naturam ipsam rei, sed illationem spectari oportere decernerent, atq; ita in consecutione ipsa vel probari veritatem vel falsitatem reprobari: neq; enim in eiusmodi coniunctis, aut quod antecedit, aut quod sequitur, sed quod connectitur considerari: sed quid aut nostri, aut ego hac in re dicerem, non est locus referendi, quoniam inter Stoicos & Scepticos res agitur, vt in significatu enunciati, aut probetur esse veritas, aut improbetur. Vrgēt prætereà Epicureos & Stratonem Sceptici, quoniam in voce veritatem esse decreuerunt, aut enim inquiunt in expressa voce, aut in suppressa est veritas (neq; enim aliter videtur cogitari posse) sed nec in hac, nec illa, igitur falsò decreuêre: posterius assumptum quantum ad inferiorem partem ita probant, quæ expressa est, non subsistit, ergo in ea subsistere non potest verum: quantum ad secundam sic argumentantur, in voce suppressa verum non est: quia ipsa nondum est, igitur nulla in voce verum collocabitur. Amplius, inquiunt, si in voce est veritas, aut in minima est, aut in longa atq; producta: non in minima, quia impartilis est, verum autem non impartile, neq; in lōga atq; deducta, quoniam non subsistit, cùm enim eius prima profertur pars, secūda nondum est; cùm secunda profertur, prior elapsa est. Ad hæc si in voce est veritas, vel in voce significante, vel in ea quæ minimè significat, non in hac, fieri enim quî potest, vt hac in voce blitiri vel schindapsus, quæ rem nullam significant, veritas aut falsitas vlla inueniatur? Si in priore dixerint esse verum, illum excepturi sunt ictum, quod nulla vox quatenus vox, penes omnes significat idem. quoniam oportet omnes qui vocem auribus excipiunt, siue Græci, siue Latini, siue ex extrema barbarie, si ita esset, percipere ipsius etiam significatum. Prætereà vocum aliæ sunt simplices, aliæ compositæ, neq; enim data est alia diuisio, simplices vt Socrates, compositæ, vt Socrates ambulat, vel in his igitur, vel in illis erit veritas, at in neutra reperitur, igitur in nulla: non in simplici quidem apud plurimos philosophorum, quibus in enunciato verum solet reponi, quod omne compositum ex vocibus est, neq; item in composita, quoniam nullam subsistere posse compositam vocem, suprà iam est ostensum, cùm enim primam pronunciamus, secundam nondum promimus, quam cùm proferimus, prima abijt in tenues auras euanida. Cæterùm neq; in notione & conceptu mētis existere veritatem hinc contendūt Pyrrhonij, aduersus plerosq; Philosophorum. Si ita esset aiunt, nihil eorum quæ sunt extra verum meritò haberetur, quod absurdū putant: conceptus enim mentis in nobis est, non extra nos, in quibus solis reponunt veritatem. Rursum aiunt, nullum esset commune omnibus verū, quoniam proprius est vnicuiq; suus mentis conceptus, in quo verum sibi sedem constituit. Si verò nullum esse commune verum concedatur, sequetur omnia esse obscura, nihilq; omnino manifestum & clarum, quæ enim huic esset veritas: id est, quæ mentis conceptio vera alteri non esset, & contrà, quæ alteri non huic. Si vero communis daretur conceptio, vt quæ huic conciperetur, in omnibus esset, aut omnia vera essent, aut omnia falsa, quod suprà satis est improbatum. Defuit illis quod commota à recentioribus Philosophis & Theologis prælia nesciuerunt, de propositione per se nota deq; ipsa notitia & euidentia, quam etiam partitus est Alliacensis: nam non secus de illis ipsis vt ambigua redderent, disputassent. His itaq; hunc ferè in modum, & de veritatis iudicio, & de ipsa veritate inter sese Gentium philosophi decertārunt, vt nihil tandem veri concorditer, pacatè, sineque lite decreuerint.

CAP.

CAP. XXXVII.

VERITATEM EX SACRIS HABERI LITERIS; eamq; inde capiendam vbi multa de veritate & perfectione Christianæ disciplinæ, & obiter contra obstinatos Hebræos nonnulla.



Ine lite autem sacræ vtriusq; diuini Testamenti literæ, ex quibus nostrã, id est, Christianã disciplinam petimus, vbi sine dissensione veritas, sine vago & anxio discursu & vnius Dei cognitio, & plurium abdicatæ superstitiones deorum, & vana pugnantiaq; quibus ad felicitatem existimabant Philosophi iter patere, dogmata refutata. Nã de ipso Deo quòd sit vnus, quòd omnes dij Gentium dæmonia, quòd sanctis moribus & præceptorum diuinorum obseruatione itur ad Deum, in quo est vera felicitas, Moses diuinitùs doctus iam multis antea seculis aperuerat, in quibus non solùm celebrati vlli erant Gentium authores in Græcia maximè, sed ne ipsę quidẽ literę vigebant; quas in eam ipsam alij ex Phœnicia, alij ex Aegypto maluerunt importatas, sed ex Hebręis verius in illam migrauêre, cuius rei cùm alij, tùm Nazianzenus Gregorius in primo contra Iulianum Imperatorem libro fecit mentionem. Aperuerat certè Moyses & signis atq; prodigijs, non vanis philosophorum syllogismis comprobauerat, quando percussa est multipliciter Aegyptus virgæ portentu, quando eadem virga rubrum mare diuisum est, quando eiusdem percussu virgæ aqua de petra manauit, quãdo peracta sunt alia complura miracula, vt non humanæ caliginis, sed diuinæ lucis euidentissima signa hominibus, & ad benè viuendum, & ad optimè sperandum præberentur. Huius doctrinam celebratissimi Gentium philosophi Pythagoras, Democritus, Plato secuti, magisquàm consecuti, vel errore multitudinis ducti, vel Areopagi & Cicutæ metu persuasi & posthabuerunt, & suis fabulis miscuerunt. Ipse idem Moyses duro Hebræorum & obstinato populo consulens, eidemque rudi & in erroribus maximè pertinaci verba faciens, Prophetam alium diuinitùs mittendum insinuauit, cuius dicto si audirent, benè illis esset atq; beatè, si obaudirent diuina eos vindicta maneret. Hunc Hebræis promissum Iesum Christum fuisse, sanguis martyrum planè testatus est, ratio comprobauit, euenta monstrârunt, populi atque nationes assensæ sunt, miracula confirmauerunt, & innumerabilis malorum dæmonum turba confessa est: Ipsaq; demùm Iudæa aspis modo aures non obturauerit, & voluerit à Mosaicis & Propheticis non discedere monumentis, non audire nõ potest, qua quidem de re plurimi scripsêre, sed inter alios Eusebius Cæsariensis Episcopus libros egregios, quibus titulum fecit, de Demonstratione Euangelica, neq; enim contentus libris nõ quatuordecim qui à Trapezuntio translati sunt manci (vt diximus) & diminuti, nec ea fortè de causa quod autumârit ante Niceni decreta concilij illud opus elaboratũ: nam quæ prætermisit, quę posthabuit, quę conniuentibus oculis transilijt, multa non ad illa decreta, sed ad philosophorum magis dogmata, ad historias rerum, locorum, temporum, pertinent, sed eò fortè quod vel illi labor obfuit, vel diminutum, & lacerum habuit exemplar, non, inquam, quatuordecim illis, in quibus si tertia non dimidia inest Eusebij doctrinę pars, sed quindecim integris & absolutis, Gentes, ipsarummet gentium clarissimis testibus ad Euangelium legendum pręparauisse, dum monstrasset earum superstitionem à prauis dæmonibus effluxisse, earum doctrinam inconstantem atq; pugnacem ipsorummet testimonijs: & Mosi legem in Deum esse referendam, eamq; Gentium ipsarum testimonio & esse, & haberi debere præcellentissimam. Iudæis etiam, ex Iudæis literis monstrare procurauit, Christum Deum & hominem sibi tot seculis anteà promissum sub Pontio Pilato crucifixum fuisse, & in cœlum ascendisse à quo terra illa promissionis cœlestis nõ terrestris Hierosolymæ esset expectanda. Illud ipsum opus cùm plura secula delituisset, sic vt putaretur amissum, opera & diligentia Bernhardi Micheloctij Florentini sacerdotis ex Asia superioribus annis in Italiam, tanquàm ex Arabia Phœnicem aduectum vidimus, eiusque mihi copia facta est, quod nisi primo in libro capite diminutum inuenissem, & in decimo semilacerum, ex Græco in Latinum vertere tentassem, vt Iudæi aliquando possent faci-

sent faciliùs obstinationi remittere nuncium, & aliquando cognoscere quod nihil aliud sit nouum Testamentum, quàm veteris declaratio atq; perfectio.

In ijs itaq; diuinarum literarum testamentis, quærenda est veritas, quæsitu, dubio procul, facilis, fide nanq; tenenda proponitur, quàm plurimæ rationes, quanq; innumera confirmauêre miracula. Nō huic addiscendæ tempus expetitur humanæ cognitioni perficiendæ à Philosophis destinatum, auditu res agitur, *fides enim ex auditu:* Si assentimur, magnum iam fructum sumus consecuti. Non sublimitas ingenij necessaria est, nullum temperamētum corporeum, nullus sexus excluditur, & anus decrepita & puer, eius rei tàm capaces, quàm est satis ad felicitatem, nulla necessitas impedit rei familiaris, nulla occupatio in obeundis actuosæ vitæ muneribus quemquā repellit, omnibus in promptu est, sine precio & mercede, paucisq; verbis acquiritur, ác demùm nulla vanitas admiscetur: nulla opinionum de veritate Mosaicę literę ambiguitas, nulla pugna, nulla in historia contradictio. Nulla prorsus de rei gestæ veritate dissensio, cuius dissensionis plena est omnis Gentium historia: quot enim quæso apud rerum gestarum scriptores habentur loci, qui dum à quibusdam probantur, non improbētur à multis? de antiquioribus actis adeò notum, vti Diodorus libros suos quibus de tēporibus heroicis disserit, fabulosos nūcupauerit, in Herodoto quis veriorē non optat rerum gestarum seriem? Ac Græca quidem historia controuersis narrationibus planè referta, nec in Latina concors omnino sententia. In Cæsaris commentarijs sinceriorem omnino veriorémque narrationem desiderauit Asinius. Liuius & si multa prodit insignia sæpenumerò tamen multiplicis famæ meminit, vt scriptorum varietatem indicaret, quę nec abfuit ab ijs qui eodem scribebant tempore eiusdemque principis acta historicis monumentis commendabant, quod est clarissimum videre in Herodiano, in Capitolino, in Lampridio, & alijs qui easdem res gestas ad posteritatis memoriam literis tradidêre. Nec hos tantummodò & alios plærosq; secundæ notæ scriptores, aut varietatis, aut falsitatis nomine suspectos habuerim, sed primores illos & antesignanos: prodit enim Flauius Vopiscus neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: nec deesse in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Trogus, in quo & Tacitus, manifestis testibus conuincerentur: Mitto historias quæ fabulis affines haberi queunt apud Græcos, vti de morte Aesculapij, qua de re poëtarum enarratores Sceptici vexāt, dum in Grammaticos inuehuntur: sed in Romanis & expositissimis, & vulgò etiam receptis, quid afferemus? an de Romæ conditore si percunctetur quispiam non illi statim respondeatur, Romulum vrbis parentem conditorem constitutoremq; fuisse, ex vulgata illa & omnium in ore versata sententia, Romam à Romulo nominatam, vt huic historiæ tàm publico consensu firmatæ, refragari audeat nemo, qua tamē in re tot ambigua, tot infirma, tot controuersa, inueniuntur, quàm vlla in alia Gentium historia. À Græcis multis Latini multi dissentiunt, e variant inter se Græci, nec inter sese Latini omnes conueniunt. Alij ab Aeneæ socijs, à Romulo etiam Aeneæ filio: alij ab Aenea quodam fundatam, & à Roma Iliensi muliere denominatam volunt: alij à Romulo Circes & Vlyssis filio, & vrbem, & vrbi nomē extitisse malunt: nonnulli à Romulo Itali filio: alij ab Euandro: alij alia. Longè autem hæc dissidia & varietates absunt, à veteris ne dum à noui Testamenti quas recepimus historijs: neq; enim vllus vnquàm verè Hebræus de minima sacri contextus litera dubitauit, quam per tot eius captiuitates, tot populi exilia, tot clades, incoruptis seruatam monumentis consensu Hebræorum publico, Iosephus est author, nec verbum immutatum duobus annorum millibus, Philo comprobauit. Ipsi verò Christiani de vtriusque Testamenti veritate tàm nequimus dubitare vt si potiùs mortem non oppetamus, quàm ambigamus, Christiani nomine indignè censeamur. Itaq; assentimur omnes, & vnanimi consensu quicquid in vtroque scriptum est instrumēto, verum esse & credimus, & loquimur, & asserimus, cùm rationibus innumeris quæ de rerum euentis prodeunt, tùm & maximo miraculorum numero persuasi quidem, sed intus exciti stabilitiq; lumine ipso fidei, atque diuinitùs confirmati: Cuius luminis beneficio nō ambigimus vera esse omnia quæ sub fide clauduntur, non sensus tenebras, non vllius siue inconuulsilis, siue obambulantis, siue captatricis phantasiæ, furuas & opacas nubes, non vlla argumentorum crepuscula quæritantes, quando nihil certum magis, aut inconcussum esse reputemus: Si quidem lumine diuino

uino diuina cognoſcimus,cui ratio ſubſeruit, & ancillatur inferior vniuerſa natura. Romanianum & Lucinianum docet Auguſtinus vt caueant ne quid noſſe arbitrentur,niſi quod ita didicerint,vt vnum,duo,tria,quatuor ſi ſimul collecta fuerint,denarium numerum cõficere. Sed ſi illi crediderint qui dixit,ſcilicet, in Euangelio, *quærite & inuenietis* cognitionem quam illi ſint numeri, manifeſtiorem futuram. Eſt tamen inter nos Chriſtianos, & obſtinatos Hebræos de ſenſu Sacrarum literarum diſſenſio,ſed ipſi,illos facilè conuincimus, ex earum quas colunt literarum perpenſione,ex decurſu tàm diuturnæ eorum captiuitatis, ex tempore promiſſi Prophetæ, ex Euangelij perfectione, ex Gentium ad Chriſtum colendum religione, ex miraculis ea omnia comprobantibus. Eſt inter ipſos quoq; interdum Chriſtianos non omnino pertinax diſceptatio, quam tamen Philoſophorum doctrinæ plurimùm pepererunt,dum ex re eſſe putârunt noſtri,miſcere illorum diſputationes Diuinis literis ad hæreſum diuerſarum exploſionem:ſed fundamento literæ & clari ſenſus, noſtri omnes hærent concorditer, & ſumma illud ſimplicitate colimus, nulla de principijs fidei pugna, nulla de præceptis ad felicitatem conducentibus aperta diſſenſio, ſed ſumma concordia, & arctioribus eò vinculis adſtricta, quò eis ſimpliciùs, quò puriùs, quò ardentiùs inhæſerimus, quod ſi magno etiam & excellenti vir ingenio fueris,tantam ibi profunditatem es inuenturus, vt pelagus veritatis inexhauſtum te intraſſe cognoſcas, poteris enim contextu literario, ſuperſtruere quodcunque verum alibi repereris,& cõnexa doctiſſimè deducere,penetrareq; & diuina gratia, & lumine ingenij,quò rudes atq; ea deſtituti minimè penetrauerint.

CAP. XXXVIII. & vltimum.

EPILOGVS LIBRI SECVNDI.


Vàm variè quàmque pugnaciter, ſuper veritate Gentium philoſophi diſſeruerint,toto ſecundi huiuſce libri decurſu patefecimus,atque inde non difficulter colligi datum eſt, ſi tot præclara ingenia vel fruſtrà, vel non multo cum fructu tot in ea perquirenda ſeculis laborârunt, nõ eſſe omnino facilè humanitùs eam ipſam deprehendere,quam,ſcilicet,factis nõ minus, quàm verbis, ij qui eius inquiſitioni ſe dediderunt confirmârint, & in antris, & in puteis profundiſſimis delituiſſe.Dederunt & planè intelligi verum eſſe, quod de eis Auguſtinus in opere de Dei Ciuitate pronunciat, diſſidiſſe illos ipſos philoſophos, non de agris,aut domibus, vel quacunq; pecuniaria ratione,ſed de ijs rebus, quibus aut miſerè viuitur,aut beatè: vbi & ſi aliqua vera dicebantur, eadem licentia & dicebantur falſa prorſus, vt non fruſtrà talis ciuitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit:hæc Auguſtinus & dubio procul egregiè. Ac ſanè de ipſo Deo, de natura in vniuerſum cùm differerẽt, quoniam id altiſſima ſpeculatione mentis aſſequi opus erat, ſi non ritè,ſi non exactè, atque ad amuſſim præcepiſſent illi ipſi Philoſophi, rei ſublimitas præripere illis calumniam potuiſſet,ignorationis aut negligentiæ nomine nẽ culparentur,ſi de cœlo cùm diſputarent,deq; ijs quę fiunt in ſublimi,ventorum, fulminum,imbrium generatione:itemq; de motibus terræ,fontibus, fluminibus, mari atq; de ijs demùm, quę in abſtruſis terræ cauernis atq; viſceribus fierent dum commentarentur, vero perpendiculo ſi non eſſent vſi, facilis omnino venia:quoniam à ſenſibus ea ipſa remota, ſupra captum hominis putari potuiſſent. At cùm mores omnes & vitia ſub dubio repoſuêre,quémnam degendæ vitæ modum,vel diſcipulis pręſentibus,vel poſteris reliquerunt? Atqui cùm nec cognouerint, ne dum non demonſtrauerint,vllum bonorũ finem, quo animal hoc ad felicitatẽ natum beari poſſet,quid hiſcere de vniuerſa philoſophia non delirantes potuêre? An illos fortè excuſauerit Ariſtoteles,docens qualis eſt vnuſquiſque, talem ei finem videri? An magis hoc humanum culpârit genus?cuius communi conſenſu non ſit pręſtitutum omnibus,quo tendere debeant? quantò igitur magis ſemitæ & veri, & boni particulatim indagandæ ſub ignorationis caligine verſabantur,per quas ad vltimam illam veri boniq; metam aditus patuiſſet? Cæterùm veritas ne vlla ſit an minimè? cùm dubitarent,ad idq; complurimas rationes afferrent, quæ'nam quęſo illis excuſationis anſa remanſit?O`Dei clementiam ſingularem, ô humanã cæcitatem, ô peſtiferam eorũ,

qui ſe

qui se scire aliquid existimârint, sine diuino lumine arrogantiam, vbi enim Gentium philosophi, tanquàm in obscuro & illumino quodam labyrintho naturæ, sibi etiam ipsis placentes nimiùm, & sua in cæcitate delectati obuersarentur. Apparuit diuinitùs lumen, quo pateret exitus ad cœlum, indeq; demissa fila, quibus indeprehensus & irremeabilis error innotesceret, venit ad homines, venit ipsa veritas Christus, & Deus, & homo, omnis veritatis fons & origo: Nec prius venit, quàm veritatem diu quæsitã, nec planè & exactè compertam, ipsi Gentium philosophi faterentur. *Ego* (inquit ille) *sum via, veritas & vita:* Et alibi, *ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati.* In philosophis Gẽtium veritatis testimoniũ quo pacto accepissemus? quando qui inter eos præclarissimi fuerunt, illam ipsam non agnouisse planè concederent, quod enim ignorat quis, ei testimonium præbere non posse manifestum est. Errabunda igitur humanæ sapientiæ vestigia secuti philosophi, & inter sectas distracti plures & diuersas, in opiniones quasi lancinati atq; discerpti, veri lumine caruerunt, & cùm plenus esset ignoratione orbis vniuersus, sectæq; omnes captãdæ veritati addictæ, ad eam hallucinarẽtur, illam ipsam Christi disciplina deductis tenebris reuelauit, ex qua duo præcipua emolumenta decerpere in vniuersum potuimus, & quod Gentes aberrabant, & quod lex diuinitùs data Moysi non quemadmodum Iudæi putabant, sed spiritaliter erat intelligenda, quod & Euangelium & eius sacri enarratores luce clarius aperuerunt, & pelagus ipsum veritatis bonis mentibus eremigãdum proposuerunt: hoc itaq; in veritatis pelago & quærenda veritas, & colenda, quã cùm gustaueris, Deo gratias agito, cuius in lumine lumen videre cœpisti: & alijs patefacito verbis Apostoli, *ne sicut gentes ambulent in vanitate sensus sui:* de quarum vanitate, vt explicatiùs disputemus, hunc secundum librum claudentes, tertium adoriamur.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI ET CONCORDIÆ COMITIS, IN EXAMEN VANITATIS DOCTRINAE GENTIVM & veritatis Christianæ disciplinæ,


LIBER III.

PROOEMIVM.



APELLEM pictorem illum celeberrimum memoriæ proditum est, cùm equum pinxisset mira ex arte tentasse, vt illius ori spumam inderet, & rei frustratum successu, spongiam, qua penicilli colores abstergebantur in tabulam proiecisse, ipsiusq; contactu, spumam, quam artis magister optimus nequisset efficere, casu euenisse. Ita mihi magna ex parte in re dißimili contigisset si dicerem, iure fortaßis non culparer, quanquàm non casui quod sum dicturus, sed & certis causis, & diuinæ demùm prouidẽtiæ acceptum referri volo. Fueram ego diu animi dubius si quæ de philosophis Gentium concepissem, an chartis committere deberem, & alijs legẽdum tradere. Mouebant me hinc inde multa, & quod non defuturos zoilos arbitrarer, & quod audacius factum qui carperent suboriri multos, coniectura plusquàm mediocri deprehendebã. Sed stimulabar & publica vtilitate, & amore veritatis vrgebar, quæ cæteris propendere procul dubio fas est. Nec non præstabilius futurum existimabam, si quæ concepissem animo, foras promerem, futura si fortè non multis, at certè aliquibus nõ ingrata. Dum hæc animo fortè versarentur, nec efficiendi quod optaueram, spes in eo vlla floreret, ecce derepentè quidam quasi turbo me rapuit, & dum in sublime videretur eleuare, paulò minus egit in præceps. Iulius etenim secundus Pontifex Maximus, animo vir vasto atque terribili, dum bellum in Alphonsum Ferrariensem principem molitur, cui sacris interdixerat omnibus, eundemq; aliquot oppidis Aemiliæ & Mutina vrbe armis mulctârat, Ferrariam ipsam media hyeme maximis cum niuibus op-

bus oppugnaturus, me cuius exilij iam nonus agebatur annus in patriam, quod oppugnandæ Ferrariæ conducere id arbitrabatur, restituendum curauit, quare accepta satis valida manu primò Concordiæ oppidum, quod faciliùs expugnari, quàm Mirandula poterat ab aduersarijs, qui ab Alphonso in Pontificem stabant, vi detentum, vi captum est. Deinde ipsemet Pontifex ipsa secutus est castra, ipsisq́; & castris, & ducibus præfuit, tripliciq́; exercitu Mirandulam tàm diu omni obsidionis genere vexauit, quoad ipse in propria domo & paterna ditione ex integro collocaret. Itaque aliquot cùm iam menses & in tuendis oppidis, & in belli muneribus occupatus fuissem, & res ipsa Pontifici suorum defectione & ducis imbellia malè cessisset, adeò vt Gallis Alphonsum tuentibus, & amitteretur Bononia, & Pontificis dissiparetur exercitus. ipse qui partes Iulij sectatus fueram, & iustitiæ, & grati animi obsequio faciens in parte satis, exul iterum & exterris factus, me Florentiam recepi. Tum verò arma non corporea modò, sed spiritalia exciri cœperunt, & dissidium Ecclesiæ nostræ Christianæ parari, cui componendo cùm potis non essem, iterum me contuli ad studia doctrinæ, & cùm Græcos aliquot libros Physicæ & Theologicæ facultatis offendissem, quos ibi antè mandâram exscribendos, in eisq́; vidissem contineri multa, quibus conceptum animo, & intermissum bello negocium faciliùs confici posset, rei aggrediendæ animo stimulus quidam, nec omnino obtusus accessit, quo etiam instinctus cogitaui non fore absonum, quin aliqua hinc posset molestijs inueniri leuatio: quare iacta iam spongia non quidem indignatione, quippe quæ Deus perpeti me voluit, eius ipsius gratia conatus sum æquo animo & patienter ferre: iacta, inquam, laboris & studij spongia, pars prima equinæ spumæ confecta fuerat: nam primo in libro ab antiquissimis, qui felicitatem quærebant philosophis Gentium repetentes, eorum philosophiam incertam, authorum perpetua dissensione monstrabamus. Sed ecce iterum turbo qui me de studijs literarum transtulit ad bellum quod Bononiæ simul, & Gallis eam per proditionem ciuium partam defendentibus Iulius Pontifex intulit Hispanis auxilijs, quæ res malè primùm cùm cessisset fuso, & fugato apud Rhauennam exercitu, deinde sese in meliùs res bellica vertisset, descendentibus in auxilium Heluetijs & pulsis trans alpes Gallis, receptoq́; Regio Lepidi, & Parma atque Placentia sub ecclesiæ Romanæ ditionem redactis, victor Iulius excessit è vita. Huic postquàm decimus Leo suffectus est, & induciæ armorum tumultibus parumper allatæ, dati etiam sunt ad pristina studia reditus, recepta iterum post biennium patria. Sed reditus tamen ipsi sæpè interpolati & longis itineribus susceptis, pro patria ipsa recipienda, & pro recepta tuenda, nō parùm multis laboribus, quandoquidē à secūdo exilio reduces quater hostilibus armis vexati, longam etiam obsidionem pertulimus, tantùm abfuit vt omnino securi rerum nostrarum valuerimus quod institueramus absoluere, sed perseuerauimus, iuuante Deo, non destitimus, non remisimus nuncium labori: ergo tertio libro restat ostendere eos qui in vniuersum super veritate captanda non conuenerunt Philosophos, etiam non concorditer aut liberales artes non docuisse aut Philosophiæ vllam partem constanter posteris omnino tradidisse, vt verum ipsum nudum atque illustre nullisq́; tectum ambagibus quod in Sacris literis & Christiana potissimùm disciplina versatur, & synceriùs cognoscamus, & sequestratis inanibus Gentium commentis consectemur: Nam si præclarè Gregorius censuit indignum esse vt verba cœlestis oraculi sub Donati regulis constringantur, num putabimus dignum vt incertis philosophorum dogmatibus subijciantur? & earum meridianæ luci nocturnæ horum tenebræ aut præponantur aut obæquentur?



CAP. I.

QVOD DVAE PHILOSOPHORVM SECTAE EPICVREA & Pyrrhonia, disciplinas liberales in precio non habuerint, & quibus de causis, & quàm inter se diuersis.

QVEMADMODVM variè, diuersè, pugnaciter, de veritate ipsa eiusque iudicio gentium philosophi decreuerunt, satis explicatum arbitror libro superiore, cùm non eorum modò opiniones, sed & argumenta quibus moti, & rationes, quibus ad id decernendum persuasi sunt, recenseremus. Restat vt liberales artes omnemq; philosophiæ partem persequamur: declarantes quàm controuersè, quàm variè, quàm dissidenter, de eis etiam statuerint omnibus, quæ solent propter cultum animi & veritatis notionem haberi maximo in precio. Ac vt à liberalibus incipiamus artibus, eas à duabus philosophorum sectis, aut nihil aut certè parum æstimatas inuenio, diuersis tamen rationibus: nam Epicurus & plæriq; sectatorum arbitrati sunt nihil eas habere momenti ad sapientiæ perfectionem. Sed duplici de causa hoc ab eis factum plæriq; putant eruditorum, vel vt propriam illi ignorationem occulerent, si quidem à plærisq; rudis, & indoctus esse putabatur Epicurus, vel vt Platoni & Aristoteli, & alijs qui eruditissimi & erant, & habebantur, quasi subirati non consentirent: & hæc quidem causæ solent afferri, quarum vt vnam, aut alteram fortè, Fabius Quintilianus indicaret, illa sunt in secundo oratoriæ institutionis verba: nam de Epicuro qui disciplinas omnes refugit, nihil miror. Sed & illa quoq; non præteritur silentio, quod Nausiphanes Pyrrhonis auditor, & Epicuri præceptor, cùm in disciplinis studiosè versaretur, ipsisq; in disciplinis iuuenes erudiret, & in Rhetorica præcipuè, is qui eum audiebat, Epicurus quadam in magistrũ inimicitia commotus, vt videretur ipse αὐτοδίδακτος, hoc est, à se ipso doct⁹, & philosophus αὐτοφυής, id est, suapte natura, propterea disciplinarum contemptor extiterit. Pyrrhonij verò nec existimârunt ipsi disciplinas, sed alijs omnino de causis, neque enim quasi ad sapientiam illæ non conducerent, si enim hoc sanxissent, habiti essent inter dogmaticos à quibus se ipsi magno studio secretos volebant, neq; quòd eruditione non pollerent, idcircò illas repellendas putârunt: Nam nulla secta eruditior, inter omnes aliorum philosophorum sectas diligentissimè versata, & omnium experientissima: neq; iracundiæ aut superbiæ causa, quando habiti sunt inter alias philosophorum gentium sectas & humani, & mites: Sed ipsi hac in re, id quod alijs in omnibus sum passi doctrinis: nihil enim alterutram in partem velle decreuerunt, sed in alterutram disputare maluerunt, inueniendæ desiderio veritatis, & cùm hinc, atq; hinc rationes & argumenta perspicerẽt: præstabilius illis est visum, iudicium verecundè suspendere, quàm vel impudenter, vel arroganter ferre sententiam, eis tamen pollebant ipsi disciplinis, quanquàm non nimium eas æstimarent. Sic & noster Augustinus quamuis eas probè tenuerit: & in libro de ordine, cùm ipsis liberalibus disciplinis multùm tribuisset, in libro Retractationum minus id probauit, quoniam multi sancti eas multùm nesciunt, & qui sciunt ea, sancti non sunt, assensum tamen propterea non cohibuit, quemadmodum fecêre Pyrrhonij.

CAP. II.

QVID SCEPTICI CONTRA DISCIPLINAS IN VNIuersum attulerint, sumptis argumentis ex re quæ doctrina præbeatur, ex docente, ex discente, ex modo doctrinæ, vbi contra ipsos nonnulla dicuntur, & aliqua dicuntur in laudem Christianæ disciplinæ.

HI ipsi Pyrrhonij rationes attulerunt, quibus suspendere iudicium se profiterentur, & non hærere dogmaticis Philosophis liberales disciplinas mirum in modũ extollentibus, duplici autẽ via processerunt: primùm in vniuersum generatimve, deinde particulatim. Illudq; in primis considerârũt, si vlla est disciplina, quatuor constitui oportere, rem quæ tradatur, eum qui docet, eum

eum qui discit, modum doctrinæ. Aduersum quæ omnia primùm disputant, vt disciplina ipsa vniuersim relinquatur dubia: mox particulares disciplinas, Grammaticā, Dialecticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Astrologiam ducunt in cōtrouersiam. Itaq; quantū pertinet ad rem quæ docetur, hunc ferè in modū argumentantur: id quod in doctrina traditur, aut non est, aut est: itemque aut verum est, aut falsum. Si primum cum hoc non existat, quomodo doceri poterit? at doctrina non eorum est, quæ non existant: & si falsa etiam docerentur, quæ'nam doctrinæ futura esset vtilitas? imò quanta labes animi si, scilicet, id quod falsum esset, veri vice traderetur, ac etiam si ens quatenus est ens, doceri dicitur, quoniam tale est, manifestum fiet, vt non omnis doctrina ex quibusdam confessis & manifestis proficiscatur. Si verò non quatenus est, sed aliud quiddam, dicant doceri: audiant nihil esse quod vastum illum ambitum entis effugiat. Si verum dicatur esse quod traditur, tum inquiunt, quàm ambiguum vllum inueniri verum, ex ijs quæ cùm de iudicatorio ageremus allata sunt, facilè potest apparere. Præterea res quæ in doctrina traditur, aut apparet, aut minimè, clarúmve aut obscurum est cognitione. Si primum dederis, nō erit opus disciplina, quę enim clara sunt, ęquè apparent omnibus. Si secundum, quoniam quæ manifesta non sunt, & propter ambiguam minimeq; iudicatam eorum naturam sub lite sunt, quomodo docebuntur? amplius quod doctrina traditur, & disciplina percipitur, vel corpus est, vel incorporeum, & horum vtrunq; patitur difficultatem: nam corpus iuxta dogmata Stoicorum inter ea quę doceri queunt, non computatur, enunciata enim solùm sunt eiusmodi vt capiantur disciplina, quæ, scilicet, non sunt corpora, eaq; neq; sensilia dicunt esse, idq; eorū notione probari, si quidem vel conflatio est magnitudinis & figuræ, & ἀντιτυπίας, vel trifariam disiunctum, latitudine, longitudine, profunditate, vt placuit Mathematicis, vel trina ipsa dimensio est μετ' ἀντιτυπίας vt visum est Epicuro, vt ex hoc vacuum definiret, vel tumor ἀντίτυπος, vt alij voluêre. Non vna igitur & simplex, ex pluribus est cōflata natura ab intellectu confecta, quod si detur, non erit sensile: idq; etiam si concedatur doctrina non capietur, quatenus enim sensile, doctrina non eget vt animo percipiatur: sicuti nec album quis vt videat discit. Igitur quatenus intellectile percipietur, quod quàm sit verū hinc aduertemus: si enim neq; latitudo per se est corpus, neq; item lōgitudo per se, atq; profunditas: quod ex omnibus ijs constitutum esse concipitur, id erit corpus: an corpus ex incorporeis: incorporea quoq; non incidunt in sensus, à quibus notionem solet mēs afformare: & prætereà corporum aliud sensile est inquiunt, aliud intellectile, neque alia eorum suprema differentia: non autem illud, quoniam omnibus sensu præditis id esset, confessum: minus hoc, quoniam omnibus hac de re philosophis est pugna: nam atoma dicunt alij, cæteri indiuisibilia, & inter hos aliqui hæc in infinita diuidūt, alij in minima & impartilia. Incorporea quoq; non manifesta, vt Ideæ Platonicæ, vt enunciata Stoicorum, locum, vacuum, tempus, & eiusmodi cętera, quæ alij dicūt esse, alij non esse, alij ab assensu abstinent. His itaq; & similibus aggressionibus Sceptici disputant quę minimè vera sunt, speciem tamen quandam probabilitatis afferre possent ijs, qui non interstinguerent inter id quod simpliciter absoluteq;, & id quod quoquomodo & ex parte solet afferri.

Verùm cùm reddi putant non solùm ambiguum id quod traditur disciplina, sed sublatum iri opinantur simul, ne docentis, & discentis officium apud dogmaticos celebretur, ita ferè disserūt. Aut artifex docet artificē: Sed quo pacto alter alterius indiget disciplina? aut artificē, qui caret arte, instruit, quod qui diceret risum excuteret, aut artis expers, artis expertem, sed quo pacto cæcus duceret cæcū? aut qui arte pollet, eum qui arte caret, instituit, sed quónam modo is pollebit arte suapte natura, vt, scilicet, è * bulga matris ferat artem secū? minimè gentiū: qua enim via cùm sit expers, particeps fiet atq; possessor artis? aut enim vna speculatio id potest efficere, aut minimè. Si primū licebit bona connexione deducere, vt ars non sit comprehensionū notionūq; collectio, & prętereà quis ferret, vt ille artifex diceretur, qui vnū tantummodò præceptum artis teneret, & vnica speculatione esset imbutus? quod si quis vnam perficere posse aliarum cumulum diceret, & indere nomen artificis, is aduertat, innumerato non haberi quibúsnam & quot speculationibus ars quæq; compleatur: quare nunquàm sciet quę desint ad artē perficiendam, omnia verò collectim non capiuntur,

* vulua

EEE 2

piuntur, sed singulatim, etiam si capi illa concedantur, quare dicant, quo pacto artifex constituatur? Qui etiam constitutus de præceptis artis eiusdem dubitat, & impugnatur ab alijs. Cæterùm qui dicitur sine arte, quatenus est sine arte discere artem, videant ne sicuti cæci colores, & surdi sonos addiscant, alioqui num & particeps, & expers artis eiusdem? expers quidẽ, quoniam sic supponitur: particeps quoniam cõprehensionem habet artis theorematũ. Sed fallũtur Sceptici quo suprà diximus modo, in eo quod est simpliciter, & ex parte: nam quoquo modo est particeps artis, qui addiscit potestate, scilicet, & aptitudine. Adhuc Sceptici addunt plæraq; quæ ad ea spectant, quæ contra Physicos dum disserunt, ducunt in medium, quãdo contra causam transmutantem & suscipientem argumẽtantur: & generationem, & corruptionẽ causantur. Modum item doctrinæ sublatũ iri putant, si neq; qui discat, neq; qui doceat inueniatur, particulatim verò ita instant: Aut claritate is constat aut oratione: Sed si illud verũ esset, cùm claritas eorum sit, quæ ostensa manifestaq; sunt, omnibus iam essent comprehẽsa, neq; vlla opus esset doctrina, oratione verò quo pacto? aut enim ea significat, aut minimè, hoc neutiquam sunt dicturi, alioqui quo pacto quippiam significaretur eius ministerio & vsu: si verò significat aut positu & voluntate hominũ, aut suapte natura, hoc certè neutiquam, alioqui vno omnes homines sermone vterentur, ergo illud. Sed quidnam oro illa doceret eum qui id quod significat, alioqui prorsus ignoraret, num potiùs in memoriam reducit tanquàm signis quibusdam ea quæ antè didicerat? comprehensionem porrò docentis causa inditam, in eum qui discit parem esse volunt, quam & sublatam iri multis argumentationibus censent: Circa vitæ quoq; studia & virtutes maximeq; prudentiam dubitant, à prudenténe, an imprudente, an cõtra fiat? & similia quæ de artifice & artis ignaro suprà sint allata, illud adijcientes: Si prudentia statuatur notitia bonorum malorũ & neutrorum, cùm imprudens voces audierit, num rem intelliget? num illam percipiet? si percipiet, non erit imprudens, si non percipiet rem, & verba teneat, tuq; illum prudẽtem iudicaueris, fatearis etiam oportet imprudentiam esse notitiam earum rerũ quarum est prudentia, ita Sceptici. Sed hoc non officit nobis: nam prudentia vsu magis comparatur, quàm discitur, & intùs est lumen super nos signatum lumen quoq; fidei, quibus prudentia gliscit, prætereaq; signis & exemplis doctorum instructi sumus, & quasi ducti manu atq; his omnibus in Christiana disciplina, ad id cognitionis peruenire datur, quod nobis erat in votis.

CAP. III.

QVID SCEPTICI CONTRA GRAMMATICAM SOleant disputare, vbi & alia quæpiam ex alijs authoribus.



Ttamen Sceptici illa ipsa contra eos, qui se in disciplinis versari profiterentur & multa nouisse, tanquam in vniuersum fuderunt, atq; vt hinc mõstrarẽt posse omnia quę ipsi statuebant tolli, nõ singula percurrerũt illorũ dogmata, infiniti enim operis fuisset, sed vias eorum obstruendas & tanquàm excidenda fundamenta putârunt, quibus subrutis, quod superstructum fuisset vel vna ruina concideret: principia itaque, vel quæ ex principijs fluerent, ac methodos insigniores, vel fines, sublatum iri procurauerunt. A` Grammatica exorsi, hæc autem bifariam dicebatur: nam alia est articulatarum vocum qualiscunq; cognitio, alia quæ tanquàm huius pars, ad ordinem artemq; quoquomodo redacta, & illius veluti pars quędam & species, de qua apud Græcos Crates, Aristophanes, Aristarchus, alij pręcepêre: Apud Latinos quoq; nonnulli ad eorum imitationem. Sic & Medicina cui apud Græcos nomen ἰατρικὴ, dicta est antiquitùs, ἀπὸ τῶν ἰαῶν ἐξαιρέσεως, nunc autem expellendis morbis alijs & perturbationibus corporũ accincta est, arte suffultior. Et Geometria olim à terrarũ dimensione sortita nomen, nũc de rebus subtilioribus multò, traxit nomenclaturam, vel vti placuit Asclepiadi illa ἀπὸ τῶν γραμμάτων, hoc est, literis, hæc ἀπὸ τῶν συγγραμμάτων, hoc est, à conscriptionibus deriuata, in eum igitur quę artis sibi & doctrinę vẽdicauit nomẽ, inuehũtur Sceptici, nec priusquàm eam quid sit finierint Epicuri sententiã hac in re neutiquã aspernati, qua decreuit neq; quæri quicquam, neq; dubitari posse sine conceptu. Itaq; cõcipit & finit Dionysius Thrax Grammaticam ἐμπειρίαν, experientiam dixeris siue peritiam eorum quæ plurimùm apud Poëtas carmine, & Historicos prosa oratione dicantur.

cantur. Interpretatur enim Grammaticus, quæ Homerus, Pindarus, Menander, Herodotus, quę Vergilius, Horatius, Plautus, Liuius, & prętereà quę Rhetores atq; Philosophi tradidêre: cui Ptolemæus Peripateticus contradixit, peritiam eam experientiamque non esse causatus, quoniam illa sine arte, & sine ratione, sola simpliciq; obseruatione & exercitio constituta est: hæc verò ars & est, & habetur, & artis quoq; nomen obtinuit, qua de re multa Sextus in Empiricis monumentis. Metrodorus nullam esse peritiam voluit, quę sui ipsius consideraret finem præter Philosophiam, peritiam ibi pro arte desumens, præcipuè verò ponitur pro multarum & variarum rerum cognitione, quemadmodum senes & quoniam multa viderunt, & multa audiuerunt, dicuntur vitæ experientes. Sed enim qui peritia ea pollet, si omnium est, cùm infinita sint illa omnia particularia, habebitur peritus rerum infinitarum Grammaticus, si aliquorum, propterea peritus non erit quando & qui Grammatici non sunt, aliqua etiã paucula Poëtarum & Historicorũ nouêre. Si plurima dicent, quę nam sint prodant? vt quousq; se extendat peritia dignoscamus: quod si decernere ea & numerare voluerint, fateantur opus est finito aliquo, & determinato numero, plurimo tamen contineri, si dematur vnitas, eum etiam plurimum dicent esse, absurdũ enim accretione & deminutione alicuius vnitatis, plurimum & non plurimum appellari. At si fiat identidem, eò res deueniet, vt nõ sit numerus plurimus, quo fiet vt neq; sit illa Grammatica: nam plurimum & paucum ad alterutrum referuntur. Si enim plurimus numerus rerum notarum, Grammaticam peritiam conficit, paucus vtpote non plurimus non constituet: prætereà falsum est Grammaticum illa plurima nosse, cùm multò sint plura quæ ignorantur ab eo. Ad hæc peritia est rerum quæ coniectura percipiuntur, vt nauticæ, vt medicæ facultatis. Grammatica verò nihil coniectatur, qui verò dictionem illam (plurimũ) non interponi maluerũt, ij non sustulêre dubitationem, sed auxêre: sed esto sit omnium nõ plurimorum notio, esto etiam illud, vt nulla sit notio præter noscentem, neq; Grammatica præter Grammaticum, sicuti nec ambulatio præter ambulantem: Confitetur autem Grammaticus se omnium nõ habere notitiam quæ sunt apud Poëtas, & Historicos, igitur Grammatica nõ erit omniũ quę sunt apud Poëtas & Historicos notio. Quod si etiã dicatur ars talium notionũ, cùm ars sit comprehensionum collectio & constitutio, qui omnia non collegerit, non erit artifex appellandus. Charas autem putauit Grammaticam perfectam, habitum esse ex arte dignoscentem ea, quæ à Græcis dicta & excogitata sunt exactissimè, atq; hic præter alia videtur tetigisse tacito opinionem Cratetis, Craticum à Grammatico secernentem, atq; hunc illi tanquàm ministrum subijcientem. Eò autem Dionysij videtur, quàm huius finitio tolerabilior, quod ille addixit Grammaticum Poëtis & Oratoribus addiscendis, hic autem omnibus & ferè infinitis authoribus omnis omnino facultatis. Nulla autem methodus ad infinita se accingit; quæ enim significant & quæ significantur, infinita sunt numero, siue innumerabilia dicere malueris, ad hæc accedit quod omnifariam mutãtur voces decursu seculorum, variantur enim ætatibus variatis, non plantæ modò & animalia, sed nomina quoque rerum & verba, qua de re & Latinus Horatius,

Multa renascentur quæ iam cecidêre cadentq;,
Quæ nunc sunt in honore vocabula si volet vsus
Quem penes arbitrium est, & ius, & norma loquendi.

Nec illud etiam Demetrij Chlori siluerim, cui & pleriq; consentiunt Grammaticorum: voluit enim præter dictiones quæ apud Poëtas inuenirentur, illarum etiam quę in vsu communi versarentur notionem, Grammaticæ necessariam, quem & ijsdẽ premi difficultatibus, quibus alij premerentur, qui iam reiecti sunt, voluêre Pyrrhonij, & prętereà infinito negocio sese accingere illos dicunt, quoniam innumerabiles atque infinitæ haberentur quæ in vsu communi dictiones versantur, si quis videlicet indagare eas & tenere procuraret, in quibus nec Iones cũ Atticis, nec cum vtrisq; Dorici consentiunt, neq; Rhetorum voces Medici, neq; Medicorum Rhetores aut Philosophorum percalluêre, nec Architecti quoq; illorum notitiam capessunt, nec Agricolationis aut artis Bellicis scriptores, quæ sunt artium aut liberalium aut mechanicarum diffidentium. Prætereo tonos & apices diuersos, & in eodem etiam idiomate authorum dissensione pugnantes.

Tres prætereà Grammaticæ faciunt partes, artificialem quæ de elementis, & partibus orationis, & orthographia, & proprietate linguæ præcipiat: historicam cui & personas diuum, heroum, hominum, locorum, prçtereà descriptiones montium, fluuiorum, notiones quoque temporum & fictionum, fabularumque subijciunt. Propriam verò magis illam voluêre partem quæ circa Poëtas & Historicos diuersatur, lucem obscuris allatura expositione interpretationeq; diligêti, dijudicatura etiam quç sanè & integrè, & quç contrà dicantur, legitima quoq; à nothis adulterinisq; secernens: causantur Sceptici diuisionem hanc, tanquam minimè claram, vt si quis hominis partes corpus & animã diceret, vtpote quç cùm diuersa sint, alterutris internoscantur, artificialis autẽ & historica pars, cùm ea quæ Poëtis & Historicis declarandis, & dijudicandis incumbit, complicata multipliciter inuenietur, si quis cõsiderauerit notionem Poëtarum sine arte, & historiæ peritia non comparari, & illarũ vtranq; sine altera non percipi. Quare distincta ea & clarè ab inuicem secreta nõ sunt. Atq; hinc etiam confici posset vt earum vna sublata reliquæ propter mixtionem, cõmunionem, complexumque tollerentur. Sed vnamquanq; tamen tollere seorsum moliuntur ab artificiali sumẽtes initium: Hãc sine arte, sine methodo, sine fundo, conantur ostendere ab elementis exorsi, quorum diuisionem tanquàm vanam, & inutilem Sextus causatur: duplicia enim quæ dicuntur elementa, ζ, ξ, ψ, vtpote ex σ & δ, ex κ & σ, ex π & σ, composita elementa dici non debere contendit: vtar exemplo Græcarum literarum, quoniam apud Scepticos scriptores, Latinæ linguæ vsus non fuit: Sed cum eis Latinæ Grammaticæ loca multa, sunt propè communia, ex qua etiam ipse cùm occurrerit commoditas, multa subsignabo. Itaque duplex elementum, quoniam ex duobus collectum est, nec dici, nec haberi debet simplex elementum, quod si quæ duplex constituunt elementum, elementa sint, ipsum quod ex illis constitutũ est, elementum non erit. Ad hæc quç bitemporea vocantur, & liquida, & communia, & ambigua, & mutabilia, α, ι, υ, simili ratione elementa non esse differunt: aut enim elementum ipsum vel litera suapte naturat, talem nunciat communem facultatem & ambiguam, aut accentu addito, quo au corripitur, aut producitur syllaba. Primum quo pacto dicent? vt scilicet ex sese indicet simplex litera sui ipsius communem naturam siue conditionem, & facultatem, hoc est, longam & breuem, quarum altera aduersatur alteri. Secundum verò si dicent illud eos sequetur incommodum, quod accentu quidem vel longam cùm est, vel breuem tùm cùm est significare poterit, communis verò quo pacto ipso accentu nunciabitur? éstne vllus apud Grammaticos apex, quo ambigua literæ, vel syllabæ natura, menti legentium insinuetur? At si responderunt communia idcircò vocari suapte natura, quoniam vtriusque longi videlicet & breuis temporis susceptilia sunt, eodem reuoluentur: quod enim est alicuius susceptile, illud ipsum non est, cuius est susceptile, æs enim imaginis est, & simulachri capax, ipsum tamen non est simulachrum, quare longum & breue tempus si vicibus suscipiant, illud tamen ipsum, longi breuisq; commune, nec sunt, nec iudicant, eoq; magis quod longum breui aduersatur, nec simul constituuntur, & sublata longitudine breuitas constituitur, & tum quoque ponitur longitudo cùm breuitas ipsa sublata est, qua de re fieri nequit, vt circumflexus apex breuis euadat, quoniam ipso flexu, longitudo necessariò constituitur. Quapropter si natura bitemporeum aliquod est elementum, vel sub vnum quiddam & longitudinis, & breuitatis potestas constituetur, vel secundùm partem. Primum quo pacto? quando circa eandem voculationem, per sese, & secundùm idem, aduersantes inuicem potestates, sistẽdi, scilicet, & producendi, constituerẽtur. Secundum persuaderi ne vnquàm poterit? quis enim non nouit cùm longum est accentus signum id non esse commune longitudini & breuitati? similis aggressionis modus esset in tenuibus, & aspiratis, & secundũ vtrũque communibus: Sed sat sit monstrasse modum impugnãdi, ex ijs sequetur duplex esse eorum vnumquodq; elementum non simplex, qua de re fiet, vt septem duntaxat non sint elementa vocalia, quorum duo sint longa η, & ω, duo breuia ε, & ο, & tria de quibus agimus bitemporea, sed decẽ, quorũ quinq; longa η, ω, & α, & ι, & υ, quinq; itẽ breuia α, ι, υ, & ε, atq; ο. Pari quoq; pacto si de accentibus perpensio fiat, multiplicabũtur supra modum literæ vocales: nam breues illæ duæ, quoniam quinque illorum susceptrices habentur, breuis, acutæ, longæ, tenuis, crassæ: duæ verò longæ, & illas

item

item quinque suscipiunt, & prætereà circumflexam voculationem admittunt. Quæ verò communes dicuntur, vnamquamque earum septem suscipiunt, quibus ratione iam narrata multiplicatis & additis consonantibus, non quatuor atq; viginti, sed sexaginta inuenientur. Minora quoque quàm à Grammaticis dicantur elementa vocalia nonnulli colligunt inde, quod si α, vel correptum, vel productum aliud non est elementum, sed vnum commune, ita & debet esse ι & υ, atque ε & η, vnum & idem, ex eadem, scilicet, communi potestate, quandoquidem eadem in vtrisque potestas, vt correpto η, fiat cum ε, paris potestatis, & extentum ε, fiat η, eodemque modo in ο, & ω, euenire decernunt: plerique item philosophorum plura esse vocalia statuunt elementa, quàm quæ existimantur, veluti αι, & ου, diphthongos, & quæ eiusdem sunt naturæ. Elementum enim maximè iudicatur esse elemētum ex incomposito simplicive vnius qualitatis sono, sicuti, ο, ε, sed quoniam, ο, ι, diphthongus simplicis, & vnius qualitatis soni habetur, habebitur & elementum: signum autem simplicitatis vocis est si æqualiter ea ab initio, ad finem proferatur, quod enim compositū est, aliter in principio, aliter in fine sensum afficit auditus: sonus enim, Ra, (verbi gratia) diuersè afficit sensorium in vtroque extremo, mouetur enim principio magis ipso, R, in fine magis, A, æqualiter verò, o, sensum afficit, qui ab eo quod initio auditus cōmouebatur, neutiquam permutatur in fine, atq; idem reliquis in diphthongis iudiciū habebitur. Cæterùm quæ dicuntur communia tria scilicet elementa, quoniam susceptilia sunt breuitatis & longitudinis, num pari pacto omnia elementa, quoniam susceptilia sunt grauitatis, acuminis, tenuitatis, crassitudinis, cōmunia dicentur? quæ & accentuum loco habentur, & numerantur.

Quod Græcis de literis dictū est, de Latinis dici, & eò magis potest, quòd omnes in Romana lingua vocales communes habentur, x, & z, vim duplicis obtinent consonantis, & accentum, quanquam non vsus, ars tamen habetur atque notitia. Sed iam ex literis & censeamus ad syllabas, has & longas, & breues dicunt: Longas verò aut natura, aut positione & hoc multifariam, vt decursu patebit. Verùm si vlla breuis syllaba iure constituetur, ea erit in minimo tempore constituta, sed tempus ad minimum diuidi non potest, quoniam ad infinitum vsq; diuiditur, vt fiet manifestū, minimum autem esse nequit, quod potest diuidi, igitur syllaba breuis quæ minimo tempore mensurari debet, nō inuenietur: quod si quis dixerit, breuem appellari syllabam eandemq; minimam, non quòd suapte natura sit talis, sed quod ita nostros ad sensus relata iudicetur. Augebit ille difficultatem non minuet, quæ enim breues à Grammaticis syllabę nuncupantur, inueniemus eas sensuum iudicio diuisiles haberi nō minimas, E R, enim syllabam (verbi causa) cùm sentimus proferri, sentitur prius ipsius, E, vis atq; potestas, quàm ipsius, R, atq; ipsa, E, potestas, antea sensorium afficit, & suo percutit sono: Nec accidit secus, si eam inuertamus & exprimamus, RE, prior enim, R, ab aure quàm, E, sentitur, vbi verò prior & posterior pars sese habet ad sensum, num id cuius illæ sunt partes minimum indiuisileq; censebimus? & quanquàm Musici fortasse irrationalia quædam tempora excogitauerint, & vocum auctiones, id tamen profunditatis non conceditur Grammaticis qui in breuem, & longam syllabas omnes generatim dirimūt: breuē inconstantē iam monstrauimus, mōstremus & longā quoq; minimè consistere, dicunt eam bitempoream esse, duo autē tempora simul non existūt. Si enim duo sunt, hoc ipso diuiduntur, quòd, scilicet, duo sint, quorum alterum existit, alterum minimè: Si verò maneat alterutrum, alterutro non permanente, ambo neutiquam simul fuerint. Quapropter longa syllaba si duorum erit temporum, eius tempus primum erit, cùm secundum non erit, aut contrà posterius duntaxat erit, cùm prius abolitum fuerit, ambo verò nequaquam. Si verò quispiam diceret factum hoc memoria, scilicet, vti ex sono qui præcessit, & qui sequitur vnum quiddam conflaretur, cui longæ syllabæ nomen inditum esset, is ipse fateretur longam syllabam non posse consistere: Si enim consisteret aut in eo quod primò profertur, aut quod subinfertur, omnino consisteret, sed in neutro id fieri nequit, quoniam alterutrum si seorsum capias, minimè consistit, cùm enim primū profertur, nondum existit secundum, quod cùm promitur, iam præcessit primum & euanuit: ex eo autem quod est & eo quod nondum est, conflari quidpiam coalescere, & consistere non posse quis non aduertat? Pari ratione & in dictiones, & in cæteras

orationis partes disputandi via patefacta est, atque in eam ipsam orationem commune illud argumentum affertur, vel aliud quiddam est à suis partibus oratio, & aliæ etiam sunt ipsæ partes ab ea atque seiunctæ, vel partium ipsarum collectio, oratio est. Si primum detur, quis non percipit sublatis omnibus partibus, id quod ab eis est aliud, remanere: sed tantùm abest vt sublatis omnibus orationis partibus, non tollatur oratio, vt etiamsi vnam sustuleris, tota depereat, verbi causa oratio isthæc:

Iram pande mihi Pelidæ Musa ferocis: si minuatur vel vna dictione, iam nec versus habebitur, nec oratio. Si verò secundum capiatur, ita vt nihil aliud sit oratio quàm eius ipsius in vnum collectæ partes, sequi videbitur vt partes inuicem partes habeantur: si enim totum illis non subsit præter illas, cuius partes habeantur, inuicē altera erit, alteri pars, quod fieri nequit, cū partes includi soleant in eo, cuius partes & sunt, & habentur: sicuti in homine pedes, & manus, & caput, in pedibus & manibus digiti, in capite, oculi, nasus, aures, & cætera, quæ ipsius partes esse existimantur. Minimè verò hoc modo comprehenduntur partes orationis in parte, neque enim pande, in ira, neque contrà clauditur: nec mihi in Pelide, aut vice versa comprehenditur. Sed dici posset ex aduerso id quod Aristoteles in Metaphysicis ait, cùm tertium quiddam esse compositum censet, & diuersum à duobus, quæ illud componant partibus: vtitur ipse hoc exemplo, ba, syllabæ, quæ nec be sit nec a, sed ba. At respondere Sceptici potuissent iam supponi, & pacato recipi b, & a, literas syllabæ partes censeri, quod ipsi ducerent in controuersiam, & ea fortè ratione, quod totum & eius pars sese respiciunt ita, vt alterum sine altero nequeat intelligi, prius autem esse & natura, & tempore b, & a, seorsum quàm ba, atque ita de orationis partibus, sicuti de partibus syllabæ, iusta proportione decernendum. Et præterea quærunt cùm affirmatur à Grammatico illam dictionem, iram, esse partem versus ipsius, siue orationis suprapositæ, quidnam sint responsuri cùm interrogantur, vtrum totius orationis sit pars? si affirmauerint sequetur, inquiunt, vt se ipsam ipsa compleat, neque enim integra illa ipsa oratio habetur, sine dictione ipsa, Iram, atque inde etiam sequetur, vt se ipsa maior minorque sit: Maior quidem se ipsa, qua se ipsa completur, quod enim completur eo ipso, quo completur est maius: Minor verò qua se ipsam cōplet, quod enim rem quampiam complet minus eo est, quod completur. Atqui si partem dixerint esse carminis reliqui, contradicent ea ratione quod eo non comprehenditur, sicuti pars in toto comprehendi constat: toto inquam (ne de verbo æquiuoco subterfugium præstetur) quod integrale nūcupatur, quale totum habetur oratio. Hinc deducetur non indigere complemento, carminis reliquum, cùm eius partem eam non esse constet, quæ putabatur ad ipsum perficiendum pertinere. Sed de oratione in vniuersum satis hæc sunto, partē aliquam tractemus vice omnium, ea si placet, sit quæ nomen vocatur.

Nominum alia masculina, alia fœminina, alia neutra nuncupantur, eorum autem numeri singulares & plurales, apud Græcos etiam duales. Si hoc natura factum est, id sanè aut à priscis illis, apud quos prima nominis mentio, ita constitutum est, qui etiam frigus quo afficerentur, & voluptates quibus delinirentur, quibusdam etiā vocibus à natura profectis expresserint, aut quod etiam in præsens vniuscuiusque sensum naturaliter commouent, eò deuentum vt hoc masculum illud fœmineum censeatur. Si primum dixerint vndénam illa quæstio positione an natura constent nomina? pinguiori enim discussione terminaretur, quam vt eam Philosophi admitterent, apud quos hac de re multa lis, æquis ferè vtrinque rationibus agitata. Si enim natura non positione extarent nomina, num omnibus eadem significarent? Græcis, Latinis, Hebræis, alijs: quod si vnum quemque mouerent, quæ nam hac de re controuersia esset? omnes enim eodem modo moueri persentiremus, sicut & igne omnes afficimur & frigore. Atqui omnibus eadem non sunt nomina, eadem etiam lingua vtentibus. Stamnum Athenienses fœmininè efferunt, Peloponnesiaci, masculinè, & vnusquisque eorum rectè se dicere censet. Sic & tholum, alij masculo, alij diuerso genere malunt esse, & præterea ex modo multa etiam scribunt nomina diuersè, sed & aliquando altero, alterutro etiam modo quidam, quoniam, scilicet, ita institutum positumque nouêre. Siquidem λιμὸν quod nomen famem Latinè significat, Græcorum multi & fœminea, & mascula voce pronunciant. Quod si dixerint esse quæpiam natura

tura mascula, quæpiam fœmina, cui & nomina eiusdem rationis aptentur, vt mascula nomina rebus masculis, & fœmina fœmineis appellationibus denotentur: etenim fœminis muribus, aquilis, culicibus, scarabæis, scorpionibus, masculum nomẽ aptatum est: nam illa omnia μῦς, ἀετὸς, κώνωψ, κάνθαρος, σκόρπιος, quemadmodum & eorum mares ita & fœminæ apud Græcos enunciantur. Rursum hirundo, testudo, cornix, mygale, masculini sexus: fœmineo etiam apud Græcos nomine vocitantur, χελιδὼν, χελώνη, κορώνη, μυγαλὴ, & alia prætereà non parùm multa facilè reperirentur. Itaq; si natura nullum est fœmininum aut masculinum nomen, sed positione constant, quo pacto Grammatici vertunt eo quo diximus modo, nomina? dices fortè quæ sunt alterius sexus, aut generis, vi articuli fieri alterius, sed si natura nullum est tale, nónne potiùs vtrumque erit indifferens hoc an illo genere proferatur? At dixerit fortè quispiã ita vsu venisse, vt modò hoc, modò illo modo enunciarentur, non igitur artifex ratio hoc fecerit, sed abusus, & vulgi consuetudo: quare in artificem, aut artem isthæc, vt in authorem non referentur. Sed enim pluralis quoque & singularis numeri magna confusio: Attici vnam vrbem pluraliter enunciant, quos etiam Latini secuti, vt Athenæ, Plateæ, & rursum Thebæ singulariter, & Thebæ pluraliter, & Mycenæ singulariter, & Mycenæ pluraliter. De mensura quoque pedum, & mensura partium orationis multa concutiunt, & orthographiam quoque ducunt in controuersiam, quam decernunt quantitate, qualitate, diuisione constare, easque omnes partes, & authorum dissensione perpetua, & effectibus, qui idem varia in inscriptione inueniuntur, tollere satagunt, proprietatem quoque illam sermonis quam Græci ἑλληνισμὸν, quasi dixeris Græcitatem, vti nos Latinitatem, sublatam iri procurant. Eius duas cùm statuant differentias, alteram quæ à communi sit remota consuetudine, & in Grammaticã vergat analogiã, Latinè dicimus proportionẽ, qua videlicet simili modo inflectuntur declinantúrve, verbi gratia apud Græcos ζεὺς si habeatur ratio analogiæ inflecteretur ζεὸς, ζεὶ, ζεὰ, quæ non sint in vsu. Alteram iuxta consuetudinẽ vniuscuiusque Gentis, quam scilicet vsus & obseruatio confecerit, vtranque demoliri tentant. Ac de prima quidem satis constat eos frustrà sese artem tradere quæ à nullo recipiatur, quemadmodum qui nummos antiquatos & explosos in forum afferre vellet, quos nec circumforanei olitores admitterent. De secunda verò cùm vsus sit, & consuetudo varia, nihil etiam stati & omnino constantis potest asciscí: nam pro capitum varietate, variæ sententiæ fuerunt, authore Sexto. Nec abfuêre qui Demosthenem, Thucydidem, Platonem vocarent barbaros, barbarie quoque damnauit Demosthenem Aeschines, & Theophrastum, vnius affectatione verbi (si Latinis etiam stamus authoribus) vocauit hospitem anus Attica. Sed enim ipsa de arte loquendi vel Grecè, vel Latinè, vel alio quoquomodo, quidnam potest afferri stati atq; perpetui? quando omnia ad consuetudinem referantur variam atque diuersam nanque artem ipsam si dixerint sese habere, aut sine arte sese habere illam & tenere dixerint, aut aliqua arte. Si illud protulerint, ad consuetudinem recident vsu, non autem arte suffultam: si hoc, alia erit opus arte, atque iterum alia quo ad terminum non inueniat oratio: nam semper de illa quæretur arte, vllóne artificio constiterit an minimè? Rursum cùm earum quæ dicuntur artium aliæ veræ sint artes constentque suis principijs, vt statuaria, vt militaris. Aliæ minimè, sed nomine tantùm, & vanis promissis vt genethliaca & geomantica, opus erit iudicatorio ad interstinguendum hîc an ibi sit collocanda proprietas hæc, de qua loquimur, rectè vnoquoque in idiomate atque signanter disserendi. Id ipsum autem iudicatorium vel ritè & ex arte probabit, & rectum ab aliquo discernet, vel sine arte, primum si dicent, in ea incident incommoda, quæ suprà docuimus, ex infinitate pendere. Si secundum attulerint, quid aliud id fuerit, quàm consuetudo, quæ nulla indigebit arte? Cæterùm cùm nihil sit aliud hoc ritè loqui, vel Latinè, vel Græcè, quam quod apud Grammaticos discimus, id nempe vel clarum erit atque conspicuum, vel obscurum & ignotum. Primum dici non potest, quoniam consonum esset & constans non varium atque dissentiens, & prætereà in eo quod clarum est percipiendo non est opus arte, quemadmodum ea etiam non vtimur cùm album vel dulce, vel calidum sentimus atq; percipimus. Secundũ verò si afferatur in medium, id eueniet, vt obscurum quod est, cùm per aliud quiddã manifestari oporteat, certè manifestetur aut naturali

aliquo

aliquo iudice,quo, ſcilicet, duce natura, Latinitas aut Græcitas à barbarie internoſcatur,aut aliqua conſuetudine loquendi,quæ inter omnes conſuetudines ſit ſumma atq; perfecta,aut omni ſimul conſuetudine omnique in vnum coacto vſu differendi. Primum neutiquam dabitur,quoniam qui Latinè credũtur loqui, alij aliter & in generibus nominum, & verborum flexionibus loquuntur,nec minus Græci inter quos Attici τὸ τάριχος, Poleponneſij ὁ τάριχος dicunt, & alij τὴν στάμνον, efferunt, alij τὸν στάμνον. Quare hinc Grammaticus quomodo loqui oporteat, non præcipiet, neque diſcet, quandoquidem particulares diuerſorum inter ſe conſuetudines nec arte, nec natura conſtituuntur, ſi verò vnam præ alijs delegerint, quam ſummam dicant atq; perfectam, id vel ſimplici aſſertione dixerint, vel demõſtrationibus & methodicis probationibus adhibitis. Si primũ, contrà & ipſi dicemus pluribus magis quàm vni aſſentiri oportere. Si ſecundum afferent, cogentur fateri methodum illam normam eſſe & indicem qua & rectè, & non rectè loquendi fiat diſcerniculum: quod cùm nequeat fieri, relinquitur vt communi conſuetudini accedatur, hoc autem obſeruationi cõmuni, non regulæ analogicæ tribuitur. Siquidem aut poſitione, id Latinè, vel Græcè loqui conſtat, aut natura: non primum, quia non idem videtur omnibus, quod enim vni rectè, alteri non rectè dictum aſſeritur: ſi ſecundum dabitur, humana id lege ſancitum erit, quàm rectiùs percallebit is qui vſu eam deprehendit, quàm qui analogia venatus fuerit. Sed enim analogia num & ipſa à cõſuetudine deriuatur? ſi nihil aliud eſt quàm multorum ſimilium nominum appoſitio, vt definit Sextus, vel æqualiũ & inæqualium conſideratio vt ſcribitur apud eundẽ, vel vti Gellius ſimilium declinatio. Apud quem eſt videre fuiſſe etiam inter antiquos & longè probatiſſimos Grammaticos Cratetem & Ariſtarchum, non leuem controuerſiam, quando *hic* analogiã defendebat, ille anomaliam, hoc eſt, declinationis inæqualitatem, cui Marcus Varro octauo de Lingua Latina libro aſſenſus docuit, nullam eſſe ſimilium obſeruationẽ, tametſi in alijs defenderit analogiã, num, inquam, deriuabitur à conſuetudine vſuq; communi analogia? ſi multorum eſt ea nominum obſeruatio: Nomina enim conſuetudine conſtant, vnde & conſuetudini accepta referetur analogia, quæ cùm ab ipſa pendeat conſuetudine, hanc ſi ſuſtuleris, ipſam analogiam ſuſtuliſti, ſi receperis, ea nullo pacto neceſſaria iudicabitur. Ad hæc ſi antiquitati ſtandum, quiſnam author antiquior Græcis, & Latinis? non id certè ſatis conſtat, & multa iam antiquata communi conſenſu non recipiuntur, in quem conſenſum demùm & probati omnes loquendi modi, & omnes pariter vitioſi ſermones tanquàm in iudicem & arbitrum vniuerſæ locutionis referuntur, vt hinc etiam qui barbariſmum & ſolœciſmum definiunt, conſuetudinis meminiſſe conſtet, à qua quoniam abhorrent, vitio damnẽtur. Hæc autem conſuetudo aut nominum omnium & ſingulorum conſiderationem adhibet, aut aliquorum, aut multorum, non ſingulorum omnium, quoniam ea ſunt indeprehenſa, innumerabiliaque: at ſi aliquorum, non erit vniuerſalis: nam quod quibuſdam accidit nominibus, non ideò contingit omnibus, ſi plurimorum, ex quibus falsò confici, id quod eſt vniuerſale, quidam nugabantur, nónne aduertent qui dicturi ſunt differre id quod vniuerſim capitur, ab eo quod frequenter aut plurimum? illud enim ſemper eodemque modo ſe habet, hoc autem quandoque fallit & variat. Sic enim in nominibus vt in rebus naturæ ſæpenumerò euenit, vt excipiantur quæpiam quæ alijs non ſint ſimilia, ſicuti inter lapides magnes, inter ſerpentes ceraſtæ, inter quadrupedes elephas: inter piſces is quem Græci galeon appellant: quare quemadmodum eximitur magnes, ab alijs lapidibus quòd ſolus ferrum attrahat, vel ferrum ſequatur, & ab alijs animantibus elephas, quòd proboſcide ſolus pollet, & à ſerpentibus ceraſtæ, quòd cornua gerant: & illi à piſcibus quòd viuiparum animal habeatur: Ita nomina peculiari quadam inclinatione pollent, vt propterea nequeant cæteris ita annumerari vt ſimilia iudicentur: atque inde analogia conſtituatur. Quod ſi nobis regerant conſuetudines quoque eſſe varias, non nobis tùm, ſed ipſis qui ſe Grammaticæ doctores faciunt, illud oberit, reijciemus illud ipſum in ſuam analogiam, quæ quidem ſi ſimilium eſt obſeruatio, ſimile verò ex conſuetudine, conſuetudo autem inęqualis, & inconſtans: nónne fatebuntur inconſtantem & eſſe, & haberi debere analogiam? Quod ſi etymologia ſe dignoſcere aut dijudicare dixerint, aut hanc ipſam dicent analogiæ conſonare atque congruere, aut minimè, ſi pri-

si primum, trahetur ab illa, si secundum, opus ea non erit quemadmodum suprà de ea ipsa analogia & consuetudine diximus. Ad hæc nomen quod etymologia debet dijudicari Latinum, Græcúmve, an barbarum sit, aut omnia se præcedentia habet ipsi supposita etymologiæ aut non habet: si primum dent, facilè deuenient ad infinitum quendam, & sine vllo principio progressum, adeò vt ignoretur principium illud quodcunque tandem statuatur, cuínam linguæ debeat adscribi? Cùm sciri non detur à quo tandem vocabulo primum sit deductum, verbi causa lapis Latinum creditur nomen, quia ita dictus sit, quia pedem lædit, rursum de ipso verbo lædit, erit quęrendum, à quo sit deductum, illudq; ipsum Latina, Græca, Barbara ne voce sit appellatum? Quis enim primum illud supremumq; principium vndénam fluxerit, inuestigare poterit, ne dum statuere atq; decernere? Si verò secundum concesserint, promptum erit dicere, quemadmodum ea quæ etymologiam non habent, in quæ, scilicet, fatentur ipsa quibus inest etymologiæ ratio referri atq; resolui, suscipiunt ipsi, & pro Latinis vel Græcis habent non propter etymologiam, sed propter tritam aliquam consuetudinem vsumq; communẽ: ita id quod etymo suscipitur & propterea vel inter Latina, vel Græca reponitur, non ex etymologia, sed ex vsu, & consuetudine suscipi debere: sed enim quandoq; accidit vt eadem duobus nominibus appellẽtur, altero quod pollet etymologia, altero quod ab ea remotũ est: num propterea hoc vt barbarum reieceris, amplexatus alterũ? quod si feceris vide ne damneris à Græcis cùm ὑποπόδιον nomen, quod nos scabellum dicimus, χελωνίδα, nuncupent & Attici, & Coi: illud tamẽ etymo fretum esse nullus negat, hoc nullus affirmat, & χελωνὶς etymon habere non dicitur etiam ab ipsis Atheniensibus, quos tamen propterea barbaros minimè nuncupaueris. Quare cũ Græcè sine etymologia (nam quod de hoc dicitur, de alijs permultis dici posse ambigit nemo) loquantur, ipsi vsu freti consuetudineq; cõmuni, nõ secus & qui cõsuetudinẽ locutionis alijs in rebus sequuntur vel Græcè, vel Latinè loqui iuxta proportionem seruatam quis abnegauerit? etiã si analogiæ & etymologiæ rationem secuti non fuerint, & hæc ferè Sextus ipse Pyrrhonius de etymologia, sed Gręcè disseruit. Cui fortasse Laurentius Vallensis si eius legisset libros, plena, vt aiunt, cæra subscripsisset, eius illa nempe sunt verba in quarto Elegantiarũ: Tam parum attinet de etymologia disputare, quæ plerunq; fallax est & in primis nisi fideli fundamento nitatur, friuola. Addiderim ego libentissimè me resciturum quódnam, fidele fundamentum possimus etymologiæ substratum imaginari? nec etymologiæ solùm, verùm etiam & plurimis si non omnibus Grammaticæ partibus vna loquendi consuetudine prorsus abdicata? quis enim vt cætera, ita & figuras, & nominum, & orationum varias vsui consuetudiniq; non tradiderit? quæ & si vitio primũ ædita fuerint, laudem mox sunt consecutę. Hinc aphæreses, epentheses, syncope, systole, ecthlypses, sarcasmi, hypallagę, hyperbolę, synecdochę, zeugmata, hypozeugmata, & alia multa, quæ & cum antiqua circa præpositiones licentia, & cum barbarismis etiam, & solœcismis effecêre, vt nihil in oratione vitiosum adeò sit, quin aliqua possit, quæ in vsu fundata sit, ratione defendi: & de artificiali Grammatica hactenus.

Sequitur vt de historica dicamus, quam sine arte & methodo illi ipsi qui eam maximè colunt profitẽtur. Tauriscus enim Cratetis auditor versari eam circa promptitudinem quandam sine arte, & sine methodo materiæ. Dionysius Thracius qui in historijs & dictionibus partem historicã versari voluit, idipsum penè decreuisse videtur, & Asclepiades etiam eò tendit vt det intelligere & sine arte, & sine methodo esse partem eam, circa quam Grammatica versatur historia, quam quidem historiã ipsius Grammaticæ artis partem non esse, ita collegit Sextus ipse Pyrrhonius: aut est Grammatica, aut non est ars; si nõ est, nec quæ sub illa cõtineri dicitur vt pars; si est, tum ducetur etiam eam historicam partem non esse artem, quoniam partes artis, artificiales sunt, historicam verò partem sine arte, & sine methodo esse multorum Grammaticorum, de quibus suprà diximus, authoritate significatum est, quò fit vt historicam, quam vocant Grammaticam, partem non esse Grammaticæ confitendum sit, & confirmari maximè potest, ex eo quod ipsis in partibus historiæ quæ tres ab Asclepiade constituuntur, vera, scilicet, quæ in facto consistit, trifariam quoque diuisa in personas, in loca, & tempora, in actiones, falsa quę fabulis & fictionibus continetur, & Genealogias illas deorum & heroum vanas, & anilibus nugis similes exponi, tanquàm vera,

vera qualis in comicis,& mimorum scriptoribus cernitur; in ipsis,inquam, partibus nec ars vlla,nec methodus inuenitur.Nam quæ rogo ars in finibus terminísve regionum?verbi gratia,si Aracinthus sit Atticæ terminus:quæ in temporibus?si quartadecima, scilicet, olympiade sit natus Xenophanes: quæ in personis?si Plato philosophus,Aristocles antea nominabatur,aut foramen habebat in aure,si Aristotelis filia Pythia nomine tribus nupsit viris Nicanori Stagyritæ primùm, deinde Proclo Demarathi,qui originem traheret à regibus Lacedęmonijs, tertiò Metrodoro medico qui Erasistrati fuerit magister,vt Sextus voluit, vt autem Plinius velle videtur, pater: nam ex Aristotelis filia genitum Erasistratum Plinius in vigesimo nono scribit, & Chrysippi discipulum, & centum talentis Antiocho rege sanato ab eius filio Ptolemæo donatum,Sextus verò Empiricus Metrodorum medicum Aristotelis generum fuisse & Chrysippi Cnidij discipulum & Erasistrati præceptorem tradit, cui natus sit filius nomine Aristoteles ex Pythia ipsius Aristotelis filia: quæ,inquam,huiuscemodi in rebus aut ars,aut methodus?rebus,inquam,quę & infinita quodammodò sunt, & tàm varia vt quisque ferè in ijs propriam ferat sententiam : exemplum sit illud Aesculapij qui artis medicæ inuentor apud Græcos habetur, & fulmine interfectus, alij vti Stesichorus in Eriphyle de cœlo tactum volunt, quoniam excitârit ab inferis quosdam qui in bello Thebano cecidissent, alij quoniam Tyndarum, vt Panyasis, alij quoniam Tyndaridam reuocauisset ad vitam, Polyanthus Cyreneus,quoniam *Proëti filias Iunonis ira furentes ad sanitatem reduxerit,Staphylus,quoniam Hippolytum ex Troëzene fugientem curauit,Philarchus, quoniam opem tulerit liberis Phinei obcæcatis, matri, scilicet, eorum Cleopatræ gratum facturus, Telesarchus quoniam Orionem excitare tentauerit,Pindarus (quod & alibi retulimus) quoniam Medicinam nocenter exercuerat, quod & Tertullianus in Apologetico. His igitur & huiuscemodi in rebus à falsis vanisque historijs originem trahentibus,& desinentibus in ambages varias & inexplicabiles,ad quorumlibet etiam arbitrium fictas,artificialis vlla methodus aut speculatio reponetur? aut denique quomodo à falsis vera etiam si illis abdicatis in his quærenda ars esset vlla,secernemus?nullum enim tradidêre Grammatici discerniculum verarũ falsarumq; historiarum: nam & fabulosos alij fines historijs imponunt sicuti Vlyssi, quem in equum volũt fuisse transformatũ, alij verò similes fabulosis, nec in hoc etiam cõsentiunt veluti (ne à proposito recedamus exemplo) Vlysses à quibusdam fertur à Telegono filio per ignorantiam occisus,à quibusdam necatus aculeo marinæ turturis,quam gutturæ captam Larus emisset,& hæc de historica parte,vt arbitror,satis.

*alij legunt Prati


Reliquum vt pars quæ circa Poëtas,& authores alios interpretandos versatur,etiã monstretur,& inanis,& inconstans,quod paruo labore & fieri, & posse,& factum etiam esse maxima parte,liquidò conspiciet, qui animaduertet subuersas esse iam ex ijs,quæ diximus partes eas,quæ circa rationẽ, & artis Grammaticæ,& historicæ portionis obuersabantur:sine illis enim qui potest poëtarum aliorúmve scriptorum celebrata illa interpretatio consistere? Sed aliqua etiam vt negocium pluribus numeris absoluatur, dicenda sunt, qui argumentantur poëtarum lectionem vtilem esse ad vitam,commodissimeq; degendi,præbere occasiones, & ad felicitatem consequendam magnoperè conducere,proptereaq; Grammaticam nobis esse necessariam. Ei responsum dari potest,& in sumpto veritatem non inesse, & in connexo etiam (si illud pro vero excipietur) eam ipsam veritatem non reperiri, non minores enim malorum occasiones ex Poëtis,ad vitia quàm ad virtutes trahunt homines,vt qui & variè scripserunt,& modò vitijs habenas laxârunt, modò eas compescuerunt,vt facile est videre si quis eos in manus sumpserit, tametsi alio alius ad virtutem propẽsior,& alius alio sit inclinatior in vitia vel narranda,vel extollenda,opus igitur erit discerniculo quod non à Grãmatica,sed à philosophia petetur,quæ & Poëtã à Poëta, & loca à locis ipsa in lectione secernet.At qui necessaria propterea nõ erit ars Grammaticæ, quãdo sẽtẽtiæ si quæ sunt in Poëtis præclaræ,sine eius adminiculo possunt hauriri: quis enim non aduertat aut admonitiones,aut præcepta sumi absque Grammatica? sicuti & vulgus multa etiam vel ænigmaticè dicta memoriæ commendat ad vsum vitæ,vel prouerbia discit,vel peregrinarum etiam historiarum egregia aliqua facinora,nõ surda aure percepta,in animi admittit penetralia mentisq; secessus. De ea verò

parte

parte quam dicunt felicitati conducere, nescio an quia felicitatem rectè definiant,& methodum viamque doceant eius inueniendæ? an quia vtilem vitæ arbitrentur? quia aliquando vsui fuerit vel augendis opibus, vel principatu adipiscendo, sed vtrum malint etiam si vtrumq; simul capiant, nil eis commodi ad beatam vitam obuenit, nulla fit accessio felicitatis: nam de felicitate definienda quid dicam? quando multi existiment Epicurum ex Homero traxisse summum bonum esse in voluptate, ex Euripide multos impietatis habuisse occasionem: Impuri & obscœni amoris, & ebriosæ vitæ fomenta ab Alcæo & Anacreonte multos petisse: Iracundiæ præcepta ab Archilocho & Hipponacte bibisse, sunt qui velint, & longum esset percensere singula quibus aliqui præcipites iuêrunt ob ea quæ apud Poëtas perperam didicissent. Vtilem verò si dixerint aliquando, atque propterea felicitatis iter aperire, longè fallentur, quandoquidem quod vtile est vitæ aliquando, non tamen semper, nec ad finem illum supremum conducit. Alioqui saltatio etiam conduceret ad felicitatem, quoniam aliquando vtilis fuit Sostrato in Priene patria liberanda, quando ei Antiochus id ipsum muneris saltatione concessit: quin & necessariæ non modò vtiles habentur aliquæ apud homines mechanicæ artes, quæ tamen nullo pacto præstant felicitatem. Sed ne poëticam aliqua ex parte vtilem vitæ causa indicta prorsus abnuamus, & alias artes, quæ homini magnoperè subseruiant, refutare omnino videamur, dispiciamus eos qui Grammaticam dicunt eis ipsis artibus necessariam tanquàm cognitricem, & iudicem quónam fundamento nitantur? solidóne an harenoso? omnis enim poësis, omnis historia quæ Grammatico supponitur euentilanda, ex dictionibus declarantibus, & rebus declaratis constituitur: quare oportebit Grammaticum si vllam habet artem internoscendi, & dijudicandi Poëtas & Historicos, vel dictiones solùm, vel res solùm, vel vtrunq; cognosse. Res autem quomodo agnoscet Grammaticus? aliæ enim physicæ, aliæ metaphysiæ, aliæ mathematicæ, an physicas præter Physicum quisquam intelliget? adeò inuolutæ, implexæ, variæ, inconstantes? an mathematicas norit qui earum in speculationibus non fuerit antè versatus? quantò igitur minus quæ supra sensum, & humanam imaginationem? an igitur omnino sapiens erit Grammaticus, atque vt Græcis dicitur πάνσοφος & omnis scientiæ peritus? quod si cæcus eis in rebus erit, vtique non minus cæcutiet in poëmatibus, quæ ab ipsis erunt conscripta Philosophis, quemadmodum ab Empedocle, Parmenide, Timone, alijs qui rerum naturam speculabantur: si verò dixeris eos non in rebus versari, sed in dictionibus, afferant quámnam artem habent cognoscendorum vocabulorum? eam sanè non haberi ab illis anteà monstrauimus. Cuiúsnam quæso cùm sint apud diuersos diuersæ linguæ, & infinita propè vocabula in vna quaque earum, & rebus quæ ipsi ignoramus imposita? verbi causa, apud Sophoclem Phrygia quædam verba Regem significãtia, apud Græcos non idem significant, apud Philosophos verò quidam sunt modi loquendi atque vocabula quibus abditos mentis conceptus expromunt, ipsis tantummodò nota Philosophis: quod si neque ex significantibus vocibus, neque ex rebus significatis decernendorum poëmatum potestatem & artem nouêre, neque ex vtriusq; simul, vtiq; scituros eos facilè quisq; poterit arbitrari.

CAP. IIII.

QVAE ET CRITOLAVS PERIPATETICVS ET ACAdemici Charmidas atque Clytomachus, & Sceptici Philosophi aduersus Rhetoricam commentati sint, & quid operis author pro ea.



PErcursis quæ ad Grammaticam infirmandam facere videbantur, sese ad Rhetoricam demoliendam Pyrrhonij conuerterunt. Initio autem posuerunt definitiones eius in medium varias, ex quibus etiam quidnam sit, id quod confutari essent, difficulter dignosceretur: Deinde materia, mox & finis eius incontrouersia proponitur, indiscussa videlicet & plena rixarum: Postremò de partibus eius lis multa, cuius terminari modus non facilè queat, primum primitùs exequamur. Plato in Gorgia voluit Rhetoricam effectricem esse persuasionis per sermones, siue orationes in quibus, scilicet, vis collocaretur, & fide

esset non doctrina freta. Respexisse Plato fertur ad multa, quæ sine verbo persuadent, ad aurum, ad gloriam, quæ vim apud plurimos obtinent sanè quàm maximam, ad pulchritudinem prætereà quemadmodum ex Helenes conspectu decore Troiani senes apud Homerum mutauêre sententiam: & denudatum Phrynæ pectus plus iudicibus persuasit, vt meretrix non damnaretur, quam oratio illa, quam habuit Hyperides luculentissima, cùm verò fidei & doctrinæ mentionem fecit, eò direxisse aciem creditur, vt daret intelligi, alias etiam esse artes, quæ sermone persuadent, non tamen fide credulitatéve, sed doctrina, quare persuasio illa quæ Græcis πίθω dicitur ab artibus alijs Rhetoricam planè secernit. Xenocrates autem & Stoici scientiam benedicendi Rhetoricam definiuerunt. Sed inter Xenocratem & Stoicos id inuentum est discriminis, quod ille more antiquo scientiam pro arte posuit, ij verò pro certa comprehensione soli adnata sapienti, dicere autem verbo vsi sunt, vt differt à disputare, qua de re distinguitur à Dialectica, cuius munus breuiter, & concisè conficere propositum, cùm Rhetorica sese dilatet & explicet, vnde & Citiæus Zenon, palma extenta & pugno concluso alteram discreuit ab altera, Aristoteles artem eam sermonum dixit esse: ijs autem in hunc modum positis contradicere, nituntur Sceptici: omnis, inquiunt, ars collectio ex comprehensionibus exercitatis, & ad vtilem vitæ finem relatis, huiuscemodi autem non est Rhetorica, quare ars dici iure non potest: neq; enim falsorum sunt comprehensiones: Falsa autem sunt quę à Rhetoribus proponuntur ad Iudices decipiendos, ad commouendam vel iram, vel misericordiam, ad patrocinandum mœcho atque sacrilego, propterea Critolaus Peripateticus, & ante eum Plato Rhetoricam vituperârunt, ita vt malam potiùs artem vocârint, quam artis nomine dignati sint: neque enim aut semper, aut plurimum Rhetor consequitur quod intendit, sed sæpenumerò vincitur & frequentissimè succumbit: artifices verò alij, aut semper, aut plurimum à proposito fine non excidunt. Cæterùm contingit Rhetores esse, & quidem celebratos nulla artis Rhetoricæ peritia fretos, qualis Demades fertur fuisse, & multos palàm est videre natura ad benedicendum ita aptos, vt cùm nulla Rhetorices præcepta nôrint, in iudicijs tamen, & concionibus optimè disserant, contrà verò in Rhetoricis præceptis, & discendis, & docendis multos videris experientissimos, qui cùm orare velint magis muti, quàm pisces appareant, & vice cotis videantur defungi tradere quæ ferrum facit expers ipsa secandi: Ad hæc ipse Critolaus Peripateticus, cuius tanquàm impugnatoris Rhetoricæ meminit etiam Fabius in Secundo, Critolaus, inquam, & Charmidas, & Clitomachus Academici, conspicientes artes vitæ vtiles è ciuitatibus non solere depelli, Rhetoricam negauerunt artem esse quæ toties expulsa fuerit, & multa ad hæc adijciunt, vt de Cretensium lege quę vetuit Rhetoras insulam appellere, & quod Spartianus Lycurgus Thaletis Cretensis imitator, eandem legem intulit Lacedæmone, quæ tantarum fuit virium, vt multò pòst tempore iuuenem qui in peregrinatione Rhetoricam didicerat, Spartam cùm applicuisset, Ephori pœna affecerint, quòd dolosos in patriam sermones intulisset: in alijs etiam verbosas orationes non in se ipsis, tamen Perosi Lacedæmonij, & Athenienses, ænigmate linearum paruæ, & rectę, & longæ atq; obliquę notauerunt, & Chiorum legatum frumento vacuum dimiserunt, quoniam multis verbis petierat quod paucis petere potuisset: Alium verò legatum (nam eò remiserũt legationem, quoniam annonę caritate premebantur) voti fecêre compotem, quod inanem saccũ ostendit, & Chios dixit, quorum legatione fungebatur, indigere frumento. Cùm itaq; benè institutæ ciuitates Rhetoricam expulerint, non autem vllam artium, satis colligi dicunt, eam artem non esse: Atqui diceret pulsam olim fuisse Philosophiã, aduertat sectas quasdam aut hæreses Philosophiæ pulsas, non ipsam Philosophiam, vtpote sectam Epicuri tanquàm voluptatis magistram, & Socratis deorum cultui aduersam, non vnam autem Rhetoricam expulsam voluerunt, ita vt aliam retinerent, sed omnium Rhetoricã: hæc quidem Græci: At Latini qui nôrunt actum fuisse Senatus consulto Fannio Strabone & Valerio Mesalla consulibus, ne Romæ essent Philosophi neq; Rhetores, disparem causam afferre non possent, multoq; minus cùm postea sit manifestum sub Domitiano eiectos omnes Philosophos Roma fuisse consulto Senatus, & Italia eis non vrbe solùm interdictum, omnes inquam non solùm Epicureos, aut dijs aduersos tantummodò, sed Stoicos etiam qui sanctissimi à Gentibus habebantur, & inter illos celebratissimus

bratissimus Epictetus, qui propterea Nicopolim se contulit, vt etiam est in Atticis noctibus annotatum.

Cæterùm si ars, inquiunt, est Rhetorica aut habenti est, aut ciuitatibus vtilis vt artes cæteræ: Sed nec hoc, nec illud esse probabitur, quādoquidem velit, nolit Rhetor obuersari eum oportet in foro, in pluteis, cum hominibus prauis, cum sycophantis, eum ipsum ad locum confluentibus, & minus propterea verecundiæ præ se ferre conuenit, ne talibus hominibus sit despectui, audacter etiam loqui, & frontem perfricuisse vt terribilis videatur aduersarijs. Furtis prætereà sceleribusq; quoniam ea versare in actionibus opus est, obuersari quodammodo Rhetora quis ignorat? Ad hæc multas inimicitias incurrere & omnibus planè odio esse, partim quod multis aduersatur, partim quod ij quibus patrocinatur id ob mercedem facere illum cogitant, & alia præter hæc multa, & factu, & relatu indigna perpetiuntur. Ciuitatibus quoque inutilis videbitur ijs qui considerârint leges esse vincula ciuitatis, & quemadmodum anima corrupto corpore discedit, sic & corruptis legibus ciuitates perire. Quapropter apud Persas lex erat vt qui defunctis Regibus chari fuissent, omnem iniquitatem, postquàm animam ipsi Reges exhalassent, quinque diebus continuis committerent, non vti per sese malè agerent, sed vt opere ipso discerent populi, quàm magnum malum sit iniquitas, rapinas, cædes, & si quid peius inferens, vt fideliores propterea custodes Regum, quibus leges seruantur, euadant. Apud Barbaros qui Rhetoricam non agnoscunt leges inconcussæ & immobiles manent, apud eos quibus in precio Rhetorica est quotidie nouæ leges, quemadmodum apud Athenienses, vt propterea Plato veteris author comœdiæ scripserit, si quis tres peregrinatus menses fuerit, ciuitatem ampliùs non agnoscet. Apud Romanos de legibus inter Rhetores multa discordia: Etenim modò dictionibus ipsis, & legum positoris vocibus docent inhærendum tanquàm omnino claris & nulla interpretatione prorsus egentibus, interdum rem subuertentes, neque verbo, neque vocibus hærere præcipiunt, sed sensum & cogitationem authoris sectari oportere, iubent etiam aliquando secundùm apocopen leges esse legendas, & ex ijs quę relicta sunt, aliquem conceptum intellectúmve componi, sæpenumerò verò, & amphibolas voces interstinguūt, vtilem sibi significatum deligentes, & alia sexcenta fallaciæ mendicabula: vt propterea non insulsè dixerit Rhetor Bizantius, ciuitatis tales esse leges, quales ipse voluisset, instar videlicet præstigiatorum qui ludunt lapillis, & spectatores deludunt, ac velocitate & versatilibus digitis, tanquàm furantur aciem oculorum: hæc ferè & alia plæraque aduersus Rhetoras Academici disseruêre. Sed qui respondent, alij Platonem in Gorgia (vt mihi videtur) secuti, duplicem Rhetoricam faciunt, vrbanam videlicet, quæ solis in sapientibus cernitur, & vulgarem prauis hominibus notam, alij exemplo etiam vtuntur certantium hominum & viribus valentium, quorum si quis inter confligendum patrem percusserit, non quatenus bellator certatórve reprehenditur, sed veluti non benè moratus & impius, quo pacto & Rhetorem etiam si præcellens fuerit in fouendis iniquis causis meritò damnari volunt, hoc autem non artis, sed humani vitium animi habendum esse. Contrà tamen stant Rhetoricæ vituperatores, sapientem eiusmodi qualem describunt, aut nunquam aut rarissimè inueniri contendentes, quare nec talem eorum Rhetoricam illis videlicet non existentibus posse subsistere, vel rarissimè & instar prodigij, exemplum etiam reijciunt bellatoris aut athletæ, neque enim illi docent, sed quandoque iniqua faciunt: Rhetor autem sua in arte præcipit, quomodo magna parua fiant, quomodo ex paruis magna succrescant, iusta de iniustis, & contrà fiant, ac nigrum in candida vertant, & prætereà cùm ex contrarijs rationibus, & sermonibus ipsa Rhetorica constituatur, iniustum autem iusto contrarietur, fiet vt iniustitiæ tali Rhetor incumbat. Verùm ego existimo finem esse in causa posse, vt eiusmodi argumenta, quæ mores tangunt, dissoluantur, iniustos enim locos nosse, vt fugere eos possint, vt reijcere, cùm eis vtitur aduersarius, & ad artem pertinet, & à boni officio viri non videtur abhorrere.

Cæterùm ex materia circa quam versatur Rhetorica eam non esse artem voluêre: Primùm ex ijs quæ aduersus Grammaticos de dictionibus, & oratione sunt disputata: Deinde ex qualitate ipsius orationis, quæ si vtilis non sit, sed noxia, aut mixta ex noxio & vtili, mala potiùs quæ in ea fundatur ars, quàm artis nomine dignanda,

FFF 2 sicuti

ſicuti quæ circa inſalubria aut mortifera verſaretur pharmaca, aut ex mortiferis, & ſalubribus compoſita, non Medicina aut ars eſſet appellanda: pari pacto nec artis appellatione veniret calumniatrix, & ciuilis vitæ perturbatrix facultas. Adhæc benè dicere, non ſolùm pertinet ad Rhetorem, ſed commune eſt omnibus doctrinis & diſciplinis, & multam prætereà patitur difficultatem ipſum benè dicere, quo pacto debeat accipi: vel quòd res vtiles nunciet, vel quòd propria linguæ, in qua verſatur, ſint verba, vel quòd breuiter & circumſcriptè rem explicent: nam de rebus ipſis parum vel nihil ſciunt, & conſuetudo, & liberales artes etiam linguæ proprietatem ſibi vendicant: Breuiter verò tantum abeſt vt dicant, vt periodis vtantur & epiphonematibus, & concurſum vocalium vitent, & ſimiliter deſinentia verba vel de longinquo quæritent, adeò, vt ſi quis communi ſermone ita vti vellet, vt illi in orationibus, irrideretur. De fine quoque Rhetoricæ controuerſiam excitant, vt ſi finis certus non habere monſtretur, cùm omnis habitus diſciplinæ, fine polleat, ipſam diſciplinam, aut diſciplinæ habitum non eſſe pronuncient, vltimum finem Rhetoricæ plurimi dixerunt eſſe perſuadere, alij probabiles inuenire ſermones, alij opinionem, quam volunt iudicibus indere, qui perſuadere dixerunt, vſi ſunt diuerſis verbis: Plato perſuadere ſermonibus, Xenocrates perſuaſionis effectricem, Ariſtoteles poteſtatem ſpeculandi quod poſſit perſuaderi, Ariſton Critolai familiaris eius dixit intētionem eſſe perſuadendi, finem verò perſuadere, Hermagoras quæſtionem ciuilem diſponere ad perſuabiliter capiendum, Athenæus coniectantem perſuaſionem audientium, Iſocrates ſcientiam perſuadēdi. Sed cùm perſuaſibile tripliciter dicatur, quo in ſignificatu perſuaſionem capiant, interrogandi ſunt? Primò perſuaſibile dicitur quod manifeſto verum eſt, & veri phantaſiam efficiens homines ad aſſentiendum trahit. Secundò quod falſum eſt, & veri phantaſiam efficiens, ad aſſenſum inducit, quod εἰκὸς nominari Græci Rhetores conſueuerūt, ἀπὸ τοῦ ἐοικὸς εἶναι τῷ ἀληθεῖ, quaſi diceres ab eo, quod vero ſimile eſſet, vt hinc etiam illud Ariſtoteleum in Topicis declarari poſſit, parum alioqui Latinis cognitum enthymema conſtare ex iconibus & ſignis, quāquàm aliud genus enthymematum ex veris & neceſſarijs, ſed de materia probabili loquebatur, qua de re in quarto Logicarum inſtitutionum me latè ſcripſiſſe memini. Tertiò perſuabile dicitur, quod veri falſiq; intermedium & vtriq; commune videtur eſſe. Interrogandi inquam, quo de perſuaſibili intelligant? Si de primo, iam non eſt opus arte, trahit enim per ſeſe ad aſſenſum, nulla enim arte indigemus, vt noſcamus nos viuere dum ſcribimus, neq; furem aut adulterū in ſceleribus deprehenſum debere puniri. Sed enim ſi talis perſuaſibilis dicitur eſſe Rhetorica ſpeculatrix ob eam habitudinem, quam habet ad id perſuaſibile, quod non eſt tale dignoſcendum, quando contrariorum eadem ex diſciplina, ſemper dignoſcetur hoc genus perſuaſibilis ab eo, quod diuerſo in genere conſtituitur, atque ita etiam imperſuaſibilis erit ſpeculatrix, atque ita veri & falſi, quando illud verum eſt, perſuaſibile hoc, ipſi vero contrariatur: ſed Rhetoricam veri & falſi diſciplinam eſſe, nec Rhetores petunt, nec concedunt Philoſophi. Atqui oppoſitis quoque conſentire dicitur, oppoſita autem vera non ſunt, non igitur verum appetit, neque etiam falſum, nulla enim ars circa falſum conſtituitur. Verùm enimverò ſi ſecundum perſuaſibile falſum capiant, omnino ſcient & imperſuaſibile, quoniam vero falſum omne aut perſuaſibile, aut imperſuaſibile, omnis falſi ſcientia fiet, & per hoc omnis veri, atque propterea non differet à Dialectica. Ad hæc cùm circa oppoſita verſetur, & oppoſita falſa non ſint, falſi etiam non fiet ſpeculatrix. Cæterùm neque quod commune vero & falſo dicitur, perſuaſibile perſequitur, in hoc enim & complicatur falſum quod ars neutiquam ſuſcipit. Atq; in hunc ferè modum Ephectici aduerſus Rhetoricam argumentantur. Alij verò hac via procedunt, vel ars eſt Rhetorica, vel non eſt ars: ſi non eſt, finem eius fruſtrà diſquirimus, ſi eſt, quomodo communem finem habet cum alijs artibus, & rebus alijs quæ non ſunt artes: perſuadere enim multis commune, quando & diuitijs multi perſuadent, & gloria, & probitate, & corporis dotibus. Atqui nec perſuaſibilis eſt Rhetorica oratio in periodis artificioſaque verborum concinnatione verſata, ſimplex enim potiùs ſermo perſuadet, & cui nihil inſit fuci, nihil verſutiæ, isque ſibi magis & iudicem conciliat, & omne penè genus auditorum, qui priuatam videlicet quandam adhibet mediocritatem & caret inuidia, & caret ſupercilio, ſibiq; magis fauet, qui phaleratis verborum

borum pompis abstinet, quàm qui eas accersit. Propterea apud Athenienses à prima antiquitate non permittebatur, vt reis oratores adsisterent in Areopagi consilio, sed vnusquisque pro seipso nudè atque simpliciter verba faciebat, & hactenus de ijs qui finem voluerunt esse persuasionem.

Qui verò probabiles susceptibilesq; sermones inuenire, dicunt finem esse Rhetoricæ, falluntur, cùm propter alia multa, tùm propter ea, quod alium finem vlteriorem quærit orator, ad quem scilicet probabilia, & susceptibilia ducunt, & verba, & argumenta: Qui verò opinionem indere talem in animis iudicum, qualem volunt Rhetores, dicunt finem esse Rhetoricæ, ij ab eis non differunt, qui persuasionem finem esse dixerunt, qui enim persuadet, talem in audientis animo parit opinionem, qualem ipse voluerit, hoc autem finem non esse suprà est patefactum. Sed nec vtile quoque finis habebitur, quod enim partis est finis, hoc neutiquam totius est finis, deliberatricis enim partis vtile finem haberi Rhetores voluêre, & præter ea quod vtile est omnibus vitæ artibus, communis est finis, qui verò vincere finem faciunt, non considerant quàm paucos constituant Rhetores, & quæ inanem, & potiùs euanidam artem defendant, quando vinci potiusquàm vincere Rhetoribus obuenit; quare rhetor potiùs dicendus ille non erit, qui raro finem assequitur Rhetoricæ facultatis, quandoquidem omnis artifex à suæ artis fine rarissimè excidit, tantum abest vt illum, aut non frequenter, aut plurimum consequatur. Partes verò Rhetoricæ ducunt in controuersiam, aliam enim iudicialem faciunt, cõsultricem aliam vel deliberatricem, aliam laudatricem. Primæ finem dicunt esse iustum, secundæ vtile, tertiæ pulchrum vel bonum: quare cùm diuersæ partes, & fines quoque diuersi, nec conuenient inuicem, nec conuenire etiam videntur posse, vt ars subsistat, & eius finis persuasio meritò iudicetur. Sed nec quid iustum, quid vtile, quid bonum, aut pulchrũ sæpenumerò constat, hinc Coracis historia in scholis protrita, & prouerbium mali corui malum ouum à iudicibus decretum, hinc in deliberando tàm multæ controuersiæ, & in laudando tanta dissensio, quando alia sæpè laudum materia repugnat alijs laudibus, vnde Busiris, Amycus, Antæus, hospitum interfectores genere laudati, quanquam moribus damnatissimi. Sed enim pars illa Rhetoricæ, quæ dici solet verborum sententiarumq; elegantia, & vno eloquentiæ nomine significari, quo pacto impugnari queat? quando & naturam imitetur, quæ vtilibus pulchritudinem iungit, quod in cœlo spectare licet in syderibus, in elementis, in plantis, in animalibus, & omnium quotquot in literis benè audierunt consensus accedat, sic & apud Gentes eloquentiam, non modò Rhetores, sed celebratissimi Philosophorum Plato, Aristoteles, Theophrastus cæteri percoluerunt, adeoq; scribere cum laude sine ea non potuerunt, vt illud in Platone sit iudicatum admiratione dignum quod in irridendis oratoribus ipse summus orator esse videretur: Apud nostros non in Græcia solùm Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Basilius, Theodoritus, alij: sed in Latio quoq; Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, & non parùm multi verborum sententiarumq; elegantiam, & orationis neruos ad persuadendum aptos suis in libris exhibuerunt, vt mittam Paulum Apostolum à Laurentio etiam Vallense, qui multos eloquenter scribentes authores vexauit, eminentis eloquentiæ titulo maximè laudatum: & de Rhetorica hactenus, nunc ad Mathematicas facultates & in primis ad Geometriam descendamus.

CAP. V.

QVID ADVERSVS GEOMETRAS SCEPTICI PHIlosophi maximè attulerunt.

POstquàm Grammaticam & Rhetoricam facultates vexauêre Sceptici, ad Geometriam & reliquas conuersi artes, quæ dici Mathematicæ solent, infirmare quoque illas & tanquàm de medio tollere sategerunt, quorum argumenta vel nomina, vel plurima & breuiter, & quoad fieri à nobis poterit, faciliter colligemus, Latinè verò quoniam illi Græcè scripsêre interpretati, eorum rationes atq; sententias quadã veluti paraphrasi referemus. Itaq; Geometriam ducentes in controuersiam, quoniam (inquiunt) eius artis professores animaduerterunt multitudinem difficultatum eos insequentium, tutum quendam ex-

quirere sibi locum procurantes Geometriæ principia ex hypothesi petenda esse decreuerunt: quare & nos aiunt illis contradicere cupientes, de hypothesi siue suppositione verba faciamus Timonis instar, qui aduersum Physicos disputaturus, benè actũ sibi existimauit antea quærere, an ex hypothesi quicquam insumendum esset? est autem hypothesis alia, quæ prætendi Tragicis Comicisq; poëmatibus assolet, alia quæ in Rhetorica facultate versatur, dum de re particulari quæstio fit, alia quam demonstrationis principium appellamus, dum petimus quicquam vt ad rem cõcludendam nos præparemus, atque de hac ipsa quoniam Geometrę illa nituntur, ante omnia disseremus. Interrogemus igitur eos in hunc modum, vel firmum & stabile est ad faciendam aliqua de re fidem, quicquam ex hypothesi capere, vel infirmum & debile: si firmum & stabile, & firmum quoq;, & stabile fuerit, si quid ei aduersum ex hypothesi desumetur, quare pugnantia controuersaq; ponemus. Si verò aduersum illud atq; oppositum eius, quod ex hypothesi desumptum est, sine demonstratione fidem facturum non est, & in illo quoq; hypothesis ipsa fidem minimè faciet, quare neutrum supponamus: ex hypothesi igitur suppositionéve quicquam non esse desumendum, aptè colligi poterit, præterea res ipsa quæ supponitur esse, aut vera est, aut falsa: si vera, non petamus eam nec concedi nobis postulemus, ad hypothesim videlicet rem suspicionis plenam confugientes, sed sponte nostra capiamus, nullus enim quæ vera habentur existuntq; supponit, veluti diem esse, cùm Sol terras illustrat, & me nunc scribere & respirare: conspicua enim isthęc & incontrouersa ex sese suopteq; ingenio, firmam habent positionem non ambiguam, & litis plenam suppositionẽ: quare si vera est res, non quæramus nos & tanquam precario nobis concedi eam postulemus, non secus ac si vera nõ haberetur. Si verò ipsa res vera nõ fuerit, nihil inde nobis, id est, ex hypothesi affertur emolumenti: & si enim millies supponamus id quod solido caret fundamento, nunquam tamen superstruere poterimus stabile mansurumq; ædificium. Cæterùm si quis existimauerit consonum esse vt fida sint, & vera, quæ sequũtur ad ea quæ supposita fuerint, omnem quæstionem sustulerit: illicò enim quisq; nostrûm supposuerit, tria quatuor esse, & hoc dato atq; concesso deducet sex octo esse. Si enim tria quatuor habentur, & sex octo haberi poterunt, sed tria quatuor sunt per hypothesim, ergo sex octo, atq; in hunc modum multa possent excogitari, quæ si Geometræ non admiserint, vtpote quibus placeat solidum extare fundamẽtum, si quod ei superstructum fuerit, debeat admitti, ita & ipsi dicemus non admissuros quæcunq; ipsi desumunt ex hypothesi, nisi demonstratione illa ipsa firmauerint. Quod si fide dignum esse illorum suppositum & firmum censuerint, qua suppositum est, non hæc supponant ex quibus quicquam postea demonstrent, sed ipsum illud, quod iam demonstrauerint, hoc est, non sumpta propositionésve demonstrationis, sed ipsam conclusionem: quam enim potest illis fidem facere, vt omnibus quæ patefaciunt, hypothesis, hanc ipsam poterit in omnibus rebus, quæ ipsa demonstratione patefacta sunt, quod si fidem facere nequiuerit, neq; si sæpissimè supposita fuerit conclusionis demonstratio, sine demonstratione fidem nũquàm faciet, nec quod in huius ipsius præparationem desumptum fuerit, nisi per demõstrationem doceatur. Etenim cùm dicunt si id quod sequitur hypotheses, verum inuenitur, fiet vt & ipsæ hypotheses verę inueniantur, planè non recipimus, vnde enim fiet, vt quod in probatione, quę illis dicitur demonstratio, certè sit verum? vel enim ab illa ipsa hypothesi, & omni eo quod suppositũ est de ipsa veritate certiores fient, vel ex propositionibus quæ illam ipsam sunt consecutæ. Primum neutiquàm dicent, obscurum siquidem quod supponitur, est minimeq; manifestum, quod autem manifestum non est, ex se ipso fidem, nõ faciet, quò fit vt explicare ipsum conentur tanquàm id, quod in se vnde illi assentiamur nõ habeat. Sed neque ex propositionibus desumptis edocebuntur, de ijs enim vniuersa concertatio, quoniam firma, & inconcussa non sunt, neq; etiam quod ex illis demonstratum dicetur, firmum erit & ratum: quoniam verum consequi falsum potest, exemplo sit illud: terram volare falsum est, ad eam tamen falsò volantẽ sequitur hoc verum, id est, eam esse, quare si consequens verum inuenitur, non propterea quod antecessit, verum illicò fuerit. Quibus omnibus conficitur non rectè facere Mathematicos, cùm ex hypothesi principia desumunt demonstrationum speculationumq; suarum, quando nec, quod ex hypothesi capitur, certum vnquàm est, nec si quod verũ ex ea deducitur, probat, hy-

bat, hypothesim fuisse veram, quoniam ex falsis vera deduci possunt. Atq; hęc quidem in vniuersum, quod ex hypothesi docentibus certò syncereq; assentiendum non est, ferè disceptant, mox quę statuuntur ab eis docenturq; definitiones, veras nō esse singulatim contendunt, neq; enim illa recipiunt: corpus esse quod trinam habet dimensionem, longitudinem, latitudinem, profunditatem, ex puncto lineam, ex linea superficiem, ex superficie corpus constitui: in primis autem finitionē puncti reijciunt, vt sit signum sine parte & dimensione, & extremum lineæ, nam aut corporeum, inquiunt, aut incorporeū, non primum quia contradicit definitioni, nō secundum, quia ex incorporeo nihil constituitur, linea verò ex puncto fit, vt ipsi volunt. Cæterùm quando quæ manifesta non sunt, per ea, quæ sensibus apparent, conspiciuntur, fiet vt si in sensibilibus nullum signum aut terminus appareat sine dimensione, in ijs quæ imaginatione capimus, etiam idem conspicere cogitareq; debeamus: quare si in sensilibus nihil sine dimensione inuenitur, nihil etiam inueniri tale in ijs, quæ nobis imaginantur, consentaneum sit: sed enim sensile quātumcunq; terminus vel signum cuiuspiam sit, dimensione non caret: extremum enim illius summumq; quiddam, & est, & habetur: omne autem tale & pars illius concipitur esse (minuitur enim omne id à quo sua extrema tolluntur) quod autē est pars, cōplet id cuius est pars, quod autē est pars, complet omnino longitudinem, auget & id, cuius est auctrix magnitudo, ea ipsa magnitudine minimè carere cognoscitur: quare si quod concipitur mente, à sensibus transsumimus, nullum extremum sine parte, sine dimēsione recipiemus. Ad hæc ipsi cùm dicant exeuntem à centro lineam rectam, & extremo fini terminóve circumductam, sui ipsius describere circularē ἐπίπεδον, id est, planiciem. Quomodo possunt effugere punctum non habere partes, non esse indiuisilem, nō carere dimensione: summum enim siue extremum, siue finis ipsius rectæ lineę punctus est, qui ductus in orbem describit metiturq; circumferentiam, vnde & eam ipsam complere dignoscitur: hæc autem distantiam habet, quare & qui eam complet punctus, omni distantia non carere comprehenditur. Si autem sphæram vno tantùm signo punctóve planiciem tangere, & reuolutam lineam facere à Geometris omnino recipitur, manifestū fuerit ex ipsis concurrentibus punctis lineā compleri. Igitur si magnitudinis lineæ ex se ipso fabricator est punctus, & ipse quoq; non est expers magnitudinis. Neq; ijs argumētis Eratosthenis illa responsio satis obsistet, punctum nec locum capere, neq; distantiam lineæ metiri, eum verò dum fluit, lineā facere, quo pacto enim potest intelligi, vt quicquā fluat quod à loco digressum quopiam alium non petat locum? quare si fluere punctū imaginemur, sequetur vt non solùm impartile ipsum putemus, sed potiùs ex contrarijs partibus constitutum: & de puncto hactenus. De linea verò etiam si punctus existeret, ita disputant, vt stare eū non posse arbitrentur. Si ea, inquiunt, fluxus est puncti & longitudo nō lata, vel est punctus in longitudinem extentus, vel multa puncta ordine iacentia, atq; inter sese continua. Sed nec hoc, nec illud, quare linea non datur quo ipsi statuunt modo. Si enim primū dicatur vt videlicet sit punctus, vel is vnū solùm habebit locum, vel loca mutabit, vel ab aliquo loco vsq; ad alium quēdam locum protendetur. Si primum iam non erit linea, sed punctus, qui dum flueret, lineam constituit. Si secundum responderint, sanè alterum intelligere eos consentaneum est, vt scilicet vno relicto loco petat alium, vel à loco quem habet, & obtinet, in alium protēdatur: si illud, iam vt diximus, non erit linea, sed pūctus: qua enim ratione primum obtinens locum punctus erat, eadem secundo in loco punctus habebitur? Si verò dixerint postremum, vt à loco quem obtinet, locum in alium transferatur, dicant & illud diuisi loco an indiuisili protendatur? Si indiuisili iam non linea, sed punctus habebitur & signum, quod enim locum indiuisilem continet, est indiuisile, quod autem indiuisile, punctus non linea censetur. Si verò diuisili, iam & partes habebit siquidem omni coëxtenditur loco: quod autem partes habet, loci partibus coëxtentas, corpus est, quare signum ipsum & diuisile, & corpus esse censebitur, id autem tàm absurdum quàm quod maximè, his omnibus colligi potest, lineam non esse signum punctúmve in longitudinem extentum. Sed quod neque puncta multa ordine posita, vel inde colligetur, quod hęc ipsa vel sese inuicē tangere intelligentur, vel non tangere: si non tangent, quibusdam videlicet intercepta locis dispescuntur, quæ autem ita sunt dirempta, vnam nequaquam lineam conficient: quod si tangere sese mutuoq; connecti

dicentur, sanè vel tota totis iungentur, vel partes partibus. Si hoc dicent, sequetur vt non sit aliquod eorum sine dimensione & sine parte, quod enim signum (verbi causa) signorum duorum medium concipitur esse, alia quidem parte signum quod antè est, alia quod retrò est, signum tanget, quare cùm locis ita differant, non impartile signum, sed multipartile censebitur. Si verò tota totis signa iungentur, manifestum erit in signis signa contineri, & eodem concludi loco. Sed enim seclusa quacunque signi punctiq; ratione, adhuc tollere de medio lineam conantur, ea enim est vt Geometræ volunt longitudo non lata.

Videamus nos & diligenter speculemur, an in sensilibus, an ipsis in intellectilibus possit vlla reperiri longitudo non lata? atque in sensilibus quidem, vbi cœperimus longitudinem sensilem, statim sese nobis infert cum ipsa quantitate latitudo concipiendam. In intellectilibus verò aut imaginarijs idem euenit, quatenus alteram altera tenuiorem strictioremq; lõgitudinem capere animo possumus. Cùm autẽ ipsam longitudinem, æqualitatem seruantes, diuidemus cogitatione nostra latitudinem, atque iterum etiã diuidemus, minorem quidẽ latitudinem semper atq; minorem cogitabimus. Postquàm autem semel priuauerimus latitudine longitudinem, nõ ampliùs longitudinem imaginabimur, sed tolletur protinus, eiusq; notio euanescet. Nam si modos omnes notionis mente versabimus, in eorum nullum incidere comperiemus, vt longitudinem sine latitudine rectà concipiamus: neq; enim incidit talis longitudo sensibus, neque ex sensilibus coniectamur eam, neque transferimus aut similitudine, aut compositione, aut analogia, idque vel auctione, vel diminutione: tot enim nec plures, nec pauciores esse notionum modos satis constat. Cui autem sensui incidit vnquàm longitudo non lata? cui autem venit in animo ex rebus sensu perceptis transcendere, & quadam metaphora eam ipsam decerpere? an similitudine? sed ei (quod fieri non potest) potéstne aliquod simile inueniri? nihil enim in sensilibus atque adparentibus quod latitudine aliqua careat conspicimus, vnde possimus moueri ipsius similitudine ad tale quiddam animo concipiendum, quod enim simile est, alicui iam cognito simile, & est, & habetur: fieri enim quî potest vt simile ei quod non est cognitum inueniamus? an fortè compositione vel analogia? sed dicant nobis quódnam eorum, quę sensibus nota sunt, cum alio component ad indagandum non latam longitudinẽ, quemadmodũ ex homine, & equo quæ animalia sunt oculis nota, centaurum animo composuerunt, dicant & quánam vti analogia possunt, vel augendo, vel minuendo? vt hanc ipsam sine latitudine longitudinem expiscentur: quæ enim secundùm analogiam concipiuntur quandam cum eo à quo concipiuntur, similitudinem & conuenientiam habent, siue augeas, siue minuas, vt ex viso communis magnitudinis homine, cyclopem, & ex illo ipso homine pygmæum effingis, nihil autem commune, nihil simile, nihil proportione quadrans inuenire poteris longitudini latæ, & non latæ longitudini, quæ & ipsa nullo vnquàm modo sensibus humanis apparuit. Neque illa Geometrarum excogitatio satis eis omnino proderit, per extentionem continuam, & per minutionem longæ latitudinis, ad non latam longitudinem perueniri posse, suprà enim ostensum, vniuersam & absolutam priuationem latitudinis, perniciem esse longitudinis, quæ scilicet non potest sine illa consistere: nam etsi ad tenuissimam strictissimamq; latitudinem, possit quispiam extentione minutioneque peruenire, si quid tamen restabit, latitudo erit quanquàm exigua & penè euanida, alioqui, vt diximus, peribit longitudo, quę stare non potest, si latitudinem omnino sustuleris: neq; item illa valet Aristotelis similitudo Geometris suffragari visa, capere nos animo muri longitudinem, non cõsiderata latitudine: nam cùm rerum non manifestarum cognitio sit per earum quæ videtur notitionem, aberrauit (inquit Sextus) & sophismate lusit Aristoteles, quandoquidem cùm muri longitudinem sine latitudine cogitamus, non sine omni latitudine ipsam cogitamus, sed sine ea tantùm quę in ipso constituta est muro, quare longitudo quidem sine hac vel illa cogitari latitudine potest, sinę quacunq; omnino non potest.

At enim quoniam lineam dicunt Geometræ terminum esse superficiei. Age de vtriusque simul verba faciamus, sic enim facilior sternetur via ad eam quæ de corpore futura est disceptationẽ, si linea quæ, scilicet, statuitur esse lõgitudo non lata, terminus est superficiei, manifestũ erit cùm, superficies superficiei componetur, vel duę lineæ

parallelæ

parallelæ fient, vel vna vtræq;. Si hoc postremum dicent, sequetur etiam vt duo corpora sint vnum corpus : si enim linea terminus est superficiei, & superficies corporis ex duabus autem lineis vna constituitur linea, constituetur quoque ex duabus superficiebus vna superficies, ex duabus autem superficiebus vna constituta superficie, ex duobus corporibus vnum fiet corpus : sed si duo in vnum euadent corpora, compositio non erit compositio; sed vnio : quod est tàm absurdum, quàm quod maximè, quando etiam videamus in corporibus compositis quædam fieri vnum nequaquam posse, & prætereà oporteret secessionem fieri, non per ipsa tantùm extrema, sed per alias, & alias partes euulsas, ita vt corruptio inueheretur, quod neutiquam videmus, cùm spectari detur fines & extrema corporum ante compositionem, & post secessionem talia videri, qualia in compositione apparuerunt : si verò parallelæ fient duæ lineæ compositione duorum corporum, quod erit ex duabus lineis constitutum, maius erit vna linea, quod si detur consequens fuerit, vt vtraque linea habeat latitudinem, quando cum altera maiorem faciet distantiam: atq; ita linea non erit longitudo sine latitudine, quare alterū duorum possumus inuehere, aut tolli oportere sensuum apparentiam, aut Geometrarum paruipendere phantasiam, vt linea sit lōgitudo non lata. Hinc verò digredientes ostendamus, vt si eis etiam ipsorum concedantur hypotheses, non tamen sequi quod ex illis colligere sese contendūt, pugnat sanè illud eius dogma lineam esse longitudinem sine latitudine, alteri illi dogmati, lineam rectam in se conuersam omnibus eius partibus circulos describere, si enim circumscribere circulum, nata est recta linea in se ipsam ducta, non erit ea longitudo non lata: cùm enim recta à centro ducta in se conuertitur, & per seipsam conscribit circulum, tunc aut per omnes partes latitudinis in ipsa inclusæ circumferentia, linea ipsa recta defertur, aut non per omnes : si hoc dixeris, num & dicturus es eam non describere circulum, per aliquas quidem partes, per aliquas verò minimè delatam? Si illud respōderis vniuersam tum circumferentiæ latitudinem dimetietur, quod autem metitur latitudinem, latitudine non caret, cui, scilicet, commensuretur: ergo erit linea longitudo lata, quod & manifestius ostentetur illorum ipsorum dogmate, cùm affirmant obliquum tetragoni latus circumductum, parallelogrammon & superficiem commensurare. Siquidem longitudo non lata est, obliqua costa tetragoni & circumducta non dimetietur parallelogrammam superficiem tetragoni per se ipsam: quod enim latitudinē dimetitur, latitudine carere non debet. Aiunt prætereà planiciem à cylindro secundùm rectam lineam tangi, qui reuolutus secundùm aliam, & aliam partem positu suo planiciem dimetitur, vnde & planicies ex rectis constituitur, & cylindri superficies rursum ex rectis conflabitur, quo fit vt cùm habeat planicies latitudinem & superficies cylindri similiter non sit sine latitudine, quod est constitutiuum ita dixerim latitudinis, debeat etiam ipsa latitudine pollere : manifestum igitur quod rectæ lineæ quibus latitudo coalescit, latitudine minimè carent.

Cæterùm etsi concedamus lineam longitudinem esse non latam, quæ ad hoc consequentur, planè fuerint absurdiora: vt enim fluens punctus lineam constituit, sic & linea fluens eorum ex dogmate superficiem constituet, quæ sit corporis terminus duabus pollens dimensionibus, longitudine videlicet & latitudine. Si igitur superficies terminus est corporis, corpus autem omnino terminatum: quod si est, cùm duo inuicem corpora aptantur, tunc vel à terminis termini, vel à terminatis terminata tangentur: si primum dederis, sequetur vt quod est deinceps, dare non possis: hoc est, vt terminata non tangantur à terminatis, id est, corpora corporibus, quod est absurdum. Si verò ipsa sese cōtingere corpora concesserimus, eorum verò terminos sese inuicem non contingere, extra proprios terminos ipsa constituentur corpora, quod si per terminos tangentur termini, & terminata contactu iungantur terminatis, dubitationem conflemus: qua enim termini se inuicē tangunt, sese inuicem terminata non tangent. At si tangent extra proprios terminos, corpora collocabimus, quoniam terminus est superficies, corpus autem quod terminatur : termini autem aut corpora sunt, aut incorporea. Si primum detur, falsum erit dogma illud Geometricū superficiem profunditate carere? Si enim corpus est, necessariò pollet profunditate: omne enim corpus debet esse profundum, deinde neque tanget quempiam, sed totum erit infinita magnitudo. Si enim corpus est, quoniam omne corpus terminū habet, & ille si corporeus

poreus est, habebit terminum, & ille, terminum & sic in infinitum. Si verò terminus erit incorporeus, quoniam incorporeum à nullo potest tangi neque termini se inuicem tangent: verùm enimuerò corpus quod debet tres habere dimensiones, aut aliud est ab illis ipsis dimensionibus, aut collectæ dimensiones illæ ipsæ sunt corpus; primum neutiquàm dicent, quoniam vbi illæ non sunt dimensiones, ibi corpus non esse intelligitur. Si secundum, quoniam nullum earum trium corpus est per sese, neque illorum collectio, corpus iure meritoque habebitur, maximè apud eos qui ex punctorum collectione, & superficierum quæ incorporea dicuntur esse natura, solidum & resistens corpus nolunt omnino posse confici, sic & profunditatis quæ incorporea est, concursus solidi & resistentis corporis non erit effector. Ad hæc si trium dimensionum illarum concursus corpus constituit, aut priusquàm hoc efficiant, vnaquæque intelligetur in se corporis rationem, vulgari autem vocabulo corporeitatem habere, & tanquàm corporeas quasdam rationes, vel post illarum coitionem & conuentum corpus constituitur. Si primum erit earum vnaquæq; corpus, non post illarum conuentum fiet illud & constituetur, & quoniam corpus non solùm est hæc, vel illa ex tribus dimensionibus seorsum, sed tria simul vnaquæque illarum seorsum tres illas habebit in sese, vnde latitudo non solùm erit latitudo, sed profunditas & longitudo, & longitudo etiam latitudo, & sic de cæteris proportione pari: si secundùm dixerint, hoc est, vt postquàm conuenerunt dimensiones, corpus constitutum intelligatur, tunc alterum duorum dare oportebit, vt videlicet vel conuenientibus ipsis maneat ipsa longitudinis ab initio primaq; origine natura, vt longitudo est, & latitudinis vt latitudo, & profunditatis vt profunditas, vel transmutentur in corporeitatem: si illud responderint, cùm illa suapte natura incorporea sint, corpus à seipsis differens non constituent, sed post concursum conuentumq; ipsarum incorporea manebunt. Si verò dicent hoc postremum, vt incorporeitatem ipsam vertantur transmutenturq;, tùm sequetur illud, quoniam omne quod mutationem suscepit, est corpus, vt illę ipsæ corpus fuerint antequàm ad ipsum constituendum corpus planè concurrerint, atque ita incorporeum fieret corporeum: hæc & alia plæraq; Sceptici contra Geometras disputant & lineam pariter angulum, circulum proprijs conantur argumentis demoliri.

CAP. VI.

QVOD ALIA ADVERSVS GEOMETRAS POSSVNT afferri, ibiq; etiam plæraque in eosdem ex Philosophis antiquis, ex iunioribus, ex authore, ex Ioanne etiam Pico patruo.




CÆterùm ex aliarum etiam sectarum Philosophis aduersus Geometras, multa eorum quæ ipsi stata & firma existimant esse, duci possunt in controuersiam, primùm Aristoteles aliter, quàm Euclides punctum definit: hic enim punctus est, cuius pars non est: Ille verò indiuisile in re continua positione habens. Indiuisile vt genus scilicet ad vnitatem & pũctum, positionem habens ad differẽtiam vnitatis apposuit. Sed si habet positionem punctũ & situm, quomodo indiuisile? aut quomodo non cõponitur ex punctis continuũ? nam quæ habẽt positionem, habent & ea quæ ad positionẽ necessariò consequũtur, & maximè locũ, qui inter cõtinuas quantitates numeratur, sanè & fuêre qui continuũ ex punctis indiuisilibus cõponi existimârunt, vt multi Platonicorum, qui & Robertus Lynconiensis, & Bonetus adnumerãtur, ita vt in infinitum diuidi quod continuum est nequeat, aduersus Mathematicos, quibus etiam hac in re præter illas rationes, quod punctus indiuisilis non potest nisi imaginari, nullo pacto re existere, quod & Nicolaus Cusa etiam libentissimè admisit, ita vt rei non respondeat imago: nam si continuum in infinitum diuideretur, totum non haberetur sua parte maius, præter illas, inquam, rationes, Auerrois authoritas suffragaretur, primò de Generatione particula decima octaua, qua docetur nequaquàm diuidi posse continuũ in partes infinitas, aut aliquotas aut proportionales, quia infinitum actu haberemus, vnde cuidam ex iunioribus Aristotelis interpretibus facilè potest responderi: nam ille quanquã nullum esse con-

tinuum,quod non possit diuidi censet, in infinitum tamen posse diuidi plane abnuit. Alioqui si digitalis quantitas in infinitum diuidi quiret, vt pedalis, cuius est pars,num huic illa prorsus æquaretur quatenus quanta? quatenus magna? id est, nec maior, nec minor:nam id est maius alio quod si minus fiat,id est,si ei dematur aliquid,tamen adhuc tantundem habetur, id est, æquale esse ei quod excedebat, maior ergo pedalis linea quàm digitalis, & tamen non maior, si omni & quacunque facta diuisione, non plus potest ei adimi quàm minori. Simplicius item Philosophus in commentario in tertium de anima librum Geometriam, vt & cæteras Mathematicas abdicat à philosophia, Mathematicas inquam non Pythagoreas quæ viuentibus (vt eius vtar verbis) rationibus nitebantur,quasi illud videretur, vel de longinquo subodorare, quod factum est,in ipso vita erat, sed quæ secundùm se accidentia cõsiderant,figuras, magnitudines,cætera. Nam indigent,inquit,sensu ad notitiam,& causas non rimantur, scilicet, veras & substantiales, & principijs nituntur quæ non vidêre vel non nouêre. Nec mihi videtur Aristotelicum illud obstare vulgatum protritumq́; : Abstrahentium non est mendacium:nam ibi falsitas potest esse vbi mendacium nõ est: nam potest imago non respondere exemplari, tametsi contra mentis sententiam id non proferatur, sensui enim nituntur Mathematici & tamen non sistunt in sensibus, adeò vt examen veritatis probationum sensus arcessatur, vt hinc quæstiones multæ solido fundamento non niti videri quoquomodo queant,quas tamen plærique tractant de diuisione continui,& de momentis siue instantibus temporis:nam si continuum siue tempus,siue quid aliud ex indiuisibilis coagmẽtatur vt aliqui volunt, dici posset quid primum aut vltimum instans affers in controuersiam? quando nullum capiatur aut primum,aut vltimum, quod exactè,siue vt neotericis dicitur præcisè respondeat metientes animi conceptibus, si verò omne continuum ex continuo, cur item primum aut postremum temporis momentum vertis in dubium? & res vllas siue actiones eo vis metiri? quando tempus quod continuum est,non instans vllum aut momentum temporis rerum earum mensura est, quanquam paucum illud tempus, quanquàm impartile,& indiuisile, hinc & multæ quoque Sophistarum argumentationes,multæque earum qui dicuntur vulgo calculatores, eluderentur,cùm Mathematica miscentur naturalibus & sensibilibus, quod nec ab Aristotele apud Gentes admittitur, qui propterea quosdam reijcit antiquitùs philosophantes, nec à probatissimis apud nostros Theologis,citiùs inquit Augustinus in libro Soliloquiorum mihi videtur in terra posse nauigari quàm Geometriam sensibus percipi, quamuis primò discentes aliquantulùm adiuuari videantur. Nec obest cùm ab aliquibus dicitur intellectum non propterea decipi, quòd aliter quàm ipsa sit, rem concipiat,quia virtus est abstrahens, vnita diuisim concipiens, & diuisa coniunctim & materialia sine materia,& singularia vniuersaliter,hoc nihil officit, quia de actu reflexo quæstio fieret,& an videlicet se decipi nosset an minimè quæretur? nam & si in intellectu præsentetur linea sine latitudine, vtpote ratio longitudinis minimè latæ, quoniam longitudinis ratio definitióve est à latitudinis definitione diuersa, non tamen ita in re esse vt distincta sunt, percipit, alioquin mentiretur, non autem falsitate labat, ob sinceram primo in obtutu præsentationem, quoniam diuerso modo à longitudine,diuerso à latitudine,quanquàm propriæ & veræ eadem in linea & superficie existant, moueretur: quare etsi concipit rem aliter quàm est, non tamen eam iudicat aliter quàm sit, quare differunt concipere rem aliter quàm sit, & concipere quod res sit aliter quàm sit, id ad primum, hoc ad secundum intellectus officium pertinet, in primo nulla falsitas, in secundo mendacium: cùm ergo quispiam abstrahit, ita vt credat eandem rem ita distingui in sese, vt eam intellectus distinctè secernit,longè fallitur: & si posteà alijs falsum hoc insinuare voluerit, apertè mentitur, cùm solæ abstractiones illæ ad faciliorem intelligentiam deseruiant, & ad dignoscendum quod in vna eademq́; re diuersæ, & sint, & habeantur rationes, quibus possit res apprehendi, & tot ferè sunt quot accidentia. Quis enim potest negare omnem sensilem à qua Mathematicus insensibilem abstrahit,tantummodò imaginariam esse? & verè in se suaque natura superficiem esse, & latitudine non carere longitudini iuncta,quanquàm alia sit longitudinis ratio,alia latitudinis, & sensilem punctum partes habere, & ita de reliquis proportione pari. In summo, inquit Cicero, honore apud Græcos Geometria fuit, itaque nihil Mathematicis illu-

ticis illustrius, at nos metiendi ratiocinandiq; vtilitate inspecta huius artis terminauimus modum, hæc in prima Tusculana Cicero de Romanis qui Geometria ad metiendum duntaxat vterentur, non ad speculandum vt Græci. Sed arbitror eum de antiquatis illis Græcorum authoribus locutum: nam posteriores non secus fortè ac Romani, si vera narrauit Xenophon in libro de dictis Socratis: hoc est, censuisse Socratem tantùm operæ dandum esse Geometriæ, quantum sufficeret ad mensurationem agrorum ac distributionem, reprobauitq; eos qui difficili figurarum cognitioni vellent inuigilare, quanquàm ipse talis rei non esset imperitus. Adde illud si summa vt plærisq; existimatur certitudine polleret Geometria, id quod de ea quispiam didicisset, non credi non posset: At scribit Cicero in secundo Academico, Polyenum magnum Mathematicum postquàm Epicuro assensit totam Geometriam falsam credidisse: eam certè sicut & cęteras quæ mathematicæ nuncupantur, disciplinas non tanti factas à Ioanne Pico patruo meo, quanti solet à multis, vt facilè credam: illud me mouet, quod in eius fragmentis inueni nonnulla in illas ipsas argumenta, ex parte potestatis, sunt enim in potentia non in actu, & re ipsa plurimum quæ contemplatur, tota præterea in imaginatione versatur, sæpenumerò falsa & in plerisq; omnib⁹ ferè hallucinata, ex parte quoque rei obiectæ, quæ nullam habet firmitatem ex sese: nam sunt accidentia non substantiæ, quorum affectionibus dignoscendis Geometrę inuigilant. Ad hęc si ad intellectum referantur, eius perfectio intellectile non esset, quia substantia non accidente intellecto perficitur mens, & præterea nihil ad rei naturam, nihil ad mores. Erantq; apud antiquos puerorum ludus, exercebāt enim se in illis cùm ad maiora capessenda nondum essent apti, neque enim valent pueri intellectu, sed imaginatione, quam etiam esse causam cur pueri meliùs reminiscantur, scribit Porphyrius: quippe quod in eis valentior imaginatio: quam quo ad fieri potest, abijciendam, vt scilicet sine ea minus quam possumus iudicemus, omnes philosophi præcepêre: hinc quod suprà quoq; tetigimus, Aristoteles scripsit antiquos deceptos, quoniam naturalibus Mathematicas disciplinas miscuêre, hinc Auerrois negat eas ad felicitatem facere. Si verò quispiam perfectionem illis ipsis artibus arrogare vellet ex modo cognoscendi: respondebat, ibi perfectionem esse non posse ex parte cognitionis, vbi principia certa non essent, reuocantur enim in dubium & diuisio continui infinita, & puncti, & lineæ, & alia permulta: Illudq; præcipuè reijcitur, quoniam ad infinitum figuræ Geometricæ produci possunt, demonstrari præterea quicquam in eis non posse per veras causas multi sanxerunt. Sed vt cætera taceam Hieronymus quod & in Pontificijs quoq; decretis repositum est, Mathematicas pietatis non esse scientias decreuit, & Augustinus in libro de Ordine retractat, quod liberalibus disciplinis, in quibus & Mathematicæ reponuntur, multùm tribuerit, quas multi Sancti multùm nesciunt quidem, & qui etiam sciunt eas, sancti non sunt. Sed hoc non Geometriæ solùm conuenit, verùm & cæteris disciplinis Mathematicis. Quarum multas etiam taxauit Ambrosius in sexto Hexaëmeron, cùm Geometras terræ ambitum metientes diuinorum eloquiorum authoritate reprehendit, cùm perquisitas vmbrarum causas & eclypsium, marcescentes sapientiæ vanitates appellauit. Sed de Arithmetica particulatim agendum & quid in eam Pyrrhonij attulerint afferendum.

CAP. VII.

QVID ADVERSVS ARITHMETICAM FACVLTATEM Pyrrhonij disputauerint.



SAnè Arithmeticam se demoliri existimârunt, Pyrrhonij non secus ac se destruxisse Geometriam arbitrati sunt, & quanquàm multa hac de re Sextus tàm in tertio Pyrrhoniorum, quàm in libro contra Physicos dum agitur de numero motus, quàm etiam in libro contra Arithmeticos disserit, ipse tamen pauca quæ ad contradictionem facere videantur, hoc loco desumam, à numero ipso capiens initium, quem ipsi vniuersim euertere procurârunt vnitate sublata, quam maximè Pythagorici coluerunt, sed differenter. Fuêre inter Pythagoræ sectatores qui ex duobus principijs vnitate videlicet, & dualitate sine termino, numeros omnes confecerint, ex numeris verò signa, siue puncta, & lineas, & superfi-

superficies,& solida. Alij verò ex vno signo punctóve, omnia cõstituunt, ex quo lineæ superficies corpora, præcedẽtibus tamẽ numeris, ex quibus reliqua solida, terra, aqua, aẽr, ignis, & vniuersa mundi fabrica. Vnum itaq;, vt hinc sumamus initium, finiuit Plato illud, sine quo nihil vnum dicitur, vel cuius participatu vnumquodq; dicitur, & vnum & multa: arbor enim verbi causa, vel lapis, vel animal, appellatur quidẽ vnum, nõ autem est vnum ex propria ratione, sed vnius participatu vnum intelligitur. Si enim vnum ea ipsa essent, quod non est arbor, aut lapis, aut animal, non diceretur vnum. Atqui, vel alia est à rebus particularibus numeratis, vnitatis Idea, vel cum eis quæ ipsa participant intelligitur. Si primum dicant, illud obijci potest, nihil numeri in subiecto intelligi, præter res numeratas, si secundum responderint, magna difficultas oboritur, ne sequatur vt ipsa sit multa, quia scilicet participatur à multis, & penè infinitis: quare videtur vt eius participatione vnaquæque res numerata vna non sit, sicut enim homo in vniuersum quem plæriq; intelligunt animal rationale, mortale, neque Socrates est, neq; Plato: quoniam nullus alius hominum præterea diceretur homo, neq; etiam per se ipsum existit, neq; cum Platone & Socrate, quoniam tanquàm homo animo caperetur à nobis, sic & vnum neq; cum singulariter numeratis, neq; ipsum per se subsistẽs intelligitur, pari pacto, & de numeris duo, tria, quatuor, cæteris differendum. Liceat & arithmeticôs ita percunctari: Vnius idea cuius participatione aliquid vnum dicitur, vel vnius est idea, vel vnius ipsius plures ideæ reperiuntur. Si primum detur, multis non participatur: nam si A verbi gratia omnem vnius ideam habeat, B ea non participans, nõ erit vnũ, atq; multarum etiã partium non constituetur, vt multa propterea esse possint quæ ipsa participent, namq; indiuisibilis apud eos vnitas intelligitur esse. Si secundum detur vt vnius plures habeantur ideæ, vnumquodq; eorum quæ secũdùm vnum solent numerari, vel vnius, vel duorum, aliqua idea communi aut participabit aut minimè: si minimè oportebit vt omnia absq; eo quod participent idea secundùm vnum ordinentur, quod ipsi non admittent: Si verò participabit, ea quæ ab initio mota est, dubitatio consurget, quomodo enim duo participabunt vnitate? Cęterùm præter hanc de vnitate difficultatem particularis quoque ab eis circa qualitatem difficultas inuecta est: dubitant enim quomodo & ipsa per vnitatum concursum constituatur? quod & anteà Plato de Anima differens dubitauit, adiecta enim vnitate vnitati, vel quidpiam inde oritur, vel interit, vel neutrum. Si hoc vltimum detur, dualitas certè ex appositione vnitatis, ad vnitatem non exsurget, si interit decrescitve quidpiam, vnius erit, & vnius diminutio, non vtriusque vel alterutrius accretio, tantùm abest vt dualitas constituatur. Si verò aliquid oritur accrescitve, duo non fient duo, sed quatuor, dualitas enim exorta, & vnitas, & altera vnitas, quaternarium numerum constituunt: eadem regula de omnibus numeris arbitrantur, siue adiectione, siue ablatione, & in auferendo quidem tali exemplo vtuntur. Si à denario vnitas auferatur, vel à toto denario, vel à nouenario relicto, dicetur auferri, sed neque ab hoc, neque ab illo auferri potest, vt ostendetur, ergo à denario numero nihil aufertur. Si enim ab vniuerso denario, vel denarius numerus alius est à particularibus decem vnitatibus, vel collectio decem vnitatum denarius appellatur. Sed alius non est ab vnitatibus ipsis decem, denarius numerus, sublatis enim illis ipsis, denarius etiam planè sublatus est, & denarium si sustuleris, ipsas etiam vnitates sustulisti: si autem denarius est idem quod ipsæ decem vnitates, manifestum est, quòd si à denario vnitatis fiat ablatio, ab vnaquaque vnitate fiet. Siquidem particulares decem vnitates denarium esse, receptum est, atque ita non etiam erit vnitatis demptio, sed denarij, quare non à toto denario vnitas auferetur, neque item à relicto nouenario ablatio ipsa fiet, quomodo enim post ablationem ipsius adhuc integer ipse relictus nouenarius fuerit? Sed si ab ipso aufertur nouenario, vel à toto ipso, vel ab vltima ipsius vnitate auferetur. Si primum, nouenarij fiet ablatio, quodcunque enim ablatum fuerit ab vnaquaque vnitate particularium, scilicet, nouem vnitatum quæ nouenarium constituunt numerum, ab ipso ablatum est nouenario. Si verò ab vltima vnitate fiat ablatio, primùm quidem vltima vnitas impartilis existens, ostenditur partilis, quod est absurdum: deinde si ab vltima vnitate auferatur vnitas, nouenarius integer manere non poterit. Cæterùm si à denario demptio fiat vnitatis, vel ab existente fiet denario, vel à non existente: non ab existente quidem fiet, pro tempore enim quo manet denarius, nihil ab ipso potest auferri,

 ferri,

ferri, quà denarius est, quoniam non amplius denarius esset, minus autem à non existente: ab eo enim quod non est, quidpiam non potest auferri. Ex additione etiam numerum non accrescere, potest iusta proportione probari, quod ipsimet Sceptici longo discursu deducunt. Sed nec Arithmeticam & Geometriam cæterasq; disciplinas Mathematico circumscriptas nomine adeò Platonici fecêre magni, quanquàm illas in honore habuisse existimati sunt, vt censuerint per sese habendas magno in precio, sed quatenus ad inuisilem essentiam comprehendendam conducerent, nec scientiæ nomine honorârunt, vti apud Platonicum Alcinoum videri facilè potest, sed ad Astrologiam motricem infirmandam nostra iam conuertatur oratio.

CAP. VIII.

QVID POSSIT AD INFIRMANDAM, QVAE MOLES & motus syderum metitur, Astrologiam, afferri, ibiq; nonnulla contra Scepticos Philosophos.



SCeptici Philosophi post Geometriam & Arithmeticam, ductas in controuersiam, Astrologiam demoliri satagunt: Astrologiã, inquam, non metientem syderum magnitudines, & eorum supputantem motus, nec imbres & serenitates prænuntiantem, Hipparchi & Eudoxi more, atq; Nautarum instar & Agricolarum, sed diuinatricem & Genethliacam, quod quidem munus valde laudandum est, sed in eo exequendo duplici ratione peccant: nam & eam inter liberales videtur artes reponere, cùm nihil ipsa sit minus, & illam prætermittunt Astrologiam metientem moles & motus syderum, quæ ipsa inter liberales artes meritò numeratur, & ea infirmata diuinatrix & genethliaca planè sublata est, quæ tota fertur illius niti soliditati. Prætermittunt autẽ ea ratione, quod illi satis contradictum sit, quãdo Arithmeticæ, & Geometriæ contradixerunt, ex quibus ipsa constituitur, quod mihi quidem videtur longè secus. Nam præter quantitates corporum & eorum itineris supputationem, situs etiam syderum, & eorum ordo, & qualitas, quibus videlicet, & motus, & sensus inuehitur, in ea ipsa Astronomia excolenda conueniunt. Ego verò genethliacam, diuinatricem Astrologiam neutiquam hoc loco curabo confutare, euersam satis & à Ioanne Pico patruo meo, ac pluribus quidẽ & efficacioribus, quàm quibus vtantur Sceptici rationibus, idq; duodecim voluminibus, & à me ipso etiam quinto de rerum Prænotione libro & in quæstione de triplici Astrologia more Parisiensi perscripta, & non nihil etiam in libro de veris calamitatum causis nostrorũ temporum. Motricem autem quam dicunt Astrologiam, quanquàm de ipsius incertitudinem inter euertendum genethliacam facultatem, eis ipsis in operibus, & patruus, & ego mentionem fecimus, & hoc etiam opere nonnulla primo libro diximus, tamen & nunc incertam reddere curabimus, non tamen vt Sceptici, qui ex Geometria & Arithmetica lacessita, eã loco se mouisse crediderunt, sed proprijs & peculiaribus rationibus, idq; à nobis factũ iri volo, & quod ita libri præsentis ordo postulat, & quia plura fortasse & explicatiora quàm anteà fecimus, sumus allaturi. Primùm Mathematicas rationes, & ipsorũ authoritates Astrologorũ, quibus infirmari facile queat, ducemus in mediũ: Deinde Philosophorũ placita atq; decreta, demũ Theologorum sententias subnectemus. Vtar autẽ non opinione Niceæ Syracusani, qui noluit, authore Theophrasto, stare cœlũ & stellas, terram verò moueri, nõ Aristarchi Mathematici, & Seleuci nitar authoritate, qua superiora ipsa corpora immobilia pariter, & terrã mobilem asseuerârunt: nam solo irrisu non ratione cõfutaretur Astrologia, & qui eis fretus id moliri satageret, magis dignus esset irrisu. Sed ipsismet Astrologorum decretis vti volo, & cœli, & syderum, & stellarum motus dimetientium: Primum omnium satis constat mensores rerum cœlestium suppositionibus quibusdam vti, quę negari ea ferè facilitate possunt, qua solent affirmari, quoniam ab historia plurimùm pendent, & variæ hac in re inueniuntur historiæ, quæ nec experimentis possunt reijci, nec approbari, quoniam ipsa etiam inter se dissident, & varia comperiuntur experimenta. Id in congressibus, coniunctionibúsve Planetarũ prænunciandis manifestò cognoscitur, quando hic citiùs, ille tardiùs ea congressura copulandaq; colligit. In causa autem est, & indeprehensus syderum locus, & indeprehensus tenor motuum, & incomperta velocitas, vt parem ad præsens Astrologorũ peritiam in obseruando loco, & supputando cur-

do cursu fingamus. Quo pacto enim stabimus antiquis obseruatoribus motuum, vt tali videlicet tempore talē in cœli partē sese stellæ receperint? cùm in præsentia videamus oculatissimos homines adhibitis astrolabijs sæpissimè falli: neque enim semper adest exporrecta illa camporum planicies, in indagandis syderum locis oportuna, nec si adsit, ad liquidum etiam visus respondebit, vt propterea isthæc ars ad sensum recidat, qui quoniam sępenumerò fallax, fallacem efficit obseruandarum stellarum facultatem. Quis ignorat & ex nimia distantia, & ex magnitudine quæ visui propriè nō obijcitur, & ex aspectus intentione, oculorū aciem hebetari? Aërem verò aut serenum, aut nubilum, aut mixtum, ex vtroq; permagni referre in deprehendendo sydere? ventum quoq; si flauerit, magnum etiam ea in re habere momentum authoritate Aristotelis, qui scribit maiores videri stellas, si Eurus ventus aërem permeauerit? & vt gratis concedantur omnia: Stellas etiam eo in quo sunt loco, propriè non videri, ex dissultatione radiorum à raris intermedijs ad densiora ferientium, perspectiuæ facultatis periti docuerunt. Deniq; Mathematicorum præcellentiū sententia est non modò à sententia instrumentorum facilè prouocationem dari, vt quo in loco, id est, qua in cœli parte stellæ conspiciantur, nesciamus, sed coloris etiam qualitatem esse in causa, si tamen color & non lux insit syderibus, vt fallacia internoscendi suboriatur. Si quidem notum de ordine eorum multam esse dubitationem, vt qui cuiq; Planeta præsit, non sit exactè compertum, de intermedijs loquor, vt opere procedente monstrabitur, etenim ex coniectura vmbræ, & maculæ alterum alteri inferiorem existimârint. Est autem in vmbra diuersitas ex luminis siue coloris, ex luce ipsa & aëre dimanantis diuersitate, quando Saturnus verbi causa pallere videatur, Mars rutilare, id autem varijs hominum aspectibus relatum variè æstimabitur, propter varietatem humani temperamenti, qua de varietate quinto huius operis libro latè disputabimus.

Sed prætermissa causa variæ apparitionis, effectus quàm sint varij nemo nescit, qui libros legerit Astrologorum, in quibus inueniet Saturnum modò plumbei coloris, modò fusci atq; terrosi, Iouem nūc album, nunc clarum, Lunam alij albam, alij colore blando notauerunt, sicuti & Venerē modò candidā, modò fulgidā, nec carminis gratia & harmoniæ poëticæ, sed decreto visus & proprietatis adnotādæ. Albertus autem secundo libro de cœlo, Iouis quæ dicitur stellam, & aliquas etiam candore notauit, at Marti ruborem adscripsit, Venerem verò ad pallorem, Saturnum ad obscuritatem declinare censuit. Non minor quoq; si non maior multò dimetiendi cœlestis motus difficultas. Taxauit enim Hipparchus antiquiores se mensores cœlorum, vt qui rectè motus eorum non supputauerit. Ptolemæus Hipparchum, Iuniores Astrologi Ptolemæum, & Proclus Timæum Platonis aduersus Hipparchū & Ptolemęum, & alios copiosè disseruit. Prætereo opiniones Calippi & Eudoxi, in xij. primæ Philosophiæ recitatas, & vulgatas Ptolemæi sentētias de Epicyclijs & Eccentricis orbibus à quibus appellauit Alpetragius. At de motu sphæræ octauę quo rapi dicūt inferiores orbes quāta diuersitas opinionum? in occidentémne, an in Oriētem voluatur? Sed de hoc paulo pòst cùm de numero sphærarum & earum motu erit cōtrouersia, nunc de ipso motu in sese. Sunt qui decem partibus distare posse Arietem mobilem, ab immobili censeant, sunt qui quatuor, sunt qui plus etiam quàm quinquaginta, & eò amplius, si opinionem sequeremur Moysis Aegyptij & aliorū qui à tēpore diluuij, quo tempore volunt mobilem Arietem cum immobili fuisse concordem, semper motam scribunt octauam ab Occidente in Orientem, & septuagesimo quoq; anno gradum explicuisse: sunt qui ad hanc diē xxv. gradibus distare mobilem Arietē ab immobili existimēt, sunt qui tredecim tantùm, sunt qui vndecim & paulò plus, sunt etiam qui trecentorum annorum spacio alius ab alio in cōiunctione mobilis Arietis cū immobili decernenda dissentiant. Totū hoc reijci oportet in ipsius sphæræ vel reuoluto motu, & eo quidem maximè difformi atq; indeprehensa varietate mutabili, vel in omniū fallaciam instrumentorū in syderibus deprehendendis, vel in falsitatem cuiuspiam deprehensæ olim & obseruatę stellę, nulla habita cura retrò actorum seculorū, in quibus fideliùs fortasse fuerit obseruata. Quicquid concedatur, perit exacta ad liquidum de omni superiorū corporū motu & obseruatione sententia, etiamsi nona aut decima cōtra Platonis, & Aristotelis authoritatē statuatur, quando quidem ad hanc ipsam octauam appellatam innumeris syderibus corruscantem, vt ad supremum visibile corpus, suas omnes

obseruationes retulerunt, cuius motus si tam est varius vt non sit extra cõtrouersiam deprehensus, quémnam Mathematicorũ existimabimus cõpotem? tot scilicet professoribus, tot seculis, incassum laborãtibus, quos posteriora semper secula castigârunt. Si fallunt instrumenta quo pacto corrigetur quod erratum est? fallere autem ea videtur negari non posse, & experientia teste, & ratione: experientia quidem quando eisdem instrumentis alius ab alio per duodecim & tredecim gradus in notando sydere dissentit, ratione verò, quoniam oportet antea quàm sydus ope instrumenti conspicias (quod & scribit Summarius & probat Ioannes Picus patruus) vt locum eius definias, & eo comperto quadam quasi supputatione vtaris in eius ipsius cursu dimetiendo: sed locum quo pacto deprehensurus es vt in definiendo non fallaris? neq; enim ad liquidum respõdebit sensui subtiliùs & exquisitiùs, quàm quod ille suggerere possit, perspicienti. Siquidem habenda ratio est proportionis quæ est inter ambitum instrumenti, & ambitum vniuersi, & distantiæ quæ est inter stellam, & locum in quo est instrumentum collocatum, cuius inter partium habitudinem & partes vniuersi, ritè dijudicare sensus nequeat. Adstipulantur huic & Henricus Machliuensis, & Abraam super opere Tabularum, & alij prodentes posteritati, per vlla instrumenta, loca sydeorum exactè non posse deprehendi, quod si fallunt instrumenta, vnde cognoscent posteri quod antiquiores aberrauerint? de eorum enim instrumentis, & eadem quæstio fiet, & eadem quoq; sententia feretur. Id ipsum in metienda quoq; magnitudine syderum per instrumenta facilè cõtinget, hoc est, inueniri vel maiorem circuitum, vel minorem ex organorum fallacia, vt mittam quod qui Sacris literis freti aliter de syderũ magnitudine differunt, quàm consensus Astrologorũ statuerit, inter quos Franciscus Maronius super secundo Augustini volumine super Genesim decernit Lunam non solùm terra, sed qualibet stellarum esse maiorem.

Sed reuertamur ad mensores motuum, qui si superioribus obseruationibus fortè accedendum dixerint, vt propterea velint errasse Ptolemæum in octauæ sphæræ motu perpetuo tenore, ab Occidente in Orientem definiendo, neq; animaduertisse dicat longè antiquiores obseruationes, quibus percipere potuisse delatam eandem spheram aliquando ab Oriente in Occasum, quo factum vt Azarchieles qui vetustioribus obseruationibus incubuit, ferri eam cùm aliquantum spatij confecisset, retrouoluto motu in Orientem compererit. Respõdebo negari hæc tanta facilitate posse, quanta sunt in medium ducta: deinde petam ab eis vt vetustissimas illas afferãt obseruationes, vt & eas quibus nixus Ptolemæus emendem, & eas quoq; quibus fretus Azarchieles dijudicem. Si ad diluuium confugient, exquiram primum historiæ fidem, syderali eiusmodi positu (neq; enim à sacra historia vllas stellarum obseruationes sunt allaturi) Deinde illam qua primo cœpêre volui sydera, exhibendã optabo: vtpote qua omnes ad liquidum corrigantur. Sed cùm per aquas diluuij se excusauerint, illuc non posse commeare, scio afferent quasdam mundi densituras, varias, inconstantes, ridiculas, à multis confutatas, & in suam rem nil cõferentes. Sed vtcunq; sint, sanè ante Ptolemæum fuerant inuulgatæ, & ante omnes, qui de vario octauæ sphæræ motu differuerunt, nec tamen inter Mathematicos potuêre afferre concordiam, atq; vt omnia concederentur, de obseruationibus Thebiti quid sunt dicturi? & aliorum qui in metiendo octaui orbis cursu, nec Ptolemæum, nec Azarchielem receperunt, sed confutârunt, & nouos ipsi motus inuenerũt. Sed vt ordine breui, facili, & hãc, & alias quoq; dissidentes Mathematicorum sententias colligamus super reliquis orbibus qui sunt, super octauam sphæram excogitati, & super Planetis, eorumq; de numero, situ, motu, varia dogmata cogamus in vnum, hinc exordiamur, nec alijs vtamur testibus, quàm eius celebratissimis professoribus, qui cùm & in numero cœlestium corporũ deprehendendo, & in ordine eorum asserendo, & motu metiendo, nunquàm inuenti concordes fuerint, cõsequens fiet vt incerta nobis haberi debeat hæc ars, scilicet, tot magnis viris, tanto studio frustrà sudantibus, atq; idem posteris habendæ certitudinis desiderium, quo ipsi tenebantur relinquentibus.

Primùm omniũ satis constat apud eos stellas diuidi in hærentes & errantes, non tamen constat quot sint erraticæ, nec Hadriani Cæsaris tempestate constabat, nec seculis posterioribus, nec quo pacto etiã se habeant moueanturq; quæ non erraticæ sunt, sed suis locis fixæ. Deinde non constat quo motu agitentur proprio an alieno? & suis in sphæ-

in sphæris rotentur ne Planetę, an aliquo vel minori, vel maiori orbe raptentur? nec de vniformitate solaris motus inter Planetas præcipui, nec de velocitate etiam si vniformis habeatur conueniunt, ac ipsæ quæ haberi solent non erraticæ stellæ eodémne tenore suo in cœlo voluantur, an etiam retrocedant incerto motu? vt errare ipsum cœlum stelliferũ an minimè quoquomodo sit incertum? tum vt quem mauis illi motum adscripseris, ei tamẽ orbi proprius sit an superioris orbis vel noni, vel decimi nõ minima est cõtrouersia? Nam de numero sphærarum supra Planetas nõ conueniunt, sunt qui plures velint, qui pauciores, ex diuerso motu octauæ plurimùm id coniectati, de qua moueatur nec ne in Orientem, an in Occidentem? an aquilonẽ versus & austrũ? & si mouetur difformíne an vniformi cursu? & si vniformi quota velocitate? multa discordia & viguit olim & nunc maximè viget? Explanemus hæc omnia vel saltem insigniora. Phauorinus existimat fieri posse, vt sint Planetæ quos errones appellauit Nigidius, plures quàm septẽ, sed latêre queant vel ob altitudinẽ, vel ob luminis præstantiã, confirmari hoc ipsum posset authoritate Alpetragij decernentis motum in cœlo esse qui nesciatur: nam potest & corpus aliquod esse adhuc indeprehẽsum, cui scilicet motus ille conueniat, quod haberi absurdum minimè potest à iunioribus, qui tot motus vt putant, inuenerunt prioribus seculis incognitos sphæras etiam ambientes cætera, de quibus nihil omnino disseruit antiquitas. De epicyclis & eccentricis nota est controuersia, & de sphærarum multitudine qui Planetis deseruiant, & noni, & decimi orbis assertione, cuius mentionem faciemus. Sed à Planetis ad præsens nil discedentes, nec ordinem eorum nec motum, certa ratione deprehensum asseueramus. Solem medium ita Ptolemæus Chaldæos secutus affirmauit, vt tres supra se haberet, tres infra Planetas, Plato & Aristoteles Aegyptios hac in re secuti, supra Lunam nullo intermedio ipsum collocârunt. At inquies accedendum Ptolemæo, qui tot seculis Aristotele & Platone posterior potuit rem ad liquidum magis explorasse, hac etiam ratione debemus accedere Theoni, Ptolemæi discipulo, & Ieberi qui existimant secundũ esse à Luna Solem, nec medium debere constitui Planetarum. Ratio vtrinq; translatitia & vaga. Debemus & Alpetragio consentire qui Venerem mediam Planetarum esse voluit, & sub ea Solem, hoc est, proximè supra Mercurium, vti primo etiam libro narrauimus collocauit. Sed enim tam varia de Solis sede abusq; primis philosophantibus allata sunt, vt Metrodorus Chius, Crates Anaximander, etiam supra sphæram non errantium syderum ipsum collocârint, Lunamq; illi proximam fecerint, & inter Lunam, & cæteros Planetas, fixa sydera suo in orbe reposuerint. Aristarchus verò, quanquàm primas detulit syderibus immobilibus, Solem nihilominus secundas obtinere putauit, & cæteris superiorẽ esse Planetis. Incertus quoq; situs & ordo Veneris, & Mercurij. De Marte, Ioue, Saturno, pariter incertũ, quo videlicet ordine collocẽtur: Nam supra Solem quidem eos Summarius constituendos existimat, sed quo ordine nec scitum, nec sciri posse confirmat, propter multam aspectus diuersitatem. Moses quoque Aegyptius ex Abubachesis sententia incertum Planetarũ ordinem asseuerauit. Sane quæcunq; fiunt rationes in Solis loco sitúve, qui Planetarũ princeps habetur decernendo, facilè soluuntur. Neq; enim procedit ratio Ptolemæi iudicantis Solẽ propterea medium cõstitui debere, quia tres quos existimat superiores, loci lõgitudine summoueantur, & Venus atq; Mercurius semper sequantur: nam Luna non minus superioribus ab eo digreditur, vt ratio non constituat Solem medium inter eos qui digrediuntur & qui sequantur nec seiunguntur, sed & ratio tarditatis ab Alpetragio excogitata non satisfacit, vt motu velociores, sint inferiores, sequeretur enim Venerẽ Sole superiorẽ haberi, quod etsi ipse voluit, cæteri nõ admittunt. Cæterùm & ratio ad probandã Platonis & Aristotelis opinionẽ allata facilè soluitur, ea est, nunquam eripi nobis Solẽ interiectu Veneris atq; Mercurij, quare sub eis collocatũ esse: paruitas enim Mercurij & propinquitas Veneris solaribus radijs intercepta potest esse in causa, vti etiã si opponãtur Soli, corpus tamen eius nostris aspectibus nõ eripiant, potest id etiã referri in tenuitatem illorum Planetarum essentiæ, vt non tollatur lumen quod aufertur Lunæ, quanquam remotiori, ob crassitiem & quasi terrosam densitatem.

At Solis locus in cœlo compertus signatus & certus, quid eius de motu decernemus? quem omnium manifestissimum in magna cõpositione Ptolemæus appellat, & quo vti stato, & certo dimetiẽdos esse cæteros edixit, qđ miror quomodo scripserit,

quando anteà & Hipparchus, & Hipparcho antiquiores Mathematici in eo dimetiendo variauerant, illi enim trecentis sexaginta diebus adiecta diei quarta parte, reditum Solis absoluebant & conficiebant annum: quam opinionem etiam sequitur Augustinus in secundo super Genesim, alij plus quarta ad eundem zodiaci punctũ redire voluerunt, minus quarta parte adijci oportere existimauit Hipparchus; sed quota esset pars illa non sanxit. Ptolemæus quoniam trecentesimã illam esse diei vnius portionẽ putauit, rem manifestissimam sibi visus est decreuisse. At non ita posteris visum, non Albategni, non Thebiti qui à Ptolemæo dissensêre in Solaris motus velocitate dimetienda. Dissensêre quoq; multi in ipsa velocitate, æqualisne semper an inæqualis asserenda? æquale putauit Ptolemæus & Alphonsus, inæqualem Batenus, Azarchieles, Isaac Israëlita, quibus (vt aiunt) compertum Solem modò citiùs, modò tardiùs redire ad locum vnde digressus est, eò quòd octaua sphæra non ab Occasu semper ad Ortũ, vt ille existimauit, sed interdum contrà voluatur, quare illius motu dixerunt velociorem fieri motum Solis cùm ad eandem ipse flectitur partem, fieri etiam tardiorẽ cùm fertur in contraria. Cæterùm Solis ambiguum in velocitate & tarditate cursum, defectus eius aperiunt, cùm à tempore in tabulis annotato plus horæ parte dimidia interdum euariant, quod Andreæ Summarij & Pauli Florentini præter multorum experientiam confirmant authoritas, Henricus quoque Machliuiensis ea in re Ptolemæi & Albategni supputationem, & Petrus Alliacensis Alphonsi tabulas à veritate excidere testati sunt, & Abraam Auenazra in sexto de Reuolutionibus affirmat, nunquàm reditum Solis in Arietem, aut vlla motuum supputatione, aut vllo genere instrumẽti posse deprehendi. Solis item apogeon & epigeon, quod alij absidem summam, & absidem imam, curuaturam possemus dicere, non tàm verbum reddentes verbo quàm circuli de quo loquuntur supremam & imam partem indicantes, barbari scriptores augem & oppositum augis appellant: hoc, inquã, apogeon, & epigeon Solis non moueri existimant Ptolemæus & Proclus: Iuniores penè omnes ita Solis sicuti & cæterorum Planetarum auges mobiles censent: cui contradixit Hebræus Leo Ptolemęi sententiam tutatus: & quanquam motus Solis qui sydereæ dicitur moderari frena choreæ, vbi incertus est, alios illicò monstrat incertos, seorsum tamen etiam asseritur de alijs deq; ipso propinquissimo Soli Mercurio, quem distare posse viginti & octo gradibus Ptolemæus affirmat, Theon, Porphyrius, alij negant, & quinq; partes demunt, sex etiam detrahit Sosigenes Mathematicus Alexandri, præceptor Aphrodisæi. Sunt etiam qui maximam Solis declinationem ab æquatore circulo viginti tribus partibus & triginta minutijs conficiant, quanquam Ptolemæus inclinatiorem voluit, & Albategni aliter, aliter Archazeles existimauit. Sed & Ptolemæo alijs in rebus sectatores in ipsa maxima declinatione Solis tropicorumq; distantia ab ipso Ptolemæo euariant, vt est videre apud Ioannem de Regiomonte in epitomate Magnæ compositionis à præceptore Georgio inchoato à se absoluto.

De Lunæ quoq; motu discordiam inter Hipparchum & Ptolemæum intercessisse in Magna ipsius compositione videre datur. Inter Hebræos quoq; & Latinos vigebat ab vsque tempore Ambrosij illa dissensio, quod per trecentos dies Lunam duodecies cursum suum, & quod est sequens annũ conficere volebant Hebræi, aliquos dies adijciebant Romani, bis sexto semel intra quinquennium vnius diei adiectione celebrato. Varronis autem tempore, menstruum Lunæ cursum ex quater septenis diebus conficiebant, vt die duodetricesimo Aristidis Samij authoritate Luna ipsa ex quo vestigio profecta esset, eodẽ rediret, quod & in Atticis quoq; noctibus planè signatum est. In Martis quoq; cursu dimetiendo alij ab alijs, & parte, & nõ parum multis minutijs euariant. Sed & de omnibus Planetis controuersia, quando qui Ptolemæo fuerũt antiquiores etiam de absidibus locuti, Planetarum nullam tamen facere mobilem, Ptolemæus omnes, vt diximus, præter Solem mobiles fecit, cui consensit ea in re Proclus & Leo, cæteri contradixerunt. Sed hactenus de erronibus siue Planetis, quorum numerũ, situm, motum, incertũ indeprehensumq; monstrauimus, id ipsum de hærentibus suo cœlo stęllis ostendatur. Octauam itaq; sphærã innumeris syderibus coruscantem, quæ supra orbem Saturni nomine signatũ collocari dicitur, extimã omnium atq; supremã, Aegyptij, Chaldæi, Plato, Aristoteles, Hipparchus, constituêre, quorum sententiæ (quanquàm alij aliter sentiant) accessit etiã Ptolemæus, vt probauit Ioannes

Picus

Picus patruus in octauo libro aduersus Astrologos, primusq; Alphonsus loca Planetarum ad nonam sphæram supputasse censetur. Alij nonam introduxêre,nouo deprehenso motu,cùm non videatur consonum rationi,vt duo oppositi motus eidem corpori debeantur,quales cernuntur in octaua ab Occasu in Orientem (vt dicunt) mota, rursúmq; cum reliquis ab Oriente in Occasum reuoluta, putant primum motū proprium esse octauæ, secundum superioris sphæræ ab Oriente in Occasum inferiora omnia raptante,quæ ratio tamen nec Leonem Hebræum,nec Platonicum Proclum,in Mathematicis longè lateq; versatum tenuit, quo minus octauam supremam omniū contenderent. Sunt enim qui duplicis illius motus & experientiam negent,& rationem planè dissoluant: nam sunt qui nō recipiant ab Occidente stellas in Ortum moueri, vt infra monstrabimus, sunt qui motum diurnum adscribant ætheri, eumq; perpetuum esse dicant non diuisum in sphæras,quę quidem omnes tàm octaua,quàm septem inferiores erraticè voluantur proprijs motibus ab Occasu in Orientem: contrà Leo Hebræus inferiori sphæræ eum motum adiudicauit: Sunt qui totum cœlum ex omnibus sphæris, quasi animal ex omnibus suis membris constituant, & totius cœli motum referant acceptum motori vniuersali,singulos verò sphærarum motus singulis earum motoribus attribuant, quare putant nō oportere ratione diurni motus nonam eandemq; nouam sphæram exquirere,quoniam is motus non proprius sit octauæ, vt duobus propterea motibus ipsa rotari dicatur, sed communis omnibus, in cōmunem quoq; motorem planè referatur. Sed enim non desunt quibus ratio duplicis motus iam dissoluta persuaserit, vt aliam etiam sphæram inueherent alio deprehenso motu,atq; ita non extimam fecêre nonam,sed super ea quoq; decimam collocârunt, quod Alphonsus, Campanus, Leopoldus, Messahala, Albertus existimârunt. Sed & super veteri motu, noua etiam ante paucos dies emersit opinio, noster enim Theriacus mecum nuper differens,non videri sibi affirmabat vt ab Occasu feratur in Ortum tramite recto,quoniam idem ipso in orbe punctus contrario motu simul moueretur, quando & à superiori dicitur ab Oriente in Occasum rapi, simulque alio collatus puncto & accederet atque recederet, sed Solis itinere, hoc est, via signiferi moueri censet, ita vt ab Aegocerotis tropico ad tropicum Cancri, motu proprio deferatur, exemplumque nauis & impulsæ remis, & ab impetu aquæ secundùm flumen simul delatæ duxit in medium, atque illicò hanc suam opinionem ostendit se versibus celebrasse in opere, quod de mundi Genesi canebat expositione multiplici, heptaplum Ioannis Pici patrui mei imitatus,quod opus inchoatum carminibus,eius morte paulò pòst secuta perijsse dubito.

Vidimus in corporibus supra Planetas constituendis, Astrologorū Mathematicorumq; principalium incertam esse sententiā, sed vt octauam tantùm statuamus, de illius motu quid erit decernendum? quo de motu suprà quoq; sunt allata dissidia, eius ipsius motu ad immobile quod dicunt signum collato, vt inquam octauam tantummodò statuamus quid erit decernendum? nempe Aegyptij, Chaldæi, omnisq; vetus Astrologia vno tantùm motu qui diurnus appellatur,ab Oriente in Occasum volui illam statuerūt,Hipparchus ab Occidente in Orientem rapi cum erraticis voluit: dices posterioribus accedendum perspicatoribus in indagando, & in iudicando grauioribus, qui hoc recipit & inuitus sequetur antiquos: nam Ptolemæo multi posteriores fuêre quibus magis placuit antiqua via incedere, quod facit Proclus, cùm alibi tùm in commentarijs super Timæum:negat enim octauam sphæram moueri ab Occidente ad Orientem circa polos signiferi, & post centesimum quemq; annum vno gradu. Sequi enim ostēdit vt iam sub Occasum vrsa deuergeret,quæ abusq; temporibus Homeri in occidua dicatur & appareat in occidua, vt Canopus stella, non videretur amplius quæ breuem supra finitorem periodum ijs efficit qui in tertio climate degunt: his autem qui Rhodum incolunt,radiat Orientem,vt scribit Possidonius, quæ tamen eandem seruet positionem: idem quoq; Proclus in calce sui de sphæra operis, Canopi sydus in summo Argus gubernaculo fulgens in Rhodo vix conspici affirmat, maximeque à locis editioribus, at in Alexandria prorsus non videri. In eis autem commentarijs respondet etiam obiectis in hunc fermè modum: quòd si afferatur, inquit, sensus testimonium supputationibus illorum respondere, & sensuum etiam testimonio vtuntur,qui eum motum omittunt in supputando motu Planetarum,tùm nō esse

veritatem in connexo docet, quoniã ex falsis supputationibus verum aliquando colligitur. Abraam Auenazra neutri præiudicat opinioni, Ioannes Picus patruus nihil & ipse definit præter hoc vnum, nihil posse certum definiri. Sed opinionem fingamus veriorem quæ ab Occidente volui fixarum sphæram stellarum in Orientem affirmat, num erit postea concors eorum sententia qui id astruxêre? minimè gentium, semper putat Hipparchus & Ptolemæus ab Occasu moueri in Ortum, contrà Azarchieles & Isaac Isräelita moueri quidem, sed reuerti volunt quodam nescio quo spacio confecto, vt propè erraticam constituant fixarum sphæram syderum, suamq; opinionem experimentis asserunt cõprobatam. Non ita videtur Thebiti, qui motum alium hoc ex puncto ducit in medium, quo sphæra ipsa, ad Austrum vergat & Aquilonem, & sunt qui hanc recipiant, & nihilominus alios etiam admittant, adeò, vt sphæram ipsam fixarum stellarum triplici motu discerpserint. Sed qui cum Ptolemæo sentiunt, ab Occidente in ortum semper illam moueri nec mutare cursum, de motus tamen velocitate magnam excitant controuersiam. Siquidem & Auerrodan & Moyses Aegyptius & Rabbi Auenazra non putant expleri partem vnam siue gradum centum annis, vt Hipparchus & Ptolemæus existimârunt, sed septuaginta annis cõfici, & absolui vnius gradus spacia tradidêre, velociùs etiam ipsam volui censuit Albategni, & sex annis supra sexaginta gradum absoluere, Paulus Florentinus eandem fecit velociorem: Secundum quem igitur supputatorem lis dabitur? Omnes in supputando periti, omnibus affuit copia instrumentorum, nec mens, nec oculi defuerunt, vnde igitur tanta diuersitas? vnde illa perpetua controuersia de distantia mobilis Arietis ab immobili, de qua suprà disseruimus? quam nec visilis potestas, nec instrumentorum adhibitæ machinæ componere vnquàm aut sedare potuerunt.

Sed hactenus de varietate opinionum & in sphærarum numero asserendo, & earũ metiendo motu, vt illud Iob capite octauo supra trigesimum veritate fultum, apprimè videre possimus: *nunquid nostri ordinem cœli, & pones rationem eius in terra*, & iterum: *quis enarrabit cœlorum rationem?* vnde etiã luce clarius deprehendere possumus, quàm sit in certa isthæc ars, quæ tamen certa plærisq; omnibus decernitur. Nec Ioannis Pici patrui illud officiat dum aduersus diuinatricẽ Astrologiam procemiatur, de hac motuum dimetiendorum facultate prolatum, artem hãc videlicet esse certam, & nobilẽ suisq; terminis honestissimam, & hominum authoritate doctissimorum maximè cõprobatam. Certam enim potuit appellare in sese, id est, quò ad naturam eius pertinet, nõ quò ad nos attinet: Item certã quoquomodo, & ex parte nõ omnino: Item cõparatione rei rusticæ, & nauticæ, & multò magis diuinatricis Astrologiæ: certam postremò dũ sese intra suos cõtinet terminos, tẽpora videlicet internoscendi rebus gerendis opportuna, ob dierũ & noctium inæqualitatem, ob mẽsium & annorum partitionem, ob annotationem solstitiorum, propterea à doctis hominibus laudatã, & maximè honestam existimatam retur, ad statas solennesq; cærimonias tuendas, & in antiqua Hebræorum lege ob varias Lunaris motus obseruationes, & in nostra etiam ad paschatis celebritatem, de qua in exordio nascentis Ecclesiæ multæ fuerunt altercationes. Verùm hæc exactam omnino & punctalem ita dixerim certitudinem non exigunt, alioquin quo pacto legeremus illa quæ suprà diximus in medium ex libro Iob sacratissimo. Nec item ex ea vlla est eximia quò ad degendam ciuilem vitam prorsus vtilitas, quando & apud Xenophontẽ videri datur Socratem existimasse parũ vtilitatis in Astrologia discenda, multum verò temporis inesse dispendij: eam verò solùm ea de causa discendã consulebat vt dies ac noctes, horas & menses, & annos exactiùs perciperemus. At improbabat qui & Planetarum motus exactos, & eorum à terra distantiam comprehendere satagebant, quanquàm ea re nõ esset imperitus. Ac ne quis existimaret de diuinatrici eum Astrologia verba facere, illam ipse acriùs est omnino insectatus, & impossibilem, & impiam adeò iudicauit, vt deos sumere pœnas de ijs qui ei inuigilarent, apertè decreuerit, si vera Xenophon ipse in libro de dictis Socraticis mãdauit posteritati. Augustinus quoq; noster, qui & diuinatricis Astrologiæ acerrimus hostis & impugnator fuit, de hac Astrologia motuum dimetiendorum, & in cõfessionibus, & in libris de Doctrina Christiana mentionem cùm faceret, ibi scripsit: Nec curo nosse transitus syderũ: hic verò eam salubrius honestiusq; cõtemni docuit, quoniã vicina esset errori fatua fata cantantium, quæ quidẽ sit incerta, etiam primo rei rusticæ libro

libro Columella inde subsignauit, dum scribit persuasum multis longo æui situ qualitatem cœli statumq; mutari, & adijcit Hipparchum Astrologiæ consultissimum professorem, prodidisse tempus fore, quo cardines mundi loco mouerentur, quod si est impletum, perierunt antiquæ obseruationes, si fiet, peribunt posteriores, & reliquæ cùm vel vna re cœlesti etiam minoris momenti variata, varia esse necesse sit illa, quæ super ea re fundabantur dogmata Astrologorum atq; decreta, & de Astrologia satis, nunc ad Musicam examinandam accedamus.

CAP. IX.

QVID ADVERSVS MVSICAM ARTEM EPHECTICI Philosophi disseruerint, & quid in eos etiam hac de re dici queat.

MVsicam Ephectici Philosophi improbaturi, quoniam rem inuidiosam aggrederentur, ipsius nominis variam acceptionem prætulerunt. Primùm Musices appellatione sumpserunt eam facultatem, quæ circa melodias, & sonos, & rhythmos versabatur, quamobrem Musici vocantur qui ea arte pollent. Deinde organorum peritiam, Musicam dixêre, & propterea qui tibijs, & psalterijs vterentur, Musicos vocauerunt, abusu item quodam Musicum dixêre opus quoddam benè compositum. Musicæ autem primo in significatu desumptæ solùm contradicunt, idq; duplici via pergunt facere. Nam primùm conantur ostendere eam nō esse vtilem ad felicitatem consequendam, sed veriùs inutilem & noxiam. Deinde artis fundamenta conantur euellere, principales hypotheses euertēdo. Initio autē satagunt probare non inesse Musicæ quidpiam quod naturaliter animum excitet, sed totum id in hominum opinionem, & æstimationem referēdum: nam alius delectatur sono, alius minimè, vt propterea nō insit ei natura, vt declaratione audientes afficiat. Idem enim sæpenumerò sonus, & excitabit equos, & homines non excitabit, & fortasse melodia ipsa, equorum non erit excitatrix, sed tremefactrix, qua de re confici volunt Musicam vitæ nō esse vtilem: neq; enim facultatē habet mentis cogitationisve humanæ directricē ad virtutes, sed cohibētem quodammodo: quare cessantibus huiuscemodi melodijs mens minimè propterea liberata ad primam reuertitur malesanam affectionem, sicut enim, & vinum, & somnus non soluit tristitiam, sed infert obliuionem, ita & melodia atq; concentus non corripit, & frenat animi mœstitiā, vel iratam sedat mentē, sed auellit quodammodo, & pro tēpore, vt quasdam quasi videri possit inducias dare: atq; hunc in modum Pythagoras, cùm dicitur ebrios pueros concentibus quos iussit adhiberi, mētis compotes reddidisse, auertit fortè ab amentia paululùm, nō sobrios reddidit, alioqui fateri opus esset plus posse tibicines quàm Philosophorum præcepta ad virtutem sobrietatis, & morum prauorū correctionem: eadem ferè causa Spartiani ad tibiam, & lyram inibant cum hostibus certamina, sicuti enim qui pondera deferunt, & qui remigant, vel aliud quiddam molesti laboris perferunt, concordi voci & tanquàm gemitu conantur mētem auertere à laboris molestia consideranda: ita & tubis, & tibijs milites in bello vsi sunt, non vt haberent aliquid ex harmonia quo mens excitaretur, aut inderetur fortitudo, sed propter agoniam & perturbationē reuocare animū in sese studuerunt. Sic & quidam barbarorū strepitu buccinarum, & tympanorū bellare solent quæ tamē nihil iuuent fortitudinem. Cùm verò dici consueuit Achillem furentē, & amore correptum, melodijs studuisse, nō mirum, quando intemperie animi afflictaretur, & hæc fabulosis quidē tradita commentis, quemadmodum & illa consuêsse Heroas cùm discederēt patria relinquere cantores ad vxorū tutelā, qui quam bellè eas instituere solerent, testis est Clytemnæstra, qui verò eam poëticæ vsui esse volunt, ita vt illi eam omnino complicent, non idcirco vtilem conuincent, quoniam & poëtica, vt cùm de Grammaticæ partibus haberetur oratio, inutilis existimari potest, quæ si etiā vtilis constituatur, nō sequitur propterea, vt vtilis Musica concedatur, quoniā hæc sensum duntaxat mulcet, illa etiā mentem instituit. Si verò à Poëtis ad Philosophos nos cōferamus, & Socratē atq; Platonē coluisse Musicam audiamus, non tamen propterea ad felicitatem facere ipsam confitebimur, quoniam alij etiam Philosophi id negauêre, & ociosam dixêre, & amantē vini, &

ministram

miniſtram voluptatũ. Quod ſi quis diceret delectari magis peritos arte, quàm imperitos, propterea harmonicæ operam dandam eſſe, refelli facilè poſſet ex vulgo, quibus magna eſt delectatio potus & cibi, ſi fame & ſiti tabeſcant, abſq; vlla cauſæ notitia, cur ita fiat? & ſine vlla coquinariæ aut vinifactricis artis diſciplina, ſic enim & infantes nulla freti Muſicę artis peritia melodijs deliniti dormiunt, & irrationales animantes multæ tibijs & fiſtulis demulcentur, quemadmodum etiam delphines concentibus tibiarum oblectari, eremigatis adnatant nauigijs, maiore fortè cum voluptate cantibus & ſonis affecti, quàm Ariſtoxenus fuerit aut Philoxenus aut Timothæus, harmonicã ob diſciplinam celebrati. Nec admittunt Sceptici mundum harmonia gubernari, nec ſi admittant, confici ob id propterea volunt, vt ipſa faciat ad felicitatem.

Atq; hæc ſummatim ferè dicunt Ephectici, quibus eò non aſſentior in omnibus, quòd ſenſu communi ſatis cõſtat nullum penè poſſe inueniri tàm barbarum & inhumanum hominem, qui aliqua & ſi non omni, muſices oblectetur ſpecie, quæ ita ſonorum & vocum concors diſcordia dici poſſet, vt concors diſcordia partium venuſtas, concors humorum diſcordia ſanitas, concors diſcordia ſuperorum & inferorum orbium mundi pulchritudo. Adhibita ea eſt in ſacris vniuerſi orbis conſenſu, nec ritu modò Gentium, ſed diuino vt in Veteri teſtamento ſatis apparet, & in Nouo paſſim quoq; hymni & cantica frequentantur. At ſecunda via demoliendæ muſicæ artis apud Scepticos hæc eſt, vt principia ſubuertant. Si enim, inquiunt, muſica ſcientia dicitur melodiarum, & non melodiarum, rhythmorum & nõ rhythmorum, ſi monſtrauerimus melodias, & rhythmos non ſubſiſtere, omnem eiuſmodi ſcientiam ſuſtulerimus. Vox, inquiunt, proprium eſt ſenſibile auditus, ſicut proprium viſus color. Vocum autem alia acuta, alia grauis, per metaphoram videlicet ſenſilium quæ referuntur ad tactum, quod enim pungit & ſcindit tactum, dicitur acutum: quod premit & frangit, graue: ſic quæ quodammodo ſcindit & pungit auditum, vox acuta, quæ tanquàm premit & frangit, grauis appellatur. Cùm igitur vox æqualiter effertur ad aliquam intentionem, vt nullam faciat ſenſus euulſionem, vel ad grauitatem, vel ad acutiem, talis ſonus φθόγγος, id eſt, phthongus dicitur à Græcis, propterea Muſici eum ita deſcribunt? phthongus eſt melodiacæ vocis caſus ad vnam intentionem: phthongorum autem alij æquiuoci vel vniformes Græcis dicuntur ὁμόφωνοι. Alij non æquiuoci, & illi quidem differunt inuicem ſecundùm acumen & grauitatem, hi verò non ita ſe habent, ſed & ex ijs, & ex illis aliqui acuti, aliqui graues appellantur: & rurſum ex non æquiuocis alij vocantur diaphoni, alij ſymphoni, ita liceat dicere, quoniam diſſiuoci & conuoci ſi aures audierint, aut planè non ferrent, aut malè libenter. Diſſonantes quidem ij qui inæqualiter & diuulsè magis mouent auditum. Conſonantes verò qui æqualiùs & impartiliter magis. Circumſcribunt autem diſtantias quaſdam, ſecundùm quas moueatur vox vel ad acutiùs quiddam exurgens & extenta, vel ad grauius inclinans & remiſſa, quam ob rem analogia quadam ſiue proportione harum diſtantiarum, aliæ conſonantes ſiue ſymphonæ, aliæ diaphonæ nuncupantur, & ſymphonæ quidem quatenus ſymphonibus phthongis, diſſonantes verò quatenus diſſonantibus continentur: ex conſonantibus verò diſtantijs primum & minimum διὰ τεσσάρων, hoc eſt, per quatuor Muſici nuncupant, quod autem ſuper hæc maius διὰ πέντε, hoc eſt, per quinque, & quod maius διὰ πασῶν, hoc eſt, per omnes. Rurſum diſſonantium diſtantiarum minimum & primum vocatur ab ipſis δίεσις, ſecundum autem Semitonium, quod eſt duplum ad dieſin. Tertius, tonus qui eſt duplex ad ſemitonium. Cæterùm ſicut omnis diſtantia ſecundùm muſicam in phthongis habet ſubſiſtentiam, ſic & omnis * mos, hoc autem eſt genus melodiæ: nam quemadmodum ex humanis moribus aliqui triſtiores ſunt & rudiores, quales fuiſſe vetuſtis in hominibus memoriæ proditum eſt, aliqui procliues ad amores & compotationes, ad luctus etiam & lamenta, ſic & melodia aliqua in animis hominum honeſtas quaſdam, & vrbanas efficit motiones, aliqua viliores atq; degeneres. Vocatũr autẽ communiter talis melodiæ modus, mos apud Muſicos, quoniam morum eſt quodammodo affectrix, huius autem communis melodiæ aliud χρῶμα dicitur, aliud harmonia, aliud diatonon: quorum harmonia auſteri cuiuſdam moris, & quodammodo honeſti præparatrix exiſtimatur: χρῶμα autem acutum quiddam & lamentabile præfert: Diatonon verò aſperum atq; ſubruſticum. Rurſum verò harmonicum melos indiuiſile habetur,

* modus

diato-

diatonum verò duas habet differentias, mollis, ſcilicet, diatoni, & ſemitonij χρῶμα verò tribus conſtat differentijs ſictrici, Semitonia, molli: ex ijs autem omnibus ſatis conſtare poteſt omnem muſicæ artis ſpeculationem in ipſis phtongis habere ſubſiſtentiam, quos ſi tollas, muſicam ſuſtuliſti. Sed quo modo tolles, inquiet quiſpiam, phthongos, quoniam vox ſunt, ſecundùm genus.

At Dogmatici Philoſophi plerique, non ſolùm Sceptici, vocem ſuſtulerunt tanquàm minimè ſubſiſtẽtem: Cyrenaici enim Philoſophi ſolas affectiones paſſionésve ſubſiſtere dixerunt, vnde & vox quæ affectio non eſt, ſed effectrix affectionis ſubſiſtentibus rebus non adnumeratur, & Democritij atque Platonicorum multi, omne ſenſile abijcientes, & vocem quæ res apparet ſenſilis abiectam voluerunt. Quæ quidem vox aut corpus eſt, aut incorporeum? non illud iuxta Peripateticos, non hoc ſecundùm Stoicos. Atqui ſi non eſt vox acuta, & grauis, vox vlla non eſt, ſed neutram eſſe monſtratum eſt, aduerſus Grammaticos dum haberetur ſermo, & de ſyllaba, & dictione diſputaretur. Ad hæc vox neque in effectu & fine, neque in ſubſiſtentia concipitur, ſed in generatione & temporali extentione, quod autẽ in eo quod eſt generari contemplamur, nondum eſt. Sic & domus, & nauis in ipſo (vt ſic dicam) fieri, nauem aut domum eſſe iure non dicimus, quare voce ſublata phthongus non eſt, & phthongum ſi ſuſtuleris nec ſymphonia, nec melodia relinquetur. Cæterùm alio ex capite (quoniam, vt mihi videtur, Sophiſticum hoc fortè illis viſum) quaſſare & mouere loco, muſices ædificium tentauêre. Si enim, inquiunt, rhythmi non ſunt, neq; de rhythmis erit ſcientia, qualis muſica habetur: Rhythmus autem conſtitutio quædam eſt ex pedibus, pes autem conſtituitur ex eleuatione & poſitione, eleuationem autem & poſitionem quantitate temporis ſpeculamur, ex temporibus enim pedes, ex pedibus rhythmi fiunt. Tempus autem ſi ſublatum fuerit, omnia huius artis ædificia corruent. At qui tempus vel finitum eſt, vel infinitum, primum minimè affirmârint ſi monſtrauerimus fuiſſe tempus, cùm tempus non erat, & futurum tempus, cùm tempus non erit: ſecundum verò neutiquam, eſt enim ipſius præteritum, præſens & futurum, quorum ſi vel primum, vel ſequentia non ſunt, finitur & exhauritur tempus, ſi ſunt, erit in præſenti, & præteritum, & futurum, quod eſt oppidò quàm abſurdum. At hæc quod conſtitui dicitur ex non exiſtentibus, ipſum non exiſtit: tale autem eſt tempus ex præterito videlicet quod amplius non eſt, & ex futuro quod nondum eſt, & ex præſenti: quod aut partibile eſt, aut minimè: Si primum dicatur vt videlicet ſit partibile, quoniam omne partile ab aliqua ipſius parte menſuratur, vt cubitus à digito, oportebit vt illud parte eius aliqua dimetiamur, præſenti autem alia tempora dimetiri non quimus, alioqui erit idem præſens cum præterito & futuro: cum præterito quidem, quoniam illud metitur vt pars, & pari pacto cum futuro, & vice verſa alijs temporibus eadem ratione minimè poterimus menſurare præſentia. Si impartile? quomodo ipſius aliud præteritũ, aliud pręſens, aliud futurũ? & quidẽ impartile, fieri non poteſt partile, vt ſcribit Timon. Ad hæc ſi momẽtum temporis præſens impartile, neq; principium à quo initium capiat habebit, neque finem in quod deſinat, atque ob id neq; medium, atque ita præſens non erit, ſi verò partile, & in tempora quæ non ſunt diuidetur, non erit tempus, ſi in ea quæ ſunt, non erit integrum tempus, ſed eius partium aliquæ erunt, aliquæ non erunt. Atque hæc quidem aduerſus muſicam diſputauerunt, quorum multa ſophiſmatibus implicita ſunt, & ſolui queunt diſtinctione entium quæ exiſtant, & quæ ſucceſſione conſiderantur, nec tam ſolidis hæc nituntur argumentationibus vt ſuperiora. Attamen ne promiſſum deſeramus ordinem, præſtare exiſtimauimus vt referemus illa potiùs quàm omitteremus, quibus etiam addi poteſt Xenophonteum illud in epiſtola ad Aeſchinem. Scimus, inquit, Socratem auribus ſolummodò muſicam percepiſſe, quaſi diceret artem ipſam eiusq; minutias non exiſtimaſſe illum tanti, quanti fieri ſolet à multis.

CAP. X.

QVAM MVLTA ADVERSVS DIALECTICAM FACVLtatem à Scepticis Philosophis sint disputata, & quid author pro ipsa.



Estat Dialectica, nam alias liberales quæ dicuntur artes vexatæ, iam à Scepticis fuerunt, restat, inquam, Dialectica, in quam sua & ipsi argumenta refundant, aut vt significantiùs loquamur, in quam refusa olim ab ipsis fuisse monstremus, interpretis quodammodo vice perfuncti. In hanc certè plurima sunt moliti, cùm Aenesidemus in quarto præcipuè Pyrrhoniarum hypothesêon, tùm & Sextus quoq; Empiricus qui præter libros πυῤῥωνίων ὑποτυπώσεων, in quorum secundo logicam siue Dialecticam vexat acerrimè, duo etiam per sese satis ampla volumina scripsit contra Logicos, & ante omnia curauit veritatis iudicium planè subuertere, quorum librorum multa retulimus superiori huius Operis volumine. Pergunt postea particularia Logicorum impugnare dogmata: De demonstratione, quã aliter sumunt quàm consueuêre Peripatetici. De syllogismo, de inductione, de genere, de specie, alijsq; de multis. Quibus in rebus & si logica etiam vtantur ipsi, ad logica videlicet dogmata subuertẽda, tanta, scilicet, est huius disciplinæ vis & ab ortu naturæ tàm altè eius principia hominibus inusta sunt, vt sine ea quicquã ferè agi non posse videatur in literis, & disceptatione cõmuni, ad abstrusis in rebus veritatẽ sincerius & indagandã & deprehẽdendam: Tamen quid attulerint tanquàm epitomate percurramus. Nam logicã facultatem Peripateticos planè secutus quinq; iam libris, quibus titulus est Logica institutio pro viribus explicui, quanquàm subsignaui mihi certa non esse quæpiã Aristotelea placita, in demõstratrici maximè facultate, idq; latiùs & particulariter magis aperiam quinto huius Operis volumine. Nũc quod attinet ad Scepticos, eorũ perstringamus argumenta, qui cùm demonstrationem se demoliri existiment, signum demonstrans auertere in primis curant, etenim distinctionẽ cùm admittant eã, quam posteriorũ Philosophorum scholæ in Peripatetica familia nobiles etiã admiserunt, vt signorũ alia sint rememoratricia, ita mihi liceat vocare quæ illi dicunt ὑπομνηστικὰ, alia demõstratricia ab illis ἐνδεικτικὰ nuncupata: illa valere dicũtur ad ea indicãda quæ ad tẽpus manifesta nõ sunt, vt quæ euidentem quidẽ habeant naturã, quæ tamen quibusdam circunstantijs extrinsecùs obscuretur: Hæc autem valere ad iudicandum ea quæ natura manifesta non sunt, eiusmodi autem dicuntur esse quæ suapte natura nequeant nobis clara videri, prop터eaq; demonstratiuis signis & indagari, & teneri, contra hæc signa se profitentur velle differere, aduersus alia minimè: quoniam communi vita probata sunt, aliter enim quàm postea consueuerit, capi isthæc signa volũt: nam signa rememoratricia dicunt esse fumum ignis, & cicatricem vulneris, quæ cum ipso cuius sunt signa, quodammodo sua claritate conseruantur: Demonstratricia verò quæ ex propriæ naturæ apparatu, id cuius sunt signa indicent, vt corporeæ motiones signa sunt animi, vnde demõstratricia signa Stoici dicũt pronunciata esse in sano coniuncto præcedenti, & reuelatricia desinentiũ. Hæc itaq; signa in controuersiã ducere tentant in hunc modum, pronunciata volunt esse dicta, λεκτὰ illi nuncupant, ex se perfecta, & quantum in se ipsis clara. Sed vtrum alia inueniantur, sub dubio versatur, quandoquidẽ Epicurei negant, affirmant Stoici: sed cùm Stoici affirmãt, aut simplici vtuntur affirmatione, arbitraria videlicet & nuda, aut demonstratione vtuntur. Si primum dicant, contra ponetur eis opposita, negatio etiam arbitraria, parium omnino virium. Si secundum, dubio dubium confirmabunt, quoniam ex dictis ipsis demonstratio cõstituitur petiq; satis cõstat quod principio negatũ est. Simili modo si est profatũ in dubio versabitur, eoq; magis, quo ea etiã ratione nõ subsistẽs videbitur, quod ex partibus nõ subsistentibus cõstituitur. Cùm pars profertur prima, secunda non est, cùm effertur secũda, prima secunda non est, cùm effertur secũdá, prima præterijt: cùm enim (verbi causa) pronũciant si dies est, sequẽs pars, id est, lux est, nondum est, & cùm dicunt lucem esse: Iam illa præcedens, scilicet diem esse, in ipsą pronunciatione desijt, & in præteritum transiuit euanida. Cæterùm si etiam sanum inueniatur coniunctum, quid tamẽ sit illud, certant pleriq;, aliter enim Philon, aliter Diodorus dialecticus decernit, vti alibi est declaratũ, aliter alij, qui neutiquam secuti Dialecticos ipsos veteres & Stoi-

& Stoicos, aiunt sanum tum esse coniunctum, cùm id quod contraponitur parti cõsequentis enunciati, pugnat cum ea parte quæ antecessit, & hanc mihi videntur opinionem sibi delegisse (si tamen alias nouerunt) posteriores Dialectici Galli atq; Britanni, cùm dicunt (vt eius vtar verbis) illam esse bonam consequentiam, cuius oppositum consequentis repugnat antecedenti. Alij verò dicunt, verum esse coniunctũ connexúmve, (consecutionem & consequentiam iuniores) cuius desinens siue consequens pars, in præcedenti siue antecedenti, potestate virtutéve, continetur. Litem verò hanc contrariarum de sano connexo opinionum quis dijudicabit? quomodo fides præstabitur ei, qui sine demonstratione decernet? quomodo quispiam poterit hac in re demonstratione vti? Etenim demonstratio sana esse non posse dicitur, vbi per assumptas & connexas propositiones non sequitur ipsa conclusio, tanquàm sequens ex præcedenti. Si hoc fiet, num promiscuus ille modus iam explosus introducetur? quærimus enim & vertimus in dubium quomodo consecutionem consequentis ab antecedente dijudicare possumus? quod si ipsum demonstrans signum, quod sequitur, indicat reuelatque, vel quod manifestum est, reuelat, vel minimè. Si primum des, non erit opus signo, cuius enim ad ea quæ manifesta sunt dignoscenda egemus indicij? si secundum, quoniam indiscussa est, de non manifestis quæstio, quomodo videlicet dijudicentur dijudicaríve queant? qualia scilicet, vera? qualia falsa? & demùm si quid eorum verum? indiscussum etiam manebit, si in verum ipsum desinet consequens eius connexi propositio: Cæterùm non potest iure affirmari, signum ipsum reuelare posse quod signatur, si vera est relatiuorum regula, vt simul sint & alterum non præcedat alterum suapte natura: Ad signatum vero signum referri quis ambigat? quare ita prius non erit signato, sicuti nec dextrum sinistro, quoniam sunt simul natura, quod autem cum alio aliquo simul est, ipsum non præcedit ac per hoc, nec tanquàm præcedens reuelare potest subsequens. Ad hæc controuersia cùm sit de ipso signo: nam Epicurei sensilia, Stoici intellectilia volunt esse, præter Basilidem: nam & ipse, & sectatores nihil voluit esse incorporeum, & præterea illud etiam controuersum cùm sit, maximè alijs affirmantibus signa inueniri demonstrantia alijs negantibus: ij qui affirmant, aut suo arbitratu affirmant demonstratione non vsi, aut demonstratione nitentes. Si primum, eadem est libertas negandi, idem prorsus arbitrium: Si secundum dicant, rapient pro confesso, quod pro incerto & dubio tractabatur. Demonstratio enim sub signo tanquàm sub genere continetur, quare si in dubium vertitur signum demonstrans, in controuersiam quoque ducitur demonstratio, non secus ac si quis ambigeret, num in rerum natura esset animal? illicò etiam dubitaret num homo ipsa in rerum natura inueniretur.

Hæc & alia, & contra signa, & pro signis etiam, vt hinc inde rem dubiam faciant, Sceptici differere consueuerunt. Qua de re confectum volunt, ita de demonstratione quæ species illius habeatur, decernendum esse, atque etiam de syllogismis, quorum definitio eadem penè apud Peripateticos quæ demonstrationis apud Stoicos, quare si eadem, idem potest confici. Si verò demonstratio syllogismi species est, vt apud Peripateticos compertum, sublato syllogismo illa ipsa corruit: Syllogismus autem sub signo claudi facilè potest, quoniam ex propositionibus assumptionibúsve conflatur, quæ ex significantibus terminis constituuntur. Verùm & particularia quoque struunt & contra demonstrationem, & contra syllogismum argumenta, & maximè contra Stoicos, quorum, vt dixi, demonstrationis definitio eadem penè cum ea quæ est Peripateticorum syllogismi. Stoici enim quatuor modos non congregantis colligentisque orationis ponunt, quinque verò modos indemonstrabilis orationis, quæ tantarum sit virium vt per ea cætera demonstrari queant, & quibus sublatis omnis Dialecticæ vis in connectendis & copulandis propositionibus euertatur. At Scepticus conatur ostendere omnes istos ad vnum eorum modorum non concludendi planè reduci, & huic tanquàm communi rationi insistunt. Vel manifesta, inquiunt, connexa sunt ex quibus quidpiam demonstratur, vel dubia: si hoc, non dabimus coniunctum ipsum concedemúsve tanquàm manifestum: si primum, cùm partem antecedentem coniuncti dederimus subitò & dederimus sequentem. Si enim esse diem concesserimus, simul concedemus, quoniam suapte natura subinfertur diem esse, quare conficitur reduci & hoc, & alia admodum ab eis damnatum,

qui dicitur κατ᾽ περολκὴν, quasi dixeris per attractum. De cathegoricis quoq; syllogismis Peripateticorum idem aiunt, hoc etiam vsi exemplo: Iustum pulchrum, pulchrũ bonum, Iustum igitur bonum, vel inquiunt confessum est & manifestum, pulchrum bonum esse, vel dubium & immanifestum, si hoc dicatur esse, non concedetur per interrogationem, & propter ea non colligetur concludeturque syllogismus. Si primum, id est, manifestum sit, quod omne pulchrum sit bonum, simul atque fuerit admissum, aliquod esse pulchrum, simul & admittetur idem esse bonum, vt hæc interrogatio sit satis, iustum pulchrum, iustum igitur bonum, & trahitur aliud sumptum in quo pulchrum bonum esse dicebatur. Sic inquiunt etiam hoc in sermone, Socrates homo, omnis homo animal, Socrates igitur animal. Si enim manifestum ex se non fuerit, quod omne quod est homo, sit animal, vniuersalis propositio non concedetur, neque ipsam dederimus interroganti. Si autem hominem esse, sequitur ipsum esse animal, & propterea verum est quid conceditur, propositio ea quæ est, omnis homo est animal, simul vt proferetur simul & inferetur, quod Socrates est homo idemq; animal, quare satis abundeq; fuerit hæc ipsa interrogatio. Socrates homo, Socrates igitur animal, & trahitur illa propositio omnis homo animal. Cæterùm veram orationem non inueniri dicunt, & ob ea quæ dicta sunt, & ob id quod omnino debet in verum desinere: Cõclusio autem veráne sit, an minimè, dignosci nequit, quia vel manifesta est, vel minimè: Primum neutiquam, quoniam non indigeret vt propositionibus manifestaretur, si ex ipsa claresceret, non minus quàm sumptis illata. Secundum si dixerint, quoniam de illis assumptionibus extat controuersia, vt suprà satis est indicatum, incomprehensa & controuersa conclusio fuerit, atq; per hoc controuersum etiam fuerit, per sumpta verúmne inferatur an falsum? præcedés præterea & subsequens cùm relatiua sunt, quorum natura simul est simulq; dignoscitur, fiet vt si ignota conclusio, ignotum quoq; sit sumptũ, si manifesta conclusio, sumptũ quoque clarum & manifestum. Nam ex manifestis (vt aiunt) non inferuntur ignota, propterea non conficietur vt ex sumptibus reueletur ipsa conclusio, quoniam vel nõ manifesta & non comprehensa, vel manifesta & reuelante propositione non indiga. In demonstrationem quoque, vel eo arietant Sceptici, quòd res controuersa sit, propterea q; ipsi nihil magis affirmant, quàm negant inueniri, Dogmatici affirmant & rationales Medici, Empirici verò tollunt, & Democritus in eam in libro Canonum acriter inuexit. Et præterea quilibet eorũ qui demonstrationem esse, concedunt, quapiam in re illam se asseruisse prædicant, alij negant. Epicurus enim ex motu vacuum se demonstrasse opinatus est: Peripatetici ex motu vacuum tolli existimârunt. Sumpta quoque propositionum demonstrationi deseruientium sub dubio, sub lite, sub iudice versantur: Verbi causa illa, si est motus, est vacuum: secundùm Epicurum incipit à vero, & in verum desinit: secundùm Peripateticos à vero exorsa finit in falsum: secundùm Diodorum initium sumit à falso, & in falsum recidit: at secundùm Scepticos quoniam in obscurum definit, obscurum est. Inter Stoicos quoque num multa pugna etiam in ipsis assumptionibus? plures enim non vnam esse voluit Chrysippus, Antipater verò decreuit ex vno sumpto sermones confici, & præterea de manifesto & non manifesto multam vel controuersiam excitant, vel struunt calumniam, vt demonstratricia signa demonstrationemq; ipsam reddant incertam. Syllogismum quoque eum in qua vniuersalis propositio continetur, eo damnant, quod in promiscuum probandi recidat modum. Si enim particularis ex vniuersali concluditur, tota eius veritatis vis in vniuersali continetur, puta omnis homo est animal, Socrates homo, Socrates igitur animal: eo enim verè pronunciatur illa Socrates animal, quia omnis homo est animal. At quod omnis homo sit animal, ex particularium inductione colligitur, & si vna defuerit particularis, vniuersalis minimè colligetur: vniuersalis igitur particularem & particularis probat vniuersalem. Pari pacto in condictionalibus, vt si dies est, lux est: huius enim veritas existente luce comprehensa est, & ex ea diem esse rescitum est, atq; probatum, mox ex die lucem esse inferunt: alia quoq; permulta tàm de affirmantibus, quàm de negantibus percurrũt, vt ostendant in promiscuum omnes locum recidere. Inductionẽ quoq; non admittunt, quoniam vel omnia colligere se dicunt particularia vel nõ omnia. Si hoc, firma nõ erit inductio, quæ, scilicet, potest particulari aliquo aduersãte labefactari. Si secũdũ, labor inanis erit & irritus,

tus,quando particularia infinita sunt & nullo termino ab hominibus comprehensa.

Definitionem etiamnum disijcere tentârunt, primò inquiunt is qui definitum ignorat, potis nõ est,quòd, scilicet,ignorat definire,qui verò & nouit,& deinde definit,non ex definitione definitum comprehendit,sed postquàm hoc nouit,ei ipsi definitionem apponit,quod si ita est necessaria,non est ad res comprehendendas definitio.Etenim si omnia definire volumus, simpliciter nihil definiemus, quoniã res in infinitum est procubitura.Quędam verò capere sine definitione cùm fateamur,fateri etiam planè videmur,ad rerum comprehensionem minimè necessariam esse definitionem.Qui verò ad disciplinã diceret necessariam,nonnihil diceret,si primus qui res nouit,eas ipsas definitione comprehendisset. Sed modo ex definitis definitionẽ iudicãt,quæ & iudicari fortè nequit,cùm ad infinitum procumbat inquisitio rerum definiendarum.De generibus quoq; & speciebus ita ferè argumentantur:Si sunt genera,vel tot sunt,quot speciebus,vel genus omnibus est commune speciebus.Si primum,non erit genus quiddam commune in species diuisum: si secundum,vel toto genere vnaquæq; participat species, vel parte aliquam ipsius,primum nequaquam, fieri enim quî potest vt vnum quiddam à diuersis secundùm idem contineatur sic,vt totum vniuersúmve in vnoquoq; speculemur eorum,in quibus esse dicitur,si secundum aiunt,primum nõ sequetur ad specie genus omne, vt existimant, neq; enim homo erit omne animal,sed pars animalis,sicuti nec erit omnis substantia animata sensilis.Deinde etsi dicatur omnes species participare parte generis ipsorum,id erit vel eiusdẽ,vel alterius & alterius:si eiusdem,quo modo affirmari poterit propter ea quæ dicta sunt?si alterius,species similes non erunt secundũ genus, idq; absurdũ dogmaticis existimatur.Infinitum etiã erit genus vnumquodq; in infinita dissectum, nõ solũ species,sed & indiuidua in quibus ipsis post eius species esse pronũciatur,neq; enim homo solùm,sed etiam animal est Socrates,Plato & cęteri.Alia etiam plæraq; & contra hæc ipsa,& contra alia Dialecticorum dogmata fudêre,quæ omnia quoniam minimè difficulter dissolui posse existimo,& eorũ etiam multa distinctione clari & obscuri,& noti magis noti,simpliciter & ex parte possent defendi,ideò explicanda diligentiùs non duco. Miror tamẽ quod illud etiam Socraticum à Xenophonte in libro de Socrate dictis relatum,ipsi non retulerint,Socratem consulere solitum, logicam ita discendam, vt magnum eius studium multamque operam improbaret. Sed ad Metaphysica,& Physica,& Moralia infirmanda, quid ipsimet attulerint Philosophi, deinceps aduertamus.

CAP. XI.

QVAENAM ET QVAM MVLTIPLEX IMPROBATIO supremæ Philosophiæ partis, quam plerią, Metaphysica,alij primam Philosophiam,alij Gentium Theologiam dicunt,à Scepticis excogitata, ibią, etiam aduersus eos nonnihil.

POst liberales artes,ipsas etiam Philosophiæ partes,quę reliquę putabantur,plenas contentionis & disceptationum reddere tentauerunt Sceptici Philosophi,à primis quas dicunt causis principijsque rerum exorsi:In quibus causis cùm potissimùm Gentes ipsæ, suos numerarent deos, de ipsis agendum esse inprimis existimârunt, non quod ipsos quoad patriæ leges aut iuberent,aut permitterent,non ipsi colerent,sed quatenus aut Philosophorum authoritate,aut indicio sensus,& coniecturæ indagine,fuissent introducti.Eorũ igitur (inquiunt) quæ excogitamus, essentias concipere animo debemus, veluti si corporea sunt,an incorporea,sed & etiam species,neq; enim quispiam equum verbi causa concipere animo ritè poterit, qui prius formam figurámve non nouerit, quoniam verò inter dogmaticos alij corporeos dicunt esse deos,alij incorporeos,rursum alij humanis figuratos liniamentis, alij minimè, atque iterum alij Deum in loco reponunt,alij nequaquàm,& eorũ qui alicubi eum esse dixerunt, nonnulli intra mũdum, alij omnino extra collocauerunt, quomodo ipsius habere conceptum poterimus? Cùm neq; de ipsius essentia, neq; de forma,neq; de loco consentiant Philosophi.Nam quod alij ijs quæ vsui hominum generi essent inuentis,homines ipsos con-

secrârunt,& de inferis suo modo disseruerunt,vanum omnino: neq; enim propterea docent quomodo homines,ad existimandum deos esse, peruenerunt,eoque magis quòd de illis diuersè sunt arbitrati. Persæ enim ignem, Aegyptij aquam Deum esse dixêre,alij aliud. Quòd si homines post mortem deos esse factos putauerunt, quomodo ipsorum conceptionem deorum in primis habuerũt? ad quam,scilicet,referrent functorum hominũ animas. At qui & hęc quàm breui dispereunt:namq; ea quibus homines falsò confidunt,viuentibus illis tantummodò permanent,mortuis autem ipsis quàm ocyssimè abolentur. Est enim videre multos vita comite ad memoriã consecratos,post mortem planè contemptos, nec Democriti satis potuit coniectura ad proferendum deos ex terræmotibus & fulguribus atque fulminibus,nec Epicuri ex simulachris humanæ formæ obuersantibus ante ora dormientium,neque ex cœlestium globorum ordine:nam potestatem quandam naturæ colligere inde queunt: non Dei beatitudinem & infinitam potestatem. Si enim primò beatum hominẽ perciperent,deinde beatum Deum (ad illum enim transferrentes eam,quam in homine nouissent beatitudinem) primò nouisse oportuit quid sit beatitudo, cuius participatu quispiam dicitur beatus. Sed apud Græcorũ multos dæmonia quædam diuinaq; natura dicitur & Eudæmon vocabatur qui dæmonem εὖ,id est, benè haberẽt dispositum,quare,inquiunt,antequàm beatitudinem cognoscamus, primùm cognitionẽ Dei & dæmonis habuisse conuenit,vnde alterutrum indiget alterutro,& hæc quidẽ, & alia complura disserunt de opinione quam primò dicuntur homines de dijs habuisse. Deinde an ipsi sint dij,longiusculè disputârũt, quoniã de aliqua re haberi opinio & existimatio potest,quæ tamẽ res ipsa non sit, vt Scylla & Hippocentaurus, deos autem nõ esse dixêre multi,sicuti Euemerus arrogans senex,& iniqua volumina pangens,vt hemistichium vertam Calimachi: qui fictos ab hominibus deos voluit à potentibus,& prudentibus viris, vt sibi subiectos homines eorum timore compescerent,quam opinionem secutus videtur Critias, & Prodicus Chius,relata inter deos existimans ea omnia,quibus iuuarentur mortales, sic Solem,Lunam,stellas,fluuios, & cætera fuisse deorum vice consecrata. Diagoras etiam Melios Dithyramborũ scriptor,qui initio sui carminis gubernari omnia dęmone & fortuna dixerat,affectus iniuria: Cùm videret impunè degere qui se affecissent,palinodiam cecinit,& Theodorus Atheus cognomento,qui variè de ijs, quæ apud Græcos recepta fuerant disseruit,& Abderites Protagoras,qui essẽntne an non essent dij? & qualésnam essent? se non posse dicere protestatus est, quoniam multis prohiberetur:ob quam causam Athenis profugus cùm nauigaret perijt in mari, cuius rei longo sermone meminit in secundo Syllorum libro Timon. Fuêre autem qui contradicerent & deos esse sint arbitrati,quatuor potissimùm freti fundamentis hisce, consensu hominum,mundi ordine,multis quæ absurdissima existimant esse, opinionem consequentibus eorum, qui deos omnino sustulerunt,facili demùm explosione earum quę ipsis aduersarentur sententiarum. Fuêre autem Philosophi qui silentium cùm de dijs rogarentur tenuêre, vt propterea, nisi fallor, à Scepticis nec inter eos qui affirmarent deos,nec inter eos qui negarent potuerunt collocari. Thales enim Philosophicorum princeps sciscitanti Crœso de diuinitate commeatu,deliberãdi, quemadmodum Tertullianus ait in Apologetico,sæpè frustratus est,& Simonides quid esset Deus à Tyranno interrogatus,se nescire respondit. Cæterùm inter eos qui affirmarent & qui negarent Sceptici quodam modo medij se agere securiùs existimârunt,si deos reciperent ἀδοξάστως,vt eorũ vtar verbo:& secundùm patrias colerent leges, secundùm philosophiã verò nihil decernerent,quare & multa pro dijs modò Pythagoræos, Platonẽ,Aristotelem,Stoicos,secuti,modò contra deos,vestigia Carneadis & Clitomachi obseruãtes,multa scripsêre,quæ referre non expedit, nõ solùm propterea quod Cicero in libro de Natura deorũ plæraq; omnino similia recensuerit: nam multas retulit Sextus in libro contra Philosophicos Clitomachi,& Carneadis Soritas, quas Cicero nõ explicuit,innuit autem eo loci (si non fallor) contra quos Carneades vi multa disseruit, vt excitaret homines non socordes ad veri vestigandi cupiditatem,nõ solùm,inquã, propterea,sed quoniam à nostris, ita cùm vnius Dei vnitatem & maiestatẽ astruunt, sunt dissoluta,vt superfluò factum iure videri posset,hæc tamen pauca retulisse,ne libri ordinem desererem, cõsentaneum visum est. Certè Iamblichus hominibus inditam

tam & tãquam inustam vnius Dei cognitionẽ scribit,& tactum, vt ipse ait, diuinitatis omni notitia longè meliorem, pluralitatem verò deorum & ab ipsa antiquitate bonis ingenijs explosam,& vnitatem assertam, cùm alij ex nostris plæriq;, tũ & ego tàm in libris de Prænotione rerum pro viribus, quàm in libro de Prouidentia planè mõstraui, quo ex libro nisi me decipio,& Carneadis, & Clitomachi argumenta omnia facilè diluuntur.

Sed reuertor ad Scepticos, quíne accusarentur de impietate, qui deos tanquàm rerum causas sublatum iri, vel sub dubio relinquere curauerunt, quas rerum causas, astruere conati sunt Dogmaticorum philosophorum plurimi, non esse verò illas putauêre, quicunq; Sophistarum transmutantes causas motusq; locales tollere se de medio existimârunt. Magis autem non esse, quàm esse Philosophi Sceptici disputârunt, hinc inde argumenta excitantes, vt tandem huic rei sicut & cęteris omnibus dubitationẽ,& ambiguitatem inferrent, & assensum cohiberent. Quapropter aduersus causarum existentiam ita soliti vel ipsi argumentari, vel àb alijs excogitata argumẽta recensere. Si causa aliqua est, eorum est ex numero quæ ad aliquid, hoc est, alicuius causa, huiusmodi verò quæ ad aliquid esse dicuntur, cogitatione quidem nostra existunt, re verò ipsa minimè. Iam si quidpiam alicuius dicitur esse causa, ipsum quidem non erit, si id cuius esse causa dicitur, non fuerit, sed multa à suis pendere causis dicuntur, quæ non solùm non pendẽt ab eis, sed nullo modo sunt vt palàm fiet. Præterea causa, vt causa, sciri non potest nisi effectus, vt eius effectus causæ dignoscatur, vt igitur causa detur intelligi, prænouisse effectum quatenus eius est effectus, oportuit, atq; vt effectus prænoscatur, præsciuisse opus est illius causam quatenus causa, igitur alterum altero cognoscitur nec vnde fieri debeat initiũ, satis apparet, atq; hinc promiscuus qui iã explosus est locus introducitur. Ad hęc si causa est vlla, vel corpus corporis est causa, vel incorporeũ incorporei, vel corpus incorporei, vel corporis incorporeum, sed nihil horum est, igitur non causa. Nam si primum detur cùm vtrunq; eadem polleat natura, cur magis alterũ alterius erit causa? Si verò ambo causa, effectus patiénsve non erit, quod vbi concedetur, neq; erit efficiens vllum & causa. Si verò secundum detur, eadem ratione, ea ipsa hoc est, vt neq; sit efficiens vllũ, neq; suscipiẽs, consequeretur. Si verò duo vltima afferantur in medium, tũc id quod efficit, tangere debet materiam vt efficiat, & patiens materia tangi debet vt patiatur. Incorporeũ verò nec potest tangere, nec tangi, quare corpus incorporei, & contra corporis incorporeũ causam esse non posse commentantur. At hoc vltimũ à nostris facillimè solueretur distinctione cõtactus corporis videlicet & virtutis siue sensus, & spiritus. At qui Aenesidemus in causas argumentatur ita: si corpus corporis est causa, vel ingeneratũ est huiuscemodi corpus vt atomus apud Epicurũ, vel generatum, vt dici cõmuniter solet, & hoc vel manifestum, vt ignis, vt ferrũ, vel immanifestum vt atomus: quicquid autem horum dicatur esse, nihil poterit efficere, aut enim secundùm se ipsum manẽs, aliud quiddam efficit: aut non secundùm se, sed cum alio conueniens. Si primum dicas, dicere etiam te oportebit plus se ipso illud ipsum propriaq; natura non posse: si secundum, tertium etiam quiddam effici ab eo iure non dices, quod videlicet in ipso antè non pręfuisset, fieri enim quĩ potest, vt vnum vertatur in duo, aut duo in tria, hoc enim pacto quid prohiberet, vt ab vno infinita promerentur? eadem quoq; ratione de incorporeo dici afferriq; non difficulter posset. Ad hæc nec aliquid alicuius causam dicunt si simul sint, quoniam non magis, hoc quàm illud, neq; si alterũ prius, alterum posterius: nam si causa dum est, nondum est id, cuius est causa, causa illa dici non potest, ad aliquid enim causa dicitur, & quæ tali modo relatiua sunt, simul esse necesse est, pari fermè modo de mouente, & moto solent argumẽtari. Sed solutio satis in promptu, propterea magis ea explicare non expedit, quoniam diuisio nõ est integra, & ab vna æterna & omnipotenti causa, multæ & causæ, & effectus diuerso modo produci potuerunt. Non tamen illa causa effectus est causa, sicut aliç, sed in infinitum super omnem quam propriè homines concipimus & comprehẽdimus causam, exaltata: eademq; in omnibus est rebus etiam imis, vt nostri probant Theologi. Tollere etiam de medio causas ita aggrediuntur, vt ostendant, non magis eas ita esse dicique debere, quàm effectus ipsi. Siue, inquiunt, causa ex sese integrè atque perfectè suapte natura effectiua est rei cuiuspiam, siue cooperatrice quodammodò potestate

indiget ex parte ipsius effectus. Si illud dixeris, eueniet vt multa solis tribuenda sint causis, quæ tamen tribui non debere consensus est, & dogma omnium penè philosophantium commune. Nam si hoc dederis, causam iam per sese nullam reperies, cùm effectus tàm ipsi effectui, quàm causæ referri acceptus & possit, & debeat. Si enim ignis exempli gratia, vstionis erit causa, vel suapte id erit natura & per sese, vel cooperatur ei combusta materies: si primum vbicunque erit exuret: at non est ita, nam quæpiam comburit, quæpiam minimè, quare non per sese & integrè, & absolutè id efficit: si secundum responderis, quomodo habemus dicere ipsum esse causam vstulandi, & non etiam proprietatem aptitudineq; lignorum? quemadmodum enim si ignis non est, vstio non est, ita si desit materia quæ possit exuri, vstio non erit. Idcirco si id habetur pro causa, quod si adest, effectus producitur, si abest, nō producitur, tam erit causa materiæ proprietas ad recipiendam impressionem ignis, quàm ipse ignis. Alia plæraq; non dissimilia promunt Epichiremata, quibus & adstringi dogmaticos aiunt, vt penè fateantur non aliud esse patiens ab agente, sed eorum concursu fieri effectum, sicut liquefactionem cærę non tàm à calore, quàm ipsa cæra pendere conspicuum aiunt, cùm alterum sine altero esse causa nō possit liquefactionis ipsius, quando non magis cæra propter calorem liquefiat, quàm per cæram liquefaciat calor. Quare confici volunt absurdum esse vt quod à duobus pendet, in vnum tantummodò vt in causam referatur. Adijciunt & illud: qui causam dicūt esse, vel simpliciter id proferunt nulla moti ad id asserendum causa rationabili, vel causis ad id promēdum idoneis persuasi. Si primum, nulla eis debetur fides: si secundū petunt, id quod principio negatum est, assumunt enim causas quæ an sint sub dubio versatur? hæc & alia multa de causa, & effectu tàm in tertio Pyrrhoniarum informationū, quàm in libro contra Physicos parte prima, disseruit Sextus ipse Pyrrhonius Græcè, ego Latinè, vt tenerem libro ordinem, & seruarem quod me facturum receperam, paucula hæc attuli, reliqua omisi.

CAP. XII.

QVID ADVERSVS PHYSICOS EPHECTICI disseruerint, vbi etiam contra eos nonnulla.



Phectici quoq; aduersus Physicos pleraq; alia moliuntur diuersis in locis, referre aliqua inutile non fuerit, ad ordinem quem sumus polliciti obseruandum: itaq; vbi Physicos philosophos impetiuère de causis efficientibus supra naturam, hoc est, supra materiam, motū, sensum, multa differentes, ipsam etiam materiam & quæ ab ea pendent, duxère in controuersiam, & de principijs materialibus ipsisq; rerum corporearū elementis multa disputantes, ex pugna Philosophorum in ipsis principijs acerrima, veritatē de eis nō posse comprehendi subindicārunt, quando alij vnum, alij plura voluerint esse, & plura alij finita, alij infinita, & qui vnum alij terram, alij aquam, alij ignem, alij alia, vt primo huius Operis libro magna ex parte recensui. Inde digressi existimant nō posse ea comprehendi, quæ videlicet aut corporea dicerentur esse, aut incorporea, cùm neq; corpus, neq; incorporeum cōprehendi posse dicant. Corpus igitur si (vt aliqui diffiniunt) est quod facere potest aut pati: incomprehensile esse vel hinc arbitrātur, quod neq; efficiens, neq; patiens cōprehendi posse suprà satis ostendere conati sunt. Si verò trina dimensio est quæ possit resistere, tollere eam vel hac argumentatione tētant. Corpus quod dicitur vel aliud quiddam est, quàm hęc ipsa scilicet longitudo, latitudo, profunditas, resistentia, vel harum concursus, est & coitio rerum. Primum si dicerent, dicere etiam oporteret quid sit illud, aliud quod tamen ab eorum diffinitione excluditur. Secundum verò si afferrent, sublatis omnibus particulis diffinitionem claudentibus ipsa protinus auferetur. Si fines aliqui sunt corporum, ij sunt vel lineæ, vel superficies, vel corpora, quodcunq; horum afferatur, id vel per se existere, vel solum in ipsis corporibus considerari dicetur: Si primum, id somnio simile videbitur: Si secundum afferatur, statim id suapte natura dabitur, ex ipsis videlicet nō fieri corpora: oportet enim vt secundum se aliquam habeat essentiam id, quod efficere aliud quiddam iure affirmatur: quare neque in ipsis existere corporibus inuenientur, quod

quod etiam ex difficultatibus quæ tactum circunstant aperitur. Si enim sese inuicem tangunt coniuncta corpora, eorum ipsorum extremis finibúsve, hoc est, superficiebus sese contingunt: superficies igitur totæ se totis atque vniuersim inuicem non vnientur secundùm tactum, quoniam commixtio esset tactus & incessio quædam rerum quæ continguntur, quod non cernimus. Si verò alijs partibus superficies tangit appositi corporis superficiem, alijs verò vnitur corpori cuius est terminus, nemo poterit speculari circum corpus longitudinem & latitudinem non profundam, quare neque superficiem. Similiter autem si supponamus duas superficies inuicem componi, secundùm earum extrema, in quæ desinunt, secundùm eam quæ ipsis dicitur inesse longitudinem, hoc est, secundùm lineas, tum lineæ ipsæ per quas inuicem se tangi dicuntur superficies, inuicem non vnientur, commiscerētur enim confunderenturq; quodam modo. Si verò vnaquæq; ipsarum alijs quidem partibus latitudinis lineam tangit ipsi appositam, alijs verò vnitur superficiei, cuius est terminus, tùm non erit expers latitudinis, indeq; linea non erit. Si verò nec linea est in corpore, nec superficies, neq; etiam latitudo, neq; longitudo, neq; profunditas inerit: Quòd etiam tactus non sit comprehensilis, ita astruit, quæ se tangunt aut se totis ita dixerim tangunt, aut partibus: non primum, vnirentur enim inuicem huiuscemodi, non tangerentur: non secundum, quoniam partes ipsæ vt ad totum relatæ partes habentur, vt verò ad suas partes tota inueniuntur: hęc igitur tota aliorum sunt partes, tota quidem totis non tangentur, ob ea quæ iam dicta sunt, neq; partes partibus contingentur, hęc enim horum partes vt ad suas ipsarum partes referuntur, tota sunt: quare neq; tota totis, neq; partes partibus tactu copulantur, vnde & incomprehensilis tactus asseritur, ea opinione & resistentia tollitur, qua corpus præter ipsas tres dimensiones cōponi affirmabatur. Incorporea quoq; tolli putârunt sublato corpore, sicuti priuationes eliminari, si habitũ sustuleris. Ad hæc si est, inquiunt, incorporeum vel sensile est, vel intelligibile. Si primum detur, incomprehensile habebitur, ob discrimen belluarum & hominum in sentiendo, & ob sensuum ipsorũ differentiam, & circunstantias, & mixtiones, & id genus & cætera, de quibus actũ libro secundo, cùm de decem modis cohibēdi assensus ageretur. Si verò secundum afferatur, cùm sensile ducat in cognitionem intelligibilium, sensu in controuersiam ducto quid conficient? At certè conficerent si eis modis ad incorporea scanderent, quibus nostri vsi sunt.

Sed illa & alia complura differentes ad temperamenta deueniunt, Iuniores appellant complexiones, quæ in incerto posita contendunt, ob multitudinem dissonantium opinionum, atque inter cætera hoc vtuntur argumentandi modo: Quæ temperantur ex substantia & qualitate, conflari dicuntur, igitur vel essentias ipsorum misceri quis dixerit, qualitates verò non misceri, vel contra conflari qualitates, essentias minimè, vel vtrunque inuicem vniri, vel neutrum alterutro commisceri. Si neque substantiæ, neque qualitates inuicem vllo modo miscentur, inexcogitabilis erit temperatio, quo modo enim sensus vnus à temperamento fieri continget? Si quæ temperantur nullo, scilicet, eorum quos diximus modorum conflabuntur. Si verò qualitatem simpliciter apponi ad qualitatem aliam dixerit quispiam, substantias verò misceri, absurda vtique dixerit, neque enim abdicatis qualitatibus quæ in temperamentis corporum sunt, ipsas comprehendimus temperaturas, sed tanquàm vnã ex ijs quæ conflata sunt, cōfictam persentimus. Si verò contra qualitates quidē misceri quis afferat, substantias minimè, impossibilia dubio procul afferet: essentia enim qualitatum in ipsis substantijs est, quare ridiculum habebitur. Si qualitates à substantijs separatas priuatim & propriè affirmauerit commisceri, quod si respondeatur qualitates in temperatione, & substantias inuicem conflari, & conflata, ipsam temperaturam constituere: Instabunt & vrgebunt fieri contendentes, vt aut sola potestate mixtio fiat, aut nunquàm fieri queat, nisi tantundem ex alterutro rerum (vt aiunt) miscibilium afferatur. Si quis enim decem aquæ cyathis, cyathum succi cuiuspiam misceat, misceri vtiq; succum aquæ non negauerint: Si igitur pauxillum mixtæ ipsius rei capiatur, inueniet ipsum plenum succi virtute & potestate. Si verò pars misceatur parti ita, vt totum toti coëxtendatur, per transitum qualitatis & essentiæ, æqualia erunt, & tunc aut vnum decem æquabitur, aut decem vni: hæc illi ferè & nōnulla alia, quibus tamen per ea quæ iuniores de temperamentis disputant, non difficile pateret

responsum. Motum deinde loco, vt sic dixerim, mouere tentant, & cùm sex eius dicantur esse species, ab eo motu qui secundùm locum dicitur, exordiuntur: huius duæ species, aut cùm secundùm totum mouetur corpus, aut cùm secundùm partem: exemplum primi, cùm quis locum ambulando permutat, secundi, cùm manum extendit quispiam & contrahit, vel cum sphæra circa centrum mouetur, dum altera semper, & altera pars mutat locum, & diuersè se habet ad ipsum punctum in sphæræ meditullio constitutum. Tres autem ipsius motus opiniones sub antiqua lite versatæ sunt. Alij vt Pythagoras, Empedocles, Democritus Epicurus, Peripatetici, motum esse decernunt, non esse verò & Parmenides, & Melissus, & Diodorus Cronus, nisi is fortè motum esse concedat quempiam, neutiquam verò ipsum moueri: sanè ijs annumeratur qui motum sustulère, neq; autem hoc magis, quàm illud neq; contra Sceptici, qui quatenus ad ea quæ apparent respiciunt, motum esse non diffitentur, persuasi fortè ab Antisthene Cynico, qui dum de motu interrogaretur, nihil verbo respondit, sed opere, surgens videlicet atque deambulans: quatenus verò philosophica ratione motus inuehitur, non esse disputant Sceptici, quare & quæ pro motu, & quæ contra motũ dici solent, cùm in medium afferunt, & apparentiæ, & cõmuni sensui rationes opponunt, assensum cohibent, esse illum non magis quàm non esse existimantes, ob discordiam & opinionum variarum, & rationum, quæ autem contra motum dicuntur, in hunc ferè se habent modum: Si mouetur quidpiam vel à se ipso mouetur, vel ab alio: non à se ipso, quoniam omne quod mouere dicitur, vel propellendo mouet, vel attrahendo, vel sursum vrgendo, vel deprimendo. Si propellit se ipso, posterius est, tale enim omne est, quod ante se quidpiam pellit: si trahit, se erit anterius, si sursum vrget, subtus se, si deprimit, superius se: & qui diceret moueri totum, vel omne per partem, de illa etiam parte quæstio eadem interrogabitur. Neq; etiam ab alio mouetur, quoniam illud ab alio, aliud item ab alio, & sic in infinitum procumbet excursio, vel enim causam motus habet, vel non habet, hoc secundũ nequaquam dicturi, qui nihil sine causa volunt esse. Primũ si dicent, causa per quam mouetur, motrix ipsius erit, quare si mouens agit, & quod agit mouetur, & illud alio indigebit motore, & alio item illud ipsum, quo ad finis tandem nullus inueniatur. Quod si ad impetum & electionem confugerint, ad memoriam (inquiunt) reuocét, non esse adhuc arbitrium certum veritatis dijudicandæ: Hoc autem incommodum nos effugimus qui certa ducimur fide.

Sed reuertamur ad Scepticorum argumenta: Addunt enim quod si dicerent non sequi semper quod mouet, rem ipsam motam, quare non dari ordinem hunc deinceps pendentem & ferè cathenatum, quem multi, scilicet, nostrorum vocant essentialem, separari à re ipsa mota motorem, vt manus à pila quam proiecit: illud etiam dicere eos opus est, quod mouetur corpus, ab ipso quod mouet pati quoquo modo & disponi ad motum, nihil autem pati potest quod aut appositione, aut ablatione, aut transpositione non patiatur. In dubium autem hæc vertuntur non solùm quod indiuisilia nullo eorum modorum mouentur, sed quoniam ablatio ipsa & additio, & transpositio certò & extra controuersiam non recipitur. Si quid enim aufertur ab aliquo, aut æquale ab æquali, aut maius à minori, aut à maiori minus auferri dicitur; quod autem ablatum est, antequàm auferetur, in eo à quo ablatum est, continebatur, æquale autem non cõtinetur in æquali, sicut sex in sex, maius enim opus est esse id, quod continet, eo quod continetur, & id à quo aliquid aufertur, eo quod ablatum est, vt post ablationem aliquid relinquatur: hoc enim differre videtur quod aufers, ab eo quod penitùs & omnino tollis. Sed neque maius in minori continetur vt sex in quinq;, hinc etiam ducetur, neque minus in maiori contineri: si enim in senario numero quinarius comprehenditur, vt in maiori minus, & in quinario quaternarius, & in quaternario trinarius, & in trinario binarius, & in binario vnitas comprehẽdetur, quibus explicatis quinarius supra denarium numerus exurget, quem in senario comprehensum esse conficietur. Rursum si quid ab aliquo aufertur, aut à toto totum, aut à parte pars, aut totum à parte, aut à toto pars auferetur. Totum verò, vel à toto, vel à parte auferri qui diceret, risui pateret, relinquitur vt dicant partem auferri, vel à toto, vel à parte. Sed esto verbi causa dicatur auferri à denario numero vnitas, hæc vel à toto auferetur denario, vel à nouenario, scilicet, relicto: non

non à denario, quoniam non est aliud denarius numerus quàm decem vnitates, neque vna aliqua vnitatum, sed concursus omnium vnitatum, nec ab vnaquaque vnitate debet vnitas auferri: nam vnitas indiuisilis, igitur auferri nequit; sed neque à nouenario relicto: quoniam quod aufertur, nõ relinquit integrum id à quo dicitur auferri, nouenarius aũt vnitate, à denario sublata, non minuitur. Adiectionem etiam fieri non posse vel hinc potest comprobari, quod enim additur vel sibi ipsi additur, vel præexistenti, vel ei quod ex vtrisq; constitutũ est. Addatur exempli gratia quatuor cyathis cyathus, quęro cui fit additio? nõ sibi ipsi cyatho, quoniam quod adijcitur aliud ab eo est, cui adijcitur, nihil autem est quod à se ipso sit diuersum, sed neque ei quod est ex ambobus compositum: quomodo enim fieri additio potest ei, quod nondum est? nondum autem est ex vno & quatuor cyathis constitutio, priusquàm fiat vnius ad quatuor additio: si verò præexistenti tetracyatho dicatur additio fieri, sequetur vt cyathus ipse vnus quatuor æquetur cyathis, quoniam quod alicui protenditur coextenditurque, æquale illi debet esse: quare neque additio satis constat, neque detractio, & per hoc, nec transpositio, quæ videlicet ex additione & detractione dissultat, quare motum non esse his rationibus asserunt. Ad hæc, ita Diodorus Cronus argumentatur: Si quod mouetur vel in eo, in quo est loco, mouetur, vel in quo non est, non primum, quia in eo manet & ipsum implet, non secundum, non enim in ipso est, absurdum autem esset quod in Lesbo moueri, affirmabat etiam non moueri quicquam, motum nihilominus ipsum, quod non moueretur, affirmabat, idq; propter ea quod impartile dicebat in loco indiuisili contineri, & modò in hoc, modò in illo inueniri. Imaginatio isthæc, non omnino absimilis videtur ab ea de qua ex nostris tractàrunt nonnulli, qui de angelorũ motu disseruêre. Sed enim priori rationi responderi posse scio à Peripateticis faciliter, de motu sphæræ in eodẽ loco, & distinctione termini à quo, & termini ad quem, vt corpus partim in altero, & ex parte in altero esse dicatur.

Sed vrgent Sceptici, de partibus eiusdem sphærę non eodem in loco motis, & tollere conãtur distinctione motus, & in quadam latitudine & propriè desumpti verbi causa in domo, & in aëre nos ambiente & affirmant de proprio loco, id est, vallente nos aëris superficie loqui, in qua non mouetur quicquam: Si in ea esse verè dicatur: nam in alijs partibus ambientis aëris pręter eas quibus circũcluditur corpus, esse iure non affirmatur, quare ea quæ prius allata fuerat, dubitatio redit, aliæq; permultæ, & in tertio Pyrrhoniorum & in opere contra Physicos ab eo quem sæpè citauimus Sexto, ducuntur in medium, de auctione quoq; & minutione disserentes, sensui communi rationem eam obijciunt, de rerum inconstantia, quarum essentia fluit & mutatur identidem adeò, vt affirmare nequeas eandem esse, & prætereà additionem qua fit auctio, & detractionem qua fit minutio sublatũ iri suprà contenderũt. De toto quoq; & parte magna contentio non solùm quod totum & vniuersum differre Stoici volebant, pro quibus verbis reponunt ipsi τὸ ὅλον. κ τὸ πᾶν. ὅλον enim dicunt mundum, πᾶν verò quod extra mundum est vacuum, & cum mundo vnum, quare finitum illud, hoc infinitum: confundit autem & promiscuè hęc accipit Epicurus, & alij pleriq;, non solùm, inquam, propter ea, sed quia de toto & partibus quo modo differant, & quo modo inter se partes, multa disputatio? & tollere quoq; ipsum totum, & partes vel sub dubio relinquere multis contendunt, quorũ hęc pauca sint satis. Additione sublata, quam suprà sustulimus, tollitur totũ, quod ex cõcursu partium constituitur, & ablatio etiam si detur, vna aut aliquę partes si auferãtur, desinit esse totũ. Ad hæc si aliquod est totũ, aut aliud est à partibus ipsius, aut partes ipsæ sunt totũ: primũ si detur, hoc est, vt aliud sit quàm ipsæ partes, sequitur vt ablatis partibus totũ ipsum remaneat, quod fieri non videmus vlla in re: si secundũ nomẽ erit solummodò & appellatio inanis, quę nulla propria essentia sit freta. Ad hęc si partes sunt, vel totius erũt partes, vel partium inuicem, vel sui ipsius vnaquæq;: non primum, quoniam præter partes nullum est totum, & partes sic essent suæmet partes, quoniam vnaquæq; partium facere dicitur ad totius complementum: non secundum, quoniam pars contineri videtur in illo cuius est pars: non tertium, quoniam erit pars se ipsa maior, & minor, qua scilicet, continet & qua cõtenta est, si sui ipsius pars esse diceretur. Naturalis quoq; mutatio, quam iuniores alterationem dicere cõsueuêre, vertitur in dubium, quoniam

quoniam vel corpus est quod transmutatur, vel incorporeum, vel secundùm causas agentes, vel patientes permutatur, hæc autem omnia dudum in controuersiam ducta sunt. Prætereà quod permutatur in aliquo tempore permutari dicitur, sed neque in præsenti tempore, neque in præterito, neque in futuro quicquam permutatur, igitur ipsa permutatio non datur, quod neque in præterito, neque in futuro mutetur quidpiam, satis in promptu est noscere, quoniam ea ipsa tempora non sunt. Quomodo enim in tempore quod non est, quicquam aut efficiet aut patietur? quod autem neque in præsenti satis apparebit opere procedente, quoniam ipsum præsens etiam nõ existere disputabimus, sed nũc illud sit satis afferre, quod præsens tempus impartile est; fieri autem nequit vt in tempore impartili atq; indiuisibili ferrum exempli gratia ex duritie in mollitiem permutetur? Sed & generatio atq; corruptio non expers dubitationis & controuersiæ, namque additione, & ablatione, & alteratione (ita fari liceat) antea sublatis, conspicuum affirmant esse, vtranq; subuerti. Aliqui prętereà inquiunt: Si quid generatur, vel ipsum generatur cùm nondũ est, vel cùm iam est, si antequàm sit, sequetur vt simul sit, & non sit, non est enim ex hypothesi, & est in ipso (vt sic dixerim) fieri. Si verò postquàm est, eueniet bis factũ iure dicatur. Sed Peripatetici actus & potentiæ distinctione, difficultatem remouerent, atq; ita etiã de corruptione contingет dicere, cùm quis corruptus dicitur aut mortuus, vel dum manebat viuebatq; corrumpitur & moritur, vel cùm mortuus est: non primum, quia simul mortuus esset & viueret: non secundum quia bis aut mortuus esset aut moreretur. Sed de dispositione & ipso mori produci distinctio potest, & de ipso quoque mori & mortuum esse discrimen inferri. Alij verò interrogant, vel quod est generatur, vel quod non est, non quod, non est, quia ipsi nihil accidit, quare nec generari, nec etiam quod est, nam si fit quod est, vel quatenus est fit, vel quatenus non est, non hoc sunt dicturi, illud fortè, sed quoniam aliud ex alio fieri dicunt, aliud erit quod fit ab eo quod est, tale autẽ non est, id est, quod diuersum est ab eo quod est. Deinceps quoq; de corruptione in hunc modum. Si quid corrumpitur, vel quod est corrumpitur, vel quod non est: Hoc autem quare sint dicturi, non satis constat? quoniam pati oportet id quod corrumpitur, quod autem non est, pati vllo modo nequit. Illud autem si afferant quod est corrumpi, ita argumentantur, aut enim dum permanet, & in eo quod est corrumpitur, aut dum non permanet. Si primum erit ipsum simul & ens, & non ens, igitur quoniã non corrumpitur quidpiam quatenus non est, sed quatenus est, eueniet quidem vt qua corrumpi dicitur, aliud sit ab ente, siue eo quod est, & idcirco non ens, qua verò manet & in eo quod est dicitur interire, non erit. Et hæc quidem ferè de omni speciẽ motus quibus ex eisdem fundamentis superstrui responsio potest.

De quiete verò in hunc modum eam nõ dari aiunt, quia motus quieti opponitur, moueri autem omnia corpora continuè pleriq; Dogmaticorum asseruẽre etiam corruptibilia & sensibus obnoxia: nam de cœlestibus corporibus ea rotari semper in orbem nemo ferè est qui dubitet, præter eos qui dicunt ea manere, terram verò moueri, inter quos Aristarchus Mathematicus & Seleucus, & Niceas Syracusanus, vt antè diximus. Corruptibilia, inquam, moueri semper dicunt, eorumq; substantiam continenter & minui, & augeri, hoc est, reparari & instaurari quod fluxerat & euanidum fuerat. Sic Heraclitus rapacissimo fluuio materiam hanc qua nostra hæc quæ spectamus corpora constituuntur, conferre est ausus, & Plato, ipsa corpora, non ὄντα, sed γινόμενα (vt Gręcis etiam vtar verbis) appellauit, quasi ea non existere, sed identidem fieri audientibus insinuaret. Ad hæc quod manet quiescitve, contineri ab ijs videtur quæ circa ipsum sunt, omne autem tale patitur, sed neque pati quicquam cùm non sit qui agat, supra contendebant. Adijcientes & illud si quod manet quiescitve, patitur, & omne quod patitur mouetur, quod igitur quiesceret moueretur. Cæterùm de loco multa discutiebant præponentes multis eum accipi modis largè & presè, & Chaos etiam & magnus quoq; locus, & spatium χώρα vocatũ à Græcis, ducebatur in medium ad difficultatem augendam: sed qui locum ipsum in vniuersum tollũt, neq; partes: non tolli volunt, sine ijs ipsis non esse illũ contendentes, eosq; qui ex partibus quod sint, locũ esse tentant astruere, causantur, acriter asserẽtes quod dubium est eo ipso quod est dubium, intermedio probari. Alios quoq; cauillari existimant & nugari qui locum ideò statuere conantur, quod fiat quidpiam in loco vel factum sit, rapere enim

re enim eos dicunt & extorquere inuitis, scilicet, & non concedentibus corpus esse, vt ipsi corpus aliquod esse fateantur. Ad hæc quoniam dimensiones non habentur nisi tres, hæcq; simplices non duplices (verbi causa) vna longitudo, vna latitudo, vna profunditas, quærũt cuiúsnam sint hæ dimensiones, soliúsne corporis? soliúsne loci? an potiùs amborum? si loci solius non habiturũ erit corpus propriam longitudinem, latitudinem, profunditatem, quare corpus non erit corpus. Si corporis solius, nulla erit dimensio loci, quare nec locus: si amborum, quoniam locus præter ipsas dimensiones nullam habet subsistentiam, si ipsæ dimensiones spacij vacuive subiacent corpori, ipsius videlicet corporis constitutrices, sequetur vt quæ constituunt spacium, dimensiones, & corpus etiam constituant, quibus fiet, facilè vt dici queat corpus à spacio non differre, & hæc quidem ferè contra Stoicos, qui spacium vacuumq; tantum abest vt tollant, vt etiam astruant necessarium, à quarum opinione quidam etiã Peripatetici non abhorruêre, hac etiam de re ducem ipsorũ Aristotelem improbantes, vt sexto huius operis libro aperiemus. Sed quantũ attinet ad Scepticos vbi Stoicos impetiuêre, sese verterunt ad Peripateticos impugnandos, qui cùm dicant locũ vltimum esse rei continentis quatenus continet (verbi causa) mei corporis locũ esse Citimam ambientis aëris, qua, scilicet, illud ipsum ambit, superficiem, ita eos redarguere nituntur, & contendunt ex eorũ opinione sequi idẽ esse, & non esse. Cùm enim corpus debeat aliquo in loco esse fierive, & nihil esse possit aut poni in eo quod non sit, oportet locum præexistere, vt sic in ipso corpus fiat & sit, atq; ita locus erit priusquàm in ipso ponatur loco corpus, quatenus autem locus ipse, hoc est, continentis aëris superficies figuratur affingiturq; ab eo quod cõtinetur & ambitur corpore, non poterit constitui locus priusquàm in ipso sit corpus, atq; ità locus non erit, antequàm in ipso corpus collocetur. Ad hæc, inquiunt, si locus est, vel factus est vel minimè, hoc neutiquàm: afformatus enim dicitur & perfectus ab eo quod in ipso collocatur corpore, illud autem si dixerint, ideò sunt dicturi, quod cùm in loco est corpus, tunc fit locus, in quo iam dicitur esse quod in ipso collocatur, sed iam dicitur locus eius videlicet, quod in eo ponitur corporis. Demùm vel corpus est, vel incorporeum, vtrumq; verò suprà versum est in controuersiam. Sicut & tempus etiam sub eadem verti volunt: nam quatenus ea quæ sensibus apparent sequimur, videri dicunt non nihil esse tempus: qua verò quę hinc inde solent afferri rationes sub examine ponuntur, non esse illud quicquam disseruêre, siue illorum definitio ducatur in mediũ, qui voluêre tempus esse dimensum quendam mundani motus, siue illorum quorum consensus est, numerum esse eius quod prius est & posterius in motu, siue eorum qui mensuram dixêre motus & quietis, siue qui casum asseruêre, siue qui corpus, siue qui incorporeum sunt arbitrati: namq; verè omnes esse non possunt eiuscemodi finitiones, quia pugnant inuicem se seq; destruunt, & quæ'nam falsa, alij aliter decernunt. Quoniam verò motum, quietem, numerum, omnes videntur ascìscere, ijs (vt tentatũ est) antea sublatis, sublatum iri & tempus facilè volunt: Præterea finitúmne an infinitum sint, quæstionem mouent? & vtriq; parti nectunt argumenta, diuisibile præterea an indiuisibile percunctantur? Si secundum respondetur, opponunt præsentis, præteriti, & futuri diuisionem. Si primum, quoniam omne quod diuiditur, mensurari dicitur ab aliqua eius parte, nulla tempus asserunt posse mensurari, quoniam pars iam præterijt, pars futura est, & quæ præsens est, indiuisilis habetur. Adhuc neq; genitum dicunt & corruptibile, quoniam quod generatur, ex aliquo quod sit fieri, oportet & in aliquo quod sit corrumpi, neq; ingenitum & incorruptibile, quoniam aliud nondũ est, aliud præterijt. Et quoniam omne quod generatur aut fit, in tempore fieri dicitur, si fit tempus, fiet in tempore, vel igitur ipsum in se ipso fiet, vel aliud in alio. Si primum vt ipsum fiat in se ipso, idẽ & erit simul, & non erit: præexistere enim opus est id in quo aliquid fit, ei ipsi quod fit in illo. Si secundũ respondent, vt diuersum in diuerso, pręsens fiet in futuro, & futurum in præsens fiet. Hæc & alia plæraq; ab illis de tempore disputantur. Sed hæc de eo satis, deq; omni, quam afferant aduersus res physicas, difficultate, nunc quid aduersus morales parauerint dispiciamus.

CAP. XIII.

QVID EPHECTICI PHILOSOPHI ADVERSVS MORAlia reliquorum Philosophorum dogmata disputârint, ibiq; quam infirmare ex solis Philosophorum doctrinis & moribus, genus humanum ad degendam vitam duceretur, & quàm fuerit salubris Christiana disciplina.



REstant moralia dogmata, in quæ suas Ephectici philosophi refundant & rationum, & obseruationum copias, vt assensum cohibeant, sic & Sextus Empiricus inter eos cùm acer tùm copiosus author effecit, & in tertio Pyrrhoniorum cùm aduersus Ethicos disputat philosophos, & in libris quos particulatim scripsit contra diuersas philosophiæ partes: nam eum librum qui est aduersus Ethicos, vltimum esse voluit. Itaque & hinc, & inde quæ ad propositum facere videantur decerpemus, è Græco in Latinum quasi quadam transferentes paraphrasi: Et addentes, impugnantes, interpretantes, respondentes, quod nobis rei de qua agimus quadrare videbitur, ex alijs etiam authoribus adducentes, quod nobis rei, de qua agimus, quadrare videbitur, vt hoc in opere sępè fecimus, quatenus ostenderemus nihil esse tàm firmum, & statum in humana philosophia, quod non acres etiam impugnatores & euersores habuerit. Primum quo pacto degenda vita & quibus moribus, ex varijs opinionibus Philosophorum & æstimationibus nationum duci solet in controuersiam, qua de re cùm primo libro plurima recẽsuerimus huc spectantia, de summo bono, de dissensione philosophorum, super bonis malis indifferentibus, superq; virtutibus humanis, & legibus, & secundo quoque nonnulla dum decimi Scepticorum ad contradicendum loci mentio haberetur, omnia ea non repetemus in præsentia, sed quoquomodo ad introducenda ea quibus nunc insistendum est, eorum meminerimus. Bonum ipsum alij quod felicitatem efficiat definiuêre, alij quod eam compleat, alij quod ad eam consequendam conducat, alij quod per se ipsum eligendum sit. Plato in primo de Legibus bona in diuina seiunxit & humana. Bona diuina, prudentiam dixit esse, temperantiam, iustitiam, fortitudinẽ. Humana bona, sanitatem, formam, vires, diuitias, alij alia: nam prout quisq; optabat sibi aut optatum possidebat, bonum metiebatur, vnde fortè Aristoteles ait, bonum quod omnia appetunt: sed enim hanc nolunt Sceptici cognosci essentiam boni, sed accidentia quæpiam. Quæ quidem accidentia vel ipsi bono soli accidunt vel alijs: Si alijs, ipsius boni constitutricia & ab alijs quę non sunt bonum (sic loquar) diremptricia, ita non sunt, vt ipsum propriè signent, & figurent bonum: si verò soli, fieri tamen idcircò nequit, vt ex ijs bonum ipsum pernoscamus. Sicuti enim ille cui equus esset ignotus, nec quid sit hinnire iam nouit, neque per id quod est hinnire in cognitionem deueniret equi, nisi prius equo occurreret hinnienti. Sic qui boni esset insolens & ignarus, & quid esset bonum quæreret, quid ipsi bono inesset propriè & soli, scire nequiret, nisi ex ipso bono bonum posset intelligere. Prius enim nosse opus est ipsius naturam boni, deinde ita cognoscere, quod iuuet, & propterea eligendum sit, & quod felicitatem polliceatur aut præstet. Quod autem eiusmodi accidentia satis non faciant ad declarandam naturam boni, ipsi erunt testes Dogmatici Philosophi, qui etsi illa omnia concedant, interrogati nihilominus quid sit illud, cui illa ipsa accidant, incredibiles excitabunt pugnas. Alij enim virtutem, alij voluptatem, alij indolentiam, alij aliud quiddam commentabuntur esse id quod iuuat, quod eligendũ sit, quod fœlicitatem efficiat. Non secus de malo & de eo quod indifferens est decernent, quando super eius etiam natura, & altercantur & bellant. Cæterùm nullum esse suapte natura vel bonum, vel malum, vel indifferens, hinc argumentantur: quodcunque natura aliquem afficit, omnes pariter afficit qui eadem pollet natura: Ignis enim calefacit & comburit omnia ligna: Nix viuentia omnia corpora afficit frigore, atq; ita de cæteris. Sed bonum, & malum, & indifferens, eos à quibus cognosci dicuntur, nõ ita afficiunt, igitur annumerari ijs non possunt, quæ suapte natura sint talia, vt ita esse iure iudicentur. Nam vt prætereamus vulgus ineruditum, quorum pars prosperam corporis valetudinem bonum arbitrantur, pars scortorum gregibus immergi, alij crapulis

crapulis adijci, alij vina ingurgitare, in ludis alij pernoctare, alij etiam peiora. Philosophorum multi tria bonorum genera constituunt, nec in ijs diuidundis concordes, quando aliter Peripatetici, aliter Stoici partiuntur, sed & nonnulli voluptatem inter bona ab illis non habita, non solùm inter bona reposuêre, sed bonorum primum, cùm tamen sint qui inter mala reponant, adeò, vt eorum quidam exclamarit μανίειν μᾶλλον ἢ ἡσθείην, hoc est, insanire magis quàm oblectari. Qui verò diceret partim hàc, partim illàc eundum, vt rixa disputantium hac de re Philosophorũ vitetur, fieret & ipse pars rixæ, quæ vel alteri parti, vel alterutri aduersaretur, & ipse quoq; indigeret iudicante & decernente, rectène elegisset an minimè? Cùm verò iudicium nullum decernendi veri extet incontrouersum & clarũ, atq; ab omnibus confessum receptumq;, vt secundo libro huius Operis ex horum Philosophorum opinione disserabamus, præstat, inquiunt, ab assensu abstinere, quàm temerè & non perspicuè decernere. Illud etiam adijciunt quod bonum dicitur, vel est ipsum eligere, vel ipsum quod elegimus, non primum ex propria ipsius ratione, neque enim festinamus & cupimus eligere aliquod, & consequi nisi excidamus ab ipsa cupidine, vt amplius, scilicet, non eligamus: neq; enim appetimus eligere vinum aut panem sitientes, & famescentes, nisi vt liberemur ab angustia famis, scilicet, & sitis, qua affecti panem vinumq; appetebamus eligebamusq;. Appetere igitur ipsum & eligere per se non est bonum, verius aut molestum, quandoquidem nihil ob aliud famelicus cibum obtinere satagit: quàm vt famis molestia careat, atq; ità de cæteris appetitionibus decernendum. Si secundum, id est, id quod eligimus dicatur esse bonum, hoc certè vel extra nos est, vel circa nos: si extra, sanè vel aliquid affectionis in nos operatur, vel omnino nihil, si hac neq; ducet nos ad eligendum, si illud, non iam per ipsum erit à nobis eligendum quod extra nos est, sed per inditam, scilicet, nobis ex eo dispositionem. Si verò circa nos, aut circa corpus erit solum, aut circa animum, aut circa vtrunq;. Si circa solum corpus, effugiet nostram cognitionem, quoniam anima duntaxat cognoscimus, non solo corpore, si dicant à corpore ad animum vsq; protendi, illud vel noscat, vel memorentur opus est, quod eligitur quatenus iudicatur à mente cogitationéve iudicari, non à corpore irrationali, relinquitur igitur vt asserant circa solam animam esse bonum. Sed hoc controuersum etiam apud Dogmaticos, quando alij non existere illam, alij si existat nihil comprehendere, vt latè disputatum cùm de iudicatorio quęstionem, rerum multarum fœtam, Sceptici euentilabant. Sanè Epicurus voluptati bonum finemq; addixit, animam verò ex atomis sicut & cætera constare dixit: In aceruo igitur atomorum, quo modo & voluptatem fieri, & assensum, & iudicium, & hoc eligendum, & bonum, hoc fugiendum & malum, si sanæ sumus mentis affirmauerimus? Stoicis etiam quo pacto assentiemur? qui cùm artes dicant bonas in anima esse, easq; ex conceptionibus exercitatis fieri, conceptiones autem circa principalem versari spiritum, ipso in spiritu collectionem quærendam nobis esse & artem affirmabunt: At vna impressio delet aliam, & informatio prior posteriore abolebitur, quoniam fusilis est quodammodo spiritus ipse corporeus, quo pacto & alijs assensum præstabimus? qui volunt temperamento corporis id acceptum referri oportere. Quæ omnia tàm diuersa, bonum in anima vel non esse, vel esse dubio relinquunt: par etiam discursus de malis & indifferentibus proportione seruata facilè fiet, cùm tot malorum genera, tot indifferentium apud Stoicos & alios Philosophos pugnaciter sint introducta, vt ad naturam referri eandem, scilicet, & vniformem omnino nequeant: sed neq; etiam ex animantium brutorum naturis mutuari poterit: nam qui diceret leones suapte natura fortes esse, proptereaq; affirmaret eligi natura ipsa fortitudinem: Idem non aduerteret eadem ratione eligi natura debere timiditatem, quoniam cerui & lepores suapte natura non fortes, sed timidi sunt: quare natura se duci ad voluptatem Epicurei sileant, quoniam in eam bruta etiam animantia quodam impetu ferantur, nam si feruntur non eligunt, nec feruntur semper, & bruta sunt ratione carentia, qua pollet homo, & vti debet ad frenandas voluptates, quæ ideo in bonis ducendæ non sunt, quoniam effectrices sunt malorum & dolorum causæ, paupertatis, ignominiæ, mortis, & prætereà labores voluptatibus aduersi corporeis, honestas animi sæpenumerò parant voluptates.

Verùm enimuerò si quis perpéderit, quàm diuersa, quàm varia de bonis & malis,

vt hæc consequerentur, illa fugerēt gentes, nationes, Philosophorum penè omnium scholæ, decreuerunt, nihil certi in moribus humanis apud ipsos Philosophos inueniri posse conspiciet. Nam quod alij bonum esse duxerunt, alij id ipsum vel in malis reposuerunt, vel inter ea quæ dicuntur indifferentia, collocârunt. Igitur quænam turpa, quæ minimè, quæ fasta, quæ nefasta, quæ pia, quæ impia, apud leges & mores eorum habebantur, examinemus: Apud nos turpe ducitur, & nepharium, idq; & iure, & meritò, pueris commisceri. Apud Germanos olim vt Sextus ait, apud Gallos etiam & Aristotele, & antiquiore Isidoro authoribus, turpe non ducebatur, atq; horũ consuetudine pueri publicè nubebant. Apud eosdem Germanos latrocinium olim nō ducebatur infame, quod scribit Iulius Cęsar, & post eum S. Thomas, qui in Theologicæ summæ volumine primo, secundæ partis, quæstione quarta super nonagesimam, eiusmodi errores, in æstimando quod latrocinari, & pueris abuti malum non esset, tribuit deprauatæ rationi, ex affectione, consuetudine, habitudinéve naturæ. Sed illud vitium masculę libidinis, nō solùm vnius nationis vitium fuisse credamus: Nam apud Cretenses antiquitùs inoleuit, vnde ille à Grammaticis creditur, à Vergilio citatus Cydon. Apud Thebanos quoq; puerorum amores non cōdemnati, quod scelus etiam in Græciam reliquam irrepsisse testari Cicero videtur, de Dionysio Tyranno: cùm ait habuisse illum quosdã pueros more Gręcię Gymnasijs huiuscemodi amores liberos, atq; cōcessos esse. In causa sceleris opinor fuisse Lycurgi leges inhonestis puerorum amoribus habenas laxantes, quas leges cũ eorum & authore Apolline & laudatore Platone condemnauit Theodoretus in libro de Legibus: inter alia mentionem faciens ipsius, vt eius vtar verbo Gręco παιδεραστίας ne cętera commemorem. Non habeo nunc mentionem quòd in Italiam & ad regiones alias vitium hoc nepharium perniciosissimumq; migrauerit: nam & si committitur, turpe tamen ducitur, & legibus seuerissimis vindicatur. Sed quod apud illos, inquam, hoc turpe non duceretur, sicut nec apud Persas abuti pueris vt superiore diximus libro, nec apud Massagetas item turpe & obscœnum erat mulieribus publicè misceri & vacare adulterijs, nec apud Persas quoq; turpe matres nubere filijs, & patribus filias, id enim licebat per Zaradi leges, vti est apud Theodoritum, nō solùm fratribus sorores, quod & apud Aegyptios erat legitimum, sed hæc quæ mas in fœminam committeret, non eo abhorret à natura modo, quò magis mirandum cur à Philosophis omnibus scelus ipsum masculæ libidinis non sit explosum, atq; hinc magnopere damnandi Cynici, & Stoici, Zenon Cytieus, Cleanthes, Chrysippus, qui eum non malum, sed ἀδιάφορον, hoc est, indifferens appellabant, authore Sexto, vt hinc magna, vel ex moribus ipsis, vel ex Philosophorum doctrinis, oriretur ad benè atq; honestè degendam vitã perturbatio. Sed lex Diuina quid esset sentiendum hac de re censuit, quæ nō inter ea quæ indifferentia vocantur, illam annumerauit, nec inter mala solùm, sed pessima, & acerrimè qui talia cōmittunt puniẽdos decreuit, & ob eiusmodi scelus, quinq; vrbes arserunt, & qui illis in vrbibus manserunt, igne, & sulphure perierunt, publicè mulieribus viros misceri, apud nos & plærasq; nationes turpe & plenum opprobrio. Apud nonnullos Indorum populos, & vsitatum, & penè legitimum, quod & Crates Cynicus obseruabat, mulieres quæstum corporis facere flagitiosum. Apud Aegyptiorum multos dignum gloria, adeò, vt quæ cum plurimis obuersatæ viris essent, talare quoddam gererent ornamentum eximiæ dignitatis insigne, atque apud eosdem puellæ dotem sibi ex iuuentutis flore vbi præparauissent, tùm nubebant. Ac Stoicos (inquit Sextus ipse) videmus non absurdum esse dicere, cum meretrice vitam degere, & ex eius opere nutriri. Aegyptij Aethiopes & Sarmatę stigmatibus inurebant infantes, apud Romanos verò id existimabatur inglorium. Sed irrepsit nunc consuetudo vt principes fœminæ inaures gestent, instar Asiaticarum mulierum: miror quòd etiam eos non sint imitatæ, qui generosum putabant si nares quoque puerorum perforantes, argenteos, & aureos orbes, & pretiosos lapillos suspenderent. Veste talari vsos multos idque decori ductum planè constat, alijs id ipsum vitio versum, non apud Persas modò, & ante Semiramidem, sed etiam tyranni Dionysij tempestate cùm recusauit Plato, quia vir esset, stolam muliebrem, admisit Aristippus, quoniam etiã ad orgia Bacchi mulier accedere & incorrupta recedere facilè posset. Abominamur nos & detestamur quemadmodum, & nationes multę eos, q matri aut

sorori incestis nuptijs se iungerent, ab eiusmodi verò scelere tàm non abhorrebant, quod antè dictum est Persæ & Aegyptij, vt Persæ palàm matres haberent coniuges, maximeque ipsorum sapientes, qui magi Persarum lingua nuncupantur, Aegyprijs verò sorores publicè nuberent. Adstipulari ijs potuissent fabulæ quando Iuno diceretur Iouis & soror, & coniunx. Illis verò etiam Philosophus Zeno, qui ita absurdum esse non putauit matris particulam filij particula, sicuti nec manu membrum aliud confricari, in hoc non Philosophus (vt mihi videtur) non homo, sed bellua longè immanior, quando inter eas inuentæ sunt multæ, quæ & maternum refugerint comitium, & in eo deceptæ sese in præceps dederint, & in ministros sæuierint, si vera prodidit Aristoteles. Quare sileat Cytieus ipse, dum de puerorum educatione, deq; sanctitate filiorum in parentes agit, & Locastæ meminit & Oedipi, sileat & in Politicis Chrysippus cùm patrem ex filia, & matrem ex filio prolem suscepisse non improbat, nec malum sibi hunc morem videri asserit, & Plato quoq; silentium teneat, dum in vniuersum peccat, & mulieres viris promiscuè communes facit. Malè hic, at peius Cato, qui non dixit hoc solum, sed fecit, & Martiam coniugem dedit Hortensio, hinc illa florentis Tertulliani exclamatio: ô sapientiæ Atticę, ô Romanæ grauitatis exemplum, leno est Philosophus & Censor. Vni viro mulierem vnam matrimonio copulari, legibus plurimis est cautum, multas verò vni addictas viro mulieres, & Thraces, & Getuli, & Lybes voluêre.

Nephas prætereà censeretur à plærisq; hominibus, si humanis vescerentur carnibus, quod nephas nõ esse barbarorum multi opere, Chrysippus etiam verbis multis docet in sua republica. Nephas item humano sanguine superum aras deturpari putabant nationes multæ, Lacones verò Dianæ aram sanguine humano madere, religiosum existimabant, & pueri flagellabantur in templo vt ea abundatiùs cruentaretur. Adulterium plecti debere non parùm multæ leges præcipiunt vt malum & reipublicæ perniciosum, quod non malum, sed indifferens plæriq; putârunt. O diuinam legem quæ controuersiam dirimit, & insanientium nationum, & aberrantium Philosophorum, quando non solùm ea, Moses mœchos pœnæ subiecit, sed Christus eum animo mœchari, qui alienam concupisceret mulierem testatus est, & æternæ morti mœchos subijciendos asseruit. Pium esse parentes colere, & eorum curam si sibi ipsi prouidere nequeant ad victum, suscipere nos debere, humanæ leges ferè pręcipiunt vniuersæ: At apud Scythas vbi parentes eorum sexaginta ætatis annos superauerant, iugulare moris erat, neq; ducebatur impium: Nec mirum quando Saturnus etiam apud eos ferebatur pudenda patris falce dissecuisse, & Saturnum Iupiter ad inferna detrusisse, & Pallas, & Neptunus parentem vinclis aggredi tentauisse. Atqui & pueros nutrire, & fouere nostros, ipsa naturæ lege iubemur: At non solùm fabulæ Saturnum in filios sæuire voluisse decantauerunt, sed legislator Atheniensium Solon (vt primo diximus libro) licere quibuslibet parentibus sanxit, proprios filios occidere, quod tamen leges aliorum complures vetuerunt. Filios quoque sub potestate patris esse Romanæ decernunt leges, alij verò tyrannicum hunc morem sunt arbitrati. Occidere hominem legibus vetitum est, qui singulari vtuntur certamine pulchrum ducunt, quod contra nostras leges, plurimi etiam inter nos principes admittunt, sed humanarum legum parua vis, nisi diuina authoritate firmentur. Propterea quod in calce quoque primi huius Operis libri dicebamus, ad consequendam authoritatem multi se finxerunt à dijs leges, quas alijs tradebant, accepisse, & Thomas in quarto de Regimine principum cùm ex Aristotele multa retulisset, ad infirmandam Hippodomi politiam excogitata, disputabilia tamen esse dicit in vtranq; partem, vtpote quę circa humanos actus cõtingentemq; materiam diuersentur: Satis in parte docens, humana cogitata humanis etiam cogitatibus, & confirmari, & infirmari posse, vt parum per sese habeant roboris, ni ad ea fulcienda superior, & diuina prorsus accedat authoritas. Latrocinijs insistere & contra leges, & iniustum esse quis nesciat, sed pręter Germanos de quibus paulò antè diximus, nonnulli barbarorum, legitimũ adeò putabant, vt etiam Cilices gloriosum existimarẽt, & eos qui in latrocinandum fortè fuissent interfecti, honore dignos & laude planè censebant. At eiusmodi mores tanquã insolentes, & barbaros exculta fortassis improbârit Græcia. At Lacones? Sobrij, vt ille inquit, & acres viri, Ius atq; vsum furãdi probauêre pro

exercitio,& disciplina rei bellicę, quod & à Gellio proditur capite vltimo libri vndecimi Atticarũ noctium: eodẽ quoq; libro Aristonis iurecõsulti authoritate, apud veteres Aegyptios furta omnia fuisse licita & impunita, memoriæ prodidit, quod cùm legissem, venit in mentẽ, posse fortasse hinc afferri solutionẽ pręter alias cõplures, nõ vsq; quaq; absurdam quæstionis illius, in qua sese multi torsere Theologi: Cur licitè Hebręorũ populus vasa & cęteras diuitias ab Aegyptijs abstulit? quandoquidẽ quod licitum erat Aegyptijs, non illicitũ videri deberet Hebræis in Aegypto degentibus, hoc est, lege Aegyptiorũ vti aduersus Aegyptios oppressores, licuisse etiã antiquitùs, vt prauis hominibus probi auferrẽt quæ possidebãt, illud Caliclis apud Platonem in Gorgia suggerere facilè posset, quod Hercules probatur Geryonis abstulisse boues, quas ille nec vendiderit, nec donauerit, tanquàm hoc natura iustũ haberetur, vt quæ deteriores possidẽt, sint melioris. Atq; vt eius propriè Gręcis vtar verbis, quibus hoc postremũ explicuit: ὡς τοὺς τοῦ ὄντος τοῦ δικαίου φύσει, καὶ βοῦς καὶ τἆλλα κτήματα εἶναι πάντα τοῦ βελτίονός τε καὶ κρείττονος, τὰ τῶν χειρόνων τε καὶ ἡττόνων. Piũ esse debitoribus si pauperes & soluẽdo non sint ignoscere, plęriq; omnes minimè dubitãt. At in lege duodecim tabularũ decernebatur corpus eius, q debebat, & soluẽdo nõ erat dissecari & dari creditoribus, cuius rei & meminit Gellius apertè, & subobscurè fortasse Terentius sub illis verbis animã debet, quã legis crudelitatẽ consensu publico erasam, Tertullianus est auhor.

Circa cultũ religionis, quàm diuersa diuersę Gentes? quarũ aliæ paucos deos, alię multos, & hæ corporeos, illæ incorporeos, aliæ selectos, numerosissimos aliæ, & nullo termino comprehensos colebant. In eorum verò sacrificijs, quàm diuersa? quàm absona? quàm absurda? quàm pugnantia? Sarapidi porcellum immolare impium, Herculi & Aesculapio pium existimabatur à multis. Sacerdos Aegyptius citiùs moreretur, inquit Sextus, quàm suilla carne vesceretur, etiam & Iudæus à quo Aegyptij morem hunc traxisse non difficulter crediderim. Lybes verò si ouinam carnẽ gustassent, facinus apud eos penè inexpiabile commisissent. Columbis vesci Syrorum nõnullis erat illicitum, omnibus alijs minimè vetitum. Quibusdã in templis pisces comedere nefas putabatur, fas in multis. Sed & alij religione sua prohibebantur, caput animalis comedere, alij humero, pedibus, alij hortensibus multis vesci. Pythagorẹi etiam fabis adeò, vt citiùs patris capite vescerentur, quanquam vel non verum, vel non statum fuisse præceptum, cerni apud Gellium potest. Plæriq, omnes caninas carnes non admittunt in cibum, Thracum populi nonnulli illis ipsis pascuntur, quod fortè olim & Græci: Vnde & Diocles ægris quibusdam caninas ad vescendum carnes dari iubet. Reuertor ad sacrificia Gentium, sed veriùs sacrilegia. Saturno sacrificabant humanis hostijs, Scythicam Dianam hospitum cruore placabant, equo Neptunum, atq; etiam Apollinem, vnde ille fortasse cecinit:

Placat equo Persis radijs Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Consuesse & Massagetas mactare Soli equum, eandemq; ob causam scribit Herodotus: Dianæ quoque capras immolare fas erat, nefas Aesculapio: Quæ verò ad expiationem animę pertinere dicebantur, quã aduersa inter se? quàmq; bellantia? & tamẽ prophana, & plurimum scelesta, idq; suasu malorũ dæmonum fiebat, qui se deos credi volebant. Scribit magnus Athanasius in libro contra Gentes, omnẽ fermè ciuitatẽ eam ob causam flagitijs plenam, inter quę illud affert: Phœnissas mulieres antiquitùs prostare solitas, vt quæ existimarent deam suam meretricio placari, & ab ea veniam hoc pacto precari: alij alia turpissima ad animæ expiationem pertinere autumabant.

De ipsa verò anima quanta lis? quid, scilicet, post dissolutum corpus illis eueniret, alij nihil omnino, bonum alij, sed diuersè. Nonnulli animæ post mortem æternas sedes, partim palingenesiam, partim metempsychosin. Quatuor enim apud Platonicos opiniones de animarum transitu diuersæ fuere, qui promiscuè in diuersa animalia circuitum probarent, fuere qui reditum ad homines mallent & heroas, fuere qui habitus tantùm ferinos imaginariasq; effectiones existimârint, fuere & qui luendæ pœnæ gratia inter irrationalia versari arbitrarentur: quæ tamen multi ratione pollere voluerunt, & antiqui Pythagorẹi, & Sceptici, & Platonici, vt primo libro recensuimus, atque etiam vt quinto huius Operis libro monstrabimus, etiam Porphyrius, inter Platonicos Peripateticus nobilis inter Peripateticos

teticos Platonicus, Aristoteles de Statu animæ post mortem tàm dubiè locutus est, vt adhuc Peripatetici quid voluerit, nondũ constituerint. Quiddam vel bonum, vel malum, nihil certi decernunt. Ipso verò de corpore vbi vita functum erit, quàm varij ritus? proijciendum canibus alij mallebant, alij lacubus immergi, vulturibus quidã adseruari, pars igne consumi, pars sale condiri, alij alia, vt nec in vita, nec morte concordes inuenirentur, & si quandoq; etiam quapiam in re obseruanda conuenissent verbis, factis tamen ab ea alieni inueniebantur? Illud enim non discussisse non licet: Mores ne ipsi Philosophi faterentur suos cum oratione & doctrina pugnare, quod est à multis asseueratum? an legitimè & ex ratione egisse? Cùm Pythagoras apud Tyrios, Zenon apud Priennenses tyrannidem affectauit, cùm Anaxagoras depositum hostibus denegauit, cùm Aristoteles familiarem Hermiam turpiter loco excedere fecit, cùm Alexandro turpiter adulatus est, cùm oleum quo lauerat, vendidit, cùm Amatæ fœminæ sacra fecit, tanquàm Eleusinę Cereri, cùm insanus ille & rabiosus Porphyrius sese interficere voluit, vetitus à Plotino, sic sanè videtur. Sic & Cicero retulit cum eorum vita, & vitijs mirabiliter orationem pugnauisse. Sic & Cornelius Nepos magnam eorum partem se vidisse scribit, qui in schola de pudore, & continentia pręciperent argutissimè, & in omnium libidinum cupiditatibus viuerent. Sic ante eum Censorius Cato præstigias insectatus est Philosophorum fingentium vmbras verborum inanes, qui (vt eius vtar verbis in Atticis noctibus repetitis) se nihil habere, & nihil tamen egere ac nihil cupere dicunt, cùm & habendo, & egẽdo & cupiendo ardeant. Itaq; non diffidij perpetui & contentionis nomine, vt in epilogo primi libri satis ostendimus, condemnati, sed eousq; fortasse deuecti scelerum, vt propterea & vrbe, & Italia, siue cùm staret Romana respublica, siue cùm Imperatores rerum potirẽtur, Senatusconsultis, quod est etiam hoc ipso libro superiùs indicatum, eijcerentur, nec ab ipsis & Philosophis non impetebantur, nempe Seneca eos redarguens medicis comparauit, quorum tituli remedia haberent, pyxides venena. O beneficium diuinæ legis maximũ, quæ quod certantes inter se Gentium Philosophi nunquàm per tot iam sæcula sine controuersia definierunt, id paucis & pacatè docuit, & explicuit, quid bonum, quid malum, quid agendum, quid declinandum. Ac primùm quidem sub vmbra Mosaici rudimẽti, deinde in absolutissimi Euangelij luce splendidissima, quod qui prędicabant, non modò non euertebant contraria vitæ ratione, sed pro eo tuendo etiam cruces, œculeos, ignes perpetiebantur. In quo quicquid præcipitur, id est norma viuendi, & ars comparandæ felicitatis, quoniam Dei est verbum, semper verum, semper sanctum obseruandum. Quæ verò Gentes ex aduerso tradidêre, vel falsum, vel prophanum, vel aut semper, aut sæpè noxium. Afferatur quæso apud illos quæ'nam sit stata lex degendæ vitæ? quando cõstitutum illis adhuc concorditer non est, quid bonum? quid malum? quid neutrum? aut indifferens censeri queat: si eorum viam doctrinæ siue modum ingressus fueris, & in doctrina quidem quot capita, ferè tot sententiæ etiam ipsis in legibus, quas multi euertere conati sunt, & Cicero confessus est veri iuris germanæq; Iustitiæ solidam & expressam effigiem nullam teneri, vmbram & imagines tantùm, easque, inquit, vtinam sequeremur. Saneque vel eo illas multi improbârunt, quod quæq; Gens quod sibi esset vtile, legibus condiderũt. Mores autem Philosophorum, vt præteream vulgus, si diuersę fuerint sectę, apprimè diuersi, si consectanei quoq;, nõ idem, sed & cum moribus quoq; ipsis & vita eorum mirabiliter, vt ille inquit, pugnabat oratio. Ars igitur benè beateq; viuendi apud eos haberi non potest, quando nec ars vlla, quæ plena non sit difficultatis, & fœta rixarum eorum in studijs, & scholis inuenitur: neq; enim vna, sed multæ eęq; inuicem pugnãtes, ergo omnes illas sequi homines nequeunt, quoniam aduersæ inter sese, & quæ nam vero proximior, si humanis rationibus probetur, humanis etiam rationibus improbabitur, nec ad lydium vllum lapidem dabitur prouocatio, nec ab humana cõmuni propensione duci syncerè poterit, infecta, scilicet, prima origine, & si suis nitatur viribus nutabunda & vacillante, fallacesq; sensus & inanes opiniones plurimùm secuta. Quare diuini luminis beneficio fuit opus, vt benè vitam hanc viuentes, eam, quæ æterna futura est, feliciter viueremus.

CAP. XIIII. & vltimum.

LIBRI TERTII EXAMINIS EPILOGVS, IN QVO OSTENditur sectas omnes Philosophorum aliquid vmbræ veritatis eatenus consecutas, quatenus ipsæ vel de longinquo sunt æmulatæ diuinæ Sacrarum literarum dogmata, in quibus eminenter & syncerè collectum potest videri, quicquid in prophanis illis libris impurè & tenuiter interspersum est.



HActenus quid Gentes in sese per tot secula literarijs armis bellantes molitæ fuerint, magna ex parte recensuerim, vt ostenderem nihil apud eas firmi, nihil constantis reperiri posse, quare non contentus quid afferent plerique, tritis tantummodò & communibus controuersijs insistentes, nec euoluentes remotiora, &, vt arbitror, efficaciora, adire ipse conatus sum antiquorum Philosophorum, & non parum multis ignotorum, non citata solùm dogmata, sed integra & absoluta Græcè scripta volumina, maximeq; Scepticorum, qui aduersus reliquos pugnaciter & subtiliter disseruerunt. Quos quidem Philosophos Scepticos tametsi in plerisq; non probo, eatenus tamen non improbo, quatenus eorum qui vel omnia, vel plurima scire se tenereque profitebantur, arrogantiam obtunderent. Est autem subtilius hominum ingenia consideranti facilimè peruidere, omnibus in sectis Philosophorum quiddam insigne, quod non sit ei commune cum cæteris, quæ in vnum, si conferas, planè comperies ea omnia eminentius multò, atq; syncerius Sacris in literis, quas ipsi Christiani colimus, inueniri. Improbât alios Philosophos Sceptici, qui se scire quicquam profitentur vi humanæ philosophiæ: num hoc, sed multò clarius, efficacius, verius, Sacrę literæ? inanem Gentiũ philosophiam aspernantes, & ne ea ipsa decipiamur admonentes. Suscipiunt Sceptici patrias leges, patrijs moribus simpliciter & nulla disquisitione acquiescũt, num & hoc nostri? sed securius, & sanctius qui diuinas voces sine scrupuloso rationis examine admittendas iubent, qui simplici ducuntur fide ad res æternas, & credendas, & sperandas, atq; ad mores diuina lege aut commendatos ad custodiendum, aut cõdemnatos ad abijciendũ, vel admittendos, vel declinandos. Dogmatici verò Philosophi se dicunt scire, qui admittendi quidem si aliqua tantùm & humano more se scire intelligant, & sensibus intermedijs qui sępenumerò fallunt, alioqui frustrà nobis ad discendũ dati, scilicet, si semper fallerent, si verò nunquàm fallerent, quódnam falsum in rebus humanis? vnde vlla veri laus? vnde vllum præmium inueniretur? An quæso à Sacris literis modò disciplina laudatur, modò nimium scrutandi studium condemnatur, dum non plus sapere quàm oportet admonemur? Qui verò nihil sciri volunt Academici quatenus suis in disputationibus, multa quæ vera existimabantur & falsa erant, detexerunt & ferendi quidem & probandi, Salomone præcipiente, *respondendum esse stulto, iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*: quà verò hoc solũ se scire quod nihil scirent afferebant, eatenus non imitandi, sed cum eis non habenda amarulenta contentio, eodem Salomonis præcepto, quo iubemur non respondendum stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similes videamur. In vniuersum hæc diximus, de studio captandæ veritatis, apud diuersas philosophorum sectas, quarum aliæ se illam tenere, aliæ minimè posse teneri, alia non magis hoc quàm illud asseruêre.

Cæterùm si & alia quoq; examinentur, fiet vtiq; manifestum ea si quid veri in se habent aut verisimilis, id totum à Sacris pendere literis, in quibus illa omnia eminentissimè, & multa alia prætereà, de quibus tanquàm de ignotis omnino, & ab humana cognitione seiunctis Philosophi Gentium non præceperunt. In principijs itaq; præbent præcepta fidei quæ nullus nostrorum abnuit certa, & sunt qui annuant euidentia: Multoq; magis quanquam dicantur humanitùs euidenter spectari, id autẽ firmæ propensioni qua syncerè in diuina credenda ferimur, tribuerent nonnulli, signis alij supra naturam, ij verò fidei lumini ferunt acceptum, ex quo certiorem quoq; scientiam deduci asseuerant, interno fulgore diuinitùs immisso gratis, quo & videntur æterna & miraculis pręstatur assensus, à quibus abhorrẽt qui eo ipso lumine destituũtur, præbent, inquã, Sacræ literę multò firmiùs quàm Peripatetici aut alij ex Dogmaticis Philosophis sua proloquia. Existimauit Ioannes Scotus quarto in sententias

Theologi-

Theologicas commentario, quæstione tertia distinctionis decimæ quartæ, veritates nostræ fidei, cæteris & excellentiores ideò habendas, quod ad eas naturale mortaliũ lumen non pertingat, & certiores, quoniam ab ea sunt veritate, quæ nec fallere potest omnino, nec falli, quo fieri voluit vt certius haberi debeat quod diuinis est literis reuelatum, quàm id quod quicunq; intellectus potest attingere lumine naturali. Adde quod illa ipsa de quibus locuti sumus proloquia nec omnibus omnino veritate niti visa sunt, nec concordi sunt admissa sententia, & adde, si placet, illud Platonis in legibus, solius Dei esse approbare ea de quibus multi ambigant, vt certitudinem diuinorum eloquiorum etiam ex Gentibus comprobare queamus: Suprà enim videre potuimus quàm apud plærosque Philosophorum proloquia ambigua? quàm plena rixarum? nostra verò & consensu Gentium & prodigijs celebrata. Morum etiam colendorum munia præscribunt, nulli sano homini non visa dignissima quæ debeant obseruari, tantùm abest vt cauillis impetantur & obruantur ambagibus, quæ ad hæc non pertineant melius, multò quàm Sceptici digna non ducunt quibus innitatur, vt hinc multò etiam magis quàm ex Aenesidemi, aut Nausiphanis aut Sexti disputationibus cohibere assensum facilè possimus. Pythagorici Pythagoræ ita assentiebantur, vt certum tenerent quod ille dixisset, nec aliam eius probationem afferebant quàm ipse dixit, Pythagoram significantes, atque vt ipsi loquebantur Doricè *αὐτὸς ἔφα*, nos verò dicimus Deo, & ijs qui Deo inspirante loquuti sunt credendum, atque vt inquit Nazianzenus in primo contra Iulianum Imperatorem, apud illos dicebatur ipse dixit, apud nos crede, atque vt ipsis Nazianzeni vtamur verbis *παρ' ἡμῖν πίστευσον*. Prætereà Pythagorei veteresque Platonici, & ex iunioribus aliqui studia sua ad diuina transferebant, Pythagoræque illud quaternitatis arcanum, diuinam subindicare apud illos naturam, vt facilè existimem Aegyptus facit, in qua ille diu versatus est, in qua & plura Mosaica didicit. Didicit & circuncisionem eandemque pertulit, authore Theodoreto, qua etiam circuncisione vti Aegyptios consuêsse apud Gẽtium historicos legimus, itaque potuit Pythagoras quatuor literarum nomen quo apud Hebræos Dei essentiam significari celeberrimum esset, in arcanis habuisse, idq; etiam confirmari eius per ipsam quaternitatem iuramento potest, solitum enim per maiora se, nõ per minora iurare: Quare illa quæ de numeris exponere nonnulli tentârunt ea non magnæ, vt mihi videtur, efficaciꝫ sunt: neq; enim Diuinis ad Mathematica, sed Mathematicis ad Diuina Pythagoras vtebatur.

Sed vtcunq; fuerit, rectiùs certè & breuiùs à Paulo sumus instituti, *omnia in Dei gloriam fieri debere*: Poterant enim ad contemplationem duntaxat Diuinæ potestatis & sapientiæ illa ab eis referri, nostri verò ad bonitatem ad agendas gratias retulerunt, quod non philosophicæ disputationis, sed præcipuæ religionis est proprium. Archesilas & Carneades nihil se scire profitentur, præter hoc vnũ, quod nihil sciant. An veriùs & diuiniùs Tharsensis noster ad Corinthios loquitur? *non enim*, inquit, *me iudicaui scire aliquid inter vos nisi Christum & hunc crucifixum*, humanam sapientiam pro nihilo ducens & Iesum Diuinam æterni Patris sapientiam contemplatus. An electores Philosophi conferendi videntur Paulo huic præcipienti, *omnia probari, quod bonum est teneri*. Tria illa sua bona Peripatetici dum iactant, quæ bona sunt animi in libra Critolai longè præponderant. At ad bonum illud præcellens quo summum ad bonum peruenitur Sacræ literæ nos breuiori & faciliori compendio ducunt. Imperturbati degere non solùm iuniores, sed antiqui etiam Sceptici, nituntur suis considerationibus, quibus neutræ, & verius nullæ parti assentiantur: Docent & citiùs, & sinceriùs tranquillitatem diuina eloquia cùm id promunt: *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit*. Vnam colendam virtutem Stoici prædicant, vna charitatis virtute fœlices euadere homines Sacræ literæ contestantur, firma hæc & omnibus certa numeris pollicitatio, inanis illa Stoicorum, plena fastidij, plena arrogantiæ, & propria nõ diuina æstimatione subnixa. Cynici fastũ abijciunt canino fortasse fastu, modestissima verò & nihil sibi conscia mente, calcandam inanẽ gloriam sacra dogmata præscripsêre. Illi ipsi Cynici magna freti libertate sua munia prosequebãtur adeò, vt propterea Maximus Tyrius inter Platonicos non ignobilis, quodam libello Cynicæ vitæ laudes prosecutus præponat omnibus Philosophis etiam Socrati Diogenem Sinopeũ. An verò Christianæ disciplinæ libertas suprà quam dici à nobis queat præ-


cellentior, qua, scilicet, libertate nos Christus donauit: Lex enim perfectæ libertatis à Iacobo illo diuino sine controuersia nuncupata est, qua non in caninam vitam, sed in adoptionem diuinam fit transitus, qua & Paulus optauit Apostolus dissolui, & esse cum Christo. Pari pacto si alias omnes sectas consideraueris, subsidere illas & prosterni Christianæ disciplinæ comperies. Omnes denique sectæ vbi de fine hominis felicitateque disserunt, tàm diuersè id efficiunt, tàm dissonè, tàm perniciosè, vt etiam quid bonum, quid malum, tanquàm amentes discernere nequeant, vt maximæ hinc iterum, atq; iterum habendæ gratiæ Deo sint, qui per Mosem primò, deinde per Vnigenitum filium reuelârit, quid bonum, quid malum. de quibus obscuras vitiatæ naturæ semitas secuti Philosophi, nec ritè, nec consonè decreuêre, ne dum abiecto malo, bonum ipsum sunt consecuti.

Porrò nostris in literis non paralogismi vlli, sed veræ præclaræq; & consensu bonorum omnium probatæ sententiæ, & miraculis comprobatæ, quæ propria illarum videntur argumenta literarum, quoniam quod supra naturam diuinitùs præbetur hominibus, signis etiam quæ supra naturam sunt, diuinitùs debet confirmari, & ad finem supra naturã perduci, vt in calce primi libri satis explicuimus sub exemplo syllogismi. Illo etenim diuino lumine quo fides nititur, quo animi oculis æterna videntur & sperantur: & signa quoque ab Apostolis, & Apostolicis viris in fidei probationem adducta, diuinitùs à Patre luminum descendisse contemplamur, cui & ratio, & humana omnia argumẽta succumbunt. Eas igitur literas amplecti debemus, quarum studio cùm veritatem sequi abiecta falsitate, tùm felicitatem consequi ablegata miseria, & debemus, & possumus. Quas literas ipsi Gentium Philosophi peregrinationibus exilijsq; susceptis expetiuerunt, & si quid liquoris, quem desiderat animus sitibundus veri, sua ipsorum literaria monumenta irrigauit, id totum ab earum literarũ fonte manauit, quando & Plato Aegyptũ petijt, indeq; Academię & Lycei fluenta (quanquam Cæno Græciæ superstitionibus addictæ semiturbida) decurrerunt, & antea Democritus & Pythagoras in Aepypto diuersati sunt, priùs etiam Orpheus, qui vnius Dei cultum seruandum Musæo præcepit, cùm anteà plurium esset cultor assertorq; Deorum: atq; hic quidem eò maiorem suæ peregrinationis fructũ consecutus est, quàm Pythagoras & Plato ætate posteriores, quòd iam tũ cœperant Aegyptij paulatim cum præclaris Moseos monumentis multas etiam deorum pluriũ superstitiones admittere. Adde apud Philosophos Gentium & eloquentiam, & rerum notitiam viguisse, quanquàm diuersis tractatam modis, vt est videre apud Platonicos, & Peripateticos, apud Stoicorũ, & Scepticorũ volumina. Apud nostros Theologos & eloquentiam insignem, & rerum notitiam exactiorem inuenies, maiori & clariori lumine patefactam. Fuit autem in priscis illis viris Theologis, & nostræ Christianæ legis promulgatoribus, pura & nuda veritas, signis supra naturam confirmata, qua Gentes caruerunt. Deinde & præcellenti ingenio & doctrina plurimi, cùm apud Gręcos, tùm apud Latinos, non vt adijcerent veritati robur, sed vt eos reijcerent, qui synceritatem nostræ fidei maculare conabantur, adnixi, nòn parum multa ad ipsius Theologiæ propagationem & ornatum contulêre. Dum enim sacras interpretantur & declarant literas, adeò multa protulerunt & profunda sapientiæ flumina, vt inde sibi potuerint quicunq; diuinis rebus delectarentur, quosdam quasi canales corriuare. Quis enim ignorat Petrum Longobardum & suas sententias, quibus enarrandis iuniores omnes sudauêre Theologi, & Gratianum discordum concordiam canonum, in queis explanandis Iuris pontificij interpretes laborauerũt, ex ipsis antiquioribus Theologis compilasse, Decretalesq; pontificum epistolas eorum testimonijs cõfirmatas, vt ad sacras tandem literas intermedijs illis ipsis theologis recurreretur. Vbi verò & in Gręcia studium literarum omnino desijt, & apud Italos ac cæteros qui lingua vtebantur Latina, cultus earum & proprietas elanguit, perpetua dicẽdi series in concisam mutata est, & ornatæ illæ dicendi figuræ ex oratorijs officinis extractæ, in nudos dialecticorum syllogismos, in mera enunciata procubuêre ita, vti eorum quidem sequerentur dogmata, modum verò scribendi nullo pacto adsequerentur. Demùm vt omnes implerentur numeri, & in hoc etiam gentibus præstaremus, non defuêre, qui & Oratoriæ, & Dialecticæ, & omnis Philosophiæ non ignari, ac inter Oratores illos, & Dialecticos istos interpretes tãquàm medij, vt qui vtrorumq; munia obire

obire tentârint, veritatis manifestandæ negocium susceperit, quo ad probatissimos illos & vetustissimos intimè & legendos, & ediscendos, à quibus, scilicet, sacræ syncerius enarrabantur literæ, facilior omnino reditus præberetur, quod nos quanquam nec eloquentia, nec rerum notitia præstabiles, consequi tamen cupimus, vnde iam tot & tanta versauimus, cùm apud Græcos tùm apud Latinos desita, & apud plurimos etiam ignota volumina. Sed quoniam nostra hac tēpestate non multi vel sciunt, vel curant vetera hæc, & quæ multis antiquata putantur philosophandi genera, solum vel cognoscentes, vel admittentes Aristotelem adeò, vt solùm etiam eum Philosophum arbitrentur, eiusque vera omnia dogmata & Sacris conformia literis autument, fortè non illis dissimiles, de quibus Lucilius:

Vt pueri infantes credunt signa omnia ahena
Viuere & esse homines—.

Age iam Aristotelem ipsum, & quæ ab eo fluxit, Peripateticam sectam singulariter examinemus, non iam vel sedentes in porticu, vel recumbentes sub Academica platano, vel in acie cum Scepticis stantes, & circumquaque quod obstat vrgentes: sed ipso in Lyceo cum Aristotele & sectatoribus deambulantes.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI ET CONCORDIÆ COMITIS, IN EXAMEN VANINATIS DOCTRINÆ Gentium & veritatis Christianæ disciplinæ, qui & primus est aduersus Doctrinam Aristotelis,

LIBER IIII.

PROOEMIVM.



QVI Philosophi Aristotelis memoriam laudibus exornare cupiunt, soliti non sunt multum operæ insumere, longaq; aut laboriosa inuentione fatigari: Prestò namq; illis perspicax eius ingenium à Platone ita commendatum, vt cùm abesset ab auditorio, actutùm mentem abesse pronunciaret; præstò est & multa lectio, cuius gratia ab eodem Platone Lector appellaretur. Huc accedit rerum affluens copia; multis expetita, omnibus grata, stylus eruditus, atq; in primis elegans, non Græcis modò, sed & Latinis, qui Græcè sciunt, ipsoq; etiam Cicerone laudatus: Partiendo verò materias tàm exacta diligētia, vt res naturales ad vsq; minimas euoluere, & explicare sategerit: Doctrina tàm multiplex, vt non Philosophos docuerit solùm, verùm etiam Rhetoras, Poëtas, Historicos, eisq; ipsis in rebus & artem, & si quando libuit, vsum præstiterit. Quibus omnibus & campus sese offert patens, in quo laudum seges vberrima, & succurrunt pariter instrumenta metendi. Vitia verò illius quæ circumferri solent, alij nō admittunt, alij quoquo modo possunt, extenuare conātur. At cùm ad illud est deuentū, vt excusent eum ab ingrati animi nota, quod contra præceptorem Platonem, quem viginti annis audiuit, scripserit, quod eius dogmata plærisq; in omnibus & maximè principalibus in locis vexauerit, cōfutauerit, exploserit, & torquentur ipsi & anguntur: Nihil tamē habent ea in re antiquis quàm vt amorē prætendant veritatis, qua fretus Platoni magistro nō pepercerit, ipsumq; eius elogiū in promptu est, Socrate veritas amicior, atq; illud in scholis protritū, duobus existētibus amicis piū esse veritatē in honore præferre. Itaq; adeò potuit Aristotelis nomen, & authoritas, vt nō maximos solùm haberet virtutū præcones, sed & corū quæ à multis crimina esse censerētur, defensores eximios. Illudq; in primis ei cōtigit admirabile, quod ingrati animi notā, quæ etiā vitio illi vertebatur, vitio sanè apud omnes gētes, & præcipuè apud Persas maximo, eā laudi & quidē præcellēti veritatis defendēdæ tribuerūt. Ego verò & si laudibus nō mereor ornari, nec etiā eo prorsus ambitu laboro, quod tamē & culpa caret, & calūnia carere meritò debet, id ipsum dānari à nostris hominib. & causa præcipuè indicta, nullo pacto velim. Propterea illud ego ab Aristotelis nimijs amatorib. & laudatorib. qui nūc in Ecclesia nostra viuūt, libēter impetrarē, vt me q ab Aristotele multa didicisse, & viginti circiter annos

annos eius volumina comperiendæ gratia veritatis versasse non diffiteor, si eius doctrinam quasi libra appensam, & diutiùs in examine versatam, non id habere ponderis quod plerique existimârunt asseruero, si frustrari fine Philosophiæ, si incertam, si plerisque in locis falsam monstrauero, pariter excusent, potiusque id amori ascribant veritatis, & pietatis cultui. Negabúntne mihi Christiani homines & fratres, vnius religionis veræ participes id petẽti, quod Aristoteli alienigenæ, & prophanis Gentium superstitionibus mancipato gratis nulloque intercedente concesserunt? Non potuit quidam idololatra ferre Græcam vrbem inter Quirites, non potuit tolerare deliramenta Aegyptiæ terræ tàm longè sitæ, feram ego Christianus homo, inter Christianos, ipsis sub oculis, & propalàm, Christi Euangelio vel præferri, vel æquari Aristotelea volumina? adeò exculta, æstimata adeò, vt non difficulter aliquem reperias ex superbis literarum cultoribus, qui Aristotelicum, se quàm Christianum dici non ambiat, eam enim docti, & insignis viri, hanc rudis & plebei nomenclaturam autumant, adeò rudes, & veræ prorsus rationis egeni sunt, inde hallucinati quòd certa omnia apud Aristotelem, firma omnia & incõcussa putent sic, vt nihil certius, nihil veritate fultum magis poßit inueniri. Multa (nec diffiteor) apud Aristotelem eruditio, multa elegantia scribendi, multa etiam fortasse veritas, sed certè non parua vanitas, bilancem adhibe, & quid præponderet animaduerte, crebrò vtere, vt à grano gluma discutiatur, & ad Zephyrum paleæ iactentur inanes. Quid succenses? petóne aliud à te quàm quod inde digressus meliora quæras? & ab humanis ad diuina quasi fidei, & amoris alis te subleues? An propterea toruo es aspectu quod Aristotelis doctrinam vanam ipse appellauerim? cur non illis in primis, & magis irasceris, qui ipsum dixêre pharmacopolam, vti ab Aristocle Peripatetico, & ab Eusebio proditur, & ab Athenæo, cur nõ Theocrito Chio? qui vt est apud eundem Aristoclem, apud Diogenem, apud Eusebium, vanum Aristotelem nuncupauit, idque etiam acriùs ab eo posita Græca vox sonat κενόφρων. Sed & minus multò succensere debent, qui didicerint in libro Sapientiæ id vanitatis argui, cui non inest scientia Dei, & qui apud Salomonem legerint, omnia sub vanitate conclusa, vt hoc etiam meum studium, si qui sub ea reposuerint, modò ipsi proficiant & veritatem agnoscant, non ægrè feram, alioqui quid mihi quæso cum Aristotele? veritatem sequor, atque vt alij sequantur exhortor. Equidem & aliquando eius dogmata, & de anima rationali, & de appetitu materiæ primæ dicatis commentarijs exposui, & cùm ei falsò quidam malè morati homines, ad excusationem suorum facinorum, adscribere impietatem circa prouidentiam diuinam molirentur, pro Aristotele dixi, ostendens illam affirmatam ab eo, non tamen syncerè nec omnino multis, proptereaque eius ea de re dogma & à Nazianzeno, & à Theodoreto σμικρολόγον sit appellatum, omnia tamen ipsius opera discussa pro viribus, adstipulari non derogare Diuinæ prouidentiæ prima operis ea de re compositi parte longi opere subsellij patefeci, atque alias quoque ab antiquis nõnullis ipsum Aristotelem, & à Laurentio Vallense eadem causa defendi, ipsumque naturæ interpretẽ in libro de Imaginatione nuncupaui, in quo illum, sicuti & in alijs sæpenumerò secutus sum, quia vel ita sese res habere videretur, vt ipse decreuerat, vel quia tanta ferebatur eius authoritas, vt disquirendum eius de veritate doctrinæ in sese non succurreret, neque enim Philosophum, sed Philosophiæ legem pleríque omnes arbitrabantur. Atqui nunquàm ita ardẽs in eius & aliorum Philosophorum studio fui, quin & incertam eorum doctrinam plurimùm & in plerisque falsam non aduerterem.

Quod ideò sum præfatus, ne subito quodam vitio mentis quispiam me, ex amatore inimicũ factum existimaret. Testantur hoc ipsum libri à me editi de studio Philosophiæ, Theoremata de fide, & Logicæ institutiones, in quibus vel tenuem quendam huius poculi gustum dedi. Nihil enim apud me potiùs fuit, quàm veritas, quæ maioris apud omnes momenti debet esse quàm cætera, pro qua non modò contra Aristotelem, sed contra mea opera scribere me paratum profiteor, si quando me deerrasse deprehenderem. An ego maior Augustino? qui retractauit, & emẽdauit sua ipsius iam emissa scripta. An Nazianzeno maior? & laudante, & vituperante Maximum. An maior Hieronymo semet in suis, in Esaiam, & in Abdiam commentarijs, corrigente? An Ioanne Pico patruo maior? qui sese olim fefellisse adulescentem, præclara quæpiam veterum nomina, in vltimo aduersus Astrologos scriptum reliquit, quique aliam maturioribus annis, aliam in adulescentiæ feruore de Astrologia & Magia naturali sententiam tenuerit, vti & quinto, & septimo de Prænotione rerum libro ipse monstraui. Ingenuum dubio procul est propria tollere, & eliminare si quæ occurrerint errata, quod & Gentes etiam sæpenumerò obseruauerunt. Sic enim vetustus author Hippocrates medicus, sic Sosigenes Mathematicus, sic Dionysius rhetor, sic Pollux, sic Cicero, sic Quintilianus, vt Stesichorum, & alios taceam complures, effecêre. An id etiam non fecit Aristoteles? qui quanquàm sæpè damnat Platonem, laudauit nihilo-

nihilominus egregiè, & de eius laudibus orationem scripsit, authore Olympiodoro, eiq; ipsi aram posuit, noto illo epigrammate, cuius & Philoponus meminit, & Hammonius: In elegijs quoque ad Eudemum cecinit in laudem Platonis multa, inter quæ illud,

Nulla ferent talem sæcla futura virum.

Horum autem in numero, quo ad rem hanc attinet, nequeo propterea collocari, nam si laudaui alias, aut defendi Aristotelem, veritate duce, non tamen aut religiosam, aut penitus certam, aut omnino veram doctrinam eius asserui, sed innui sæpenumerò, & quandoq; etiam subsignaui certam non esse, sed probabilem, non veram omnino, sed aliqua ex parte falsam, non religione fultam, sed superstitione labefactatam, vtpote hominis, & quanquàm inter Gentes magni, & fortè maximi, hominis tamen, & veræ lucis, veræ religionis ignari. Quæ omnia nunc latiùs explicaturus sum, vt qui plures ipsi hærent Aristoteli quàm Euangelio, & qui in eius voluminibus euoluẽdis, totum vitæ tempus, melioribus officijs tribuendum, tanquàm fini vltimo veritatis inueniendæ deuouerunt, possint faciliùs, si voluerint, resipiscere, quanquàm excipio in Aristotele quæpiam veritate (vti arbitror) fulta, nec alijs etiam ignorata Philosophis, eaq; à Deo esse decerno, naturalis & largitore, & illustratore luminis, atq; aliqua non solùm vera, sed longè præclarißima non ambigo, fortè tamen non eius inuenta dicerem, sed à Platone, & Pythagoræis qui Mosaica in Aegypto didicère, deriuata. Nonnulla quoq; ab ipso puto fuisse inuenta, non tàm doctrina, quàm eximia cura, ac diligentibus experimentis, vti licet videre in libris de historia, partibus, generatione animalium, libris vtiq; omnium quos vnquàm scripsit multorum sententia præclarißimis, quos tamen ab omni errore prorsus immunes negant plærique, quibus facilè nonnullis in rebus consentirem. Itaq; post vanitatem aliorum Philosophorum & etiam Aristotelis quoquomodo detectam tribus libris superioribus, hanc ipsam Aristotelis doctrinam, quæ maximo nunc est in pretio, & diligentiùs appendere, & scrupulosiùs in trutina collocare libeat, vt quod in ea etiam est vanum & leue, syncerius deprehendatur. In quo munere obeundo, siqua vera bonaq; eluxerint, nõ mihi, sed luminum patri accepta, referri velim. Quod quanquàm alijs omnibus in libris meis semper cupio, in hoc tamen quarto huius operis, & ijs qui sequentur quarto & sexto, maximè optauerim. Nec tàm modestiæ causa hoc ipsum prolatum habeatur, quod non satis aptum huic oneri ferendo ipsemet ausim existimare, quàm veritatis. Qua nescio quo pacto sum perductus ad id, quod alioqui fortè nunquàm sperassem, iniquißimo primum exilij mei tempore, quo & arma potiùs tractare iusta, vt iniustis resisterem, & opem regum, & principum implorare, & amicitias æqualium parare oportuisset: Deinde in tuenda quadrienni bello iam recepta patria, vbi non minus laboris exantlauimus iterum reduces, quàm in alienis ditionibus iterum exules, nihilo tamen minus inter illa ipsa incommoda, præstò fuerunt omnia, quæ huic operi absoluẽdo iudicarentur conducere, diuinitùs condonata: Quoniam & in peregrinationibus elucubrandi affuit animus & in alienis vrbibus variarum linguarum bibliothecæ non defuerunt, & in propugnandis mœnibus iam partis, tanta inter machinas bellicas, inter pericula, sæpenumerò & tranquillitas, & quies animi, vt in pace, & in ocio maior desiderari penè non potuisset. Quæ inter tot calamitates commoda, quis diuinitùs profecta iure queat ambigere? & ipsi Deo non debere accepta referri? à quo omnia & vera, & bona tanquàm ab ipsißimo veritatis, & bonitatis fonte deducuntur prouidentia mirabili. Sed iam quarto hoc quod præ manibus habemus libro, vanitatem Aristotelis aperire conemur in vniuersum: Quinto autem & sexto particularius atque (vt arbitror) efficacius, id ipsum moliemur.

CAP.



Cap. I.

QVOD DOCTRINA ARISTOTELIS IN EXAMINE appenſa, plus inanis, quàm veri ponderis præ ſe ferat, & quod triplici ea vanitate labet: ibiq; trium etiam ſequentium librorum ordo particulatim explicatur.



RGO'NE in libra doctrinã Ariſtotelis appendimus? ô laborem multis calumniæ morſibus expoſitũ: Sed nil pietate duce, nil comite veritate timendum eſt. Primum illud (ni longè fallor) conſtat: Altera in lance ſi poſuerimus diligentiam, ſtyli elegantiam, acumen ingenij, multam lectionẽ, multamq; doctrinam Ariſtotelis, parùm in ea nos præterea poſſe collocare: In altera verò ſi triplicem poſuerimus vanitatem, non præponderare, ſed præ inani momento hanc in aërem longè ſuſtolli, facilè putauerim. Vbi enim ſuperſtitio, incertitudo, falſitas, quid ſolidi ponderis? quid non inane? non vanum? Hanc autem vanitatem vbi toto opere deprehẽderimus, falſi examinis nomine iniuſtè damnabimur. Itaque triplici vanitate, de cuius ſignificatu primo Operis huius libro diſſeruimus, labare ipſam, & iamiã corruere videri poterit. Principiò autem de initij & finis vanitate, & de fallacibus medijs agendum, cùm vt ordo ſeruetur, tùm ne ad inuidiam nobis ſit hæc diſputatio, ſed potiùs ad pudorẽ eorum qui noſtrum in ea literis mandanda inſtitutum damnauerit, illam ipſam fore, ſapientes rerum æſtimatores cẽſeant. Principium philoſophiæ à ſummo bono pendere, ipſumq; finem poſitum in adeptione ſummi boni, tàm rudes, quàm eruditi putant, & ipſemet Ariſtoteles conſentit, docens quicquam non eſſe, quod non appetat bonum, hoc autem præterquam religione poſſideri non poſſe, conſenſus fuit omniũ qui benè in literis audiuerunt: Nec ab hoc Ariſtoteles abhorruit, qui & in Ethicis, & in ſua quam inſtituit Republica, & in re domeſtica de religione præcepit. At quã vanus fuerit omni hac in re, hoc eſt, & in capiendo initio, & in fine decernendo, & in eo quo illum adipiſci docuit intermedio, facilè ſumus cùm teſtimonijs, tùm ipſiuſmet verbis probaturi. In primis non Deum, ſed malum dæmonem ſui ſtudij ſuaſorem, & præceptorem habuit: Sic prodit eius vitæ ſcriptor & operum expoſitor Philoponus, docens Pythiæ iuſſu philoſophari cœpiſſe Ariſtotelẽ καὶ τῆς πυθίας κελευσάσης αὐτῷ φιλοσοφεῖν στέλλεται ἐν Ἀθήναις. Et Pythia (inquit) iubẽte ipſum philoſophari mittitur Athenas. Fœmina autem hæc erat Apollinei templi cuſtos, inſtincta, & agitata dæmone, eum autem dæmonem, cùm ipſe, tùm alij putabant Deum pręſcium futurorum. Nec hoc mirum debet videri, quoniam ea tempeſtate alij etiam, vtrum facilè, tutoq; philoſophari poſſent: ab Apolline quærebant. Sic de ſe fatetur Oenomaus, vir, vt Euſebius affirmat, apud Græcos tàm philoſophia, quàm eloquentia nobilis, qui etiam in ipſum inuectus Apollinem bis ab eo ſe deceptum aſſeuerat. Idem Ariſtoteles ſicuti Apollinem euentorum prænotione pollere, ſic & Iouem, & Iunonem ſalutares exiſtimabat, vnde & Ioui ſalutari, ſoſpitæque Iunoni vota nuncupauit. At qui de Deo ipſo non ſyncerè loquitur, vtpote & plurium memor cultorque Deorum, & de natura eius ipſius, quem & ſingulariter quandoq; vocat Deum, varius eſt, & anceps. Porrò ipſius religio qua ſummum bonum, ipſamque felicitatem parari cenſuit, non religio eſt, ſed ſuperſtitio, & meraciſſima vanitas, idololatriæ vel ſubiecta, vel mixta: Nam qui plures colebant deos in ſacris Regum libris prouocare Deum dicuntur in ſuis vanitatibus. Ipſe autem non ſolùm dijs, ſed & heroibus Gentium ſacra decreuit, eouſque deuectus, vt & amatæ immolauerit fœminæ, inſtar Eleuſiniorum, ita enim memoriæ proditum eſt ab Ariſtocle, ab Euſebio & ab alijs. Sed quanquàm Philoſophorum hoc libris commendatum eſt, quoniam tamen ad morum calumniam, non ad doctrinam pertinet, poſtponamus. Neque enim ipſe hoc affirmauerim pro certo, ſicuti nec illud quod in cauſa fuerit, vt venenum propinaretur Alexandro, ex Arcadia ſumptum rupe: quod quidem venenum, vt Plinius inquit, magna eſt Ariſtotelis infamia excogitatum: nec item quod patriam Stagiran Macedonibus prodide-

prodiderit, vt Aristocles retulit, dum pro eo Apologiam faceret in septimo de Philosophia, quod & repetijt idem Eusebius in quintodecimo: ad solidiora deueniendum est.

Legimus in eius Testamenti tabulis, eùm cauisse, vt matris Ceres, & quæ vouerat animalia lapidea, in Nemea, & in Stagiris collocarentur. Quod si nec tabulis credamus, quas tamen vti leges esse seruandas, ipsæ præcipiunt leges, ad Aristotelis propria verba, ipsis in eius literarum monumentis relata descendamus. Certè quod Deos colendos suis ipse verbis docuerit, qui legũt Ethicos libros, facilè deprehendunt. Namque ad filium Nicomachum dum scriberet, primo libro felicitatem deorum munus esse non negauit, ac vt eius vtar verbis θεῶν δώρημα. Et in quinto ipsius operis libro eius iusti quod à lege dimanet, partem fecit sacrificia, vt αἶγα θύειν, id est, capram immolare. De magnificentiæ quoq; Virtute libro quarto, cùm præciperet, deorum templa magnis tradidit exornanda sumptibus. Et alibi quoque plurium deorum maximè memor, vt in magnis Moralib9, εὐτυχία ἐστὶ ὡς ἐπιμέλειά τις θεῶν, hoc est, bona fortuna est tanquàm deorum procuratio, laudat Homerũ in politicis, qui dixerit quod erat Iupiter, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Et item θεοὺς βασιλεύεσθαι, hoc est, deos regnare cẽsuit. De ipso autem cùm disseret Deo, in duodecimo Metaphysicorum libro: animal dixit esse sempiternum optimum, per hæc verba: φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον, hoc est, dicimus autem Deum esse animal sempiternum, optimum, vt hinc fortasse suum traxerit Alexander Aphrodisiæus delirium, docens, Deum esse mundum. Aristotelis enim sibi sensa videbatur exprimere qui ita putasset, quod & ei Plutarchus ascripsit, & videtur Themistius in libro de Anima eum etiam secutus, cùm dixit Deum esse animal sempiternum prouidẽs, & beneficum homini. Qua verò iniuria ea protulerit Aristoteles, verba eius fautores dijudicent? qui si aliò vertere verba voluerint, ad ipsum prouocabo, ad antiquos expositores, ad ipsum etiam Albertum cognomento Magnum, qui ei id vitio vertit, ad alios etiam quorum hoc ipso opere citabuntur nomina, & sententiæ super hac re latæ referentur. Sed quid est opus distorquere sensa philosophi commentis parum firmis ne ineptis dixerim? Cùm adducunt in medium illud φαμὲν quo contendunt ex aliorum opinione non ex propria eum locutum, quam sententiam præclari alioqui & dubio procul magni viri, tametsi parum gnari Græcarum literarum, secuti sunt. Legant quęso primum de Naturalibus principijs librum, vbi maximè propriam asseuerat firmatq; sententiam, & tanquàm rerum naturæ fundamentum iacit, vbi formæ meminit & materiæ, alteramq; non esse, alteram, vt creditum quibusdam fuerat, sancit per hæc verba: φαμὲν ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερον εἶναι φαμέν. Qua sententia Simplicius in maximis illis in primum Physicorum librum commentarijs, differentiam inter Platonis & propriam opinionem statuere scribit περὶ τῆς ὕλης καὶ τῆς στερήσεως, id est, de materia & priuatione. Propriam itaque opinionem illa dictione φαμὲν expressisse constat, tantùm abest vt ex aliorum opinione aut vulgi fama loqueretur. Postea cùm formam diuinum quiddam & bonum, & desiderabile dixisset, priuationemq; illi contrariam assereret, his dictionibus est vsus: τὸ μὲν ἐναντίον αὐτῷ φαμὲν εἶναι: Quibus ex verbis superfluo cogitata fuga est modo locutionis, sicuti etiam ex oratione vocabuli illius ζῶον ἀπὸ τῆς ζωῆς, id est, animal à vita, quoniam & ipsa in animantibus vita deriuatur ab anima. Illud magis mirandum inueniri cui placuit ab Aristotele proditum, viuentem æternum, non animal sempiternum. Sed ipsa Aristotelis verba nullo pacto hoc admittunt, neque enim ζῶντα αἰώνιον, hoc est, viuentem ęternum apud eum habetur, sed ζῶον ἀΐδιον, id est, animal sempiternum: Non admittit etiam ratio Aristoteleæ doctrinæ, apud quam præstat animal viuenti, quare animalis nomine, quàm viuentis potiùs visus est eum ipsum quem vocat θεὸν honorare, omne enim animal viuit: at multa apud eum viuũt quæ non sunt animalia, vt herbæ, frutrices, plantæ. Quo factum vt ei ipsi θεῷ quem dixerat animal sempiternum, actutùm subiecerit vitam & æuum continuum, & sempiternum, & hoc esse θεὸν voluit quod autem de intellectu corpus æthereum agitante intelligi voluerit, quæ non multò pòst eodem subiecit libro verba satis indicant, affirmantia esse illum τῶν φαινομένων θειότατον, id est, apparentium diuinissimum. Et quanquàm postea videtur de vno Deo, & eius bonitate apertiùs loqui, vt etiam diximus in libro de Prouidentia, non defuerunt tamen qui ex omni decursu duodecimi libri primæ Philosophiæ, Deum alium non conuinci putârint ab

rint ab Aristotele, præterquam mentem illam primam, qua primum rotatur cœlum: Quod apertè scribit egregius Philosophus & Theologus Ioannes Baccon Carmelita in primo Sententiarum commentario, distinctione vigesima prima: eam verò mentem infinitæ perfectionis apud Aristotelem haberi, probatum nõ esse, & suo ipsemet ingenio Baccon, & ingenio horum doctorum authoritate decernit. Sic Herueus acutissimo Theologus ingenio in secundo, in Sententias commentario, distinctione quartadecima & scribit, & probat Aristotelem in xij. Metaphysicæ dum de primo motore qui sit actus purus, loquitur, nõ loqui de omnino primo quem vocamus Deum, sed de toto genere motorum separatorum: eiusq; opinionem de separatis substantijs fideli veritati tripliciter repugnare contendit, & cœlum ipsum à Deo iuxta Aristotelis & etiam Auerrois opinionem executione non moueri: Petrus Aureolus decernit, à quo tamen moueri multi existimârunt: Certè Philoponus Græcus author in tertio de Anima commentario, intellectum dicit apud Aristotelem esse eum, qui inerrabilem vertit sphæram, & quem ipse nuncupat Creatorem, sed Platoni omnino non videri Deum esse intellectum, neque item pijs dogmatibus id esse consonum asseuerat, quoniam Deus super intellectum est, vnde prouidentia quæ dicitur Græcè πρόνοια nominatur, inquit ὡς πρὸ τοῦ νοῦ ὤν, tanquàm supra intellectum sit. Scio tamen alios contrà putare, & rationes afferre, scio & illis etiam posse responderi: Nec etiam me latet octauo Physicorum illud annotatum, Dei nomine quod ex cœlo & intellectu componi dicitur, appellari, & in topicis diuidi animal per sensile & intellectile: Vt sileam quid etiam primo de Anima scripserit, quod ad rem hanc posset pertinere: Nam & quinto libro cùm de Definitione disputabitur, & sexto cùm de Metaphysicis agetur, hac de re etiam differemus. Ad hunc enim locum non pertinet propriè vt isthæc controuersia discutiatur, & quid alij pro eo, quid contra eum attulerint recenseamus, quandoquidem in præsentia curamus, vt ex verbis Aristoteleis potiùs quàm ex aliorum, malè de religione sanxisse illum condoceamus.

Cæterùm in libro de Mundo ad Alexandrum in ætherio corpore Platoni aduersans collocauit Deum, qua de re taxauit illum martyr Iustinus, taxauit item Athenagoras philosophus in oratione, quam habuit pro Christianis ad Marcum Imperatorem & Commodum, atq; ostendit apertè Deum ab Aristotele existimatum esse animal ex anima, & corpore constitutum. Sic & Galenus in libro de Historia Physica putauisse censet Aristotelem, Dei quoq; vi animalis mentionem fecit primo libro de Anima, vt etiam Simplicius apertè testatur. Sed hac de re vltimo huius Operis volumine latiùs, tantum sit ad præsens admonuisse in Aristotele non fuisse Dei scientiam, ac per hoc, teste sapientia, vanitatis nomine culpandum, nec eius in scriptis contineri religionem, sed superstitionem: Quod cùm ex ijs quæ narrauimus, latè pateat, accuratiùs nihilominus si voluerimus sextum, & septimum Politicorum percurrere deprehendemus, vbi Deis & templa, & sacerdotes instituit, & honorandos ipsos præcepit deos à ciuibus, & iussit per regiones distribuit sacella non dijs solùm, sed heroibus, ac alia complura quæ in nostro de Prouidentia libro scripsimus, cùm & ab impietate ipsum defenderemus, & diuinum cultum, & Prouidentiam per eius scripta posteris tradidisse doceremus, non syncerè tamen illum quidem, & religiosè: sed superstitiosè prorsus more Gentium reliquarum, qui & oraculis quoque dæmonum accedebat, & aliquas quæ præter naturam videbantur, causas in ipsorum vaticinia tanquàm diuina reduci assentiebatur: Hinc illud in tertio de natura Animaliũ, quod Caper in Lemno & eius mascula proles lac emitteret dum mulgeretur tanta copia, vt inde προφαλίδας colostra vertit Theodorus Gaza, conficerent, ea enim vti σημεῖα, id est, signa, ostenta vertit Theodorus, haberi existimauit, & referri accepta vaticinio, Deus, inquit, consulenti responderat, futurorum vt polleret incremento pecul ij. Quare qui colunt Aristotelem, colere se Idololatram cognoscant hominem, qui tàm benè sit philosophatus, vt si martyri & philosopho Iustino eo in opere quod è Græco vertimus in Latinum. Si Procopio historico quarto in libro, dum de Euripi natura disserit, stare voluerimus, animi mœrore, quia, scilicet, causam ipsius Euripi non potuerit agnoscere, decesserit è vita. Gregorius etiam Nazianzenus apud Græcos cognomento Theologus, primo contra Iulianum Imperatorem libro cùm scripsisset cum Homero malè esse actum ob ignorationem problematis Arcadici, mox Aristotelis

telis philosophiam paruipendit, in Euripi varietatibus & permutationibus, in quibus & obijsse subintulit per hæc verba: καὶ τὴν ἀριστοτέλους φιλοσοφίαν καὶ προσεδρείαν ἐπὶ ταῖς τοῦ εὐρίπου μεταβολαῖς ὑφ᾽ ὧν τεθνήκασι. Ipsius autem Theologi Græcus interpres, & earum quas citat historiarum declarator, affirmat Aristotelem cùm naturam Euripi Chalcidici, id est, pelagi eius quod septies in die mirabili modo conuertitur, deprehendere non potuisset, se ipsum in ea maris parte præcipitasse, hoc ipsum resonans ἐπειδὴ ἀριστοτέλης οὐχ εἷλε τὸν εὔριπον, εὔριπος ἐχέτω τὸν ἀριστοτέλην, hoc est, postquàm Aristoteles non prehendit Euripum, Euripus habeat Aristotelem, & subnexuit καὶ τέθνηκεν οὕτως, & ita mortuus est. Nihil autem magistro assensus est Socrati, qui si Xenophonti adhibemus fidem, huiuscemodi occulta perquiri vetuit, cui etiam assensus videtur ille siue Poëta, siue Historicus qui cecinit:

Tum quæcunq; mouet tàm crebros causa meatus,
Vt superi voluêre, latet—.

Alij alia de obitu ipsius, quos inter Eumelus historicus prodidit, quod & apud Suidam quoque legitur, Aristotelem aconito sumpto, sibi ipsi manus intulisse. Num præclarus hic finis vitæ philosophicæ? Sanè finis (vt videtur) principio respondens: nam si dæmonis instinctu se peremit, & habuit huius vitæ finem, certè & iussu dæmonis habuit initium vitæ Physicæ, vt ei commodissimè illud Aeoli possit aptari κακῆς ἀρχῆς γίνεται τέλος κακὸν, mali principij, finis malus. Cognoscant, inquam, quem colunt, vt memores sint Apostolici præcepti, & caueant ne per inanem Philosophiam decipiantur.

Prima igitur hæc vanitas, quoniam & malum fuit initium, finis quoque malus, non vitæ solùm, sed ipsius doctrinæ, quæ ad bonum finem syncerè non ducit, & intermedium quod docuit finis acquirendi non religio est, sed superstitio. Secundam vanitatem monstrabimus, quoniam & si certa essent eius literarum monumenta, quæ ducentur in controuersiam, in eis tamen pollicetur certa, nec stat promissis, incerta videlicet & ambigua comminiscens, idque authoritatibus compluribus, & rationibus confirmatum iri volumus. Falsitatem quoque veritatis loco tradidisse, docebimus, quando & plures, & inexpiabiles commisit errores, quæ omnia suo ordine horum decursu librorum patebunt. Sed primum omnium explicandum puto, vnde illi tanta nunc ferè apud omnes authoritas extiterit. Subinde illius opera monstrabo ambigua, & plerisque in omnibus apocrypha, quam ob rem instar belli procedemus. Nam vti in re militari fieri solet, velitaris pugna committitur, priusquàm consertum ineatur prælium, & leuis armaturæ milites phalangem præcurrunt: Ita ad præsens hoc in literario bello si fecerimus, videri poterit neque inconcinnè factum, neque alienum ab instituto. Excogitauimus itaq; operæprecium fore, vt nimijs cultoribus Aristotelis, qui parum sunt alienis in libris, nihil omnino in Græcis versati, monstretur & principium, & ordo supremæ Aristoteleæ authoritatis, vt mox discant, quàm nesciant adhuc, quid sit quod profiteantur. Atque illud vti sciant, nescire tamen quid rei verus vsus, aut quorsum tandem negocium sit processurum. Quapropter vbi docuerimus non tantæ prioribus sæculis fuisse quantæ nunc est æstimationis Aristotelem, subinde aperiemus incertos esse ipsius libros, qui maximo habeantur in precio, hoc est, non constare adhuc, an vllum habeamus librum ab eo compositum. Quod & si concedatur, non liquere tamen aliquid esse eis in libris quod illi possit extra controuersiam attribui. Inde ad doctrinam ipsam etiamsi eius sit, & habeatur legitima, non suppostitia & notha, infirmandam sumus progressuri, auctoritate sectatorum, scribendi modo, bello expositorum perpetuo, Christianorum Theologorum magni nominis iudicio, errorum pernicie, sensus fallacia, eius demùm ipsius testimonio. Quæ vbi primo libro tanquàm generatim explicata fuerint, atq; ijs etiam aliqua erit in parte satisfactum, qui non sunt Aristoteleis in libris doctrinaq; versati, nec potentes satis, fortiores comprehendere rationes, vbi, inquam, primo libro hæc peracta fuerint, Secundo pressiùs rem vrgebimus, & multis vijs demonstrandi, & sciendi artem ab eo traditam minus certam, aperiemus: In tertio verò, multorum eius errorum caterua subsignabitur, vt commoniti demùm hac triplici vanitate, doctrinam omni fultam veritate & quæramus auidiùs & ardentiùs excolamus.

CAP. II.

VNDENAM TANTA ARISTOTELI NOSTRIS TEMporibus authoritas tributa, vbi de vario Philoſophandi ſtudio per diuerſa tempora, deq́; diuerſis inſtitutis, Ioannis Pici atque ipſius authoris.

PRimùm autem declarari oportere arbitror, vndénam tanta illi facta fuerit authoritatis acceſſio, vt aliquot ſeculis Philoſophus appellatus per excellentiam ſit, & ſolus dignus habitus, cuius verſarētur volumina, cùm nihilominus aliarum ſectarum principes olim clari fuiſſent & cōſectaneorum multitudine, oppidò quàm honeſtati: nec defuerunt etiam ex ipſius ſectatoribus qui aliquibus in rebus reprehendere illum ipſum non ſint veriti, quod manifeſtum eſt apud Themiſtium, conantem & à Theophraſti, & ab Andronici impugnationibus defendere Ariſtotelem, atque apud Philopponum & Simplicium id ipſum plæriſque in rebus licet animaduertere. Mihi certè multa cogitanti & verſanti plurima, nihil in cauſa videtur fuiſſe magis quàm ignoratio, & Arabum Maurorumq́ue quorundam ruditas, & inculta barbaries, qui in id impegerint, quod in primo de Generatione libro vitandum ſubinnuit Ariſtoteles ipſe, eos cauſatur, qui id pauca reſpicientes enunciant, atque, vt ipſe ſuiſmet verbis loquitur, facilè πρὸς ὀλίγα ἀποβλέψαντες ἀποφαίνονται ῥᾷον. Nam quàm diu ſteterunt Athenæ, ſtetit in Academia Platonica ſecta, eademque multiplex, ſteterunt & in ſua porticu Stoici, viguit & Ephectica inſtitutio, & aliæ Philoſophorum familiæ floruerunt. Sic & quàm diu Romanum ſuo in robore manſit Imperium, in vrbe Roma Plato multùm excultus, Stoici magnopere celebrati ſunt, Pyrrhonij plurimùm potuerunt, Fidem faciunt Ciceronis & aliorum boni nominis authorum monumenta. Ipſe etenim Cicero nouos magis coluit Academicos & Platonem ſemper excepit, magis coluit & Stoicos, & quanquàm Ariſtotelem & ſectatores ſæpenumerò laudat, legimus illa tamen eius aduerſus Lucullum: Si mihi cum Peripatetico res eſſet, qui percipi poſſe diceret quod impreſſum eſſet è vero, neque adhiberet illam magnam acceſſionem, quomodo imprimi non poſſet à falſò, cum ſimplici homine ſimpliciter agerem. Teſtantur idipſum & aliorum lucubrationes Philoſophorum, quæ noſtra etiam extant ætate, apud quas Platonis & Stoicorum ſæpiùs mentio, quàm Ariſtotelis, cuius nihilominus bibliothecam deuictis Athenis Romam Cornelius Sylla deuexerat. An quæſo poſt Syllam, poſt Auguſtum etiam non fuêre, qui Romæ non modò Platonica, ſed Sceptica, Pythagorea, Stoica, magno ſtudio coluerint? Num tempeſtate Neronis magnos fecit progreſſus in Stoicis Epictetus apud Græcos, apud Latinos Seneca, & poſtea philoſophus Arrianus Epicteti non ſolùm confecit Enchyridion, ſed Stoicam ipſius doctrinam quatuor libris enarrauit: Nónne Marcus, & philoſophus, & Imperator Stoicus fuit, & Stoica Græcè ſcripſit, quæ ipſe perlegi? Num eius Commodique filij temporibus multa ſcripſit, quæ & adhuc extant monumenta, Sextus Pyrrhonius de rebus Scepticis, multis poſt Ariſtotelem ſeculis natus, magno apud Marcum ipſum quanquàm Stoicum in honore? An & Hierocles Pythagoræis interpretandis operam impendit? Numenius quoque Pythagorea excoluit, & Iamblichus de ipſa Pythagoræ ſecta, quatuor libros doctiſſimè ſcripſit: Ille, inquam, Iamblichus & Ariſtotelis, & Platonis interpres, qui magno eſt apud Peripateticos, & præcipuè apud Simplicium in precio, maximo autem apud Platonicos, à quibus & diuini cognomentum impetrauit, quæ omnia monumenta ab iniuria temporum vindicata ſunt, patentq́ue quantum in ipſis eſt, omnibus qui Græcè ſciunt, vt mittam qui Platonem ſequi maluerunt & præponendum putârunt Ariſtoteli. Vnde quæſo illa Procli, Hermiæ, & aliorum multorum, florente iam in Italia Peripateticorum gloria in Platonis dialogos egregia monumenta? vnde Plotini tot de Platonicis Eneades, in quibus etiam ſæpenumerò arguitur Ariſtoteles. Vnde Alcinoi epitoma, Albini introductio ad ipſa Platonica perdiſcenda, etiam poſtquam Ariſtotelis fama percelebris fuit omni in regione Latina? Vnde Attici Platonici in Ariſtotelem multis in rebus, & multæ & magnæ reprehenſiones? quarum etiam partem in libris ſequentibus ſubſignabimus. Alexander autem Aphrodiſiæus magnam authoritatem arrogauit Ariſtoteli.

At quantum Alexander ei tribuit gloriç, tantum fortè detraxit eius vir sæculi Galenus medicus, eum in plærisque taxans. Nam hic ipse Pertinacis, & antè paululùm tempestate floruit: Seuero autem Pertinaci, & Antonino filio de fato librum Aphrodisiæus inscripsit, post quem multi ex Platonica secta floruêre Aristotelis impugnatores. Scribit Augustinus in tertio Academico, sua ætate Philosophos non ferè visos, nisi aut Cynicos, aut Peripateticos, aut Platonicos: & Cynicos quidem, quia eos vitæ quædam delectat libertas, atque licentia. Postremò Seuerinus Boëtius Italia iam Gotthorum in potestatem redacta Aristotelem interpretatus, Platonis etiam studiosus fuit, quem tamen Aristoteli præponebant Augustinus ex Latinis, ex Græcis multi nostræ religionis Antistites.

Postquàm verò Athenis omnino corruit humanæ domicilium sapientiæ, & Româ in prædam barbaris sæpenumerò data est, migrârunt ad Arabas, Mauros, & Hispanos eos, qui Arabum lingua vtebantur, Græci aliquot Philosophorum libri, & Aristotelis maximè, sed Latina lingua non immigrauit, quo factum vt multa Aristotelis volumina conuersa sint ex Græco in linguam Maurorum, quibus & Alpharabius & Auerrois, & alij complures philosophati sint, atque etiam ipse Auicenna, quanquàm Platoni multùm videtur addictus, siue quòd aliquos Platonis libros nactus sit, siue quòd opinionibus Platonicis, quæ apud Aristotelem sunt receptis, eas excoluerit: in nonnullis etiam aduersatus Aristoteli. Arabes itaque huiuscemodi vel reliquis priuati Philosophorum libris, præterquàm Aristoteleis, quanquàm & quæ citauimus extabant, & alia prætereà multò illis antiquiora, quorum etiam nostra ætate copia non deest, vt Architæ Pythagoræi, plæraque & de Dialecticis, & de Sapientia volumina, vt Timæi Locrensis eiusdem sectæ viri de Natura, vt Ocelli Leucani de mundo, & alia quæ recensere longum esset Socraticorum etiam Platonis æqualium monumenta, vti Cebetis, atque Xenocratis: Reliquis, inquam, vel priuati libris, vel malè persuasi solum esse Aristotelem qui veritatis lucem, de tenebris eruerit, nihil aliud curauerũt, nihil potiùs habuerunt, quàm vt omnem vim ingenij in ipso intelligendo & interpretando, passis (vt aiunt) velis effunderent. In Hispania verò cùm regnaret Alphonsus literarum, & præsertim Mathematicæ disciplinæ studijs oblectatus, Mauris adhuc Bœthicam tenentibus, quam nostra memoria Ferdinandus & Helisabella Reges Hispaniæ diuturno bello ab eorum manibus vendicârunt, facile fuit vti ob viciniam, & populorum frequens commercium, importarentur in Hispaniam citeriorem, Arabum Maurorumque lingua conscripti Auerrois, & Auicennæ libri, ijque in Latinum sermonem verterentur. Sic & florente iam in Lutetia Parisiorum Philosophiæ studio, ex Hispania in Gallias libri ipsi deuecti sunt, & ibi quoque nonnulli transferri potuerunt, sicut & anteà sub magno Carolo Dionysij opera, Ioannes Scotus monachus interpretatus est. Nec Hebræi quoque huiusce Aristotelei dogmatis ab eius librorum translationem exortes: Vetus enim testamentum ex Philosophia exponere tentauerunt, primusq; id curauit Moses Aegyptius, Aristotelis etiam magna ex parte sectator, proptereaque in varias reprehensiones incurrit, maximeque illum in opere quod Lucerna dicitur, Rabi Hasdai vexauit, Aristoteleç doctrinç acerrimus impugnator, cuius opere procedente mentionem faciemus, ille autem Moses sub Auerrois tempore philosophatus est. Qui quidem Auerroës cùm ei, tùm alijs multis imposuit, cùm monumentis literarum retulit, mille & quingentos præterijsse annos ex quo scripsisset Aristoteles, nec vllum in eius libris alicuius momenti errorem inuentum fuisse. Dignus certè cui crederetur si alijs in rebus verax, si non Mahometi discipulus extitisset, qui cùm sua perfidia, tùm & hæretici Sergij & Iudæi cuiusdã vanis dogmatibus assensus, multa delira, multa impia, in suam legem sine vlla lege dispersit. Vnde id quæso vos Auerroistæ didicit vester Auerrois? ne quòd enim tot sæcula vixit, vt omnibus cum hominibus diuersari potuerit & de philosophia disserere. Sed esto Nestoreos annos vixerit, adiectis etiam tribus cornicis ætatibus, vnde, inquam, illud didicit? quo pacto negatricem illam propositionẽ, non esse videlicet vllum inuentum errorem, probare potuit? an omnes legit Aristotelis interpretes? an cũ omnibus hominibus qui Aristotelem perlegerunt, locutus est? hoc sanè si dixeritis, vobis ipsis fidẽ ex tàm insigni mẽdacio alijs omnibus in rebus estis ademptúri: Illud autẽ potiùs vos dicturos arbitror, sed videte quàm falsò: Nam aut legit Theophrasti, Andronici, Philoponi,

loponi, Simplicij discipulorum videlicet & interpretum Aristotelis monumenta, qui quidem Aristotelis ipsius errores detexêre nõ paucos, aut minimé? Si legit & non aduertit, ipsum eximiæ ruditatis nomine culpatis. At si aduertit & errores nõ esse, quos illi errores affirmant aut non ostendit, aut non extra controuersiam defendit, omnino mentitus est, quam notam quomodo effugiat nescio, quoniam aliter etiam de Iride à socio suo compertam, quam sanxerat, Aristoteles ipsemet fatetur, sed hac de re quinto libro.

Certè vana hæc opinio de Aristotelis doctrinæ veritate multum incrementi traxit ab Auerroë: nam nostri qui ex Italia in Gallias iuêre philosophatum, magno in pretio habuêre Auerrois commentaria in Aristotelem: tametsi nonnulli ea ipsa deprehenderint à vero abhorrentia, idque ex Italis aliqui, & ex alijs nationibus, vnde & Ioannes Scotus corruptam Auerrois expositionem aduertit, & maximè in secundo, in Sententias commentario, ex ea non trahi Aristotelis sensa perscripsit. Verùm plurimi non solùm Aristotelem malè translatum, sed Auerrois etiam malè fida commentaria tanquàm magnæ æstimationis mercem, tametsi parum synceram, hoc est, non nitidam, sed barbaram & malè translatam, in patriam duxerunt, & vt erant ingenio præclari & acuti multa disquisiuerunt in Aristotele & Auerroë, qui ipsi fortè nunquam cogitauerunt: hinc Aristoteli magnum illud apud omnes literatos nomen, magna gloria persuasit Italiam, nec Gallias, nec Hispanias dereliquit. Neque sanè mirum si magnus omni procul dubio vir in literis multaq; doctrina Aristoteles, cura & diligentia interpretum, & laudatorum maior omnino, & celebrior quàm par est, fieri facilè potuerit, quando & qui mediocris etiam doctrinæ compotes iure habendi essent, partium studio & præcellentium ingenio virorum in sublime adeò tolli quirent, vt ei aut æquari gloria possent, aut præferri, si ad id patrandum laudatores anniterentur. Nihil enim tàm abiectum, quod non queat haberi in pretio, si eorum qui literas callent consensus accesserit, nihil tàm elatum quòd eodem consensu facilè non deprimatur: & de Aristotelis antiqua æstimatione hactenus, & de ea quæ ad nostram etiam ætatem propagata est, quanquàm sub Eugenio & Nicolao Pontifice, Georgius Gemistus & Bessarion Cardinalis Nicenus Platonica excoluêre, & Bessarion libros etiam edidit in eius defensionem Latina lingua compositos. Gemistus verò qui etiam Plethon dicitur, Græcè scripsit nonnulla Platonis, & Aristotelis dogmata conferens, & inter conferendum aduersus Aristotelem. Nicolaus etiam Cusa eisdem temporibus Platoni satis addictus, Marsilius Ficinus Florentinus eundem Platonem in Latinum conuertit, & multis argumentis, & commentarijs aperuit. Alij nihilominus Platone posthabito hæserunt Aristoteli, existimantes illum nostræ minus dissonare religioni, hac fortasse freti ratione, quòd ijs qui à fide in communi sumpta non diuelluntur, minus possit obesse Aristoteles quàm Plato, qui multis superstitionibus, fide neutiquam, abacta fide inquam non propriè & exactè, sed in communi desumpta præbere aditum faciliùs possit, quàm Aristoteles, qui rationibus non fide soleat plurimum & ferè semper inniti. Ioannes Picus Galeotti patris frater quod primo dixi libro vtranque se conciliaturum Philosophiam, Platonis Aristotelisque receperat, ac ni morte præuentus fuisset, facilè (vt arbitror) eius rei desiderium posteris non reliquisset, tanta erat illius ingenij vis atque dexteritas, tanta doctrina. Ego verò, vt quæ primo etiam sunt volumine indicata, repetam, non conciliare, sed infirmare vniuersam Gentium doctrinam tentaui libris superioribus, his autem qui sequuntur Aristoteleam, vt maius inde studium Sacris literis possimus impartiri exemplo veterum Theologorum, vt earum quoque veritas literarum, humana sapientia de summo, quod arripere gestiebat fastigio, iam deturbata, magis, magisque resplendeat. Vti enim mihi nunc liceat Augustini verbis, quibus ipse vtitur aduersus Academicos: Vna verissimæ Philosophiæ disciplina: non enim est ista huius mundi philosophia quam sacra nostra meritissimè detestantur, sed alterius intelligibilis: cui animas multiformibus errorum tenebris cæcatas, & altissimis à corpore sordibus oblitas, nunquàm ista ratio subtilissima reuocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia diuini intellectus authoritatem vsque ad ipsum corpus humanum declinaret atque submitteret, cujus non solùm præceptis, sed etiam factis excitatæ animæ redire in semetipsas, & respicere patriam, sine disputationum concertatione potuissent.

Hæc

Hæc Auguſtinus : Tantùm abfuit vt in Ariſtotele perlegendo vitam conſumendam exiſtimaret, quando & quos illi præponebat, & vniuerſam humanam philoſophiam poſthaberet. Sunt & ad hanc diem nonnulli qui aperire oculos incipiant, & ad meliora pergendum arbitrentur : Nec exiſtiment Ariſtotelem tanti eſſe faciendum, quanti ſolebat, cuius iam doctrinam decem vijs in vniuerſum adusque libri huius finem monſtrabimus incertam, ſequentibus verò particulariter efficaciterq; magis multis cùm rationibus, tùm etiam authoritatibus atq; exemplis, & incertã, & falſam.

CAP. III.

QVOD INCERTA EST ARISTOTELIS DOCTRINA, ex ſententijs multorum Philoſophorum, qui ſectarum principes extitêre.



T ſanè apud eos, qui rerum antiquarum notitiam per literas hauſiſſent, prima hæc via mihi percurrenda non fuiſſet, nec tantum laboris vt ea alijs quaſi per inhoſpitam regionem deerrantibus oſtenderem, fuiſſet omnino inſumendum : Nam plures contra Ariſtotelem quàm ab Ariſtotele ſteterunt, nec certam eius doctrinam arbitrati ſunt. Quod autem nunc aliter exiſtimetur, atque ob id illum maior defendat numerus, iunctæque vmbone phalanges, minimè mirum, paucis enim rectum obtigit iudicium, nec quod pluribus placet, ipſomet Ariſtotele authore, id propterea verum aut eſt, aut deberi: ſcribit enim multa eſſe falſa quibuſdam veris probabiliora, hoc eſt, multitudini accepta magis & grata. Nec non eius quoque ipſius illa ſententia eſt, loquendum vt plures, ſentiendum vt pauciores : quaſi tacitè doceret, iudicium literarum atque doctrinæ ad paucos pertinere, quare, eo ipſo teſte, poſſumus antiquis illis aſſentiri, quorum pauci qui aduerſus ipſum ſteterunt maioris duci quoad pertinet ad ferendam de rebus Philoſophiæ ſententiam debent, quàm aliorum qui nunc viuunt multæ myriades. Quòd ſi quiſpiam aſſeruerit fuiſſe Ariſtotelem ſemper Gentium conſenſu ſummo in pretio, atque Alexandrum eius diſcipulum, qui & Gentium victor fuerit, & totius Græciæ (ita dixerim) perterrefactor : ducant in medium, cuius poteſtate factus ſit princeps Philoſophorum, is quàm longè fallatur, poterit ex multis aduertere. Xenocrates in veteri Academia celeberrimus, & princeps habitus, magno tamen fuit in honore: Pyrrhonis multum potuit inſtituto : Charus etiam Alexandro Xenocrates, adeò vt ab eo multis ſit donatus talentis, quinquaginta ea fuiſſe numero, etiam Themiſtius refert eo in opere cui titulus Philoſophus, vel Indicator, ſiue Tortor, Græcè ita, φιλόσοφος, ἢ βασανιστὴς inſcribitur, quæ tamen talenta præter paruam nummorum quantitatem, ob eximiam ſeueritatem, animique conſtantiam, remiſit regi, vt alij prodidêre. Pyrrhon autem vel princeps, vel magnus certè dux & author Scepticæ facultatis ab Alexandro decem millibus aureis auctus, qui nihilominus Ariſtotelis doctrinæ fuerunt aduerſi. In quem poſtea inſurrexerunt plærique magni nominis viri. Taceo Eubulidem Mileſium, & Epicurum, qui Ariſtotelem contumelioſiſſimè vexauit, & Ceciſodori quoque in eum libros tranſeo, & aliorum quorum & Euſebius in decimoquinto, & ante illum in ſeptimo de Philoſophia Peripateticus Ariſtocles meminêre: Carneadem dico, Clitomachum, & ante illos Archeſilam, mediæ & nouæ principes Academiæ, Plutarchus etiam taxauit Ariſtotelem, vt ſileam magnas Stoicorum cateruas, quæ illi bellicum cecinêre. Sed ei proprius indixêre bellum Platonis aſſeclæ, inter quos Plotinus poſt Ariſtotelem circiter quingentos annos, eum multis vexauit in locis : Sceptici verò prorſus in omnibus. Nec exiſtimetur etiam id factum vitiligandi cupidine, quando Alexandri potentia & gloria dum illi Ariſtoteles præceptor aſſiſteret, obſtabat, adeò inuidiæ, vt palàm auſi non fuiſſent Philoſophi cæteri, niſi magna cum ratione contradicere. Idque ex eo deprehendi faciliùs datur, quòd dum viueret Plato, contradixiſſe ei Ariſtotelem negat Philoponus, cùm ob alia, tùm quod affines ei erant, & propinqui Platonis Chabrias & Timotheus, eo tempore magni in Athenienſium Republica duces : quãtò igitur magis ipſe Macedo pari in cauſa poterat, qui tũ omnibus anteibat potentia, poterat, inquã, tueri

 Ariſtotelem,

Aristotelem, si eius æstimationem doctrinæ leuiter & iniuria cæteri Philosophi conuellendam procurassent. Qui quidem Macedo etiam si posteà quodam in Aristotelem odio motus dicitur, nihilominus quantum ad eius honorem doctrinamque pertinet, nihilominus immutatum imminutumque curauit, adeoque illa delectatus, vt eius ministerio multa hominum millia delegârit pro inuestiganda natura animalium, cuius pernoscendæ cupidissimus erat, eiusque rei meminit etiam Plinius in octauo de Naturali historia, posteaque octingentis eum talentis donauit, cùm libros edidit de historia Animalium, quod etiam proditur ab Athenæo: præterea Xenocrates moribus inter Philosophos probatissimis, & veritatis amator, si certa illi visa esset Aristotelis doctrina, aliam ipse & diuersam non inuexisset. Sed fuerit in causa vt Aristoteles vexaretur, dum ipse viueret, inuidia, at postquàm obijt? postquàm simultates & odia dies longa præscripsit? quid mouit Archesilam? Carneadem? Philonem? quid postea Plotinum? quid Plutarchum? quid Sextum? inuidia an veritas? quid Atticum mouit, vt eum compararet sepiæ? causam ipse reddidit, de anima ipsum dicit cùm dissereret, eam decreuisse mortalem, de intellectu verò dum disputaret, & ab anima abiungeret rem incompertam, reliquisse dubiam, & obscuritate inuoluisse, vt sepia, sibine capiatur consulens atramento? Inuidia hæc an veritas? Sed si alterum in causa, sit etiam vtrunque si malint, vtcunque scripserint, vndecunque moti ad scribendum fuerint, certè scripserunt, & Aristotelis doctrinam pro viribus abiecerunt. Dicent examinandam causam rationibus, authoritate remota, hoc ipsum non displicet, do illis etiam aliquid amplius, sumatur & prætendatur ipsius Aristotelis dogma hoc, probabile id esse, quod vel omnibus, vel pluribus, vel sapientioribus videtur: hoc posito constitutoque, num illicò probabilis, non autem certa iudicabitur Aristotelis philosophia? quam, scilicet, vel sapientiores, vel plures impugnant. Impugnatur enim ab omnibus Philosophorum sectis, præterquam ab ea, quæ est ipsiusmet, & ab eodem nuncupatur Peripatetica, nec etiam ab ea consensu publico recipitur, sed plærunque illum taxant eius ipsius interpretes, quod suo loco manifestum fiet. Quod si quæramus in antiquis authoritatem plures maiorisque momenti in eum quàm ab eo stare comperies. Quære alium Plotinum, alium Carneadem, alium Chrysippum: quòd si Aphrodisiæum, & Hammonium, & Simplicium opponas, qui ab Aristotele stent, & secundùm eum dent litem, suspectos testes affers, ex ipsa Aristotelis familia, quantò magis iudicium illis non competet? Eoque etiam magis, quod ex eadem familia testes testibus aduersos, in albo prætoris scriptos offendemus. At si dignitatem quæras, omnes philosophi, & si Aristoteles suæ ipsius, certè & alij suarum quoque sectarum principes extitêre. Si multitudinem consectaneorum spectes, nunc ipse pluribus abundat, olim paucioribus, & in futurum fortasse paucissimis, quando multi iam contra ipsum insurrexerunt Platonis asseclæ, & fortè alij exstabunt qui mecum sentient, & mecum dicent, nec in eo, nec in alijs Gentium philosophis solidam synceramque veritatem, quemadmodum vulgus etiam literatorum existimat, reperiri. Quare & ab ijs qui simul cum eo vixêre Philosophis, & ab ijs qui posterioribus etiam sæculis floruêre, non est habita certa Philosophi Aristotelis doctrina, vt plæriq; putauerunt.

CAP. IIII.

PROBATVR MVLTIPLICITER INCERTVM ESSE an vllum habeamus librum, cuius exemplaria fuerint ab Aristotele composita.



Lia sese nobis ostentat via, & ea quidem bifida, originem ducens ex ambiguitate legitimæ doctrinæ. Nam & in vniuersum generatimq; & particulatim dubitauêre plærique, generatim dico an constaret Aristotelis sectatoribus vllúmne haberent librum Aristoteleum verè atq; legitimè? Particulatim verò an eis in libris quicquã syncerum & incorruptũ contineretur? de hoc postea, nũc de libris in vniuersum agendũ est. Peripatetici Philosophi, & etiã Platonici qui Aristotelem Græca lingua sunt interpretati, super vno quoq; eius libro

libro quęstionem habent: Num ipse quem exponendum adsumunt, sit legitimus Aristotelis liber an suppostititius & nothus? sic Hammonius, sic Magentenus, sic Philoponus, sic Simplicius, sic etiã Olympiodorus vt cæteros taceam consueuêre. Nec nunc Aristotelis librũ ab Aristotele possessum, & qui olim in eius bonis fuerit intelligo, nec sophisticè loquor, nixus amphibologia, sed librum, qui ab exemplaribus Aristotelis proprijs, ab eoque compositis editisve, deductus vnquàm fuerit. Dubitationi huic, & incertæ sententiæ dedit occasionem varietas Aristotelicos libros tractandi, & in ordinem redigendi. Neque enim conueniunt authores adeò vt vna hæc habeatur semita comperiendi, nesciri adhuc an vllum habeamus librum compositum ab Aristotele? Sed & aliæ sunt, quæ paulò pòst apparebunt. Laërtius dissentit ab ijs qui anteà scripserunt ipsius vitam Philosophis. Posteriores & ab eo, & ab alijs euariant, & quantum pertinet ad Logicam facultatem, olim hac de re multa narrauimus, quæ vt hîc quoquomodo recenseamus, locus ipse videtur admonere. Scribit itaque ipse Laërtius & ducit in medium de Dialecticis monumentis opera, quæ non habentur hoc sæculo, & multa tacet, eorumque nihil meminit, quæ apud nos sunt, & iugiter versantur in manibus: Nam diuisionum Sophisticarum volumina quatuor, & libri de Contrarijs neutiquàm apud nos habentur. Nec item nouimus Methodicum volumen, nec ea quæ de Interrogatione, & responsione, nec volumen de Prouerbijs, nec quæ de Propositionibus contentiosis, & Syllogismis composuit. Minus autem nota sunt quæ de Generibus edidit & speciebus. Quæ quidem plærisque ante nos sæculis fuisse ignota, satis aperit Porphyrius, qui de Generibus & Speciebus, & Proprijs, vt Prædicamentorum Aristotelis liber posset intelligi, nonnulla præcepit. Ipse verò quem habemus pro Aristotelico prædicamentorum liber an eius ipsius sit, quanta lis? Alij dixerunt Architæ fuisse Pythagoræi, sed alius est Archytæ, qui & nunc extat liber Prædicamentorum Cathegoriarúmve, Dorica lingua scriptus: Alij Aristotelici cuiusdam Archytæ dixerunt esse, alij contrá. Nec non incertus ne is Aristotelis haberi deberet liber an legitimus effecit Adrastus Aphrodisiæus, qui duos ostentari solere pro Aristoteleis prædicamentorum libros memoriæ prodidit. Auxit quæstionis materiam Philosophus Hammonius, in Philadelphi bibliotheca duos prædicamentorum libros inuentos asseuerans, cùm tamen vnus duntaxat ab Aristotele scriptus perhibeatur. Ad hæc nouem priorum Analyticorum libros Laërtius citat, habemus duos. Sic & de Philosophicis libris varia quæstio, deque Metaphysicis, cùm alij alios afferant, & titulos eorum, & materias: nam octo apud nos Physicorum circumferuntur, duodecim Metaphysicorum apud multos, apud aliquos etiam quatuordecim, quanquàm & plura etiam perhibentur esse ipsius Aristotelis: De cœlo quatuor, de Generatione duo, de Anima tres, & alij prætereà alijs de rebus libelli circumferri adhuc solent. At apud Laërtium de Motu vnus, de Elementis tres, & Naturalium secundùm elementa triginta octo, de Philosophia tres, de Anima vnus duntaxat afferuntur. Prætereà vnum librum citat Quæstionum, de Anima, de Voluptate, de Nobilitate, quæ ignorantur. Simplicius quoque in digressione quadam in tertio de Anima commentario, antequàm exponat ad liquidum verba illa: de particula autem animæ qua cognoscit anima & prudens fit, dialogum Aristotelis de anima cui titulus Eudemus citat, & ducit in medium loco testimonij, quem tamen Dialogum qui viderit aut legerit, reperio neminem, quanquàm & Aristotelem in Eudemo citat etiam Themistius in tertio de Anima, citat & Fabius Quintilianus Aristotelis Gryllum, qui à nullo quod sciam temporibus nostris aut auditus, aut visus. Apud Athenæum quoque ex libro Aristotelis de Ebrietate testimonia citantur: & sæpè etiam Theophrasti liber eius tituli ducitur in medium loco testimonij: Nobis autem nostræq; ætati, quod sciam ignorantur huiuscemodi volumina, ignorantur & quatuordecim libri de Separatis substantijs, quos se vidisse testatur S. Thomas in libro contra Auerroëm de Vnitate intellectus, adeoq; res cõfunditur, vt nihil certi librorum eius possit deprehendi. Sed quia fortè Laërtio, & historicis demùm libris, minus fidei dixerint attribuendum, & soli fortè Simplicio non starent, & Thomæ, accedat ipse Aristoteles qui scriptos à se libros de Plantis refert in quinto de Natura animalium, quos libros non extare omnes nôrunt cultores Aristotelis, & si quæpiam quæ circumferuntur, legitima non habeantur: namque pro illis Theophrasti de

Plantis

Plantis libri passim leguntur. Quinquaginta ferè de animalibus libros scripsisse Aristotelem etiam Plinius retulit, in octauo de Naturali historia, decem autem & octo duntaxat habemus integros vt creditum est, nec non fragmentum de historia animalium, quod non vertit Theodorus in Latinum, arbitratus id inter libros non de historia, sed de generatione animalium si vspiam locari debeat annumerandum: & alios etiam nouimus de animalibus scripsisse ex Aristotelea familia, quibus libris titulus potuit Aristotelis pro vero legitimoq; præscribi.

Accedant & ipsius Aristotelis sectatores iuratissimi, quibus quatuor in vniuersum causæ produntur, cur libri Aristotelis haberi possint incerti. Prima est quod multi fuere qui diceretur Aristoteles, quare pro eo qui Stagirites fuit Nicomachi filius, Aristotelis diuersi titulus supponi potuit, octo siquidem viri eo nomine citantur à Laertio. Secunda (vt ab Hammonio proditur) tituli penuria, vnde alij aliam facilè inscriptionem præferre pro Aristotelea potuerunt. Contingit & ante paucos annos similis apud Minorum & Prædicatorum ordines quæstio, circumferebatur enim Psalmorum interpretatio sine titulo: Minores Alexandri ex Halis titulum præponebant, Prædicatores Vgonis nomine prætitulabant, & Venetijs agitata quæstio, hunc sortita est finem, Patriarchæ Antistitis iussu, vt sine titulo Venetijs imprimeretur. Imitatio quoque fuit in causa ne libri Aristotelis discernerentur, quandoquidem proditum est memoriæ & planè Peripateticis compertum, ab Eudemo, & Theophrasto, & Phenia, ad præceptoris Aristotelis imitationem libros de Prædicamentis, de Interpretatione, de Analyticis fuisse conscriptos. Et præter hæc obseruaui ego & de animalibus, & de alijs quæ Aristoteli solent accepta referri, copiosè disseruisse. Phænias enim Eressius sæpè apud Athæneum citatur in opere de Plantis, & in quinto maximè libro, atque apud eundem Theophrastus in tertiodecimo de Animalibus affertur etiam pro testimonio: Alexander item Mindius in secundo de Animalibus ducitur in medium: Scio quoque adhuc apud doctos extare controuersiam aliqua ex Aristotelicis, dogmata Aristoteli an Theophrasto debeant adiudicari, & maximè quæ primo libro Metaphysicorum continentur, & de Plantis, quæ adhuc extant ipsa volumina, obseruari etiam in Aristotelis consectaneis, incertos esse librorum titulos, inscribitur enim Hammonio declaratio libri Prædicamentorum ea, quæ nunc passim habetur, ijs qui Græcè sciunt nostræ tempestatis Philosophis, quam tamen vetusto in codice vidi inscriptam Ioanni Alexandro. Hermolaus Barbarus in transferendo Themystio Physicorum illud magnum longumq; Procœmium nihil dubitans Themistio adscribit, videturque optimè quadrare sequentibus. At ego idem procœmium ad verbum legi in Græco Simplicio, quare aut Simplicius Themistio posterior illud furto subduxit, quod nequaquam crediderim, quando tàm multas paginas ad verbum eadem in lingua sibi perperam vendicare, & imprudentis videtur Philosophi, & eius facilè potest patere iustæ obiurgationi, aut eadem propriè dixit, quod minus etiam consonat, vt in tàm longa serie sit eadem penitus rerum verborumque mensura, eadem membra, idem circuitus, eadem nomina: quod etiam miror in Hermolao, cuius interpretationis de anima pars non parua, ais, Thoma qui ducentis eum annis præcessit, refertur ad verbum in libro contra Auerroëm de Vnitate intellectus, aut quod vnius fuit, alteri est adscriptum, quod longè vero similius videtur. Si autem hoc in consectaneis accidit, quantò magis in principum libris, qui multa perpessi sunt, vti monstrabimus, quæ sectatorum volumina non pertulêre? Themistij philosophi quanquàm multis post Aristotelem seculis nati, vtpote qui sub Iuliano desertore floruerit, & Constantinopolis sub eo ὕπαρχος fuerit vt Suidas prodit, multa feruntur quæ nunc etiam vulgo patent. At nihil horum scripsisse illum prodit, sed de Anima libros septem, & librum vnum de Intentione, & de inscriptione Categoriarum, & Disputationes. Ego verò & præter ea quæ ipsius habentur opera, & præter hæc, quæ ex Suidæ collectaneis retulimus, legi librum eius Græcè, cuius titulus βασανιστὴς ἢ φιλόσοφος cuius testimonium superiori capite duximus in medium, & libros item ad Patrem.

Sed reuertamur ad Aristotelem, cuius libri vt corrumperentur & præmia fuerunt in causa. Proposita enim fuerunt à Philadelpho Ptolemæo Aegypti rege, præmia ijs qui libros ad sese Aristotelis attulissent, idque facilè credi potest curasse in primis Ptolemæum,

Ptolemæum, quãdo res acta eſt intermedio Demetrio Phalereo Peripatetico Theophraſti diſcipulo, cui bibliothecę libris infarciendæ cura demandata fuerat. Corruperunt autem regia munera voluminum Ariſtotelis integritatem adeò, vt quadraginta libros Analyticorum in ea reperti ſint ſub Ariſtotelis nomine, quamuis putet multitudo Philoſophorum non niſi quatuor ab eo conſcriptos & editos, tumque ſpe lucri multos regi præſentatos libros ſub Ariſtotelis nomine ipſe Hammonius eſt author. Quod ſi qui dicerent ſe phraſi legitimos à nothis libros poſſe diſcernere, libenter ab eis commodari mihi lapidem illum Lydium peterem, quo factum eſt diſcerniculum, vt in eis maximè de quibus Ariſtotelíſne eſſent, an Theophraſti diſquirebatur, periculum fieret, quoniam ſtylus omnino ſimilis, & figura dicendi, quid quod Ariſtotelea Ethica illa paſſim celebrata, quæ Nicomachia inſcribuntur, vt quæ Ariſtoteles ad filium miſerit, eiq; dicauerit non patris opus eſſe, ſed filij fuêre qui cenſuerint? argumento ſit illud, quod Laërtius in Eudoxo ita ſcribit: φησὶ δ' αὐτὸν Νικόμαχος τὴν ἡδονὴν λέγειν τὸ ἀγαθόν. Hoc eſt, inquit autem illum Nicomachus voluptatem dicere ipſum bonum. Notiſſimum verò eſt in opere ipſo Ethicorum eam opinionem Eudoxo tribui. Ciceronis quoque quinto de finibus bonorum, & malorum libro, cùm de Theophraſto quæpiam diſſeruiſſet, illa ſunt verba. Quare teneamus, Ariſtotelem & eius filium Nicomachum, cuius accuratè ſcripti de Moribus libri dicuntur, illi quidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius, hæc Cicero: quaſi tacitè modeſteq; condemnans eiuſcemodi Criticos, qui quoniam ſimiles Ariſtoteleis vel materia, vel ſtylo haberentur libri Nicomachi, propterea illos Ariſtotelis acceptos retuliſſent, nec probabilis illa quoque ratio deeſt ad perſuadendum libros non patris eſſe, ſed filij, quoniam octo libros de Moribus ad Eudemum Ariſtoteles, & duos alios ſcripſit, vt eiſdem prorſus de rebus plura illum opera eademque repetita non ſcripſiſſe ſit conſentaneum. Et hæc quidem in vniuerſum multiplex cauſa Peripateticis antiquis prodita libros omnes Ariſtotelis reddit incertos, ita vt nec etiã phraſi queant internoſci. Difficilè enim ex phraſi diſcernere libros eodem editos ſeculo à viris doctis, qui eodem ſcribendi genere delectantur, difficiliusq; cùm diſcipuli magiſtrorum inſcribendo ſtylum æmulari, & effingere magna cura contendunt: quid eodem ſeculo dixerim? quando etiam in diuerſo editis libris ſeculo, mira contingat hallucinatio, vnde ille à M. Varrone non modicus labor inſumptus, in diſcernendis Plauti comedijs, cùm ex ſimilitudine nominis, Plautianæ pro Plautinis, & diuerſorum quandoque poëtarum, ex ſtyli ſimilitudine Plautinæ cenſerentur omnes: & hæc quidem generalis cauſa.

Particularis illa magis, quæ librum Prædicamentorum eximit ab ordine, ſicuti & illa qua librum peri herminias ſuppoſititio titulo circunferri cenſuerunt multi freti authoritate, & iudicio Andronici Peripatetici, qui magni fuit in ea familia nominis, ipſe negauit apertiſſimè librum qui Ariſtoteli tribuitur peri hermenias, id eſt, de Interpretatione Ariſtotelis fuiſſe. Eoque pluris eius eſt faciendum iudicium à poſterioribus, quod eum Seuerinus Boëtius, etiamſi eius ipſa de re non receperit opinionem, appellat repertorem, & iudicem librorum Ariſtotelis. At ſanè quam rectè? quoniam poſt iacturam operum, totiusque bibliothecæ Ariſtotelis factam per Neleum Scepſium, primus ex Peripateticis philoſophis in ipſis, qui Romam perlati fuerant Ariſtoteleis fragmentis & poliendis, & componendis, & redigendis in ordinem multam operam impendit. Olympiodorus etiam Alexandrinus in accuratis illis in Ariſtotelis Meteora ſcholijs, affirmat fuiſſe aliquos qui cenſuerint primum eius operis librum legitimum non eſſe, ſed nothum. Vt hinc mirer Ioannem Grammaticum, qui dictus eſt Philoponus in primum in Meteorologicos Ariſtotelis libros enarrationum volumen, ſcripſiſſe proprium, id eſſet necne Ariſtotelis opus, nunquàm addubitatum. Vidimus itaque incertos haberi debere libros Ariſtotelis, quando adhuc inter Philoſophos non conſtat, quos aut quot ſcripſerit, & cauſas vidimus plures, quibus Peripatetici nobiles corrumpi, & adulterari potuiſſe & titulos, & monumenta prodiderunt, & aliqua iam ſub dubio, & incerto clariſſimè verſari. Reliqua verò, quoniam ad ipſum, de quo dicebamus lapidem Lydium examinata non ſunt, & eadem ſunt perpeſſa quæ cæteris acciderunt, cur pariter incerta non debent haberi? Quod ſi ipſi qui iam de illis dubitârunt

Peripatetici

Peripatetici mox illa ipsa exposuerint, nil mirum, quid enim illa indicarent & quo pacto sese haberent ad veritatem dogmata, perquisiuerunt, nec refutauerunt, vt illis non deesset postquàm Peripatetici dicebantur, & honor, & fortasse lucrum: quod si phrasi dicant se discernere, sese iam suprà confutatos agnoscant, & sciant præterea dari posse prouocationem ad Andronicum, & alios antiquiores Peripateticos, qui phrasis etiam Aristoteleæ gnari scijq; erant, ipsaq; reijciunt phrasi, & ceu nothos excludunt, quos illi tanquàm legitimos, & domi natos admittunt. Sed & sunt qui malos exponant libros, quantò magis incertos & suspectos queunt exponere. Siquidem probare id non est, sed interpretari, quid sibi illa verba voluerint: Vnde & proditum est Auerroëm, dum canticum Auicenna interpretaretur, dixisse, bonam se declarationem mali libri traditurum.

CAP. V.

QVOD ETSI ALIQVOS ETIAM HABEAMVS LIbros, qui iustè, atque legitimè inscribantur Aristoteli, incertum nihilominus esse, vtrum eis in libris aliquid sit, quod syncerè sit Aristotelis, nec internosci posse quid eius proprium, quid alienum.



AT habeantur legitimi Aristotelis libri, nullum regia munera corruperint titulum, ad copiosæ illius Alexandrinæ bibliothecæ maiestatem augendam, nullum Theophrasti, & Phaniç monumenta promiscuum fecerint, nullum tituli penuria volumen vitiârit, solus Aristoteles Stagirites censeatur scripsisse de Prædicamentis, peri herminias, de Analyticis quoque libris nulla vnquàm sit agitata quæstio. Num propterea particulatim certa Aristotelis doctrina fuerit? Sanè fuerit, sed eo quo dunxat vixit tempore, quo libri eius integri seruati sunt, at nequaquam sequenti ætate, nequaquam nostris temporibus. Prodit enim Strabo in libro tertio decimo post obitum Nelei Scepsij, qui Theophrasti scholæ successerat, & vtriusq; Philosophi bibliothecç, vnicus à Theophrasto hæres institutus fuerat, omnes eorum libros Attalicorum metu regum, fuisse terræ defossos. Deinde cùm seculis posterioribus eruti fuissent, inuentos laceros & tineis blattisque rosos, & humiditate ipsa terrestri labefactatos. Inde Athenas perlatos, & ab Apellicone Teio emptos, magis etiam temeratos: Mox ijdem libri Romam Syllæ opera cùm vecti fuissent, tanta sunt contextus labe inuenti, vt Tyranion quidam Grammaticus supplendi & emendandi curam susceperit, frustraq; cesserit negocium adeò, vt ab exscriptoribus etiam imperitis vitiati sint magis. Andronicus quoque Rhodius in componendis eis nauauit operam, & distinxit tabulas, ita confusi erant. Sed nec idipsum profuit: nam ordo librorum qui extat, habetur varius. Exemplum sit illud quod initium tertij de Anima libri, hoc Græcè habet exordium, ὅτι δ᾽ οὐκ ἔστιν αἴσθησις ἑτέρα παρὰ τὰς πέντε, hoc est, quod alius autem non habetur sensus præter quinque. Ita enim Græci codices antiqui, quos viderim, omnes habent, quem ordinem & sectionem Themistius in sua paraphrasi custodiuit, non solùm expositores, inter quos Simplicius etiam affirmat, inde rem eam quæ proponi solet discutienda, quam Græci σκοπὸν vocant aperiri. Theodorus quoque Metochites, quem expositorémne dixerim? an paraphrastem? aut vtrunque nondum satis constitui, videtur enim sese talem exhibere, vt quandam cum omnibus communionem habeat, tametsi totum illud opus in quadraginta libros distinctum ἐξηγηματικὸν vocetur: hoc, inquam, in opere Theodorus ipse sectionem librorum de Anima eam sequitur, quam antea alij & expositores, & paraphrastes erant secuti, vt initium capiat tertij voluminis ab eo loco quo & alij cœpêre principium. Latini autem præter diuum Thomam, cui hac in parte non consentit Egidius, quoniam probauerat Græcorum diuisionem, sed certè vel Latini omnes, vel Latinorum plurimi, solent inde tertij capere initium. De particula autem animæ, qua cognoscit anima, sic vt partem tertij eam omnem quæ de sensu differit, collocent in secundo, & demant ex tertio, quem ordinem in commentarijs quæ scripsi in tertium de Anima, custodiui. Cæterùm Philoponus in primo de Anima citat quæpiam Aristotelis, & quæstionem illam vtrum de omni anima disputare pertineat ad physi-

ad physicum citat in calce tractatus de partibus Animalium, quam sæpè quæsitam eo loco nunquàm inueni, sed ferè inter exordia primi libri de ipsis partibus animalium collocatam esse nouimus, eumque ipsum tractatum dicit proximè antecedere libros de Anima, quod tamen ab alijs existimatur secus. Accedit quod & alijs in voluminibus par, si nō maior quandoq; dissonantia reperitur. Metaphysicorum libri quantum ad vndecimum, & duodecimū pertinet, in Arabicis & Latinis tralationibus non conueniunt, & pars duodecimi, vbi Pythagoræorum opinio, Homerico carmine de vnitate principatus explosa cernitur, apud Græcos & Latinos extat, apud Auerrois codicem non inuenitur. Et quo ad pertinet ad Græcos quintus liber aliter sese habet in aliquibus antiquis, ac in his qui sunt formis stanneis excusi Venetijs. Illud quoque sit indicio quod in Martiana Florentina bibliotheca, extat codex vetustus satis, in quo repetuntur quę in quinto dicta sunt, secus ac in alijs. Sed & Michaël Ephesius in scholijs in primum de partibus Animaliū librum, citat modos necessitatis varios ex quarto Metaphysicorum, quos tamen constat esse apud plærosq; in quinto, non quarto libro collocatos, & mirum hoc videri non debet ijs qui Græcos Aristotelis codices ab Aldo Venetijs impressos legerint, vbi numerus librorum Metaphysicorum variatur omnis: nam qui in Auerrois trāslatione, & alijs plærisq; secundus est liber, ibi primus habetur, & qui tertius secūdi loco repositus, atq; ita deinceps multa varietas cernitur.

Cùm autem inter Græcos, & Latinos dissensio est, ad Rhodium Andronicum potest dari prouocatio: At cùm inter ipsos Græcos codices, nullus est ad Heraclium lapidem recursus: Sed & Andronici quoq; iudicium non satis certum, quoniam coniectura ducebatur, minus autem legitimū & competens cùm de opere peri herminias fit quæstio: id enim ipse ab Aristotelica familia summouit tanquàm nothum, & veluti asymbolum, quod tamen alij legitimum, & domi natum censent, in quo volumine etiam dissensio: Nam in duos quidam partiuntur libros, nonnulli vnum duntaxat asserunt librum, sed & Græci complures non id opus in libro, sed in plura τμήματα, hoc est, plures sectiones diruptionesque dissecuêre. Nec modicum quoque Aristotelea litera post Andronicum inter Peripateticos certatum est, dum quisq; quod non intelligebat, aut quod perperam iacere videbatur pro arbitrio emendabat, sit illud pro exemplo in opere de Sensibus, quando tot annis est bellatum super particula illa γλισχρῦ μορίου: nam alij vice illius θρεπτικῦ reponendum malebant, alij contrà, qua etiam in lite censuit Aspasius referri debere illam θρεπτικῦ dictionem ad animæ potestatem, Alexander verò minimè id verum asserens, ad particulam qua nutrimur referendam maluit, & priorem magis probauit lectionem, sed & aliam quoq; retulit in qua vtraque particula poneretur. Tanta est totius contextus literarij apud Aristotelis monumenta varietas, & ordo prætereà librorum varius, atq; vt cætera taceam, sæpè est animaduertere epilogum inferri cuiuspiam rei de qua disputârit, mox alijs inductis iterum priora repeti, inuerti, interpolari, quod authoris in scribendo consumatissimi respondere gloriæ non videtur, magis autem vel iniuriæ temporum, vel imperitiæ corruptorum: qui ad illud fortasse inaniter respexerunt, quod poëtæ in carmine cudendo quadrat, non philosopho in explicandis rebus naturæ prosa oratione scribenti:

Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Pleraq; differat, & præsens in tempus omittat.

Hæc itaque præstat & tineis corrodentibus & temeratoribus inuertentibus adscribi quàm Aristoteli: sicuti & Theodorus quoq; Gaza in præfatione suæ interpretationis in libros Aristotelis de Animalibus Apeliconi Teio vitio vertit, quod ordinem librorum de Historia eorundem animalium variauerit, quare ipse eum qui nonum obtinet locum in Græcis exemplaribus, septimum fecit in Latinis, & nonum qui erat septimus. Quapropter & ipse qui Latinis potissimùm, apud quos Theodori translatio vulgatissima est consulere meditatus sum, hac ipsa vtar in adducendis testimonijs diuisione, nec etiam recepit Theodorus, neq; vertere in Latinum voluit de ipsa Historia fragmentum: cuius suprà meminimus, quod libros de generatione si vspiam collocari debeat, planè reiecit. Sanè quoq; Plutarchus meminit Syllam ex Athenis Apelliconis Teij bibliothecam asportasse, in qua erant plurima Aristotelis & Theophrasti volumina prius incognita, quod magno etiam indicio est tot anteà temporibus: nam ab Aristotelis obitu, ad impetum Syllæ plusquàm ducenti anni intercesserant, tàm præ-

clara monumenta non fuiſſe cognita, nî quia defoſſa, vt Strabo refert, omnino fuiſſent. Ex quo incommodo, quis non probè coniectetur labes innumeras prouenisse? meminit quoq; ipſe Plutarchus & Apelliconis, & Tyrannionis & Andronici, meminit & Athenæus in quinto δειπνοσοφιστῶν Tei Apeliconis, qui ſibi Ariſtotelis bibliothecam ſicuti & alias etiam, quoniam benè nummatus erat, pretio comparauerit. Quantum igitur ad Græcum exemplar librorum Ariſtotelis pertinet, iam videmus ſi certum habere velimus illud, aliter nos voti compotes fieri non poſſe præterquàm miraculo. Alioqui ſyncerum quo modo habebimus? niſi ipſe idem excitetur ab inferis, fortè & tineas de vaſto illo primæ materiæ ſinu reuocandas quidam dicent, vt reddant quæ comederunt ſenſa. Habere item oportere in conſilio Apelliconem Teium & Grammaticos illos, & librarios corruptores, non correctores, qui repetundarum accuſati, & redderent quæ ademerunt Ariſtotelea, & quæ ipſi de ſuo peculio interſerere maluerunt, haberēt ſibi. Deinde accerſendum eſſe Andronicum Peripateticum, ſubijcerent, vt narraret quo pacto ſeſe habuerunt illa volumina lancinata, & diſcerpta, cùm ad eius manus perueniſſent. Quod ſi quiſpiam Straboni ſtare noluerit, quem etiam ſecutus Plutarchus videtur, negetq; id quod ille affirmauit, cur & ego, & quicunq; alius negare non poterit? hoſce qui circumferuntur Ariſtotelis & in ſcholis leguntur libros Ariſtoteleos non eſſe? hoc eſt, neq; legitimos, neq; proprios, ſed nothos ſuppoſititioſq;. Aſſentiemúrne illis nuper natis? cùm ipſi nolint, acquieſcere hiſtoriæ Strabonis, qui illa ipſa aut vidit, aut certè videre potuit? opus enim illud ſuum Coſmographiæ in quo hæc narrat ſub Auguſto Cæſare ſcripſit, nec iuuenis, vtpote qui ætatem iam penè conſumpſerat in Aſia, & Europa luſtranda, nec etiam narrat quæ alijs voluminibus (excipio diuina Veteris teſtamenti, quæ vti Ioſephus, & Philon retulêre, tanta cura aſſeruata fuêre, vti nec populi ipſius captiuitas, nec regionis vaſtitas vitiârit) facilè non acciderint. Nam & liber nephariæ legis Arabum aliter in Oriente, aliter in Occidente ab eius cultoribus interſtinguitur, & varia eſt opinio: librum etiã ipſum non eſſe eundem, qui olim fuerat, quo tempore eius author Mahometes erat in humanis, vtpote qui actus, imminutus, interpolatus fuerit, nec etiam de nomine & authore apud omnes conuenit, quę omnia facilè videri queunt apud Nicolaum Cuſam in opere quod Alchorani ipſius Cribatio prætitulatur. Quantò igitur magis ob cauſas antea narratas iſthæc vel ſimilia Ariſtotelis libris obuenire potuerunt? & iam obueniſſe multi exiſtimârunt, ſæpenumerò conqueſti Græca ſe habere Ariſtotelis corrupta exemplaria, inter quos Theodorus Gaza non ſiluit, ſeſe in vertendis Ariſtoteleis laboraſſe, quod mendoſos admodum codices habere, vel librariorum culpa, vel caſu eo qui apud Strabonem legitur, qui caſus ſeſe prodit apertiùs in Theophraſti libris diſperſis & penè euanidis, quorũ partes etiam à Theodoro translatas ſi quis non vitiatas putat, conſulat Athenæum, facileq; deprehendet & interpolatas & mutilas, id quod ego Romæ obſeruaui, poſteaq; & obſeruatum ab ijs qui Athenæum formis impreſſerunt, animaduerti. At qui ſi gratis nulla prorſus extorquente ratione concedamus, Græcos Ariſtotelis libros legitimos fuiſſe, & legitima in eis Ariſtotelea ſenſa, propriosq; animi conceptus aſſeruari: Ad Latinum Ariſtotelem vbi venerimus, mirũ quàm ipſe non erit Ariſtoteles: libros eos ſemper excipio, quos Theodorus Gaza cõuertit è Græco. Atq; vt de reliquis taceam in eo contextu quem expoſuit Auerrois de Arabico ſermone in Latinum verſo, tot penè errores, quot verba ſpectantur. Vide quàm verus poſſit aut debeat Ariſtotelis interpres haberi, qui adeò ab imperitis celebrari ſolet Auerrois, & quanti ſit eius faciendum teſtimonium hoc ab eo poſitum in procemio expoſitionis in Naturalem philoſophiam: non eſſe à mille & quingentis annis inuentum cuiuſquàm momenti errorem in Ariſtotelicis literarum monumentis: cùm nullum ipſe ferre iudiciũ queat aut veritatis, aut erroris, qui Ariſtotelis libros non legit ob ignorationem Græcæ linguæ, Arabica vſus translatione plena mendacijs, in qua & ſua commenta refudit, & ſi fortè legit, Ariſtotelis libros non legit, ſed Apelliconis Teij & Tyrannionis Grammatici, & illorum qui inde ſibi Peripateticum poſteà nomen arrogauêre.

CAP.

CAP. VI.

QVOD ETSI CERTI HABEANTVR QVANTVM AD AVthoritatem pertinet Aristotelis libri, certi etiam quo ad literæ contextum spectat, ita vt nullo vnquàm tempore vitiati sint, adhuc testimonio Theophrasti, Andronici, Simplicij, & Porphyrij, & aliorum incertam esse Aristotelis doctrinam & aliquibus in rebus falsam.



COndonemus tamen Aristotelis cultoribus, quos dicunt Aristotelis libros in eum ipsum Aristotelem, vt in authorem atq; parentem iure meritoq; referri posse: condonemus & illud nullo eos tempore vnquàm vitiatos, nullam æui passos iniuriam, nulla scriptorum & impressorum vulnera pertulisse, an certam propterea statim ipsius Aristotelis doctrinam censebunt? Id effecerint viderintne nobis prouocatio detur ad eius discipulos & hæredes disciplinæ, & sectatores, atq; in primis ad Theophrastum taxantem de motu animę magistrum Aristotelem, quem & si Themistius tueri satagat, faciliùs nihilominus, vt mihi videtur, poterit defendi Theophrastus à Themistio, quàm Aristoteles, à Theophrasto, sed hoc non agimus ad præsens sexto libro id facturi. Nunc tantùm ostendimus Aristotelem à sectatoribus, quandoq; vexatum, & habitum incertum atq; etiã mancum. Nam & Themistius ipse oblitum existimauit Aristotelem de ijs animalibus pertractare, quorũ initium non in aliud eius generis animal refertur, atq; idcircò ex putredine dicuntur oriri. Idem quoq; in aggredienda in Analyticos paraphrasi docet obscura in Aristotelẽ multa, & ad occultandum potiùs, quam ad apertè prodendum videri scripta, idq; data opera quod (ni fallor) indicant illa eius verba πολλὰ μὲν οὖν ἔοικεν εἰς ἐπικρύψιν τῶν ἀριστοτέλους βυβλῶν μεμηχανῆσθαι. Idem Themistius eo in opere cui duplex est titulus, βασανιστὴς καὶ φιλόσοφος. In Aristotelis doctrina scribit nescio quid σκολιὸν καὶ διάστροφον, hoc est, obliquum tortuosúmve atq; versatile. Andronicus Rhodius qui eius librorum post effossionem corrector, & compositor fuit, de Xenocratis agens dogmate putat, quod etiã Themistius refert ea scripsisse Aristotelem, quæ nõ possint intelligi, & quæ ab alijs rectè, ab Aristotele minimè rectè dicta, & interpretata cẽset. Porphyrius, quem Boëtius Seuerinus libros peri herminias exponẽs sequi se dicit, & intellectus acumine, & sententiarum dispositione præcellentem, ad Anebonem scribens Aegyptum, nec in Aristotele, nec in alijs certam esse doctrinam manifestauit, coniectura vniuersam constare philosophiam testificatus & eius ipsius principia longè debilia; inter quæ scribit apud Græcos multam esse verborum pugnam, vtpote cùm ex humana ratiocinatione boni capiatur coniectura, suáq; ipsa lingua ita expressit, παρὰ μὲν γὰρ ἡμῖν λογομαχία τις ἐστὶ πολλὴ ἅτε ἐξ ἀνθρωπίνων λογισμῶν τοῦ ἀγαθοῦ εἰκαζομένου, & in libro de Anima ad Beriton, τίς γὰρ λόγος τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ οὐκ ἀμφισβητήσιμος, quę ratio eorũ quę in philosophia sunt non incerta ambiguáve. Idem in opere cui fecit titulum, περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας, scribit apertè, omnes Græcos Philosophos aberrauisse, quibus in locis vniuersim locutus, Aristotelem non excepit: cuius etiam Entelechiam non paucis vexauit Alexander Aphrodisiæus iuratissimus eius interpres; scribit in commentarijs in primum Metaphysicorum, Aristotelem fundamenta suæ doctrinæ iacere in plurimorum opinionibus, & multitudinis iudicio, indeq; suas demonstrationes moliri, quo quid dici potest ad infirmandã eius doctrinam, & incertam reddendã efficacius? Cicero C. Fannium & eos qui eiusdẽ erat æmuli rationis, non probat, quia volebãt ab indoctis probari, idq; illi disciplinæ putabant firmamentum. Inde autẽ Cicero trahit argumẽtum, non dici illa subtiliter. Sed sint probabilia, quid enim probabile nisi quod pluribus videtur, ipsomet Aristotele iudice? quid magis aberrans quàm vulgi multitudinisq; iudicium? At non sit error, sit probabilitas quæ idem proueniat, quod autẽ syncerè probabile est, id certũ non esse manifestũ est. Idem Aphrodisiæus in commẽtarijs Meteorologicis satis certas nõ habere Aristotelẽ ea de facultate rationes fatetur, vt processu docebimus. Idẽ quoq; scribit Aristotelẽ perplexè de intellectu potentiæ & actus locutum, quos modò distinxit, modò cõfudit: quid & Philoponus adnotauit, eiusq; rei in nostro quoq; in tertiũ Aristotelis de Anima cõmentario meminimus, & quia ita res poscere videbatur, Aristotelẽ etiam defendimus. Ioannes Grammaticus cognomẽto

Philoponus nõ vti incertum modò, sed vti falsum etiã reprehendit & confutat ipsum (quem nihilominus diligẽter exponit) Aristotelẽ: Etenim vniuersalem propositionẽ, cuius vsu omnem communire doctrinã ille procurauerat, instantiã semper pati pronunciat in sua, in ipsius Philosophi elenchos paraphrasi, & in commẽtarijs Physicis ipsum improbat, qui spatia interuallaq; refutârit rationesq́; eius vti debiles, & controuersas abijcit, tum & Themistium ea causa ridet, qui Galenũ taxauerat, à quo taxatus fuerat, Aristoteles tamen abfuit vti eum defenderet, vti certum tueretur authorẽ. Nec paucis hoc egit, duo enim volumina, nec omnino minima cõfici possent ex ijs, quæ à Philopono aduersus Aristotelẽ in maximis illis in quartum Physicorũ librum cõmentarijs effunduntur. Præterea rationes aduersus vacuum inaneq́; depromptas quoad motum præcipuè pertinet, quem propterea Aristoteles sublatum iri putauerat, Philoponus eludit, quarum sexto huius Operis libro aliquam nõ omnia referemus, & tangemus potiùs, quam accuratè explicabimus, ne scilicet, omnino agãtur acta. Possem innumeros citare vel Platonicos Philosophos, vel alijs Philosophorũ sectis addictos, at suspectos afferrem testes, qui affirmarent rerum naturalium cognitionem (in qua maximè laudatus Aristoteles) scientiam non esse, sed opinionem, siue credulitatẽ, seu mauis opinatiuam rationem, sicut & cogitationem esse, mathematicam notitiam rerum, solaq; intellectilia quæ ratione & intellectu concipiuntur, scientiam parere, naturalia quæ sensu & ratione, coniecturam.

Sed & Peripatetici non desunt qui etiã res naturales sub scientia nõ claudunt. Simplicius apud Græcas gentes magni cognomento magistri dignatus, in commentarijs illis amplissimis in primum librum Physicorum, & Aristotelis & Platonis authoritate decernit, nullam haberi posse de principijs naturalibus certam cognitionem, quoniã ea illi non cõpetant, quæ demonstrationi competere censuerit Aristoteles, quoniã & Plato decreuerit physiologiam esse, quã si dixeris coniectandi facultatem, εἰκοτολογίαν ille verbũ posuit, quando etiam principia, & causæ rerũ naturalium ex compositis atq; confusis dignoscantur, vnde prodeat cognitio coniecturalis, atq; vt verbo ipsius vtar τεκμηρίων, subditq́; ἀλλ᾽ οὐκ ἀποδεικτικὴ, hoc est, sed minimè demonstratrix. Idem in commentarijs de Anima multa scribit aduersus Aristotelem, quem tamẽ magna cura, magnaq́; cum diligentia interpretatur: Atque illa ipsa verba inter initia operis tanquàm frõti ipsius, stigmosum vlcꝰ inurit καὶ οὐχ ὡς τῷ Ἀριστοτέλει δοκεῖ, κινεῖ μὲν ἡ ψυχὴ κινεῖται δὲ ζῷον, ἀλλὰ καὶ τὸ ὄργανον ἕτερον, hoc est, & non vt Aristoteli videtur, mouet quidem Anima, mouetur autem animal, sed & aliud organum. Idem primo de Cœlo commentario, Aristotelem veterum nõ recensuisse ex fide opiniones planè significat, & hoc ipsum etiã ab Eustachio in primo Ethicorũ libro cõfirmatur. At Magentenus quoq; Mitylenæus ipsius Aristotelis expositor, dum interpretaretur librum peri herminias, adeò incertã eius habuit doctrinam vt scripserit non solùm esse Aristotelem obscurum, sed nullo etiam doctrinæ modo vsum fuisse. Et Olympiodorus dum eius libros Meteorologicos exponit, in eis multa falsa & pugnantia docet contineri, vt recentiores omittam Philosophos & Medicos, qui, & si Aristotelẽ sequãtur in plurimis, nihilo tamẽ minus aliquibus in rebus neutiquam admittunt, quemadmodum Petrus etiam Aponensis dum sui Conciliatoris libri differentia trigesimaquinta disputat: testésne ad generandum necessarij sint? aduersari potiùs Aristoteli quàm ei inniti maluit, quem tamẽ protomagistrum eodem in loco nuncupat, & anatomiæ scientiam eius tempore vsquequaque perfectam non fuisse censet: Nec desunt qui modum etiam loquendi sæpenumerò, vel impetunt, vel cauillantur.

CAP. VII.

INCERTAM ESSE ARISTOTELIS DOCTRINAM, ex modo scribendi ipsius.



ET sanè consensu omnium ferè veterum Philosophorum, damnatus olim fuit Aristotelis scribendi modus, vtpote qui ea quæ ambigua minimè viderentur, multis verbis, pluribusq; argumentationibus prosequeretur: quæ autem multa egerent cura vt tractarentur, & in quibus esset inter doctos aliqua disceptatio, ea paucis absoluerit, atq; in hoc genere quæstionum eleganti quidẽ, sed cõcisa nimiùm verborũ serie vsus esset, nec Attica solùm, sed

plusquàm

plusquàm Laconica, atq; etiam plusquàm Chilonia, vt Aristagoræ Milesij verbo vtar: Quid enim breuius. Sed neq; ænigmatibus, more Pythagoræorũ vti voluit, desciuisset enim ab instituto. At verbis vel ambiguis in sese tametsi prima facie viderentur expositissima, vel artificiosè adeò compositis concinnatisq; disserebat, vt primori fronte, ipsoq; in lectionis vestibulo, peruia satis apparerent, vbi admitti volebas, excludebaris recondito sensu, & nimis quàm abstruso, sæpè quidem perplexo, semper nihilominus eleganti. Hinc opinor factũ vt Cicero qui Aristotelicã elegantiam scribẽdi laudare semper solet, in Topicorum ad Trebatium præfatione, in qua etiam incredibilẽ effert ipsius Aristotelis copiam & suauitatem, scribat, non mirari eum Philosophum Rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis Philosophis præter admodum paucos ignoretur: & sanè quidem, quoniam solitus erat sententias breues & implicitas non claris alioqui & explicatis verbis patefacere; sed inuoluere ambiguis plurimùm; politis nihilo tamen minus & elegantibus. De Græco loquor Aristotele non de Latinis eius vulgatis translationibus, quibus nihil (ita dixerim) barbarius, nihil dubio procul ineptius, tamq; fœdæ illæ & horridæ, quàm ipsa eius Græca elocutio compta est, atq; polita, vt propterea Iustinus martyr existimet putauisse Aristoteles, vt ob probatum illud & expolitum dicendi genus sibi esset habenda fides. Frustratus tamen voto apud plærosq; est, propter ambigua sensa: Nam eã ob causam multa in eum scõmata, multa cõuitia sparsit antiquitas, adeò, vt etiam sepiæ nuncupationem non effugerit. Atticus enim quod & suprà dicebamus philosophus, similem eum dicebat sepiæ, cuius ea natura proditur, vt dum quæritur à piscatoribus vt capiatur, iam iamq; admoueri manus persentit, atramentum illud humoris nigerrimi, quod in sese habet congenitum spargens, inficit aquam vt ab oculis mox, & à manibus piscatoribus elabatur. Sic & Aristoteles ijs in rebus in quibus capi, hoc est, reuinci redarguíve dubitabat, sermonis vel breuitatem, vel obliquitatem, vel diuersitatem spargebat, vt aciem eorum, qui se deprehendere volebant, eluderet. Ad occultandum etiam sua ipsius sensa, illum ita obscurè scripsisse arbitror. Ita enim à sepia fieri etiam absq; metu, idem Aristoteles nono libro de Historia animaliũ est author. Verùm enimuerò, vt erat vir longè præcellentis ingenij astutissimiq; iudicij, quod semper ego quidẽ existimaui, huic versutiæ duas alias adiecit, quibus prius temperaret legentium incommodũ: nanq; vt breuitate obscuritateq; sermonis absterrebat quodam modo lectores, ita in rebus minimè cõtrouersis repetitione, & frequentibus epilogis vtebatur, quibus sententiam firmaret in animis auditorum, quos & rerum multiplici copia alliciendos curabat: nam de omnibus penè rebus quæ desiderari queunt, edidit volumina, vt rerũ tandem copia Philosophis omnibus, qui ante se libros ediderant sine controuersia præstaret: Idque, vt puto, facilè est consecutus, quod fortè Hieronymus animaduertens in Aristotele, inquit, penè videtur infusum quicquid est capax humanum genus, qui si tàm bona voluntate fuisset, quàm magna rerum polluit copia, ab eodem Hieronymo cùm alibi, tùm in Ecclesiastes commentarijs stultitiæ nomine cum ipso Platone non culparetur, & ab Augustino Psalmos enarrante apud inferos contremiscere non scriberetur. Sed enim copia illa rerum Aristotelicarum sufficienti verborum copia vbi maximè est opus, non illustratur. In libris de Animalium historia clarè satis loquitur, in Politicis & Oeconomicis aliquanto clariùs, ea siquidem vti sensui satis exposita, & moribus multitudinis accommoda sunt, de ipsis quasi securus admodũ, & ab eo ne caperetur, metu liber disserebat, sic & vbi de Mundo agit ad Alexandrum.

At vbi de spectatrici loquitur Philosophia in Physicis, in Metaphysicis, in libris de Anima, & sententias intercidit, & suspendit, & obtruncat, & semiperfectas periodos promit, ac alio se loco quidpiam præstaturum quandoq; promittit, quod ibi pollicetur, & interdum relinquit vadimonia: Alienis etiam nititur opinionibus, quæ posteà falsæ decursu temporũ iudicatæ sunt, vti cùm sese refert ad Calippum, & in Eudoxum de numero cœlestium sphærarum in duodecimo primæ Philosophiæ, quo etiã in loco Auerrois eccentricos orbes, & epicyclios irridet, & confutat, ac Astrologiam illã, quæ suo tempore vigebat motricem, vanam affirmat, quã se perficere posse cùm sperasset iuuenis, desperauit senex, quã Aristoteles minus etiã incertam cùm haberet, se ad Eudoxum retulit. Nouat etiã quandoq; nomina vt aliter ipsa res quã haberet vsus exprimeretur. Ab ipso enim vocabulũ Entelechiæ, siue Endelechiæ conflatum est, vt

continuata motio daretur intelligi, & quinta illa (vt Ciceronis est dictum) non nominata magis quàm non intellecta natura, inuertit etiam atq; alios in significatus quàm consueuerint assumit, vt categoriam quod erat Rhetorum nomen iudiciale, cui opponeretur apologia, vt cùm alij, tùm Porphyrius maximè meminit in commentarijs in Prædicamenta siue Categorias ipsas Aristotelis editis per interrogationem & responsionem. Meminit & Dexippus Platonicus in quæstionibus & solutionibus, quas in ipsa Aristotelica prædicamēta elucubrauit, cuius authoris nuper mihi Romæ dum essem, facta est copia ex bibliotheca Medica Ioannis Cardinalis, quæ Græcis est eisdemq; raris libris refertissima, quo tempore Cardinalis, ipse Hispano cū exercitu patriam repetiuerat, qui paulò pòst in Pōtificem maximum electus, Leonis decimi nomen assumpsit. Nouis item loquendi & decernendi quæstiones vtitur Aristoteles modis, qui & ipsi quæstionum, ac ambiguitatum fœti sunt. Interponit enim hanc particulam fortè, & alia generis eiusdem, quibus tanquàm præsidio se communit, idq; in logicis libris potissimùm, & præcipuè in prædicamentis: quam ob rem sæpè dicunt interpretes, ex alieno tunc, non ex proprio iudicio loqui, idq; maximè dicunt, cùm malè dissolui argumenta nō possunt in eos ipsos directa locos, & hac potuit de causa preter alias euenire, vt eius etiam auditores de ipsius doctrina fuerint ambigui, vti paulò pòst aperietur. Illud autem fortè quod Græcè ἴσως dicitur, non solùm dubitandi, sed affirmandi potiùs, & ampliandi notam, quidam ex eius interpretibus habere voluerunt. Nam Michaël Ephesius in primum ipsius de Generatione animalium librum ait: τὸ δὲ ἴσως ἀντὶ ἁπλῶς καὶ καθόλου κεῖται, hoc est, illud autem fortasse, pro eo quod est simpliciter & vniuersaliter iacet: sed oppidò quàm astuti hoc iudicij signum quod dubia nō sibi adscribit, nec item alijs, sed ambiguè refert, quæ verò digna sunt cognitu, & extra redargutionis aleam, sibi ipsi adscribit, quæ perperam falsoq; prolata, in alios refert, & si vulgò etiam cognosci possent, multis tamen argumentis impugnat, adeò vt superfluis in opinionibus refutandis, & persæpè falsò relatis, non exiguam suorum librorū partem consumpserit. Eosdem quoq; quos reuincit authores, quandoq; excusare satagit, & in multis tamen sequitur, vt hinc etiam à proprijs aliena non facilè dentur internosci. Damnat in plærisq; Homerum, eius tamen testimonio suam de Deo sententiam confirmat. Damnat Thaletem in primo primæ Philosophiæ qui secutus Homerum, principium rerum aquam definiuerat: At in libro de mundo ad Alexandrum opinionem reijciens Platonis, qui Deum in ignea collocârat substantia, eundem in ætherio corpore supremo reposuit, Homericorum carminum testimonio. Ferè autem semper nō constanter loquitur, sed obscurè, quod fuisse in causa plerīq; primū Meteororum librū nothum & suppositititium existimârint, Olympiodorus est author, quandoquidem ibi & manere in proposito, & clarè loqui videatur. Sed quo ad hoc attinet, non rectos illos æstimatores censet, quoniam & obscuræ sint argumentationes, & inconstanter, ac dubitabundè loquatur, præfatus, scilicet, se & dubitare quæpiam quodammodo tangere. Quibus omnibus ex rebus quantum ad scribendi modum pertinet, Aristotelis doctrinam incertam esse colligi potest, & sepiæ spargentis atramentū more obscuram, & etiam Chameleontis instar versicolorem, cuius eam esse naturam prodit ipsemet Aristoteles quarto de partibns Animalium libro, vt sit, non ex rerum quæ propè iaceant coloribus, quod Ouidius, quod alij produnt assimilare eum sibi colorem, qui sit proximus contendentes, quod etiam admittere videtur Plutarchus excepto candido, nō ira aut cupidine, quod Seneca visus est velle, sed præ nimio metu multiformis. Sic fortè ille multiformis & versatilis metu, qui vel à laudis cupidine suggerebatur ne caperetur refutareturq;, vel à corpori temperatione quæ illi etiam inopia sanguinis riguisse dicitur, vt ille de Chameleonte narrat, qui omnium maximè animantium sanguine caloreq; destituatur. Atq; inde pauor & ex pauore mutatio. Cuius opinionis videtur Plinius fuisse libro vigesimo octauo scribens nullum animal pauidius existimari, & ideò versicoloris esse demutationis, idipsum quoq; de Polypo tàm apud Plinium libro nono quàm apud Athenæum, Plutarchum, Lucianum, alios, affirmatur.

CAP. VIII.

DOCTRINA, ARISTOTELIS INCERTAM OSTENDI ex ipsius asseclarum expositorumq; perpetua pugna, quæ quàm multiplex sit, & quàm magna ostenditur.



T si certa esset Aristotelis doctrina, nec etiam omnino, sed magna ex parte, num ipsius asseclæ atq; interpretes concordes inuenirentur in eius sentẽtijs, & percipiendis, & declarandis? Cùm autem in plærisq; omnibus & in ijs maximè quæ principales habentur percipiendis, apertissimè dissentiãt, & in declarandis eis rixentur, digladienturq;, num ipsa illa doctrina certa putabitur? Nec mihi dissensiones nostrorum Theologorum regerat quispiam, nam sunt nostra fidei principia, & articuli principales ita firmi apud omnes Christianos & stabiles, vt de eis probatorum nemo dissentiat, sunt & Ecclesiæ vniuersalis sanctiones super causis fidei, & necessarijs ad salutem moribus, quibus eorum nemo reluctatur. De alijs verò, & maximè ijs quæ pendet à Philosophorum Gentium doctrinis, sæpè inter se contendunt. At ipsi Philosophi in ipsis principijs philosophiæ rixantur, in collocandis fundamentis digladiantur. Equidem possem duo magna volumina implere ex dissensionibus, varijsq; interpretationibus locorum Aristotelicæ doctrinæ, cuiuscunq; facultatis. Sanè quæ ad rudimenta logicæ pertinent difficultates, incertæque sententiæ, eas qui Simplicij monumenta legerit in Aristotelis Prędicamenta comprehendet, tàm magno fuisse numero, vt si nullibi de mente Aristotelis amplius disceptatum fuisset, satis illæ deberent haberi vt incerta ipsius authoris redderetur vniuersa doctrina. Idem in reliquis etiam libris planè conspicuum, & si ad naturalem postea facultatem te conuerteris, & Philoponum, Simplicium, Alexandrumque perlegeris, mirum quantæ dissensiones, tot enim reperies vt vacuos libros alios facilè putes. Quod si eorummet Metaphysica in manibus sumpseris, putabis te deceptum, & vix tibi ipsi credes tot pugnas antea spectauisse. At si relicta Græcia in Latinum commigraueris spectatum Latina commentaria, te ipsum ruditatis argues, qui putaueris omnes in Aristotelica doctrina difficultates à Græcis interpretibus exhaustas, existimabis eos pacatos, & placidæ quietis plenos, si quas ipsi excitauerunt pugnas multiplici nostratium, eidemq; perpetuo prælio contuleris. A Græcis etenim diffident sæpè Latini, atq; ipsimet inter se multipliciter confligunt. Aliqui ad Græcos commeant, omnibus deniq; in rebus Aristotelicæ doctrinæ dubitant, omni ferè sententiæ hinc inde mouent argumenta: Et quantò magis euoluere curant, inuoluunt magis, & lumen gestientes accendere, tenebras offundunt, eorum instar qui lychnum deficientis lucernæ, flatu rediuiuum excitare molientes, prorsus obruunt, & intermori cogunt. Signum id euidentissimum, quod mille & eo amplius annis in Græcia super Aristotelis sensibus bellatum, & in Lutetia Parisiorum quadringentis.

Sed in ipsis quoq; interpretandis interpretibus sexcenta dissidia, Auerroem namq; alius hâc, alius illâc raptat, vt pro se faciat. Inter eos qui nominales dicuntur variæ sectæ, Thomam Aristotelis interpretẽ aliquibus in locis diuersi diuersè interpretantur, & ipsorum quoq; interpretum sententiæ variæ trahuntur in diuersa, sunt qui à Capreolo standum censent in natura relationum & alijs nonnullis, sunt qui ab eo dissentiendum putent: De Scoti sensu, multis in rebus diuersa sentiunt & indies noua mouentur prælia, adeò vt quod in vniuersum dixit Salomon Aristotelis interpretibus possit aptari, *faciendi libros nullus est finis*. Sed qui libros faciendi? corrixandi, bellandi, cõfligendi, digladiandi vt certus tandẽ Aristotelicę doctrinę sensus percipi queat. Nec existimes lector minutis tantummodò in rebus paruiq; momenti alios alijs bellicum canere, sed in rebus maximis, & ad nos maximè pertinẽtibus, nec apud sęcula dũtaxat posteriora, sed apud ipsos qui Aristotelis vocẽ proprijs auribus hauserũt. Theophrastus enim & scholæ successor Aristoteleæ, & hæres bibliothecæ, putauit Aristotelem existimare animã humanam esse immortalẽ: Aristoxeni de anima definitio quis ambigat non sit Musicę arti, cui maximè incumbebat quàm Theophrasti cõdiscipuli sentẽtiæ accommodatior? qui nihilominus Aristoxenus Musicus Aristotelis auditor fuit Gellij testimonio. Dicæarchus Siculus ex Mesana eiusdem Aristotelis auditor, & vti de eo scripsit Cicero, magnus in primis Peripateticus & copiosus, mortalẽ existimauit

animam, Plutarcho teste: & authore Sexto philosopho nullam, nullam item quod & primo huius Operis libro dicebamus, authore Cicerone. Id ipsumq; Atticus affirmauit, & Dicæarchum qui omnem animæ substantiam sustulerat, asseuerauit ipsi Aristoteli consentanea decreuisse: Eius etiam Dicæarchi opinionẽ ita perpendit sicuti Plutarchus effecerat, Galenus de Physica tractans historia, & Aristoteli censet consentaneam, si quidem cùm alibi tùm eodem in libro decernit Aristotelem putauisse animã non esse immortalem, sed hac de re sicuti & de animæ opinionibus primo libro multa diximus, & alia quoq; plura sexto libro dicemus. Sed si hic idem Peripateticus, scilicet, Dicæarchus totiens cum Aristotele locutus tàm ab alio dissensit in re tàm necessaria tantique præiudicij, quidnam de alijs censebis, si ritè sapies? At fortè discipulorum hæc & auditorum inuidia? Quid verò causæ fuit? vt Plutarchus quadringentis ferè annis postea natus existimârit Aristotelẽ neutiquam putauisse animã esse immortalẽ, sed corruptioni obnoxiã, idipsum quoq; Galenus censuerit? Cur Alexãder Aphrodisiæus certè post Plutarchum, fortè post Galenum natus, quanquàm eodem sæculo vixit, nec huius authoritate, nec illorum inuidia motus inter examinandum, & exponendum Aristotelis placita censuit ab eo decretum animam esse mortalem. Cur post Alexandrum multi expositores eius sunt sententiam secuti? multi ab ea desciscentes aduersam Aristoteli sententiam adscripserunt, vt Hammonius, vt Philoponus, vt Simplicius, vt Sophonius, vt Theodorus Metochites, vt alij: Quid quod ex decima septima particula xij. Metaphysicæ vno ex verbo Thomas & alij humani intellectus immortalitatem, Alexander mortalitatem, Auerrois vnitatem confirmauerit? vti scripsimus in commentarijs tertij de Anima in digressione de ipsius immortalitate. Cognosci hac ipsa de re maximè potest, ita hoc in negocio sicuti & alijs in rebus, de quibus suprà loquebamur, & de quibus etiam nõ fecimus mentionem, vt de subiecto totius Physicæ facultatis, quod est adhuc sub iudice, Aristotelis doctrinam & esse, & haberi debere prorsus incertam, quoniam eius interpretes omnis generis, certum adhuc non habent, & si multis sæculis id sit continuè quæsitum, quid suorum librorum lectoribus ipse dederit intelligi.

CAP. IX.

QVOD EX CHRISTIANIS THEOLOGIS PROBATISSImis, & antiquißimis haberi potest philosophiam Gentium non æstimandam, ac doctrinam Aristotelis incertam esse, & plerisq; in rebus falsam.



SEd non solùm Gentium Philosophi, verùm nostræ Christianæ religionis vel Antistites, vel Doctores, vel vtrunq;, & in philosophia Gentium non æstimanda, & in Aristotele cùm variè intelligendo incertam, tùm reprehendendo falsam doctrinam eius nobis reddidêre. Reprehendendo, inquam, non solùm quòd mundi æternitatem probare sategerit, quòd agere Deum necessitate naturæ decreuerit, quòd dijs Gentium sacra fecerit (nam hoc extra controuersiam damnandum & abominabile) sed alijs etiam in rebus, de quibus illum plærique solent commendare. Nec variè dico intelligendo, quo modo & variè etiam Sacras quandoque literas interpretantur, hoc est, diuersè, quanquàm & ea circa Sacras literas varietas in vnum coit eatenus, quã vterque sensus vbi verus inuenitur, ab authore supremo, Deo videlicet, quem nulla veritas latet, qui omnis veritatis est causa, primitus est notus, imò etiam sempiterno cognitus, sed variè, id est, sibi ipsis contradicentes. Cum veteribus enim non conuenêre iuniores, nec itidem iuniores inter sese, neq; enim antiquitùs apud nostros, aut verax author, aut cõstans Aristoteles habebatur, aut pro magistro & doctore sumebatur. Nam maiore prudẽtia scribit Augustinus authores nostros omisisse eas, quæ ab illo tractari solent quæstiones non profuturas discentibus, & occupantes, quod peius est multum, prolixa & rebus salubribus impendenda temporum spacia, aut si qui eum versabant, eius tamen, quæ nunc putantur esse de plærisq; rebus opiniones, ita non recipiebantur, vtpote vel vana in religione fundatas, vel arrepta de sensu occasione nitentes: atq; ita etiam Dionysius Areopagita coarguit Simonem, tanquàm eum latuerit, non oportere sapientem ratione sensus

inniti

inniti, aduersus rerum omnium causam, sic & alij in vanitate sensus sui, vt verbis vtar Apostoli, non esse ambulandum pręcepêre, & Aristotelem nominatim declinandum præmonuêre, illisq; gratissimum erat Theologis, si quis contra Philosophos, contra Mathematicos, scriberet, modò expers aut Philosophiæ, aut Matheseos risui nõ pateret, quod & in commentarijs Prophetæ Danielis, & alibi significârunt. Neq; enim veteres Theologi ita vt iuniores Philosophis Gentium assentiebantur, quos dum cõfutamus suffragamur illis, neq; Mathematicos quos, scilicet sancto quodã odio prosequebantur, more quorundã nostratium cõsulebant, quando etiã (vt vidimus) eam Astrologiã quæ motus metitur, inter liberales artes numeratã, honestè cõtemni scripsit Augustinus, qua quidẽ in re decepti etiã pleriq; sunt, æstimantes eam pluris quàm ipsi olim Philosophi: nam libro 3. monstrauimus non tanti factam Geometriam & Astrologiam à præclarissimis Gentium authoribus quanti nunc fit, nec ab ipso etiam Platone vt pleriq; vellent in arce authoritatis collocatam. Vtebatur ille ad intelligibilia noscenda Mathematicis non per sese, id apud eum satis videri potest & apud alios, vnde illud Alcinoi Platonici, quod ni ita fiat eorum curiositas manca, & amens nullius que æstimanda censetur, disciplinamque Mathematicam non scientiam esse, sed cogitationem affirmat. In Astrologica verò disciplina veteribus assentiebantur Plato & Aristoteles vnde ille in Timęo, hic tàm in secundo libro de cœlo quàm in xij. primæ Philosophiæ reprehenditur à multis, quando Solem secundum Planetarum vterque posuerit, & Aristoteles Calippo & Eudoxo in globorum cœlestium asserendo numero consenserit. Sed nec in erronibus etiam, vt alibi est proditũ, certa concorsq; sentẽtia, de quibus Apuleius dum de Platonis dogmate differit, stellas ipsas erroneas & vagas dici affirmat, quoniam nostræ super earum cursibus opiniones disputationesq; possunt in errorem intellectum inducere, cuius etiam rei meminimus, & in libro de Prouidentia, & in quæstione de triplici Astrologia.

Redeo ad Aristotelem in quo confutando citarem Lactantium, sed nihil fortasse apud nostrates, aut certè parum haberet momenti. Laudat eum tamen Augustinus & in Gentes quorum è numero fuit Aristoteles, fortissimè scripsisse illum nouimus, authore etiam Hieronymo, Augustino, & alijs magni nominis: qui aliter de Aristotele sentiunt quàm multitudo nunc putet. Iustinus Philosophus & martyr in libro Gentiũ admonitorio qui superioribus annis est à nobis è Græco in Latinum conuersus, scribit apertissimè Aristotelem tenuisse eam animam, nõ quæ irrationalis habetur, & sensilis, sed quæ rationalis dicitur, & ab eodem Aristot. vocatur entelechia mortalẽ esse, ita enim Gręcè, ἀριστοτέλης δὲ ἐντελέχειαν αὐτὴν ὀνομάζων οὐκ ἀθάνατον, ἀλλὰ θνητὴν εἶναι βούλεται, & suprà quoq; dixerat Aristotelem noluisse, vt instar Platonis triplex esset anima, sed vna eademq; rationalis. Posteaq; scribit illum nõ perinde vt Plato putauisse eam mobilem, sed immobilem prorsus, motusq; omnis esse principium. Gregorius Nazianzenus apud Græcos Theologus per excellentiam nuncupatus, in disputatione cõtra Eunomium, Aristotelis de Anima sermones mortales appellauit, sicut & eos qui de Prouidentia deminutos, ipsiusq; artificiosum quasiq; subdolum dixerit scribẽdi modum, & humana nimis dogmata taxauit: nam cùm Pythagoræorum, & Platonis plæraq; reprehendisset & Epicuri reiecisset impietatem, de Aristotele verba faciens ijs ipsis dictionibus vsus est, ἀριστοτέλους τὴν σμικρολόγον πρόνοιαν, καὶ τὸ ἔντεχνον, καὶ τοὺς θνητοὺς περὶ ψυχῆς λόγους καὶ τὸ ἀνθρωπικὸν τῶν δογμάτων, Gregorius quoq; Nyssenus vti est notissimũ, scripsit, ab Aristotele existimatam esse animam corruptibilem. Deinde Theodoretus episcopus Cyri in libro de Natura hominis, cùm de Anima differit, inter alia scribit, δημόκριτος δὲ καὶ ἐπίκουρος, καὶ ἀριστοτέλης φθαρτὴν εἶναι ταύτην ἀναιδῶς εἰρήκασιν, hoc est, Democritus autẽ & Epicurus, & Aristoteles corruptibilẽ esse ipsam impudẽter dixêre, & alibi quoq; intellectũ aliud esse quiddã diuersumq; ab anima statutũ, ab Aristotele cẽsuit, animamq; ipsam mortalẽ existimatam Origenes Adamantius dum Philosophorum sectas enarrat eo in opere, cui ab eo φιλοσοφουμένων, est indita appellatio, inter Platonem & Aristotelẽ hoc maximè docet interesse, quod ille mortalẽ esse animam decreuit, hic minimè, atq; eius vt verbis vtar, ἐναφανίζεσθαι. Nec id semel dixisse contentus opere procedente repetijt: particulares verò singularésve ἀφανίζεσθαι sanctus Thomas, & plæriq; putant Aristotelem existimasse separatum ab anima nõ esse intellectũ, sed ipsius animæ siue affectionem, siue qualitatem, ab eius ipsius essentia profluentẽ:

In hoc

In hoc euarians à Theodoreto, ab ipsomet autē non solùm, sed Nazianzeno, & Iustino diuersa, & opposita prorsus via progressus, cùm decernit Aristotelē putauisse humanā animam esse immortalē. Sanè vti Plutarchum, Alexandrum, & Galenū taceam, quos capite superiori ostendimus putauisse mortalitatem animę creditam ab Aristotele, magna est in omni Ecclesia authoritas Nazianzeni, non à Hieronymo solùm, vt à discipulo magnopere laudati, sed in ipsis probati pontificijs decretis, magna Nysseni, magna Iustini, non Hieronymi solùm & Eusebij scriptis ornati, sed coronati martyrio, nec minima Theodoreti, cuius post tertij concilij disceptationes, & conflictus cum sanctissimo viro Cyrillo habitos, in quarto, hoc est, in Chalcedonensi primùm exagitata, mox & probata est fides, & scriptis proprijs illustris eius per se copiosaq; doctrina, epistola etiam Pontificis Leonis Maximi honorata, & laude etiam posteriorum, tituloq; beatitudinis insignis habita, vt in antiquis eius codicibus Græcè scriptis inueni. Nec parua etiam Origenis vbi non errasse in rebus quæ ad fidem præcipuè spectāt existimatur. Adde Augustinum qui animam quintum elementum ab Aristotele existimatam affirmat, quanquam quid senserit, quid non senserit Aristoteles, nihil ad fidem pertinet, sed ad Gentium doctrinam, qua in re præcelluisse Adamantium cōsensu publico decretum est, de quo etiam illud vulgatum vbi benè nemo melius. Præcelluisse August. nemo nescit etiam imperitissimus. Non derogo propterea Thomæ, qui horū fortè non vidit libros, vtpote Græcè scriptos, vidit certè Nysseni, quem hac de re non probat in secundo contra Gentes volumine, & si vidit non quid in re esset, sed quid sibi videretur velle Aristotelis mens, ex ordine contextus exposuit. Mos enim alioquin Parisiensium Theologorū cùm primores illi probatiq; sine cōtrouersia nostræ Theologiæ doctores quicquā ex professo nō dubitabundi, sed ex certa maturaq; sententia decernunt, omnino non contradicere, magis autem vt eorum dicta reuerenter interpretari propriam in opinionē trahere moliantur. Habuit tamen fortasse, vel certè potuit habere authores Thomas, in Aristotelea familia magni viros nominis, quos in Aristotele declarando sequeretur. Nam præter Theophrastum, & Hammonius, & Philoponus, & Simplicius insignes Peripatetici, prætereaque Sophonius & Theodorus Metochites, & alij scribunt, & multis probare argumentis conantur Aristotelē, & existimasse, & clarè scripsisse humanas animas esse immortales. Quid verò ego ipse hac de re sensisse putē Aristotelem, & quo modo in tertij de Anima libri cōmentarijs disputaui, maximoq; in digressione de ipsa Animæ immortalitate, vt assertores mortalitatis omnino repellerem, qua in digressione indicaui fieri facilè potuisse, vt magni illi ex nostra religione viri ex Alexandri maximè opinione de Aristot. opinione decreuerint, & ex sectatore, magni apud Peripateticos nominis, de principis eorū doctrina arbitrarentur. Hic autem nihil aliud volumus colligere, quàm quod tàm sese variè capiendā præbet Aristot. doctrina, vt incerta debeat iudicari, & authoritate Theologorū Græcè scribentiū qui eum reprehendunt nō æstimanda. Sed enim Thomæ nō solùm, & Alberto accidit, diuersè à prioribus Theologis in Aristotele intelligendo processerint, verùm & sectatoribus Thomæ etiamnum contigit, vt quem alijs in rebus, & sequuntur, & interpretantur, in hoc ab illo prorsus euarient. Et sanè pro constanti & firmo recipiēdum illud est, quod magnus quidam vir prædicare solebat, eos qui voluntatem in doctrinæ studijs præponunt intellectui, hoc est, qui prius vel affectione, vel aliorum opinione quàm ratione & examine diligenti de rerum veritate decernūt, sæpissimè falli. Sed hæc de anima satis, plura sexto huius operis libro sumus dicturi: quanquàm alia plæraque possent afferri, & in communi, & particulariter. Si quidem Gregorius Nazianzenus in primo contra Iulianum apostatam libro humanam omnem eruditionem tenebrosam & à veritate excidentem decreuit scribens, ἐπὶ πᾶσα ἡ τοῦ αἰῶνος τούτου δύναμις τε καὶ παίδευσις ἐν σκότει διαπορευομένη καὶ τοῦ τῆς ἀληθείας φωτὸς πόρρω πίπτουσα, quoniam, inquit, & omnis sæculi huius potestas, & eruditio in tenebris obambulat, & longè excidit à luce veritatis: sub omni autem eruditione eam quæ est Aristotelis, contineri nemo nescit.

In genere quoq; incertam non solùm Aristotelis, sed omnium Gentium doctrinā decimo de Prouidentiæ ostensione libro Theodoritus affirmat, cùm de rebus naturalibus eam habuisse nihil certi, & exacti clara voce pronunciat, nec solùm inuenisse illam aliquid τῶν ζητουμένων, vt eius vtar verbis, sed plenam redijsse, vt eius iterum vtar verbis,

verbis, ζόφε πολλε καὶ ἀπειρίας. Illudq; Apoſtolicum inter alia duxit in medium: *Si quis videtur noſſe aliquid nondum nouit quemadmodum noſſe oportet:* Multa quoq; ad hāc rem alio in opere duodecim in libros diſtincto aduerſus Gentes, illas ipſas ſanaturus enūciat. Gregorius quoq; Romanus pontifex xxvij. commētariorum in Iob. In hoc itaq;, inquit, mundo dum viuimus tunc perfectè quæ ſcienda ſunt ſcimus, cùm proficiētes per intelligentiā, nil nos perfectè ſcire cognoſcimus: & Ambroſius in ſexto hexameron inanē & vſurpatoriam (vt eius vtar verbo) philoſophiæ doctrinā à Moſe poſthabitam aſſeuerauit. Idem Ambroſius toto decurſu hexaëmeron operis, multis in rebus atq; in primis in natura ſiue eſſentia quinta, quæ cœlū ab Ariſtotele conſtare decernitur, Ariſtotelē ipſum explodit. Auguſtino quoq; ſeptimo ſuper Geneſim eadem quinta eſſentia contemnitur, & in ſuperioribus operis voluminibus cœlū ex materia factū aſſeritur, & eius figurā ſphæricam in qua aſſerenda multū laborauit Ariſtoteles, adeò non dignam in cuius diſcuſſione occuparemur cenſuit ipſe Auguſtinus, vt ſecundo ipſo ſuper Geneſim volumine hæc ſcripſerit: Quid enim ad me, inquit, pertinet vtrum cœlum ſicut ſphæra vndiq; concludat terram, in media mundi mole libratam, an eam ex vna parte deſuper velut diſcus operiat. At de ipſo quoq; Ariſtotele martyr Iuſtinus vti de authore incerto, & ſibi ipſi aliquādo aduerſo loquitur, ac eum de principijs diſſerentem aliter exponit quàm alij. Neq; enim formalem cauſam, ſed Deum quem in quinto ætherio corpore vt in ſeſe collocauit, ſimul cū materia rerum naturaliū principium dicit intellexiſſe, & aliter quoq; de ideis quàm poſteriores exiſtiment locutū docet, ſiue alios, qui perierūt eius libros viderit, ſiue correctiora, aut alia omnino nactus exēplaria. Incertos enim libros Ariſtotelis eſſe, ſuprà ſatis oſtendimus. Magentenus etiam Mitylenæus archiepiſcopus, cuius ſuprà habita eſt mentio, reiecit modum Ariſtotelicæ doctrinæ: Hieronymus quoq; duodecimo commentariorum ſuorum in Eſaiam libro, ſuper illis prophetæ verbis, *Conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens*, ita ſcribit: & ſapientiam philoſophorum, quæ & ipſa erroris pars maximè eſt, ſtultam eſſe monſtrabit, dum nequaquam humanis cogitationibus Dei probantur comprehēdiſſe ſapientiam: hæc Hieronymus, qui à philoſophorum cœtu neutiquam excludit Ariſtotelem. In tertio contra Academicos libro Auguſtinus, inquit, quoquomodo ſe habeat humana ſapientia, eam me video nondum percepiſſe: ſed cùm triceſimū & tertium ætatis annum agam, non me arbitror deſperare debere, eam me quandoq; adepturum. Suprà enim diſputauerat ſubtiliſſimè, an ſcire, aliquid ſapere, perciperéve homines poſſent, quod ſi hoc dicebat generatim de omni cognitione, quantò magis de ſenſibili cognitione atq; notitia? de qua poſtea ætate procedente minus etiam honorificè ſenſit: nam libro 83. queſtionum docet, à ſenſibus ſynceram veritatem expectandam non eſſe, ſenſu verò nititur Ariſtotelea doctrina.

CAP. X.

QVOD EX CHRISTIANIS THEOLOGIS IVNIORIBVS, QVI Pariſienſi ſtylo per quæſtiunculas ſcribendo celebres habiti ſunt, haberi poteſt Ariſtotelis doctrinam incertam eſſe.



T dicet aliquis, ſinamus veteres, adeamus iuniores Theologos, qui ſubtiliores multò habiti ſunt, neq; in veritate & diſcutienda vegetiores, & inuenienda perſpicaciores, apud eos enim Ariſtotelem celebratum adeò inueniemus, vt nihil ferè ſine eo decernere tentârint: contrà ego afferam, & multos, & diuerſis in locis Ariſtotelem vexauiſſe, & quanquàm Thomas, & Albertus plurimum ſint Ariſtotelem ſecuti, ſcribitur tamen à Thoma in quarto de Regimine principum libro, ſententias Socratis & Platonis non ritè ab Ariſtotele narratas, teſtimonio Græcorum Peripateticorum. Ipſeq; inſigni etiam contradictionis nomine condemnat Ariſtotelem, ſi quidem æternitatis mundanæ aſſertorem illum eundemq; humanas animas, & plures, & immortales exiſtimaſſe pronunciat. Quæ dogmata inter ſe pugnant ob id, quod ex ipſa æternitate mundi, infinitas numero animas eſſe cōſequitur: Ab infinito verò abhorret Ariſtoteles tertio maximè Phyſicorū & primo cœli libro, & quāquàm ſecundo cōtra Gentes volumine capite octuageſimo primo ſcribitur, in ſubſtātijs immaterialibus id nō affirmari, ſed in corporibus natura-

naturalibus. Hoc à Thoma non scriptum, sed vice glossematis fuisse appositum vt fa-cilè putem, id me mouet, quod paulò antè fuerat ab ipso Thoma asseueratū, opinio-nem qua contendebatur, non esse absurdum putare infinitas animas, eam principijs ab Aristotele positis repugnare, quoniam non esse actu infinitum decreuit. Quæ'nam igitur quæso repugnantia si in corporibus naturalibus infinitum esse actu putauerat absurdum Aristoteles, non autem absurdum si inueniretur in substantijs immateriali-bus? quâmnam, inquam, isthæc repugnantia? separatæ enim animæ immateriales sub-stantiæ sunt, quare tollitur potiùs repugnantia ex ipsa distinctione corporis naturalis & immaterialis substantiæ, quàm afferatur. Quò fit vt coniectari non difficulter possi-mus, ab aliquo Auicennę & Algazelis sectatore apposita illa in margine verba (in cor-poribus naturalibus non autē in substātijs immaterialibus) quæ postea in librū ipsum irrepserint. Apposita, inquam, vt eam opinionē non repugnare principijs Aristoteleis ostenderent, quam repugnare scripserat Thomas. Sed vtcunq; sese res habeat, neque enim propterea super hac repugnatione digladiari velim, illud certè cōstat, nullo mo-do infinitum numero dari actu posse, longè maximè asseuerari à Thoma in Theolo-gica summa, septima primæ partis quęstione, vt si nolimus probari à S. Thoma Aristo-telē sibi ipsi contradicere, inuiti certè concedamus propterea contradicere Aristoteli S. Thomam. Vnde & acutissimus quidā eius interpres, tametsi quod scribitur secun-do contra Gentes volumina non vti nos, sed vt alij, legit, nihil tamen minus affirmat, quarto ipso septimæ quæstionis articulo S. Thomam omnem viam concordiæ cum doctrina Aristotelis ademisse sibi, iuxta expositionem suam: quoniam ex opinione æ-ternitatis suprà narratæ, & opinione multitudinis animarum immortalium, sequitur animas humanas esse actu infinitas, quas nullo pacto infinitas esse posse ipsomet arti-culo planè decreuit. Cæterùm Thomæ discipulus Egidius Romanus, sibi ipsi contra-dicere Aristotelem nō abnuit, dum ad mundi quam fuerat commentus æternitatem, animarum numerus infinitus, quem non admisit, sequeretur.

Neq; autem me latet quid hac de contradictione multi dixerint, & alios ad nouita-tem mundi ab Aristotele positā, sed in libris qui apud nos nō visuntur cōfugere: Alios ignorationis potiùs & obliuionis damnasse Aristotelem quàm contradictionis, vt & ipse Egidius visus est velle, in opere quod appellatur Quodlibet, & Durandus in secū-do, in sententias commentario, & quicunq; asseuerârunt non respexisse Aristotelem, quæ ad ipsa sua placita cōsequebantur. Alios infinitatem eam non actu, sed potestate decernere, vtpote cui fieri posset additio, alios alia. Sat est ab alijs, contradictionis, ab alijs obliuionis & ignorationis nomine damnatum, ab alijs suspectum fuisse nomine tarditatis. Sanè ab Alberto etiam reprehenditur Aristoteles, cùm animal cœli motorē nuncupauit, & cùm de numero cœlestium corporum, eorumq; motoribus dubiè dis-seruit. Visum quoq; Henrico, Guilielmo, Herueo, & alijs, de anima perperā decreuisse Aristotelem ipsiq; Henrico multis rationibus comprobatum est, via naturæ vllam nō posse haberi synceram veritatem, & opus esse irradiatione diuina. Et quanquàm Io-annes Scotus non ille Monachus de quo suprà locutus sum, sed ex Minorum ordine, eius opinionem acriter impugnauit quarta quæstione distinctionis tertiæ primi in pa-trum sententias cōmentarij: Non maiori tamen fortasse negocio dissolui Scoti ratio-nes possent, nec minus probabiliter quàm eas quas attulit Henricus rationes, ille dis-soluerit, vt ex ijs quæ secūdo libro disputata sunt, quoquomodo colligi potuit, clariùs multò libro sequēti percipietur cùm hac de re particulatim verba faciemus. Ipse quo-que Ioannes Scotus in quarto cōmentariorum taxat Aristotelē, quòd minimè per-stiterit in sentētia de Anima, & modò hoc, modò illud adduxerit, quòd nō omnia na-turali ratione firmata protulerit, persuasibili & vulgari Philosophorum opinione sæ-pè contentus, & in secundo commentario scribit multa Aristotelem contradictoria latenter cōcessisse, & alia aduersus eū, cùm in libris Sententiarū, tùm alibi sparsit. Gre-gorius Ariminensis cùm disputat de propositione singulari futuri temporis, apertè scribit Aristotelem in pluribus errauisse & sibi ipsi contradixisse. Durandus quoq; in primo commentariorum in Theologicas sententias nō nimiùm tribuit Aristoteli. In secundo verò volumine distinctione prima, quæstione tertia, apertissimè dicit Aristo-telē non solùm cōtra fidem, sed etiā contra rationem naturalē errasse, dum æternum mundum asseruit, & rationes eius octauo Physicorū facilè posse dissolui, atq; in ipsa

quæstio-

quæstionis fine protulit Aristotelem in ijs quæ de infinito dixerat tertio Physicorum libro, sibi ipsi in octauo eiusdem operis contradicere videri. Ioannes Baccon Carmelita quanquàm Aristotelis, vt ex eius apparet Theologicis operibus, magnoperè studiosus, non semel in primo commentario in sententias, etiam in secundo, tradit Aristotelem errauisse contra principia philosophiæ, & sibi ipsi contradixisse, nec desunt qui de Galaxia illum errasse dicant. Nicolaus Cusa S.R.E. Cardinalis non Aristotelis solùm, sed humanam omnem scientiam impugnauit, & omnem similitudinem claudicare, nec ea attingi veritatem affirmauit, & omnem creatam imaginem ab exemplari excidere, & omnem humanam veri assertionem coniectura constare existimauit. Petrus Alliacensis idemq; Cameracensis Cardinalis tertia quæstione in primo sententiarum, scribit in doctrina siue philosophia Aristotelis nullas, vel paucas esse rationes euidenter demõstratiuas, eamq; quam iudicat omnibus apparentiorẽ, de vnitate Dei ex rerum productione in primã causam relatam probabilem tantùm existimauit, non euidentem, cui & respondet, & aliam præponit, ex conseruatione rerum quàm ex productione, Gulielmi opinionem dum sequitur, validiùs argumẽtari posse arbitratus. Ibidemq; affirmat quod Philosophia Aristotelis seu doctrina (vt eius vtar verbis) magis dici debet opinio quàm scientia, & valdè reprehensibiles iudicat qui nimis tenaciter Aristotelis adhærent authoritati. Nec multò pòst de felicitate locutus prodidit, eam ab Aristotele vmbraticè somniatam. Nicolaus Lira in exordij suæ in sacra eloquia enarrationis affirmat constare Philosophos omnes humanæ tantùm vestigationi innitentes, inter deducendum cõclusiones à primis maximè principijs longinquas, aberrauisse. Certè constat Ioannem Gerson nondum Aristotelicæ cognitionis per solam inspectionem phantasmatum, & æternam illius rerum, pro gignenda scientia aptitudinem, improbasse. Sic & Herueus de separatis substantijs multifariam taxat Aristotelem, & multa prætereà aduersus eum scribit his voluminibus citata. Robertus Olchot eius de mundi vnitate rationes eludit, in secundo commentario in sententias Theologicas. Atq; vt breui sermone colligam vniuersa. Non defuêre & qui Physicam siue naturalem philosophiam, & qui transnaturalem, siue vt dicitur neotericis Methaphysicam malè ab Aristotele scriptã asseuerauerint. Legimus in prima quæstione Ioannis Canonici de subiecto scientiæ naturalis eam ipsam philosophiam naturalem, & erroneè, & insufficienter, vt eis vtar verbis, fuisse ab Aristotele traditam, & apud Franciscum Maroneum legimus in tertia quæstione distinctionis quadragesimæ septimæ conflati operis, Aristotelem non solùm de inuidia in Platonem, cuius dogmata ritè proprieq; non retulerit, sed etiam de ignoratione abstractionis, deq; pessima rerum Methaphysicarum traditione condemnatũ. Franciscus idem super quarto Augustini libro de Genesi improbauit sui temporis Theologos qui pro se libentiùs ex Aristotele quàm ex Augustino testimonia citarẽt, quare si nõ desunt ex Parisiensibus Theologis qui Aristotelem quantùm licet ei, per nostra sacra tueri voluerint, non defuerunt etiam ex eisdem Theologis viri magni nominis, qui illum ipsum condemnârint, quod & ex primo huius quarti libri capite, & hoc ipso decimo, lectori perspectum esse facilè potuit.

CAP. XI.

EX MVLTIS ARISTOTELIS ERRORIBVS eius doctrinam incertam conuinci, eadem nunc in vniuersum tanguntur, & explicabuntur sequentibus libris.


CÆterùm cùm scribat Gregorius, & alij quos suprà duximus in medium, plures illum errores commisisse, & nõ percenseant singulos, reperire aliquos nos ipsi tentabimus, eos etiam prætermittentes in præsentia, quos & Theophrastus, & alij eius sectatores annotauerunt: Sed certè qui erat in pluribus, sibi ipsi tollit fidem in paucioribus. An homini in plerisque erranti assentiemur? Ita vt quemadmodum nos fefellit in illis, fallere quoque possit in alijs? Annõn magis suspendemus iudicium, & incertum quod relinquitur, habebimus? quando in diuinis libris si aliquis vel officiosus error mendaciumq; inueni-

retur, antiqui Theologi pronunciant futurum vt haberētur incerti. Sed negabit fortasse quispiam Aristoteli nimio plus addictus, aberrasse illum, & Auerrois autoritate illa iam confutata fretus, contendet in omnibus veridicum. At si cū Christianis est mihi sermo, respondeant quæso? Num de principio mundi vera sit eius, an falsa sententia? falsam dicturi sunt, si Christiani sunt. *In principio* (inquit Moses) *creauit Deus cælum & terram*, Aristoteles autem nullum habuisse principium affirmat, & multis argumentis probare nititur in octauo Physicorū, quæ argumēta sexto præsentis operis libro monstrabimus veritati repugnare. Qua etiā in re falsum id protulit à solo Platone mundum tempusq; factum: Nanq; ante illum Pythagoras & alij permulti ea opinione freti mundū à Deo conditū protulêre. De fine verò mundi quis error inexpiabilis? quem, vt puto, suo motu non effugiet: Nam nō solùm incorruptibili substantiæ contulit, vt nō dissolueretur vnquàm, verùm & illi sempiternū largitus est motum: Itemq; sempiternam generationē & infinitam commentus est, quę quis non videt nostræ veritati catholicæ tàm repugnare, quàm quod maximè? Quod autem repugnat vero, quis non esse falsum aduertat? Sed quod errores hinc pullulant aduertamus: Homines fuisse semper, homines nunquàm defuturos super terram, æternam primā materiam, æternam hominum generationē, infinitos homines, animas numero infinitas, quas nūquàm redituras in corpora vano dogmate sparserat. Et alia plæraq; nostræ fidei maximè aduersa, quæ Christiani homines nominis, cōpescere deberent, ne se illi tanto tempore mancipar ēt. Plato hac in re vero proximior, & conditum à Deo cœlum affirmās, & eius voluntate posse dissolui, & subterraneis in locis homines dare pœnas scelerum, animarumq; iudicium, & resurrectionem non abnuit: quare maxima illa, atq; inexpiabilia Aristotelis facinora vniuersam eius doctrinā corrumpūt, & alijs in rebus reddunt incertam. In libro etiam de mundo ad Alexādrum vna in re plures cōmisit errores, quos monstrabimus libro sexto: Atqui alia quoq; nō desunt. In meteoris scribit fieri non posse, vt iris inueniatur maior figura semi circuli, quem errorē oculis proprijs abhinc annis quindecim compertum retuli eo in libro, qui inscribitur de Studio diuinæ, & humanæ philosophiæ. Et alium quoq; errorē de iride nocturna quis defendet? quā negat posse cōtingere nisi statutis quibusdam longisq; temporibus, cuius delirij, & magnus meminit Albertus, eumq; ipsum errorē tertio abhinc libro particulatim incessemus. De Galaxia quoq; tritam accusationem pręte-reo. Ad hæc si dum narrat Aristoteles desideratur ab eo fides, & veritas, quantò magis dum disputat? Si enim certus non est author in alienis opinionibus, sententijsq; referendis, quo pacto debet haberi dū illas aut firmare satagit, aut demoliri? Et sanè in principijs rerum naturaliū recēsendis multa delinquit. In quarto quoq; libro primæ Philosophiæ de Anaxagora, alijsq; simul antiquis Philosophis cùm mentionē fecisset, subiecit illos omnes existimasse solùm experiri entia sensilia, cū tamē ipsemet Anaxagorā & alibi, & ipso eiusdem operis libro tradat, mentis intellectúsve mentionem fecisse. Cæterùm & illos vexauit perperā, quòd prudentiam, hoc est, mentis habitum, à sensu nō differre affirmârint, vti partim libris superioribus, partim libro sexto ipsorummet Philosophorum, quos falsò accusauit, verbis ostēdetur. De principijs quoq; naturalibus dum disserit eatenus loquitur, vt eius expositores pro certo se comperisse putent, nullum extitisse Philosophorum qui solam terram principiū rerum naturalium existimauerit: Idque etiam rationis adducunt, vt euenisse id ipsum censeant propter eius crassitiem, sed à plærisque solam terram principium rerum esse naturalium creditam, & superioribus libris diximus, & Sextus Philosophus, & Theodoritus Theologus affirmant: Opinionem quoque Parmenidis non ritè fuisse interpretatum Aristotelem, sui etiam Peripatetici iuratissimi produnt. Ad hæc Parmenidis ipsius Empedoclis, Anaxagoræ, & aliorum, ipsiusq; etiam Democriti opinionis in quarto Metaphysicorum positas circa veritatis iudicium, nō ritè narratas, & suprà est dictum, & eodem libro qui erit huius operis sextus atq; vltimus, mōstrabimus apertissimè. In Moralibus etiam libris præter aras, quas dijs Gentium, & Heroibus strui voluit, num illud magnum crimen & inexpiabile doctrinæ scelus, cùm cædem præcepit monstrosi puerperij? quæ quidem prætereo, tùm quod aliàs de ijs disserui, tùm quod sepositus est his omnibus locus: cùm particulariùs doctrinam eius & incertam, & sæpè falsam sumus ostensuri. De arte demonstrandi, quam imperfecta

perfecta ea sit, libro sequenti verba facturi sumus. De fallacijs autem quas nobis tradidit vice demonstrationum, certæq; doctrinæ, nihil etiam ad præsens, quãdo totus qui huius Operis liber vltimus erit, ei ipsi rei patefaciendæ deputabitur.

CAP. XII.

QVOD OMNIS DOCTRINA ARISTOTELIS FVNdatur in sensu, qui quoniam sæpenumerò fallax est & alijs decipi modis potest, præterquàm ijs quos ipse recensuit, ideo incerta putanda est. Ibiq; contra eos qui dicunt sensum ex Aristotelis sententia non falli, ac præterea ostenditur tolli rationes, quibus ipse veritatem sensus probare sategit.


Erùm enimuerò cùm Aristotelis doctrina fundetur in sensu, ideò facilè conuincetur incerta, quia non incertus modò plurimum sensus, sed sæpenumerò fallax, ac pluribus modis alijs quàm putauerit Aristoteles, & decipere potest, & decipi. Est enim sensus suapte natura verus ni sit varius, varius autem in diuersis hominibus est, & quandoq; in eodé, & sæpenumerò de suis sensionibus ambigunt plurimi, vt opere procedẽte patefiet, vnde nec generalis regula sensilis veritatis quæ & vniuersis, & singulis hominibus, & semper aptari queat (ni ego quidem fallor) inuenietur, qua de re sequẽti libro latiùs disseremus. Verus enim habitus est olim sensus, ni res permutetur sensilis, & intermedium sentiendi non inficiatur, sed creberrima variatio cõtingit, & sensiliũ permutatio frequens, & multiplex, ac intermedij fluxilis instabilisq; natura. De ijs quidẽ postremis aliqua præcepit Aristoteles, de priori verò varietate non disseruit, qua de re nunc pauca, plura libro sequẽti dicturi sumus. Est itaq; apud Aristotelem vbiq; videre hoc sensus fundamentum magna cura iaci solere: atq; vt ab Analyticis Logicæ libris posterioribus fiat exordiũ, quib⁹ omnis nititur Aristotelica doctrina, quibusq; reliqua reddere certa magna cura molitur, sensum vnicum esse totius ædificij fundamentũ comperimus, totiusq; demonstrationis initium: Eam enim demõstrationem ex propositionibus vniuersalibus communit, propositiones vniuersales ex singularibus, per inductionem colligit, singularia sensu deprehendit: porrò Physicis quoq; libris id præstituit principiũ, innatam esse nobis viam à notioribus nobis ad ea quæ naturæ sunt notiora, nobis autem magis nota, quæ sensibus haurimus: sic & reliquis in naturalibus libris, & in Meteorologicis facilè est cõprehẽdere. An in primo quoq; de partibus Animalium ipse sese non satis explicuit? Asserẽs nobiles illas & interitus expertes substantias, minus à nobis propterea cognosci posse, quod parum, scilicet, sensui paterent: Et in tertio de Generatione animalium, dum de apum generatione disserit, sensui dicit (quod & suprà narratum est) magis credendũ, quàm rationi, cui quidem rationi postea fidem adhibendam censet, si quæ demõstrantur, cum ijs conueniunt rebus, quę sensu percipiuntur. De Ethicis nihil opinor nunc loqui oportere, quando ipse incertam eam facultatem & probabilem duntaxat affirmârit, vt quæ demonstrationes suapte natura non admittat. At in Metaphysicis, in quibus non solùm certam doctrinam sategit perscribere, sed ostendere facultatem esse quæ omnium aliarum facultatem artifex esset iudexq; primaria, num sensum præponit? & sensuum etiam dilectionem argumento esse voluit, vt omnes homines natura scire concupiscerent? Si tamen illud initium Aristoteli, & nõ Theophrasto iure debeat adscribi. In quarto verò eiusdem operis præcipuo & subtilissimo libro, vt qui versetur circa ipsa cognoscendi principia, quæ ducebantur à multis in controuersiam, num præponit sensum? tum, cùm veterum opiniones Philosophorum falsò tamen (quod vltimo libro monstrabitur) recitatas improbare conatur. Semper enim ibi prouocat ad sensum: ad ipsum profectò magnis artibus identidẽ appellat, quibus ex omnibus liquidò conspici datur ipsam doctrinã Aristotelis in sensu fundari, aut cùm res haurit per suas species formásve, aut cùm haustas discutit, atq; dijudicat, siue hoc ad eundem sensum, siue ad alium, siue ad plures pertineat. Nam de hac re nondum apud omnes lata sententia est, ne dum rei iudicatæ robur obtinuit: quàm vero sit incertũ hoc, sensus, siue iudicium, quamq; id vel Aristoteles ignorauerit (neq; enim hoc mirum, nam

& si magnus fuit author Aristoteles, homo tamẽ fuit, cui ab ipso ortu naturę, ipsomet authore, magis propria est atq; connata ignoratio quàm scientia) vel ignorauerit, inquam, vel non cõsiderauerit, vel reticuerit, particulatim monstrabimus libro sequẽti, hæc enim in vniuersum duntaxat nunc disserimus: Ipse certè fatetur aliquibus modis falli sensum posse, idq; trahi, cùm ex secundo libro de Anima potest, tùm ex alijs operibus, Secundo, inquam, quoad pertinet ad Latinorum diuisionem, qua etiã vtemur ipsi subsignando loca in processu operis, quoniam Latinis potissimùm scribimus, alioqui multa signari oporteret in tertio, si Græcorum diuisionem sequeremur, vti suprà docuimus. Ex hoc itaq; de Anima opere, tùm ex libro de Sẽsibus, & his quæ sentiuntur, ex libro quoq; de Coloribus, non nihil etiam ex quarto primæ Philosophię libro, ac alijs plęrisq; locis (neq; enim vno solo hac de re suam opinionem prorsus explicuit) nec nõ & ab eius interpretibus fallaces modos collecturi sumus, & non nihil etiam fallaciæ, vt ab ea cauere possimus subsignatur.

Principiò itaq; falli putãrũt sensum, si circa rem obiectam versaretur, quæ propria illi non esset sensui qui faceret iudicium, sed vel alterius extrinsecùs positi, vel sensus qui communis dicitur, puta si auris colorum notitiã haurire vellet, & oculus de harmonia sonora sentẽtiam ferret, atq; vt noto vtamur exemplo: si Socrates, quoniã albus esset, diceretur ab oculo cognosci, accideret ei albo, quod visu percipitur, esse Socratem: ex accidenti itaq; Socrates diceretur persentiri, quomodo & visus, & cæteri sensus extrinsecùs positi fallerentur. Item si de magnitudine, motu, figura, & cæteris id genus, quorum iudiciũ pertinet ad sensum, qui collocatur intrinsecùs, sensus ipsi arbitrarentur. Quare oportet vt ad proprium sensile dijudicandum feratur sensus, si verax debet haberi, & non ad alienum, etiamsi iunctum sit proprio ex accidenti, nec item ad rem obiectam communem, verbi causa, magnitudinem, motum, & cętera, quibus vnum præstituit sensum Aristoteles, quem nuncupauit communem, intrinsecùs positum, cui iudicium competeret omnium quæ extrinsecùs hausta essent discernẽdi. Qui enim foris sunt sensus, solas & sibi proprias qualitates hauriunt sine materia tamen, vt ipse secundo de Anima libro docet exemplo cęræ, quæ annuli aurei æneiue signum, sine auro, sine ære suscipit. Qui autem est intus communis sensus, & eas quæ alijs propriæ sunt qualitates, & quantitatem præterea & quæ cõmunia illis sunt, dijudicat. Quare falli sensus extrinsecùs sitos Aristoteles censuit, cùm vsurpare sibi communis sensus iudicium præsumunt, & etiam cùm quæ alijs sunt propria sensibus, ipsi ex accidenti dijudicare moliuntur, vtpote quæ ideò sentiantur, quoniam proprio accidant sensibili. Tertio ex distãtia nimia, nam aliter cùm prope res & iustè, aliter cùm longè & nimio plus collocata est, sensus arbitratur. Quarto si infectum sit intermedium corpus diaphanũ perspicuúmve, si de visu loquamur, quo species rei sensilis ad pupillam deferuntur, vel alia intermedia etiam infecta sint, vt in auditu, si inficiatur aër quem permeant soni, ad auditionis delati sensorium, vt in olfactu, si vel aër, vel aqua, vel ex ijs conflata natura carens (vt inquit Aristoteles) nomine, quo intermedio odorata species defertur ad proprium sensorium quod circa cerebrũ collocauit ipse in libro de Sensibus. Item si caro afficiatur per quam gustabilis tactilisq; species, ad sensorium quod repositum circa cor ipsemet censuit, perferatur. Quinto si morbo infectum & extrario quopiam casu impeditũ sensorium sit. Sexto loco fuẽre qui numerarent magnitudinem debitam, & qualitatem, nam & tàm parua illa, & hæc tàm remissa esse posset, vt inde fallacia oboriretur, quãquàm sunt qui hoc velint eludere, quia si sensibile id fuerit iam sensum non effugiet. Sed & si prorsus non effugiat, aliter tamen propterea prehendi potest quàm debet: qualitas enim remissa, minori etiam hærens magnitudini, minus tamẽ suam diffundet imaginem quam si maiori esset in mole. Sunt & alij qui aliud adijciant, recidere tamen in hæc quæ retulimus omnia, facilè queunt, vt hinc longè fallantur qui sensum non decipi ex Aristotelis sentẽtia censeant. Cùm tot ille probatiq; eius interpretes fallaciæ modos enumerauerint: Sed quàm friuola ratione id commenti sint videamus.

Non fallitur, inquiunt, sensus, quoniã ita iudicat vt afficitur: Si enim lingua quæ sit bile infecta, mel gustatum amarum percipit, quo modo fallitur? Sentit enim speciem amaritudinis, atq; ita iudicat, ita de intermedij fallacia pari proportione statuũt & de cæteris. Sed cur non idẽ de cõmuni cognitrice potestate decernunt? quæ enim causa

diuersita-

diuersitatis, si ex eo quod apparet, & quod videtur, id quod non verè ita sese habet dijudicat? tum enim quæ absurda sequerentur, nemo nescit, eandem rem falsam & veram esse, ac eiusmodi cætera. At dissoluant operæprecium est quo pacto sensus ipse de ambiguis ferat sententiam? Sunt enim quocunq; in sensu aliqua, quæ indigeant discerniculo. Feret ergo modò hic, modò illic sententiam diuersam atque pugnacem nunquàm certam, si ex sese aliam non habet facultatem discernendi dijudicandíve quàm eam, qua sibi quicquam primo præsentabitur, præter id nunquàm eueniet vt non fallatur illius iudicium, si de re ipsa secundùm se non discernat: ad rem namque obiectam iudicium resoluitur, quia de ea potissimùm quæritur. Neq; enim de verbi causa, quæ in lingua est, specie fit quæstio, sed de melle, dulce sit an minimè? quare si amarum iudicat ob bilis speciem iam sibi impressam, falsam profert de melle sententiam, & nunquàm veram proferet, si de re quæ obijcitur ipsi sensui, nō rectè arbitratur, quod facere nequit nisi eius imaginem syncerè hauriat. Quare non modò fallitur, sed & sensui communi, & ipsi etiam intellectui magna esse potest erroris occasio: quandoquidem sensus ipse communis nititur exterioribus in iudicio ferendo tanquàm testibus & indicibus, pariq; proportione intellectus, quare & falsa hæc, & ab Aristotele minimè tradita sunt: existimat quidem Aristoteles sensum propriæ obiectæ rei non falli, sed alijs rationibus quas in quarto Metaphysicorum attulit, ex terminis à quo, & ad quem, vnde motus ipse deprehendatur: ex rei specie quæ maneat mutata quantitate, ex cœli consistentia immobiliq; natura: quas ego rationes huius Operis libro secundo, capite vigesimo secūdo dissolui, inuehiq; maiorem cognoscendæ rei difficultatem aperui, nec si accidētia sensu cognosci, eo ipso authore, subsignaui: nec cœli substantiam etiam si ipsa mutaretur sensu cognosci posse subdidi, cui nec ipsum cœlum, nec immobilis vlla natura subijcitur vt apprehendatur. Cognosci enim veritates multæ per sensum queunt, sed vt cognosci possint rationes illæ Aristoteleæ extra controuersiam non probauerunt. Incerta enim plurimum sensilis cognitio, multasque adesse conditiones oportet, ne labatur sensus & in indicando, quod & Aristoteles & sectatores qui sensui mirum in modum fidunt, cùm animaduertissent, exceptiones attulerunt multas, de quibus iam verba fecimus: Quare hæc de veritate sensus, & fallacia ex Aristotelis, & interpretum sententia summatim, & ingenuè retulimus, quæ reddunt suapte natura fallacē viam, de rebus exactè, & ad perpendiculum iudicandi, quando intermedius aër, vel aqua, vel caro facilè potest infici, ideoq; sensum vel remissione multa effugere potest. Sed & interstitij circunstantia quandoq; fallit, quoniam nec decretum est, nec decerni potest quanta illa debeat esse, quæ veraci iudicio deputetur distantia: Quoniam alij perspicacia sensuum pollēt, alij hebetudine laborant. Sed præter has vna est incertitudo quæ prodit ex diuerso humani corporis temperamento, qua variæ ab alijs apparitiones fiant, & sensamenta diuersa, vnde non vnus tantùm, sed multiplices errorum modi oriri possunt in sensu: Qua de re non præcepit Aristoteles: Ego verò libro sequenti idipsum exequar, sic & in libro de Imaginatione quo pacto ea variet, fallaturq;, & quo pacto corrigi queat, edocui, quod Aristoteles quem eo in libro plærisq; in rebus secutus sum, non explicuit, quanquàm eam fallacem ipse asseruit, sensum autem veracem. Qui si probè cōsideretur, tàm est varius vt illius, & indicium, & iudicium infirmum, & incertum magna ex parte reddatur, si vna eademq; apud omnes exacta regula sensilis veritatis, Aristotele authore, sit habenda. Sed hæc in vniuersum de sensu, de quo libro sequenti particulariter & exactè magis. Ideò illuc huiusce rei cupidum lectorem relegatum volo. Nam hic quodam quasi transcursu & narratione res agitur potiùs quàm disputatione, quanq; vllis, quæ rem tantam comprobare queant argumentis.

CAP. XIII.

QVOD IPSEMET ARISTOTELES FATEtur sui ipsius doctrinam incertam esse.



AT nihil (si placet) superiora nobis, quàm sit Aristotelis incerta doctrina monstrauerint: Ipsum si percunctemur Aristotelem, respondebit vtiq; si de Morali Philosophia mentionem habeamus probabilem quidem illã, nec ad certam, & exactam rationis normam exigẽdam, quoniam, cùm id rei natura quam tractat non patiatur. At sine percunctatione nos ipse antea præmonuit, ne à se videlicet peteremus, quod præstare non posset. In Logicis etiam aliorum opiniones plærunq; secutus id sæpè repetijt: Dicũt, dicitur, & huiuscemodi similia. In Metaphysicis comparat intellectum nostrum oculo vespertilionis, qui ita sese habeat ad solem vti nos ad prima, & summa naturæ contemplanda, vt qui videlicet non exactam, & puram, ac per hoc minus certã rerum notitiam hauriamus. Et ipso initio secundi voluminis primæ Philosophiæ si eius initij author est Aristoteles cùm præfaretur, veritatis contemplationem partim facilem, partim difficilem, eatenus probari difficilem voluit, quod neq; illam dignè quisquam consequi possit, ad eamque ipsam singulos aut nihil, aut parum conferre, causaturque humani (vti diximus) imbecillitatem ingenij. Atque in primo de partibus Animalium leuiter nos attingere res superiores arbitratur, & si ob earum excellentiam oblectemur magis quàm si inferiora cuncta teneremus. In secũdo verò, de homine quàm nõ certa esset, & exacta cognitio illa, eius verba declarant, hominẽ vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis aut diuinitatis esse participem, aut omniũ maximè: In secundo quoq; libro de Cœlo probabili sæpè coniectura delectari eis in rebus nos docet: in Meteorologicis verò cùm ea de quibus acturus esset, præfaretur, scribit hæc verba: ἐν οἷς τὰ μὲν ἀπορῦμεν τῶν δὲ ἐφαπτόμεθα τινὰ τρόπον, hoc est, in quibus aliqua dubitamus, aliquam verò quodammodo tangimus. In naturalibus vt qui vno modo non posse dari vnicam responsionem aduerterit, quando respondet ἐστὶ μὲν ὡς ἐστὶ δ᾽ ὡς οὔ, est autem vt sit, est autem vt non, vt in calce primi Physicorum. Itemque alibi ferè, quasi, fortè, & id genus particulas ambiguas, & incertam reddentes orationem expromet, sæpè etiam geminatas ponit ipsas ambiguas particulas non vna contentus: Nam cum primo de Animalium Generatione, rationem redditurus esset, de causa materiæ, finis, formali, & efficienti, quo modo in opere videlicet ipso de Animalibus eas omnes complexus omnibus satisfecisset: Deinde cùm vnam & eandem esse quæ formæ, & quæ finis esset, vellet asserere vsus est ijs verbis: ὡς ἕν τι σχεδὸν ὑπολαβεῖν δεῖ, quę verba Theodorus vertit, quasi vnum quoddam ferè existimanda sunt. Sed enim & de rebus alijs quanquàm exploratis, non tamen ausus vniuersalem inferre notitiam, sed probabilem & plurimùm non semper & omnino ratam, vnde illud eius in sexto de Natura animalium, verum ita hæc nos exponimus vt magna ex parte res euenit. De anima verò pręcepturus scribit difficillimum esse aliquam de ipsa probationem capere atq; ita præfatus est: πάντη δὲ καὶ πάντως ἐστὶ τῶν χαλεπωτάτων λαβεῖν τινὰ πίστιν περὶ αὐτῆς, quibus ex verbis omnem reliquam eius doctrinam reddidit incertam: ex anima enim eiusq; functionibus, sensu, intellectu, phãtasia, omnis doctrina capitur. Quare isthęc omnia quorũ naturam, proprietatem, munia tractat ipso in opere de Anima inscripto, reliquit inter difficillima cognitu, & probatu, quæ tamen cognitionis & probationis aliorum causa sunt, ex debilitate verò aut obscura difficillimaq; causę notitia, quis non videat effectus etiam ipsos pari & deteriori etiam cõdictione quàm sit causa depromi? quasiq; id tunc pronunciauit ingenuè, maiorem rerum earum quæ scire se putauit partẽ minimam illarum esse, quæ ignorabat, adeò in his etiam, quę videbantur, incertus, vt hinc ipsam expresserit tuleritq; sententiam, dubitare de singulis nõ esse inutile: quod nõ fecisset si certa notitia pollere se animaduerteret, atq; hac in re Scepticis assentiri videbat. Idẽ sæpenumerò non affirmat, sed ait ita videri, quod est propriũ, & peculiare Scepticorum. Aliorum etiamnũ citat opiniones loco testimonij, quin & roborat proprias alienis sæpenumerò placitis, & Poëtas citat Lyricos, & ipsum Homerum, cuius carmine de rebus altissimis librũ Primæ philosophiæ duodecimum terminauit, vt qui propriæ imbecillitatis humanæ, errori falsitatiq; obnoxiæ probè cõscius, si

non sibi, poëtis tamen illis, quorum tamen non valida, sed debilis in philosophiæ rebus authoritas, assentiendum videretur hortari, liberam etiam electionem lectori sæpenumerò reliquit, nō de maximis solùm rebus, sed de minimis, in quibus tamen percipiendis diligētissimè versatus fuerat. Sic de numero orbium cœlestium eorūq; functionibus in Metaphysicis quæ dicuntur rebus, sic de coitu & generatione apum in quinto de Natura animalium (ne plura citem) magnas lites à posteritatis iudicio non subtraxit. At qui suam hanc ambiguitatem nō solum auxit scribendi genere, sed etiam declarauit se velle incertam ipsius doctrinam haberi, & ijs qui se non audissent prorsus non intellectilem. Extat ad hanc diem eius epistola, qua respondet Alexandro Macedoni ægrè ferenti, quod libros Auscultatorios, ita ipse nuncupat, inuulgasset, affirmans & editos illos esse, & nō editos, vtpote qui cognobiles futuri nō essent, præterquàm ijs, qui illa quæ ipsis continerentur in libris, ab eius ore primitùs accepissent: huius etiam epistolæ meminit Gellius, meminit Simplicius, & Plutarchus eadem refert in Alexandri vita, quantū pertinet ad libros Metaphysicos. Quare si ipsemet Aristoteles hosce de prima Philosophia rebusq; altissimis, & de Physica Auscultatione libros, pro non editis habuit quantū ad eos pertinebant, qui se nō audissent, nostrę ætatis, & aliarum etiam longè superiorum homines, ipso aduersante Aristotele, se illorū sensa percipere profitebuntur: si suam ipsemet author doctrinam non incertam modò, sed nō intellectilem pronunciauit, & re minus credentibus comprobauit, quādo ita scripsit, vt quisquis illam pro se capiat & aptet sibi, perinde ac diuersos vt quibusdam proditum est Chameleon colores, quæ tandem iniuria non modò intellectilem eam, sed etiam certam pronunciare? Sed iam quintum Operis librū & in Aristotelis doctrinam secundum aggrediamur, quo in libro comminus agendū est, & quasi stataria pugna decernendum, vbi erit opus veterano milite. Decem enim quæ iam emissa sunt tela & velitibus, & etiam tyronibus possunt esse communia.

CAP. XIIII.

EPILOGVS QVARTI LIBRI VBI DE CERtitudine sacrarum agitur literarum.



Idimus incertam plurimùm haberi debere doctrinam Aristotelis, publico ferè doctorum hominum magnæq; authoritatis consensu, non solùm qui in nostra Ecclesia maximè floruêre, sed qui apud ipsas gentes præcipuo in honore habiti fuerunt, & qui ipsum etiam Aristotelem audiuerunt docētem, & qui de eius doctrina, & libris historiam contexuêre. Ipsius quoquemet Aristotelis vidimus, & si nō in se, certè nec pro se allata testimonia, vt certa illa ipsa doctrina crederetur. An igitur Sacras literas non sumus adituri? cui veritatis præbent testimonium quicunq; eas aut legerunt vnquàm aut ipsarū initia considerârunt, aut decursum animaduerterunt, aut famam etiam, vel de longinquo perceperunt celebratissimam, & hominum decreto ad immortalitatem consecratam. Nihil illas labefactârunt tineæ, non fossæ madidæ situm inusserunt, nō captiuitates & exilia vitiârunt. Hebræi ipsi partem colunt, nostri omninò venerantur, Gentes admiratæ sunt, nulla de ipsarum certitudine suscepta vnquam disceptatio, quoniam Dei & erant, & habebantur oracula, ad quæ vel tenus cortice noscenda primi Philosophorum cucurrerunt. Ea ipsa & humana ratio prona, & quasi cernua venerata est, dæmones inuiti celebrauerunt, & orbis vniuersus vario salutauit assensu Mosis dogmata, non dignitate solùm, sed & tempore omnibus Philosophorum doctrinis anteстare & plurimos Hebræorum, & multos ex Gentibus clarissimis comprobasse historijs cùm Iustinus, tùm Eusebius, tùm alij prodidêre: At nouum quo ipsi regimur Testamentum, eius ipsius Veteris esse declarationem, atque perfectionem non doctrinæ modò præcipuis & maximis omnium fundamentis, sed clarissimis Angelorum reuelationibus, inuitis dæmonum responsis, maximis supra creatam omnem vim miraculis, est tàm apertè firmatum, vt sit qui ipsi Testamento non credit insanus, qui credito non accedit, & miser, & infœlix.


IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI ET CONCORDIÆ COMITIS, IN EXAMEN ARISTOTELEAE DOCTRINAE, qui est Quintus de vanitate Doctrinæ Gentium, & & veritate Christianæ disciplinæ,

LIBER V.

PROOEMIVM.


INTER *humana vitia, alia quidem alijs magis digna odio sunt, sed nullum facile est inuenire, quòd rudes æquè ac eruditi sint exosi magis, quàm arrogantiam. Ea enim cùm de superbiæ radice pullulet,* & inter superbos *(vt inquit Salomon)* semper sint iurgia, *omnes qui eodem vitio sunt infecti, armat in sese: Modestos verò, & de se humiliter sentientes, tantò magis excitat, quãtò eis illi magis polluũtur sordibus, à quibus ipsi se quàm maximis possunt viribus, immaculatos custodiunt: & hæc quidem tàm rudi, quàm erudito vulgo, modesto tamen, omnino communia. Illa verò eruditorum propria, quod suæ, hoc est, humanæ ignorantiæ cõscij grauiter ferunt scientiæ vanos ostentatores. Acuuntur enim sæpenumerò, quod alioquin minimè fieret, & excitantur ad ipsorum arrogantiam contundendam, & adeò quandoq; ardenter vt periculum sit, ne id vitij, quod in alijs damnant, ipsi vel nolentes incurrant. In hoc genere Philosophi repositi qui Sceptici dicebantur, idemq; Pyrrhonij, ad temerariam aliorum Philosophorum frenandam superbiam nati: Nihil enim cùm sibi arrogarent, & vt scirent identidem quærerent, hac ex parte modestiæ nomine commendati sunt, quoniam verò supercilium ferre eorum, qui & scire sese, & alios docere iactabant, omnino non poterant, acrius in illos fortassis inuecti, vel aliquam hostibus ansam de se ipsis pariter suspicandi, ne arrogantes essent, facilè dederunt: hinc illud Græcum epigramma, cuius hæc sententia: & magnum esse, & multa admiratione dignum, quod Pyrrhon tot viros doctos, tantamq; sapientum virorum cateruam incesserit, quod si id, vt se sapientem probarent homines effecerit, sibi ipsi perperam consuluisse. At si ex animo, & sententia, id sibi desumpserit officij, vt tàm se, quàm alios ostenderet ignorantia laborare, & egere scientia, virũ meritò præcellentem habendũ esse. At vereor ne ego quoq; in par discrimẽ inciderim, qui omnium Philosophorum Gentium tribus libris, Aristotelis verò præcipuè, quarto videlicet huic proximo, doctrinam incertã probare conatus sim, hoc verò ipso quinto, & qui sequetur sexto, acrius etiam me in confutando Aristotele accingam. Sed sanè præcipites rerum existimatores non æqui fuerint, qui me hac in parte censebunt aut arrogantẽ, aut præcellentem virũ. Dispar enim causa dispares etiã euentus est productura, tribus enim primis huius Operis voluminibus quid attuli? Aliorũ retuli placita, Gentium Philosophos Philosophis Gentiũ confutaui, & si quid ipse in medium duxi Scepticis auxiliatus, id totũ vt bonorum pace, arrogãtem petulantemq; & semidoctam duntaxat Philosophorum turbam, quàm modestißimè possem admonerem, non extare exercitum Philosophorum, qui iam terrigenarum instar militum, mutuis vulneribus in plusquàm ciuili bello non ceciderit. Aristotelem verò quarto libro hominem fuisse, & ab hominibus non adoratũ, sed vt hominẽ sæpenumerò multis in rebus condemnatũ historica ferè narratione patefeci. Nunc rationibus pugnandum, & Peripateticorũ etiam caterua, quibus quãdoq; ferro suppetias, vti tandem colligere poßimus, verum illud, & omni dubio procul celebrandum Hieremiæ oraculum:* Maledictus homo qui confidit in homine, *huc etiam posse pertinere, & ex hoc id queamus dicere,* Nihil me sum arbitratus inter vos scire nisi Christum & hunc crucifixum. *Quare de me oro ita arbitrentur, vt me putent, hunc mihi potiùs finem præstituisse, quàm viam (vt inquit ille) tentasse, quã me quoq; poßim tollere humo, victorq; virûm volitare per ora. In id enim fortaßis eligi materia poterat vberior, & minus inuidiosa: Sed ad artem Aristotelis demonstratricem infirmandam mea iam conuertatur oratio.*

CAP.



Cap. I.

Qvid actvm svperiori libro, et qvid agendum, ibiq; quòd ars demonstrandi Aristotelis, qua rerum scientiam colligi docuit, incerta sit, id ipsumq; quinq; vijs aperiendum quo modo.



Svperiore libro primam Aristoteleæ doctrinæ vanitatem appensam in libra, & satis, vt opinor, examinatam, inuenimus multiplici superstitione nixam: Idq; in primis pergratum fuit, simul vt ansa nostri calumniandi propositi vitiligatoribus eriperetur, simul vt ipsius propositi rationes aperirētur, quibus daretur internosci, etiamsi quo ad pertinet ad humanam philosophiam, sim nullius addictus iurare in verba magistri, non tamen eorum me sequi exemplum, quibus & verè canitur:

Quo me cunq; ferat tempestas deferor hospes.

Et enim ostendi me religionis, veri, loci, causæ, conditionis, in Aristotele quandoq; laudando, quandoq; repellendo rationē habuisse, indeq; subdidi quanta sit ei facta authoritatis accessio, & quibus ex causis, & quo modo. Exin ad vanitates alias explicandas accinctus, incertam eius doctrinam & plærisque in rebus falsam esse, decem vijs indagaui, vt assensum pręcipitem iam inde continere facilè possent nonnulli, qui certam omnino putabant Aristotelis doctrinam sic, vt viderentur ei perinde niti, ac olim Vulcanijs aut Latonijs oraculis solebant Aegyptij. Quoniam verò in vniuersum id factum est, fortasseq; nimis generatim, & plurimùm in communi, hoc quod sumus exorsi quinto huius Operis volumine, ac sexto quod sequetur, particularius id ipsum efficiendum est, & comminus gerenda res: Nec locis communibus & translatitijs vtendum, nec principibus aliarum sectarum, qui Aristotelem confutauēre omnino insistendum: Non Carneadis tormenta, non Ephecticorum Philosophorum copiæ, non Sexti Empirici machinæ conficiant prælium: Non Galeni, non Auicennæ particulares in illum excursiones bellum indicant, sed ipsi nostro ære licet minus Canoro bellū canamus, nostra promamus arma, licet acuminata minus: Demus quod etiam operam vt ipsemet Aristoteles se magna ex parte armet in semet, ac eius in illū familia validis arietet lacertis, deq; ipsorum armamentario eliciantur instrumenta, quibus oppugnetur ad hanc agnoscendę veritatis expeditionem. Qua in re nunc seruabimus ordinem, vt primò artem demonstrandi, & colligendi rerum scientiam ab Aristotele traditam monstremus incertam, quò minus negocij nobis sit insumendū in refutandis particularibus aggressionibus, quas eius iurati discipuli demonstrationes appellant. Duo enim hinc aduersus illum consequemur: Primò totius doctrinæ ipsius conuellemus fundamenta: Secundò quod vbi ad particulares, quæ dicuntur demonstrationes, deuentum fuerit, videbimus eas in sese non modò veritate nō niti, sed nec arti quadrare, quam ipse tradideret: neq; enim ille cùm quicquam voluit demonstrare, omnes eas conditiones adhibuit, quas necessariò requiri in omni demōstratione docuit in posterioribus Analyticis. Quinque autem vijs ad hoc ipsum propositi consequendum perducemur, mox ad particularia ea quæ apud illum præclariora putantur demolienda, suo descendemus ordine. Itaq; tota Aristotelis demonstratione doctrina duobus conscripta libris, quantum pertinet ad id, quo ostendere quicquam nititur, non redarguere aut in absurda pellere, prorsus incerta reddetur, cùm ex eius fundamento, & auctoritate & rationibus tùm ex causa, medioq; & fine.

Ex fundamento, inquam, id est, sensu tanquam vniuersæ cognitionis exordio, de quo generatim dicta sunt quæpiam duodecimo capite libri superioris: Nanque sensus ibi vanum siue indicium, hoc est, cùm præsentat res aliter quàm sunt, siue iudiciū, quo de illis ipsis arbitratur esse vidimus, quod est fundamentum demonstrandi: sanè Aristoteles in ipsis de Demonstratione libris, qui Resolutorij posteriores appellātur, demonstrationis principium demonstrationem esse nō posse docet, quia circulo res agitaretur sempiterno, cùm alterum per alterum probari oporteret, qua de re

damnat antiquos Philosophos in quarto Metaphysicorum libro, tanquàm ratos quodcunque posse demonstratione probari, inque ipsis Resolutorijs posterioribus affirmat, inueniri oportere aliquid prius, & certius conclusione demõstrata, hoc est, propositionem suapte natura tàm claram, vt digna sit, cui fides habeatur. Hanc ex inductione singularium parari, singularia verò sensu corroganda pręcepit. Quare sensum tanquàm exordium, & fundamentũ vniuerso demonstrationis ædificio præstituit: De quo nihil disquirendũ esse in quarto primę Philosophię ita disseruit, vt damnaret qui de eo sciscitarentur scrupulosiùs, & rationẽ quærerent, vbi ratio non esset. Idem quoq; & sexto, & septimo ipsius operis, & sensu nititur, & docet esse nitendum: hoc autẽ si labefactetur à nobis concutiaturq; & moueatur loco, putamus omne id quod ei superstructũ fuerit, corruere vel vno ictu. Prima hæc & vniuersalis via est demoliendi artem demonstrandi ab Aristotele excogitatam, quã sequenti capite particulariùs impetemus, monstrantes alijs posse modis falli sensum, quàm qui sint ab Aristotele positi. Secunda via quod & si alij modi minimè darentur, fallaces nihilominus, & eius authoritate, & rationibus adhuc incertus est sensus, & quod est sequens demonstratio. Tertia ex medio quo vtitur pro causa, hoc ex diffinitione, qua in re fallitur, quando eam supponit ipsa demonstratione certiorem, idq; pro liquido sumit atq; confesso, cùm magnam tamen habeat difficultatem, non modò an sit certior, sed an in se definitio sit certa, & hominibus nota? Quarta via, vt si diffinitio habeatur in se certa, propterea nobis certa ea esse nõ possit si seruare volum⁹ dogma Aristoteleum. Huc accedit quod non intelligitur clarè quid sibi voluerit Aristoteles, illũ enim hac etiam in re diuersi, diuersè interpretantur, vt latè docuimus nostrę Logicę institutionis libro quarto: nam alij definitionem subiecti, alij proprię affectionis, alij vtriusque demonstrationem ingredi malunt, atq; alterum in altera propositione subijci volũt, & prædicari in altera, vt tandem demonstretur affectio de subiecto. Quinta via, quia progressus & finis incertus est cùm nulla detur certa propositio vniuersalis affirmatiua, ijs qui Aristotele nituntur, sine qua tamen vllo modo noluit demonstrationem posse cõmuniri, nec propria affectio subiecti certò cognoscitur, quæ vbi subiecto inesse monstrata fuerit, tùm demonstratio dicitur finem accepisse. Indeq; docebimus quàm longè fallantur qui vniuersalem propositionẽ vt probent contẽdunt, & quàm facilis sit lapsus in rei natura vniuersim decernenda: Quas ob res cùm & sensus fallax saltem incertus, ita vt regula generali nequeat iudicari, & definitio labans, & modus inuestigandi incertus, incerta propositio vniuersalis, affectio incerta sit, sanè videtur vt omnis Aristotelea demõstratio corruat. Et hoc quidẽ sumus particulatim suo ordine deinceps probaturi. Et quanquàm fortè possumus nõ parum numerosæ doctorum hominum cateruæ, vel paucis ex Thomæ Aquinatis, magni viri & inter cœlites collocati dictis insinuare, quàm frustrà multi iactant se demonstrationes habere eis in rebus, de quibus vel plęriq; omnes, & etiam pauci ambigunt, tamen nec eius, nec aliorum tantummodò authoritate niti volumus, sed discursu rationis vti, & ipsismet Aristoteleis fundamentis sæpenumerò, quo totum ædificium labefactetur, insistere. Sanè, authore Thoma, vbi apud aliquos de rebus in speculatione versatis dubitatio est, ibi nihil firmum cẽseri iure optimo potest, eius hæc verba sunt, quæstione nonagesima secundi voluminis, parte prima Theologicæ summæ: Sicut nihil cõstat firmiter secundùm rationem speculatiuam nisi per resolutionem ad prima principia indemonstrabilia: Ita firmiter nihil constat per rationẽ practicam nisi per ordinationem ad vltimum finem: & quæstione sequenti, principia indemonstrabilia dici naturaliter cognita, quare si ad id naturaliter cognitum fieri resolutionem oporteat, si aliquid stati firmique comprehendere velimus per demonstrationem, vbi aliqui ea in re dissentiunt, in qua alij sibi ipsis consentiunt, & acquiescunt, alterum fateri conuenit, aut quod naturaliter vni videtur, verùm alij non videtur, id naturale non esse, naturamque in diuersis adeò diuersam esse, vt plærique inter se super cognitione naturæ dissentiant, & quid sit naturale dubitẽt, aut cùm alter, alteri vel sese, vel alios quos ipse sequatur in ipsa naturæ participatione cognitioneque præstare contendunt, vt solum id quod sibi, vel illis quorum est sectator, naturale videtur, haberi debeat naturale, & naturam ipsam tandem consulere oporteat, quæ vel per sese ipsum, vel per superos hominibus præstantiores responsa ferat. Neq; enim in ianuis hoc habetur

expositum,

expositum, in quo voce & mente plærique dissentiunt & magna verborum pugna digladiantur. Sed ijs omissis, quod polliciti sumus, præstare conemur.

CAP. II.

QVOD ARISTOTELIS DEMONSTRANDI ARS incerta, quia fundatur in indicio iudicioq; sensus, qui alijs incertus est modis, quàm qui ab ipso Aristotele positi sunt.



Xordiamur autem probationes in eum maximè modum, qui sit vsu neotericis Philosophis, vt vim probādi persentiant magis apertiusq; deprehendant, ne si qui veterum in argumētationibus perlegendis versati nō fuerint, offundi sibi nebulas arbitrētur. Incertum est sensus indicium, & iudicium, igitur ars demonstrandi Aristotelis incerta est. Sed antequàm aut sumptū antecedentémve propositionem probem, aut connexū explicem, dicere etiam, nunc & repetere operęprecium duco, quid per indiciū, & iudicium intelligi velim. Indicium appello haustū receptionemq; sensilis formæ qua res ipsa indicatur altiori potestati. Iudicium sensus etiam more Peripateticorum cito, quanquam de propria re sensili arbitretur necne extrarius sensus, an qui cōmunis dicitur? multa est apud Peripateticos vti opere procedente videbitur controuersia. Certè ab Aristotele intellectum & sensum non hunc, vel illum, sed indiscriminatim iudiciarias potestates existimatas constat: nam particula quadragesima libri tertij de Anima tractaturus de motrice potestate, intellectui & sensui tribuit officium iudicandi, & in eo illis conuenire sanxit: Nam vbi in vulgata translatione habetur discretio quod intellectiuæ opus est & sensus: vbi in Arabica quam exponit Auerrois, distinguens quod est ad actionem sensus & intellectus: Vbi apud Argyropilum iacet potentia discernendi quod quidē est opus iudiciumq; mētis atq; etiam sensus. Apud Aristotelē est τῷ τε κριτικῷ ὃ διανοίας ἔργον ἐστὶ καὶ αἰσθήσεως, hoc est, & iudiciario quod est opus mentis & sensus. Indicat enim sensus superiori altioriq; vi quod sentit, quod forinsecùs hausit per illa quinque ceu canalicula sensilium specierum, idque ipsum etiam sua ipse vi & potestate dijudicat. Et in libro de Insomnijs Aristoteles: Iudicium quoq; principalis, id est, mētis, & eius vnde exeunt phantasmata, id est, sensus, indiscriminatim citat, cùm fallaciam oboriri facillimè in sensibus eorum qui aut amore, aut ira, aut affectione aliqua tenentur, edisserit, vt opere procedente referemus. At quia ipse propriè nec intellectum nominat, nec sensum, sed principale, hoc est, τὸ κύριον, & ἐν ᾧ τὰ φαντάσματα γίνεται. Themistius in sua de Insomnijs paraphrasi, scribit geminas esse in nobis iudicandi vires, mētem quę primatum obtinet, & sensum, vnde ortum habet imaginatio. Hoc indicium iudiciumq; sensus, quæ longo discursu ne de verbo calumnia sarciretur explicuimus, & quantum fieri à nobis potuit, declarauimus, incerta dicimus, & quod est sequens incertam artem demonstrandi. Consecutio nota apud ipsum Aristotelem, & omnes qui nouêre, quę nam sit eius ars demōstrandi, & quot asciscit, quot requirit, quot admittit necessariò. Quæ tandē ad sensum prouocant vt ad indicem iudicemq; primarium, quia vniuersales propositiones in posterioribus Analyticis docet inductione colligi ex singularibus, quæ sensu percipiuntur & iudicantur. Nam siue proponas aliquid siue petas, siue insinues, siue delinies, sensuum officijs vteris, aut sensuum niteris experimentis, aut quodpiam adhibes, quod ex ipso sensu traxit initium, & fundamentum, siue vt sit in sese, siue vt cognoscatur ab homine. Hæc tàm clara apud Aristotelem habentur, vt probatione non egeant, cùm ipse sanxerit omnem cognitionem humanam habere ortum à sensu: & nihil esse in intellectu, quod prius in sensu non fuerit, & eum qui vno sensu caret, notitia rerum omnium quę ad sensum illum pertinent, carere oportere. Nota etiam consecutio apud Peripateticos quorum longè præclari Themistius atque Simplicius, in Physicorum testantur commentarijs, Aristotelem principia demonstrationis à sensu duxisse. Ipso quoque in opere de Demonstratione cùm dixisset Aristoteles, omnem doctrinam & omnem disciplinā intellectricem ex præexistenti fieri cognitione, signanter esse id dictum, sunt qui accipiant, sensu non citato, qui omnis sit doctrinæ & disciplinæ fundamentum.

Etiam

Etiam clarè Themistius affirmat sensum ipsum nulla cognitione præueniri. Et Philoponus quoque pariter confirmat sensum non habere, προϋποκειμένην γνῶσιν, hoc est, præsubiectam cognitionem. Alexander item dum enarraret Aristotelis tertium de Anima librum sensu cœlestia non esse prædita eo affirmat, quia sensus primo animæ famulatur, ad notitiam vniuersalium ex particularibus quæ sensu cognoscuntur colligendam, quâ nō indigeant cœlestes animæ intellectrices, & nunquàm ab vniuersali notitia recedentes.

Et ne tantùm Græcos Aristotelis expositores & paraphrastes citasse videar: notā & apud sanctum Thomam cùm alibi, tùm præcipuè in Theologica summa prima parte secundi voluminis quæstione, Lib: vbi disputat vtrum habitus vllus sit à natura: Nam ibi manifestissimè confitetur Aristotelem ostendisse cognitionem principiorum prouenire nobis ex sensu. Quod si dixeris non fundari demonstrationem in re per sensum accepta, sed in transcendentibus, & aliquas esse propositiones apud Philosophos quæ vocentur dignitates, easque sensu non haberi: Dicam, Aristotele authore & bonis Peripateticis, non ita de demonstratione decerni: Sed eam in sensu fundari, quem ducem totius humanæ cognitionis affirmat, adeò, vt qui vno à natura sensu destitutus fuerit, earum rerum quæ ad illum pertinent sensum, notitia carere eum, dubio procul affirmârit. Imò ipse Aristoteles in tertio libro de Anima, dum repetit, quæ antè de anima ipsa disputârat scribit apertè, eum qui non sentit neque addiscere quicquam, neq; intelligere posse, & eum qui speculatur necesse esse simul aliquod phantasma speculari. Et quanquàm sunt qui velint, id tantummodò verū inueniri dum anima vt forma quædam corporis non tanquàm intelligentia quædam cōsideratur in prima illa quam sibi fingunt antequàm corpus informet consideratione: alij dum addiscit non postquàm didicit: alij dum rebus naturalibus deprehendendis vacat, vti etiam memorauimus in tertij libri Aristotelis de Anima commentario, & in digressione maximè de immortalitate ipsius. Aristoteles tamen hoc non expressit, illud verò non expressit modò, verùm etiam sæpè repetijt, & de naturalibus rebus aut semper, aut plurimū disseruit, & ad sensum videlicet rem naturalem semper sese recipit, & primas intellectiones quanquàm phantasmata nō sunt, attamen sine phantasmatibus nō esse decreuit: & secundo Nicomachiorum affirmatur, virtutem intellectilem indigere experimento & tempore. Dicam & axiomata illa siue dignitates ad sensum recurrere, quod si secus censueris, rogabo te vt earum par mihi afferas: nam præter illam de qualibet re aut affirmatio, aut negatio vera, quæ & sensum quoquo modo etiam asciscit, quando ipsæ res sub sensum cadunt, & demonstrationes quoq; propriè non ingreditur, authore Aristotele, nisi contrahatur ad particularem materiam, præter illam inquam fortè vel vnam, vel alteram, aut nullo pacto, aut difficulter inuenies. Nam Thomas eo quem suprà citauimus loco, quòd omne totum sit maius sui parte, cognosci non posse docet, nisi quid totum, quid pars sit, antè nouerimus, & hoc ipsum per species intelligibiles in phantasmatibus acceptas, quæ de sensu proueniunt.

Sed finge tibi has non pendere à sensu, reliquas omnes quæ à sensu oriuntur, & de quibus propriè conficit artem Aristoteles, quo pacto defendes? quomodo certam dices artem quæ incertis principijs vtatur? incertis nitatur fundamentis? Contendes fortasse non semper decipi sensum, quid tum? Nam etsi quandoque non decipitur, tamen & quandoq; etiam decipitur, siue in indicando, siue in iudicando, siue in vtroque, ideoque incertus. Dices corrigi errorem alijs postea sensionibus sensationibúsve, vt dici plerisq; solet. Dicam ego te semper incertum, an in hac, an in illa videlicet sensione fueris deceptus: nam sensus ipse, vt diximus, vt mox etiam latiùs dicemus, in se ipso, quanquam verus esse potest, varius tamen, & ambiguus dubiusq;, & est, & habetur sæpenumerò ipsa experientia, cum suo officio defungitur. Varius, inquam, si regulā (de qua superiore libro diximus) veritatis, ex sensu colligere volueris, quod & dictum etiam nunc velim, & sæpenumerò alibi tacitè repetitum, ne de hac veritatis sensilis regula, me semper loqui, vbi eius rei mentio efficienda esset, inculcem. Prætereà do tibi gratis sensationem alia sensatione corrigi, & ex multis te quicquam colligere. At, vir docte, non ex multis, sed ex omnibus constat vniuersale, quæ omnia nec haberi syncerè possunt, nec eodē modo, vt videbitur opere procedēte, & demō-

stratio

ſtratio ſine vniuerſali non conficitur, quiq; à multis ad omnia voluerit argumentari in fallaciam incidit ab Ariſtotele damnatam, qua de re repoſitus eſt mihi locus hoc ipſo libro. Quare ſint plures, ſint pauciores, ſit vna tantummodò quæ incerta ſit, tota vniuerſalis incerta redditur, quia ſi certa ſtatuatur, ex omnibus & ſingulis conſtare certis debet: Vt mittam quod quæ certa videbitur tibi, alijs ob diuerſitatem ſenſuum videbitur incerta, & ſæpenumerò falſa, ac tandem conſulere naturã ipſam opus erit, etſi ſit ad eius tribunal pro dirimenda lite, propterea quod aut tua, aut illius quiſquis ille fuerit temperatura, competens omnibus hominibus iudicium non habebitur, quoniam quot indiuidua in humana ſpecie, tot diuerſa temperamenta, ex diuerſa humorum proportione diſſultantia, qua de re paulò pòſt inter probandum quod aſſumpſimus, diſputatio fiet.

Quod quidem aſſumptum probari etiam poteſt multipliciter: primò in communi per ea q̃ dicta ſunt capite duodecimo libri ſuperioris, vbi docuimus, nec ſine ipſius Ariſtotelis teſtimonio, ſenſuum vbiq; præponi ab eo, & certiùs ratione iudicari.

Secundò authoritate multorũ Philoſophorum Anacharſidis, Xenophanis, itemq; Parmenidis, Democriti, Heracliti, & aliorum omnium, qui ſenſus & iudicium, & iudicium habuerũt incertum: Idq; ipſum probare conati ſunt, quorum ſecundo huius Operis libro ſentẽtias explicauimus, atq; hac de re Academicorũ etiam præcipueq; Scepticorum argumenta recenſuimus, eoſq; etiam quoad licuit iuuimus capitibus maximè ſecundo & tertio ſupra vigeſimum, quibus in præſentia volumus vti, quoniam inter diſputandum cum Ariſtotele Lyceum non placet exire.

Tertiò quia homines de proprijs ſenſibus ſæpenumerò ambigunt, dubitantq; an propriè ſenſerint? an verè viderint, verè audierint, quæ ſibi videntur, vel viſa, vel audita? nam & ſi actus is reflexus dicatur, actus tamen ſenſus eſt, vel ipſiuſmet, vel alterius, quò fit vt ſi dubitat de ipſa ſenſione, certius idcircò eſſe non poſſit, vnde radix ſeſe offert probandi, parum firmam humani diſcurſus facultatem, quando compoſita omnis, vel ſyllogiſmo collecta cognitio, pendet à ſimplici, quæ pendet à ſenſu.

Quartò quia cùm propriè ſentiunt, adhuc tamen quomodo ſentiant, & quinam, & quot ſenſus habeantur, ſub dubio verſatur; qui tamen ſenſu videlicet ipſo veſtigentur. Nam de ſenſu ipſo cùm præcipit Ariſtoteles in ſecũdo libro de Anima, hæret frequenter, & ſibi videtur aduerſus adeò, vt difficultates magnæ circunſtẽt omnes eius interpretes, vt ipſum à contradictione vindicent: Qua in re illud mirandum, quod ſi Ariſtotelem quid ſibi voluerit certò nequeant explicare, ſe ipſos tamen dum conſiderant, dum proprium actum ſentiendi librant, non explicent ſic, vt concorditer & amabiliter de ſenſibus decernant. An de intrinſecùs poſito ſenſu vnúsne ſit an plures non multa pugna? Alexander de Anima differens, & Themiſtius in libro de Memoria, & de Inſomnijs, vnum tantùm affirmant, cui diuerſa nomina diuerſis ex officijs competant, & ſunt ex neotericis qui aſſenſi ſint veteribus illis Peripateticis hac in re: alij quatuor fecẽre, quinq; Auicenna. Poſtea verò ad Themiſtium quiddam flexẽre ancipitem hac in re, & varium potiùs Ariſtotelem exiſtimantes. De hoc autem ſenſu ipſe propriéne ſit, qui omnia prius ſentiat? an iudicet, quid alij ſenſerint? Nónne diſquiritur adhuc? & in hoc pro ſenſuum varietate diuerſi ſenſus? At de ipſius ſede nónne contendunt? eam in corde Ariſtoteles, Galenus in cerebro, in vtroq; poſuit Auerrois, quorum fuiſſe diuerſos ſenſus vel ex eo liquet quod vnuſquiſque ita ſe ſentire quemadmodum docebat, exiſtimabat. An fortè fuit in hoc pugna ſolùm, quia certabant de re interiori & abdita, eoſq; fortè latebat ſicut latent, nutrientis poteſtatis officia per ſenſum inſenſibiliter (vt ita dixerim) exercita? At de intrinſecùs poſitis (vti in Operis progreſſu latiùs dicturi ſumus) quantum euariant? Sanè tàm alius ab alio diuersè ſentire cognoſcitur, vt quod Satyricus poëta cecinit, *Velle ſuum cuiq; eſt*, pariter de vniuſcuiuſq; ſenſu dici poſſit, eſſe videlicet proprium & ſuum vnicuiq; ſentire. Nec hoc quidem ſatis certũ, cùm ipſe Ariſtoteles ſecundo de Anima dubitet, an cùm ſentimus, ſentire nos ſentiamus, & quomodo? ſuper qua re nec interpretes conſentiunt, & ſunt qui cõmunem cũ particulari iungant ſenſum, & quęſtionẽ an ſit res, & quid ſit, ducant in medium, illamq; extrinſecùs poſito ſenſui annuant ſolummodò, hanc verò intrinſecùs collocato ſenſui, & ei qui eſt extrà copulato, concedant. Affirmat aũt Auicenna ſenſum nõ cognoſcere eſſentiam ſuã, vel hac motus ratione,

NNN quòd

quòd nihil nisi per organum corporale cognoscit, quod quidem organum inter se ipsum,& sensitiuam potentiam medium cadere non possit, cuius rei Thomas etiam meminit in quæstione de Veritate, quam in sensu quidem esse posse vti non negat, ita etiam affirmat esse sæpenumerò posse in sensu falsitatem, non solùm quatenus iudicat aliter, quàm sese res habeat, sed etiam quatenus res quædam est, & index, non iudex rei alterius: Nam etsi quomodo est affectus, eo modo se offerat & præsentet altiori potestati, nihilominus rem aliter indicare præsentareq; potest, atq; ideò falsus esse dicitur, vtpote diuersam æstimationem quandoque exhibens. Atq; in ipsa etiam perceptione sensilium dum ordine videlicet quodam ad iudicium referunt, quod idem consequitur, potest occasionẽ præbere fallendi. Dum aliter etiam componẽdo ac diuidendo, & arbitratur, & iudicat, quo in iudicio aut veritas exprimitur, aut falsitas: nõ autem propriè in haustu & perceptione simplici & nuda, quanquàm & res etiã extrinsecùs posita falsi appellatione signari solet, quatenus falsam æstimationem indit in sensibus: qui etsi de proprijs sensibus dicuntur, duce natura, decernere, intrinsecùs tamen, & extrinsecùs vel sensorio vel intermedio præpediuntur. Equidem ni doctis & eruditis, inq; ipso legendo Aristotele & interpretibus eius versatis hæc scriberem, vtiq; ea explicarem magis, sat fuerit annotasse.

Cæterùm vnde quæso tàm magna quæstio, tamq; frequens in sensu? An sit potestas tantùm patibilis? an actiua? an inter has media? Qui actiuam rentur se dum sentiunt, agere aliquid non tantùm perpeti putant, vt Ioannes Gandauensis, vt Apollinaris, ac diuersa ex parte alij minimè se agere dicunt agentem sensum explodentes. Nec desunt qui fateantur vtrunq;, sed illorum neutrum, & mediam quandam actionem intelligãt, inter id quod propriè est agere, & propriè pati. At qui de numero ipso actuum sentiendi? Num alij duobus actibus sentire se dixerũt proprium & commune sensibile? Alij vno duntaxat se illa sentire commemorârunt? Num multa quoque discordia an sensibile commune absq; proprio sentiri possit & quo modo? vt ad cœli tactum etiam pro se danda questione conscendãt, super qua etiam re sensus ne ipsius cœli esset an minimè? Et quónam pacto esset? apertè dissentiunt. Porrò de ipso sensu cùm esse dicatur in potentia quanta lis? & quo pacto capiendum bis, an semel, hoc est, quo ad actum primum, & secundum, an quo ad hunc duntaxat vltimum pertinẽt. Idq; propterea euenit, quoniam comparauit Aristoteles sensum intellectui, qui potestas quidem dicitur ad actum primum, hoc est, scientiam intelligentiámve, atque etiam ad secundum qui est intelligere actu ipso, & considerare, sensum verò ab eo qui generauit, ad primũ actum ductum esse censuerat, vt posset quo ad hoc pertinet comparari componiq; scientiæ. Mox verò & sensum affert potestatem esse ad formã siue speciem obiectæ rei, alioqui nullo extrinsecùs adiuto, nulla re obiecta sentiret. Super quibus Aristotelis sensibus tàm diuersi sensus vt sit internoscere difficillimũ, qui verò sensui consentientes sint magis, hinc alij mutationẽ obiectæ rei qua sensus hausta specie fiat sensili rei similis imaginantur, actutumq; aliam naturæ non temporis ordine mutationẽ subijciunt, quæ animæ feratur accepta, cũ sensus actu sentiens. Alij contrà stant, nec aliud esse id quod dicimus actu sentire, decernunt quã sensilis rei speciem in sensu collocari: Alij alia, vt corporine, an animę, an vtriq; sentiendi tribuendum sit officium videantur hærere? & sint etiam qui animæ per corpus sentiendi munus impartiant, vnde quid propriè sit ipsum sentire, & cuinam primo referatur acceptum? non consentiunt. In ipso verò tactus sensu, qua est vnus ex quinq;, quanta diuersitas? pluresne sint an vnus? adeò ambiguus ea de re fuit Aristoteles, vt & ipse satis non innuat, nec declarent ipsum interpretes: quando hic censeat Aristotelem vno modo sensisse, ille alio. Quare in hac certitudine sensuum sensationúmve, siue rectæ sint, siue reflexæ, fundari certum non posse, siue indicium, siue iudicium satis aperuimus. Nam eos qui dixêre sensum semper verũ esse, quoniã quæ hauriebat ea præsentabat, superiore libro redarguimus: falli enim eos docuim⁹, quoniã ex rei apparitione minus ritè facta, ad rei speciem quæ vera non est dijudicandã feruntur, & incertæ semper sentẽtiæ sunt, donec ad rem obiectã iudiciũ resoluatur. Ibiq; meminimus rationes Aristotelis in quarto primæ philosophię libro ad asserendã sensilem veritatẽ, à nobis fuisse secundo huius Operis libro dissolutas, non quidẽ vt veritatẽ haberi etiã per sensum posse negemus, sed quoniam illæ ipsæ rationes id non conuincant.

Quintò

Quintò probari assumptum potest, quia posito sensu, & consentiendi modo conformiter amabiliterq; statuto, quantum attinet ad experimenta eorum qui ex ipsis sensionibus sensum dijudicant, adhuc tamen ratione sumpta ex varia particularium sensuum natura, qui decursu etiam temporis variantur, eq; varia rei sensilis natura, variaq; permutatione, & vario etiam vtriusq; concursu, quæ omnia deinceps explicabuntur, ipsum sensus & indicium, & iudicium redditur incertum & sæpe fallax. Disquiramus hoc ipsum primo in sensu visus, quẽ Aristoteles omnibus præfert sensibus, quantum pertinet ad percipienda rerum discrimina, quem & Philoponus tali pollere excellentia inter initia primi in libros de Anima commentarij docuit, vt secũ trahat alios, quam ob rem quę visu participant, ac vt ipse loquitur μετέχει ὄψεως, participare & auditu censet, & qui auditu participant, odoratus, gustus, tactus, nõ esse expertia. Hunc ipsum visum decernit Aristoteles in secundo de Anima, non decipi circa colorem, quia color sit, & sanè quidem: hoc enim per vestigia illa sensus certissima & omnibus nota decreuit. At qualisnam color? res enim in cõmuni & vniuersim colorata, artis scientiæq; qualem & ipse, & alij diligentem, scilicet, & exactam quærunt, fundamentum non efficit: ad species enim descendere colorum est opus, & eo maximè quòd ex singularibus ille speciem colligere satagit ad scientiam conficiendam. In hoc autem maximè & incertus est, & quandoq; fallitur oculus, hoc est, in specie diuersa colorum: qui tamen omnibus longè præclarior sensibus, & qui plures nobis, vt est in primo Metaphysicorum libro, decretum, rerum differẽtias ostendit quinq;, vt ipsemet Aristoteles in libro, de Sensibus, & de ijs quæ sentiuntur affirmat, alijs melior, differentias, vt inquit παντοδαπὰς, hoc est (vt ita dixerim) omnifarias nobis annunciat, διὰ πάντα σώματα μετέχειν χρώματος, hoc est, quoniam corpora omnia colore participant. Atque etiam subdidit communia sensuum quæ dicuntur, id est, figuram, magnitudinem, motum, numerum, hac ipsa potestate visus maximè persentiri. Ad finẽ quoq; secundi de Anima libri quantum ad Latinorum diuisionem pertinet (qua vti nos diximus) cùm peruenisset, ipsum per excellentiam maximè sensum nuncupauit, & edocuit à lumine nomen accepisse. Quoniam itaq; hic sensus præcipuus præcellensq; habetur: Do tibi oculum circa colorem spectandum versari, id enim illi proprium, nil alienum, nil cõmune objicitur: Do propinquitatẽ situs & loci, vt in ea, quã mauis distantia collocetur (nam sunt qui melius eminus quàm * cominùs aspiciant) sume quam mauis: Do eundem aërem ijsdem affectum qualitatibus, do nullum vnquàm aut morbum intrinsecùs, aut extrarium casum quo sensorium sit labefactatum accidisse, vt oculus naturam quã è matris (vt inquit Lucilius) * bulga secum tulit, nõ vitiauerit, nullum organo impedimentum occurrerit. Num propterea verus hic sensus necessariò fuerit? an magis incertus & anceps? Sanè sibi certus videatur, incertus alijs, & sæpè fallax. In causa est varium corporis totius temperamentum, vel ita suapte natura constitutum, vel procedente tempore, non modò vel morbo intraneo, vel extrario casu, sed & naturaliter per ætatis progressum, mira sensilis naturæ varietate mutatum ita, vt si etiam intra humanam secundi modi latitudinẽ dicatur esse, eamq; sibi quisq; pro arbitrio cõstituat, variè tamen sese habebit, nec intentione solùm, sed diuersitate longè maiori, vt paulò pòst monstrabimus. Quod si corporis totius, certè & oculi ipsiusq; pupillæ, eoq; magis quòd nõ ita solida est natura atq; compacta, sed tenui fluxiliq;: quando ex aquea plurimùm substantia constat, vnde Aristoteles de ea loquens in libro de Sensibus inquit ὕδατός ἐστι, & in secundo libro de partibus Animalium ait: visui aquæ inesse naturam, quæ omnium perspicuorum conseruari facillimè potest: & in tertio de Anima scribit ex aëre pupillam mutari atque eius vt verbis vtar, ὁ ἀὴρ τὴν κόρην τοιανδὶ ἐποίησεν, & in septima problematum sectione, oculum partem nostri corporis mobilissimam, & cæterarum maximè omnium, rei sibi obiectę similẽ reddi posse testatur: & non multò post sensum visus omnium, exquisitissimũ affirmat. Quinto quoq; de Generatione animalium visum, non igni, vt volebat Empedocles, sed aquæ tribuit, eorum memor, quæ in libris de Anima & de sensibus antea decreuerat: neq; vnicolores hominum oculos vt cæteris animalibus, sed varios, & versicolores affirmat, cęsios, flauidos, nigros, caprinos, & altero etiam oculo diuerso multos esse, & maximè cęsio: variam quoq; eiusmodi colorũ causam affert longo progressu, super multitudine humoris & paucitate fundatam, indeq; & acutè, & obtusè vidẽdi

* propinquiùs

* vulua

NNN 2 causam

causam peruestigat: quanquam & ipsa minimè illi satisfecit, quare & cutis quę pupillæ obducitur, ab eo producta est in medium, & tenuis quidem atque alba, & leuis, vt translucida sit, atq; per id apta ad acutè cernendum. Ad hęc & pupillæ purum humorem in percipiendis exquisitè colorum differentijs, & oculorum situm, non prominulum, sed concauum & reductum, ad procul videndum asciscit. Illa verò humoris & colorum varietas, & cutis multiplex qualitas, & diuersus oculorũ situs in diuersis hominibus, à diuersa humani corporis temperatione dimanant. Hac igitur sensus mutatione, hoc est, varietate sensilis potestatis atq; sensorij, & de re sensili, cùm indicium, tùm iudicium permutatur: Id est, non solùm quatenus sensus diuersè atque aliter quàm se habet res, de ea indicat, sed etiam quatenus sensus tali est natura, hoc est, mutabili & in sese frequentissimè varia, atq; ideò sese offert altiori potestati non vno semper modo, sed vario atq; diuerso, pro varia videlicet dispositione, proque ea etiam rem obiectam speciemq; illius variè perspicit. Ita vt quod tunc posset affirmari verè, quia, scilicet, nunc ita appareat, paulò pòst verè posset negari, quia, scilicet, aliter quàm prius appareret. Quare qui sensu niteretur, certam & constantem sententiam ferre non posset, iudiciumq; illius labare sæpenumerò comprehenderet. Num & simile quiddam proditur ab Aristotele in asserenda sensus deceptione? cùm motus in sensu, non à re obiecta factus percipitur, perinde ac si à re obiecta factus fuisset? puta cùm littus quod inspectatur, moueri videtur, cùm oculus comprimitur, & cũ geminis assurgit mensa lucernis. Ego verò conceptionem in sensu, non vi, nõ motione vlla intrinsecus pręter naturam occursante, capiendam insinuo, sed eam quæ suapte natura suggeritur & promitur à corporeo temperamento, quæ quidem vt eadem nõ est cum alia quæ à diuerso temperamento dimanat, ita eadem nõ præsentat aut indicat sensili potestati. Diuersæ igitur sensiones, siue vt à Neotericis dicitur sensationes, ex diuerso sensu, non solùm ex diuersa re sensibili conflabuntur: Quæ quidem res obiecta sensilis variat identidem, hoc est, diuersas induit apparentes sensibus qualitates. Itaq; varia fit sensus ipsa natura, nõ ex rei solùm quæ obijcitur varietate, sed ex varietate humani temperamenti, qui etiam suapte natura mutatur, varijsq; de causis, non solùm ex ambiente aëre, frigore, æstu, nutrimento, quod admittet Aristoteles in libro de Sensibus: Sed maximè adsunt intraneæ permutationes illæ, quibus extranea qualitas diuersè præsentatur, ob imaginem ex diuersorum humorum complexu diuersè redditam. At qui non solùm quò ad proprium sensile, sed & quò ad commune etiamnum pertinet: nam & numero, & quantitate, & quiete, & motu, & vniuersa cõpage diuersè redditur, vt inde affectiones quoque variæ suboriantur. Hinc ex affectione nimia quo permutati sunt humores intrinsecùs, multa falsò præsentantur: Conspicuum id in ijs qui capti sunt amore, quibus turpissimæ quandoque fœminæ, pulcherrimæ, & fœminis quoque turpissimi viri, & Thersitæ similes, specie formosissima censentur.

Sed cur de amore dixi? quando plures eius rei causæ solent afferri, de quibus omnibus cùm de amoribus vitandis, quæ diuino aduersantur amori, & vitæ officiunt amatoriæ verba fiunt, multa disserimus: Cur, inquam, de amore? qui de affecta voluntate assuetudineq; oblectationis prodire etiam potest. Num vnicuiq; ferè de re sensili diuersum arbitrium est? proprietas hoc efficit indiuidui, humorum diuersa temperies, & sensilis naturæ mira incõstãtia, vt cætera prætercam. Nam & si homines vnius habeantur speciei, atq; per hoc eorum sensus quatenus humani, specie non differãt, quatenus tamen ex diuersa re, hoc est, humorum temperamento diuerso conflantur sensus ipsi, & varia humorum proportione dissultãt, diuersè quoq; hauriũt ipsas res, quæ illis obijciuntur: eæq; ipsæ cùm ex diuerso temperamento naturali, tum exiugi permutatione variantur frequentissimè, vtpote & intraneis, & extrarijs actionibus identidem agitatę. Quamobrem diuersæ sensationes prodeunt ab ipso videlicet tẽperamento vario, siue illæ ipsę diuersę habeantur specie, quod vidẽtur velle expressè qui affirmant visum hominis à visu irrationalis animantis differre, specie, non in ratione visus, sed talis modi: sed siue specie, siue natura diuersa, siue quocunque alio varietatis modo, quod ideò dictum velim, vt omnibus satisfiat de humano temperamento (quod nomine complexionis à Neotericis exprimitur) opinionibus atq; sentẽtijs. Sunt enim qui quatuor simplices, quatuorq; cõpositas species asserãt:

Sunt

Sunt qui vnam æquam, & quatuor tantùm excedentes species constituant, quatuor humoribus respondentes, & ab eo humore qui superabundet in corpore, nuncupationem faciant: quanquàm & plures poni possunt variæ humorum mixtorum proportioni, varia aptando nomina. Sunt qui vnam ex omnibus surgere qualitatibus opinantur qualitatem, à singulis diuersam: quiq; nihil dissultare putant, & qui substantiam existiment esse temperamētum ipsum, & qui qualitatē arbitrentur, & qui membro cuiq; propriam tribuant formam, & qui vnam omnibus simul accommodēt, tametsi parum satis adhuc explorati, ne dum certi, & constituti, hac de re via sensus haberi posse, nisi fallor, etiam aperui eo in libello, qui inscribitur de Elemētis. Quod autem ad præsens attinet negociū, si quatuor sunt specie diuersa tēperamenta, vnicuiq; etiā sua specie diuersa sensus respondebit sententia, si plures & plures, dubio procul, vt ego quidem faciliùs existimârim, quoniam proportionum mixtionis diuersitas, vicem habet differentiæ, quæ speciem constituit in ipso humorum qualitatúmve conflatu, vt progressu patefiet: quod si vna ex omnib⁹ dissultat qualitas, ea certè ab omni alia, quæ à dissimili dissultabit, mixtionis proportione, diuersa cēsebitur. Si substantia erit temperamentum, idem colligetur: si non, multò facilius: si nihil etiam dissultat, remanet nihilominus in varietate mixtionis ipsa diuersitas: quod si membro cuiq; sua erit forma, certè inerit & sua natura, dissidens ab alijs ex propria differentia. Nec tamen videbitur absonum, vt multò magis distent alterius indiuidui membra à membris alterius, quàm eiusdem inter se membra, quæ forma, specieq; distare censuerunt. Quod si vnica etiā cuiq; indiuiduo est forma substantiæ, diuersa tamen membrorum est constitutio, diuersa ex humorum mixtione, vnde & diuersa eorum officia: Aliud enim cor, aliud iecur, splen aliud in corpore munus obit. At si aliquid eorum, quæ diximus, capiant, tāta erit diuersitas, quocunq; ea censeantur nomine, vt diuersum sensus iudicium colligatur, quoniam nec ij, qui quatuor temperamenta duntaxat cōstituunt, negant, in eodem corpore sępenumerò plures bilis, plures pituitæ species esse, neq; dici, potest eas tantùm intentione & remissione differre, quoniā diuersæ eorum sunt operationes, ex quibus in huiuscemodi rebus diuersas colligunt species, diuersaq; illis remedia adhibent Medici. Aliud enim agit crocea vitellináve, aliud prassina siue porracea, aliud cerulea, quam qui Arabes sequuntur, Medicos vocant zinariam. Quare oculus qui aut bile earū aliqua polleat suapte natura, aut fumo, qui de stomacho visum petit, afflatus fuerit, nō morbo solùm, sed natiua dispositione ita constitutus, diuersum quiddā ab alijs hauriet, aliamq; feret de re visa sententiā, quàm ille, qui à tali bile fuerit immunis: Vnde magna etiam potest obuenire fallacia, quę & intellectus etiam sæpenumerò iudicium obumbret, vt non incōcinnè videatur fecisse Carneades, eum superiora corporis helleboro albo purgasse dicitur, scripturis aduersum Stoicos. Itaq; sumatur, id ipsum discriminis vti malueris, modò sit in sentiendo diuersitas aliundè, quàm ex numero sensationum, & ex intentione sola prouenjens. Quanquam ex intentione etiam, & remissione multa oriri fallacia potest. Nam ita remitti coloris aliqua species quiret, vt vel aëris crassitudo, vel diei hora, diuersam redderet, adeò, vt & semper, & omnibus, quin & eidem etiam homini, idem sensus iudicium non esset, ipso etiam Aristotele authore (quod superioribus libris innuimus.) Quoniam Euro flante, sydera videri secus, ac si ventus ipse aërem non redderet crassiorem, in Problematibus affirmauit.

Porrò impetrata varia diuersitate, oppositioneq; varia, cōsequetur, vt & contrarietas varia indè pendeat, atq; etiam manet contradictio: Vnde, & fallacia, vel incertitudo, altera ex parte necessariò suboriretur. Certo ipso Aristotele authore, quo pacto negare queant, tot species esse temperamenti, quod indiuidua non video, cùm ipse in Problematibus, de humorum agens mixtione, sanxerit specie distare alios, non quia faciem habeant, sed quia faciem talem: quod si differentia illa ex accidenti atq; materia dicatur esse, non à specie ipsa humana promi, nihilominus colligimus, quod diuersa illa mixtio nō solùm intrinsecùs, sed etiam extrinsecùs oculis, videlicet, aliorum diuersa præsentat. Nec solùm hoc in tota terrosa mole humani corporis animaduertendum, sed etiam in subtilissimis corpusculis, qui vocantur spiritus, quibus, etsi eorum alij animales, alij vitales, alij naturales, & appellentur à Medicis, & sint: scribit tamen Auicenna in libello de viribus cordis, vnicuique inesse proprium tempera-

mentum, cui fecit ille nomen complexionis; proprium dico, ratione proportionis quantitatum subtilitatis humorum, & formæ commixtionum. At totius corporis temperamenta specie non differant, num sensiones ipsæ different? Nam si sensorij, & sensilis alicuius inter se temperamenta ab alterius sensilis, atque sensorij temperamentis, differre manifestum sit, fieríne poterit, vt quæ inter illa sunt habitudines, inuicem apertè non differant? non solùm, quia aut intentior vna, aut remissior quàm alia, aut quia vna biliosa, pituitosa alia sit, alia aliter: sed quia ex diuersa fundamenti, terminiq; natura cooriuntur, quorum vtrunque varium, quia sensibile, & ex diuersis, pugnantibusque inter se qualitatibus conflatum, hoc est, propter rem obiectam, & sensilem potestatem. Nam illa, & ex qualitate, & ex quantitate, in qua fundatur qualitas, & ex tota mixtione substantiæ, vnde illa profluunt, diuersè reddit, & præsentat speciem sensili potentiæ, ijsdem propè de causis variæ, & idcircò variè percipienti. Si illud Aristotelicum verum, vt omne quod recipiatur, per modum ipsius, qui recipit, suscipiatur: Diuersa itaque est relatio ipsius apparentiæ, ex ipso fundamento etiam, terminoque diuerso. Qui enim non ambigeret habitudinem relationémve, quæ sit inter quatuor & octo, specie differre ab ea, quæ inter duo & sex construatur. quo pacto potest ambigere habitudinem temperamenti, quæ sit inter aliquod sensorium quatuor (næ verbi causa) bilis gradibus preditum, & sensile duobus pituitæ gradibus conflatum, specie non differre ab ea, quæ sit inter sensorium, quod sex sanguinis gradibus polleat, & sensile, quod ex tribus atræ bilis gradibus sit constitutum. Hoc recipi conuenit ab eis maximè, qui temperamenta duorum, vel plurium corporum, etiamsi vnicus præ alijs in ipsis corporibus humor polleret, diuersa constituerent, & qui nihil dissultare vnum ex ipsa mixtione vellent, & qui formas suo cuiq; membro tribuerent: multò autem magis, si biles ipsas inter se diuersas, ipsa in mixtione constituamus, vt bilis, quæ quatuor intendi gradibus ponitur, cærulea dicatur esse, quæ verò tribus, alia in mixtione gradibus habita sit, notetur vel vitellina, vel praxina. Proportio autem ipsa multis variari modis potest, per ætatem, per casum, item eadem in ætate, nutritione, auctione, detractione, vel omnium, vel aliquorum, quorum videlicet in loco cæteri succedant humores, vnde & varia quoque proportio dissultet, quæ etsi eadem esset, ab alio tamen indiuiduo diuersa fuerit, vt propterea certa vlla, & vniuersalis regula sensilis, super qua fundetur demonstratio, trahi non queat. Atque hæc de incertitudine sensili ipse dixerim, rationibus humano fretis temperamento, vt mittam, quę cùm multi, tùm Macrobius in septimo Saturnalium, de vnici sensus incertitudine, fallaciaq; dixerunt, nisi & reliquorum sensuum, & rationis etiam accedat authoritas, vt illusiones quoq; varias, & varia præstigia prætercam.

CAP. III.

CONFIRMANTVR CLARISSIMIS EXEMPLIS, quæ suprà sunt dicta de sensus incertitudine.

SEd libet etiam in sensu magis immorari, & quàm sit incertum, eius, & indicium, & iudicium, cùm multis, tùm hoc in primis exemplo manifestare. Vt enim ijs, qui morbo regio sunt affecti, qui aurigine vultum suffunduntur (Græco ij ipsi vocabulo solent etiam apud vulgus icterici nuncupari) pallida omnia, quasiq; inaurata videtur, quæ alijs alio colore videntur insignita: Non secus ei eueniet, qui ab ortu naturæ, & ipso etiam in ventre matris temperamētum sortitus sit, ex tali bilis qualitate, quæ illi similis, aut sit, aut esse videatur. Quò autē magis aliena fuerit à iusto temperamento, eò magis falli poterit, quare tertio de Anima libro Aristoteles, dum de similitudine intellectus & sensus dissereret, id quòd intus apparet, rei extraneæ prohibere perceptionē docuit, & ei viā obstruere, quod per se videlicet, & propriè excipiendum esset. Quod si negaueris, posse temperaturam, sani, aut non ægri hominis, esse similem icterico, vnde fieri nequeat, vt par feratur iudicium, tria non effugies incommoda: Primū quod arbitria hęc erit responsio, nulla ratione munita, cùm ad infinitum ferè temperamenta corporū variari possint, ob intentionem, & remissionem qualitatum, earumq; variam mixtionem. Quo fiet vti quiuis re vera, quantum ad sui essentiam pertinet, eadem nō esset temperatura,

similis

ſimilis tamẽ adeò eſſet, vt diſcerni viſu nequiret, ſimili ſaltem participationis modo. Scribit enim Thomas, in Theologica ſumma, ſecundi voluminis, parte prima, dũ agit de habituũ auctione, ſimilitudinem, & diſſimilitudinẽ, non ſolùm conſiderari ſecundùm qualitatẽ eandem, vel diuerſam, ſed etiam ſecundùm eundẽ, vel diuerſum participationis modum, illudq; ibi affert, nigrum nõ ſolùm eſſe diſſimile albo, ſed etiã minus album, magis albo: quoniã motus ex minus albo in magis albũ, fiat tanquàm ex oppoſito in oppoſitũ, idq; Ariſtotelis authoritate confirmat. Ex modo itaq; participationis ſimili, temperatio ſimilis poſſet euenire, aut certè videri eueniſſe: ea propter in illius oculo, ſiue ſani, ſiue non ægri, qui ab icterici non diſcerneretur oculo, ineſſet ea qualitas icterico ſimilis oculo, vnde & ſimilia præſentaret, quæ præſentantur icterico, hoc eſt, auri pallore ſubalbida. Neq; enim tàm præſtò eſſet ea auis à Græcis χαράδριος appellata, quæ viſa, morbum illum expelleret: vt hinc naturáne, an vitio naturæ? talis aſpectus prodiret, poſſet internoſci. Secundum eſt, quod multi poſſunt ex materno vtero ferre ſecum id morbi, & ad ſenectam vſq;, vel nolentes retinere, quos tamen, cùm in ſenſus iudicium adduxerimus, quæ tibi rubra, viridiaque, ea illis pallore ſuffuſa, omninò videbuntur. Nec tu tamen lapidem Heracliũ præſtò habebis ad oculũ, vt diſcernas ictericúſne fuerit, an minimè, qui ita ſit natus? diffuſa, ſcilicet, ad oculos, qualitate ea, de qua diximus, ſed ita non perſpecta aliorum obtutibus, vt ſi morbo illo icterico ætatis decurſu fuiſſet affectus, eoque etiam magis, quod multæ eius morbi habentur ſpecies, vt Medicis proditur, ex diuerſa bilis infectione manantes, quæ tàm remitti queunt, & variari, vt cernẽtium oculos facilè lateant, eoq; etiã, num faciliùs, quod & Galenus, & Auicenna, cùm in omnibus diſciplinis, tùm in Medicina, pręcipuè viri magni nominis, affirmant temperamentum humanum, & quam Medici iuniores complexionẽ vocant, oculis ſemper nõ patere, cùm eueniat, vt iam humor, qui regnet, & obtineat principatum in corpore, non ſe expandat ad ſumma, cutemq; teneat, ſuo, ſcilicet, in vigore, ſed ſubſidat magis in penetralibus, contraq; ſæpenumerò contingere, vt qui rerum non potitur humor, is tamen occupet faciem, & corporis reliqui ſuperficiem. Tertium incommodum id eſt, quod etſi gratis concedimus, naſci nõ poſſe ictericum hominem, quin deprehendatur, nec ſimilem icterico, vt par fiat iudicium, reſtat adhuc non ſcrupulus, ſed lancea, quoniam ex intentione, & remiſſione bilis, ſiue eius generis, qua icterica perturbatio conficitur, ſiue alterius modo omninò nigra non ſit, tale poteſt conflari hominis temperamentum, vt ſi pallida non præſentari videantur eius oculo, diuerſi tamen erunt, omninò coloris ab ea, quam alterius temperaturæ homo oculis capiet: fortè alba apparebunt, quę quanquàm à pallidis nõ omninò facillimè diſcernantur, ſpecie tamẽ coloris differunt, vti etiã Thomæ ſentẽtia, in eo, quem ſuprà citauimus, libro, maximè repoſita. Cùm autem colores omnes ex nigro componantur, & albo, & xantho, vel, flauo, vt voluit in libro de Coloribus, ex varia albi & nigri mixtione, albiq;, & flaui temperatura varia, varij quoq; ſuborientur, conflabunturq; colores: quod cùm ita ſit, eueniet, vt pro diuerſo etiam temperamento, quod nigrum, vel quàm eſt nigrius, vel quàm eſt dilutius, appareat? quod item albũ aut albore magis fretum, aut fuſcedinis particeps magis pręſentetur oculo, atq; hinc diuerſa colorũ, & indicia, & iudicia fiant. Ita enim diuerſæ poſſunt hominis temperaturæ conflari, & coaleſcere, vt diuerſæ coloris ſpecies, ex albo, & nigro, ſiue albo, & flauo coagmententur, eoq; magis, quod omne temperamentum colorum ex duobus, corporum verò humanorum temperamenta, ex humoribus quatuor conſtituuntur, flaua bile, nigra, pituita, ſanguine, quæ de contrarijs quatuor qualitatibus oboriri, frigore, calore, humiditate, ſiccitate, ſanxerunt. Quò fit, vt longè plures enaſcantur ſpecies temperamentorum humani corporis, quàm colorum, quæ tamen conſtituuntur ſola intentione, & remiſſione, vel vtriuſq;, vel alterius contrariorũ, ſiue albi, ſiue nigri, aut flaui.

Quod autem de icterico diximus, pari quoq; ratione de ijs dicendum eſt, qui ocularium venarũ, vel fractione, vel colliſu, ſanguine oculos ſuffundũtur, ὑπόσφαγμα, id morbi à Græcis medicis, & maximè à Paulo Aegineta, & à Sexto vocari ſolet, quo qui laborant, eis omnia rubra videntur. Poteſt autem ab ortu naturæ talẽ quiſpiam oculi temperaturam ſortiri, vt multus circa pupillam ſanguis interſpergatur, adeoque poteſt, vt flammatã aciem geſtare videatur. Senſus igitur viſus magis varius eſſe poteſt,

quàm sensile, quod ei propriè obijcitur, quod tamen sensile multis, & infinitis penè modis variari sola intentione, & remissione potest, vt mittam quàm proximè etiam diuersorum colorū species, inter se variè sint habitæ, vt glauca, cærulea, cæsia, & quàm variè in vna etiam coloris specie habitæ sint diuersitates, vt in rubra, & fulua, & flaua, & rutila, & rubida, & russa, ex varia, scilicet, mixtione manantia, quæ cum Phauorini, Frontiniq; sermonibus diligenter adnotata sunt, tùm in secundo Noctium Atticarum eleganter exposita. Vt mittam etiam, quod ratione aduersus sensum, in re, quæ multò videri solet manifestissima, vti quidam voluerint, quo factum, vt Anaxagoras non albam, sed nigram niuem videri voluerit, quemadmodum septimo capite, secundi huius Operis libri fecimus mentionem, quod existimari potest ab eo factum, quoniam non vsquequaque sensus iudicium stabile apud eum manserit, quanquàm rationis ansam prætendere maluit. Dici alia non pauca possent, sed hæc satis haberi queunt. Ex quibus colligitur, quàm incertum sit vsus vel indicium, vel iudicium, vbi etiam aliquibus certum appareat. Nam sensus quidem verum esse aliquando, & indicium, & iudiciū non ambigo, nullumq; homini, qua carneus est, omninò verius, tùm, scilicet, cùm non fallitur, cùm non in ambiguo versatur, cùm in sua duntaxat sensione, persistit, nec ad aliorum sensa, & iudicia refertur (quanquam ferè semper adsunt conditiones ipsius sensorij varij) quæ res ipsas ob diuersum temperamentum, secus, ac se habeat apud alios, sæpè etiā aliter, ac se habeat veritas, præ se ferunt, ob diuersam etiam rei ipsius sensilis, fluxamq; naturam ea ipsa, quæ obijciuntur sensorio, diuersæ sese habent temporis diuersitate. Variat itaq; temperamentū corporeæ naturæ diuersas ob causas, variant, & rei sensilis percipiendæ sensibus qualitates: quorum ex varietate varium quoq; manat iudicium, ratione sępenumerò adstipulante. Sed & alia quoq; varietas prodiret, si lumen propriè visibile esset, ob varium corporis temperamentum, & oculi potissimùm pupillæ ad lucem contuendam, instar colorum, quos suprà diximus, diuersè à diuersis corporum temperamentis perpendi, & iudicari. Sanè lumen propriè obijci visui voluit Auicenna, sexto naturalium rerum libro, vbi & inter media sensuum, quæ necessaria putat Aristoteles non recipit.

Porrò ex varia ipsa intentione, & remissione luminis in sese perceptibili, siue etiam commune quiddam lumini, atq; colori, pupillæ obijceretur, variaret iudicium, quoniam diuersæ rei visilis ꝓdiret species, diuerso ex receptu. Ab illa verò Auicennæ opinione nihil visus abhorrere Aristoteles, in libro de Coloribus, vel non abhorruit Auicenna verius ab Aristotele, quando xanthum colorem simplicē, igni adscripsit, & Soli, & huic quidem alius color non est, præter quàm lumen, ipsomet Aristotele authore, qui Solem quintæ cuiusdam naturæ, & ab elementorum mixtione diuersæ omninò decreuit esse, & ignem, qui sit simplex, nullum habere colorem voluit, quoniam color, eo authore, elementorum conflatum, mixtionemq; sequitur. Quocircà iuxta naturam combustæ rei diuersi conspiciuntur in igne colores, etsi suapte est ignis natura xanthus, flauúsve, hoc est, sola lucis proprietate præditus, vnde illum Aristoteles contulit Soli, qui lucis corporeæ fons, & origo est. Vt autem lumen ipsum per se sit visile, probari solet ex colorata superficie, cuius pars illustretur, pars adumbrata maneat: Quando in altera parte lumen, & color perspiciuntur, in altera color duntaxat inspectatur. Num etiam idipsum apparet ex ijs, quæ in tenebris micare, & rutilantes fundere scintillas videntur? Videtur etiam mihi, Simplicium in cōmētarijs secundi de Anima libri primū visile statuisse lumen, per illa verba: προηγουμένως ὁρατὸν εἶναι τὸ φῶς καὶ τοῦ φωτὸς ἀποδεκτικὸν λαμπρὸν, hoc est, visile esse lumen, quasi dixeris, præcedenter, & id splendidum, quod lumen impartit: quanquàm procedente opere nō negat colorem luce consummatum agere, vt videatur. Nec me latet à Thomâ, & sectatoribus, inter materiale obiectum visus, & formale differētiam allatam, & alterum lumini, alterum colori adscriptum, nec hoc omninò sine lite, interq; obiectū quo, & obiectum quod discrimen allatum esse. Nam de obiecto ipso, ex Aristotele, & Auicenna nunc mihi mentio, quorum ille colorem, hic lumen prætulisse videtur, & sanè oportet illustrari aliquid, quoquo modo, si cerni debet, alioquin quo pacto idipsum sui imaginem prę se feret? Sed tale potest esse id lumen, vt aliquo etiam modo ab omnibus non comprehendatur oculis, & posset adduci exemplum illud, quod in Aristotelem refertur, vt in authorem, de Thasio quopiam viro, cui simulacrū hominis identidem ante oculos ob-

los obuersabatur, quod aliorum oculi hominum non percipiebant. Proditũ est memoriæ Tiberium Cæsarem inter nocturnas tenebras videre solitum. Sensus enim ipsius non decipiebatur, in quo decepti alij fuissent, circa eandem rem visam, in eadẽ distãtia, eodem in medio, hoc est, obscuro, & nocturno in aëre. Diuersitas enim temperamenti, diuersitatem quoq; iusta proportione in visili potestate constituerat. Et de incertitudine visus hactenus, quantum ad id, quod ab Aristotele prætermissum videtur, quia si certus esset omninò sensus, non tamen ex diuersitate complexus, & temperamenti humorum eadem vnicuiq; videretur res obiecta, vnde variabit inductio ex particularibus procedens, siue id referas ad visilem potestatem, siue ad variã rei visæ naturam. Illud ex abundanti addiderim, voluisse Auerroëm tertio de Anima commentario, visum quandoq; falli circa proprium obiectum, vnde illa eius verba ipso in commẽtario particula vigesima sexta, actiones propriæ visui scilicet comprehendere colorem sunt veræ in maiori parte, addo igitur non semper, etsi non fallor, optimè consequitur. Sed iam de visu multa, & fortè plura, quàm oportuit.

In reliquis quoq; pari proportione sententia feratur: Nam si ad gustum te referas, quanta ob humorum non dico ex febre vitiatorum, sed congenitorũ multimoda & suprà quàm dici possit, varia diuersitas inuenietur in hominibus. Nam quod vni sentitur, vno modo non sentitur alij, maximè cùm omnes ex dulci & amaro consentur, & coalescant sapores: scribit enim ipsemet Aristoteles in libro de Sensibus, vt colores ex albi, & nigri mixtione fiũt, ita οἱ χυμοὶ ἐκ γλύκεως καὶ πικρῦ, hoc est, succi ex dulci, & amaro, idq; magis, minusque fieri docet ex analogia, proportionéve mixtionis. Nec mihi nunc obstrepant, tale hominis temperamẽtum, tali in latitudine perpendendũ, hominemq; etiam non proprietate indiuiduorum, sed specie cõsiderari debere decernentes: Nam de temperamento, quot scilicet, sint, & quomodo secernantur, cùm agunt, non tanquàm de re iudicata decernunt, sed de ambigua, & plena difficultatũ, vt antè monstratũ est: Nec intentio, & remissio latitudinis, minores, vt excutiatur cõtrouersias, postulat, quæ quidem latitudo ita assignata, vt decere dicũt, adhiberetur necessariò ad sensiones ritè, & certò percipiendas, interstinguendasq; adeò, vt posset parandæ demonstrationi patrocinari. Hæc verò non conceptionibus animi communibus illis, & maximè generalibus insistit, sed rerum species, & rimatur, & colligit ex singularibus, sensu ipso perceptis, & cognitis, Aristotele duce, alioqui pauci credo, si non magis, nulli essent ad demonstrandũ idonei, ac de ipso Aristotele fuisset, ne in ea latitudine collocatus, an minimè, disceptari posset: homines prætereà singuli, & carnei sentiunt, & de sensionibus, quas percipiunt, iudicant, non autem hominis notiones, quæ nostris in animis collocari dicũtur, in quibus vel vna vniuersum hominum speciem repręsentat indiuiduis conditionibus eliminatis. Ipsi igitur homines singuli eatenus variari possunt, vt ad diuersum temperamentũ relata mixtio diuersa longè sentiatur, ac ab ijs sentiretur, qui dissimili temperatione pollerẽt. Democritus (vti est apud Sextũ philosophum) dicebat, mel neq; dulce esse, nec amarũ, vt secundo libro retulimus, quanquàm de Colchico, aut Pontico, aut Sardoo, melle mentionem non fecit, nec sese ictericum adstruxit, nempe, qui & sensississet, & fortè dixisset amarum: Sed quod omnes dulce pronunciant, ipse nec dulce, nec amarũ censuit: Heraclitus vtrunq; censebat. Sed antiquos dimittamus, viui sunt homines, qui amarissimum aloës succum exiccatum, compactumq;, vt alia eduliorũ genera comedant, qui rheubarbarum alijs palatibus aspernabile, vt gratum, & delectabile gustus sibi sumant. idem edulium eidem homini esuriẽti gratissimũ, eidem saturo triste, ac nõ ferendũ.

Porrò in tactu quanta diuersitas? Alexandri minister Demophoon, vt est positum in Diogenis & Sexti monumẽtis, in Sole, balneoq; rigebat, & æstuabat in vmbra. Argiuo Athenagoræ phalangiorũ, & scorpionum vulnera nullũ inussisse dolorẽ proditum est memoriæ, quæ tamen alijs mirũ quàm sunt molesta. Aethiopũ gens, cuius regio à Meroë ad fluuium Hydaspem porrigitur, scorpiones, & aspides tutò comedisse proditur historia, quæ alijs comesta, necem pararent: Galenus medicorũ eximius author est, puellã mortifera herba multo tempore nutritam. Quòd si fundamentum assuetudinis ducas in medium, eidem fundamento si superstruxeris, variatum temperamentum deprehendes, atq; inde sensationem quoq; variatam. Anus quæpiam Attica, triginta cicutæ succi tolerabat haustus, sine vitæ incommodo, cùm tamen alij vel vno,

vno, vel duobus extinguerentur. Sic & apud Massilienses criminibus obnoxij, sic Socrates ab Atheniensibus extinctus est. Iacobus Foroliuiensis, insignis inter Neotericos Medicinæ scriptores, prodidit literis, se perindè haberi ab allio, ac à veneno, cũ eo comesto, ea sibi acciderent, quæ solent accidere ijs, qui hauserunt venena. Idem & alius quoq; Medicus prodidit. Etsi ad tactum referri pondus debet, quantùm fallantur, qui sine bilance res examinant, longo discursu docet Nicolaus Cusa, in libro, quẽ inscribit de Staticis experimentis: Affirmãs etiam statera ipsa pondus ad liquidum, atq; vt eius vtar verbo, præcisè cognosci non posse. Idem odor eodem etiam die eidem homini gratus, paulò pòst grauis, quantò magis homini alieno, & vario temperamento: quãquàm homini in vniuersum parum tribuit in olfactu Aristoteles, minimumq; eo valere scribit, atq; in causa esse latiores meatus, docet in Problematibus. Quod si est tanta habitudinis in humano corpore, vno eodemq; frequens variatio, quanta erit in diuerso? Cùm & eadem etiam ratio sit rei odoræ præsentiendæ, quæ scilicet ex mixtione dissultat, quod & Theophrastus in libro περὶ ὀσμῶν, hoc est, de odoribus, censet, quod impermixtum est, id odorum non esse per hæc verba: τὸ γὰρ ἄμικτον ἄπαν ὀδωδέναι: Idq; ex Aristotelis sentẽtia, quod & repetit Theophrastus in Sexto de causis Plantarũ. Sunt & qui vel natura, vel corporis affectione varia videantur audire, quæ non audiunt, & ad ea, quæ deberent audiri, facilè videantur obsurdescere, siue id ex meatibus illis, anfractuosis aurium præposterè versis, aut obturatis, siue ex cerebri exsudationibus, siue alia quapiam de causa. Sanè quàm sit diuersum auriũ iudiciũ, norunt eruditi, qui viderunt, compereruntq; eosdem numeros alijs placere, alijs displicere prorsus auriculis. Vnde & apud artem docentes Rhetoricã, tàm varij pedes orationis terminandæ, varijq; numeri: qui omnes tandẽ sese ad iudicium aurium referunt. Vnde quæ æquabilis, vel numerosa videtur alicui clausula, videbitur alij subsultans, & hiulca minimeq; prorsus harmonica. In causa certè corporis variũ temperamentum. Ex quo etiam varia auriũ sententiæ, particularis autẽ, & indiuidua causa, varia semper, raro tamen comperta est: Nam cùm differentiæ soni sint acutum, & graue, quis non videat varia ex compositione acuti, & grauis, diuersas conflari sonorum species, quæ relatæ ad diuersas sentientis dispositiones, diuersæ habebuntur ab ijs, quas ij persentirent, qui aliter essent affecti: longũ esset enarrare circa omnem sensum varietates humani temperamenti: quoniam propriũ ita est, suum vnicuiq; homini tẽperamentũ, vt par ei, similéve omnino esse, sit impossibile: si in primo suæ Medicinæ verum sanxit Auicenna, imò rebus omnibus compositis propria esse temperamenta, & dispositiones docet in libro de Viribus cordis, è quibus propriè quoque virtutes emanent, quas ignorari docet, & quantum pertinet ad ea, quibus efficiuntur, producunturq;, & quantum etiã spectat ad id, cur ad talem suscipiendã virtutem hoc plus, magisq; quàm aliud disponatur? Proportionẽ autem mixtionis simpliciũ semper à nobis ignorari, quàm diu viuemus in hoc mundo, clarissimè contestatur. Atqui negari ne potest, quodcunq; sensorium sua habere constituentia principia? disponi propriè ad virtutem sentiendi suam? habere mixtionis simplicium proportionẽ? Adde, & ad sensiles res obiectas, inter quas etiam sit proportio referri? Quibus omnibus de rebus fit, vt & sensus emergat varietas, & sincerè, quemadmodum pleriq; existimant, à quibuscunq; nequeat discerni veritas. Vt mittam quàm varia, & quàm sæpè vana iudicia fiant, in his, quæ non propriè sensibus extrarijs objiciuntur, sed dicũtur communiter objici, vt numerus, & quantitas, & quies, & motus, num & maius, & minus aliquid, & plura, & pauciora nõnulla sæpè iudicantur, & falsò? sed & pulchra, quę turpia, & contrà quæ turpia, æstimantur pulchra, vt retrò memorauimus: & quiescere quoq; quæ moueantur, contraq; quæ mouentur, quiescere multi arbitrentur, nec in rebus minutis tantùm, & remotis, sed maximis, atq; præsentibus: quo pacto, & Aristarchus Mathematicus, & Seleucus, solam terram moueri dixerunt, cœlum verò, & cætera omninò quiescere: quod est à nobis anteà narratum.

Illud postremò non reticuerim, nos ipsos non videri à sancto Thoma longissimè recessisse, qui in primo contra Gentes, videtur hanc sensus, & humanæ etiam exactissimæ probationis, quæ demonstratio dicitur, innuisse fallaciam, quo potissimũ loco differit de rationabili fidei traditione. Asseruit primo inuestigationi rationis humanæ plerunq; falsitatẽ admisceri, propter debilitatẽ intellectus nostri, & phantasmatu per-

permixtionem, exin, de ignoratione demonstrationis apud plærosque, & diuersitate doctrinæ eorum, qui sapientes dicuntur, pauca prælocutus, subdidit: Inter multa etiã vera, quæ demonstrantur, immisceri aliquando falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum reputatur demõstratio. Demumq; ad capitis finem progressus, quæ dixerat de imbecillitate cognitionis humanæ, & quod propterea fixa, & certa fides humano generi salutaris data diuinitùs fuisset, conclusit omnia, atq; firmauit verbis Pauli monentis Ephesios, *Ne ambularent, sicuti & Gentes ambulant in vanitate sensus sui.* Retulit enim acceptam fallaciam sensui Apostolica auctoritate, & ipse antea ratione subinnuerat permixtionis phantasmatum mentionem habens, quæ videlicet depromuntur à sensu, vnde, & quæ dicerentur more communi exactæ demonstrationes, non tamen esse demonstrationes putauit, permixtas videlicet errore, & probabili, vel sophistica ratione nixas. Suprà quoq; docuerat homines, rerum sensilium non paucas, non multas, non plures, sed plurimas, vt eius vtar verbo, proprietates ignorare, & earum quoq; quas apprehendimus sensu, rationem perfectè in pluribus inueniri non posse. Quod præter ea, quæ suprà diximus, ideò etiam hûc allatum volui, vt qui odio vatiniano, sicuti in prouerbio dicitur, & nouercali, nos persequerentur, quoniam Aristotelem non sic, vt ipsi, coleremus, vel discant, vel memorentur, Thomam magni iudicij virum, quanquàm Aristoteles interpretem, si propriè non ea, quæ nos hoc in opere disserimus, certè nõ omnino dissimilia quandoq; dixisse.

CAP. IIII.

DIGRESSIO QVAEDAM IN REVERENDA OPINIONE Henrici Gandauensis, de incertitudine cognitionis humanæ, vbi ostenditur, quocunq; modo de ea statuatur, rationes tamen, quibus eam Ioannes Scotus impugnauit, magni non esse momenti.

Liceat autem hoc loco digredi aliquantum, nec tamen (vti arbitor) inutiliter, digredi, inquam, in reuerenda opinione Henrici Gandauensis, quam libro superiore diximus, à Ioanne Scoto acriter impugnatam. Sed quicquid de Henrici opinione statuatur, eam ipsi recitabimus: Deinde Scoti improbationem, mox & nostram responsionem. De omni illa, qua impugnatur, quæstione, tria colligentes, quibus insistamus, quoniam facere quoquomodo videtur ad rem, de qua agimus, exactè magis perpendendam. Primum est, nec argumenta Scoti in eam opinionem satis virium habere, cùm asserit rationes Henrici cõcludere Academicorum sententiam, non Augustini, & nulla eam veritate subsistere. Secundum, nec Henrici rationes, quibus probare opinionem moliebatur, à Scoto ipso fuisse ritè dissolutas. Tertiũ, opinionis conclusionem, de syncera veritate habenda, ritè non impugnari. Opus itaq; esse, dicebat Henricus, diuina illustratione, ad certam & sinceram veritatem, exactè percipiendam, quoniam res obiecta, vnde species, exemplárve creatum deducitur, mutabilis est, quò fieri, vt cuiusq; immutabilis, quemadmodum esse veritatem immutabilem oportet, causa esse non posset: Mutari præterea animam, & in falsitatem à veritate delabi, quapropter firmiori aliqua, nec mutabili re opus esse, vt firmaretur, non firma minus, aut magis mutabili, quale esse spectrum exemplárve satis constat, à re sensili, fluxaq; desumptum. Ad hæc necessariũ videri, vt is, qui certam, nec vllo modo fallacem, & errabundã rerum notitiam sibi asciscit, & vendicat, pariter habeat id, vnde falsum à vero, & verisimili dirimere queat, atq; dispescere: Alioqui semper erit ambiguus, veróne hæreat firmiter, an lubrica falsitate delabatur? eiusmodi autem creata illa, & à re desumpta species est, quia, & se quatenus talis est res, & se tanquàm rem obiectã præsentare potest: In altero veritas, in altero falsitas. Videre id licet in somnis, in quibus, si se primo illo modo species offerunt: verũ offerunt, si secũdo, falsum: hinc euenire, vt obliquo saltẽ aspectu radij, qui nobis diuinitùs impartiatur, egeamus, tametsi non eum propriè directeq; spectemus: id enim munus beatarũ mentium. Eum autem, quanquàm obliquè susceptũ radium, & acumen addere, & immutare speciem, & exemplar conformare sibi: tùm enim perfectam haberi veritatis notitiam, cùm duæ illæ species in mente cõcurrunt, altera, quæ inhæreat,

inhæreat, ſcilicet à re deſumpta, altera, quæ ſit illapſa diuinitùs. Hæc ferè ſumma eſt eorum, quæ decreuit Henricus. Vrget Scotus ſequi affirmans, vt nequeat, quocunq; in lumine haberi certitudo, quando aliter, quàm ſe habet res obiecta, cognoſcitur, quod tùm fieri aſſerit, cũ mutabile quod obijcitur, vt immutabile cognoſcitur, quanquam etiam ſenſilem, quæ obijcitur, rem ipſam continuè mutari non arbitratur. Ad hoc ſequi, vt nunquàm vllam capere poſſemus veritatem, ſi ſecunda illa ratio ſolido niteretur fundamento, nulla enim veritate vnquàm niti homines, cùm quicquid in anima collocetur, ſit mutabile, nec ipſum intelligendi actum eximi ab hac mutatione poſſe, quocircà inueniri nequire, vnde anima certa veritate polleat. Cenſet prætereà ſpeciem inhærentem, cum ſpecie illa, quam diuinus ille radius impartit, concurrere inaniter: nam quando alteri certitudo repugnat, altera certa eſſe non poteſt, exemplo cõcluſionis ſyllogiſticę: Quæ & de altera propoſitione, cui neceſſarius modus copulatur, & de altera, quæ contingenti cõnexa modò eſt, corrogatur & pendet. Speciem quoq;, quæ ad omnem concurrit cognitionem diſtinctè iudicare nequire, quia vtroque ſe modo repræſentat, nec poſſe etiam alio quocunq; adueniente fieri, vt verum à ſimili internoſcatur. Deinde multa congerit, vt oſtendat hanc non fuiſſe Auguſtini opinionem, ſed Academicorum, nec eis ipſis rationibus comprobari. Atque de primo loco hactenus ferè Scotus.

De ſecundo verò, rationibus ipſis reſpondet, & antecedentem propoſitionem inficiatur: Neq; enim ſenſilia continuè moueri dicit, atq; mutari, ea etiam ſi cõcedatur, negat in connexo veritatem ſpectari. Nam etſi res obiecta mutabilis habeatur, non tamen inde ſequi, vt quod ex ea gignitur, decerpiturq;, non poſſit quicquàm ſub ratione immutabili repræſentare cùm (vt eius vtar verbis) mutabilitas in obiecto, non eſt ratio gignendi, ſed natura ipſius quod eſt mutabile, fieriq; pręthereà poſſe, vt per id quod eſt mutabile, aliud ſub ratione immutabilis repræſentetur, ſicuti cùm per finitum ſub ratione infiniti quicquam ſoleat indicari: Atque ita Dei eſſentiam ſub ratione immutabili per aliquã rem mutabilem repræſentari. Ad hæc, ſecundam demoliri rationem pergit, diſtinctione habita rei mutabilis in anima. Duplicis enim mutationis meminit, alterius quæ fit ab affirmatione in negationem, & contra à negatione in affirmationẽ, quo pacto ab ignoratione ad ſcientiã itur, & ad intellectionem à nõ intellectione (vtar enim quib. ille vtitur verbis) alterius quaſi à cõtrario in contrariũ, veluti à rectitudine ad deceptionem, & à deceptione ad rectitudinẽ, quam mutationem negat animæ competere, niſi circa illa quæ complexu quodam conſtituuntur, eiq; obijciuntur ex ipſis eorum terminis, non euidentia: quæ enim euidentia dicuntur, circa ea mutari non poſſe animam aſſeuerat, cùm ipſimet termini cauſa ſint neceſſariæ conformitatis, & compoſitionis ipſius, ad tales terminos per quos (vt quæ ille dicit, apponam) poteſt rectificari. Tertiæ ideò rationi cõtrariatur, quia ſolùm dicit apparentiam facere contra opinionem, quæ ſpeciem intelligibilem aufert. Sed multa (quanquàm id diſſimulare videtur) Scotus inde ſibi obſtare conijciens, ea ipſe ſibi obijcit, & diſſoluere conatur. Sed tamẽ illa ipſa ab eo diſſoluta non fuiſſe paulò pòſt apparebit, cùm ei reſpondebimus, ſicuti alijs quoq; reſiſtemus, quæ circa & principia prima cognitionis, & ea quæ per experientiam cognoſcuntur, & actuum noſtrorum cognitionem ipſe diſſeruit. Quę quidem minus habere ponderis, quæ præſeferre videantur, pro virili monſtrabimus. Sed priùs alia quæ contra concluſionem opinionis argumentatur, ſtrictim afferenda ſunt, quoniam tàm ea, quàm quæ ſuprà breuiter attulimus, inter reſpondendum latiùs explicabũtur: primò, quid ſit ſyncera veritas, veſtigat, quam poſſe haberi via ſola naturæ probatum à ſe dicit: Secundò nõ eſſe neceſſariam vllam veritatis cognitionẽ, præter illam ipſam: quoniam quod intellectus ſimplex confuſè intelligit, id cognoſcere diffinitiuè poteſt inquirendo per viam diuiſionis. Tertiò de concurſu illo lucis diſputat, tandemq; nititur concludere, aut falſam eſſe opinionem Henrici, aut ab opinione communi non diſſentire. Hæc ferè ſumma eſt eorum quibus impugnatur Henricus: Quem hac in re ita propugnare, vt argumenta Scoti minimè concludant, ſuprà nos recepimus.

Itaque vt quodam ordine reſpondeamus? Id quod primò eſt allatum à Scoto, nõ poſſe etiam quocunque in lumine haberi aliquam certitudinem ſub ratione immutabili, de obiecto quod continuè mutetur, falſum id apertè videtur: Alio enim lumine altiori

ne altiori illustriq; magis suppleri potest, eoq; magis, quod configurari potest exemplar illi primo, à labili & pereunti fluxu rerum, à quo sensile exemplar desumptum est, longè remoto. Potest enim, quod vno in lumine obtuso magis & debili mutabile cognoscitur, id tanquã immutabile percipi, eo in lumine, quod imago quędã est exemplaris omnino immutabilis: quod in Deo esse apud omnes planè cõfessum est. Quocirca non aliter quàm se habeat res, percipietur: quoniã in se mutabilis est, & talis esse percipietur, in suo verò immutabilis exemplari. Atq; ita etiã percipietur, vnde & aliter deprehendetur primo in exemplari, aliter in secundo: atq; per idem supernum lumen, diuersa sub ratione poterit vtrumq; cognosci. Falsum etiam quod sensilia continuè non mutentur. Notum hoc experientia, notum, quia quod compositũ est ex pugnantibus inter se continuè qualitatibus, continuè secũdùm naturam mutari necesse est, tametsi ipsa singulis momentis mutatio non percipiatur: omne autem sensile, maximè sublunare ex contrarijs, & semper inter se bellantibus qualitatibus conflari manifestum est: Notum & Aristotelis authoritate, cùm alibi, tùm in libro de Coloribus, qua de re operis progressu nonnulla dicere consentaneum fuerit. Cùm verò affirmat sequi ex ratione Henrici, actum animæ cùm sit ipsa anima in qua est, mutabilior, nunquàm esse verum: Id minimè sequi dicimus, quandoquidem actus, quatenus actus, in sese consideratur, vt exiens animam, non potest mutari, quia non subsistit: quicquid autem mutatur substitisse quoquo modo intelligitur. Mutatur enim anima, quantum res incorporea mutari potest, & ex actu etiam mutatur in actum, sed actus ipse minimè mutatur: Oritur enim subitò dum elicitur, ac subitò dũ cessat animę munus, dispe-rit & abolescit. Illa verò similitudo concursus speciei & decerptæ, & illabentis, cùm propositione & cõtingenti & necessaria, quam videtur Scotus magnifacere, mihi videtur nullius esse momenti: Eam enim inuenio ab eo, quod ille cupit longè dissimilẽ. Siquidem syllogismi conclusio, partem sequitur debiliorem, & altera propositio aduersatur alteri: Cognitio verò sequitur lumen potentiùs, & species illabens non aduersatur inhærenti, & decerptæ à re, quæ ipsi cognitrici potestati obijciebatur, imò illam ipsam cuius origo res sensilis habetur, ea perficit species, quæ est illapsa diuinitùs tanquàm lux potentior, cuius partes illustrare, & perficere res, quæ sunt aptæ fulgori suscipiendo. Perficit itaq; intellectus certitudinem, quę nisi luce intellectili nõ perficitur, tantum abest vt ei repugnet, quemadmodum Scotus falsò videtur imaginari. Nec certum concurrit incerto, nisi quatenus hoc illo perficitur & certũ euadit. Tunc etiam manifestum esse potest, consecutionem illam complexumq; non tenere. Inde, scilicet, sequi vt non possit haberi certitudo ex vllo concursu: quoniam superni illius luminis fulgore haberi eam posse mõstrauimus. Nec item eo in connexo veritatem manere, tolli ex ea opinione omnem certitudinem, & inuehi opinionem Academicorum, & Augustini sensui contrariari. Nam de exacta certissimaq; & syncera prorsus veri certitudine fit mentio, non de probabili & morali. Est enim quædam probabilis certitudo, est & moralis, est & physica, est & maior, quæ de mathematicis disciplinis, si earum principia admittantur, eruitur: est & omninò maior, quæ diuino lumine percipitur. Quis enim abnegauerit esse in ipsa humana certitudine gradus, quando ipsæ etiam apud philosophos mathematicæ disciplinæ, in primo gradu certitudinis esse dicuntur. Et qui dicunt certitudinem haberi per proprium principium: num & clarius, & obscurius haberi principia diuersis ex causis & intrinsecùs, & extrinsecùs positis, planè concederent? quando & illud Seuerini non admittunt solùm, sed & celebrant: esse quasdam propositiones omnibus notas, esse quæ solis sint notæ sapientibus, vt incorporalia in loco non esse. Id quoq; certius esse affirmant, quod habet certiorem causam, & hoc absolutè atq; simpliciter. Quod Thomas secunda parte secundi voluminis Theologicę summæ constanter asseuerat, etiam si, quoad nos attinet, idipsum certius esse nolit. Illud autem in causa, quoniam nõ in imo, sed in sublimi, hoc est, supra hominis intellectum, nostræ fidei fundamentũ diuino patefactum lumine, collocatur. Atq; ita etiam omni visione certiorem esse fidem, quis ambigat? fidem, in quã, ex auditu scilicet, qui deriuatur à Deo, qui & non fallit, & falli omnino nõ potest.

Academicorum autem opinio, quo modo esse potest ea, quæ radios diuinitùs missos asciscit? Ad hęc Academicorum opinio quotuplex? vt secũdo huius Operis libro declaratum est. Et sanè nec compertũ confessumq; est, quid secundæ, & tertiæ Acade-

miæ principes senserint, an scilicet, vt eorum verba videbantur innuere? an longè aliter? quando Archesilas vt experiretur, an Platonicarũ sententiarum nodi possent facilè dissolui, omnia vertit in dubium, vti Sextus memoriæ prodidit: & Metrodorus affirmauit non placuisse Academicis, nihil posse comprehendi, sed contra Stoicos idipsum asseruisse. Et Carneades quoque contra manifesta certaq; disseruit, vt excitaret (si Ciceroni stamus) homines non socordes, ad veri vestigandi cupiditatem. Augustinus quoque consilium Academicorum, dum de eis dissereret, explicaturus, non eiusmodi fuisse dicit, vt Scotus & plæriq; opinantur. Qui quidẽ Augustinus sensibus nullo pacto synceram tribuit veritatem, & si quãdo certa dicit humaniter haberi, vt principia cognoscendi & disciplinarũ spectamina. De innata loquitur, non sensu aut imaginatione indagataq; comperta notitia. Nam & si de omnibus spectaminibus scientiarum, quæ discursu acquiruntur loqueretur, quomodo id vsquequaq; verum? quãdo quæ alijs verissima dicuntur, alij falsissima existimârunt. Adde quod Augustinus multis in locis synceram cognosci sine resolutione, ad exemplar diuinum veritatem non posse, dedit intelligi, idq; non Henricus solùm, sed & alij quoq; indicauêre eam Augustini sententiã fuisse: quam etiã notat egregius theologus Ioannes Gerson in libro de oculo. Sed enim verba illa Augustini ex primo Retractationum id apertissimè videntur significare imperitos disciplinarum vera aliquando de eis disciplinis respondere, cùm benè interrogantur, quia præsens est eis, quando id capere possunt, lumen rationis æternæ, neq; enim Sensui id acceptum retulit Augustinus, nec naturali lumini, quod principiorum plæriq; nuncupant, sed lumini rationis æternæ: vbi (vt eius vtar verbis) hæc immutabilia vera conspiciuntur, & dum ipse cum suamet ratione disputat in primo Soliloquiorum, clarissimè asserit vera quæ in disciplinis traduntur, superno lumine patescere: ergo, inquit, & illa quæ in disciplinis traduntur, quæ quis verissima esse, nulla dubitatione concedit, credendum est, ea non posse intelligi, nisi ab alio, quasi suo Sole illustrentur: subditq; ergo quo modo in hoc Sole tria quædam licet animaduertere, quod est, quod fulget, quod illuminat, ita in illo secretissimo Deo quęuis intelligere tria quędã sunt, quod est, quod intelligitur, quod cætera facit intelligi. Fuit sanè antiqua opinio animã nõ in se, sed supra se in altiori videlicet lumine vera cognoscere, idq; diuersè explicatum est: nam dicunt nonnulli dum se conuerti anima ad lumen superius, radium in quo videat veritatem ab illo suscipere lumine, qui radius non sit in ea modò formæ permanentis, quoniam si cesset conuersio, cesset & quæ inde cognitio prodibat instar visus, sese ad rem visilem & conuertentis, eiusque speciem recipientis, & auertentis ab illa, nihilque quod hauserat retinentis: Quam fuisse opinionem Auicennæ doctissimi existimârunt. Alij malunt non recipi in anima radium, in quod videatur veritas, sed in illud lumẽ quod est extra se, animam spectare, tanquàm in id, quo veritas repræsentatur. Quod lumen dicunt esse Deum, in quo videri asserunt veritatem, quatenus ille sit omnium rerum Idea. Atque idcircò dici solere ab intellectu veritatem in æternis rationibus videri, hoc est, in Deo, non quà est Deus, sed quà est illæ rationis æternæ: & hanc fuisse Augustini opinionem insignis inter Parisienses Theologos Petrus de Trabibus existimauit. Franciscus autem Maroneus censuit opinionem Augustini fuisse, vt diuina essentia sit nobis ratio cognoscendi, non in ratione obiecti cogniti, sed in ratione medij, & in ratione causæ vniuersalis concurrentis in notitia: quanquàm hanc opinionem à doctoribus communiter non teneri scribit, Augustini tamen opinionem esse maximè affirmat, dum ipsemet Augustinum enarrat & explicat, in vndecima Veritate super duodecimum ipsius Augustini librum de Genesi ad literam, & super illis maximè verbis: aliud est ipsum lumen, quo illustratur anima, vt omnia vel in se, vel in illo veraciter intellecta conspiciat: nam illud, ipse Deus est. Hæc fortè prolixiùs de opinione Augustini tractauimus, vt eam aliter, quàm ipse Scotus interpretatur, & ab alijs, & à Scoti sectatoribus, & ab ipsomet Augustino discussam & declaratam cognoscamus. Quibus etiam illud si addiderimus, quod eodem, quem citauimus, duodecimo super Genesim libro scripsit non frustrà illud ipsum addidisse culpabimur. Dum enim de sensus & humani spiritus fallacia dissereret, & adhibendam esse aliorum contestationem sensuum, & maximè ipsius mentis, atque rationis edoceret, adiecit: vt quod in hoc genere rerum verum est, inueniatur, quantum inueniri potest. Satis enim aperuit synceram

ceram veritatem, nec per sensum aliquem, nec per sensuum contestationem; accedente etiã rationis, & mentis acumine posse, vt multi existimant vsquequaq; penetrari. Vt mittam de modo, quo cognoscit anima naturaliter varia dogmata, progressu operis suis locis explicanda. Sat enim hęc quæ narrauimus de ipsius cognitione, quantum ad id in quo Scotus aduersatur Henrico.

Cæterùm quod attinet ad formam syllogismi, num ea quandam sibi adsciscit conditionem? vt si postremum sit in toto medio, mediũ in toto primo collocetur. Ad hæc si quando Augustinus sensibus videtur ipsam cognitionẽ dare, quam, scilicet, eis alibi abstulerit, num potiùs existimandum est lucis eius diuinitùs illapsæ illũ recordari, ne sibi, scilicet, contrarius esse videatur. Quod & videtur ipse apertè subsignare eis in verbis, quæ pro se ducit Scotus in medium, eis, inquam, quantum ille qui nos, & ipsa condidit innotescere nobis voluit, quantum igitur voluit cognosci, tantùm cognoscimus. Sic & illa quæ is refert super actibus nostræ volũtatis fundata, quæ cognoscimus, & à nobis cognita percipimus, eidem lumini possunt accepta referri: quia videlicet à sensibus ea, aut extrinsecùs aliunde, non haurimus. Nec fortè illa à multis eorum philosophorũ, apud quos assensus cohibebatur, ducta fuissent in cõtrouersiam, vt quod viuere nos percipiamus, & velle nos beatos esse planè sciamus: sed quod extrinsecùs notionem cùm haurimus, & decipi, & decipere possimus: quoniã, nec semper, nec vna via pateat ex qua certam trahere regulam queas exactæ omnino, & synceræ veritatis percipiendæ. Sed quænam sunt ista per se nota? quando nihil tàm notũ, quod & Academici multi, & Sceptici, si ea, aut ope sensus, aut imaginationis, aut humani discursus tibi vendices, in dubiũ non verterint. Quæ enim de complexu illo terminorum afferuntur, primùm (nisi fallor) in significatu & notione multã quæstionem mouerẽt, dicerentq; se aliter cõcipere. Deinde super nexu acriter bellarent, darentq; operam vt tolleretur illa conformitas: atq; ita conarentur principia labefactare, quæ tamẽ admitteret Henricus, sed diceret ea ipsa vel indito, vel illapso diuinitùs lumine, quod illi non agnoscebant, patefieri. Cęterùm si à quacunq; in re, in quam intelligendam feratur mens, & quocunq; in modo intelligendi, controuersiæ & viguerũt, & vigent, vt operis progressu liquidò patefiet: quid pro certo & concesso potest Scotus assumere? siue de modo quo intelligamus, & lumine intermedio, siue de re foris obiecta, siue de eis notionibus rerum, quæ in imis manent animi penetralibus: nã quod vni videtur, non videtur alijs, quod alter se dicit experiri, alter experiri contrarium & aduersum planè contendit. Subsignemus exemplis aliqua in rebus obiectis extrinsecùs, vt fieri possit res dilucidior. Nihil magis spectabile quàm forma materialis: At penes quid, singulares formæ secernantur, quam varia? Alij diuersa principia efficentia duxêre in medium, alij operationes diuersas, alij operationes quidẽ, sed non omnes, at eas tantùm, quæ in altiori Entium gradu materiam ipsam, quam afformant, collocauêre, alij diuersa genera: Singulos nihilominus circunstat multiplex difficultas, vt opere procedente cernere dabitur, nihilq; certi habetur, quò sese omnes conferant. At de forma immateriali num fortè clarior apparentia? num cõcordes in ea haurienda conceptus? Sunt qui in eadem re simplici nescio, quid formale ab ea seiunctum ex ipsa rei natura imaginentur: sunt qui nihil omnino, etiamsi eam quæ dicitur ex natura rei distinctionem planè distinguant: sunt qui fundamentum duntaxat ex quo rationis distinctionem educant, atque hinc diuersæ sectæ, Scoti ipsius, Francisci, & eorum, qui eiusdem fuêre sententiæ, Guilelmi Anglici, Gregorij Ariminensis, & complurium qui nominales appellantur, Thomæ & sectatorum: Sed & fuêre post Scotum ex eius discipulis, qui & impossibilem eius opinionem, & semet destruentem affirmauêre: atque ita Aureolus affirmat prima quæstione operis Quodlibet appellari, in qua & rationibus omnibus, quibus fulciri videbatur opinio, respondet subtilissimè, & ad conceptus obliquos, & connotatos, vniuersam relegat materiam, eamq; ipsam opinionem & Theologorum veterum sententijs, & rationibus acerrimè prosternit. Sed hęc ad rem foris obiectam etiam pertinent.

At de actibus ipsis intrinsecùs manẽtibus & in semet reductis num multa dissidia? quando de ipso intelligendi actu recto & reflexo, an vnũ, an plura disquiratur? & alius vnũ se experiri tantùm, alius plura testetur: & vtraq; opinio tanquàm ambigua & versatili Gulielm⁹ Anglicus quartadecima quęstione primi libri, operis nũcupati Quod-

libet, dum de intuitiua loquitur notitia: quanquàm duodecima quæstione sequentis libri, actus reflexi distinctionem affert, nullumq; propriè inflexum dici asseuerat, sed impropriè, quo, scilicet, actus rectus intelligitur, atq; ita alterum nõ esset alterum, mauult. Sed de ipsa intuitiua notitia, quæ maximè sine controuersia esse deberet, si cætera haberi cognoscique sine controuersia deberent, acerrimæ omnino controuersiæ. Ipseque etiam se torsit Guilielmus acerrimè, num intellectus cognoscat suos actus intuitiuè? & ad experientiam lis tandem reduci videtur, quam apud varios, quantum ex eorum dictis constat, variam esse didicimus. Sed & quid ipsa sit propriè notitia intuitiua, nondum inter omnes conuenit, alia enim afferuntur, præter illa de quibus Scotus, & in secunda distinctione primi libri, & in tertia secundi, & in decima quarti, & in quæstione tertiadecima operis nuncupati Quodlibet: nam ambigitur si per imaginem rei, aut per nudam præsentiam consistat in mente. Sed & super intuitiuam etiam cognitionem nonnulli duxêre in medium, vt nihil hac in re decernatur euidens. Sed quid etiam sit euidentia, nondum inter omnes conuenit, quam in simpliciter & secundùm quid euidentem dissecandam aliqui malunt: quod longo discursu docere nititur, Alliacensis prima quæstione in prologum Theologicarum sententiarum. Quibus omnibus quantum sit in quaque re agnoscenda dissidij, liquidò cognoscitur, & explicatiùs omnino patescet toto præsentis libri decursu, & duodecimo libri sequentis capite. Enimuerò si de re extrinsecùs obiecta tractemus, ad sensum res vt recidat, oportet, quoniam si sensus aberrabit, vana erunt principia ne dum discursus omnis atque conclusio, quæ manabit ex illis. Neque enim mihi satisfaciunt illa Scoti, quod intellectus habeat sensus ipsos, non pro causa, sed pro occasione tantùm, & quod virtute propria, non virtute sensus assentit: neq; enim occasio est, sed causa sensus ipse, vt intellectus simplicium terminorum notitiam hauriat, neq; etiam, nisi maximo abusu diceretur occasio, quæ pars quædam temporis opportuni, & signati cẽsetur esse à Latinis authoribus, & à Græcis etiam Medicis maximè inter exponendum illud Hippocratis, *occasio præceps*. Quare nõ potest dici occasio, sed causa iurè meritoq; dicitur: quod ipse confirmare Scotus videtur inquiens: intellectum non posse habere notitiam simplicium, nisi acceptã à sensibus. Quid, quæso, hoc est aliud, quàm habere eos pro causa? num illi vel tradit, vel ministrat id, quo ille vtitur? quo pacto in genere causæ materialis, si sensilis species consideretur, poterit haberi ad cognitionem eliciendam: & quoquomodo in genere causæ formalis, si species intellectilis vel visum, siue phantasma haustum à sensibus, quo tanquàm informatur intellectus ipse, consideretur. Quæ cùm ita sint, si sensus fallatur, intellectum falli conuenit, qui, scilicet, indicio sensus vtatur, vt iudex. Quid enim ipse aliud iudicat, si de naturali tãtùm cognitione fiat mentio: nisi id quod ei indicat sensus? quod etiam per ea quę paulò pòst adiecit verba, negare posse iurè non videtur. Et si, inquit, ex ratione talium simplicium sit complexio euidenter vera, intellectus virtute propria, & terminorum assentiet: Si, inquit, est euidenter vera. At quomodo euidenter vera? Si sensus fallitur, à quo termini, siue notiones depromuntur. Quo, inquam, pacto, si vel vtrunq; simplicium terminorum, vel alterum falsò apprehendatur? Multa enim ex affectione voluntatis, & ex falsa apparentia possunt ita intellectũ vexare, vt contraria primo principio decernat, quod & in primum sententiarum librum Cameracensis Cardinalis affirmat, qua de re latiùs in progressu Operis.

Illud verò Scoti exemplum de toto & parte, supponit compertum esse, verè aliquod totum, & aliquam partem, quæ inuicem sint collata, quocirca necessaria per sensum facta est illa indicatio totius & partis. Quod si sensus verus iudex fuit, aut testis, potuit de eo ritè intellectus ferre sententiam, si falsus, lis ritè non data est: Nam ratio totius à sensu non percipitur, vt Scotus videtur, & quidẽ iniuria (vt mihi apparet) præsupponere. Neque enim ad rei rationem pertingit sensus, qui non prætergreditur accidentia, opus enim id altioris omninò potestatis. Iniuria & illud allatum est, intellectum semper habere apud se terminus, qui sint causa veritatis, etiam si vel omnes, vel aliqui sensus essent falsi. Quomodo enim hoc fieri potest? Cùm termini simplices eo ipso consentiente Scoto, accipiantur à sensibus? quomodo igitur eorum veri termini, si eorum indicatio falsa est? Si falsum eorum, siue fundamentum, siue principium? & quomodo iudex intellectus veram promet sententiam, falsis nitens sensuum testimonijs?

monijs? Nec illud omnino ei quicquam suffragatur, exemplum cæci hominis, cui sint miraculo inditæ species albedinis, atq; nigredinis, quia nec naturalis isthæc cognitio, nec falsa posset esse, quia diuinitùs immissa: falsa verò esse potest, quæ sit hausta per sensum. Ad hæc in progressu conatur Scotus deducere, quod ex quibusdam experimentis, non omnibus, nec semper, ita tamen esse & semper, & (vt eius vtar verbo) infallibiliter cognoscitur, qua in re ipse maximè fallitur. Primò quià à minori numero argumentatus ad maiorem concludendum, incurrit fallaciam connexionis consecutionísve ab Aristotele damnatam. Si quidem minor numerus à maiori includitur, nō contrá. Valeret enim connexio si ex omnibus inferret plurima, non autem cùm ex multis, aut plurimis infert omnia. Secundò quia quæ à causis etiam naturalibus proueniunt, non semper ita se habent, vt aliquando se habere visa sunt. Exempla huius rei multa in Aristotelis libris de Animalib⁹, & Theophrasti de Stirpibus referuntur. Qua de re cùm de viribus vniuersalis propositionis disputabimus, mentio fiet. Ibi quoque falsum deprehendemus, quod à Scoto tanquàm certū & constans allatum est, talem herbā, vel talē, talis esse virtutis certissimè, & sine admixtione falsitatis multis experimentis posse percipi: Nam contrarium sæpè inueniri docebimus, vnde nequeat propositio de omni quæ dicitur, & vniuersalis inferri: neque etiam aptitudo illa, ad quam postremò se refert herbarum, id est, affectio illarum, potest comprehendi, per experientiam, nisi pariter fuerit rerum, quibus aptatur, & explorata, & penitùs nota natura. Alia verò quibus prætereà Scotus innititur, facilè repelli possunt. Illa enim quæ de quarto Metaphysicorum libro, & Sceptici, & Academici riderent, quando aliter sibi, quàm Aristoteli visum dicerent, non tamen omnibus æquè, adeò vt generalis regula confici posset. Item quod contingens dicitur, esse aliter posse, quàm sit, nulla iniuria affirmari: Videri quoq; talia, qualia ille affert non negarent, at esse re ipsa talia nihilominus ambigerent. Sic dicerent illusione prohiberi non visionem simpliciter absoluteq;, sed talis obiectæ rei, aut talis modi: Itaque alterum caperetur pro altero, & certitudinis loco fallacia suboriretur, quæ nec vitari ex concursu sensuum potest, quemadmodum videtur argumentator imaginari. Nam quod vni eorum apparet, idem alteri diuersum videtur, alienæq; naturæ. Qua de re secūdo est huius Operis libro abūdè scriptum. Si verò diuersè iudicant, certitudo exacta non potest haberi per vllam propositionem, quoniam & ipsa qualiscunq; fuerit, cuius extrema extrinsecùs posita sint, pendebit à sensu. De quo cùm fiat quæstio, certúsne ipse sit, an minimè? certiora se nequibit alia facere, & huc accedit similitudo inter verum ipsum, & quod multis ex causis potest apparere verum, cùm non sit, quare regulam discernentem dare oportet, Henricus diuinam, Scotus humanam arbitratur esse. Vter rectiùs decreuerit iudicent, qui multiplicem sensus fallaciam experti sunt, qui ex verisimili ad verum hallucinati sunt, qui rei similitudinem, & rem idem non esse cognoscunt, & alterutrum sine vtriusque notitia discernere se non posse perceperunt, qui etiam ex eo quod experimur in nobis de aliqua re, norunt iudicari probè nequire, an talis in se ipsa sit res. Calorem ex appropinquatione ad ignem sentimus, calidum inde ignem arbitramur: at ex propinquitate ad solares radios directiùs ferientes, idem experimur, sed si inde calidum dicamus solem, reclamabit Aristotelea familia. Demùm iudicent ij, qui & doctrina, & experimentis percepêre, quod plurimum euenit, semper non euenire, qua de re latiùs opere procedente.

Ex his quæ diximus patere facilè potest, quàm non dissoluat Scotus rationes Henrici: Nam nec falsum est antecedens, quia sensilia mutantur identidem confligentibus inuicem qualitatibus, & in connexo veritas est. Nec obest quod affertur, de hoc quòd omnia continenter moueantur, posse haberi certam notitiam. Nam aliud est continuè quicquam moueri, aliud nescire percipere quo modo, aut quo tēpore, aut conditione moueatur. Nec illud officit mutabilitatem (ita loquitur) in obiecto non esse rationem gignendi, sed naturam obiecti, quod est mutabile. Nam ratio gignendi est natura sub mutatione, & quod apprehēditur, est ipsa varietas, & rei obiectæ mutatio, aliter se nunc, quàm priùs offerentis. Idq; apud Aristotelem in libro de Coloribus potest indicari. Qua re etiam exemplaria diuersè capiuntur diuersis temporibus: tùm ex diuersitate organi, nunc se aliter quàm priùs habentis, tùm ex rei mutatione, tùm ex intermedij vario & irrequieto habitu: Nec illud etiam à bonis, vt arbitror, iudicijs

recipietur, quod est mutabile sub ratione, immutabilis posse repræsentari: siquidem syncerè quicquam non potest offerre, quod in se non habet, aut propriè, aut præcellenter, quantò minus quod est diuersum, atque repugnans? Quare ex ipsis terminis, qui de rebus sensilibus capiuntur, talis quam sibi ille optat potiùs, quam probat euidentia, non facilè potest asciſci, quando etiam intellectus ita iudicat, vt est sibi per internuncios sensus indicatum. Quò fit vt ipsa cognitrix potestas, quam non errare, nisi sit indisposita Scotus affirmat, erret frequentissimè, quia malè disposita redditur ad iudicandum ex repræsentatione fallaci, eo enim quod offertur, fit interstitiũ veri falsiq; iudicij: Nam si verè offertur vel species, simulacrúmve rei vel phantasma, vera sententia prodibit, si falsò, fallax iudicium deprehendetur. Parumq; sese efficax illud ostendit, quo, euidentia non admissa disputaturum se non recipit. Si enim hoc, Scote, agis quomodo conuinces Academicos, quos confutasse te suprà quodammodo gestiebas? quomodo Scepticos quorum libros, vt puto, nũquàm vidisti? quomodo etiam de actibus tuis certus fueris Aristoteli nixus, qui de suis sæpenumerò dubitabat? Et cùm sentimus, an sentire nos sentiamus ambigebat? Quo item modo effugies quin vtaris circulo? quin principium petas in disputando? quæ genera fallaciæ explosa sunt ab Aristotele. Namq; ex dispositione, & in dispositione potentiæ, id quod est per se notum deprehendi posse contendis, dispositam verò esse potentiam, per se notum esse: Altero enim probas alterum, & vtroq; vsus ad alterutrius probationem circulo vteris, petisq; etiam quod principio negatum est. Nam humanitùs quicquam esse per se notum, sine demissi luminis adiumento negaret Henricus. Academici verò, qui eius luminis non meminêre, etiam inter id quod est apparere, vt quicquam per se notum sit, & id quod verè per se notum est, acutè distinguerent. Ac sanè præter rationes etiam experientia docuit, per se notum non esse, in potentia disposita? cùm de aliquo deliret, an minimè, sæpenumerò inter doctos ambigatur. Et memini Ludouicum Carrum Ferrariensem medicum, primariæ ferè authoritatis ægrotantem, cùm fortè essem Ferrariæ & iure amicitiæ visitassem, petijsset à me seriò, num deliraret? num esset mentis emotæ? quoniam Medici id affirmarent, sibi verò non videri, atque ad id rationes afferebat, vt se sanum aduersus Medicorum sententiam probaret: Veras esse rationes ego probaui, quas postea comprobauit euentus.

Cùm verò pronunciatur Scotus quid intelligatur per certam atque synceram veritatem? dici potest duobus modis. Primò synceram veritatem appellat in Centilogio de conceptibus, Ioannes Gerson conceptum entis simplicem, per intellectum viatoris in vtero (vt eius vtar verbis) puræ intelligentiæ genitum, si diu persistere posset sine inuolucro & commixtione phantasmatum, & hac esse pro statu viæ synceram veritatem, authore Augustino, confirmat, quæ mox vt illuxerit, resorbetur, & inuoluitur nubeculis phantasmatum, si mens non stabiliatur. Illud autem persistere, atque illud stabiliri, satis indicant superius & fortius lumen concurrere oportere: sed hoc quoniam magis pertinet ad primum intellectus conceptum, ad secundum verò, qui in compositione est, veritas dicitur propriè pertinere: Ideò respondere secundo possumus ad Henrici propositum, per synceram veritatem id intelligi, quod de re concipitur animo verè, sine admixtione falsitatis vllius, inter re conceptam, & animum concipientem, quacunq; in afformatione, tàm simplici, quàm composita, vt satis indicat nomẽ: hoc etiam addito, vt sciatur ita esse certissimè: quod non potest haberi nisi ab ipsissima veritate, quæ ita se & alia cognoscit. Nã sine ipsius fulgore possumus nosse falsa, & ea credere vera esse, contraq; nosse vera, & credere ea falsa, vel dubitare, qualis ferè humana cognitio, si radio illo supernæ lucis diuinitùs immissæ destituatur. Cæterùm si quicunq; bene instituti in Sacris literis affirmant, lumine diuinitùs menti infuso, ea quæ supra naturæ nostræ facultatem sint, credenda cognoscitur, haberi debet à Scoto tanquàm absurdum lumine etiam diuino vim nostræ mentis, illustrari ad syncerè percipienda quæ insyncerè alioqui perciperentur? Diuersos enim diuinum lumen diuersè participare, & ipse Scotus concedat oportet, si fidei lumen & prophetiæ lumen admittit. Cur & molestè fert naturale lumen iuuari diuinitùs ad occultas etiã naturæ veritates syncerè, & sine vlla prorsus erroris suspicione percipiendas? cùm tot & tanta dissidia in rebus quæ clarissimè dignosci dicũtur, planè spectemus. Hinc tot circa principia apud diuersas philosophorum sectas dissensiones & rixę. Sed apud Peripateticos

pateticos iuniores solet dubitari, vtrum propositio illa, omne totum est maius sua parte, vera omninò sit: non propterea, quòd Hesiodus *dimidiũ plus esse toto* cecinerit: Deinde quod idipsum Plato cùm alibi, tùm in tertio de legibus libro confirmârit, vbi Hesiodicum ita exposuit dictum, vt totum comprehendere sit noxium: dimidium verò moderatum sit, & moderatum vtpote melius, plus sit immoderato, videlicet deteriore, demùm quod alij mox dictum ipsum celebrauerint medio critati, scilicet, & æqualitati morum actionumq; acceptum ænigma referẽtes: Nec propterea quod Aenesidemus Heraclito consentiens totum à parte diuersum esse, & idem esse cum parte literis mandauerit. Non inquam propterea, sed quoniam ea ipsa propositio de toto, eò quod potentiale dicitur, negatur à multis: Itemq; negatur, si per totum intelligatur vniuersum id, quod animo & imaginatione ex Deo, & mundo concipitur. Nam totum hoc nõ est maius Deo. Nec item de toto quod integrale dicitur veritas haberetur, nisi totius & partis imago ritè sensibus esset impressa. Sed & si vera recipiatur, vtrum sit per se nota, magna quæstio est. Nam omne totum esse maius parte sua per rationem comprehẽdi, scripsit Alliacen. secundo libro de visu: & Aureolus capi voluit syllogismo imperceptibili. Alliacensis verò tertia quęstione in primam Sententiarum demonstrationem eius haberi nõ posse existimauit, sed rationem, cùm notiores conclusione propositiones non habeantur. Ad id verò quod absurdum existimat, exemplar videlicet æternum, rationem esse cognoscendi, non tamen cognitum, quoniam relatio cognosci nequeat, extremo non cognito. Respondemus rationem illam non habere pro extremo directum, id est, exemplar, sed obliquum, id est, reditũ illum, quo cognitrix potestas afflatur. Nec minus illud putemus egere correctione, id quod intellectus cõfusè intelligit, diffinitiuè posse cognosci, per viam diuisionis, quæ cognitio perfectissima sit, quandoquidem de anima nõ potest id sciri, de intellectu, de substantijs à materia seiunctis, multò minus de infinita potestate, vt mittam quod quicquam nõ possitita perfectè & exactè definiri, vt plæriq; autumant. Qua de re progressu operis seposito nobis loco disputabitur.

Postremò cùm quæritur an à luce æterna fiat aliquid, priùs naturaliter ante actum, an minimè, & vel in obiecto, vel in intellectu. Dicimus rem obiectam posse eadem actione illustrari, etiam antequàm habeat esse in intellectu, simul, scilicet, cum illa repræsentatione, sicut exemplo satis manifesto percipere datur in lumine Solis, & illustrante colores, & speciem, & potestatem visilem adiuuante: potest etiam ante receptionem illustrari intellectus: Vnde tria illa ea ipsa illustratione fieri docebat Henricus. Cuius opinio differt ab opinione communi, illapsu lucis illo iugi ad veritatis synceræ notitiam percipiendam, qua luce postquàm recepta est, tanquàm instrumento non vtitur anima, sed intellectu illustrato, qui & si per se synceram non deprehenderet veritatem lucis, tamen illius beneficio deprehenderet. Atque hæc de dissoluendis rationibus Scoti probabiliter dicta sint. Addi attamen possent multa ex Nicolao Cusa in primo de Docta Ignorantia, docente præcisam (vt eius vtar verbo) veritatem & rerum (vt idem ipse loquitur) quidditatem per omnes philosophos inuestigatam attingi non posse, vti est, nec similitudine comprehendi, nec mensura vlla humanitùs mensurari, quando innumerabiles habentur gradus æqualitatis rerum, & similitudinis, & inter mensurã, & id quod metimur, differentia semp inueniatur. Vnde illud Solomonis ab eo celebratũ est: *Cũctas res difficiles, & sermone inexplicabiles:* & illud quoq; ab alio prolatũ: *Abscõditam esse sapientiam, & locũ intelligẽtiæ ab oculis omniũ viuentium.* Nec Socraticum quoq; illud reiecit, id solùm se scire, quod ignoraret. Illud etiam affirmans, quod præcisio (vtar iterum verbis ipsius) combinationem in rebus corporalibus, & adaptatio congrui noti ad ignotum, humanam rationem excedit, eorumque multa ille ipse, & in secundo de Docta Ignorantia, & in tertio Idiotæ dialogo, in quo de mente disputat: & multò magis alibi, & præcipuè in opere de cõiecturis explicuit. Sed satis, quod ipsi ex nobis ipsis suprà attulimus, putamus fore: Et quanquam paucis id actum fortè videtur à nobis, pluribus tamen fortasse, quàm necesse fuerit doctis hominibus, qui per se illas, scilicet, Scoti rationes examinauerint.

CAP. V.

QVOD ETIAMSI NON FALLATVR SENSVS ALIIS modis, quàm qui positi sunt ab Aristotele, adhuc tamen, & rationibus, & Aristotelis authoritatibus conuinci, incertum esse sensus indicium, & iudicium, ac per hoc demonstrationem certam esse non potest.



Sed redeo ad Aristotelem, cui, etsi condonemus, nullis alijs decipi sensum modis posse, præter quam eis, quos ille numerauerit, solis etiam ijs, quos ipse tradidit, si diligenter institerimus, deprehendemus eam, quæ in sensu fundatur doctrinam, multa vanitate labare, quoties enim aëris inter rem visilem, & oculum medij, mutatur qualitas, mutatur autem identidem eo ipso authore, in libro de Coloribus, vt pòst paulùm ostendemus. Quem librũ, si quis nothũ dixerit, prestari mihi discerniculũ optari, vt ea omnia, de quibus disserui quarto libro, ipsius opera dijudicentur. Quoties item humani corporis mutatur dispositio, mutatur autem sæpissimè, & experientia teste, & Aristotelis authoritate: quoties res mutatur sensilis, toties mutari sensus indicium, & sæpè iudicium, quis vel hebes non comprehendat? Et hoc quidẽ in vniuersum, atque simpliciter, quod si dixeris de tali mutatione pspectiuæ, seu optices facultatẽ decernere, primùm addi oportuisset, si necessaria esset in facultate demonstratrici, vt eius ab Aristotele, si ritè de ea statuebat, inter docẽdum mentio fieret. Deindè, etiamsi fecisset, fecisset vanè: quandoquidẽ toties, & tàm frequenter variatio medij cõtingit, vt vna optices probatio finiri nõ posset, quin mutatio alia atq; alia contigisset. Prætereà supponit ea facultas, & sensum visus, & Geometricas lineas, & ex eis cur ita, aut ita videatur explicat, nõ autem probat visum non falli, aut non esse incertum, quod nos tot iam, & argumentis, & authoritatibus adstruximus. Et nobis etiam hoc loco Senecæ adstipulatur authoritas, primo Naturalium Quæstionum libro, ita scribentis: *nihil acie nostra fallacius: non tantùm in his, in quibus subtiliter peruidendis, illa colorum diuersitas summouet, sed etiam ijs quoque, quæ ad manus cernit.* Adstipulãtur exempla, quibus, & ille multis, & alij plurimis vtuntur, & ipsemet vtitur etiam Aristoteles, cùm alibi, tùm in Problematibus maximè, cùm Solem, & lunam, orbicularia corpora, & recta, & plana scribat videri, & vmbræ solaris extrema tremere: cùm tamen vmbra non tremat, sed ramenta sint, quæ modò in lucẽ, modò in vmbram identidem agitentur. Redeo ad mutatam corporis dispositionem, cui maximè adstipulabatur & ratio: Nam quis nesciat, quoties ad morbũ disponitur corpus, non semper id subitò fieri, sed paulatim, sed quandoq; insensibiliter. Ipsa verò dispositio, etiamsi minima, etiamsi tùm actu non persentiatur, quatenus tamẽ alia est ab ea, qua priùs pollebat corpus, eatenus pro diuerso, videlicet, corporis temperamento diuersum habebit in sese principium variandi per sensum iudicij, adeò, vt si exacta quæpiam tunc ab eo rogetur sententia, diuersè feratur ab ea, quam priori in habitudine, dispositioneq; constitutus antea tulisset. Sine morbo etiam vllo, sed metu mutari Chameleontem ipse prodit Aristoteles (vt suprà docuimus) eundemq;, & alia etiam animalia colorem variare, vel ira, vel cupidine Seneca protulit, idq; etiam ex vicinitate coloris alieni contingere, cùm Ouidius, tùm alij scribunt, & Aristoteles ipse præter Chameleontem mutari, quò ad colorem attinet, plura animantia scribit.

Cæterùm, libeat paululùm in Aristotelem, ipsomet Aristotele duce, disputare. Scribit ipse in libro de Colorib⁹, simplices colores elementis simplicibus inesse, igni xanthium siue flauum, aquæ, terræ, aëri album, quare nullum esse simplicem colorẽ, prẹter album, & flauum, & quanquam hoc videri contrarium potest ei sententiæ, qua alibi est vsus, & maximè in libro de sensibus, non tamen hac in re multùm vexare hominem volo, alia siquidem, & pugnantia in eo, & aduersa reperiuntur placita. Sed quo pacto hoc ipse nouerit, quæro à sectatoribus, sensúne? At sensus non potest secũdùm eos quod ex elementis non est compositũ, percipere. An hoc Aristoteles in libris de Anima? an Alexander in cõmentarijs in librum primũ de Sensu, & Sensibilibus, longa disputatione contendit? coniectura igitur hoc deprehendit: si dicas, eum de elementis puris non intelligere, arbitraria primùm expositio, nec satis eius verbis consona: Deindè, cùm Soli etiam tribuit idipsum, non puro solùm, sed quintæ, vt censuit

naturæ coniectura igitur deprehendit. Nam intellectu per se primitusq; non potuisse deprehendi, ipse decernit, cùm nihil statuit esse posse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, quocunq; ea propositio exponatur modo: nam certè Solis colorem sensu non deprehendisse propriè, satis ex eius dogmate liquet: similitudine autem aliqua, vel coniectura? & tamen ei simplicem colorem adscripsit. Simplices igitur colores sensu, non possunt deprehendi. Ad hæc cùm eo in libro dicat nigrum colorem, sequi elementorum transmutationem, sensus autem, cùm non percipiat elementa non transmutata, solus ei nigror, primò cognitus fuerit. Ex albo igitur & flauo mixtionem fieri, sensu percipere nō potuit, quia primò illi cognitus niger est color, & nihilominus flauum, & album videmus, natura esse priora, tùm quod ita ille eo libro decernit, tùm quod lux colorum omnium mater, & vt placuit quibusdā, ipsa propriè est color, tùm quod album priùs est natura, quàm nigrum, quia de luce puriori prouenit. Ac certè infinita (ille) percurri, percipiq; non posse, & rectè quidē statuit: at multiplices non solùm colores, sed & infiniti sunt, si ei stamus. Hæc enim ille de eis disserens: δεῖ ἢ μὴ λανθάνειν τὸ πολυειδὲς κὴ τὸ ἄπειρον τῶ χρωμάτων. Et causam subdidit varietatē, videlicet, vmbræ, & luminis secundùm magis, & minus. Et quāquam in libro de Sensibus, nullum sensile ad infinita diuidi censuit: Et hoc repugnare ei, quod suprà dixerat, videtur, non tamen ita rem ad viuum reseco, non ita exigo debitum, vt infinitum non capiam pro innumerabili, modò is ipse, aut qui eius tractant negocium, ea mihi ratione tradant. Mihi enim tandem conficietur in abneganda sensus certitudine, quam velint, nolint ipsomet Aristotele volente ibimus inficias. Scribit enim eodem libro, περὶ χρωμάτων, hoc est, de Coloribus, euenire quandoq;, vt lumen cùm in quodpiam inciderit, & id coleret sic, vt purpuream, vel herbaceam induat speciem, mox refrangatur, & in alium quicunq; sit ille colorem incidat, tempereturq; ab illo, & aliā coloris mixtionem, aliudq; temperamentum accipiat. Neq; hoc semel dicit accidere, sed frequenter, attamen insensiliter. Subiecit enim, καὶ τοῦτο πάσχων συνεχῶς οὐκ αἰσθητῶς δὲ, hoc est, & hoc quidē continuè patiens, non autem sensibiliter, quod nihil aliud significare videtur, quàm malè sensiliter, ita vt sensus decipiatur ea in re sæpenumeró. Alioqui, si omninò insensibiliter intellexisset, id ab eo comprehēsum, certè aut sensu, atq; ita sibi aduersaretur: quod enim ab eo captum est sensu, non erat insensile: aut intellectu, vnde & sequitur contradictio eadem, quia nihil est in intellectu, eo ipso authore, quod priùs in sensu non fuerit. Siue autem ipsummet quod fuit in sensu, siue ei simile capiatur, idem euenit: & multò etiam magis, si ea ipsa similitudo, quæ non potest, non aliquo modo esse in diuersa materia, in diuerso lumine dissimilis capiatur. Varia igitur ex mixtione repræsentatio varia, eademq; sæpenumerò fallax, & frequenter adeò contingens, & tanquam vertens faciem, vt nulla ei ars optices, etiamsi quicquam ad certitudinem sensus ostendendam haberet momenti, suffragaretur.

Adde quod variè ea ipsa, varijsq; ex rebus oritur: Neq; enim, vt ipse docet, mixtionem hanc instar pigmentariorū, pictorumq; cogitare debemus, qui coloratas res in vnum conflant, vt inde aliud quidpiam resultet. Trifariam namq; illam ipsam mixtionem fieri, parariq; docet, ex ipso lumine, ex eo intermedio, per quod lumē videtur, ex ijs, quę subijciuntur coloribus, vnde fit refractio radiorū, & dissultatio luminis. At in libro de Sensibus tripliciter quidē, sed alijs omninò modis generari colores memoriæ prodidit, ex proportione albi & nigri, ex mixtione instar pictorum cùm clariorem (verbi causa) miscent obscuro, dum repræsentare quidpiā, vel in aqua, vel in aëre moliuntur, ac tametsi partes simul non collocentur, nec cōflentur, misceantúrve, quæ tamen ex eis dissultat res, varia est, & aliquando versicolor. Quapropter censuit multitudinem colorū innumerabilē emergi ex ipsa mixtione proportionis, addit, & superantiam, præcellentiamq; coloris cuiuspiam, & collocationem proximam. Ex ijs itaq; generationibus colorū contingit, falli sensilem visus potestatem adeò, vt incertū fieri iudicium maximè conueniat, sed probabile duntaxat. Quid enim videatur sine periculo, dici potest, quid autē re ipsa sit, id quod præsentatur obtutui non facilè, nec sine discrimine dixeris. Multa etenim, vt cętera, quæ dici possent, præsens in tēpus omittā, multa, inquam, in intermedio, vel aëre, vel aqua succurrit fallacia. Vsui namq; venire ipsemet docet Aristoteles, de Coloribus disserēs, vt ex multis iam temperatis coloribus, vnius dūtaxat persensio fiat. Quapropter, inquit, quod per aquam fit cognitum, aquosum

aquosum magis apparet, & in speculis, quæ videntur, sæpenumerò speculi præsentant colorem. Subiecitq; & in aëre, qui sæpè coloratus est, idem contingere, vt aëris colorem vsurpemus oculo. Quò fit, vt veluti de re falsa iudicemus, ei id coloris tribuẽtes, quod aëri deberet adscribi. Distantia verò plurimũ id committit erroris, quoniam si proximè cernatur aër coloratus, minimè videtur, quoniã raritate sua splendores admittit: at si in profundum spectetur proximus, inquit Aristoteles, apparet cyaneo colori ob eandem raritatem. Idq; ait euenire, quoniam idipsum, cui deficit lumen, comprehenditur à tenebris, quòd cùm legerem, venit in mentem Saluatoris Christi præceptum illud sanctissimũ, & saluberrimum: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant.* Idem Aristoteles in libro de Sensibus, videri, inquit, aërem, & aquam colore suffundi ob splendorẽ, sed quoniã is recipitur ἐν ἀορίστῳ, id autẽ est dicere (vt exponunt Græci) quoniam proprium nõn habent ex se colorem, non eundem ideò offerunt eis, qui cominùs sunt, & qui eminùs constituti. Dices hoc adstruit, quod ipsi volumus: nam si non deciperetur sensus, si certus non esset, hæ ipsæ fallaciæ non fuissent deprehensæ. Bella argumentatio, quã volumus cõfirmare, vt inde subuertamus. Ego quoq; sensum deprehendi sæpè fallacẽ, & existimo inde, vel certo, vel probabiliter, me ita deprehendisse, & propterea ad eius incertitudinem adstruendã, multa iam scripsi. Quid enim aliud ex ipsis Aristotelis dictis paulò suprà colligitur, quàm nõ dari statam regulam sensilis certitudinis? quę tot, & tantis varietur modis, idq; sępissimè, & velocissimè? cuius variationis si firmæ, & statæ regulæ, tùm rei obiectæ mutabilis, tùm sensorij, nõ omninò constantis, tùm medij supra quã dici potest, nõ in horas tantummodò, sed in minutias, vel momenta variabilis, dari, assignariq; potuissent: facilè futurum fuisset, vt cætera, quæ eis sub regulis non continerentur, excipi tutò possent, ab aliarum cœtu, quę certæ, constantesq; non habentur. Qua in re miror, Petrum Cardinalem Cameracensem, in quæstione prologi in theologicas sententias, cùm de euidentia absoluta, & conditionis appositæ loqueretur, affirmaretq; : non posse à nobis in hac vita cognosci aliquid sensibile extrinsecùs euidenter, euidentia simpliciter, & absoluta, idq; minus credentibus, multis rationibus ex apparentia rei, non vera desumptis persuadere, conaretur: dum de conditione faceret mentionem, apposuisse has particulas: stante Dei influentia generali, & cursu naturæ solito, nulloq; facto miraculo. Quasi repugnet influentiæ Dei generali, & cursu naturæ solito, nulloq; facto miraculo: quasi repugnet influentiæ Dei generali, res istiusmodi sublunares sensibus obnoxias variari. Ipsa enim certitudo, ipsa euidentia à varijs variè iudicatur. Variari quoq;, & malè disponi possunt instrumenta sensuum, multis ex causis, quasi non sit ex solito naturæ cursu eas ipsas identidem agitari, labi, atque defluere: quasi non ita frequenter hoc aduertamus, vt etiamsi miraculum esset suapte natura, nobis tamen id miraculum ex vsu creberrimo non videretur. Sed enim tàm expositum hoc nobis est, vt & ille ipse, & alij magni viri, dum sublimiora enixius quærerent, humiliora hæc tanquàm hallucinati, & conniuentes prætererint. Quod autem adiecit, non posse nos stantibus conditionibus illis rationabiliter dubitare, id multi non reciperent: quoniam non propterea tolluntur quæ diximus, ex quibus alij ex aduerso quoq; rationabiliter, & probabiliter possent ambigere, & eis etiam rationibus moti, quas ipsemet contra suas conclusiones opposuit, quanquam eas dissoluere conatus est. Nam fortiora videri possunt argumenta, quàm responsa, quantum pertinet ad euidentiam, humanitùs tantummodò, & generali regula designatã: quod ipsemet, quasi fatetur, dum hæc verba promit in calce responsionis ad secundam rationem: videtur, inquit, mihi probabile, propter prædictas rationes, quòd intellectus ex imperio voluntatis, & praua affectione, cum aliqua apparentia, licet falsa posset naturaliter dissentire primo principio: Si hoc, quantò magis iudicio sensus non assentire?

Cæterùm, decipi ex varietate rei, quæ videtur natura, sensus potest: dum non solùm propter σμικρότητα, hoc est, paruitatẽ, album, & nigrũ, videri nequeũt, vt prodit in libro de sensibus Aristoteles: Et videtur apertiùs asseuerare Themisti⁹, in libro, qui βασανιστὴς inscribitur. Et philosophus etiã prætitulatur: scribẽs, quod περὶ τὰ χρώματα ἀπατῶνται οἱ μὴ ὀξὺ βλέποντες, id est, circa colores decipiuntur omnes, qui non acutè vident: qui enim non valdè acuti sunt visus, & paruam in quantitatem respiciendam feruntur, quo pacto colores dijudicauerint? non solùm in quam dum parua inspiciuntur, sed dum co-

lores,

lores, quod suprà significatum est, res ipsa mutat identidem, instar Chamæleontis: sed pro diuersa humorum concoctione, proq; diuersa rei extrinsecùs etiam facta mutatione. Nam quò ad hanc ipsam pertinet mutationem, scribit ipse in Problematibus, non modò nigrorē contrahere, quæ insolentur carnes, ac minus multò sub Sole agitentur, quàm si quiescant, sed & pallore suffundi homines ex cursu: Si verò exudauerint mediocriter, amœno hilarari colore. At mutari homines identidem timore, spe, gaudio, tristitia, omnibus tàm notum, quàm quod maximè: fiunt autem hæc sæpenumerò intimo animi motu, & tàm subitò, vt non deprehendas, quo modo fiat, ita vt quem modò pallidum vidisti, acie paululùm auersa, mox rubicundum intuearis. At in libro de historia Animalium nono, num prōdit Aristoteles esse multa, quę colorē aliundè trahant, subitoq; varient? Non Chamæleonta dico, sed polypum, sepiam, squatinam, quib⁹ in rebus deciperetur visus, ex loci non solùm propinquitate, verùm ex ipsa rei, quæ spectatur natura, quam & variare, & plurimùm fallere constat. De ipsa autem re, quæ concoquitur, sic Aristoteles in libro de coloribus loquitur: ὅτι μὲν ἅμα τῇ πέψει πάσας τὰς τῶν χρωμάτων λαμβάνει μεταβολὰς φανερὸν ἐκ πολλῶν, id est, quod quidē semel cum ipsa concoctione omnes colorum capiat differentias, ex multis manifestum est. Itaque si nunc aliqua de re sensus arbitretur, auerso paululùm oculo decipietur, quoniā facta quidem in re mutatio sit, sed non tanta, vt ipsa clarè, & exquisitè perferatur ad qualemcunq; oculum differentia: ad perspicatissimum fortasse hominis oculum, aut ad lynceum perferetur: identidē nanq;, & singulis penè momentis fit digestio, ex qua fit colorum permutatio, nec solùm in membris extrinsecùs positis, sed imis etiam, & abstrusis in recessibus corporis, idem euenire, eodem authore, comperimus, viscera enim colore mutari. Scribit, ipsemet Aristoteles, libro de partibus animaliū secundo, & quod de coloribus affirmauit, idem de odore, & gustu alibi docuit euenire, quandoquidem ex concoctione, digestioneq; fructuum, & odor eorū, & succus permutatur, vtpote cùm ab eadem omnes causa proueniunt, παρὰ τὰς πέψεις, quasi dixeris, propter concoctiones, vnde subiecit, καὶ γὰρ τῶν καρπῶν ἔνιοι καθὰ εἴρηται πολλὰς διαφορὰς ἅμα περιλαμβάνουσι, διὸ καὶ τὰς ὀσμὰς, καὶ τοὺς χυλοὺς πολυδιαφόρους συμβαίνει τοῖς ἄνθεσι καὶ τοῖς καρποῖς συνακολουθεῖν, id est, & enim fructuū nonnulli, sicuti dictum est, multas differentias simul accipiunt. Quapropter & odores, & succos, multifariam contingit, & flores, & fructus consequi, hæc Aristoteles: & sæpenumerò etiam multa ijs similia. Theophrastus prodit, in sexto de causis stirpium libro, quantum ad sapores, & odores pertinet.

De coloribus autem plura Aristoteles in ipso de coloribus, inscripto opere, cuius operis frequenter authoritates Græcè in medium producimus, quia Latinè, quod sciam non habetur. In alijs etiam, quam Latini habentur, idem quandoq; facimus, ne nobis vitio verti possit, non ita sese habere veritatem contextus literarij. Sed enim eodem libro de coloribus voluit Aristoteles non fructuum modò, & florum, sed & animantium, vario ex nutrimento mutari temperamentum, atq; ipsa etiam quātitate colorem variari. Quapropter & coruos defectu nutrimenti, ad vltimum in flauum colorem transmutari censet: his verbis: ἐπὶ καὶ τῶν κοράκων τὰ πτερώματα τὸ τελευταῖον εἰς τὸ ξανθὸν χρῶμα μεταβάλλει τῆς τροφῆς ἐν αὐτοῖς ὑπολειπούσης. Atque in quinto de generatione animalium nonnullas aues, atq; etiam quadrupedum syluestrium aliquas, per anni tempora mutari scripsit, vt homines per ætatem, plusq; habere momenti anni tempus, quàm ætatem affirmat. Nutrimentum etiam in causa esse voluit coloris permutati, & antea quoq; paululùm narrat peruerti posse initio generationis animal, vt aliū induat colorem, sed rarò fieri: quanquàm perdix alba visa est, & Coruus albus, & passer, & vrsa. Addam, me & album accipitrem in ditione mea captum vidisse, & aliquot mensibus possedisse. Sed enim Aristoteles in tertio de natura Animaliū scribit, frigore acriore fieri, vt pennæ cùm aliarum auium, tùm corui, ex nigris in albas transeant. In octauo etiam de natura Animalium propè finem voluminis, in piscibus, multis colorem variari docuit. In nono itidem de Animaliū natura, & lupum ceruarium inter quadrupedes per anni tempora mutari, & multas in auitio genere animantes colore variari narrat: vpupam etiam specie, quod Aeschyli poëtæ testimonio confirmat. Vt hinc falli videatur Michaël Ephesius, dum in commentario in quintum Aristotelis, de generatione Animalium librum scribit: πᾶν γὰρ τὸ γένος τῶν κοράκων, καὶ πᾶς κόραξ μέλας, οὐ γὰρ εἰσὶν οἱ μὲν τῶν κοράκων μέλανες, οἱ δὲ πυρροὶ καὶ ἄλλοι λευκοὶ, ἀλλὰ πάντες ὡς εἴρηται μέλανες.

omne,

omne, inquit, genus coruorum, & omnis coruus niger, neque enim sunt coruorum alij nigri, alij autem fului, & alij albi, sed omnes, vt dictum est, nigri, hæc ille: Cui potest suffragari Aristoteles, in decima Problematum particula, censens coruum semper immutabilem. Sed tot alia loca eius authoris suprà citata obstat, & obstat, quod idipsum quoque in quinto de animalium generatione repetijt, hoc est, coruum album visum esse, multasq; aues, & quadrupedes per affectum, & per tempora variari, vt homines per ætatem mutantur. Sed & obstat experientia. Vidimus enim, quod & in Logicis institutionibus retulimus, coruos, & cinereo, & albo colore. Vnde non omne genus coruorum, nec omnis coruus niger, sed aliquis albus, & cinerei coloris coruus, si nostris credimus oculis, tametsi aliqua eius verba in progressu dicta possunt, quoquo modo persuadere, vt prioribus authoritatibus assentiatur. Nam πάθος in causa dixit esse posse, vt colores mutarentur, quanquam minus etiam satisfacit: quandoquidem quos vidimus albos coruos, & cinereo colore, ita natos facilè cōstat: & coruos quoque albos in palatio Pannonij regis nutriri, Ioannes Manardus nobis retulit, noster enim præceptor, & medicus: Deinde ab ipso rege, vt ei mederetur, accitus in Pannoniam. Prudentiùs videtur, in eundem de animalibus librum disseruisse Theodorus Metochites, non ita asseuerans, sed coruum albū, & perdicem, & passerem visos affirmans, & ipsimet τοῦ πάθους naturæ, idipsum acceptū referens, corruptis, peruersisq; quibusdam rebus, in ipso generationis initio. Sed à generéne, an ex accidenti id eueniat, nō planè habeo perspectum? quoniam sunt, qui affirment albarum perdicum genus inueniri. Et ipse quoq; Michaël Ephesius in agrestibus solùm id concedit, vt albæ non sint, esse autem multas ex domesticis albas. Idque arbitratur contingere arte hominum, & cura. Sed sanè Demachus inter narrandum res Indicas, scribit apud Athenæum, in India nigras esse perdices. Sed de his satis, & fortè plura, quàm fuerit necesse. Illud etiam dici posset ex varia humorum, qui sunt intus mixtione præsentari oculo phantasmata, quæ sensus iudicium alioquin non distortum, inficiant, atque decipiant. Dici & illud non in viuis modò animalibus, sed in mortuis etiam accuratè inspiciendis Aristotelem visum esse, minus acutum exploratorem, minus certum iudicem. Narrat opiniones Apolloniatæ Diogenis, & Syenensis Cypri, & venarum principaliorum naturam in mortuis animalibus docet aboleri effluente sanguine, vt propterea lateant, & difficulter hauriantur sensu: & in viuis etiam non posse cerni, quemadmodum se habeant, aperit, cùm earum natura intus occultetur. Sed de sensu visus iam fortè nimis multa: quando eius fallaciam sæpenumerò possunt multipliciter aduertere, qui meminerint sibi frequenter contigisse, cùm ex Sole ad vmbram captandam secesserint obscuriora, quæ inspectant videri, quàm aut suapte natura sint, aut alioquin apparerent: seq; etiā recordantur easdem res sinceriùs, meliusq;, quandoq; vidisse. Quod siue organo sensus, siue rei sensili, siue intermedio aëri sit acceptū referendum, nesciant quidem, scire se tamen eadem de re ab eodem diuersum prodijsse iudicium, posseq; etiam nunc prodire, non solùm intentione, & remissione, vt cùm ex fenestra illustrata lumine, obscurum spectatur cubiculum, sed etiam mira varietate sensorij. Non secus videtur seruata proportione de reliquis agendum.

De olfactu quidem non tanta quæstio, hoc est, non tantus nobis insumendus est labor, quoniam Aristoteles ipse planè fatetur, secundo libro de Anima, non ita esse manifestam naturam odoris, sicuti aut soni, aut visus, & in causa voluit esse sensus huiusce tenuitatem, imbecillitatemq;: cum enim apertè non esse, certum affirmat, & animantia multa præstare hominum generi, hac in ipsa sensili potestate confirmat: Idipsumque sensit in Problematibus dum latiores meatus in causa voluit esse. De sono quando, & graui, & acuto, tanquam differentijs sonora omnia cōflauit, in idem difficultatis res incidet, vt magno cum discrimine, quod verè percipiatur, discerni queat. Quò ad gustum verò attinet, & quantum spectat ad tactum, nam & gustum quendam esse tactum censuit, quanquàm de tactu loqui trifariam deprehenditur, vt est cōmune quiddam, quo pacto generatim tangere suū sensile sensoria dicuntur, vt distinguitur à gustu, vt ipsum comprehendit: quid, inquam, de hoc ipso tactu, qui comprehendit gustum, ipsoq; de gustu quid sumus dicturi? Vt enim ex albo, & nigro, variari colores dicit, sic & succos ἐκ γλυκέως καὶ πικροῦ, hoc est, ex dulci & amaro, ita prodit in libro de Sensibus, quo itē docet, quemadmodū nigrum, quod dicitur, priuatio est alboris in

perspicuo

perspicuo corpore, sic & salsum, & amarum dulcoris esse priuationem in secundo nutritore, vnde simul colligi potest, & sensilis, & gustabilis infirmitas, quoniam nisi septẽ vtriusq; species ibi notas prodit, quod etiam sequitur Theophrastus, sexto de Stirpiũ causis volumine, quantum maximè ad hoc pertinet, vt septem sint genera saporum, sicuti, & odorum, atq; colorum, si salsum, non alium quàm amarum posueris, quemadmodum si fuscum, non alium quàm nigrum: Attamen innumeræ sunt species, ne dixerim infinitas. Sed in ipso etiam communi, & omnibus noto sapore salso, quanta fallacia, eo ipso authore Aristotele? Quærit enim tertia sectione Problematum, vnde fiat, vt aquæ salsæ, & vitiosæ à vinolentis melius, quàm à sobrijs sentiantur, idq; ipsum duobus in Problematibus quærit, & diuerso dissoluit modo. In primo Problemate id refert acceptũ similitudini, & contrarietati: quod contraria contrarijs potiùs sentiuntur, & vinolenti dulces in se cõtineant humores. In secundo causam refert in carentiã cupiditatis, quoniã satiati, videlicet, vinolenti sunt, atq; repleti, cupientes autẽ, hæc latêre dicit, & sæpè fallere: Et in eadem sectione de pueris loquens, qui cùm natura sint calida, vinosi non sint, decreuerat cupiditatem nõ esse, nisi indigentiam, & quoddam desiderium. Igitur ex eo clarè possumus colligere, qui desiderio tenẽtur, & indigi sunt facillimè falli, quoq; magis aueant, eò magis se illis fallaciam sensus ingerere. Quotus autem quisque non sit, qui aueat singulo die gustare, & sensibus ipsis haurire multa? Confirmare quoque exemplis possumus ex ipsa indigentia sensus decipulam incurri. Videbatur Dario, vt ille referebat, nunquàm se suauiorem exorbuisse humorẽ aqua illa, quæ cadaueribus infecta erat, quo die victus ab Alexandro, fugam arripiebat: Negauit enim (vt verbis Ciceronis vtar) se vnquàm bibisse iucundiús. Indigentia profectò erat in causa, nunquàm enim, vt inquit, ille sitiens biberat, & Dionysius Tyrannus iure illo nigro, quod apud Lacones caput cœnæ proponebatur, negauit se delectatũ, quia condimenta, vt illi ipsi Spartiatæ referebant, defuerunt, id est, cursus ab Eurota, fames, sitis: quæ nihil aliud sunt hac in re, quàm indigentia, ea qui tenebantur Lacones, falsò iudicabant, suapte, scilicet, natura suauia: qui non tenebatur Dionysius verè iudicabat ingrata. In ipso verò tactu, qua dirimitur à gustu, & alijs omnibus, num nescius fuit Aristoteles, quo pacto sentiret? dum in secũdo de Anima vnúsne, an plures disquirit, & animi dubius decernit non esse manifestum, super quo dubio etiam dubitant interpretes sic, vt alius eum affirmasse, alius sub dubio reliquisse tradiderit, inclinasse se tamen eam in partem, quæ in tactu plures vult esse sensus insinuat: de hac re igitur certitudo, an contrà prodibit? Et ne singula persequar, vnumquemq; sensum facilè decipi, ipse non diffitetur in libro de Sensibus. Concedit enim aliquas rerum sensilium magnitudines, & affectiones, habita etiam ad sensum proportione eos fugere, qui sentiendi sunt cupidi, atq; etiam de minimis sensibus verba faciens, scribit: τὰ γὰρ ἐλάχιστα τῆς ἀκριβεστάτης ἐστὶν αἰσθήσεως διακρίνειν περὶ ἕκαστον γένος, hoc est, minima autem exactissimi est sensus distinguere circa vnumquodque genus. Quod autem non minimum sæpenumerò aut sit, aut saltem ita appareat sensui, vel ex rei magnitudine, vel ex distantia, vel ex debilitate potentiæ? At qui est, qui polleat exactissimo sensu? Et si pollet, ipse solus iudicauerit, alij vel ex aduerso, vel si ei credent, non iam sensu, sed fide, aut opinione ducentur. Ad hæc dubius animi videtur fuisse Aristoteles, si cùm videmus sensúne ipso, an alio nos videre sentiamus, quanquam videtur inclinare, vt vnusquisq; sensuum sentire se sentiat, tametsi cùm de somno agit & vigilia, varia fundunt interpretes.

Sed sunt, qui actum ipsum sentiendi, quàm sensionẽ appellant, sentiri negent: sunt qui affirment visum sentire quod videt, nec aliud intellexisse Aristotelem: propterea prẽmisisse illum idem esse actũ sensilis rei, & sensum in actu. Sed vtcunq; se res habeat, nondum liquet apud ipsum, & interpretes, quod & suprà quoq; est indicatũ, cùm sentimus, an sentire nos sentiamus, & quomodo, quod quidem sentire ita dixerim secundum, etiamsi primum, quod ab ipso dijudicaretur, nõ falleretur, non potest nõ incertum esse: cùm tot sensati homines, pro certo non habuerint, vt, in quo dubitauerint, ambigui fuerint, rixati etiã sint, & præliati. Non liquet item, vti suprà est dictũ, si vnum tantùm sensum extrinsecùs habeamus, qui diuersa obeat officia, nam quinq; Auicenna fecit, quatuor Auerroys, & alij, vno tantummodò, & Alexander, & Themistius cõtenti fuêre. Sed certè liquet ex his, quæ diximus, etiamsi alijs modis, quàm qui traditi

sunt ab Aristotele, sensus decipi nequirent, fallacem nihilominus de re sensili sæpenumerò ab eis prodire sententiam, & frequentissimè incertam. Certè si sensus aberrant, extrinsecùs positi, deerrabit, & qui positus est intus, qui suscipit, quæ per extraria instrumenta ad eum perferuntur, atq; arbitratur instar iudicis, qui exactè fert sententiã, quanquam, & in hoc, quo pacto, scilicet, id fiat, non conueniat inter expositores, inter quos alij primum hunc esse, qui perfectè sentiat, decernunt, quem alij idem esse, quod phantasia voluêre. Sed & ipsa imaginatio, siue phantasia, variantior sensu, ac desultoria magis, vbi decepta fuerit, imponet intellectui, & ex ea vacillabit, & aberrabit eius iudicium, ipso Aristotele nõ repugnante, cùm in eo de Sensibus libro quicquam eorum, quæ sunt extra, sanxerit, non posse, nisi ipso cum sensu intelligi. Qui & secundo de Anima libro decreuit, hoc esse inter sensum, intellectumq; discriminis, quod ille propriorum semper verus sit, contingat autem, & falsò intelligere. Certius itaq; iudicium tribuit sensui, quod tamen certum non esse, tot, & tantis ostendimus. Quibus, si addiderimus, quæ ipse propriè, non quæ bellantes inter se interpretes fundunt, nihil vt puto fiet reliqui ad omnem fallaciam detegendam. Scribit ille apertissimè in omni affectione latere fallaciam, & affert exempla timentium, & amantium, & ira feruentium, quoq; maior fuerit affectio, maior lapsus, quia à minima similitudine, qui maximè sunt affecti, mouentur, atq; labuntur, causamq; illam potissimùm affert, quod non secundùm eandem potentiã iudicat, quod principale est, & id quo fiunt phantasmata, & aliam posteà subdit, quod nõ solùm sensile mouet, & affert simulachrum, sed etiã sensus ipse mouetur, tumq; fit lapsus, cùm eo excitatur modo, quo solet à sensilibus moueri: Terra enim videtur nauigantibus moueri, dum ab alio visus ipse moueatur. Hæc Aristoteles, atq; in hanc sententiam multa Themistius, in sua de insomnijs Paraphrasi. Quis autem est, qui non moueatur aliqua affectione? Cuiq; sensus adeò constet, vt aut oblata, aut animo capta re sensili ita nõ afficiatur, vt vel iræ, vel cõcupiscentiæ, vel spei, vel timoris, vel omninò cuiuscunq; affectionis expers perindè maneat.

Ac si dura silex, stet, aut Marpesia cautes:

Certè tanto, & tàm acri Aristoteles polluit ingenio, vti eum non latuerit sensus incertitudo: sed quoniam ei multũ fidebat, dissimulauit id apertè prodere, obliquè tamen subsignauit, vt multis ex locis librorũ eius, quos attulimus, videre licuit: & quanquàm dicit, sensum nõ falli circa proprium sensile, attamen in calce secundi libri de Anima, cùm eandem sententiam repetisset, distinctione vsus est, decernens sensum propriorum sensilium verum esse, aut quàm paucissimum habere falsi: Multum autẽ non paucissimum ipse monstraui eodem etiam authore, satis enim fecimus, vt arbitror, promisso. Recepi enim me probaturum sensus facilè decipi, & alijs modis, & pluribus, quàm Aristoteles decreuit, qui si omnes etiam modos recensuisset fallaciæ, adhuctamen incertum esse, ipsius sensus iudicium probauimus Aristotelea doctrina. Ex vario autem sensu phantasiam variari quis nesciat? & ex phantasia sæpenumerò rationis iudicium multipliciter mutari? Cùm ipsomet Aristotele authore, in tertio de Anima, nunquàm sine phantasmate anima intelligat, quæ quidem phantasmata trahuntur à sensu, qui quoniam incertus, & fallax plurimùm, & in eo Aristotelis fundatur doctrina, incertam quoq; ipsam, & fallacem clarè colligimus. Quod autem ipse quarto Metaphysicorum libro probare sensus veritatem aggressus id non perfecerit, cùm ex ijs, quæ diximus, patere potest, tùm etiam satis ostensum, libro huius Operis secundo, capite secundo supra vigesimum.

CAP. VI.

THEOPHRASTI AVTHORITATIBVS CONFIRMARI, Incertum esse iudicium sensuum, quibus demonstratio redditur incerta.



AVthoritatibus Theophrasti incertũ esse, multiplex sensuum iudicium confirmemus, ne si Aristotelis sensa minus nos percepisse dicerent, qui nobis aduersari cupiunt, ea ipsa, quanquã satis aperta, præcipui tamen eius discipuli testimonio manifestemus. Tribus modis rerum naturæ proprietates cognosci docet Theophrastus in libro de Saporibus, odore, colore, atque ipso,

ipso, de quo ibi maximè differit sapore. Hæc omnia, præterquàm per sensus hauriri posse negat, quibus ratio adstipulatur. Affirmat autem, quædam esse rerum naturaliũ, quorum haberi cognitio potest, sed imperfecta: Esse autẽ quædam, de quibus, vt certiores reddamur, fieri nequeat, ingenuè fatetur. Quò fit, vt nullam omninò sensibus certam, & sinceram cognitionem attribuat. Sensui gustus multa concedit. Auditu enim, & tactu rerum à nobis naturas comprehendi posse negat, his præcipuè rationibus, quòd solæ voces, & soni hauriuntur duntaxat auditu, quæ quidem hausita rerum naturam omninò non exprimunt, quoniã ex ipsius haustę rei natura, substantiaq; non sint. Substantia enim ad ipsum auditus sensorium ipsa non peruenit, quæ verò tactu persentiri dicuntur, quamuis propinqua sensorio fiant, in sese tamen non attingunt ipsum instrumentum sentiendi. Inde fit, vt tactus illa non comprehendat, quãdo aliter ea percipit, quàm sit eorum ipsa natura: Videri hoc affirmat fracto in pipere, & aqua calefacta, quæ secus ait comprehendi, ac sit eorũ ipsa natura, & hæc quidem de tactu: quamuis magister Aristoteles anteà decreuerit, cùm alibi, tùm secundo libro de partibus animalium, hominem maximè omnium animalium valere sensu tactus. Falli quoq; per visum nos identidem admonet: exemplo sit illud, quod albedine visa, frigiditatem in causa opinamur, quoniam à frigiditate deriuatur albedo, & eius filia (vt eius vtar verbo) iudicatur. Allium tamen, & alia cõplura multo sunt calore freta, quanquam multo albore perfusa. Pari pacto, quæ rubra sunt, illicò calida plæriq; existimãt, cum frigore sæpenumerò abundent, quæ rubĩcunda sint. Odoratu quoq; falli nos facillimè docet, cùm res odoratas calore existimamus suffultas, frigiditate nihilominus pollere multa perspicuum est, quæ inter aromata computantur, quod in camphora perspicuum satis apparet, eo autem fallaciam prodire voluit, quòd nihil ad sensorium perueniat odoratæ rei, nisi fumus quidam spiritalis, quo rei natura nequeat exactè declarari. Hûc accedit, & fumi sæpè tenuitas, & aër fœtore præoccupatus, quibus eueniat, vt species illa, qualis excernitur, ad sensorium non perferatur. In libro quoq; sexto de causis plantarum Aristoteli magistro cõsentiens, olfactum homini deterrimum tribuit, quo in loco, & vultures ab vnguentis, & canthari à rosis perimi, & ab apibus oppugnari vehementer vnguentatos, & omne genus insectorum odorem olei fugere scribit. Ipso tamen de Saporibus libro, in quo etiam operis de Stirpibus meminit, gustum alijs præponit sensibus, tanquam qui crassitiem rei hauriat magis, quàm cæteri, sed suprà nos ostendimus authoritate Aristotelis, sensum esse quendam tactum. Quare cùm hîc, authore Theophrasto, sit incertus, & Aristotele authore, maximè eo polleat homo: ille, scilicet, gustus certus omninò esse non poterit: & prætereà docuimus, fieri facilè posse, vt fallatur ipsius infectione sensorij, exemplaq; multa suprà duximus in medium etiam eorum, qui mel amarum, & qui nec dulce, nec amarum censuerunt. Eodem sexto de Plantis volumine, pro dispositione, & temperamento corporis sensationẽ fieri docet, fateturq;, quod nobis ineptũ in cibo est, alijs esse aptum, contraq; quod aptum alijs, alijs ineptum. Sed de his hactenus: Nam cùm de sensu, tàm ratione, quàm Aristotelis authoritate satis egerimus, & ex abundanti nonnulla etiam ex Theophrasto decerpserimus: ad alia quæ sumus polliciti, transitus fieret.

CAP. VII.

QVOD ARS DEMONSTRANDI ARISTOTELIS INCERTA est, particulatim ostenditur, ex eo, quod incerta est apud eum verè definiendi facultas, ibiq; Speusippus defenditur.



Idimus fundamentũ, initiumq; demonstrandi, hoc est, sensum non constare: idipsum de medio, & causa videndũ est: nam si non est reperire veram definitionẽ, fieri neutiquam poterit, vt quicquam verè demonstretur, quomodo in posterioribus Analyticis demonstrandum Aristoteles docuit. Igitur vt particulatim magis hanc materiam discutiamus. Primò sumptũ probemus, ostendendo nullam dari verè definiendi certam facultatem, non iam Scepticis excursionibus vsi, aduersus ipsam definitionẽ, quarũ tertio huius Operis libro mentionẽ fecimus, sed in Lyceo, vel stantes, vel passu nil cõcitato deambulãtes. Dixi verè definiendi, quoniam & describendi, & quoquo pacto nõ tamen verè &

exactè definiendi, multos & ipse modos tradidit, in secundo libro Logicarum institutionum. Sanè apud Aristotelē verè definiendi facultas minimè tradita est, quanquàm ipse multis locis definitionis meminit, vt num primo Physicorū ex ea diuidi in singularia definitum dixit: Cùm in quarto Metaphysicorum eam docuit rationem eius esse, quod nomen significabat. Cùm statuit in Topicis eam esse orationem, qua quid res esset, indicaretur. Veruntamen de ipsa duobus maximè locis ex proposito præcepit, hoc est, in secundo posteriorum Analyticorū volumine: cùm de ipsa ageret, vt de medio demonstrandi, & quo pacto ea haberi posset, & indagaret, & veneraretur: Exactè verò, & propriè magis in septimo primæ philosophiæ. Nam hic per se de definitione loquitur, vt Philopono placuit, & Alberto: Ibi verò ex accidenti, vtpote de causa, & medio scientiæ. Vtrobiq; autem scientiarum cupidis definiendi desiderium reliquit. Subsignauit quidem in Analyticis, quid opus esset facto, hoc est, proximum genus, proximamq; differentiam parandam, reperiendamq; esse, sed hoc an fieri posset, explicatum non reliquit. Vltimam certè differentiam rerum ipse non tradidit, quam in septimo Metaphysicorum volumine, vbi & meminit, se in Analyticis quoq; de definitione præcepisse, solam esse affirmauit, quæ propriè sit, & rei substantia, & species, & definitio. In primo verò de partibus animalium, de diuisione, & altera differentia precipiens, aduersatur sibijpsi in his, quæ in Metaphysicis, de definitione tradiderat: idq; magno discursu, longissimiq; opere subsellij docet Michaël Ephesius in opere, quod in ipsos de partibus animaliū libros edidit: illudq; affirmat, Aristotelē cum vna differentia dixit in Metaphysicis exprimi debere speciem vltimam, locutum ex eorum opinione, qui bifariam semper diuidebant. Cæterùm, ipsum Aristotelem agentem de partibus animalium, in primis curasse, vt Platonis methodum faciēdæ diuisionis probaret, tàm Michaël ipse, quàm Theodorus Metochytes est author: Atq; hic eam propriè, qua est vsus, in sophista refelli voluit. Ephesius autem asserit Aristotelem improbato Platone voluisse (quod & frequenter solebat) sequi in diuidendo multitudinis opinionem, quæ genus in quot secari differentias posset, dispesceretur, deinde perpēderetur: in quódnam eorum membrorum, quæ diuisa essent, incideret id, cuius definitio quæreretur. Verbi causa animal, aliud volucre, aliud pedestre, aliud aquatile, deinde animal, aliud multipes, aliud bipes: Rursum animal, aliud cōpos sanguinis, aliud expers. Item animal, aliud squammosum, aliud crustaceum, aliud pilis vestitum, aliud molle: factisq; omnibus diuisionibus, & nullo pacto subdiuisionibus, quibus & Plato, & alij vti consuessent, differentias ex illis ipsis colligere, & aptare, atq; componere generi, vt species ipsa tandem vltima, scilicet, quæ dicitur species specialissima, dissultet ex suis differentijs, quoniam vna tantùm diffiniri non posse ex Aristotelis sententia decies affirmat. Nec vnam, sed plures constitutrices differentias afferri oportere. Sed siue huius authoris sequi sententiam volumus, quo pacto vnquàm verè definiemus? Quis enim sese diuisisse genus, quot modis diuidi potest vnquàm percipiet? siue aliorum interpretum placita sectari malumus, quid certè moliemur?

Scribit Themistius in primo de Anima certò nesciri, quæ ratio finiendi sit optima, & quo genere contineatur: adhuc, inquit, longè dubia est apud philosophos quæstio, neq; apud philosophos modò, sed etiam apud omnes, qui scientias vtcunq; sermocinales attingunt: Subditq; alijs visum esse, vnam haberi definire rationem definitionū omnium, alijs diuersa, & Platoni diuidendo, & secando definire placuisse, Aristoteli cōponendo, & colligendo, alijs alio genere demonstrando nō displicuisse subinnuit: Sed si libeat, & diuidamus, & colligamus, & quicquid aliud voluerit, agamus, vt indagemus differentias, quis ad vnam vltimam differentiam, aut sub diuidendo, colligendóve, aut alio quopiam pacto perueniet? eam certè tradi nō posse, multi censent, nec desunt, qui humanitùs inueniri etiā non posse, dubio procul arbitremur. Sanè in opere de Essentia & Ente, scilicet, Thomas asserit, in materialiū substantiarū differentias (vt ipse loquitur) essentiales, & etiam propria accidentia à nobis nō cognosci. Rerum autem sensilium differentias, quibus eorum essentia constituitur ignotas esse, significari verò per accidētarias, quæ ex illis oriuntur, sicuti significatrix causa per effectum, quo pacto hoc quod dico, risibilis, differentia ponitur: Et in septimo primæ philosophiæ docet fieri, vt ex necessitate quandoque, non solùm ijs, quæ ad substantiam pertinent, vtamur differentijs, sed eis, quæ sunt ex accidēti, quatenus, videlicet, signa sunt eorum

eorum, quæ ad essentiam pertinent, & nobis ignotæ sunt. Ac Albertus septimo primæ philosophiæ, cùm differentiam vltimam totam esse speciem, substantiamq; rei decerneret ex Hypothesi docet intelligi, hoc est, si inueniretur, atq; eo loci exactè de definitione agi docet, in Analyticis verò, quæ medio demonstrandi affectiones variæ indicantur. Nec me latet, quibusdam placuisse, fieri posse, vt cognoscantur, sed quæ'nam sint illæ differentiæ vltimæ, neutiquam verbum factum est ab eis, quod sciam; solas etiam accidentium differentias vltimas cognosci quidam asseuerauerunt, à quibus libenter peterem, quo pacto cognouerunt, quod vltimæ videlicet sint differentiæ, quas afferũt tanquàm vltimas? Nã si sensu id se dicant discriminis deprehẽdisse, tàm erit incertũ illas esse vltimas, quàm incerta erit sensus ipsa sententia, quam suprà docuimus, incertam ambiguam, & nutabundam. Si verò intellectu dicant se potiùs id assequi, de modo, quo intellectus accedentia cognoscit, primò quæram, & an sensu duce? vt tandem à cœno nequeant auellere plantam. Nec item me præterit vltimas specierum vltimarũ differentias, ignotas dici à multis, non tamen nesciri eas, quæ sunt generũ, specierumq; subalternarum differentiæ. At cúrnam hoc? cùm quas fatentur nesciri proximiores sunt sensui, quibus primas deferunt in cognoscendo parteis: Sed & eadem quoq; eos circumstat difficultas, sensúne, videlicet, an intellectu, eas ipsas deprehenderint? si sensu, cùm differentiæ generũ, & specierũ substantiæ sint, quomodo. cùm & ipsa quoq; genera, & species substãtię habeantur, sensus eas nõ agnoscet? quem tamẽ constat solis accidentibus immorari. Si intellectu? sensu fuit opus in primis, qui quàm fallax est, tàm erit, & fallax indagatio, & incerta deprehensio. Mihi certè videtur, si inueniri possent ab homine rerũ differentiæ, debuisset vtiq; ea, quæ sua est ipsius differentia, qua propriè homo constituitur, quà dispescitur à cæteris animalibus, iam diu esse inuenta, super qua tamen à prima est antiquitate certatũ, vti paulò pòst monstrabimus: Quantò igitur minus eam, quæ aliorũ est inueniri procul omni dubio remotius fuerit? Ex hac re, quis est, qui sequi nõ videat, artẽ demonstratricem Aristotelis incertã esse, quoniã definitione vtitur ipse tanquàm medio, & vtendum docet in posterioribus Analyticis, idipsumq; subindicat in primo de Anima: atq; identidem monet obseruandum in omni particulari demonstratione. Quare ignorata definitione demonstrationẽ sublatam iri necesse est. At qui & ostẽdetur sequenti capite, etiamsi detur certa definitio, nõ posse tamen eam haberi ab ijs, qui in ea inueniẽda dogmate nituntur Aristoteleo. Sed iterũ probationibus firmemus superiorẽ argumentationem.

Omnis definitio, quæ vera, certaq; dicitur, conflatur ex genere proximo, & differẽtia vltima, vt Aristoteles voluit in Analyticis, imò sola cõstat differentia vltima, vt in 7. primæ philosophiæ docuit, & aliqui àctu, aliqui habitudine tantùm defendũt, vt Simplicius animæ definitionẽ. Sed vtcunq; sit, in 7. primæ philosophiæ sola differentia vltima voluit definitionẽ constare, & reliqua cẽset finiendi negocio superflua, si illa possit haberi, si verò ex omnibus differentijs definitio ipsa cõflatur, ex eo illud quis sequi non videat, cùm pluribus in definiendo terminis vtamur, & vtendũ ipse præcipiat, ac semper, aut dubitatio restet, aut surgat instantia, non ob aliud hoc fieri, nisi propter ignorationẽ, aut differentiæ postremæ, aut aliarũ omnium, quæ necessariæ forẽt. Quare cùm incerta sint, erit & incerta definitio. Et confirmatur exemplo ipsius Aristotelis, qui remotis differentijs, & proprijs affectionibus, loco differentiarũ proximarum in definiẽdo passim abutitur, vt cõstat ex decursu posteriorũ, & ex 7. primæ philosophię, & ex primo de partibus animaliũ, in quo etiã multis rationibus ostendit differentias, per priuationes non inueniri: illudq; inter initia promit, priuationis quà priuatio est, nullã esse differentiã. Adhæc præclari eius asseclæ eas nõ inueniri docent, qui necessariæ sunt. Quod & ab ipso videtur etiã trahi posse, cùm in vltimo Analytico volumine scribit facilius diffiniri singulare, quàm vniuersale. Cùm tamẽ illud finiri nõ posse satis pateat, cùm ex ipsomet, tùm ex omnibus eius interpretibus, & ex Themistio maximè docente, sola vniuersalia definiri: Subditq; ipse Aristoteles, id euenire, quoniam magis in vniuersalibus ipsis delitescunt, ad quæ tamẽ sit necesse, ex singularibus peruenire. Sed siue singulare ibi acceperit propriè, siue pro eo quod est minus vniuersale, id est, pro specie vltima, refelli possunt ij, quos paulò antè reprobauimus, asseuerantes cognosci subalternarum, quæ dicuntur specierũ postremas differentias, cùm facilitas præbeatur magis cognoscendæ speciei vltimæ, à qua minus distant singularia: quæ

quocunq; capiantur modo, faciliùs definiri Aristotelea authoritate monstrauimus: vt mittam, quod eorum, quæ in communi cognoscuntur non certissima, exactissimaq;, sed imperfectissima cognitio est: quando quę sunt propria, in communi continentur, non actu, sed potentia, quod & notatur à Thoma in tertio aduersus gentes. Sunt etiā ex eius interpretibus, qui affirment ibi duntaxat eum de subalterni generis definitione locutum: Et Auerrois dialecticos locos ad artem demonstratricem trahi censuit oportere. In septimo verò primæ philosophiæ genus, & omnes differentias à vera, & propria definitione remouit, veluti excrementa quædam, & superantia, vti differentiā vltimam tantummodò retineret. Nec sanè videtur Speusippi sententia iure refelli ab Aristotele: Nec in hoc audiendi quidam Græci interpretes, Themistiusq; Paraphrastes, neq; enim ille omnium rerum particularium differentias voluit ascisci, modò rectè, & nō calumniosè ipsum interpretemur, sed oportere censuit, si rectè censuit, eum qui definiturus esset, omnium specierum nosse differentias, vel vltimas, vel necessarias: hac, scilicet, ratione, quoniam quod diuersam ab alio definitionem non habet, idem cum illo est, nam quorum vna est definitio, vnum habentur.

Sed neq; illa (vt mihi videtur) multarum est virium obiectio seu mauis eam responsionem appellare, hoc est, aliud esse diuersitatem, aliud differentiam: nam differētiam à Speusippo intellectum consentaneum est. Ad hæc ipsa definitionis diuersitas infert, differentias esse diuersas, quoniam differentijs ipsæ constituuntur definitiones. Sed vt absit à verbo calumnia: si dixerimus, id quod differentem ab alio definitionem nō habet, cùm illo ipso esse idem, quid tùm molietur Aristoteles, vti putauit Eudemus, & qui eum secuti: nam quod is rectè quidpiam definire non potest, qui nesciat res alias adeò, vt internoscat, si vel differentiæ, vel differentia eius quod definiuit, sit vera, quia scilicet illi soli, an falsa, quia etiam alijs competat. Etenim quælibet differentia speciei, differt se ipsa, à qualibet alia speciei differentia. Quo pacto ergo internosces tua qualibet differentia illam, nisi quamlibet ipse cognôris? eandem enim cum qualibet habet seiunctionem, quam cum hac, vel illa, quia videlicet differt, & ab hac, & ab illa, & ab alijs. Vt igitur duo verbi causa, quæ referantur, comparentúrve, an differant, ne quis agnoscere, nisi vtrumq; nôris, atq; ita hoc ab illo differre, & dicas, & sentias? ita fiet in omnibus pari proportione seruata. Nec mihi opponas simplicem notitiam à composita pendere minimè posse, falleris enim, si de ipsa loqueris, quæ à multis pendet, & simplicibus, & compositis præcedentibus, videlicet, & subseruientibus indagandæ differentiæ vltimæ, vel pluribus comparandis differentijs, si plures admittatur ad hoc, vt certò nôris eam, vel eas esse, quibus ad ipsum quod sis definiturus, & constituatur in sese, & dispescatur à cæteris, & quod ni longè fallor, cùm Speusippo, tùm nobis adstipulari videntur, quæ à subtili illo, præcellentiq; inter neotericos theologos solent afferri, inter disputandum de relatione rerum creatarum ad Deum: affirmat enim Dei ad res creatas relationem ignorari, quando Deus ipse exactè non cognoscitur. Nec item mihi opponas perfectissimæ, & non ita perfectæ definitionis notitiam. Nam si demonstratio ab Aristotele celebrata, ea est, quæ ita astruit rem, vt non contingat aliter se habere, perfectissimam definitionem asciscit. Et si passionis, affectionísve definitionem attuleris, quod molitus tandem fueris? nam eadem sumetur dubitatio de affectione, si eam fueris finiturus, eoq; magis, quod sensu te quoquo modo vti oportuerit, incerto plurimum, sæpè fallaci, & inductione quoq; niti parum cōstanti, & etiam manca. Vt mittam, quod diuersæ opiniones sunt Peripateticorum, an huiusmodi finitiones haberi pro legitimis debeant, & an tandem ad subiecti finitionem, quam diximus certam non esse, fieri resolutionem oporteat? Et hæc quidem pro Speusippo contra Aristotelem probabiliter dixerim. Cui quidem Speusippo, quanquàm aliud agens Nicolaus Cusa, in tertio Idiotæ libro, vbi agitur de mente, videtur apertè suffragari, cùm scribit, quod si de vna re præcisa scientia haberetur, omnium rerum scientia necessariò haberetur.

CAP.

CAP. VIII.

QVOD APVD PHILOSOPHOS ANTIQVOS, ATQVE apud ipsum Aristotelem incerta hominis definitio.



SEd quid opus multis? quàm incerta sit definitio, hinc facilè datur agnoscere, hominis definitione sub oculos posita. Si enim gentium philosophi probatissimi, & ipse Aristoteles super hoc dissentiunt: quod videlicet in nobis est, quod ipsi nos sumus, præsumemúsne aliorum animantium naturas definitione colligere? Si nostram ipsi differentiam, quæ ad essentiam ipsam nostram, substantiamq; constituendam pertinet, & id efficit, vt ab alijs, quæ non sunt homines, dirimamur, atq; vt significantiùs dixerim, differamus, certò nescimus, sciemus aliâs? An verò ignorata nostra, ignorabimus & reliquas? Si Aristoteles primo de historia Animalium volumine partes hominis priùs explicandas assumit, quoniam homo, vt ipse ait, Animalium maximè omnium notum, nobis necessariò est, quod tamen Ambrosius eo negare videtur, quod in sexto Hexameron ita scribit, non possumus pleniùs nos cognoscere, nisi prius, quæ sit omnium natura animantium, cognouerimus. Sed vtcunq; statuatur, persistit in proposito Aristoteles & alia exemplo nummorum docet, ad id, quod sibi quisq; exploratum, certumq; habet exploranda. Si igitur secundùm Aristotelis sententiam, homo homini, quàm cætera animantia notior, quò pacto ignorata hominis parte principali, hominis reliquum, & quæ minus habentur nota, dignoscentur? Adde quod eodem volumine paulò pòst (recordatus ne eorum, quę statuerat, an minimè, nō satis habeo compertum) scribit interiores hominis partes incertas, & incognitas, easq; ex cæterorum Animalium partibus, quæ similes sint humanæ, contemplatur. Quod si partes hominis corporeæ nō satis certæ, cōpertæq; habentur, de incorporea differentia quid arbitrabimur? Si ipse postea Aristoteles in 3. de Anima libro intellectū dicit se cognoscere ex aliorū cognitione, & ex ipsa cognitione, ita nō proficit, vt propriam & indaget, & constituat differentiam, aliorum differentiæ, quo pacto cognoscerentur? An fortè qui imperfectiora homine, ob nostræ cognitionis imbecillitatem faciliùs cognoscimus. Ideò nostra ratio non militare, sed intima illa, & quasi cognata notitia nō debet aliarum præpōderare cognitionibus rerū, vt certior videlicet esse debeat, & notior. Vnde igitur tanta elatio humani generis, & eius maximè portionis, quæ rebus dignoscendis vacat. Vnde illa præsumptio docere propriè, & exactè, quid alia sint, cùm se quid sit prorsus ignoret. Vtcunq; tamen sit, & Aristoteles, & philosophorum plurimos se clarè nescisse quid essent, facilè comprobabo eorummet doctrinis, & testimonijs. Aristoteles in septimo primæ philosophiæ de hominis locutus diffinitione, bipedis exemplo est vsus: putamúsne illam, quę est vera, & propria differentia, si non ignorasset, ab eo fuisse sub silentio prætermissam? At dicet quispiam, num tu es animal rationale? quid tum? ergo homo subinferet. Negabit consecutionem quispiam paulò peritior. Sed si eam probabit nostratium aliquis hunc in modum, à definitione ad definitum rectè argumentamur, sed animal rationale definitio est hominis, igitur perperam negauisti. Certè, qui paulò peritior fuerit, respondebit superfluum esse Animal, ex dogmate Aristotelis in Metaphysicis, si rationale sit vltima differentia: Addetque illud fortasse, si Theologus ex disciplina Thomæ fuerit, illud, inquam, ex Thoma contra gentes, eum qui existimat, hominem esse animal rationale, cognoscere ipsum secundum genus. Et addet fortasse in tertio de Anima libro, Simplicium affirmare speciem omnem esse indiuisilem, quoniam terminus est, & perfectio, & sequestrato etiam Aristotele, & Thoma, & Simplicio, respondebit, etiā se rectè, & omnibus simul sectis philosophorum, & theologorum cōsentaneè fecisse. Iterumq; minorem, secundámve, seu mauis mediam propositionem, ibit inficias: vtpote quia animal rationale non sit hominis definitio. Quare in ipsa etiam consecutione negando persistet, etsi causas ille, & instantias, vtpote Peripateticus exquiret: Qui enim negat, debet (vt præcipit Aristoteles, quod tamen ætate nostra inter disputantes parum custoditur) instantiam afferre: facilè illi ex omnibus sectis, ex omnibus disciplinis non vna, sed multæ, eædemq; multiplices occurrerent, adeò, vt ex ipsorū persona numerosam instantiæ segetem possit colligere, atq; in hunc modum exprimere. Non ego solus in connexo esse veritatē inficior, & an iniuria disquiramus? cùm multæ sint

ſpecies irrationalium animantium, quod nemo negat, multas etiam rationalium eſſe debere, quid prohibet? Non ego, inquit, ſolus nego, ſed Porphyrius, qui & rationale dijs attribuit, in Iſagogico: Quapropter ſubdidit hoc verbum mortale, vt ab illis nos diſpeſceret: & rationale quoq; tribuit omnibus animantibus, modò ſenſibus, & memoria polleant, libro tertio de abſtinentia ab animalibus, cui partim reſiſteret Plutarchus, in libro de Oraculorum defectu, quò ad mortem * panos: quantum pertinet ad mortalem differentiam, partim conſentiret: quò ad ſpectat ad rationalem differentiã, cùm ex propoſito probare nitatur, quæ dicuntur irrationalia animantia, ratione pollere. Cæterùm, eò quod mortalem differentiam definitioni copulauit, ei apertè reſiſtunt, etiam ex noſtris Theologis Auguſtinus Anconitanus, qui eius arbori vniuerſæ bipennem admouit, & hunc maximè ramum multis rationibus præcidit. Negant & alij, qui in eius voces quæſtiunculas dimouere, vt eſt videre eo in libro, qui appellatur Scoti Vniuerſalia: putauit enim animal rationale genus non eſſe, nec exiſtimauit per id, quod dicitur mortale, diuidi genus, & hominis ſpeciem conſtitui, tùm quia animal non enuncietur, in quid de ſpecie differentibus, quando intelligentiæ ipſæ à materia diſſeparatæ, non ſint ſubſtantiæ animatæ ſenſiles, tùm quia differentia ſumitur à forma, mortale à materia, tùm quod mortale primo eſt in indiuiduo, quàm in ſpecie: contrà verò differentia primo ſpeciei debet ineſſe, & ipſa ſpecie, aut prius, aut cum ea ſimul: mortale verò ipſum poſterius eſſe natura, quàm homo, qui videlicet prius eſt, quàm corruptioni ſit aptus. Item mortale cum homine non conuerti, quare vltimam non eſſe differentiam. Demùm id non poſſe nomine differentię meritò pollere, quod nõ ad eſſe ipſum, ſed ad ipſum nõ eſſe conducat. Quapropter cenſet ille Porphyrium, vel Platonis, vel vulgi opinionem ſecutum. Sed hac de re in ſecundo Logicæ inſtitutionis iam plura diſſerui, quantum attinet ad Scotum, & Anconitanum.

** puto ſic legendũ à Pane Deo, quia Deo Pani tribuunt horribiles & repentinos terrores & cõſternationes mortem inferentes: vnde Panici pauores dicuntur.*

Ad ipſam redeamus conſecutionem, quam etiam negabit Maximus Tyrius duobus in libellis, qui de Socratis inſcribuntur dæmonio: Negabit quoque Plutarchus libro de Socratis dæmonio: Negabit & Lucius Apuleius, qui Latinè ſcripſit, in libro de Deo Socratis: Negabunt & alij Platonicæ philoſophiæ cultores, quibus præiudicatum eſt, dæmones eſſe animalia rationalia. Nam quanquàm inter ipſos non conuenit omninò de dijs, & dæmonibus, & alius alium impugnat; ſunt enim qui bonos, qui malos, idq; variè decernant, quod licet videre apud Iamblichum de myſterijs diſſerentem, apud Proclum in commentarijs in primum Platonis Alcibiadem, multa dæmonum genera, & officia deſcribentem. Apud Pſellum quoque ſcribentem, multa dæmonum genera, quanquam ipſe non quidem ex Platone, ſed ex Chriſtiana diſciplina dæmonem omnem malum eſſe, ſine dubio ſanxit: Ipſi tamen Platonici, quatenùs Platonici ſuos dæmonas, & deos rationalia animalia exiſtimârunt. Nec illud Porphyrij libenter admittent mortalitatis diſcrimen, cùm ob corpora, quæ ſuis dæmonibus tribuunt, ex diuerſis elemẽtis, & mortem panos narratam ſuprà, tùm quod ex Platonis ſententia ipſius aſſeclæ volunt, corpus non pertinere ad hominis eſſentiam: quare nec mortalitas pertinebit, quoniam decernunt ſolam hominis animam eſſe hominem. At, inquient, Ariſtotelis amatores nimij, parum autem gnari, & diligentes in eius, & aliorum voluminibus euoluendis, multam ſalutem dicimus Platonicis: quid nobis cum illis negocij? Porphyrium etiam valere ſinimus, quoniam etſi ſectator, & expoſitor Ariſtotelis habitus eſt præclarus, Platoni etiam fuit addictus, ſyncerè nos Ariſtotelem ſequimur. Sed viderint ipſi, quàm ſyncerè ſequantur, quàm non verè ipſe monſtrabo. In ſecundo Rhetoricorum dæmonium à Deo dirimere non videtur Ariſtoteles, ſed de hoc poſtea. Certè quinto Metaphyſicorum libro Grecum Ariſtotelis exemplar hoc habet, quod in aliquibus Latinis codicibus deeſt, & in Agyropoli tranſlatione rectè iacet, & in contextu, quem D. Thomas expoſuit, hoc in quam habet, Dæmones eſſe, & eſſe partibiles. Cùm enim de ſubſtantiæ partibus loqueretur, mentionem fecit partium ſubſtantiæ dæmonum: & vndecimo eiuſdem Operis Deum eſſe cenſuit animal ſempiternum optimum, vti priore libro diximus per hæc verba: φαμὲν δὲ τὸν θεὸν ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον, vt qui primo in exemplo anſam caperent, capere non poſſint in ſecundo. Animal enim appellauit in Metaphyſicis Deum, quæro, an rationale, an irrationale? hoc, nequaquam, & tamen alia differentia non ſolet admitti. Sic certè, ſic Ariſtoteles more Platonico, & ſeparatas ſubſtantias, & primam,

cenſuit

censuit rationalia animalia. Et in primo de Anima, quod in antiquis exemplaribus Græcis, & duobus præsertim admodum vetustis in Marciana Florentina Bibliotheca visitur, & aliquæ etiam Latinæ translationes confirmant, partem animalis Deum facit, hoc est, animalis speciem: Vtrum, inquit, vna ratio ipsius est, sicut animalis, aut secundùm vnum, quodque altera? atque id cùm dixisset, subiecit, οἷον ἵππου, κυνὸς, ἀνθρώπου, θεοῦ, hoc est, vt equi, canis, hominis, Dei, atque ita etiam aliqui Aristotelis expositores interpretantur, & magnus ille inter eius interpretes Simplicius super illo verbo θεοῦ, in primo de Anima commentario scribit mentionem fecisse, τοῦ οὐρανίου ζώου, id est, cœlestis animalis. Si dæmones itaque, Aristotele authore, partes habent, si Deum esse dixit animal, & animalis speciem, si & in Metaphysicorum etiam postremo, ἔτι δὲ τῶν φαινομένων θειότατον: Est autem diuinissimum eorum, quæ apparent: Sequitur eos esse secundùm ipsum rationalia animalia. Num & hinc deducitur Aristotelis de Dæmonibus, & dijs opinionem non differre à Platonicis? qui & corporeos dixerunt, & rationales. Hac in re certè nullus fuisset labor Ioanni Pico Patruo meo in conciliando Platone & Aristotele: eique ipsi adstipulatus fuisset, scilicet, Thomas præclarissimo vir iudicio, multæque doctrinæ quinto maximè Metaphysicorum libro, dum de essentia, substantiáve dissereret dæmonum: ibi enim partes ab Aristotele citatas, more Platonico non diffitetur: Vsus etiam Apuleij authoritate: & in prima parte Theologicæ summæ, quæstione septuagesima, atque in prima quæstione operis, quod de Spiritualibus creaturis inscribitur, docet, vel nihil, vel parùm à Platonis opinione de cœlestibus animatis corporibus differre Aristoteleam. Quare videtur Aristoteles ipsam connexionem, animal rationale, ergo homo, per ea, quæ dicta sunt, apertè reprobare.

Sed certè, & omni dubio procul eã reprobat in ijs, quæ scripsit de philosophia Pythagoræ, quæ nostrates non viderunt, vidit Iamblichus apud Platonicos diuini cognomen sortitus, & diligens quoq; Aristotelis expositor, cuius sæpè in Aristotele interpretando testimonijs vtitur Sinplicius Peripateticus. Hic itaq; Iamblichus in primo libro de secta Pythagorea ponit hæc Aristotelis verba, quæ dicit in arcanis custodiri solita: τοῦ λογικοῦ ζώου τὸ μὲν ἐστὶ θεὸς, τὸ δὲ ἄνθρωπος, τὸ δὲ οἷον Πυθαγόρας, hoc est, ad verbum: Animalis rationalis, aliud quidem est Deus, aliud autem homo, aliud autem sicut Pythagoras. Prædicatur itaq; animal rationale de Deo, & diuersè de homine, & de Deo, & de Pythagora. Nec discrimen huius, quæ rationalis dicitur differentiæ, quódnam sit habendum? proditur: siue enim, vt genus Animal rationale copias, diuersæ erunt animalis rationalis species, vt videntur illa ipsa verba portendere, siue proportione capias, deriuabis rationale quod est in homine ab eo, quod in Deo ille collocauit. Ad hominem itaque definiendum rationale non facit satis, tanquàm exacta differentia, nec animal tanquàm genus proximum. Huc pertinere quoquo modo possunt verba illa Aristotelis in septimo Politicorum posita, dum Deos, & Heroas ab hominibus differre scripsit. Huc & spectare potest, quod in secundo de partibus Animalium prodidit, vti libro superiore scripsimus. Ambigebat enim Aristoteles hominem aut omnium maximè animalium, aut vnũ ex omnibus animalibus nobis cognitis diuinitatis esse participem, quo loquendi modo satis aperuit, aut alia posse rationalia animalia, quorum ipsi notitiam non habeamus, aut more Platonico superiores, & separatas mentes esse animalia. Ac sanè putasse mihi videtur Aristoteles id, quod Platonici, de Dijs, & dæmonibus, nec non putasse quoq; videtur, hominem quempiã reliquis hominibus, rationis vsu tantum posse præstare, vt de eo alia animalis differentia prædicetur: Sed hoc postremum fortasse per metaphoram: Sic etiam visus, in primo de Officijs Cicero intelligere, sed proportione cõtraria. Scripsit enim, aliquos inueniri homines, non re, sed nomine, hoc est, ita ad voluptates propẽsos, vt ex pecudum numero cẽserentur. Non secus Aristoteles longè à Deo super hominẽ tolli perspicacia intellectus, & rationis vsu, hominẽ existimauit, vt inter alios homines, & Deũ medio quodã genere cõstitueretur: sic Pythagoras apud eũ, & eius similes existimari. Sanè quoq; fuit antiquũ dogma, qđ Hesiodo fertur acceptũ, cuiusq́; maximè meminit Plutarchus in libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, hoc est, de eo, ꝙ oracula defecissent, quatuor esse rationaliũ genera. Primùm deos, mox demones, *multos, & bonos, [* malos] deinde Heroas, deinde homines, cõputatis inter Heroas semideis. Quare potuit Aristoteles

ſtoteles fortaſſe antiquæ memor, & in hac parte probator opinionis, quòd Heroës, videlicet, inter homines, & dæmones conſtituti, tanquàm ſemidei iudicarentur. In eorum numero Pythagoram collocaſſe: atque hac in parte Heſiodum ſequi. Alia verò parte, quod, ſcilicet, tres ſpecies rationalis fecerit animalis, Heſiodus quatuor, Homerum ſectari videtur: Qui ſæpenumerò dæmonas non diſtinxit à dijs, quod etiam notauit diligenter Cleombrotus apud Plutarchum. Præter illa verò, & colligi inde poteſt, quod quem Plutarchus ipſe, & Maximus Tyrius dæmonem dicunt, ſiue dæmonium Socratis, Deum nuncupat Lucius Apuleius, & cur Deus vocetur, anxiè diſquirit Proclus in commentarijs, in primum Platonis Alcibiadem, & affirmat dæmonem fuiſſe, ſed ſummum in dæmonum genere, atque eſſe in dijs dæmonas, in dæmonibus deos, ſed in dijs ſubſtãtiam eſſe diuinam, proportionem verò dæmonicam, in dæmonibus verò proprietatem eſſe dæmonicam, proportione verò quod in eis eſt diuinũ declarari. Ariſtoteles autem libro Rhetoricorum ſecundo, dęmonium dixit, aut Deũ, aut Dei opus. Ac poſt Ariſtotelem fuêre Platonici, qui hominem ſupra hominis naturã ita collocârunt, vt ſemidei nuncupationẽ illi tribuerint, vt labeo Platoni, quemadmodum noſter ſcripſit Auguſtinus: Iiq; ipſi etiam ab Heſiodo non videntur abhorrere, cùm cecinit: ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἵ καλέονται ἡμίθεοι.

Cæterùm, & alia apud noſtros proditur animalis rationalis ſpecies, vt primo quoq; libro narrauimus: Satyros enim, num & ratione pollere, & religionẽ agnoſcere ſcripſit Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ? idq; magni Antonij teſtimonio confirmauit. Sed vndénam quæſo rationales putauit eſſe? Non hîc Plinium cito Elephantos ad religionem vecturus, non Midæ fabulam de Satyrico dæmone repeto, ſed Hieronymum Theologum, doctrina, & ſanctitate vniuerſa in Eccleſia celeberrimũ. Ex quo illud ſequi quis non videat, aut quod cornutus, & capripes Satyrus, qualem etiam deſcribit Hieronymus, verè & propriè eſt homo: atque ita homo, qui eſt Satyrus, & homo qui non eſt Satyrus, inuenitur, quod & primo libro dicebamus, aut ſi homo non eſt Satyrus cùm vtatur, & ratione, & religione, vt rationalium ſint diuerſæ ſpecies probè ſequetur, quod ſectatores Ariſtotelis nouitij nequaquàm admittent: Aut belluas, & bruta, quorum in numero Satyri computentur, animalia rationalia, & eſſe, & haberi: Aut ſi quid tertium eſſe inter belluam, & hominem, Satyrus exiſtimetur, ei tamen, & hominis rationem, & differentiam competere. Sumant quod malunt, proxima in homine definiendo rationalis differentia non collocabitur. Sed nec collocari etiam poterit, authoritate Magni illius Gregorij, qui libro moralium ſuper Iob trigeſimo ſecundo ſcribit, nullum rationale animal, niſi Angelus, & homo eſt. Igitur inter hominem, & angelum differentia rationalis non diſtinguit, idem author ſuprà, hoc eſt, libro vigeſimo octauo Angelos appellauit ſpiritus rationabiles, & ad hunc etiam modum de angelis in quadam homilia diſſeruit. Mitto quòd hominis etiam interioris, & exterioris ab antiquis noſtræ religionis Theologis habeatur mentio, vnde altera animæ, quæ homo dicitur interior, altera conueniet corpori. Sed enim minimè abhorrere à doctrinis philoſophorum videri poſſet, vt plures quanquàm ignotæ hominibus haberi deberent rationalis differentiæ, & irrationalis, vtpote quæ alia conueniret ſpiritibus ſeparatis ſupremi generis, alia imis, alia hominibus, alia ſatyris, alia fortaſſe centauris, & eis animalibus, quæ Magnus Albertus in Syluis Saxoniæ verſus Dacos in deſerto Murciæ capta ſcribit ſecundo libro de Animalibus. Dixi fortaſſe, quia videtur apud Antonium, & Hieronymum non ita clarum haberi, ſicuti de Satyro. Itaque quemadmodum inter hominem & capram media quædam haberi poſſet, ſpecies Satyrus: Ita nequaquàm abſurdiſſimè inter hominem, & equum fortaſſis ipſe centaurus, & inter hominem, & alia animalia, etiam media quædam inueniri. Albertus narrat ea ipſa animalia fuiſſe figura hominis, & alterum eorum loqui nonnulla verba didiciſſe, nullam tamen habuiſſe rationem voluit. Sunt tamen qui affirment ſe vidiſſe pygmæos homines, & illos ipſos hominum arte vti, & ratione quanquam ſtatura, moribus, victu, ætate, cæteris hominibus diſſimillimos: Eſſe quidẽ pygmæos contra multorum authoritatem Ariſtoteles affirmauit. Nec defuêre, qui ratiocinari eos cenſeant, non tamen vti intellectu, propterea exiſtimant Ariſtotelem cenſuiſſe ſecũdo de Anima libro, diuerſam eſſe rationẽ habendã ſpectatiui intellectus, à ſenſuali animæ parte & motrice, & ratiocinatrice, vt in ijs & bruta, & pygmæos, in illo verò intelli-

intelligendi munere homines indicaret. Alij etiam nymphas posuêre, inter quos Aristoteles (vt superioribus narratum libris) & docti viri alij, vt posteà dicetur. Sed putârim potiùs, si quid huiuscemodi spectrum sese ostenderit, dæmonicum phantasma simulachrumq; inane fuisse. Ita de Empusis illis Apollonij Tyanæi statuendum videtur, quandoquidem huiuscemodi prodigiosa, quibus authores nō assentirentur sacri, ea pro constantibus nequaquàm receperim, quoniam in varias sese formas præsentare solet dæmon illusor: Pari pacto de irrationali turba putari fortasse quispiam philosophorum potuerit, vt sit irrationalitas (ita dixerim) alia equi, alia bouis, alia canis, alia elephantis. Sunt enim quæ humanæ prudentiæ videantur proximiora, idq; habent ab ipsis formis, seu mauis essentijs dicere, vnde propriè manant differentiæ.

De mortali, & immortali certius statuendum: nam vt alia est Dei immortalitas, alia angeli, animæ hominis alia: prima enim illa & infinita à nullo dependet, vnde & à Paulo dicitur Apostolo, *quòd solus habet immortalitatem:* cùm tamen & abiunctæ à materia substantiæ, & animæ hominum sint immortales: Sed hæc ita depēdent ab illa immortalitate suprema, vt in nihilum redigerentur, nisi iugi diuinæ influentiæ bonitate sustinerentur. Sic & Dionysius Areopagita in libro de diuinis nominibus, de vita, & immortalitate angelorum differēs scribit, καὶ ἀθάνατοι λέγονται, καὶ οὐκ ἀθάνατοι πάλιν, hoc est, & immortales dicuntur, & rursum nō immortales, & causam subdit, quoniam, inquit, à se ipsis non habent, vt immortales sint & sempiternò viuant. Vt, inquam, diuersę immortalitates habentur, ita posset aliquis existimare mortalitates inter se differre, vt alia sit mortalitas in cornice, alia in ceruo, alia in ephemero, viuacia illa, & diutiùs reluctata morti, hoc tàm illi obnoxium, vt abortiuum potiùs, quàm maturum naturæ partum appellaueris. Perinde quoq; in vegetali ac in sensili vita, & morte apparere, vt enim irrationales vtræq; & varijs ex differentijs, ita & mortalitate diuersæ. Sed & ipsa quoq; inter se vegetalia mortalitatis differentia videri seiungi: Alia si quidem in olea, alia in salice, longæuior illa, hac (vt ita dixerim) mortalior: quoniam ex suis principijs, suaq; oleagina differentia habet, vt sit viuacior, nec ita mortalis, hæc vt citò pereat habet, nec aliunde, quàm à saligna sua specie, & differentia. Idem ferè proportione pari possumus in reliquis cogitare & irrationabilibus animātibus, & arboribus, cæterisq; omnibus quæ morti, & corruptioni dicuntur obnoxia. Et fortasse nostrum hunc qualemcunq; discursum, illa Simplicij sententia facilè tueretur, qua scriptum est in commentarijs de Anima, sensile quod est in homine, ab eo sensili quod est in equo, specie seiungi. Vidimus itaque & Platonicorum, & Peripateticorum, & nostrorum Theologorum, cùm veterum, tùm iuniorum testimonijs, incertam fuisse atque confusam definiendi hominis consuetudinem: probabiliterque monstrauimus plures esse, & rationalis, & irrationalis mortalisque, & immortalis differentias, quamuis & ignotæ sint careantque nominibus. Accedat Platonicis, & Peripateticis Porphyrius in vtraque familia nobilis, qui tertio, vt diximus, de abstinentia ab animalibus libro, omnem animam sensibus, & memoriam præditam, rationalem esse decreuit: nec solùm rationem habere, sed etiam orationem tùm interiorem, tùm exteriorem affirmauit, Melampumq;, Tiresiam, Thaletem, Apollonium Tyaneum, nō abnuit sermones animalium percalluisse: quos si non intelligamus ipsi, nihil mirum dicit esse quando barbarorum, etiam multorum sermonem minimè discernamus. Nec contentus animalia dixisse rationem habere, probare etiam id sategit ex significatione mutua, ex solertia diligentiaq; prospiciendi, atque etiam ex Empedoclis, Democriti, Platonis ipsiusque etiam Aristotelis authoritate sæpenumerò confirmans, animalia participare ratione & oratione, differreque ea solùm secundùm perfectum, & imperfectum habitum rationis: vt ipsa rationis natura sit hominibus, & cæteris animalibus communis: sed & magis, & minus. Hæc & alia complura Porphyrius in hanc sententiam, inter quę illud, eos qui affirmant bruta, natura facere quæ rationaliter agunt, non animaduertere se dicere, ea ipsa rationalia esse natura, quasi (inquit) ratio nobis natura non insit, ipsaq; perfectio non sicut natura instituti sumus, suscipiat incrementum.

Accedat & illud nostris Theologis quod inter eos fuêre, qui non rationem particularem modò, sed vt hominibus vniuersalem prudentiam, ita particularem plærisq; animantibus tradiderint, & S. Thomas cùm alibi, tùm in tertio de Regimine principum participationē prudentiæ ab animantibus irrationabilibus neutiquàm exclusit, multoq;

multoq; magis etiam eis tribuit Ambrosius: qui & quinto hæxaëmeron, apem validã vigore sapientiæ, & amore virtutis pronunciauerit, & Nicolaus Cusa in tertio Idiotæ dialogo vbi de mente agitur, discursum brutis, quanquàm confusum attribuit, discretiuum tamen, sine quo eorũ natura benè subsistere non posset. Sed si ad philosophos redierimus, qui hac de re scrupulosiùs disseruêre, & ipsum etiam si percunctemur hac de re philosophum Aristotelem, in quarto de Animalium natura, palàm respondebit, nonnullas auiculas si paterna educatione, moribusq; caruerint, non easdem voces reddere, quas si paternis maternisve cantibus, non autem cæterarum auium vocibus insueuissent, ipsamq; lusciniam affirmat, pullos suos visam docere, modulos & versus quos imitarentur, neq; enim perinde locutionem, vt vocem per naturam prouenire, sed acquiri posse per disciplinam & studium. Vnde homines, inquit, locutione vtuntur varia, cùm vocem omnes eandem reddant. Apertiùs autem & in octauo de natura animalium, cùm de eorum loquitur actionibus & futuri temporis notitiã eis adscribit, & imitationem: multoq; etiam apertiùs in nono eiusdem operis, cùm de prudentia plurimorum egit animantium: ibiq; præterea & erudiri elephantes, & intelligere, & regem adorare condiscere, dubio procul affirmauit, & antè in sexto libro nescio quomodo suibus feris discursum, non etiam tacitus concesserit, cùm scripsit eos præparare cutem crassissimam, & indurare attritu arborum, ad futuram pugnam, & sæpè etiam obducto luto & resiccato tergus inuictum contra ictus efficere. Adde quod in ipso nono libro etiam prodidit Aegyptum Ichneumona vbi aspidem anguem, suum hostem aspexerit, & vocare socios, & limo obducto contra ictus morsusque sese ante pugnæ congressum loricare. Quibus ex rebus liquet auiculis dedisse Aristotelem, & educationem, & imitationem, & disciplinam, & studium: Elephantis etiam eruditionem, intellectum ad orationem, quæ omnia ad rationem prudentiámve pertineant an minimè? iuratissimi eius sectatores per se dijudicent.

Cæterùm videamus, si placet, quid vetusti illi philosophi ante Platonem senserint, quidq; demùm aliæ sectæ etiam post Platonem, & Aristotelem, hac de re censuerint: Sanè vetustiores gentium philosophi negabunt & ipsi consecutionem: vtpote, qui bruta, quæ dicimus animantia, ratione etiam pollere censuerunt, vnde & quæ sit illa rationalis differentia, qua brutum, & qua homo constituitur, non planè illis constitit. Anaxagoras namq; dicit animalia bruta esse rationalia, non occasione, sumpta (vt arbitror) ex quibusdam Sacrarum literarum dictis, quorum secũdo huius Operis libro meminimus, sed eò, quòd actiuam rationem haberent, non autem tanquàm intellectum & mẽtis interpretem. Pythagoras etiam, sed & Plato, vti Plutarchus quinto libro de naturalibus philosophorum placitis affirmat, rationales esse animalium, quæ irrationalia dicuntur, animas decreuerunt, nõ tamen agere rationaliter & ob corporum intemperiem, & quia sunt impotes disserendi. Hoc autem non tollit, quin propterea rationali nomine apud eos sint vocata: quoniam & homines possunt plærisq; de causis, & vsum rationis, & locutionis amittere: Plutarchus ipse librum ædidit probaturus, quod quæ irrationalia dicuntur, vtantur ratione, ipsiusq; libri titulus, περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, & inter Scepticos fuit, qui affirmârit non solùm ratione vti bellua, sed & cani etiam naturalẽ dialecticæ discursum ascripserit, vt secundò libro monstrauimus: à quo visum non omnino abhorruisse Ambrosium diximus, sed scitè magis, & moderatè ea ipsa de re fuisse locutum in sexto hexameron libro. Scepticæ autem sectæ philosophi omnes, dubitant de hominis definitione sicuti, & de reliquis omnibus. Nouæ Academiæ mediæq; philosophi, ita & hanc hominis definitionem sicuti & cætera tollunt: Socrates apud Platonem fatetur se illam ignorare, & nescire se quid sit homo, planè testatur, hæsit in vestigio Democritus. Adauxerunt alij dubitationem oraculo Pythio commoniti. Dicearchus discipulus Aristotelis etiam nullam dixit animam, si & Cicero, & Sextus philosophus vera prodidit, vnde & rationalem sustulit differentiam. Empedocles nõ solùm brutis, vt alij veteres, sed etiam plantis tribuit rationem; Vnde & illud eius carmen: πάντ' αἴσθι φρόνησιν ἔχειν, καὶ νώματος αἶσαν. Prudentiam videlicet, & intellectus partem illis ascribens. Nec euariauit longè Diogenes, intellectibili parte stirpes participare non dubitans. Hebræum quoq; Philonem non præteream affirmantem omnibus animalibus inesse rationem. Colligi itaq; potest amplissimè incertam nõ solùm esse de homine definitionem apud nouos Academicos, qui omnia sustule-

ſuſtulerunt,& apud Pyrrhonios, Scepticóſve, qui de omnibus ambigui fuerunt, & omnes impugnârunt: Et apud Socratem, atq; Democritum ancipites,& animi dubios, atq; apud veteres philoſophos qui rationem brutis communicauerunt, & ad plantas vſq; deſcenderunt: & apud Porphyrium brutis rationem tribuentem, & ſecundũ magis & minus differre ea ab hominibus contendentem, ſed apud ipſum quoq; Platonem,& Ariſtotelem, quando hic id, quod eſt rationale alijs ſupra hominem, ille & ſupra hominem,& ſub homine etiam collocauerit. Nec hoc ſatis, quandoquidẽ antiquos vidimus Theologos, qui ſatyros ad rationis vſum & religionem admiſerũt, & Angelos animalia rationalia exiſtimârunt,& nouos inſpeximus, decernentes nec animal rationale genus eſſe hominis, nec id quod mortale dicitur, eius differentiã haberi, nec quod alij fecêre additamentum ipſi mortali, hoc eſt, ſcientiæ & diſciplinæ ſuſceptile, ſatis eſſe, cùm brutis etiam prudentia,& quod magis eſt plantis à pleriſque philoſophorum aſcribatur: Et non prudentiam modò, ſed religionem etiam ſatyris, & Antonius, & Hieronymus conceſſerint. Quare fruſtrà videtur additum à quibuſdã Græcis, hominis definitioni, νȣ̃ κ̀ ἐπιςήμης δεκτικὸν, hoc eſt, intellectus & ſcientię ſuſceptile, quoniam & intellectum,& ſcientiam ſuſciperent, ſi ratione vterentur.

Quare nihil egerunt qui eam particulam addiderunt, vt fabulis anſam nõ relinquerent, nymphas celebrantibus, quarum etiam mẽtionem ab Ariſtotele factam 2. libro narrauimus, teſtimonio Seruij, qui libros Ariſtotelis aliquos potuit videre, eorũ qui perierunt, in quibus de nymphis ſermo haberetur, potuit & eos aliquis Græcorum Peripateticorum legiſſe. Certè Ioſephus Rhacendites ſcripſit ſubditam & annexam eam particulam definitioni hominis propter id quod νύμφας μακραίωνας εἶναι μυθεύονται ζῶα λογικὰ, κ̀ μακρόβια, ὅμως μέντοι θνητὰ ἐκ φύσεως ἀλλ' οὐκ ἐκ μαθήσεως γινώσκοντα τȣ̀ς τεχνικȣ̀ς λόγȣς, hoc eſt, nymphas longæuas eſſe fabulantur animalia rationalia,& viuacia, nihilominus mortalia ex natura, non ex diſciplina artificiales cognoſcentia ſermones. Nihil, inquam, egerunt, cùm non ſolùm ipſe ſatyrus locutus ſit,& legatione vt loqueretur fungebatur, nec ex ſua natura, ſed ex auditu, Chriſti cognouerat aduentum: Sed & animalia quæ irrationalia putantur, ratione pollere multi philoſophorum dixêre, omnes autem nouêre artificio ſermonis humani, humanas ab illis voces reddi,& humanè etiam quoad attinet ad eorum naturam, diſciplinæ particeps fieri. Et diſciplinæ quoq; capaces eſſe aliquis animãtes & ſtudio etiam imitatrices ex Ariſtotelis doctrina probauimus, quod ſi definitioni addi amplius quidã putent, vel in id incidunt incommodum, vt cũ definito poſteà non conuertatur ipſa definitio, vel cantilenam ex breui ſermone conficiunt, vel à definitione ad deſcriptionem delabuntur, ſi quę propria, ſcilicet illi dicuntur adſciuerint. Demumq; non effugiunt, quin ipſę proprię affectiones, quę nuncupantur, ei etiã aptentur animali, cui differentia cõſtitutrix, aut quę vice illius deſumpta eſt, prius aptabatur. Nam etſi cuipiam competere id quod rationale dicitur, affirmauerint, eidem illicò & ridendi aptitudine facultatemque, ſeruata proportione condonauerint. Quare illud conſtanter colligamus hominis definitionem apud philoſophos gentium certam non haberi, ex quo perſpici datur, quam ſcire nequeant rerum aliarum definitiones, cùm noſtram propriam,& intimã, imò noſipſos, id eſt, cùm quid ipſi ſumus, exactè neſciuerint. Nec ſcire etiam queant trita illa generis,& differẽtiæ regula vſi,& Ariſtoteleo nixi dogmate, illo in octauo primæ philoſophiæ, quo voluit hominem non eſſe idem quod animal bipes, ſed aliquid præter hæc, quoniã hęc ſeſe habent vti materia reſpectu formæ totius, quib. ſatis aperitur illa oratione ex Ariſtotelis ſententia, non poſſe verè definiri: ſublata verò definitione, demonſtrationem tolli,& ipſe admittit Ariſtoteles, & ratio conuincit.

CAP. IX.

QVO MODO POSSIT HOMO VNO VERBO GRAECO ultimam differentiam exprimente definiri.




VT autem non solùm impugnare & demoliri definitionem, & nõ aliquid aut veri aut saltem verisimilis, de ea prȩsertim quæ hominis est, afferre videamur, illud probabiliter dictum volo. Si duo Latina nomina ita in vnũ conflare possem, vt vnum quod propriè neutrum illorum esset dissultaret vocabulũ, quemadmodũ Græca voce nominum compositioni maximè accommoda, me facere posse non diffido hominis definitionẽ vna differentia, quæ sit λογονοητική, auderẽ tradere, quæ & rẽ complecteretur ipsam, & excluderet alias. Duæ enim sunt supra sensum in cognitionis genere differentiæ: altera rationalis, quæ à Græcis vocata est λογική: altera intellectrix ab illis νοητική nuncupata. In vtraque verò gradus plurimi, & ita sese iungũt, vt quod supremum in imo sit genere, imum sit in eo quod est supremum. Homo itaque, in hoc, quasi meditullio constitutus, vnde & vinculum supremæ infimæq; naturæ nuncupationem obtinuit, vt qui colliminio quodã nectat vtranque, sub se multos habet cognitionis gradus, habet & supra se multos. Animalia etenim diuersi generis ad hominis cognitionẽ quantò magis accedũt, tantò magis cognitione discursuq; quodam rationis participare dicuntur: quantoq; recedunt magis, ad plantarũ stirpiúmve stupidam conditionẽ propinquant, eiusq; naturã sapiunt, vnde illis nomẽ fecit Aristoteles Zoophyta, quasi dixeris animalistirpia, vt quæ confinium tenerent vtriusq; naturæ. Sic de singulis generibus quæ superioris, & inferioris gradus vinculum haberentur, pari proportione conflari, & coalescere vnum ex duobus posset. Quæ verò infra hominẽ sunt animãtia, ea verè dici rationalia nequeunt, vt prisci putabãt, quando id proprium est hominis, qui summũ obtinet in imis locũ, cui propriè, & exactè ratio vniuersalis competitur, alijs de longinquo, tantoq; minus, quò longiùs in cognoscendo distãt ab homine: Vnde alia penè stupida, alia sensatoria, alia cuiusdam capacia, disciplinȩ, & prudẽtiæ quandoq; nomine donata, siue id ad naturæ referatur instinctũ, siue vt alijs placuit magis, ad quoddã consiliũ, eorum quȩ sunt ad finẽ copulatione memoriȩ, vnde inquiunt ex hoc magis, quàm ex illo aceruo, formica surripit granũ, & in hac potiùs, quã in illa scrobe reponit, collatu quodam vsa licet paruo, nec perfecto, sicuti etiam parum experimẽtis nititur, quibus ipsa animantia parum pollent, quo factum vt etiam à Theologis quibusdam ratione prudentiáve particula pollere quoquo modo illa, non sit negatum. Sed homo prȩter hȩc vniuersali etiam ratione præditus est, quatenus princeps, & in summo collocatus gradu naturæ inferioris, quatenus verò in imo iacet superioris naturæ, & intellectilis est, & eius forma, id est, anima intellectrix, siue intellectiua nuncupatur. Quandoquidem substantia rationalis siue intellectiuæ animæ, & est, meritoq; habetur verè ac per se humani corporis forma, quod non solùm ratione probatum, sed nostrȩ Catholicȩ ecclesiæ lege sancitum est.

Cæterùm quandoq; ipsa anima rationalis, quandoq; intellectualis, quandoq; ratio, quandoq; mens appellatur, quandoq; simul vtroq; cẽsetur nomine. Vnde illa Augustini nostri verba, mentem, qua rationalis est anima hominis: Vnde illa Leonis, siue animam, siue mentem rationabilem. Mihi autem videtur potiùs rationale animal hominem, quàm intellectuale aut mentale in antiquorum definitione vocatũ, quoniam rationalis illi magis propriè munus congruit, quàm intellectus & mentis, quod diligenter etiam explicat Thomas secundo in sentẽtias Theologicas commentario, propriè, inquam, magis rationis illi congruit munus, hoc est, ratiocinari atq; discurrere magis, quàm rei substantiam vnico intuitu comprehẽdere, tametsi etiam eo munere prorsus omninoq; non sit suapte natura destitutus. Propria itaq; illi est ratio, quã pleno iure possidet, propria eius natura intellectilis, sed ordine infimo, quando spiritibus à materia seiunctis magis est propria, & inter eos, qui summũ obtinent locum, maximè pollent intellectu. Anima itaq; hominis eademq; forma à qua differẽtia trahi debet, & rationalis est, & intellectrix, & vtraq; appellatione iure vocatur, pleniùs tamen & exactiùs pollere dicitur ratione. Duȩ autẽ hæ in ipsa anima non sunt differentiȩ, sed vna prorsus, à qua duæ illæ proprietates, ratiocinãdi videlicet & intelligẽdi manant.

nant. Quapropter vno nomine significari illam oporteret, quæ rationis & intellectus officium subindicaret. Sed cùm nullum tale conficere nomẽ quod satisfaciat, adhuc potuerim, hoc Græcum ex duobus videlicet vocabulum conflaui λογονοητικὴ: Qua differentia tanquã propria omnes aliæ superiores includantur, & ab omnibus reb. quæ non sunt, homo dirimatur. Nam per vniuersalem rationem ab omnibus brutorum generibus dirimitur, per rationem ipsam intellectu iunctam dirimitur ab angelis, qui suapte natura discursu rationis non egent. Quæ omnia verbo illo vno differentiã exprimente significantur, quæ superiores includit, & cum homine planè atq; simpliciter conuertitur reciprocaturque, nec maioris omnino est ambitus, nec minoris. Sed reuertamur ad ipsam in communi definitionem, ostendamusq; illam ex Aristoteleo dogmate nequire comprehendi.

CAP. X.

QVOD ETIAMSI POSSIT HABERI DEFINITIO, NON TAMEN ex regulis ab Aristotele positis, ibiq; multa de modo intelligendi non protrita, sed rara ponuntur.


SEd esto vt possit haberi definitio, Aristotelis tamen regulis eam haberi non posse clarissimè conuincatur, non propterea solùm, quod sit ipsa per se inuentu difficilis, eo ipso & Themistio Paraphraste authoribus in opere de anima, nec quòd solius substantiæ sit definitio propriè dicta, aliorũ verò ex additione, vt ipse voluit in septimo Primę Philosophię: nec quòd ipsius esse rei explicatrix oratio definitio sit, vt scripsit in Topicis, oratio verò partes habeat, definitio non habeat, si vltima videlicet differentia tantummodo finiendum sit: nec quoniam ipse innuat, & expositores explicent, præcipueq; Philoponus in cõmentario in postremum Analyticum volumen, definitionem alicuius nec posse demonstrari, nec inductione colligi, nec sensu decerni. Non inquam propterea solùm, sed eodem ex fundamento quo sumus prius vsi, vacillantis videlicet mutabundique sensus imbecillitate, qua propter non huius, aut illius, sed in vniuersum definitionem minimè, posse exactè comprehendi monstrare conabimur. Etenim sensus ipse quo semper vtitur Aristoteles tanquàm cæcus baculo, ad essentiam rei pertingere nõ potest, ipsomet etiã authore, si quidem solis immoratur accidẽtibus: & eius primo libro de Anima sententia est, accidẽtia conferre nobis magna ex parte ad cognoscendum quid sit res: Magna enim ex parte, & conferre, verbis est vsus, vt indicaret, nec omnino id fieri, nec posse certò colligi, sed ad id conferre, quid autem hoc aliud quàm coniectari? at vbi coniectura ibi ne certitudo? coniectatur igitur ex accidentibus substantiã, eoq; magis, quod ille vsus est his verbis, συμβεβηκότα συμβάλλεται, hoc est, accidentia cõferunt, siue adiuuant, videlicet ad coniectandum: Ac sanè ex pluribus accidentibus conijci, non certò sciri substantia potest, ipso etiam confirmante, & intellectus, & mẽtis esse partes, essentiam rei substantiámve cognoscere. Differentiam verò ad substãtiam non solùm pertinere, sed ipsam in sese, & constituere, & secernere ab alijs, clarũ est omnibus, qui vel Porphyrij vestibula sint ingressi, vel vnam in Lyceo cum Aristotele deambulatiũculam fecerint. At cùm ipse, vt ex primo de Anima libro conspicuũ est, doceat ex accidentibus definitiones inuestigare, & cùm sensus non prætergrediatur accidentia, nec substantialis rei differẽtia possit sensu cognosci, cùm id sit proprium intellectus officium, cumq; nihil sit in intellectu, ita eo ipso volente, & decernente, quin prius fuerit in sensu, clarè conuincitur eum, qui Aristoteleo dogmate, & regulis nixus fuerit, nullam habere certam & penitùs exactam definitionem posse, & quod est sequens, nihil posse ex ipsius arte perfectè demonstrare: quod si quis dixerit substantiam, ab intellectu cognosci specie ipsa substantiæ, non accidentis: nam qui accidentis cognosci specie substantiam censent, dare manus hisce rationibus & testimonijs, nec vllo pacto reluctari iurè debent: qui non specie ipsa substantiæ substantiam cognosci volunt, quoniam, authore Aristotele, substantia prior est cognitione, porrigere herbam minimè volent. At quicunq; sint (quanquam alioqui docti homines) primum videant, an ita Aristotelicè loquantur, vt Aristotelici queant haberi? quod tamen minimè videntur cupere: posteà an Thomę quorum se profitentur

sectatores omnino consentiant? is enim substantiam ideò dictam cognitione priorem docet, primo contra Gentes libro, quod ponatur in definitione accidentis, non quod substantia prius accidēte cognoscatur: alioqui etiam ipse antea præcluserat errori aditum, cùm scripsit eodem ipso libro, intellectus nostri secundum modum præsentis vitę, cognitionem à sensu incipere. Neque enim illis consensit Thomas, qui aut innatas species, aut inchoatas, & tanquàm vmbratilibus lineis designatas, in anima voluerunt esse, sed à sensu naturalem omnem notitiam ducere originem voluit, & ita voluisse Aristotelem existimauit: atq; ideò ea quæ in sensu non cadunt, non posse humano intellectu capi, nisi quatenus ex sensibus eorum cognitio colligitur. Super secundo quoq; Metaphysicæ, & tertio item commentario de Anima, substantiam docet à nobis intelligi posse, quoad esse, non quo ad essentiam: hæc Thomas. Sed de Aristotele de quo nobis est instituta disputatio, disseramus.

Nam præter ea, quæ duximus in medium ab eo sumpta, sexto Metaphysicorum inter initia libri, docet à sensibus exordiendum, atque ita procedendum. Ita & septimo eiusdem operis, vt mittam quæ in primo naturalis auscultationis sanxit, quo in loco Auerrois particula quarta, ab accidentibus vniuersalibus notitiam nostram ortum habere decernit. Idem septimo Metaphysicorum particula decima, docuit hunc processum haberi doctrinæ omnibus in scientijs, præterquàm in Mathematicis, & sexto ipsius operis, substantias sciri non posse, nisi ex accidentibus affirmat. Quod si videri dixerint ex Aristotele vno in loco haberi contrarium huius sententiæ, hoc est, substātiam cognitione priorem accidente dici, & quo ad finitionem accidentis claudentis substantiam se Thomam non sequi, tùm discant, quoad naturam ipsam & perfectionem, & dignitatem rei, non quoad nos primatum illum referendum esse. Alioquin sibi ipsi aduersum Aristotelem fateri illos oportet, quod tamen nisi torti libenter non facerent. Quare si repugnare ipso in authore loca locis videantur, consentaneum est multa vno plus posse, eoque maximè vbi ex re propositaque afferuntur materia. Illud verò quod nunc est in controuersia in Metaphysicis non in libris de Anima prodidit: vbi non de modo cognitionis nostræ, sed de rei ipsius in sese natura disserebat. Nec distinctio illa simplicis & discursatricis notitiæ quicquam illis suffragata fuerit: nam vbique Aristoteles sensum præmittit, & accersit accidentia, ac nisi vererer vt se defraudatos expostularent, & causarentur me ex Lyceo in templi adyta diuertere, afferrem, quæ nonnulli solent de accidentibus in sacramento altaris. Ibi enim panis non est substantia, mouetur tamen & sensus, & deinde intellectus accidentium informatur specie. Nec alicuius est momenti responsio, qua dicunt phantasma prodire ex accidentibus, promique postea de phantasmate substantiæ species, eius virtute panis substantiæ, quæ præfuit: nam quod desijt esse, iam non est, quod autem non est, quicquam non potest efficere, quare illius panis qui olim fuit, mox non est, virtute, promi quicquam iure nequit dici, sed libet aliquid afferre quod alij fortè hac in re non attulêre. Quærerem ego ab eis de ipsa specie substantiæ, primùm quæstionem illam absoluerent, quid per speciem sit capiendum, cùm alij speciem in rebus compositis ex materia & forma, rem vniuersim non particulatim acceptam velint intelligi, & formā simul, & materiam in communi sumptam significari. Alij solam formam, atque hanc dicunt essentiam rei, & id quod ab Aristotele significatur, per id quod est esse rei, vti voluit Themistius, Philoponus, alij. Secus autem plęriq; vti diximus, inter quos Thomas arbitratus per essentiam rei, notari id quod clauditur definitione, & in rebus naturalibus tàm materiam, quàm formam essentiæ nomine insinuari audienti, sed in communi tantùm, sequestratis videlicet principijs, vt Neoterici dicunt indiuiduantibus: qua de re in nostris in tertium de Anima commentarijs non nihil disputauimus. Hoc inquam primùm discuti vellem, atq; decerni, quoniam inde, quid primò & directè, quid postea & reflexè imprimatur, in intellectum satis posset indagari.

Vnde etiam quæstio de propria sui cognitione, an per suam, an per alienam speciē se ipse percipiat, satis posset excitari? in qua decernenda, & Albertus, & alij dissensêre. Deinde vbínam primò recepta ipsa qualiscūq; habeatur species, ad cognitionem fuerit? in sensúne? an in intellectu? an potiùs in vtroque? Si primum sequetur id Aristoteli aduersum, à sensu substantiam cognosci, & quo ad hoc attinet, sensus & intellectus interstitium confunderetur. Si secundum, iterum id erit contra Aristotelem in Ana-

in Analyticis decernētem, nihil fuisse in intellectu, quin prius fuerit in sensu, siue simplex ea notitia, siue discurrens, siue confusa dicatur: eoq; maximè argumento confirmatur, quo decreuit eos qui carerent vno sensu ab ortu naturæ, carituros etiam illarum notitia rerum, quæ ad illum sensum pertinuissent, & multò quoq; magis cùm affirmauit in tertio de Anima libro eos, qui sensu carerēt, addiscere & intelligere quicquam omnino non posse. Prima itaq; cognitio sensilis est, & quod est sequens accidentis, quoad pertinet ad originem, quoad verò ad perfectionem, substantiæ prima est in sese atq; nobilior cognitio, non autem primò nobis hausta adeò, vt nōnulli voluerint eam hac in vita ab hominibus non posse cognosci sine discursu, alij nullo modo perfectè, propterea quod inter similitudinem, & rem cuius est similitudo quiddā intercidat, vt discurrere sit opus, nec iudicium similitudinis perfectum fieri queat, re antea per sese ipsa non cognita: videriq; hoc facilè potest ab vno quoq;, cui aliquod per sensum vnum nūciatum duntaxat fuerit, & per alium fiat cum imaginatione propensio: nam si per auditum tantum fuerit menti quidpiam insinuatum, alio modo, alij sensus arbitrātur: nam quoniam, qui intelligit phantasmata speculatur, simulachrū sibi statim affingit animo, rei per aures acceptæ, & cùm ipsam postea rem auditam, visu percipit, sæpè se deceptum animaduertit à semet, qui videlicet aliam sibi affinxerit imaginem, & diuersam ab ea, quæ postea illi per visum imprimitur. Sed & visu etiam ipso quandoque hoc, quandoque illo hauritur modo, res per suam imaginem, vt iudicium aliquod per discursum fieri opus sit, ad internoscendum, verè non verè hausta fuerit? & quod est sequens ipsáne imago sit rei, ab ipsa re deprompta? an vaga & desultoria, nulloque rei stabilis nixa fundamento? quod si hoc perspicitur omni in cognitione rerum infimarum, & sub sensibus positarum, quantò magis in earum perceptione, quæ & sensus propriè non percipit, & etiam quæ sensus omnes exuperant? tum enim ab ipsa re intellectili magis omnino distat imaginatio, quàm ab imaginatione sensus, & sua à re ipsa distat imago: quo circa nec superæ, nec mediæ, nec imæ res deprehendentur, eo quo multi existimant modo: illæ propterea quod nulla propria imagine patefiunt, incorporeæ prorsus, & ab omni materia, & materiæ conditione seiunctæ: mediæ verò, quoniam quod vno capitur sensu, coniectatur homo per alium ex afformata apud se imagine, non à re propriè deprompta. Hæ autem quia quod capitur etiam imagine aëre deprompta, non potest per imaginem ipsam apertè dignosci, nisi res dignoscatur per se, & à sua imagine prorsus abiuncta: quod suprà fieri non posse, monstrauimus.

Huc illud etiam Augustini quod discutit in secundo Soliloquiorum de veri falsiq; cognitione, ex simili, & dissimili, potuit facilè pertinuisse: huc & cognitio per species minus, & magis vniuersales referri, etiam non difficulter potest: huc & difficultas percipiendi aliena cogitata, etiam si sensibus nostris, etiam si menti insinuentur. Nam si eadem quæ illi qui nos docent, caperemus animo, easdem nobis imagines facilè afformaremus, aut omnino similes, & nihilominus non solùm perfectius, & imperfectius, sed remotissimè etiam quandoq; contingit illas, hauriri, & diuersissimas à re ipsa, cui percipiendæ plus minus alij propinquant, ijque ijdem ad semet relati sæpenumerò variè: namq; ex varia rei ipsius cōditione, ex varia ætate, ex temporum, anni varietate multa, ex vario & identidem permutato corporis temperamēto, ex diuerso assuetudinis fundamento, ex actionibus animi varijs, nullus eam fortassis exactè percepit, & maximè si rectè Nicolaus Cusa in dialogo de Genesi decernit, aliquid essentiæ siue (vt verbo eius vtar) quidditatis, neq; in toto, neque in parte posse ab homine attingi, quoniam (vt eius iterum vtar sermone) ars essendi in omnibus, quæ sunt explicata, nequeat concipi, nisi à Deo, & in tertio Idiotæ libro qui etiam Dialogo compositus est, vbi & Idiota, & orator, & philosophus de mente disputat, affirmat præcisionem (liceat mihi etiā eius vti vocabulis) quidditatis per nos esse inattingibilem, præterquàm in ænygmate & figura, & posset id confirmari ex Auerroë in tertio commētario de Cœlo, & Petro Aureolo ex mente Aristotelis decernentibus, quod lunæ figura aliter apparet concipiturque nobis quàm sit re ipsa. Nec illorum satis responsio facit, quæ in rei phansmata rd refert, namq; & si phantasma sæpenumerò à re ipsa trahitur & repræsentat rem, ab rei tamen apparentia potest etiam trahi, vt in ipsa figura lunari spectanda, in alijsq; multis comprehēdi potest, de quibus ars optice facultatis

dogmata præſcribit. Hinc etiam ad intellectum apparentia ipſa rei,pro re ſæpenumerò tranſit.Error enim in intelligendo varius poteſt obrepere, primùm inter percipiẽdum ſenſibus extrarijs, non rem ipſam, ſed rei imaginem ſimilitudinémve, aut ſimulachrum,diximus etiam paulò antè euenire, vt rei apparentia pro re ipſa deſumatur. Deinde maior multò poteſt obuenire lapſus in ea percipienda, cùm non per propriam videlicet imaginem,ſed per alienam capitur in phãtaſmatibus, vice ſpeculi repræſentatam. Subinde ſenſus interiores quoquo modo poſſunt eludi,ſi quidem quę hauſimus ſenſibus exterioribus,de ipſa rei imagine puta hominis,& quæ de affectione ipſa ſenſuum,puta cùm calorem,non ignem,aut ardẽtem ferrum capimus animo, hæc ipſa ſenſus exterior nunciat quandoq; ſenſibus intrinſecùs poſitis, quandoque non ea ipſa nunciat, ſed earum ſimilitudines, non ſemper ea, à quibus promuntur exactè repręſentantes,quas quidem ſimilitudines vel iam concepimus,& ſępenumerò variè,pro varia vel ætate,vel anni temporum,quibus variè varijs afficiuntur organa ſenſuum,vel de illis ipſis tùm primum nobis quoquo modo afformamus; quandoq; item, quæ nec de imagine propria hauſimus,hæc poſſumus imaginari,alio & alio modo, pro varijs varieq; deductis imaginibus, diuerſaque perceptione diuerſis. Fieri quoque poteſt vti memoria, quod hauſimus, oculis retineamus & lineamenta illius, & colores, in imaginaria poteſtate præſententur. Fieri etiam poteſt vt obliuioni mandetur,& præſertim cùm ex ipſa imagine rem animo concepimus,atq; huc pertinere facilè poteſt,quod ſcribitur in epiſtola S.Iacobi,eũ videlicet *qui faciẽ* (πρόσωπον) *ſuæ natiuitatis in ſpeculo conſiderauit,& abijt,oblitum eſſe continuò qualis eſſet.* Ad hæc & diuerſo modo imaginamur,quæ vidimus diuerſo,quę non vidimus,ſed aliorum verbis percepimus. Vnde & noſter Auguſtinus in duodecimo ſuper Geneſim,aliter inquit cogitamus Carthaginem, quam nouimus, aliter Alexandriam,quam non nouimus, illudque veræ hoc fictæ imagini tribuit duobusque modis omnium inexpertorum nomina cognoſci anteà docuerat, in octauo eiuſdem operis libro, aut ex contrarijs ſi priuationum,aut ex ſimilitudine ſi ſpecierum eſſent nomina.In octauo quoque de Trinitate dum docet in noſtra,quam de domino Ieſu Chriſto habemus, fide illud non eſſe ſalubre,quod ſibi animus fingit,ſed illud, quod ſecundùm ſpeciem de homine cogitamus,eiuſdem etiam rei cognitæ,& non cognitæ poſteà meminit, ſub eodem exemplo Carthaginis quam viderat, & memoria retinuerat, & Alexandriæ, quam non viderat,ſed eius imaginem ex aliorum narratione animo finxerat. Sed ſanè vtcunq; ſtatueris,ſæpenumerò quod extrà eſt, intrinſecùs inſyncerè hauriri facilè poteſt: nam vt ſpeculum, colore aliquo infectum vel diuersè collocatum,rem aliter, quàm eſt,præſentat oculo,ita phantaſma ſpeculi vice functum,humore aliquo vel figura cæteris præponderante, vel alicuius cogniti detractione, vel immutatione,vel occurſu,& adiectione cuiuſpiam alterius, non antea cogniti, rem variare facilè poteſt in præſentando, multoq; magis ſi non quæ hauſit extrinſecùs, ſed quæ ex vno in aliud demigrãs fabrefecit,ſiue ex plurib.cõflauit,ſiue finxit,id ipſum obtulerit, ſed ijs omiſſis, Quæro ego, de prima receptione, quæcunq; illa aut ſit,aut habeatur,ſiue in ſenſu, ſiue in intellectu,ſiue in vtroq;.Si hoc tertium dicent ordo cognitionis ab ipſo traditus Ariſtotele peruertitur. Primas enim tradidit ſenſui, & tertio de Anima libro indagaturus intellectus eſſentiam & proprietates,& officia, ſentiendi muneribus vtitur:Atq; ita ex ſenſu & ſentiẽdi officijs,& intellectum,& eius munia veſtigat. Quod ſi tandẽ multis preſſi anguſtijs ſeſe ad ſenſum contulerint,qui intellectui ſubminiſtret ſubſtantiæ cognitionẽ,ita vt quemadmodum nonnullis placuit,ſubſtantię ſpecies in ſenſu ſit,accidentis inuoluta ſpecie,euolui autem illam ab intellectu atq; ſuffodi: Tũ contrà ſtabunt alij regerent illud,immutari intellectum accidentibus, ammota ſubſtantia,miraculo diuinæ poteſtatis:quare eius abſentiam naturaliter poſſe cognoſci, ſi id verum eſſet,quando etiam viſus luce affectus,mox ea priuatus tenebras percipit, à quib.non afficitur,quod prodidit Ariſtoteles ſecundo libro de Anima. Quo authore eos aliter vrgẽdos puto,quoniam eius lege cautum eſt, ne ſenſus prætergrediatur accidentia,ne vllo pacto limites attingat intraneos ſubſtantiæ. Vnde igitur in intellectu ſubſtantię ipſius imago,ſpectrũ,ſimulachrum,ſpecies inciderit? Inquient fortaſſe repręſentari id animo ex lumine intellectus agẽtis. Quærã an vnà cum phantaſmate? Si negauerint, dabitur ad Ariſtotelẽ prouocatio, qui nihil habet in libris de Anima firmius,

firmius,atq; constantius,quàm vt anima intelligens phantasmata speculetur,nec aliter fieri posse decernit.Itaq; si phātasmata dederint,& sensum illicò primum dari necesse est, si recipiunt Aristotelis de Phantasia difinitionem longè celebratā, vt sit motus factus,à sensu secundùm actum, phantasma verò illud siue imago, depromi à re ipsa,cuius imago necesse est,si vera velit haberi: at sensus nequit rem ipsam cognoscere, nec item ab intellectu res præcipuè sensilis cognoscitur sine sensus adminiculo. Relinquitur ergo velint,nolint,nisi Aristotelem deserere voluerint, vt recidāt ad sensum,cuius, vti diximus,partes accidentibus, non rei immorari. Verùm si etiam concederetur substantiæ speciem posse sensui cognitam esse adeò,vt inde queat ipsam sibi intellectus assumere ad speculandum,restat adhuc nodus Gordiano illo fortè perplexior, & hoc astrictus loco, quod si ita sit, necesse etiam sit, vt diuersum quiddam capiat intellectus,ab eo quod sibi pręsentauit,non inquam diuersum quoad pertinet ad modum capiendi recipiendíve,sed quantum pertinet ad rem obiectam, quæ talis nō accipitur,qualem sibi ille affingit,vtpote qui addat ipsi rei cognitæ, sicut aliam faciat,quantum pertinet ad agentem,& alia quàm fuerat suscipiatur, ab ipso intellectu potestatis. Quod si dixerint speciem accidentis illustratam lumine intellectus agentis repræsentare in intellectu potestatis siue possibilis, intellectibilem substantiæ speciem, tanquàm effectus causam: sequitur illud absurdum, effectum non æquatum causæ, illam ipsam æquæ, & propriæ imaginis vice referre: neque enim accidens vnum, nec multa simul accidentia sensibus hausta, etiam si multa simul possent vno conceptu percipi,æquare valerent substantiam,aut eius essentiæ differētiam, aut primam,& propriam affectionem.Multoq; minus id Thomæ queunt sectatores contendere,apud quem habetur pro constanti,omnem cognitionē per modum similitudinis fieri,atq; intellectum humanum indigere specie intellectili propria & coæquata: Nec alio ipse fundamento libentiùs vtitur ad improbandam opinionem Auēpaces, tertio contra gentes volumine: & toto postea decursu capitis vndequinquagesimi id obseruat,cùm de cognitione causæ per effectum agit: fundamento,inquam, dissimilis cognitionis,& effectus minimè causam æquantis,hoc est, eius totam virtutem nō exprimentis.Sed & capite quoque sexto supra quinquagesimum docet apertissimè, nisi notione sensilium accidentium,non perueniri ad intellectum substantiæ: Secus autem in doctrinis Mathematicis euenire.Præterea verò sequeretur illud absurdum, quod cognitio causæ per effectum non simplex apprehēsio, sed composita & discursatrix haberetur, qualem non admittunt in primo intellectus officio: quod si cum Thoma dixerint angelicos intellectus vnum post aliud intelligere,non tamen discurrere: Cum Thoma etiam in calce secundi contra gentes voluminis, discant in eo munere intelligendi ideò non esse successionem,aut motum, quoniam actui, nō autem potentiæ succedit actus. Quare cùm ex effectu deprehendit causam, quodam quasi dixeris itinere(si à nomine discursus abhorres) vt ab effectu ad causam,ita à potestate ad actum exurget.

Sed & alius restat nodus adhuc longè difficilior,& qui Macedonis gladio tantummodò videri queat exsolui,quoniam si specie sui cognosceretur substantia, cognosceretur & differentia,quę in ipso rei integro conceptu clauditur: quam tamen ignorare omnes docti concedunt.Qui verò Thomam eius opinionis fuisse rentur,aduertant accidentiū etiam propria principia ignorari sæpenumerò, eo authore in sermone de ente,& essentia,quapropter inquit sumimus accidētium differentias ex rerum effectibus.Multò igitur magis ignorabitur substantia,quando ad eam per accidentia peruenitur,sed quoniam similitudine rei cognitæ fit cognitio,tàm nulla similitudine substantiæ, quàm nec accidentis cognoscet intellectus, quantum ad perfectionem intellectilis conceptus pertinet.Sed sua natura & modo cognoscet: hoc est, specie vniuersaliori & è materia seiuncta. Ideoque propriè nec substantiæ specie, nec accidentis,à quibus erit extrinsecùs hausta.Quare nec hoc,nec illud erit, sed repræsentabitur quadam quasi negatione.Species itaque intellectilis non erit species substantiæ,quamuis eam repræsentet cōiectura quadam & aliorum abiunctione, sequestrationeque.

Sicuti enim ex cognitione accidentium substantiam coniectatur Aristoteles: quia nec quantitas est verbi causa, nec qualitas, nec relatio, ita substantiæ speciem mente

capi subsignauit, quia nec eius substantiæ sensilis imago, speciésve, nec illius, quare aliud omnino quod illis videlicet substerni accidentibus sit consentaneum, quamuis quid illud propriè sit, non comprehendamus. Sic & Ioannes etiam Gerson in opere cui titulus Centilogium de conceptibus censuit quidditates (vt ipse loquitur) substãtiarum per discursum & resolutionem afformari. Omitto hîc mentionem facere de cognitione quam intuitiuam vocant & abstractiuam Parisienses theologi: Vtrum illa in se ex obiecta re præsenti tantùm? an etiam ex eius ipsius specie propria gignatur? an etiam in supereminenti repræsentatione? & de super intuitiua quoq; (ita nuncupant) cognitione in supereminentissimo lumine. Nec nõ si prima sit intuitiua in nobis? quę hauriat accidentia & experimentalis dici queat in sensu circa res naturales, sicuti in anima circa mores & functiones ipsius, etiam in intellectu circa primorum notitiam principiorum si secunda abstractiua quæ in illa fundetur? cùm non abstrahamus, nisi à cognitis, si tertia discursatrix quæ & syllogistica? dum ex vno abstractiuè cognito, in aliud eiusdem'generis demigramus, ipsumq́; colligimus: Itemq́ue an omnis humana cognitio, vel intueatur, vel abstrahat? an inter eas aliqua media iure collocetur? & an verius alia sit, & alia cognitio ex pręsentia rei obiectę, & absentia diuersum sortita nomen? Nam de cognitione substantiæ, quantum ad præsens attinet negocium satis sit probauisse, eam nec substantię specie, nec accidentis propriè, & exactè fieri: sed & discurrendo & abnegando. Atque mihi etiam consentaneum illud apparet vt hinc videamur congenitum habere principium cognoscendæ per abnegationem primæ substantiæ: quæ omnis substantię fons est & origo, imò causa primaria & eminentissima. Nec abhorrere videri potest hoc ipsum ab Aristotele, qui primam ipsam materiam rerum, proportione quadam non syncerè, & per se, docuit intelligi. Consonum verò videri Timęo Locrensi atq; Platoni, qui notha, vt ipsi volunt, ratione, non legitima & recta cognitione, illam ipsam capi mente docuerunt: & si vim ipsius vocabuli consideremus, nihil significantius, nihil magis quadrans afferre potuerunt. Si enim is nothus dicitur, qui de matre oritur ignobili: materia verò quæ obijcitur animo, in rerum afformanda cognitione patris vicem obtinere, matris vices obibit & munia: eaq́; minimè nobilem promet ex sese progeniem, quoniam non recto, & nudè oblato cõceptu, sed inuoluto & perplexo, vnde animus per abnegationẽ remouẽdo certa, & si non prorsus incerta, attamẽ obscura coniectando, ex ea gignit conceptũ intellectilẽ.

Nec illud officit quod secundo contra Gẽtes libro scribit Thomas dum soluit argumẽta Auerrois de vnitate intellectus potestatis, affirmans speciem intelligibilem, quandoque similitudinem esse rei sensilis quantæ: nam similitudo ipsa rem propriè, vt est, nõ repræsentat, satis est vt ea similitudine in rem, cuius est similitudo, ducamur, vt paulò suprà significauit: Nec ad præsens de Thomæ, sed de Aristotelis opinione ipsius ex doctrina collecta, & ex Timæi Locrensis, & Platonis dogmate confirmata, loquimur: quanquàm etiam Thomæ, ea potest ratione sentẽtia dici, quod in libro dę differentia verbi diuini & humani (si tamen admittunt hunc esse legitimum Thomæ librum & titulum non abradant) cognitionem substantiæ per discursum docuit haberi, & nihilominus definitionem ad simplicem intelligentiam pertinere, & opus eius esse. Illa enim eius verba sunt de operationibus loquens intellectus: nam secundùm operationem suam quæ dicitur indiuisibilium intelligentia, format definitionem, & in opusculi decursu. De prima differentia verbi mentionem habens ait: nam cùm volo concipere rationem lapidis, oportet quod ad ipsum verbum ratiocinando perueniam, & sic est in omnibus alijs quæ à nobis intelliguntur, nisi fortè in primis principijs, quæ cùm sint naturaliter nota, absq; discursu rationis statim intelliguntur, hæc, scilicet, Thomas. Sed vtcunq; sese res habeat, ad experimentalis recidit, authore ipso Thoma in secundo contra Gẽtes, qui cùm vnum non esse omnibus in hominib. agentem intellectum probaret aduersus Alexandrum, Auicennam, & Auerroẽm de specie à phantasinatibus abstracta, deque omni intellectus actione docuit, aliter nos non habuisse cognitionem, nisi eas in nobis experti essemus. Sic & alij ipsas (vt appellant) hecceitates, quoniam experientia vlla intelligendo notæ nõ sunt, in hac mortali vita perfectè cognosci non posse cẽsent, vtpotè quæ nõ cadant sub phantasmate, sine quo frustra laboret mortalis humana cognitio. Ergo si nõ sumus intelligẽdo experti, nihil poterimus decernere, si variè experti, varia erit omnino sentẽtia. Quare cùm aliquis

quis se vno modo, alias alio se dicat intelligere, alius neutro, tot huius erunt litis sententiæ, quot varia hominũ experimenta fuerint. Mihi certè nec specie accidentis propriè, & exactè, quoniam ea propriè non repræsentat substantiam, quia, scilicet, falsa esset imago, nec substantiæ specie, quoniam ea non sese ingerit menti propria videlicet imagine, quia hæc singularis est, quod autem capitur intellectu, fit vniuersale, & alterum exactè non præsentat alterum; sed coniectura potiùs (vt dixi) si sensum & Aristotelem volumus sequi, substantia deprehenditur. Itaque discursu capitur nõ tamen simpliciter, sed per abnegationem quandam, eo, quo suprà docuimus modo, vnde spectrum quoddam ipsius substantiæ in sese, non huius, aut illius in intellectu potestatis imprimitur: nam quî fieri posset, vt cõstaret an verum esset phantasma substantiæ, quoquomodo illustraretur, quoquo modo reciperetur? Namq; iudicium aliquod ex phantasmate fieri nequit, nisi etiam res cuius est simulachrum imagóve cognoscetur. Quomodo autem nisi sensu cognoscetur? cùm phãtasma sit corporeum? & quatenus corporeum repræsentare intima non potest, formamq; præsertim à qua sumitur differentia constitutrix, quo pacto, inquam, noscetur veram esse illius substãtiæ imaginem & speciem? Neque enim si mihi Romæ quispiam monstret speciem, simulachrúmve, sententiam ferre possum ritè, & exactè an verum sit, nisi Romam antè perspexerim, & tàm diu certus non sum, quàm diu ipsius contemplator imaginis, id cuius est imago propriè, & exactè non perspicio, vt fieri tandem possit primæ imaginis, ad id, cuius est imago syncera, & exacta collatio. Dixi primæ, id est, eius, quæ à re ipsa primò depromitur, nam Roma nisi per imaginem videri non potest, neque enim illa ipsa oculos ingreditur, nec etiam ipsa mouet imaginatio, secundùm id quod in re est, si verum scribit Auicenna in libello de viribus cordis: at secundùm id quod in ea repræsentatur. Nec videtur negari posse, & ab imagine, & ab imaginis effigie, tum verè, tum falsò præsentata, posse potestatem sensilem permoueri. Roma enim sua ipsius imagine pupillam ingreditur, & imago etiam Romæ ex materia aliqua fabrefacta, specie quoq; & imagine suscipitur, non ipsamet corpulenta materia, vnde & imago prima rei, & secunda, hoc est, effigies imaginis, in considerationem cadant necesse est, quare primam imaginem Romæ, mente quoquo modo absq; re, cuius est imago conceptam, ipsi rei cuius est imago contuli, & quod allatum est, de vno eoq; eminente inter alios, & propè spiritali admodum sensu, de reliquis multò magis id ipsum patebit, facta non seorsum quod & suprà subindicatum est, sed vnius ad alterum sensum collatione, quando rei cuiuspiã imagine, quam meis auribus hausi, rei ipsius synceram non esse imaginem deprehendo, cum oculis eandem haurio, vtpote qui inueniam longè secus eam mihi afformasse animo ex auditu, quam oculis concepissem, sic, vt inde aliter effingam ipsam animo, & iam conceptam, rei ipsi aliter & componã, & comparem. Iudicio aliorum quibus credam & coniectura mea moueri possum ad iudicandum, vti suprà est in parte declaratum, à me ipso proprioq; iudicio, nisi illud ipsum fiat, vt rem seorsum nouerim, verè nequeo ferre sententiam.

Adstipulari quoque huic nostræ disputationi possunt Stoici Senecæ de cœlesti arcu differentis, pauca illa verba, mendacium esset sine re similitudo. Fuit enim abusq; philosophis Pythagoræis vetustissimis repetita sententia, simile cognosci simili: quãquam physicus Heraclitus maluerit dissimili dissimile, sed Aristot. & plæriq; Platonicorum tametsi id, quod recipit denudatum esse à rei receptæ natura voluerunt, similitudine tamen cognitionem parari non abnuunt, quam quidem similitudinem siue nomen ipsum, siue rem consideres, diuersi diuerso modo expresserunt, alij enim speciem, imaginem alij, siue effigiem, alij seu ideam, seu formam, alij notionem, neoterici etiam intentionem, simulachrum alij, alij spectrum vocauêre, alij ipso similitudinis nomine expressam maluerũt, quoad verò pertinet ad rẽ, alij prorsus esse voluerũt id, quod recipitur cognosciturq; actu, idẽ cũ eo quod prius erat potestate in ipsa potentia cognitrice, ita vt cognitio quantum ad spiritalem essentiam, nihil aliud sit, quàm forma in cognitrice potestate collocata, alij maluerunt actionem esse, quæ intus maneat, à forma illa deriuata, alij verò magis placuit comprehendi formam illam, & tanquam ab ipsa cognitrice potentia contineri. Verùm cùm formam dicimus, nõ ipsam formam quæ sit forinsecùs, volunt intelligere illabentem, & tanquàm in animum transilientem, sed ipsius effigiem formæ, spectrúmve, siue imaginẽ seu mauis simulachrum,

chrum, aut simile quiddam, aut potiùs ipsam similitudinem receptam in animo: Nec Stoici Epicteti monitio illa, non potest huc spectare, rerum imagines, hominum animos, non res ipsas affligere. Certè ex omnibus, quæ diximus, videtur colligi nō posse, intellectum ex sese & primò cognoscere substantiam naturaliter per eius speciem, vt verè scire se noscat ex regulis Aristotelis, & fortè nec alterius philosophi ex gentibus, quanquàm Platonici propter ideas, & inditas, quas ponunt in anima species, quas etiam nonnulli admittunt Peripatetici veteres, Theophrastus, Hammonius & alij, nō tot angustijs premerentur, sed expertes tamen earum prorsus non essent. Peripatetici verò posteriores mirum anguntur in modum, vnde inter ipsos Aristotelis nouitios sectatores tanta diuersitas, diuersis motos dictis: nam alij specie substantiæ, vt diximus, alij accidentia specie, & alij discursu tantū, alij perfectè hac in vita cognosci propriè non posse censuerunt. Illi sanè videntur mihi melius illum intellexisse qui sensibus & coniectura, & rationis discursu vtendum putant: quoniam ille à sensu incipit, & ad sensum se semper confert: at cùm sensus, vti probatum est, sæpè fallatur, & coniectura labet, à nobis non certò satis, aliorum autem iudicio qui verè sciant sciri perfectiùs potest. Vnde fidei pręcellentia supra sensilem cognitionem sese exerit ac multò etiam clarius, & diuina, & supernaturali illustratione cognosci substantia, maioriq; quàm natiua illustratione potest, sed de Theologicis ad præsens irradiationibus non loquimur, sed naturalibus, & ijs de quibus disseruit Aristoteles.

Quibus omnibus colligere possumus paucis, quod longo sumus discursu prosecuti, vt ex regulis Aristoteleis, & modo cognitionis, quem ille tradidit, definitio haberi certa non possit quæ differentia constat vltima, hanc enim si tollas, definitionem sustuleris: Porrò ipsam differētiam sublatam iri oportere deprehenditur Aristoteleo dogmate sensuum vestigijs freto, quib. illa capi non potest, propterea quod accidentibus duntaxat sensus immorantur, nec ad rei essentiam penetrāt, quod si propria sciretur definitio, sciretur vtique propria differentia, & affectio neutiquam ignoraretur: qua nota, & quæ ab ea profluunt paterēt proprietates. Vnde & cur magnes ferrū trahat? vel ad eam illud accedat? & cur trifoliū tribus nō quatuor pollet folijs? & cur serratæ sint tritici aristæ? & cur alia figura salicū frōdes, quàm platani, & eiusmodi cętera, optimè tanquàm ex causa propria noscerentur. Cùm autem ignorētur, vnde, scilicet, propriè signanter exacteq; procedant, ignorari & illa, à quibus procedunt, manifestū est. Quo pacto enim causas effectuum, qua tales habentur noscemus? Si noscere nequimus effectus causarum, quatenus ab ipsis effluant propria, & exacta ratione? Sed ęnim ignorari istiusmodi omnia, consensus philosophorum boni nominis aperuit, & in causa esse docuit rerum ex elementis conflatarū, totius mixtionis ignorata proportio, de qua & forma exurgit, & prodit differentia, & de hac virtus manat propria, tanquàm fluuius è genuino fonte, aliæque subinde suo ordine vires deriuantur, agēte cœlo viuificum lumen atq; calorum, diuersè nihilominus receptum diuerso intēperamento, quod & ambientis aëris conditione, & spatio temporis adeò variatur, vt ipsa etiam rei natura varietur, & ad animum etiam variè afficiendum pertendat: quoniam alia iuuenis, alia senis eiusdem æstimatio, quod & ingeniosus ille poëta visus est non ignorasse cùm cecinit:

Dissimilemq; animum subijt ætate relicta.

Sed recedant fabulæ, & subeat Aristoteles, qui de corporeis functionibus non dissimilia dixit asseuerans, senem si oculum iuuenis acciperet visurum vt iuuenem, quod tamen nescio verum? quia ipsa visio non ab oculo ita pendet, quin & quoquo modo pendeat, à reliquo totius corporis temperamento, à quo & ipsi oculo feruntur ad videndum suppetiæ, variatur sanè spatio temporis natura compositæ rei, quam deprehendere, nisi experimentis non possumus, nec semper eisdem, propter diuersas & loci, & ipsius temporis conditiones varias, & sexcentas deniq; mutationes, tàm rei, cuius experimentum sumitur, quàm eius qui experimento sensus rerum scientiam indagat.

CAP.

CAP. XI.

EX EISDEM FVNDAMENTIS ET ALIIS PLAERISQVE, contra distinctionem demonstrationis, quia & propter quid ab Aristotele positam, & etiam contra eius artem definiendi suprà taxata multa dicuntur.

DAbitur & hinc facilè declarare, quàm vana sit ab eo illa tradita distinctio demonstrationum, quarum altera ab effectu, altera procedat ex causa, quamque ipsi etiam authori demonstrare multa satagenti planè refragetur, & eo maximè, quod illa ipsa demonstratio, quam dixit ex causa procedere, siue vt neoterici dicunt à priori, & cui nomen fecêre propter quid, veram dixit esse demonstrationem, & super eam esse decreuit mirum exaltatam, quæ ab effectu procedit, siue à posteriori (vt Neoterici dicunt) cui contigit appellatio quia. Itaque à priori simpliciter, & absolutè cùm procedit Aristoteles, quæri ab eius nimijs amatoribus posset, quo modo effectum deprehēdit? quo pacto ipsius effectum causæ, quisquis ille fuerit, effectus decernit? Nam si primo à causa procedit ad effectum ni suas deserat regulas, sensibiliter procedere illum omnino necesse est: neque enim principia illa intellectilia, nisi à sensu collegit, cognitis rebus singularibus, quo suprà satis explicuimus. Si sensibiliter, quæro primùm, quo modo priùs causam agnouit? nam si intellectilis est causa, sensili opus fuit in primis, cùm voluerit nos egere sensu, tāquàm pædagogo, quo pacto enim per intellectum causa priusquàm effectus cognoscetur? si nihil in intellectu esse voluit, quod prius nō fuit in sensu, & ab effectu sensus cognitionem trahit. Si sensilis verò causa fuerit, nihilominus eam nisi coniectura non potuit apprehendere, intermedijs videlicet accidentibus, cùm sensus ipse ad rei essentiā non peruadat. Si alterum altero dicas agnouisse, idq; diuersè, confusè primùm, mox & distinctè, circulò reuolueris. Nam si sensu primùm, mox intellectu dicas illum fuisse vsum, quo pacto illud verum fuerit, quod ab eo prolatum est, quod certior est, quæ per causam, quàm quæ per effectum ducitur demonstratio, cùm ad id monstrandum alio non nitatur fundamento quàm sensu? Dices sensus quidem viam priorem esse, intellectus verò certiorem, & digniorem. At negare non potes quin sensui feratur accepta, omnis igitur certitudo pendebit à sensu, qui effectū percipit, ex quo causa cognoscitur. Vnde in secundo libro de cœlo Aristoteles ipse cùm quæsisset, cur non ea quæ distant magis à prima sphera, pauciorib. moueantur motibus, & difficultatē maximā subiunxisset, exiguam cōprehendendi veri facultatē non aliter subsignauit, quā subderet, parum se habere certū vnde exordiretur, quoniam ab effectibus quæ ipsis contingunt remoti essemus. Et in primo de partibus animalium, primùm, inquit, res persequamur, quæ quocunq; in genere cōspectiores promptioresq; habentur, deinde causas reddamus, & generationem. Effectum itaq; cognoscendi tradidit esse initium: at cùm in posterioribus Analyticis hanc posuerit regulam, medium initiumq; probandi certius esse oportere, quā id quod ex illis conficitur. Vnde illa decantata apud sectatores eius, definitionem certiorem, dignitates quoq; propositionibus, propositiones conclusione demonstrata certiores. Deniq; vnumquodq; magis esse tale, quàm id quod propter ipsum est tale, vt ignis est ignito ferro calidior.

Cùm itaq; hæc sese habeant, vt diximus, & cùm ita hæc ipse statuerit, cur non vidit demonstrationem, quæ ex effectu causam deprehendit, certiorem etiam esse oportere illa, qua, ex causa capitur effectus? cùm tota firmitas cognoscendæ causæ pendeat ab effectu, qui & pendet à sensu, à quo dignitates, & communes animi conceptiones corrogat inductione, quæ singularibus vtitur, communitas, & singularia sensu deprehendantur intermedijs accidentibus. Sed sit certior intellectus, & cognitio ea certior, quæ pendet à causa, num Aristoteles ea quæ ab effectu est vtitur semper? cùm à sensibus indagari procurat intellectilia, num & physicum finem subijcit sensui? cùm scribit in tertio de cœlo, effectricis finem scientiæ esse opus, physicæ verò id, quod propriè secundùm sensum appareat, maximeque demonstrandi confecerit artem, vt physicæ scientiæ deseruiret, tùm quod inuentam illam ab Aristotele scribit Philoponus, & tamen ante Aristotelem Mathematicæ scientię, confecta erat facultas demonstrādi, tùm quod inductio, ex qua pariter demōstratio, sensus opē nititur in colligēdis parti-

particularibus,eaq; demonſtrationes geometricas, aut Arithmeticas minimè conſtruit: hoc cùm ita ſit, num illud ex eo ſequetur? ab Ariſtotele nil vnquàm demonſtrari,ſi vera prodidit Alexãder Aphrodiſiæus?Is enim in commentarijs in primum librum Metaphyſicorum prodidit,nullam demonſtrationem procedere à poſterioribus,hoc eſt,effectibus euentisq; rerum ſenſu captatis. Idem eſt author ſcientiã & cognitionem,quę definitionibus habetur,meliorem ea eſſe,quę per demonſtrationem conficitur.Vbi autem ſublatum iri monſtrauimus definitionem, num colligere poſſumus non ſolùm artem Ariſtotelee demonſtrationis eſſe ſublatam,ſed modum pręcipuum cuiuſcunque cognitionis & ſcientiæ humanitùs excogitatæ?Scientię,inquã, non qualiſcunq;: nam multas eſſe ſciendi rationes,& vias quis abnegauerit? ſed eius quam Ariſtoteles imaginatur, quæ certiſſima ſit & exactiſſima,adeò,vt aliter fieri cõtingereque non poſſit, hoc eſt, vt neceſſaria ſic ſit,quod nec putari quicquam ex aduerſo poſſit. Dicturi ad hæc fortaſſis quidam ſunt duo: primum quod non de omnibus demonſtrationibus,quia & propter quid,noſtra in Ariſtotelem argumenta probent,quod probare tentauimus,ſed de ijs tantummodò, quæ aliter nobis, aliter naturæ ſunt nota. Sunt autem quædam, quæ ſimul nobis,ſimul naturæ ſunt cognita, in quibus videlicet ex effectu non procedimus ad cauſam,nec à cauſa remeamus ad effectum, ſed altero cognito cognoſcitur & alterum. Secundum quia ex regreſſu illo, & vt ipſi loquuntur negociatione,acquiritur cauſæ notitia quępiam clarior,& dilucidior,quæ quidem duo ſi reprobauerimus vel nihil,vel certè parum habituri ſunt quo nitantur.Nam nihil tale eſt in rebus quæ ſub obtutum cadunt,quod & nobis ſimul,& naturæ ſit notum,ſi ab Ariſtotele nolunt recedere, apud quem in principijs phyſicis, illud potiſsimum ponitur, innatam eſſe nobis viam à notioribus nobis, ad ea, quæ ſunt ipſi notiora naturæ.Nec mathematica nobis ingeras, cùm quod naturalia ita nõ ſunt,vt etiam diuerſa putentur,diuerſæq; de vtriſq; ſcientiæ conſtituantur, tùm quod ſuper rebus etiam naturalibus,ſi quicquam habent pẽſi, omnino fundãtur, quomodo enim circulum,aut triangulum (verbi cauſa)cognoueris,ni priùs ea delineata fuerint in ſenſili materia. Et numerũ pariter quo pacto animo capies,niſi res numeratas apprehenderis. Quapropter dicuntur abſtrahi à naturalibus rebus,eà quibus Mathematicarum nomen obtigit.Nec illud obſtiterit diuerſas eſſe rationes eorum (vt aiũt) formales,vnde diuerſa quoq; ratio ſpeculandi,quid tùm?nos de fundamento ſenſili, quod eis videlicet præſupponitur,verba facimus.Nec audiendus Auerrois, & ſectatores primo Phyſicorum,& ſecũdo de Anima,particula vigeſima quinta,tertio quoque de Anima particula ſexta octauo etiam phyſicorũ, & in Meteoris, & in opere de ſenſu,cùm non ſolùm in mathematicis, ſed & in naturalibus rebus id euenire docẽt. Nam exemplũ quo videntur freti,de albedine,& eius ſpecie nõ ſatisfacit, quoniã ſpecies eſt in oculo priuſquàm effectus debeat haberi albedinis, ac per eam vti per effectum videtur albedo: vnde fit vt ipſa ſenſus natura in ſe prius habeat, quoquo modo effectum quàm cauſa cognoſcatur. De ipſa enim cauſæ cognitione propriè, non de ſegregatione aut illuminatione quæſtio vertitur, præcurrũtq; etiã cauſę notitiam, effectus illi,id eſt,pupillę quæpiã(vt ita dixerim)dilatatio, & opticorum exhilaratio ſpirituũ, & quod attinet ad illã ſuã negociationẽ nihil certè(vt mihi,vt alijs etiã videtur) lucrãtur.Nec ſi illi rectè ſupputauerint rationesq;,& habiti,& expẽſi ritè ſubduxerint, etiã creditores ſeſe nequibũt oſtẽdere,ordinẽ duntaxat terminorum nacti,quo facilè ex altero in alterum demigrent.Nunquã enim cauſa ſeſe illis patefaciet magis, quàm effectus,ipſius videlicet index aſſiduus,etſi Ariſtot.verè hac in re decreuit, neceſſariꝰ, quod ſi cognita re,q̃ eſt cauſa, & cognita re quę eſt effectꝰ, poſſe à te effectum in cauſam referri dixeris, eædẽ te difficultates circũſtabunt,quas initio capitis huius tetigimus:nã tu ipſas res ſenſu priùs cognoueris,& coniectura deprehenderis,intermedijs accidẽtibus:vnde ſi quicquã demonſtrare volueris, ad effectũ & ſenſus notitiam pro certitudine habenda,niſi ab Ariſtotele deſciſcas,illicò tibi recurrendum fuerit.

Libeat etiam ex alijs Ariſtotelis fundamentis monſtrare vanam eſſe diſtinctionem demonſtrationis ab eo traditæ.Atq; inde colligere,ex eius dogmatis quicquam non poſſe verè,& exactè definiri,quod primo & principe propoſito ꝓbaturos nos ſuperiori capite recepimꝰ,quatuor omnino cauſas per ſe eſſe decreuit Ariſtoteles, materiam,

riam, formam, id vnde principium motus, & id cuius gratia: Finem videlicet, qui sæpenumerò si sit proximus, idem est quod forma. Sed vndénam quæso ex ipsis causis ducet originem scientiæ, hoc est, demonstrantis syllogismi? quæ enim dicuntur intrinsecùs positæ, id est, materia & forma, siue res ipsas consideres in sese, siue nostri facultatem intellectus, magnam omnino præ se ferunt difficultatem. Mouet enim intellectum res vt est actu, forma verò actu ita est, vt eius ope, quæ priùs potestate fuerat, fiat actu materies: materia igitur nō primò atq; per se cognoscetur, sed per formā: vnde & à Timeo primùm Locrensi, inde à Platone dicebatur animo capi ratione notha, hoc est, non legitima naturæ notitia percipi. Et Aristoteles ipse proportione quapiam decreuit illam cognosci, id est, dicere, ex transmutatione, si rectè sensum eius percepit Auerrois, docens transmutatione materiam, actione formam datam esse nobis intelligi. Cùm igitur materia non moueat intellectum nisi per formam, forma verò nisi actione, & operatione cognita sit, ab operatione ipsoq; opere, ad causam progredi oportet, multoque magis ad eam vnde principium motus, vtpote quæ sit extrinsecùs posita, longeq; remotior. Et quia isthæc notitia prior ab ipso ortu indita, ad eandem, vtpote firmiorem & cognitam recursus datur, quò minus decipiamur in alijs capiendis, quæ nostræ sunt minus nota naturæ. Quam ob rem firmior, & certior effectus erit cognitio, quæ causæ, quæ videlicet non per se, sed per aliud, hoc est, ipso ex effectu, & operatione cognoscatur. Atq; hinc patet vanam fuisse distinctionem demonstrationis, quia, & propter quid, cùm prior illa sit certior, non certa minus, vt voluit Aristoteles: certior enim quæ per sensum, quo ille tanquàm certissimo iudice metitur omnia, certior quæ effectus nititur iudicio, idq; maximè in rebus naturæ, in qua præcipuæ demonstrationes per effectum sumuntur, vt etiam Thomas aduertit in tertio aduersus gentes: Ex hoc apertissimè videre etiam possumus imbecillitatem facultatis definiendi, quando notiones ipsæ, quas intentiones appellant, id est, genus & differentia, illud à materia, hęc trahi dicatur à forma, cùm genus materiæ ꝓportione seruata, nisi per differentiā, differentia nisi per operationē ex ea fluentē dentur intelligi; & cùm multorum generū eadem quandoque & communis forma videtur, interstinguere oportet quatenus dirimuntur, & quatenus conueniunt. Inde euenit, vt propria forma, ex qua propria species, propriaq; differentia trahitur, inuestiganda sit, ea verò ita ex propria affectione, quæ passio nuncupatur à iunioribus philosophis, cognoscetur, vt à propria operatione forma speciesque cognoscitur: sed cùm propria cuiuslibet rei operatio, cognitione certa & exacta percipi nequeat, vt paulò etiā pòst declarabitur, pari pacto propria affectio percipi nequibit. Namq; & rerum omnium cognouisse priùs operationes oportuisset, si cuiuspiam rei propriam & peculiarem, quæ non sit ei cum alijs communis, certò percipere velles, & eadem ratione species omnes nouisse opus esset, si proprias affectiones alicuius speciei, exacta notitia capere animo cuperes. Cùm autem fieri hoc Aristotelea doctrina vllo modo non queat, nequibit & illa ipsa propria differentia cognosci, nequibit, & quod est sequens, propriè quidpiam exacteq; definiri.

Cæterùm cùm Peripateticis non satis conueniat, penes quid formæ naturales maximè inter se distinguantur, fiet quoq; manifestum non conuenire de earum speciebus, differentijs, affectionibus, quo pacto videlicet secernantur, ita vt quæ propria sit vnus, quæ propria sit vnius, quæ propria aliarum queat internosci, si vti receptum est, diuersitas specierum quæ constituuntur differentijs, à quibus affectiones manant, à forma dependent. Nam qui penes diuersitatem principiorum actiuorū, secerni formas dixêre, quoniā omne agens faciat sibi simile secundùm speciem: illud dissoluant oportet, quomodo humani conceptus, nō planè respondeant parentibus: quoniam & monstra generantur, & excrementitiæ moles, etsi in materiam id retulerint, multa tamē addere & demere opus erit, vt propositio ipsa vera iudicetur. Illud itē edoceant conuenit quomodo genita ex putredine irrationalia animātia, ijs quę maris & fœminæ concubitu genita sunt, similia sint, etiam in eadem specie? vt multi asseruêre. Qui verò penes diuersitatem operationū distingui dixêre, vel id patiuntur incommodi, ab alijs qui asserunt eandem formam diuersarum operationum esse posse principium, & diuersas formas earundem operationum esse non posse principia, minime conuinci, cùm omnes ad vnā explorate non sint. Qui verò non penes omnem diuersitatem, sed

eam solùm quæ in altiori entiũ gradu, rem collocat, ita vt sit essentia perfectior: idem non videntur effugere: quia idem etiam videntur dicere, cùm omnis operatio specie differens essentia perfectior est, alia vel imperfectior. Alij ad diuersa genera se reduxêre, vti verbi causa materiale, & immateriale, quoniam tunc aliud (vt aiunt) esse sortiuntur, eductum ex re subiecta, in qua radicetur, & in quæ non firmentur illa, quæ extrinsecùs adueniunt. Sed obijci potest, quod hoc modo forma vna, gratia exempli mixtæ rei forma, probari diuersa nõ posset à forma vitæ, & quod de generalibus tantùm formis, non de ijs quæ dicuntur specificæ, sermo haberetur, quare nihil esset, quantum attinet ad operationem specierum. Sed vtcunq; sese habeat res, ita certè se habet, vt si nihil certum de formis, nihil certum etiam de speciebus, differentijs, proprietatibus, Peripatetica ex doctrina colligamus.

CAP. XII.

QVOD NON SOLV̀M INCERTA SVNT APVD ARISTOtelem & sensus, & definitio, quibus vtitur tanquam fundamento, & tanquam medio & causa demonstrandi, sed & progressus etiam, & finis, hoc est, & propositio vniuersalis, & affectio propria subiecta rei.



PRobauimus & apertè satis (ni fallor) incerta esse, & fundamentum & causam mediumq; demonstrandi colligendiq; scientias ab Aristotele excogitata, hoc est, sensum, & definitionem non esse eiusmodi, vt ibi queat exacta rerum scientia fundari, & quanquàm ex eis ipsis colligere possemus affectionem, quam de subiecto afferre cupiunt demonstratores, nõ certo colligi, quoniã sensu est opus, incerto plurimũ, & differentia, vnde trahi debet, ignota est: nihilominus labore alio est nobis nitendũ. Restat enim vt progressum etiam vniuersum, & finem monstremus incertũ, hoc est, incertam esse affectionem illam subiecti propriam, quæ dicitur demonstrari, & vniuersales propositiones quæ maximè per demonstrationẽ exiguntur, idq; in ipsa specie, & vniuersim, adeò vt Aristoteles propterea censuerit, propositiones, quibus demonstratio conficitur, de omni dici oportere: quoniam omni etiam subiecto talem affectionẽ speciatim inesse ipsa in conclusione, hoc est, demonstrationis fine terminóve colligitur: Colligi autem nequit, nisi ex propositionibus, quæ ipsam præcedunt conclusionem. Quapropter & illas ipsas quæ negocium conficiunt propositiones assumptionesq;, & de omni, & vniuersales esse cõuenit. Has ergo propositiones quas & certas, & vniuersales esse oportere censuit Aristoteles, minimè certas conuincemus, & maximè quæ dicuntur affirmatrices, cùm tamẽ sine duabus, vel ad minus sine altera, nequeat vlla, authore Aristotele, confici demonstratio, quæ rem ita esse, vel non esse, vel non esse per se, principeq; proposito nobis ostendat. De ijs enim quæ ducere ad absurda, & ad inconueniens dicuntur demõstrationibus, vel certis, si ita dicere libeat, ꝓbationibus, aduersus vanas & nullius momenti opiniones, vt antè dictũ est, verba non facimus: neq; enim propositum nobis est tollere, quin aduersus opinionẽ fatuam, aut minus certam possit afferri certa probatio, vel ex eis, quæ minus benè posita sunt assumptis, oppositũ sententiæ alicuius inferre, hoc enim ipsum quod quidẽ pertinet magis ad argumentandi artem, & vim, quam propriè ad rei naturæ demõstrationem, hoc inquam, si sublatum iri vellemus, nobis etiã officeret, qui minimè certam doctrinam Aristotelis, certa quærimus probatione conuincere, etsi id nequeamus sanè probabili: nam quod positũ est confutare, quàm nõ concessum asserere, multò facilius, & via quædam substernitur etiam stratã, ei qui ex suppositis & traditis, aduersum quiddam & oppositum eis ipsis, quæ supposita sunt, si nonnihil ipse veri addiderit, inferendi. At quo pacto certã vniuersalem probationẽ habebimus, cùm incerta sit ars inductionis, sine qua incerta est vniuersalis propositio? si dixeris vniuersalem propositionem te à priori (vt aiunt) probaturum te ipsum Aristotelis authoritate repellam, non qua nuper sumus multipliciter vsi, sed qua prioris eas & nullo intermedio probãdas voluit, neq; admisit, vt communes illæ animi conceptiones omnibus notæ, demonstrationem ipsam propriæ ingrederentur, quas quidẽ initio Operis satis innuimus non Aristotelis doctrina, sed naturalis lu-

ralis luminis beneficio cognosci. Etiam antea diximus oportere contrahi si debeant ingredi materiam particularem: illud autē non obstiterit si afferatur intellectum illas ipsas à sensu elicere: nam præsupponere oportet sensum, nihil falsum, nihil incertum imaginationi, & imaginationem nihil inane, nihil quod nō rite à sensibus impressum sit, intellectui præsentauisse, nec officit si dicatur aliquas nothis terminis agnosci, nec aliter cognosci principia, authore Aristotele, nisi quia termini eorū, seu nominis cognosci, nec aliter cognosci principia, authore Aristotele, nisi quia termini eorum, seu nomina cognoscuntur: nam minimè perlegisse videntur Aristotelem, qui non ibi de principijs vniuersalibus verba facit, quæ longo progressu colligi docet in calce secundi Analytici ad parandas propositiones vniuersales, conficiendæ demonstrationi subseruituras.

Atq; illa eius verba sunt, prima inductione cognosci necessarium est: prima autem quæ dicit, pro principijs conficiendæ demōstrationis posita esse, multi docent interpretes, itaq; inter proxima & remota principia non distinxêre qui contrà sentiunt, & inductionem ipsam non ritè factam non aduertunt, si omnia non collegerit, vel dum ea ipsa probatio dici potest, vt cùm illa verba inferuntur, & sic de singulis, vel dum expositio nominari, vt cùm percurrit singula, nec quicquam relinquit intactum, sed quàm nō certò hoc fiat, quàm debiliter paulò pòst afferem⁹. Ad hæc quid nomine significetur principiorum etiam si cognoueris, non propterea tibi faciet id satis ad notitiā propositionis, de qua loquimur vniuersalis: Sed quid ipsa sit res nouisse oportet, quod vt assequaris, opus fuerit tibi, vt multa cognitione rerum sensilium imbutus antea fueris: Namq; terminum subiectū prędicato aut conuenire, aut remoueri cognosse necessarium est: neq; enim simplex hæc, sed composita cognitio, qua quicquam inesse cuipiam, aut affirmamus, aut negamus. Vnde si vniuersaliter afferre id volumus; discurrisse: anteà per omnia oportet. Nec audiendus Auerrois docens aliquos intellectus, quibus duo singularia sufficiant, ad colligendam vniuersalem enunciationem: id enim & Aristoteli bonisq; peripateticis, & rationi maximè aduersum. Ex duobus enim quo pacto omnia? quo, inquam, pacto certam vniuersalem probationem habebimus? quo item pacto certa de omni subiecto cōuincetur affectio. Sed de hac re Operis decursu latiùs, nūc de ipsa inductione. Ea est, quæ ex singularib⁹ colligit vniuersalia, vnde & vniuersalia parantur enūciata, & si qua probatio maximis illis, q̄ naturæ lumine patent propositionibus adhibenda esset, non aliā veriùs quàm ex inductione protuleris, quæ & sumpta assumptaq; cōmunit omnia, ex quibus inferatur necessaria conclusio, cùm totū hoc ipsum demōstrans resolutoriumq; negociū, pendeat ab inductione quæ sensū intermedio conficiat vniuersales propositiones. Ipse quidem Aristoteles in calce secundi libri posteriorum Analyticorum prima principia inductione cognosci manifestum dicit, atque ita sensum vniuersalem effici sectatores docent: Modus, inquit Themistius, quo vniuersale cōstituitur cognosciturq;, inductio est, inductionem accipio aggressionem illam rationemq;, per quam ex notitia particularium vtcunq; ad intelligentiam vniuersalis venitur, huius rationis assumptiones ipsi erunt sensus: nam sensus quoque principia & causæ sunt, vt singularia noscitentur, hæc Themistius quibus ex verbis etiam significatur non certò ad hanc vniuersalis colligendi facultatem ascendi, quia intermedio sensus non semper certi: quia non exactè, sed vtcunq;, nec alia quā inductionis via quæ fundatur in sensu. Ioānes quoq; Grammaticus cognomine Philoponus initio postremi resolutorij scribit, ἀνάλυσις ἐστὶ ἡ ἀπὸ τῶν μερικῶν, καὶ καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἄνοδος, hoc est, resolutio est à particularibus, & singularibus ad vniuersale ascensus. Mox subdit ipsam esse item recursum à compositis ad simplicia, & ab effectu ad causam, exin opere procedente cum de ipsa finitione quæ minimè demonstrari possit, verba faceret, inductione capi non posse docuit, de ipsa tamen inductionis potestate differens, inquit, καὶ γὰρ ἐπαγωγὴ τὸ καθόλου δείκνυσιν ἐν τῷ ἐπάγειν πάντα τὰ μερικά. Etenim inductio, quod vniuersale est, ostendit inter cogendū omnia particularia, non instar Auerrois ait duo vel tria; sed omnia inquit particularia; & meritò quidē. Est enim inductio vti Aristoteles censet in Topicis ἔφοδος, id est, via siue ingressus à particularibus ad vniuersalia; quāquàm de inductione alibi aliter decernit, vtpote, cùm non colligit ex particularibus, sed cum ipsa syllogismo colligitur, quod facit in prioribus Analyticis: aliter quoq; in Rhetoricis: Verùm nunquam aliter

ſumit cùm de conficienda & corroganda vniuerſali propoſitione mentionem facit.

Ita & Themiſtius in poſterioribus Analyticis inductionem eſſe aggreſſionē rationemq́; per quam (vt repetam & inculcem quæ diximus) ex notitia particularium, vtcunq; ad intelligentiam vniuerſalis venitur, hoc eſt, collectione particularium, qua in re ſæpenumerò latere fallaciam, non ſolùm videtur illa indicari particula, vtcunq;, ſed veteri opinione, non dialecticorum modò, ſed rhetorū, idq́; antea Tyro animaduertit impugnans Catonem qui in Rhodienſium cauſa fuiſſet vſus inductione, re (vt voluit) admodum inſidioſa, & ſophiſtica, neq; ad veritates magis, quàm ad captiones reperta. Et ſanè nihil fidere, aut certè parū inductioni boni Peripatetici videntur, quandoquidem Themiſtius idem cenſet ipſos ſenſus aſſumptiones eſſe inductionis, quoniam ſenſus principia ſint, & cauſæ ſingularia cognoſcendi, vniuerſale autem, concluſionem illarum aſſumptionum haberi, vt hinc liceat deprehendere, quantum diſtent à concluſione principia. Sic & Hammonius in Porphyrij voces inductionem dicit eſſe orationem, quæ vniuerſale ex particularibus reddat credibile: Quare non certitudinis, ſed perſuaſionis probabilitatisq́; illi pręſtituit metam. Quod enim ſit humanis ſenſibus credibile, id neutiquam certum, aut eſt, aut haberi iure merito debet. Sed nec ipſe Ariſtoteles viſus eſt inductioni fidere, cum ſecundo de animalium partibus volumine ſcribens, inquit, nec inductione id tantùm patet, verùm etiam ratione. Nec item Plato, quando, qui eius collegit dogmata philoſophus Alcinous, inductionem progredi voluit vel à ſingularibus, in quibus parum eſſe virium, ad colligendi vniuerſalia docuimus, vel à ſimili, quem locum inter probabiles tantum, conſtat eſſe repoſitum. At, inquies, quaſdam eſſe propoſitiones, Auerroē authore, quæ modica egent declaratione, easq́; probari, aut hypothetico ſyllogiſmo, aut inductione. Reuolueris eodem, nec tete extricas de laqueo. Namq; hypothetico ſyllogiſmo non fidit Auerrois, vtpote incerto, & inductionem amplectitur libētiùs, quare in ipſa inductione ſiſtendum. Dices ſi duorum vel trium indiuiduorum proprietatem affectionémve cognouero, cur & illa alijs etiam indiuiduis ineſſe nō collegero? Illo, inquam, pacto non collegeris, quo ſi tres, vel quatuor addo, & centū, & mille etiam Myriadas hominum, albo colore, ſucculenta & viuida carne, promiſſoq́; capillo ſpectaueris, omnes propterea collegiſſe ita eſſe homines affectos, non potuiſti: quoniam ſunt in Aethiopia homines, & nunc etiam noſtris in oris, qui nigri ſunt, & retorrida carne, & torto vixq́; de cute prominente capillo, eodemq́; propè combuſto, quos ſi nūquàm vidiſſes, falſam propoſitionem vniuerſalem illis de rebus, tanquàm veram, multisq́; probatam ſenſionibus & experimentis protuliſſes.

Dicit quiſpiam non nigrorem alborémve intelligo, accidētia vaga, & quaſi dixeris deſultoria, ſed ſtata & firma, id eſt, proprias dico paſſiones, quę dicuntur fluere à principijs ſpeciei: vnde ex duobus vel tribus authoritate Auerrois deprehēſis omnia collegero: falleris quidē, quoniam nō ſatis omnino conſtat, ſi & quo modo inde fluant, & an omnis forma propriam ſic habeat ſuæ ſpeciei affectionem, vt cum alia nullo pacto communicet, & quo etiam pacto forma ſecernatur à forma, vnde propria videlicet manet affectio, vti ſuperiori capite diſputabamus. Facilis dubio procul propterea lapſus eſt, ſenſu enim vteris, quo tibi facilè fiet impoſtura, & accidentibus quæ iacent extrinſecùs cognitis, primum niteris, ad hoc intraneum accidens, & vt dicunt inſeparabile deprehendendum. Quo enim pacto (verbi cauſa) riſibilitatem aut diſciplinabilitatem (ita fari liceat) prætereà quam ſenſibus indagaſti? Nam riſum primùm aduertiſti, multosq́; ridere & vidiſti, & audiſti, id in cæteris arbitratus, quoniam multos eadem affectione teneri perſpectum eſt tibi, poſteà admirationem in cauſa eſſe dixiſti, atque ita alios diſcere, quæ priùs non norant, conieciſti, quia, ſcilicet, aduertiſti notitiæ rerum capaces, & videri noſſe quæ ignoraſſent prius. Vnde hoc? diſcurſu & coniectura quadam, non enim claro id intellectus intuitu deprehendiſti, ſed ratiocinando ex ipſis quæ ſenſibus hauſiſti, quid ſi alia eſt huiuſce rei cauſa, quàm admiratio? quando & ſunt quæ admirantur, non tamen ridere illa compertum eſt, multa autem pręter hominem ratione pollere & philoſophi multi, & multi quoq; Theologi putauerūt, vt eſt antea monſtratum, quid ſi homines ſunt, qui & admirentur, & non rideant? quid ſi alia rideant pręter homines, vt quę dicta ſunt, ratione pollere? quid ſi ita hęc connexa non ſint, vt ſeorſum habitare poſſint? Multos fuiſſe qui nunquàm riſêre proditum eſt

hiſtorijs,

historiis, regiones etiam esse in quibus homines nunquàm rideant; quid prohibet? quid posteà illos ipsos non esse risibiles? arbitraria igitur videtur illa causæ redditio, potiùs quàm certa & constans, præcipuè in Peripatetica philosophia, quæ ex sensu & accidentibus proprietates essentiæ rimatur,& rem ex similitudine ipsius consectatur. Nam Platonici qui per inditas species fieri cognitionem volũt, quas quidem species multi & insignes Peripatetici admittunt, vt in commentario in tertium Aristotelis de Anima librum comprobauimus illuc sese posset conferre, sed & ex formarũ ab Idæis illapsu intellectilium, dicere possent percipi illas ipsas essentiæ cuiuspiam affectiones proprias, an vera quoq; esset similitudo? cognosci posse idearum participatu? Ita de re disciplinabili quæstio vertetur, quando de satyris, de canibus, de elephãtis multa disputauêre philosophi, vti retrò disseruimus, sed contra eos etiam adduci multa posse, ex ijs quæ superioribus libris retulimus planè perspicuum.

At Peripatetici quid sunt dicturi? sensui semper audientes, vt pueri pædagogo, quo sensu non solùm hominem esse risibilem, sed calorem esse proprietatem ignis (vt de re quę clarissima putatur, sumamus exemplum) eo ipso sensu nitentes comprehendere nequeunt, non propterea solùm, quod alij dicunt eius formam esse calorem, vt Alexander, alij quod forma quæ extendi potest & dilatari, sed propterea quod in sole etiam idipsum si sensum sequãtur, statuerent, vt esset videlicet ex forma calidus, quod tamen respuit Aristotelis vniuersa familia: Ambrosius in quarto hexameron, videtur id apertè recipere, cùm solem igneum asseuerat, multi cũ Aristotele sentiunt, tantundem tamẽ hic colligit, nullo alio vsus interprete, quàm sensu. Vtrisq; enim calefit homo, sed coniectura ex vicinitate profecta, multùm dispescuit alterum ab altero, cùm ignem dicant sua forma calidum, hoc est, caliditatem adesse ignis formæ, vt proprium accidens, subiecto suo semper adhæreret, Solem verò virtute calidũ, quia videlicet afficit caloribus inferiora, non proprietate quæ illi insit vlla caloris; quanquàm & Democrito placuit, vt est in Plutarchi stromatibus, & in primo Eusebij, solẽ nullo modo calidam habere naturam, sed vtcunq; statuatur calidus, opus est cõiectura atq; discursu in sensu fundato, qui sæpenumerò fallax, sępissimè incertus: idq; amplius etiam patebit si diuersitates prosequamur, ita alijs in rebus, vt in hominibus pro exemplo sumus persecuti, quo tandẽ propositiones vniuersales etiam in accidentibus, quæ sensu percipiuntur, infirmemus. Sic etiam de coruis dixisses omnes videlicet nigros, aliquos tamen albos inueniri, & in logicis institutionibus, & quinto huius libri capite scripsimus: sic animalia omnia, aut mascula, aut fœminea existimares, nisi nonnulla essent naturæ, quæ nullũ habeant sexũ, scriberet Aristoteles in quinto de historia Animalium, & in secũdo de eorũ generatione affirmaret anguillam, nec marem esse, nec fœminam, sic etiã ex mare, & fœmina nasci diceres prolem, aut etiã ex putredine aliqua, nullo autem pacto ex fœmina, sine mare: nec Vergilio audires (puto) de equabus vento prolẽ concipientib⁹ in Hispania, nisi Varronis & Columellę, prętet Plinium accessisset authoritas, & Ambrosius cõfirmasset in quinto hexamerõ, vultures sine vllo masculorũ semine concipere & sine coniunctione generare. Illisq; etiã omnino non stares, vt facilè existimo, nisi Aristoteles ipse, in quinto de Natura animaliũ multa sine coitu animalia à matre cõcipi & generari, & in lucẽ effundi scripsisset, & in sexto eius Operis vt cętera sileam, mures sine coitu impleri nõ narrauisset, & in secũdo, & tertio de Generatione animalium multa, quæ hac de re in historijs dixerat, confirmauisset.

Itemq; si dissectionis arte fretus, intranea corporum viuentium membra vidisses, milleq; in animantibus iecur, aut aliud quod dextræ insideat parti, membrum aduertisses, ita semper iacere, num propterea in omnibus ita esse, aut semper fuisse pronunciasses? At Aristoteles scribit aliquando ea ipsa membra vitalia, quæ dextrorsus locata sunt, sinistrorsum posita in nonnullis quadrupedum reperiri, vt cùm alijs in locis, tùm libro de natura Animalium primo. In quo & prodit fel nullum inesse pecoribus quadam in parte agri Chalcidici Euboiæ: In Naxo verò omnibus ferè quadrupedibus adeò grande, vt, qui sacra fecerant, aduenæ constupescerent. Sic eodem in opere, libro, scilicet, sexto de Natura animalium, ceruas in monte Asiæ Elapho nomine, apud Arginusam, omnes scissa aure esse, fœtusque earum iam inde à primo partu in vtero idem contrahere signum, memoriæ prodidit: proditaque alia ad hunc ferè modum plæraque reperies in eo opere, quod de partibus animalium, quodque de eorum ge-

neratione perscripsit: cuius operis libro quarto & duplicem in animali lienem visam affirmat, & animal caruisse liene, & felle priuata animalia,& plura in alijs comperta,& in latere sinistro iecur deprehensum, & in dextro lien animaduersum. Theophrastus quoque scribit Paphlagonijs perdicibus duo fuisse corda, reliquis animalibus vnum, priusquam hoc fuisset compertum, & ab ipso proditum, quis idipsum tulisset? quis non exibilasset? quanquàm id quod contra tot experimenta militaret contraq; præceptorem Aristotelem, qui nullo pacto admitteret, vni animali duo inesse corda,vtpote duo viuendi sentiendique principia, potiùs duo esse animalia quod vnum videtur,affirmaret: potiùs etiam duo hepata siue iocinera admitteret Aristoteles, quæ inesse Bisaltijs leporibus, nec ipse negat in libro de auditionibus admirabilibus, nec Theopompus non scribit in vigesimo historiarum: nullo autem pacto duo corda vlli animali concederet Aristoteles: scribit enim quarto de generatione Animalium, quod vnum cor habet,vnum esse animal, quod duo, id duo esse animalia. Sed quis tria corda inesse animali cuipiam possit obstinatè negare? omnia enim & singula animalia priùs perspecta habuisse oportuisset,& non pauca,non etiam multa,omnia, inquam,& singula. Sic & ipsemet Aristoteles serratos esse piscium omnium dentes putauit. At viso scaro,eum ab omni excepit multitudine. Quid si alij sunt qui minimè serratis dentibus vitam degant? Neque enim omnes piscium species eius sese oculis subiecêre. Nec vnius etiam speciei omnia indiuidua, quæ sæpenumerò ab alijs sunt indiuiduis tàm diuersa, vt an eiusdem sint speciei, præbeant occasionem dubitandi: Quomodo etiam audacter de scoro visus est decernere Marcus Antonius, & philosophus, & imperator in eius opusculo quopiam, quòd esset videlicet omniũ piscium lasciuissimus,atque(vt eius vtar verbo) λαγνίστατος, omnes enim antea,& singulos nosse pisces oportuisset.

Sed & aliunde etiam afferri multa possent, vt fiet opere procedente, quò minus, quæ de omni dicitur propositionem afferre queas, nisi omnia per singula cognoueris,huc non ex animalibus tantùm, sed etiam de stirpibus mille afferri possent exempla. Theophrastus primo de historia Plantarum scribit laurum Alexandrinam fructum super folijs gignere, quod tamen in alijs non videmus, & alibi etiam scribit in quarto de eadem historia libro, morum Aegyptiam, præter id,quod fructum caudice gignit, id etiam habere, quod non est cum cæteris arboribus commune, quod lignum eius cæsum, continuò viride est, in aquæ verò profundo, si demersum fuerit, siccatur. Inductionem tamen quispiam existimaret posse fieri, si ex aduerso statuatur? cùm sicca etiam ligna si demergantur viridescere quodammodo satis constet, iudicationem quoque laterum in aqua proiectorum, quod mergantur, quis non admittet? At si assensus fueris Senecæ peribit inductio: nam in tertio naturalium quæstionum libro, est, inquit, adhuc stagnum in Sina,in quo natant lateres,& mergi proiecti non possunt. Sed quæso te (vt magis fiat quod volumus manifestum) quónam modo cùm demonstraturus est quidpiam Aristoteles, seu quiuis alius Peripateticorum, vbi sumptum vniuersale proposuerit, quod ab aduersario negetur, quo, inquam, modo id probabit? inductione dices, neque aliam tradidit Aristoteles viam colligendi corrogandique propositiones vniuersales. At philosophorum multi vanam dicunt inductionem, quoad hoc attinet, vt vniuersalia corrogentur: petunt enim num omnia particularia sibi colligere velint, ad conficiendam vniuersalem propositionem, an aliqua tantùm, siue multa, siue plurima, si primum respondeas, id te polliceri, quod præstare nequeas affirmabo. Quoniam omnia particularia innumerabilia sunt, quæ non datur colligi possint: Si dicas aliqua,etiam plurima,tùm quod residuum est, efficit vt propositio non sit vniuersalis, quæ ex omnibus constat, non aliquibus,aut pluribus,aut etiam plurimis, vnde reijciuntur,non solùm qui affirmant ex tribus vel quatuor singularibus colligi vniuersale, sed etiam ij qui dicunt vnum quandoque singulare satis esse, vt omnis Sol, omnis Phœnix dicatur: nam præter ea quæ suprà sunt allata, illud hac in re priuatim potest afferri, primùm quod singularis opponitur vniuersali, deinde plures etiam soles, plures phœnices haberentur. An eiusdem esset naturæ dignoscere oportuisset: coniectantur enim eiusdem esse naturæ, at nesciunt. Sed nec scire queunt,cùm non existant, nec vllum habeant, quod per sensum explorari possit, fundamentum quo pacto ergo colligetur vni-

tur vniuersale, quod ex pluribus conficitur singularibus?

Atque ita etiam reijciuntur qui putant vniuersalem propositionem posse vniuersali probari: oritur enim eadem prorsus difficultas: nam quæcunq; illa statuatur vniuersalis propositio, ex singularibus collecta confectaq; fuerit Aristotelco dogmate: nulla enim ex terminis nota, sed sensu indagata & singularium collectione confecta. Excipiam autem ego, si placet, hoc negocium, in ipso etiam Lyceo discutiendum, & adijciam dictum ab Aristotele propositiones ipsas de omni, non de aliquibus, aut plurimis dici oportere, si habiles demonstrationi parandæ debeant haberi: alioqui tanquàm asymbolæ possunt à demonstrationis postibus eliminari. Qua ex re excluditur eorum responsio, qui dicunt Aristotelem non affirmando, sed negando locutum de omni, quia scripserit non in quodam sic, & in quodam non, neque aliquando sic, & aliquando non. Quid enim per illa verba aliud dedit intelligi, quàm vt omnibus, & semper id, quo prædicatur adesse oportere? num & ipse de multis, de plurimis dicere sciuisset? At de omni dixit. Nec mihi satisfaciunt exempla illa quando idem de eodem prædicatur: nam affectio subiecti non est, id propriè, & exactè quod est subiectum. Minus etiam satisfacit exemplum de coniunctionibus Planetarum, qui non semper, sed suo tempore congrediuntur: sunt enim variæ de eis opiniones, variæ supputationes, varia experimenta, vti libro tertio huius Operis monstrauimus: & error paucarum minutiarum in supputando, & in obseruando loca, totam demonstrationem, quæ parabatur, planè subuertit. Excluditur etiam eorum responsio, qui ex similibus coniectari similia posse dicunt: nam præterquam, quod falsum est, omnia particularia esse similia, plures enim omnirò partes sunt in quaque re, quibus apertè res ipsæ dissimiles comprehendantur. Certè id non erit propositiones afferre de omni, nec consonabit alijs conditionibus, quas propositioni demonstratrici competere necessariò voluit Aristoteles: vt & primæ, & veræ, & certæ, & notiores conclusione sint. Quo modo enim & primæ, & veræ si coniectura similium captatæ? quo modo, & ea de causa, non incertæ? quod enim certi habemus, id non conijcimus: quo modo notiores conclusione, si principium erit tantummodò probabile? & conclusio debeat esse demonstratione firmata: coniectura enim quod colligitur, necessarium non est, sed probabile, hoc est, vel multitudini, vel pluribus, vel sapientioribus visum, non autem omnibus: Quod autem necessarium est, id omnibus & omnino, non videri modò, sed ita esse & constare decernitur.

Quare sequeretur primò illud absurdum vt propositiones collectæ coniectura, hoc est, à loco probabili, scilicet, à simili corrogatæ, principium demonstrationis haberentur. Sequeretur & illud, vt conclusio esset suo principio certior, quod nequaquam esse posse omni cum Lyceo clamat Aristoteles. Quod si ijs pressi angustijs reuoluantur in caput, & polliceantur se omnia colligere singularia, non solùm id tanquàm factu impossibile deridebitur, sed per Porphyrium excludetur à limine doctrinæ Aristotelicæ, qui Platonis iussu censuit quiescendum, vbi in diuidendo ad particularia est deuentum, sic autem & in colligendo: nam ex diuisione collectio, eoque magis, quod ipsa particularia ab Aristotele dicuntur esse infinita, maximè cùm mundi æternitatem sic commentus, quæ etiamsi non essent infinita, tàm magno tamen sunt numero, vt ab vllo homine neutiquam possint haberi. Vbi autem non habebitur propositio vniuersalis, nec affectio vniuersalis de re subiecta concludi poterit. Non posse autem haberi affectionem propriam, de subiecto vniuersaliter atque certissimè, quemadmodum voluit Aristoteles, satis probatum est, primò fallacia sensus, deinde inscitia definiendi, quoniam ignorata propria differentia, & propria quæ inde fluit ignoratur affectio, & imaginis præterea tenuitate, & imbecillitate similitudinis, & coniecturæ, & discursus incertitudine, & aliorum in eandem rem sæpenumerò communicatione, quæ sine diligenti examine non communis, sed propria censeretur. Quæ quanquàm in hoc discriminis non veniret, non posse tamen eam vniuersaliter colligi debilitate inductionis apertè monstratum est, qua, scilicet non potest vniuersalis propositio certò & exactè corrogari. Confirmari quoque idipsum potest authoritate Philoponi, magni & insignis Peripatetici, qui in sua, in Elenchos Paraphrasi ita decreuit, τὸ γὰρ καθόλου ἀεὶ ἔνστασιν ἔχει, hoc est, dicere. Etenim quod est vniuersale, semper habet instantiã & vniuersale simpliciter

duxit in medium, non sophisticum aut probabile. Nec videtur dissonare Seuerinus Boëtius cùm primo de Trinitate vniuersales esse fidei articulos decernit, quia nō habeant instantiam, eò quod fidei falsum subesse non queat, quasi tacitè doceat, instantia non carere, ea quæ vniuersalia dicuntur humana placita: Iosephus quoq; Rhacendites dū agit περὶ ἐπαγωγῆς, hoc est, de inductione conatur mōstrare ipsius methodum, eodem tamen & ipse recidit, vt data instantia pereat inductio: si enim inquit omnia colligere, non detur, inuenta est methodus, vt à paucis queamus inducere, afferamus quæcunq; possumus; & tùm dicamus aduersario, vt & ipse afferat, etenim oportet monstrare, qua in re non ita sese habeat res: hæc ille; mox concludit, καὶ ἂμ μὲν δείξῃ τοῦτο νικᾷ, hoc est, & siquidē ostendet, hoc vincit. Sed & ipse primùm dicerem non propterea sequi, vt id sit verum cuius oppositum ego nequeam ostendere, cùm multa sint in rerum natura, quæ vt me, ita plurimos etiam lateant, & multa etiam falsa quibusdam veris probabiliora sint, ipso Aristotele authore: deinde docerem, vt Philoponi authoritate iam docui, vincere semper posse, qui vniuersalem propositionem labefactare voluerit. Quærit autem inductio vniuersalem conficere propositionem, tanquam finem sibi præstitutum, quem vbi assequi non potest, aut nihil efficit, aut nisi fallatur, quam tamen falli monstrabimus, probabili nititur coniectura.

Sequēti autem capite, & falli multipliciter, qui propositiones vniuersales aut colligunt, aut negatas probare contendunt, tùm rationibus, tùm exemplis ostendemus & explicabimus. Sed & rationes quibus sumus vsi, & Peripateticorum authoritates, ipsius Aristotelis authoritate firmemus, vt inductionis debilissimas in cōficienda vniuersali propositione vires propiùs intueamur. Tertiò de generatione Animaliū libro, quorundam reprobat opinionem qui eo lapsi fuerant, quòd differentiæ, quæ multæ ac variæ in animalium coitu generationeq; sunt, non omnes pateant, sed paucarum quarundam intuitu idem in omnibus esse oportere arbitrentur. Et eodem libro cùm posteà de apum generatione dissereret, & se ad eos referret, qui in eorum animalium cura versantur, singulari quadam peculiariq; natura, genus apum esse decreuit, & ob id earum ortum peculiarem merito, hoc est, vt generentur ab earum regibus, & ipse succos generent, ergo nec inductio, de alijs animalium generationibus, nec vniuersalis propositio sine coitu concipiendi, aut generandi animalia, faceret hac in re satis, nisi & ad peculiarem naturam, & ad peculiarem ortum deueniretur: Tam varia verò in rerum natura animalia, tàm multiplices res, vt multa sint omnino peculiaria, atque idcircò in aliarum rerum consortium non colligantur. Quinto etiam de generatione Animalium reprehendit Democritum Aristoteles, cùm de animalium dētibus deciduis, & non deciduis differit, quoniam non id aduertisset Democritus, quod est in omnibus. Qui enim (vt inquit) vniuersim differit, de omnibus dicat necesse est, quocirca non benè illum egisse voluit, quia non omnibus consideratis, causam reddidit in vniuersum. Sic & in libro de partibus Animalium, quarto damnauit eos, qui ex aliquibus compertis colligebant cætera, quod & ijs, quæ ex ipso retulimus, apertissimè conuenit, & repugnat eis, quibus & rara omnia in numerum redigi, & quæ insolenter fiunt, in genus reduci non curauit: de quibus omnibus opere procedente latiùs agetur. Satis enim ostendimus, & rationibus, & authoritatibus Peripateticorum, etiam ipso ex Aristotele quod volebamus, quare & processus demonstrandi per propositiones vniuersales, solido eget fundamento, demonstrationis terminus, id est, vniuersalis affectio siue proprietas subiecti redditur incerta, eoq; magis, quod ignorata subiecti natura, & maximè propria illius differentia, quam ignorari cùm ageremus de definitione patefactum est, ignoratur affectio, quæ inde manat. Nam siue vna sit rei compositæ forma, vti voluit S. Thomas & alij permulti, siue plures, vt Ioannes Scotus & alij plærique: nihilominus à differentia propria propriam deducere affectionem, & proprietatem conantur omnes, siue distincta ea putetur re, modo Aquinatis: siue ex rei natura, modo Scoti, siue alio quocunque modo seiunctionis diremptam arbitrentur: eamque dum indagatur multipliciter dare occasionem fallacis incertæq; coniecturæ suprà monstrauimus, & optimè videri factum, si exinde probabilitas eruatur: processus itaq; probabili erit coniectura non scientia nixus, nisi fallacia misceatur, quā mox docebimus eum sequi, cui ex pluribus omnia collecta putentur. Igitur ex certissimis, quæ se tenere putant argumentis, ad dialecticos locos dilabētur, proba-

probabiles illos quidem,ſed incertos,ac per hoc probabiles,quia & alia ei poſſunt ex aduerſo adduci probabilia, de quorum locis prudẽter docuit Ariſtoteles octo libris, vt noſceremus quo pacto ad vtranq; partẽ probabilibus poſſemus argumẽtis diſputare. Adderem etiam illud, nec ſine authore,non ſolùm, nullam propoſitionem verè & ſimpliciter eſſe vniuerſalem, quæ vel non dicatur de omni,hoc eſt,cùm nihil eſt ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prędicatũ,vel de nullo,id eſt,cùm nihil detur ſumere ſub ſubiecto,à quo non remoueatur prædicatum, ſed formam ſyllogiſmi eſſe prorſus inanem,in qua ipſe propoſitiones ſine conditionibus eiuſmodi collocantur: quoniam ea ipſa regula omnes boni ex communibus terminis ſyllogiſmi conſtituũtur. Sed ſatis mihi ex me ipſo videri poſſum feciſſe, ex eis quas adduxi rationibus, vt propoſitiones vniuerſales,quibus & Ariſtoteles, & alij philoſophi gẽtium plurimùm vtuntur labefactarem; qui verò hæc ad ſyllogiſmi formam ſpectantia videre cupiunt, & quæ propriè ſimpliciter vniuerſalis ab eo nuncupetur, & quæ quadam tenus hoc nomine polleat, & qui nam termini ad eas conſtituendas requirantur: neq; enim id quod ſcribo omne, ſatis eſſe ad propoſitionem vniuerſalem ſimpliciter, & perfectè conficiendam, ſed quoquo modo, & (vt ille ait) ſecundùm quid,apertè exiſtimauit: ſed omne,quod eſt,vel quicquid eſt,dici oportere voluit,quod ſi eſt verum, multò etiam maior difficultas incumberet conficienti vniuerſalem propoſitionem, quam ea de qua ſuperiùs abundè diſputauimus: qui verò hæc, inquam, videre cupiunt, quintam quæſtionem Petri Alliacenſis in primum in ſententias Theologicas commentarium potuerunt intueri: Ego verò conabor oſtendere eos, qui moliuntur negatas propoſitiones probare,in fallacias ab ipſomet Ariſtotele damnatas incurrere.

CAP. XIII. & vltimum V. Libri.

EOS ET FALLACIAM CONSEQVENTIS, ET PETItionis principij committere, qui ex multis omnia colligi contendunt, & qui negata ab aduerſario propoſitione vniuerſali,probare illam ſatagunt,atque vt cum eis bene ſtatuatur,probabiliter tantum argumentari,qui ſe demonſtrare ex Ariſtotelis doctrina putant.

CÆterùm maius id in Ariſtotelis diſciplina peccatum eſt, vbi quis ea fretus, ſcientiam profitetur, & docet errorem, ac loco demonſtrationum vtitur fallacijs,quas ille duobus aperire atque refutare libris conatus eſt: Eſt inter alias vna celebris, quæ accepit nomen conſequentis, in quam incidunt quicunque ex particularibus modò, non omnibus omne colligunt. Falluntur etenim ex omni atque vniuerſali re, particularia ſub ea contenta inferri colligique poſſunt, non tamen contrà fit, nam non commeat ratio, non reciprocatur diſcurſus. Neque enim conſequitur ſi aliquam, ſi multa, ſi plura, ſi plurima etiam collegeris, vt collegeris omnia: quare fit,vt niſi omnia particularia noueris, quæ Secundi & Ariſtotelis ſententiam, & Platonis, cognoſci nequeunt, toties in hanc ipſam fallaciam, quotiens propoſitionem vniuerſalem, & quæ de omni dicitur, fueris communiturus, impingas. Quod ſi dixeris ei qui ex ſingularibus vniuerſale colligit, aut omnia concedi, aut inſtantiam dari oportere, nihil tamen dixeris, quoad pertinet ad ſcientiam. Quod verò ſpectat ad officium Dialectici, nonnihil certè dixeris: nam etſi aduerſarius neſciat inſtantiam inferre, núm propterea tu ex eius ignoratione ſcientiam colliges? an magis tua in fallacia perſeuerabis, quò magis corripiente te, & commiſſum errorem emendante carebis? hoc eſt,iuſto obiurgatore indigebis, quo docearis non eſſe id in vniuerſum, & in communi verum, quod tu generatim verum,vniuerſimque putaſti. Nulla enim eſt tua in connexo opportunitas,nulla neceſſitas:at error,delirium, fallacia. Nam verbi cauſa ſi quis dicat, omne animal inferiorem mouere maxillam, num ſi inducet, & mille animalium, & fortè ſex millium ſpecies numerauerit, verus apparebit aſſertor? at ad vnum cùm venerit crocodilum, falſus inuenietur, qui inter omnia animalia ſolus mandibulam mouet ſuperiorem,ſi etiam decem mille ſpecies animãtium os habere noueris, & ita in cæteris eſſe affirmaueris inducẽdo, cùm ad cicadam perueneris, retraberis,ab Ariſtotele,

stotele, docente in quarto de natura Animalium, eam ipsam ore carere, & ab eodem quoq; regulam trahere poteris, vt neutiquã affirmes, quæ comperta sunt multis, aut inesse indiuiduis aut non inesse, eadem inesse omnibus eiusdem speciei, vel ab ipsis abesse. Vbi enim quarto de partibus Animalium libro scripsisset, equum, asinum, mulum, ceruum, felle carere, de homine subiecit esse ambiguum, quoniam aliqui fel in iecore habere visuntur, aliqui carent, itaq; inquit de toto genere ambigitur, qui enim alterutrum compererint, idem omnibus tribuunt, quasi omnes eodẽ habeant modo quo aliqui, & de ouibus quoq; idem subiecit, in Naxo eas habere fel; in parte quadam agri Chalcidici (quod & suprà retulimus) non habere: quis hanc regulam contra ipsum non vertat authorem, quotiens, vna aliqua de specie, propter aliqua eius, aut plurima etiã indiuidua visa, quicquam omnino vel affirmauerit, vel negauerit: potuit enim vidisse partem ita se habere indiuiduorum eius speciei, partem verò nõ vidisse, quæ alio modo, & ab eis diuerso natura formauerit. Sed enim vti verã nõ facillimùm sit instantiam afferre, quam tamẽ afferri posse Philoponus diligentissimus Aristotelis expositor asserit. Idq; vniuersim & absolutè affirmat: & Seuerinus quoq; Boëtius dat intelligere & Thomas, etiam si se ad contingẽtem materiam fortè recepit: sed nullam certè exceptionem Philoponus facit, neque id ore tantùm extrinsecusq́; sed & re, & penitùs accipiendũ est. Vti, inquàm, veram afferre nõ sit facillimum, certè facillimum esse non negaueris afferre vtcunq;, qua ducta in medium, etiamsi omni veritate fulta nõ sit, & tu nihilominus probare in vniuersum propositionem satagas, num errorem miscebis errori? & ex priori fallacia in aliam delaberis fallaciam, quæ vocatur secundùm petitionem principij: Cuius vnus est, & insignis modus, cum probaturis quicquam vel ignotum, vel iam negatum ab aduersario, idipsum aut noti, aut cõcessi vice desumitur: Quem in modum fallacem, atq; ab ipso damnatũ Aristotele omnes incidunt, qui negata vniuersali proportione eam ipsam conantur astruere. Esto aliquis exempli gratia, qui hanc affectionem, id est, aptitudinẽ ridendi, probare de omni homine voluerit, & aliquis abneget, aliúmne probandi modum habebit, si inductione voluerit vti, quàm omnia particularia colligere? quæ vbi nõ potuerit in vnum cogere, collectis quibusdam, dicet, & sic de singulis. Si ita effecerit, nónne petet quod negatum est, & committet fallaciam? qui enim negat omnem hominem esse risibilẽ, non affirmat, omnem hominem nõ esse risibilem: siquidem ex negatione maximè vniuersali, non sequitur vniuersalis affirmatio, sed aliquem potiùs esse non risibilem subindicatur: etsi dare quispiam voluerit instantiam, sit vera, sit falsa, sit dubia, talis instantia, expromet tamen illam explicabitq́; vt de quibusdam proditum est memoriæ risisse nunquàm, vnde fortè, & Agelasti manauit nomen: ille tamẽ risibiles omnes affirmat. At si dicetur de actu ridendi minimè loquor, sed de aptitudine, quæ fluit ab admiratione, quæ itidem ex ratione dimanat. Aduersarius autẽ si replicet, alia esse, quæ polleant ratione, vt suprà disputatum, non tamen ridere, aut ad ridendum facta: Num hærebit ille in vestigio, vt saltem id proprium non esse homini contendat amplius? maximè verò si negetur eos qui nunquàm risêre aptitudinẽ habuisse ridendi, quæ, scilicet, nisi ab effectu, qui ex ea deducitur firmari non potest. Quid si omni animali, etiamsi plures rationalium species admitterentur, risus facultas detur? quid si negetur rationem vniuersim quibuslibet speciei competere indiuiduis? quid, inquam, si negetur? probaturúsne id ipsum aliter fuerit, si nitatur Aristoteli quàm inductione? quod si fecerit, non recidet eodem.

At dicet quispiam sit aut ego, aut alius inductionem perficere nequiuero, tamen multis retrò sæculis, ab omnibus, vel plurimis, hoc vel illo obseruatũ est modo: quare vniuersim potero ego colligere, etiamsi vniuersim singula nõ percensuerim. Sed non est ita, namq; ad historiam te aliorum remittis obseruatorum, & fide simplici humana duceris, & præterea non omnes potuisti obseruatores percalluisse, quid si alij diuersè obseruauerũt? quid si decepti sunt, vel proprio sensu, vel fide historiæ? vt in deprehendendis motibus globorũ cœlestium, multos nõ rectè recensuisse, quod obseruatum fuerat, retrò est à nobis comprobatum. Adhæc etiam si inductio ritè fiat, & perperam negetur, probare tamen te non posse, quin fallacias incurras ex ipso, quo sumus vbi exemplo monstrauimus, quod & faciliùs de reliquis hominis affectionibus patebit, quas fluere dicũt quidã à principijs indiuidui, puta de somno, idq; variè: Nã omnes insomnia

somnia videre facilè quispiam affirmabit, itemq; omnes homines somno correptos iacere. At quod primo quoq; libro subsignabamus, scribit Aristoteles quarto de Animalium natura volumine, viros & mulieres fuisse, qui nunquàm somniarent, & eorum aliquibus processu ætatis accidisse, vt viso somnio mutatus sit sui corporis habitus, vel in morbum, vel in mortem. Sed enim & antiqua compertũ est memoria, Thrasymedem Herei nũquàm somniasse, nec item Cleonem Dausium, vt est apud Plutarchum in libro de oraculorũ defectu, qui & subscribit αἴτια δ' ἡ κρᾶσις τοῦ σώματος. Id est, causa autem corporis temperatio. Tithoreus etiam Stoicus dormiens ambulabat, & Periclis seruus in summo tecti culmine spaciabatur, vti mittam, quos ego noui maiora mirabilioraq; fecisse adeò, vt non internosceres, nisi difficillimè, esséntne correpti somno an eo soluti, qua de re secundo huius Operis libro disseruimus. Sat sit quãtum attinet ad propositũ, vniuersales propositiones de huiuscemodi humanis consuetisq; affectionibus confici nequire, quæ speciem nõ consequuntur vniuersam, etiam si plurima indiuidua consequi videantur, easq; ipsas pati, vt recentiores philosophi dicunt, instantias qualescunq; illæ sint, sanè quàm notum est. Sic suprà de Aethiopibus, & membris vitalibus pręposterè locatis ex parte monstrauimus, quanto igitur magis alijs in rebus erit conspicua fallacia? quod si te non de accidentibus, & ijs functionibus intelligere quæ materiam consequantur, sed quæ formã asserueris & speciem: reuocato in memoriam quæ proximo capite diximus, dum de hominis risibilitate & disciplinatione, & calore Solis & ignis disputaremus. Adde quod rerum proprietates, nec paucas quidẽ, nec multas, nec etiam omnes, sed certè plurimas ignorari docet, Thomas in primo aduersus gẽtes. At in ijs quę sciuntur, quàm ferè omnibus nota, quot quęso instãntiæ? non vtcunq; ille quidẽ, sed certissimé. Capiamus, si placet, exemplum in re notissima, vt simul detegamus fallaciam, simul confirmemus Philoponi sententiam: nullum esse vniuersale quod non patiatur instantiã: Ita enim philosophi Latini dixêre, Græci ἔνστασιν. Esto igitur vt quispiam hanc affectionẽ, quæ sit educere posse flauam de corporibus humanis bilem, probare de aloës herba, eiúsve succo voluerit, quam tamen negauerit alius: esto, inquam, dixerit quispiam, omnis aloës herbæ in stomachũ hominis admissus humor, potis est flauã bilem educere, quæ propositio apud Philosophos & Medicos pro vera habetur, quando & ab hoc, & ab illo, & ab alio, & à multis, ac penè innumerabilibus, succus aloës vel epotus, vel pilula catapociáve deglutitus, soluta aluo flauam bilem eduxit. Vnde sensu primùm, inde memoria & experientia vniuersale conflatur per inductionem, vt docuit Aristoteles in calce postremi Analytici. Neget autem, quod dictũ fuerit, aduersarius, prouocet ille ad Aristotelẽ affirmantẽ: τὰ πρῶτα ἐπαγωγῇ γνωρίζειν ἀναγκαῖον, hoc est, prima vel (vt Philoponus & alij interpretantur) principia, inductione manifestari necessarium est, declinet Aristoteleum tribunal aduersarius, & iustam quasi causam alleget, & hac, si placet, propositione instet illi contradictoria, aliquis succus aloës epotus, vel glutitus pilula, non educit ab humano corpore flauam bilem, & instantiam corroboret exemplo, certè probet suã vniuersalem oportet eum, qui hãc de aloë affectionem demonstraturus est, si inductione probabit, & colliget omnia particularia (neq; enim aliũ docuit Aristoteles modum sumpti vniuersalis conficiendi) petet id quod principio negatum, quod dubium, & sępenumerò falsum. Negatum quidem, quia iam responsum est, quod non omnis, quare aliquis non, quod verò dubium, quia æquè dubiũ de eo, verbi causa, Petro, de quo id asserere intendis, quem non noueris, ac de Ioanne, quem pariter non cognoueris, quibus dijudicandis similitudine vsus est & coniectura, puta Martini, Iacobi, Thomæ, quos noueris videlicet olim perpessos illa, quæ tu vis nunc alijs ascribi. Sed planè deciperis, quia similitudines quæ creduntur, inueniuntur sæpè dissimiles, & coniecturę nõ est locus, vbi certissima expeditur scientia: Nec rudis illa officit responsio, naturam agere vniformiter in pluribus nisi impediatur: Nam si in pluribus non in omnibus, & mille possunt, vel extrinsecùs, vel intrinsecùs occurrere impedimenta. Vt mittam quod vniuersa natura ad particulares rerum naturas, & proprietates eundem transferre ordinẽ velle in omni officio & munere, viri est, & parum gnari rerum naturalium, & insolentis philosophiæ, quiq; dubia pro certis affirmet: At qui id non dubium tantùm, sed sæpenumerò falsum. Nam quanquàm aloës efficiatur succo (ne ab accepto semel exemplo recedamus) vt flaua bilis deijciatur ab aluo: hoc in per-

in permultis, hoc in pluribus, hoc in plurimis, sed non tamen in omnibus verum est: quando aliquis extat, qui affirmat sumpto aloës succo sibi vẽtrem sisti & obfirmari, & ea omnia accidere, quorũ alij eodem sumpto contraria patiuntur. Nec hoc fingimus, viuit ad hanc diem, & probus, & doctus vir artis Medicæ peritus in primis, qui mihi non semel id asseuerantissimè testatus est. Dices fortasse id euenire vitiato succo: At hoc, ipse Medicus & experientissimus quod non sit probatum medicis artibus, quod alijs non expertum, nõ sumit, hac maximè in re mirabili facturus veritatis periculum. Neq; hoc subitæ alicuius in corpore factæ mutationi feras acceptum: nam sæpissimè, quin & semper hoc se dicit expertum quotiens assumpsit adeò, vt versa quantum ad se attinet medendi ratione, quotienscunq; sistere ventrẽ & obfirmare, quoties induere stypticam alui naturã voluit, toties vsus est aloë, vt ex illo pateat via ad probandam aduersam sententiam, quod non omnis aloës succus potis sit educere flauam bilem. At ne vnicum tantùm hominem veluti monstrum refugiamus: num prodit Aristoteles in prima sectione problematum, vbi de re medica sermonem habet, quoniam alijs alia concoctu facilia, difficiliáve sunt, idcircò non eadem esse omnibus medicamenta, sed propria plærisq; reperiri? Num produnt Medicorũ & Galeni maximè monumenta, quod alijs venenum est animantibus, homini esse salubre, contraq;, quod homini venenum, id feris bestijs gratissimum, idemq; saluberrimum esse pabulum?

Sed ne recedamus ab homine, ne speciei dissimilitudo præberet ansam calumniandi: in eadem stemus specie, nec Plinij citemus prodigia relata in septimo, quæ ipse dicit ab ingeniosa natura ex hominum genere, sibi ludibria nobis facta miracula, sed venenum illud, quo pasta est (vti etiam anteà diximus) & nutrita, authore Galeno medico, puella quædam citemus, & alium solitum à plærisq; omnibus capi in cibũ, quod & salubre esse contraq; multorum malitiam ciborũ expeti, & laudari tàm clarum est, & incontrouersum, vt si probare voluerimus, vitio nobis vertatur, quod tamen alium Iacobo Foroliuiensi non multò ante nostram ætatem Medico nobili, veneni vice nocebat. Affirmauit ille & literarum prodidit monumẽtis, noxiũ sibi esse, & eo sumpto, ea perpeti, quæ solerent qui pestifero labefactati veneno fuissent. Succurrat & filius trimulus, cui rheonbarbarum est dulce, & suaue gustatu, alij amarũ dicunt & sentiunt. Ac nisi Medicinæ ratio intercederet, tanquàm insuaue & inimicum gustui reijceretur, sumit autem puer pro delicijs, etsi quando lumbricis, & cruditatibus infestatur, tamẽ abest vt oblatum refugiat, vt etiam quæritet non oblatum. Nulla ille mouetur medicæ potionis causa: nam per ætatem non licet, sed sola gustus oblectatione. Verùm ne noua nostriq; temporis experimẽta plusquàm par est, ducamus in medium. Quis ipsi aduersabitur Galeno venenum minimè nocuisse decernenti? quis, inquam, audaculorum nostræ tempestatis Medicorum aduersabitur, non Aristoteli solùm, vti ostendimus paulò antè, ratione concoctionis, id comprobanti; sed Theophrasto Thrasiæ authoritate decernenti, idem alijs medicamen, alijs non medicamẽ esse? eidemq; asseueranti non assentietur, Eudemum Chium purgatum non esse viginti duobus vno die sumptis ellebori potionibus? Dices aceto mixto & pumice vis eripiebatur elleboro: at si sumas tu vndecim, & adhibeas acetũ, & pumices quot vna die Siculis Aetna vomuit, vomitum non continebis. Taceo absynthium pecoribus Græciæ minimè gratum, Ponticis etiam gratissimum, & ad pinguedinem eorum, & pulchritudinem maximè faciens. Taceo Demophoontem Alexandri ministrum, Athenagoram Argiuum, Aethiopes alios, de quibus omnib⁹ hoc ipso Opere verba fecimus, sileo de platano Gortynia, & Cypria, & de Sybaritida quercu, aduersus omnis eius generis arbores, folia semper retinente, quod refert Theophrastus. Prætereo abstemios quibus & infensum, & lethale vinum est, alijs & vitale, & amicum: Transeo eos de quibus scribit Themistius in libro de somno, quod nouem dies exertis, & inconniuentibus oculis egerint, eosq; quos altus sopor in iustũ triduum attinuerit. Sileo de his quibus sorices mirum incutiunt terrorem, & noui homines, qui in hostium sese phalanges iniecerint, ita abhorrere à muribus, vt à muralibus tormentis. Nec æstimatrix illa vis, quæ ab aliquibus proditur, mihi facit satis, vt ea insensatæ (quod aiunt) species à sensatis eliciantur, sic dicunt ouem viso lupo, eius percipere inimicitiam. Nam & Scotus id neutiquam recipit, nec Ioannes Gerson prorsus admittit in centilogio de conceptibus, & in opere de mystica theologia, qui naturaliter hoc fieri posse nõ abnuit, & sensum na-

ſum naturæ, & naturalem quoq; citat inſtinctum, atq; etiam naturæ legem, & inclinationem naturalem, & directione intelligentiæ non errantis. Nec ego certè, omnino libenter admitto: namq; illi ipſi inimicitiam ſoricum, non expaueſcunt, ſicuti nec ranarum alij, quas non ſolùm non comedunt, multis gratas, ſed nec poſſunt ferre eorum præſentiam, viri alijs in rebus, & rectæ æſtimationis, & apud maximos principes, cùm in re militari, tùm in conſilijs magni momenti. Horrendum certè neſcio quid huiuſcemodi homines perſentire ſe dicunt ex aſpectu, quod tranſit adusq; præcordia, ea ratione, qua & ſympathia introducta philoſophis eſt, quæ ſympathia nõ ad æſtimationẽ inſenſatæ (vt aiunt) inimicitiæ, tametſi apprehendatur ſenſibus, ſed ad horrorem naturæ ſenſilis pertinere ſatis apparet.

Mira autem hæc in vno quod in alio naturæ diuerſitas, ex varia (vt arbitror) humorum proportione diſſultat: de ijs, inquam, ſilco, & de alijs quibus amarum mel, & dulce ſimul, & amarum, & neutrum videtur. Quod ſi quis iterum reſpondeat, vti mel non dulce videatur aliquibus, & vinum gratum, & huiuſmodi cætera, vel in morbũ & exuberantem bilis flauæ corruptionem, vel in temperationem ita conſtitutam debere referri: obijciãtur quæ produntur apud Victruuium Architectum, & poëtam Ouidium, de diuerſorum fontium mira quadam, diuerſaque natura, quorum aqua epota, & abſtemij homines fiant, ac etiam temulenti. Sic & longè plura in ſecundo Athenæi dantur cognoſci, raritatis & admirationis plena. Sed ne ad libros, non ſolùm Græcos, ſed & nimium raros lector videatur relegari, Seneca excipiat Latinus author, & præcipuè tertio libro naturalium quæſtionum, dum de aquarum varia, & admirabili proprietate differit, Ariſtoteles excipiat in libro de admirabilibus auditionibus etiam Latinitate donatus, Theophraſtus item à Theodoro Gaza in Latinum conuerſus excipiat referatque: De potà mulieribus aqua, cuius vi, & fœcundæ ipſæ reddantur, & ſteriles, apud quæ, & alia per multa, non ad corpus ſolùm, ſed ad animum etiam facientia. Nam & verba fiunt de miris etiam quibuſdam prodigioſiſque operibus, de tactu non ſolùm eſu cuiuſpiam herbæ manantibus, deque Arcadico illo vino, quod viros ad inſaniam, mulieres autem ad ſterilitatem deducebat: item de Arcadica vite, cuius vinum faciebat abortum, de veſicaria herba mentem dimouente, alienanteque, deque radice œnotheræ, qua mores mitiores hilarioresque redderentur. Sint autem hæc commenta, ſint nugæ, ſint hiſtoriæ, illud tamen ab eo eſt aſſeueranter prolatum, duo ineſſe corda Paphlagonijs perdicibus, duo quoque hepata * Biſaltijs leporibus ineſſe, & Ariſtoteles memoriæ prodidit, & Theopompus in vigeſimo hiſtoriarum. Habent itaq; nonnullæ animantes quæpiam magni etiam momenti, quæ quidem ipſi alioquin non adſint, vniuerſæ animantium eiuſmodi ſpeciei: eaque habent ab ipſis naturæ primordijs, & præter id plæraque etiam quandoque accidunt particulatim eadem in ſpecie, non modò, ſed in genere rerum, quæ aut nunquàm, aut rariſſimè viſantur. Sic prodit ipſe Ariſtoteles in tertio de Animalium hiſtoria de veſica quæ ſolideſcere vulnerata non ſoleat in vniuerſum, aliquando tamen contra fiat. Nec id quod ſubintulit, mihi ſatis facit, id eſt, quod admodum rarò contingit, parum id obſeruandum eſſe: multum enim & plurimum obſeruandum eſt ei, qui propoſitiones vniuerſim & ſemper veras afferre molitur, alioquin non habebuntur, non erunt ſemper veræ, ſi vel ſemel tantùm, ne dum rarò inuentæ fuerint, non vniuerſim & vſquequaque veræ. Quare niſi etiam obſeruentur, quæ rara ſunt, generalis doctrina minimè fiet, pari quoque cenſura Ariſtoteleum illud in quarto de natura Animalium poſſet notari, nonnulla eſſe in mari animalia effigie inſolenti, quæ quoniam rara inuentu ſint, conſtitui in genus non decet. An raritas derogat generi, & rerum propterea naturam accuſat? an magis audax nimiùm ſenſus: qui etiam eo quo non pertingit, ingredi tamen præſumit, & doctrinam vniuerſalem cum potis non eſt conficere, facilè contemnit, ſiue ad genera rerum, ſiue ad indeprehenſam aliqua in ſpecie varietatem ipſam pertineat. Has tamen atque alia, & varia, & rariſſima, vel ſi in temperamentum rei conſtitutæ vel in corruptionem, vel in aliud, quodcunq; illud ſit, referantur. Id quidem ego, vel omnino, vel aliqua ex parte non contenderim abnuere, ſi is tamen qui hoc afferat cùm demonſtrationem vult aſtruere, etiam in ijs rebus minutis, & maximè ſenſui expoſitis, vel ſi ad minus pro materiç conditione propoſitionem vniuerſalem vult fabricare, ita paratus veniat, vt primùm cognoſcat omnia & ſingula, quod certè reputat

* *Biſaltia regio Macedoniæ libera ad Strymonem amnem.*

Aristoteles fieri non posse: nec hoc satis etiam, singulas noscat affectiones oportet siue naturales, siue quæ vitio corporis, aut extrinsecùs aut intrinsecùs acciderint, & naturam immutârint. Cognoscat etiam cur vel humor, vel color, cur virtus aliqua, vel extrinsecùs aduenienss, vel intrinsecùs ingenita, & totius corporis administra, in hæc possit in cætera, & vbi potuerit, in ijs similes, in alijs dissimiles promat effectus: Noscat prætereà, quæ de huiuscemodi rebus ficta ait, quæ vera narrata: nam de his omnibus certus sit oportet, atq; adeò certus, vt alij alijs similes nequeant iudicari. Quod cùm supra vires humanas constitutum sit, putet & supra vires humanas esse, propositionẽ vniuersalem omnino veram fabricare, etiam in ijs quæ pertinent ad experimenta Medicinæ, quotidie in vsu mortalium, & ad hominum actiones, de quibus & sumpsit Aristoteles exempla in materia demonstratrici, & eius sectatores custodierunt, vti de veratro cui vis insit purgandi, & de fuga, & de redintegratione pręlij, atque de eiusmodi cæteris. Vtiam nullum effugium ad naturæ diuersitatem, eamque instar scuti prætendant, opus est enim vt illam percalleant diuersitatem, quantumuis multiplicem, & afferant simul conditiones innumeras verbi causa, rheonbarbarum quantum in se est, vel verum, atque legitimum, vel minimè vitiatum, vel minimè vetus, ac eiusmodi cætera. Nec hoc satis, eius hominis cui propinandum est rheonbarbarum conditiones necesse est exploratas habuisse atque perspectas, nec hoc iterum satis, cognoscendæ quoque, & temperamenti, & pharmaci, vel amicæ, vel inimicæ inuicem affectiones, de ipsa rei natura, de qualitatibus manifestis, & de occultis quę dicuntur prodeuntes, earum quoque proportionum relationes, & nosse, & perpendi se oporteret. Nam rheonbarbarum, si dici & haberi debeat praui humoris antidotum, referre id ad corpora necesse est. Nam ex sese si consideretur, nec ad aliud referatur, pharmacum salubre non dicetur, non habebitur, quoniam vi purgandi, nisi acceptum stomacho aut intestinis, & concalefactum, omnino pollet.

Quamobrem, & de homine quoque opus est ea dici, de quibus egimus, & de earum inter se proportione, quæ multò magis probatu, non solùm inuentu difficilia, & incerta sunt, quàm ipsa sit, per se incerta probatio. Quod autem & de homine, & medica potione diximus, exemplo vsi notissimo, & ab Aristoteleis exemplis nil abhorrente, vt probare in vniuersum quicquam Aristotelico modo nõ detur. De alijs idem iudicium, eoque compertiùs, quod remota magis sunt à sensibus vitaque communi, ne nos duntaxat immorari dicerent in exemplis medicæ facultatis, quæ ars non scientia à multis existimetur. Nam de instantia vniuersalis propositionis egimus in sese, quam etiam in ijs quæ habentur verissima, satis ostendimus, non constare. Nec mihi officiat eorum opinio, qui simplicium terminorum notitiam, à sensu quidem pendere dicunt, eam verò, quæ in complexu consistit minimè: pendet enim Aristotele authore: siue enim sine medio, siue cum medio, sensum tamen ea ipsa agnoscit parẽtem, ad primam sensuum notitiam recurrere opus est. Ipse idem Aristoteles in calce secũdi Analytici docet, ipsa prima inductione cognosci, & sensus ipsum vniuersale in nobis efficere, clarissima voce testatur, & eius etiam interpretes, & paraphrastes apertè confirmant: inter quos Themistius, docens ipsum vniuersale & constitui, & cognosci inductione, per quam ex notitia particularium (quod & antè diximus) vtcunq; intelligentiam vniuersalis venitur. Cuius rationis assumptiones ipsi erunt sensus, quoniam sensu singularia noscitantur, falsum igitur eam iuuari tantummodò sensili cognitione, quoniam intellectus possit virtute propria terminos componere atque diuidere, & aliquid afferre per sese, aut de subiecto, aut de ipsius affectione. Satis enim cum Aristotele tales non ambulârunt, qui passim docet cognitionem omnem nostram, hoc est, humanam à sensibus oriri, vnde ad experimenta lis recidit. Quare secundùm Aristotelem & sectatores eius celebratos (neque enim hîc aliter loquimur) omnis humana cognitio, etiam quæ complexu consistit, pendet à sensu, siue vera, siue falsa, apud quem etiam decretum est, veritatẽ quæ oratione exprimitur, à rebus quæ sunt extrinsecùs, & sensu capiuntur pendere, veritas autẽ complexu percipitur: quare negat Aristotelem, qui negat omnem humanam cognitionem non habere in sensu principium, & fundamentum, siue simplex ea cognitio fuerit, siue composita, quæ videlicet de rerum simplicium cognitione conflatur. Quapropter ille sine dubio testatũ reliquit, nihil esse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, quãdo & composita

posita cognitio à simplici, & simplex oritur à sensu. Vnde afferant quicquid voluerint, siue per se, siue per partes, siue similitudine, siue remissione, siue effectu, id explodere non poterint, nisi ipsum pariter explodant Aristotelem.

Vidimus itaq; demonstrationis fundamentum non stare, quoniam nõ semper certus est sensus, atq; ideò incerta demonstratio, quæ principium ducit à sensu in varijs hominibus, ijsq; & doctis, & prudentibus, vario, vnde & varia quoq; imaginatio, & opinio, & intellectus varia sententia, diuersitatẽ sequens imaginationis & sensus: quòd si ipsa etiam demonstratio fundamento sensus certa haberetur, causa tamen & medio labascit, maximeq; nutat definitionis inscitia: Progressu denique & fine illam, hoc est, vniuersalibus propositionibus & affectione subiecti, de differentia, specie, formaque manante, ipsamq; inductionem particularia sensu colligẽtem, maximè infirmam dubiamque monstrauimus, totiesque peti principium ostendimus, hoc est, fallaciam prætendi, quoties vniuersalis propositio colligi tentatur. Si maximè offeratur instantia, quæ & si non occurreret, nihilominus suapte natura, nõ posse illam ipsam vniuersalem propositionem confici manifestauimus, cùm fallacia quæ dicitur consequentis incurratur eo in discursu, qui ex multis colligit omnia, & ex singularibus vniuersalia. Quæ quidem singularia, & ex infinitate, & ex varietate diuersissimaque natura, quæ sæpissimè putatur similis, comprehendi non posse docuimus, ita vt ex eis vera propositio vniuersalis, maximè affirmatiua conficiatur, sine qua non potest parari constituique demonstratio ex regulis Aristoteleis. Negatricem quoquo modo confici faciliùs posse non negauerim propositionem vniuersalem, quis enim ambigat, nullum hominem esse lapidem, dici certius, quàm omnem hominem esse risibilem, sed, vt dixi, sine affirmatiua, demonstratio non concluditur. Qua ex re colligitur, etiam si alia via infirmari demonstratio nequiret, hanc satis, & esse, & haberi debere, atque eo etiam, quod & subiectum, & prædicatum eius ipsius propositionis conclusionisq;, seorsum oporteat nosse, & omnes pariter, quæ sub vno quoque sunt affectiones & proprietates, maximè primarias: nec id etiam satis, nisi & quibus modis conuenire, & quibus dissentire possint, exquisitissimè sit compertum: Quibus omnibus concludi potest, totam vim demonstrationum Aristotelicarum, vt benè cum ea statuatur, vt immunis fallaciarum sit, ad similitudinis coniecturam, & eiusmodi cætera, id est, ad probabiles locos reduci, vniuersamq; demonstrandi artem, incertam esse, non necessariam ita, vt aliter fieri nequeat, quemadmodum ille autumauit, ac vt cum ea preclarissimè agatur, esse illam, non sciendi quidem, sed benè & probabiliter cõiectandi facultatem. Quapropter illud Euripidis, qui astutos diuinatores elusit canens,

Qui benè conijciet is vates optimus esto, æmulari & illi succinere aduersus demonstratores huiuscemodi quispiã possit, qui bene conijciet, is demonstrabit apertè.

PERORATIO QVINTI LIBRI, VBI ET FIDES, & disciplina Christiana celebratur.


SI demonstratricis artis Aristoteleæ principia labant, cùm sensus qui alijs incertus modis redditur, quàm quos ipse narrauit apertè vacillet, nec status monstretur & constans, si alijs etiam, quàm quas ille tradidit, conditionibus non falleretur: Si incerta media, cùm multiplex in definitionibus error sit apertè monstratus: Si fines etiam varij & nutabũdi, quando propositiones vniuersales, de illis ipsis haustæ, & sensibus, & definitionibus, queant facillimè infringi, quid restat prætereà vt alterius demonstrationis genera, non quæramus? stata, certa, probatissima: quæ quidem sensu non nituntur, sed authoritate diuina, quæ nec fallere potest omnino, nec falli, quæ mendicari non oporteat per angulos & plateas garrientium philosophorum, sed vbivbi fueris, adsint præsentia. Quot enim in Sacris literis propositiones, tot in lumine illo diuino fidei principia verissima, quibus eodem à lumine, atque à synceris naturæ primordijs, si non desciueris deducere & habere tibi sumptis eius generis propositionibus alijs facillimè queas ea, quæ cùm tibi, tùm alijs salutem, & spondeant, & præstent, vbi opere verba compleueris, sempiternam: quibus verè intellectis, nulla pariatur rixa, nulla prorsus amarulenta disceptatio, quoniam ibi, non opinio, sed fides, ex fide pax, *quam mundus da-*

dus dare non potest; pax quæ, vt ait Apostolus, *superat omnem sensum:* ex opinione dissensio, lites, tumultus: quo incommodo super omnia animalia, peculiari quadam suæ elationis pœna, genus humanum & bellat, & conflictatur. Nam brutæ animantes nutricatione, habitatione, societate ad generandum præliantur, homo præter hæc, & opinionum diuersitate bella perpessus est, non in se solùm, sed cum alijs, quando sæpenumerò, ex diuersa opinione odium, ex odio bella prodiêre: à quibus tantum sunt qui fide Christi & disciplina ducuntur, vt nihil magis habeant in precio, quàm amorem, quem Sacræ illis literæ demonstrârunt. Sed quoniam alibi de ipsis egimus demonstrationibus, nunc sextum & vltimum Operis huius librum ineamus.



IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ DOMINI, ET CONCORDIÆ COMITIS, IN EXAMEN VANITATIS DOCTRINÆ Gentium, & de veritate Christianæ disciplinæ, qui est Tertius aduersus Aristotelem & vltimus,

LIBER VI.

PROOEMIVM.



ARNEADES contra Stoica scripturus dogmata, fertur superiora corporis elleboro albo purgauisse, quod factum fuisse prudenter, qui humanæ ratiocinationis momenta considerent, neutiquam arbitror, abnegauerint: euenire enim facilè potest, vt aliena distortaq; visa, præsentia fiant animo, ob vitiatos humores, ex quibus præpostera illa phantasmata, & cooriuntur, & afformantur: atq; inde veræ rerum æstimatio, & vitiatur, & tollitur. Ob hanc causam fortassis euenit, vti scriptores præclari, & apud gentes, & apud nostros, compositis magna cura atq; editis operibus, palinodiam cecinerint, & rectè id quidem atq; ingenuè, quando sese deprehenderunt aberrauisse. Ego verò fore opinor, vt etiam sine potu ellebori, multi me palinodiam scribere opinentur, qui & logicam iam institutionem ediderim, & mox in logicos, hoc ipso in Opere, non semel disseruerim, sed ibi monstrâram me hoc opus iam esse meditatum, nec futurum, vt logicam damnarem facultatem, quam nec ipsi damnare possent Sceptici, quando in ea confutanda, ipsa logica, tanquàm instrumento maximè vterentur. Multorum autem arrogantiam me æquo animo ferre non posse satis indicauit, atq; ideo non esse artem abijciendam, quam docui vtilem rationis discursui, ab ipsa natura dato, quem deinde ars & instituta hominum, super eo fundata, perficerent. Sed enim illud etiam sum planè testatus, instituta ipsa hominum & artes, si non tolli artibus alijs, & dubio procul infirmari, & incerta reddi potuisse: & præ omnibus ipsam demonstrationem, philosophorum inuentum, ab Aristotele maximè cultum & elaboratum, incerta, inquam, reddi posse monstrauimus, cogitatione nostra & studio ipsis etiam Peripateticæ philosophiæ fundamentis vsi. Præterea quæ primis huius Operis voluminibus, ex diuersa philosophia, ad ipsam humanam sapientiam infirmandam attulimus. Restabat vt particularia Aristotelis quæ celebrari solent dogmata, tantum non habere ponderis, vt æstimari à plærisq; solet, aperirem, quod muneris obibit præsens liber, in quo id præstare conabimur, vt quæ à multis demonstrationes certissimæ putabantur, partim falsa, partim leuiora, quàm par sit, argumenta dignoscantur, vt nil iam fiat reliqui ad vanitatem, quam & agnitam, & explosam volumus, detegendam.

CAP.

Cap. I.

QVOD ERRORES MVLTI IN REFERENDIS ET CONfutandis veterum philosophorum placitis, ab Aristotele commissi sunt in physicis, quo in loco Parmenides & Melissus defenduntur multipliciter.

HACTENVS demonstrandi artem ab Aristotele positam, multa labare vanitate demonstrauimus, quintoq; Operis libro terminum posuimus: Restat vt malè demonstrasse, quæ se illi rectè putauerat, aperiamus, & reliquas etiam vanitates insinuemus, vt explodantur. In primis autem multi sunt eius errores, quod attinet ad veterũ placita philosophorum, aut referenda, aut confutanda, multæ quoq; argumentationes minimè solido nixæ fundamento: quas tamen multi vice demonstrationum solent admirari. Exordiamur itaq; ab auscultatione physica, libroq; primo de principijs naturalibus, indeq; multa tractantes de supernaturalibus etiam agemus. Possem facilè, si vellem, librum seorsum conficere, quo monstrarem, aut omnes, aut non parũ multos veterum philosophorum ab eo, vel non ritè ductos in iudiciũ, vel iniustè condemnatos. Aliqua tangam omnibus ferè nota, & insigniora deligam, vt inde ad alia deprehendenda facilior via præbeatur. De principijs naturalibus differens Aristoteles, dum veterum narrat opiniones, ita digerit rem, vti pro firmo atq; constanti, apud multos eius interpretes decernatur, non extitisse inter vetustos philosophos quempiam, qui terræ primatum dederit, cùm tamen Pherecydes Syrus, authore Sexto philosopho, terram dixerit vnicum esse rerum principium. Theodoritus autem Cyri episcopus, Colophonium, Xenophanem ita sensisse memoriæ prodidit. Nec secus Parmenides existimasse censetur, qui Xenophanis opinionem confirmauit, qua voluit, vniuersum quidem esse perpetuum & sempiternum, sed ex terra omnia manasse, addito igne, quod si quis assereret, hoc ipso nõ formale (quod aiunt) sed materiale principium indicari, primùm aduertat eos qui ita loquuntur de principio simpliciter loqui, deinde consideret, Pherecydem cùm vnicum dixit non de materiali tantùm loquutum, sed vel de nobiliori, vel omnia simul ab eo sub vnici vocabulo fuisse cõprehensa. Nec sanè defuêre inter Peripateticos, qui Parmenidis opinionem tutati sint, & affirmârunt à Melisso, & Parmenide nihil ibi de principijs naturalibus, sed de vno & primo Deo mentionem habitam. Etenim Theophrastus scribit Zenonem, cuius auditor fuit Parmenides, inter physicos nõ debere collocari, atq; ab eo vnius, & vniuersi nomine Deum appellatum, qui vnus ingenitus, immobilis, & æternus esset: Ita & Nicolaus, Damascenus, & Alexander ex Aphrodisiade senserunt. Sed quid opus est sectatoribus Aristoteleis? num & Aristoteles in ipso physicæ auscultationis initio, cùm dixisset necesse esse, aut vnum haberi principium, aut plura, & si vnũ immobile ὥς φησὶ Παρμενίδης, καὶ Μέλισσος, id est, vt inquit Parmenides & Melissus: vel mobile ὥσπερ οἱ φυσικοὶ, id est, sicuti physici, tunc clarissimè distinxit Parmenidem & Melissum à physicis: mox paululùm cùm processisset, subiunxit τὸ μὲν οὖν εἰ ἓν καὶ ἀκίνητον, τὸ ὂν σκοπεῖν, οὐ περὶ φύσεώς ἐστι σκοπεῖν, hoc est, itaq; si vnum hoc, & immobile quod est considerare, non de natura, est considerare. Confirmauit etenim per hæc verba physicos eos, non essent physici, cur tamen eos tanquàm physicos reprehendebat? Quid enim causæ vt de rebus agentes diuinis citaret motum? num potiùs vt repellerent? sed si de principijs minimè naturalibus differebant, cur tanquam de naturalibus disseruissent reprehenduntur atq; taxantur?

Dices induebat Aristoteles personã metaphysici de principijs dum dissereret, quid tum? an propterea confundere facultates debuit, & adscribere physicis quod metaphysicorum erat? cùm tamen illi ipsi de vtraq; facultate, sed diuersis in locis disseruissent. Cur alia eius loca, vbi de naturalibus tractant, nec immobilia dicunt principia, nec vnum, sed mobilia, & plura, cur ea, inquam, non afferuntur? At dices dissoluere tunc volebat ea Aristoteles, ne alijs præberetur occasio quæpiam erroris & lapsus. At quo pacto id fieri ab eo potuit? cùm & ipse eadẽ dicat in metaphysicis: An eius operis

 libro

libro duodecimo nõ proditur vnũ esse principium immobile æternum? Vituperarine hoc in Aristotele iure potes? minimè inquam scio respondebis, & maximè si eorũ de numero fueris qui existimant ibi rerum omnium principium ab Aristotele celebratum. Cur quęstio? quia verum est, & non de naturali, sed de supernaturali tùm principio loquitur, & in opere de rebus transnaturalibus & vltrà mundanis. Sed ita profectò & loquebatur Parmenides in libro περὶ ἀληθείας. Vbi de rebus agebat intellectilibus. In libro verò qui de opinabili inscribitur ratione, quo in libro res tractãtur sensiles, non scientia, sed opinione (vt ipse, vt omnes alij philosophi, qui diuiniores habiti sunt existimabant) captabiles atq; cognobiles, ignem in eo, & terram statuit rerum naturalis principia: quod nec Aristoteles audet alicubi negare. Sic & Theodoretus in libro de Materia & Mundo, opinionem Xenophanis, qui fuit Eleaticæ sectæ institutor recensuit, & partim, confutauit, quod vniuersum dixisset ingenitum & sempiternum, mox omnia ex terra producta censuisset, & in terram reditura, ἐκ γῆς γὰρ τὰ δὲ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ, ex terra cuncta atq; in terram cuncta recumbunt. Quod tamen absurdum nõ esse dici posset, si illud omne quod ipsi dicebant πᾶν sempiternum Deũ intellexisset, nec repugnans etiam, si ipsum vniuersum dedisset intelligi. Nam Aristoteles mundum fatetur æternum, & nihilominus partes interire & suboriri voluit generatione, & corruptione perpetua. Sed vtcunque ille intellexerit, certè subintulit ipse Theodoretus Xenophanis amicum, & socium Parmenidem Pyreti filium Eleatẽ consona præceptori, quoad primum attinet dogma scripsisse, ὅλον μουνογενές τε, καὶ ἀτρεμὲς ἠδὲ ἀγένητον, hoc est, totumq; vnigenumq; & immobile, sicq; perenne: Mox adiecit: αἴτιον δὲ τῶν ὅλων οὐ τὴν γῆν μόνον, καθάπερ ἐκεῖνος, ἀλλὰ καὶ τὸ πῦρ εἴρηκεν οὗτος, hoc est, causam autem omnium non terram solùm, quemadmodum ille, sed & ignem hic dixit: mox & subiunxit, Melissum infinitum dixisse, quod illi finitum terminatumq; decreuerant. Sed enim finitum vel ijs rationibus existimatur illis placuisse, quoniã vnum est priusquàm multa, eorumq; causa solet haberi. Ea verò multa cùm limitem terminumq; acceperint, à finitudine proficisci putauerunt, hoc est, à statuto quodam ordine, & (vt ita dixeris) finita specie & Idea, siue exemplari, rem finitã & creandam repræsentante. Ad hæc finitum perfectionem quandam & absolutionem indicare censuerunt, ex eo quod imperfectum quod habetur id infinitum, hoc est, fine frustrari & egere dici consueuerit, vnde à posterioribus theologis infinitum priuatiuè dici solet, quia priuatũ est congruenti fine, quomodo infinitam primam materiam dixêre multi, hoc est, debita forma, & termino suapte natura carentem. Deum autem cuius virtutis, & potestatis nullus terminus, nullus limes, finis est nullus, negatiuè dixêre infinitum.

Cæterùm quantitati nomen infiniti congruere voluerunt, quæ si continua secari, si discreta augeri, ad infinita possit: verùm illa quantitatum infinitas actu non habetur, nec perfecta. Sed enim prius hæc finiti, & infiniti, sicuti, & paris, & imparis habebatur appellatio, apud Pythagoręos: quorum è numero Parmenides erat, hinc materia non solùm vocata est infinita (vtpote quæ in sese considerata nulla forma finiretur,) sed aduentantibus, & recedẽtibus formis varios terminos caperet, verùm etiam dicta est multitudo, quia vnum, scilicet, ipsa terminum, vnum finem non haberet: quo pacto etiam apud Iamblichum vocata dualitas est, in opere de secta Pythagorea. Quare illa acceptione infiniti, qua infinitum pro carentia perfectionis capitur, quemadmodum etiam in quantitate si conderetur quidpiam, indicatur id minimè perfectum esse, illa, inquam, acceptione Parmenides primum illud ens noluit infinitum haberi. Melissus verò infinitum cœpit alia ratione, qua id videlicet nominis excellentiam & supereminentiam virtutis, & potestatis indicat: quo pacto & posteriores Theologi dicunt infinitum negatiuè, hoc est, nullo fine, nullo comprehensum limite, quo modo non moli, sed potestati & virtuti præberi solet infinitas. Sed longè plura in eorum defensionem scribi possent à quibus abstineam, cùm scripserit etiam hac de re multa Bessarion Cardinalis & Patriarcha Constantinopolitanus in secundo volumine contra calumniatorem Platonis, quod opus & Latinè scriptum est, & bis formis impressum Romæ & Venetijs: ibi nanque & Parmenidis carmina plura in Latinam translata linguam, & Melissi verba referuntur, quibus apertissimè cõstet, aliud eos sensisse, quàm quod eis imponit Aristoteles. Scripsit & in Parmenidis & in Melissi etiam defensionem Simplicius inter Grecos Aristotelis interpretes & re, & cognomine magnus, quem quan-

quàm

quàm hac in re non citat, ſecutus tamē videtur aliqua ex parte Baſſarion: is enim cùm exponeret primum Phyſicæ auſcultationis librum, ita ſcripſit: δηλοῖ δὲ ὁ Πλάτων θαυμάζων οὕτως τὸν Παρμενίδην, ὃν διελέγχειν δοκεῖ, καὶ βαθέως κολυμβητοῦ δεῖσθαι λέγων τὴν διάνοιαν αὐτοῦ, καὶ Ἀριστοτέλης δὲ τὸ βάθος αὐτοῦ τῆς σοφίας ὑπονοῶν φαίνεται, ὅταν λέγῃ, Παρμενίδης ἔοικε ποῦ βλέπειν, καὶ οὗτοι οὖν ποτὲ μὲν τὸ παραλελειμμένον ἀναπληροῦσι, ποτὲ δὲ καὶ τὸ ἀσαφῶς εἰρημένον, σαφηνίζοντες, ποτὲ δὲ τὸ ἐπὶ τῶν νοητῶν εἰρημένον ὡς μὴ δυνάμενα τοῖς φυσικοῖς ἐφαρμόττειν διακρίνοντες, ὡς ἐπὶ τὸ ὂν καὶ ἀκίνητον λεγόντων, hoc eſt, manifeſtat autem Plato admirans ita Parmenidem, quem redarguere videtur, & profundo natatore indigere dicēs cogitationem ipſius & Ariſtoteles profunditatem eius ſapientiæ ſubinnuere videtur cùm dicit, Parmenides autem viſus eſt aliquò reſpicere. Etij quidem interdum complentes quod relictum erat, interdum quod dictum obſcurè fuerat declarantes, interdum ea quæ de rebus intellectilibus dicta erant, vtpotè quæ nequirent phyſicis aptari diſcernentes, veluti in ijs cùm dicerent vnum ens & immobile: & cùm aliquantum proceſſiſſet, inquit: ὁμολογεῖ δὲ Ἀλέξανδρος ἐν μὲν τοῖς πρὸς ἀλήθειαν ἅπερ ἐστὶ περὶ τοῦ νοητοῦ ὄντος τὸν Παρμενίδην ἓν τὸ ὄντι, καὶ ἀκίνητον, καὶ ἀγένητον λέγειν, κατὰ δὲ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, καὶ τὰ φαινόμενα, φασὶ φυσιολογῶν, οὔτε ἓν λέγων ἔτι εἶναι τὸ ὄν, οὔτε ἀγένητον, ἀρχὰς τῶν γινομένων ὑπέθετο, πῦρ καὶ γῆν, τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην ὑποτιθεὶς, τὸ δὲ πῦρ ποιητικὸν αἴτιον, καὶ ὀνομάζει (φησὶ) τὸ μὲν πῦρ, φῶς, τὸ δὲ γῆν, σκότος, hoc eſt, Confitetur autē Alexander in ijs quæ ad veritatē pertinent, ſicuti eſt de ente intellectili, Parmenidē vnum eſſe & immobile, & ingenitum dicere: Cùm autem ſecundùm multorū opinionem, & ea quæ apparent, phyſicè loquitur, neq; vnū dicit amplius eſſe ens neq; ingenitum: Principia ſiquidem eorum quæ fiunt, poſuit ignē & terram, hanc etenim terrā, tanquàm materiam ſubſtituens, ignem verò veluti cauſam agentem, & nominat (inquit) ignem lucem, terrā verò tenebras: hæc ille ad verbum, & plura cùm dixiſſet, interpoſuiſſetq;, multa quoq; Parmenidis recitaſſet carmina ſubintulit: ἀλλὰ ταῦτα μὲν διὰ πολλὴν νῦν ἄγνοιαν τῶν παλαιῶν γραμμάτων μηκύνειν ἀναγκάζομαι, εἰκότως δὲ ἓν λέγοντες τὸ ὂν καὶ ἀκίνητον ἔλεγον, εἴπερ μὴ περὶ φυσικῶν διελέγετο, συνεισήγετο δὲ καὶ ὁ τόπος, εἴπερ ἦν φυσικὴ κίνησις, ἄλλος ὂν παρὰ τὸ κινούμενον, ἀλλ' ὁ μὲν Παρμενίδης περὶ τοῦ νοητοῦ λέγων ὄντος, ita Latinè quoq; ad verbū interpretemur. Sed hæc quidem ob eam quæ nunc multa eſt veterum literarum ignorationē, dilatare cogor, iure autē vnum dicentes ens, & immobile dicebant, ſi quidem non de phyſicis diſputabatur, ſimul enim induceretur & locus, etenim phyſicus erat motus: id autem diuerſum ab eo, quod motū eſt, ſed enim Parmenides de intellectili ente verè locutus eſt: hæc Simplicius, & alia multa, qui deinde ad opinionem Meliſſi conuerſus, multa de ipſo ſcribit quæ longū eſſet enarrare. Non parū multas enim paginas negocio Parmenidis & Meliſſi dedicauit, ex quibus hæc pauca, quantum attinet ad propoſitum, excerpſiſſe ſat fuerit: atq; eò maximè, quòd & Ariſtotelis proprijs verbis, & Theodoriti Epiſcopi Cyri teſtimonio, longè aliter Parmenidem putauiſſe ipſe monſtraui, cùm omnium cauſam quoad pertinet ad materiam, & terrā, & ignem exiſtimârit. Quare contra dogma hoc, vtpote naturale, non contra id quod ad materiam, hoc eſt, motum & generationē corruptionemq; rerum ſublunarium non pertinet, diſputare inter initia phyſicorum debuit Ariſtoteles. Nam neq; falſa aſſumebat Parmenides atq; Meliſſus, neq; diſcurſu errabant, alioqui formæ ſyllogiſticæ rationem haberi quid opus eſt, dum carmina promuntur? quod clariſſimum & compertiſſimum maximè debuit eſſe Ariſtoteli, qui ea de arte ſcripſit volumina. Carmine verò præcepta philoſophiæ Parmenides prodidit. Debuit & aduertere non omnibus in rebus oportere eos damnare, qui ab antecedentis propoſitionis ſublatione, ſublatum iri volunt conſequentē atq; connexam. Alioqui quo pacto defenderetur Ariſtoteles in primo de Anima libro? qui perēpto aſſumpto primo, id quod inde pepēdit, perimere voluit. Num Themiſtius falli id in poſſibilibus & cōtingentibus docet, Egidius Romanus in reciprocis & ijs quę cōuertuntur, pariter euenire ſcribit? Reciprocari autem & cōuerti in rebus infinitis prædicationes eas, illi quoq; putauerunt. Hinc excuſatio illa tollitur qua vtuntur quidam, cauiſſe Ariſtotelem cōtendentes ne verbis impropriè, & per translationem poſitis, lectores hallucinati deciperentur. Cur quæſo id non effecit, quod poſteà Galenus cùm de Xenophane præceptore Parmenidis diſſeruit, in hiſtoria philoſophica? Eum enim docuit de omnibus rebus quidem ambigere, hac vna excepta, quod doceret vnum omnia eſſe καὶ τοῦτο ὑπάρχειν θεόν, id eſt, & hoc eſſe Deum. Exponere itaq; potiùs probi viri more, quàm lōgo progreſſu confutare, quā in ea inuehere

debuiſſet,ſi talia erant vt per ſe quidem vera haberentur,poſſent autem ab ignaris falſa exiſtimari, eoq; magis, quod ſibi ipſi etiam nocebant,hoc eſt, proprijs interdũ placitis ea officiebant,quę ſpargebat in alios.Debuiſſet item alia ipſorum citare verba,& verè cogitata, & ritè exprompta,nulliusq; declarationis indiga, quibus citra ſuſpicionem adumbrati veri,nullo lectores offendiculo laceſſiſſet. Defendit quoq; Parmenidem Nicolaus Cuſa in libro de filiatione Dei, cùm de vno & modo vnius ſubtiliſſimè diſputat, docetq; vnũ eſſe, quod in omnibus eſt omnia, quæ id ipſum modo ſuo participant. ·Sed reliquos phyſicæ auſcultationis libros adeamus, vbi de motu, de loco, de vacuo diſputat Ariſtoteles: quibus in rebus quam eum ſui ſectatores, quam ipſa etiam quandoque veritas,& præcipuè dum de motus differit æternitate reprobet,diſquiramus.

CAP. II.

MOTVS DEFINITIONEM AB ARISTOTELE TRADItam,& plæraq; etiam de motu dogmata rationibus & authoritatibus impugnari ſolere.

MOtus definitio tradita ab Ariſtotele, per actum entis, qui ſit in potentia quatenus huiuſmodi, plæriſq; non placuit, & corporibus duntaxat competere,ſi ritè competat,arbitrati ſunt. Motum quoq; in definienda natura malè cum quiete iunctum ab Ariſtotele ſunt, qui affirment: quando corpora cœleſtia naturalia ſunt,& nunquàm quieſcant. Debebat communis definitio naturæ,omnibus competere quæ ſub ipſa natura ſunt,non aduerſari. Ignis autem (ne de natura rerum corruptibilium dixiſſe illum tantummodò contendant) ſemper mouetur,aut ſurſum,aut deorſum,aut in orbem,vt ſcribit Porphyrius,qui vel particulam propterea,loco & dici maluit, id eſt,motus vel quietis,nec obeſt ſi motus rectus finiatur, & tamen quies eueniat, quæ inter duos contrarios motus afferatur: quoniam inter eos non intercedere quietem ſemper manifeſto exemplo probatur, hoc ipſo libro.Sed ſphęra ignis illa ſuperior,quam volunt orbi Lunæ proximam,ſemper in orbe cum ipſo orbe cietur, vt non ſit neceſſe corpus duntaxat corruptioni minimè obnoxium excludere,quod nec excludi etiam à finitione debere ſatis aperit, ea de qua agitur natura, neq; enim de corruptibili tamen ibi differit Ariſtoteles, ſed generatim de omni natura, libriq; ipſi in quibus id tractatur communes habentur omni rei naturali.Multa quoq; de motu dogmata improbata ſunt,inter quę illa:motum qui eſt ad locum priorẽ eſſe natura omni ſpecie mutationis. Nam & Hebræi hoc carpunt, vt qui mundi creationem nobiſcum tueantur, dicuntque mundum à Deo creatum, & Pythagorici multiq; Platonicorum generatum mundum affirmant.Nos ſimplici emanatione conſtitiſſe dicimus:Prius autem res eſt,quàm vt ad locum moueatur. Motus item qui ſpectatur in quantitate & in qualitate præcedere videtur eum, qui eſt ad locum,prius enim quantitate fulcitur res, & qualitatibus conditur,quàm vt mutet locum.Falſum quoq; & illud eſſe Hebręus Haſdai contendit,quicquid ex accidenti mouetur, quandoq; neceſſariò quieſcere. Nam ex Ariſtoteleo dogmate ſphæra ignis ex accidenti mota,videlicet ad orbis ſuperioris motum,nõ quieſcet cœlo agitato:quod noluit Ariſtoteles poſſe quieſcere,ſuperficies quoq; cœli extima,& partes ipſius ſemper agitatæ,nõ ex ſe,ſed ex accidenti ad motum corporis in quo ſunt,mouentur. Nec reſponſio Moyſis Narbonenſis quicquam ſuffragatur,vt illud ex accidenti quatenus, ex accidenti vim exemplorum imminuat.Animæ enim dum motu corporum mouẽtur, vt coniunctæ ſunt mouentur, & æterno motu cœli anima ex eius ſententia mouet. Non recipitur & illud,ſolum motum orbicularem eſſe continuum, atq; rationes Ariſtotelis quibus id probare ſategerat fabulas appellat Haſdai,& nigrum cùm mouetur ad albedinem, licet non quieſcat in ea, ſed denigretur, nõ tamen ſequitur propterea vt dealbetur ſimul, & denigretur,ſed ratione diuerſa, hoc eſt, quatenus dealbatur poteſt id aſſeri, & quatenus denigratur hoc etiam poteſt affirmari: nec abſurdum eſt vllum. Illud quoq; falſum inter duos contrarios motus neceſſariò quietem intercedere, alioqui ſequeretur vt pondus ingens, vt mons altiſſimus, ſuper re leuiſſima aſcẽdere procumbens, ſiſteret motum & quietis interponeret morulam, & ipſo in aëre conqui-

conquiesceret. Propositione quoque illam Aristotelis longè celebratissimam omne quod mouetur, ab alio mouetur, negari posse scio, & de motu ex accidēti aliter quàm ipse fecerit, distingui, sed proprius huius rei discutiēdæ locus erit, cùm de diuinis malè eum sensisse docebimus: nam per eam propositionem probari Deum esse, multi contendunt, multi negant: ad calcem igitur operis vbi ea de re agetur, istius quæstionis euentilatio differatur.

CAP. III.

TEMPORIS DEFINITIONEM ET ALIA DE tempore Aristotelis placita refutari.



NEq; autem omnia recenseo, nam cunctam ferè de naturalibus principijs Aristotelis doctrinam euertere tentârunt multi, inter quos etiam R. Hasdai Mosi Aegyptio minimè assensus, qui propositiones Peripateticas tanquàm solido nixas fundamento receperat, inter quas illam: tempus esse numerum motus: Quiete namq; mensurari tempus affirmat, etiam si nunquàm motus inueniretur, magnam siquidem quietem vocari sæpenumerò est aduertere, cùm quicquam longo tempore conquiescit. Definit autem ipsum tempus ita (vt eius verbis agam) mensura continuitatis vel motus, vel quietis, quæ inter duo momenta: vt genus sit ipsa mensura, videriq; iure affirmat numerum genus esse primò nō posse, cùm sit discretæ quantitatis, mensura continuæ. Motum autem & quietem dimetitur animus: quare cùm tempus accidens appelletur, ad eum ipsum animum referri iubet, alioqui falsum essent, illud esse accidens, extrinsecùs, quoniam & quietem consequitur quæ priuatio est, non autem persistens, & stata natura, quare falsum affirmat esse vt tempus dicatur motui iunctum, quando & quieti quæ illi opponitur non minus aptetur. Falsum item, quod non habent motum, id sub tempore non contineri, quandoquidem quæ sunt à materia seiuncta, motu caret & sub tempore solent reponi. Prætereo multa quibus ipsum vexauit Aristotelem, satis est authorem indicasse, quem fortè & alibi citabimus innuentes potiùs eius impugnationē quàm curiosiùs explicantes: Facta enim ex integro facere nostri nō est propositi. Sed fortè quoad numerum attinet, posset responderi, quemadmodum Themistius docet longo progressu in quarto physicorum libro de Mensura mensurante & mensurata, de numero etiā numerante, & numerato disputans, quorum illum discretæ, hunc continuæ attribuit quantitati, & retur ad explicandam temporis naturam magis idoneum, etiam quod illius proprietates, & vestigia seruet. Sed enim non mihi omnino facit satis ipse Themistius, quin aliquid habere roboris videatur censura Galeni, afferentis tempus definitum esse per tempus: nam tametsi prius, & posterius in tempore, dictum sit à priori, & posteriori in motu, idq; referatur acceptum priori & posteriori, quod in magnitudine inuenitur, nihilo tamen minus ratio ipsa prioris & posterioris tempori potiusquàm motui, & magnitudini suapte natura congruit: neq; enim illa numeratio, quàm prius & posterius affertur, per se adest, aut magnitudini, quæ prorsus continua est, aut motus qui inde suam continuitatem (ita dixerim) planè sortitur: sed tempori tàm adest quàm ipsum sibi, si nihil aliud sit, quàm discrimen prioris, & posterioris in motu. Neq; etiam illud satis videtur facere, quod & si concedatur Galeno quod petit, nō sequi absurdum vllum, cùm sit necessarium, vt idem afferant definitiones, & nomina quæ definiuntur. Nam si prius & posterius in motu non sit aliud, quàm prius & posterius temporis, primum sequitur vt per notiora non fiat declaratio & definitio: deinde parum aberit quin motus tempus esse dicatur, cùm eius differentia, scilicet, prioris & posterioris, illi ipsi etiam aptetur, & tamen aliud continui, aliud discreti faciem magis præseferat. Si enim prius & posterius in motu erit, prius & posterius in tempore, tempus ipsum non videbitur à motu differre, quantum attinet ad prius ipsum, & posterius, & nihilominus ratio temporis discreta redditur ex numero prioris, & posterioris, quo tempus perficitur & absoluitur, motu manente continuo.

CAP.

CAP. IIII.

LOCI DEFINITIONEM AB ARISTOTELE TRADITAM à Philopono & alijs impugnari, & quam ipse reprobat spatij videlicet trinæq; dimensionis apertè defendi.



Oci verò definitio, multò magis impetita est, ac eorum quos ipse improbauerat, opinio defensa est: namq; non modò non necessarium, sed nec probabile, nec rationi consentaneum dixêre vltimam superficiem corporis ambientis locum esse: cùm omne corpus collocetur alicubi, nullibi verò corpus extimum, quo cætera concluduntur, ambiunturq; possit omnino collocari. Nec suffugia illa esse in loco, per partes, vti Auerroi, vti Themistio, & alijs est visum, satis in parte facit, abusu enim eiusmodi corpora non verè, non propriè dicuntur in loco reponi, nec vllo modo in loco sunt, si esse in loco significat ambiri & circumcludi loco, hoc est, ambientis corporis superficiei contineri. Item si locum æquum esse locato non minorem iure decretum est, & si idem respectu eiusdem, & collocare, & collocari aduersus omnem philosophiam non statuamus. Expositores enim, inquit, Philoponus in Physicorũ commentario quarto, hac de re omnia miscent, & Aristoteles rationis debilitatẽ, obscuritate circumtegens, ita est locutus, vt quo libitum est rationis ipsius vertendas dederit. Ad hæc si locus (inquiunt nonnulli) extremum est rei comprehendentis corpus, in se repositum, & collocatum, sequetur, vt quispiam moueri possit ad locum, quod proprio tamen in loco conquiescat: exemplum afferunt, vni quod simul cum Oenophoro circumferatur, nec illud exactè & syncerè dicetur ex accidenti moueri: nam verè mouetur ad locum, & verè etiam videtur quiescere, ea qua ambiebatur, antequàm moueretur, superficie contentum. Nec obest consideratio superioris loci, cuius collocatũ moueri dicitur id, quod sese habet, aliter quàm prius habuerat: Nam is propriè non est locus, quo proprius locus ambitur, sed is quo clauditur, & continetur corpus collocatum. Præterea si locus, inquiunt, est superficies, futurum est, vt quæ mouentur ad locum, moueantur ad superficiem, quatenus locus est superficies, sed qua superficies est, virtute non pollet conseruandi rem collocatam, cui quidem virtuti causam motus acceptam retulit Aristoteles, vt in proprio videlicet loco, vbi ad eum peruenerit, conquiescat atq; seruetur. Quod si quis dixerit rem foueri & conseruari à superficie, non qua sit superficies, sed quà superficies corporis naturalis: sequeretur facilè alterius Aristotelici dogmatis repugnantia, quo corpus omne ex elementis conflatum contrarijs pollere qualitatibus pro comperto habet atque constanti: nam ex eis temperamentum constituitur: est enim vt Iohannes Scholasticus Aristotelis interpres ex institutione Hammonij in primo de Generatione commentario differit, temperamentum tanquàm humanorum corporum, cùm ipsorum corporum agentes inuicem qualitates inuicem transeunt, vt eius verba Græca transferam. Porrò de contrarijs qualitatibus, non conseruatio prodit, sed abolitio, atque corruptio, cùm eius ipsius rei tùm illius, quæ locatur. Fieri enim nequit, vt quæ in vtrisq; contrariæ sunt qualitates, non inuicem agant, & tanquàm bellent: vnde vel citò, vel serò manat interitus: & prætereà sunt qui negant superficiem esse locum, sed corporis partem, quæ ad superficiem ipsam mathematicè consideratam dicitur terminari, atque hi Aristoteli non omninò consentiunt, qui verò dicunt conseruari elementa in locis remotioribus, puta ignem in concauo orbis lunæ, terram in centro, non quatenus illa superficies, hic punctus, sed quatenus in tali distantia, & situ in vniuerso: ij abusu magno locum vocant, quod scilicet collocat non primo, & per se inferiora corpora, sed tanquàm ex accidenti & per aliud, & punctum prætereà magna iniuria dicunt locum, qui veriùs & expers loci, & tàm paruum, vel potiùs nullum, vt nec minima possit ambire. Atque hæc fermè ex Philopono disputauimus, vt mittam quod sint, qui non recipiant in concauo lunaris globi seruari purum ignem, nec vlla prorsus haberi pura elementa, quæ nec in mixto verè esse, Thomas Garbius affirmat: præter ea quæ subnotauimus in libro de Elementis. Hebræus quoque Hasdai affert multa contra loci definitionem, inter quæ illa, vitium non fuisse antiquis permultis, loci definitionẽ ab Aristotele traditam corporibus, quæ motu recto perferuntur conuenire: quoniam proprius partium locus, quæ ad totius motum agitantur,

non

non est superficies circundans æqualis adeò, vt seorsum habeat cū partibus loci conuenientiam. Nam si (causa exempli) suprema pars aëris conueniet imæ continentis, & circumuallantis ignis, media tamen pars ei non ita conueniet, nec in suo naturali reponetur loco, qui si assereretur parti ipsi suapte natura congruere, tamen diuersus habebitur à loco totius, & integri corporis collocati: præterea omnia quæ collocantur corpora, suis congruere locis falsum esse aperiri, & ex supremi cœli circunferentia, & etiam ex terra, cui locus assignatur non superficies, sed punctus imus, cui loci nomen iure non congruit.

Reuertor ad Philoponum, id absurdi constanter deducentem, vt corpus in loco, quatenus corpus collocari nequeat, quoniam finis, siue superficies, aut extremum continentis, tres non habet dimensiones, quæ corpori quatenus est, corpus ambiendo cōpetant. Corpus enim quatenus corpus in loco est. Tria verò sunt interualla corporis: quare pro loco triplex interuallū habere necesse est, vt corpus suscipiatur. Deduxit & illa absurda, quod locus æqualis corpori collocato non esset, cùm illi nec linea, nec superficies, nec punctus equetur: Nec item locus esset immobilis, cùm superficies ambientis corporis suo cum corpore moueatur. Nec officit, inquit, si dicatur locus æqualis est collocato corpori, quia ipsius finibus aptatur, immobilis quoq; est quatenus locus. Nam non ei quod est circa locum, sed ei quod est in loco, æqualē locum esse oportere iam receptum est, qui quidem locus habetur quatenus talem habet habitudinem ad corpus intra se cōstitutum, qua videlicet tangit ipsum & cōtinet, quo etiā modo mobilis est locus: Nam me stante aër me ambiens, nihilominus identidem permutatur, extrema cū superficie, qua circumuallabar. Hac item superficie (si sola continentis corporis superficies est locus) eueniet, vt motu recto nunquàm iter quispiam conficiat, si enim aliud quicquam non cedit eunti quàm superficies subinde permutata, ac multæ superficies iunctæ nil efficiant maius, quónam pacto, vel duo stadia, ne stadiorum dixerim myriades peragrabuntur? Existimauit item Philoponus vanum esse quod putauerat Aristoteles, sequi necessariò, vt trina videlicet dimensio per totum corpus, quod in ea collocaretur, incederet, atq; ita diuideret diuideretur que, vt infinitæ simul rei vtriusq; particulæ dissultarent, leue, inquit, hoc Philoponus, & nulla fretum persuasione mihi videtur: Nam qui dicerent spatium esse corpus, huiuscemodi absurda non promerent, multò minus cùm spatiū statuant incorporeum, hoc est, corpore vacuum, quod quidem cùm corpus ingreditur, vbi illud repleuit, nihil aliud, præter ea molitur, non incedit, non diuidit, deniq; nec agit quicquā, nec patitur, sic & cæteræ qualitates nullam parant dimensionibus, quibus insunt diuisionē, nec id non efficiunt quatenus qualitates, sed quatenus incorporeæ. Quapropter si vni mille componerentur aptarenturq;, nulla inde prodiret diuisio, nihilq; ob aliud, nisi quia penitùs incorporeæ. Non secus trina ipsa dimensio, quæ si, quatenus dimensio diuisionis causa & esset, & haberetur, sic & ea superficie qua claudi voluit Aristoteles corpora, profectò illa ipsa diuiderentur. Verùm enimuerò nec si quis assereret spatiū esse corpus, idcircò sequetur, vt ex eo ingressu diuisio fiat ad infinitum, quod & alibi videtur Aristoteles animaduertisse, cum eo posito, vt corpus per corpus incederet, sequi dixit, vt esset maximum in minimo: Idemque cùm aduersus eos dissereret, qui rerum fieri augmenta per vacua & meatus, quos poros appellant, putauissent: Ea enim ex hypothesi dixit sequi, vt vel totum vacuum esset corpus, vel totum per totum augeretur, vel solum eorum quæ vacua essent, repletio fieret non auctio, nullius autem diuisionis omninò memor fuit.

Liquet igitur nullam in argumento Aristoteleo (inquit Philoponus) quod primò adduxit aduersus localem dimensionem, aut necessitatem, aut persuasionem inesse: quoniā dimensio corpore vacua, & tanquàm inanis regio, aduētu corporis implebitur, & nihil aliud prætereà fiet: neq; enim vacuū per corpus incedet quasi moueatur, sed in ipso recipietur corpus & collocabitur. Secundo argumento probabilitatem aliquam, non autem veritatem inesse censuit Philoponus, id autem in eo fundabatur, quod absurdū sequeretur id, vti duæ dimensiones vnum quiddā euaderent, pariq; ratione plures. Nihil autē absurdi voluit Philoponus inde sequi, quoniam rebus incorporeis nil prohibet vt multa sint simul, sicut lineæ plures, imò plures eodem in subiecto incorporeæ qualitates. Quare cùm linea lineæ, & superficies superficiei possit

aptari,

aptari, non secus ait dimensio dimensioni. Si enim superficiei quatenus est dimensio non repugnat, nec vlli profectò dimensioni repugnauerit: neq; enim trina dimensio corpus est, sed accidit corpori, idq; apud ipsummet Aristotelem clarissimo patet indicio, qui aduersus Melissum disputans, quantitatem substantiæ ipsi docuit aduenire: quoniã eius ratio adiudicatur infinito quod Melissus adstruebat, propterea, nec substantiam voluit, nec vllam qualitatem haberi infinitam, præterquã ex accidenti: id est, ratione quantitatis: At dubio procul trina dimensio cùm sit quantitas, substantia non erit, hoc est, corpus, sed accidens corporis iure meritoq; habebitur. Nec illud oberit quod alicui corpori hærere illam, & eo firmari oporteat, nam sine aliquo non inueniri corpore fatemur, quamuis res à corpore seiuncta suopte sit ingenio: Sic & substantia materialis sine qualitatibus esse nequit, ab eis tamen diuersa est, diuersa etiam à quantitate quamuis sine ea nequeat subsistere. Nam & quantitatẽ sibi decernit quæq; species materialis, qua corrupta & ipsa corrumpitur. Nec item illud oberit ferri proprios in locos corpora ratione superficiei: Seruandi enim ordinis gratia id fit, quem ab opifice sunt sortita: vnde superior locus pars erit spatij, quod leuia sibi corpora vendicant, inferior quem sibi ipsis grauia desumunt, quæ omnia loca atq; capedines collocatis receptisq; corporibus finiuntur, ipsisq; corporum finibus terminum capiunt. At enim illud etiam non sequeretur, vt aut plura duobus spatia simul essent, aut vt locus poneretur in loco, aut vt moueri locus diceretur, si quidem permutato corpore non permutatur spatium, in quo erat, id enim est immobile, sed tantundem spatij occupabit corpus quantum reliquerit: semper enim corpus in loco est, hoc est, corporeum spatiũ in incorporeo. Spatium itaq; locus est, ex sese corpore quidem vacuum, sed nunquàm tamen re ipsa vacuum, sicuti materia aliud est quàm forma, nunquàm tamen sine forma. Idq; ipsum videntur firmare qui negant: nam cùm abhorrere à vacuo naturam dicunt, adeò vt graue etiam (ne id sequatur) non descendat vt in clepsydris, alijsq; similibus frequenter potest perspici: quidnam vacui aliud comminiscuntur, quàm corporis à suo spatio recessum? nam si vacuo opponitur plenum, quid illud fuerit plenũ, superficies? An superficies vel plena? vel vacua cùm plenum, & vacuum sine altitudine, latitudine, & profunditate nequeat intelligi: quod & ab ipso etiam Aristotele, vel aliquãdo est admissum: sed & admitti videtur necessariò illis quibus mẽs non adempta est, cogitantibus si elementa recederent diuino nutu, relinqui spatium, quo illa continebantur oportere. Nam & si fieri natura nõ potest vt recedant, supposuimus tamen illud, vt quid inde consequatur dispiciamus. Nec hoc prohibere potest Aristoteles qui firmauit cogitatione cœlũ, cùm aliquorum esset opinionem improbaturus. Quare ex ijs quæ dicta sunt, satis ostenditur, nec confecisse aut Aristotelem quod optauerat, aut Themistium, quod procurauerat. Sed paucis ea tractaui, vtpote cùm mihi fuerit consilium, ne alienis (quasi graculus ille) pennis vestirer, ipsam oram tàm vasti loci lambere potiùs, quàm præterfluere. Philoponus verò illam ampliter inundauit, vti & rationes solueret Aristotelis aduersus dimensiones loci, & illas etiam assereret, prætereaq; definitionem loci ab Aristotele positam demoliretur.

CAP. V.

DEMONSTRATIONES QVAE DICVNTVR AB ARISTOtele contra vacuum factæ, dissolui & refutari ab eius interprete Philopono, & ab eodem rationes adduci vt fieri queat motus per vacuum.



Vidimus itaq; loci definitionẽ ab Aristotele constitutam à Ioanne Grammatico (qui Philoponus dictus est) eius interprete magno euersam molimine, & quam Aristoteles impugnauerat ab eodem Philopono esse defensam. Quæq; alij demonstrationes putabant, debilia friuolaq; argumẽta præclarus hic interpres, tàm magnis viribus asseuerauit, vt etiam Auerrois ausus nõ sit cum eo inire certamen, quod maximè debuisset cùm particula quadragesima tertia quarti physicorum libri, Ioannes ipsius sententiæ meminit. Idem Ioannes affirmat rationes eas quas in vacuũ molitus est Aristoteles, in cassum omnino atq; prorsus inaniter effusas, hoc est, si quodpiã daretur spatiũ omni corpore vacuũ, quod

quod tamen ille non admittit, vt qui spatium incorporeum corporeo, semper spatio plenum adstruxerit, sed si daretur spatium corpore vacuũ, sequi vt omnes essent motus æquales, vt motus etiam ipse tolleretur. Fundamentum opinionis Aristoteleæ iactum in eo est, quòd motus, & sunt, & habentur inæquales, cuius rei duplicem attulit causam: alteram ex diuersitate, aut differentia eius rei, per quam fit motus, puta aëris, aut aquæ, altera ex varia rerum motarũ conditione, grauitate, verbi causa, rei mobilis figura, & eiusmodi alijs: nã resistit magis corpus aquæ, quàm aëri. Densius enim mouetur descẽditq; celerius quod grauius, & citi⁹, quod acutius, quàm quod latitudine præditum est. Maius itaq; tempus in aqua, quàm in aëre pertranseunda res mora consumet: quo fieri voluit vt ex aquæ, & aëris proportione, temporis etiã proportio colligatur, quantò enim tempus quod in aqua pertrãseũda conficitur, tempus id quod in aëre transmittendo consumatur exuperat, tantò erit aqua, ipso aëre crassior, & resistens magis: quare si eadem fuerit proportio motuum, & medij quo vtitur res mota, & temporis in quo mouetur, fiet in tempore motus is, qui per vacuum fiet: quare aliqua erit proportio temporis, quod consumetur in motu, qui fit per vacuum, ad tempus in quo fit motus per id, quod plenum est corpore. Igitur & vacuum suam habebit proportionem ad corpus, quando medij ipsius iam proportionem adstruximus. At fieri, inquit, non potest, vt vacuum quod non est ens, ad id quod est, aliquid vllam habeat proportionem: quo fiet vt nec tempora motuum inter sese proportionem obtineant: omne autem tempus finitum, ad infinitum tempus habet proportionem. In nullo igitur tempore fiet motus per vacuũ, id autem est dicere, non fiet omnino motus, quandoquidem videtis nullum sine tempore motum: quod si quispiam dixerit, vacuum per inane moueri, sequetur, inquit, vti per vacuum perinde ac per plenum eodem spatio moueatur: Et si cœpero corpus aëre tenuius, quod eam habeat ad aëris corpus proportionem, quam habet tempus vacui ad tempus aëris, atq; id ipsum corpus in spatio vacui collocetur, non plus temporis consumetur in transitu tenuissimi corporis, quàm expenderetur in transitu vacui, & hæc quidem ex parte medij meditatus est Aristoteles. Adiecit autem ex parte mobilis rei quod æqualitas omnino motuum fieret, nisi aut grauiora, aut acutiora corpora inuenirẽt, quod sibi resisteret: grauius enim celerius, hoc est, minori in tempore, medium per quod fertur diuidit, & æqualis omnino crassitudinis corpora, figura alia celeriùs, alia tardiùs penetrant: diuidit enim corpus in mucronem turbinatum, & aërem, & aquam multò celeriùs, atque ob id citiùs ad destinatum fertur, quàm quod lata est figura. At in vacuo nihil est quod queat diuidi, nihil quod resistat, aut crassitudine, aut mole aliqua: Pone igitur vacuũ, omnem motus inæqualitatem, omnem motum sustuleris, idque absurdi reliqueris, si quid tamen reliqueris, eo in tempore omnia moueri, huiuscemodi argumentis quibus Aristoteles vacuum destruere conatus est, resistit Philoponus & ex ipsis non tolli vacuum, etiam si concluderent, affirmauit, non tolli etiam quin motus per illud fieri posset, etiam si tolleretur æqualitas, sed quod nec etiam argumenta concludant & multis, & longo progressu docuit: delibabimus aliqua.

Primum omnium in se ipsum pugnare dicit Aristotelem, suasq; ipsum suppositiones euertere. Cùm voluerit motuum differentiam, non solùm ex differentia corporum, per quæ fit motus; verumetiam de differẽtijs rerum motarum prodire, puta grauis, leuis, acutæ, latę, quo factum vt vel nolens significauerit, habere in se ipsis res mobiles id, vnde motus omnes non sint æquales, etiamsi sit rerum per quas fiat motus, nulla diuersitas, etiam si res ipsę per inane moueantur. Nam ex sola rei motæ differentia, hoc est, differẽtibus principijs, illarum intimis, & conditione motrici diuersa, nec ea quidem extrinsecùs obtenta, sed ab ortu naturæ cognata, diuersitas motus, vt à propria, & genuina causa suboritur. Quod si dixeris inæqualis ponderis aut figuræ corpora per inane moueri omnino æqualiter: Impleamus aëreo corpore vacuum: num eadem quoq; prodibit æqualitas? quid enim facit aër huic quod non illi simili, scilicet; sibi penitùs & omnino eodem? quid alterutri affert substantiæ, vt celeriùs hęc illa moueatur? an figuram largitur? an impartitur grauitatem? At si cõtenderint ea per inane, hoc est, per nullum corpus æqualiter ferri, per aliquod vero corpus inæqualiter: hoc ipsum non solùm veritati (quis enim iuerit inficias grauissimum corpus celeriùs deorsum moueri, quàm quod longè minori grauitate præditũ fuerit) sed & Ari-

stoteli repugnauerit apertissimé. Nam hæc profectò sola fuerit causa motus inæqualitatis, id est, medium per quod mobile defertur. Cùm nulla sit ex parte rei motę differentia, quando per vacuum inæqualis ponderis corpora moueri dixerunt æqualiter. Quod si verum est, verum esse non potest dogma Aristotelis, falsum certè erit, & sibi ipsi prorsus aduersum. Scribit enim duas esse causas inæqualis motus, medij videlicet, mobilisq; rei diuersitas, mediumque ipsum per quod mobile fertur, causam esse quæ impedit & contrà nititur, vtpote diuisione fracturaq; indignum, quocirca agens & præcipua causa, rei mobili fertur accepta adeò, vt ipsa maneat etiam si subtrahatur impediens. Magis itaq; & minus grauia corpora vergunt ad imum suapte natura, & grauitatis proportione inclinabunt magis & minus, vnde motus prodit inæqualitas, etiamsi nihil resistat, nihil impediat, quod diuidi penetrariq; oporteat: Sequitur enim diuisio non præcedit, sequitur dico tãquàm effectus, delapsi corporis grauitatem atque figuram. Idem etiam de leuitate seruata rei naturæ analogia dicendum est, quandoquidem graue ipsum aut leue perfertur, etiam si per inane feratur, cõsumi aliquod tempus necesse est secundùm proportiones nixus & põderis, quibus inest per se causa motionis ab ipso rei generationis exordio: consumetur etiam maius tempus habita resistentis corporis ratione. Per vacuum igitur si motus fieret, omnis motus non esset æqualis, nec ęquales item per corpus & vacuum, quoniam proportio non reperitur inter nullam, & inter aliquam medij resistentiam. Quod si aliqua inter se tempora proportione conueniunt, nõ ideò est necesse, vt quorum sint tempora, ipsa sibi etiam proportione respondeant, vnà enim temporis natura est, diuersarum autẽ rerum omnino diuersa. Item omni motui tempus aptatur vt eius mensura, nõ autem omnis motus motui, neq; enim auctioni generatio, & reliquæ species motus proportione conueniunt, quare paralogismo dicit vsum Aristotelem Philoponus, cùm ex temporum proportione, vacui & pleni proportionem commentus est, atq; cùm alibi, tùm ibi reprobat, quod proportiones medij proportionibus tantummodò temporis æquârit, cùm etiam ponderum proportiones, temporum proportionibus aptari oportuisset, errasse demùm Aristotelem & parum sibi constitisse, quando duas motus inæqualis causas assignârit, & alteram altera sustulerit.

Hæc ex Philopono decerpsimus aduersus Aristotelẽ quem exponit, acerrimè disputante, plura quoq; disseruit in excludendis reliquis rationibus, quas contra vacuũ adduxerat. Nam non sequi dicit vt ille putauerat corpus esse in corpore, cùm vacuum non sit corpus, nec frustrà vacuum haberi, vtpote in quo corpora collocentur, nec illud item sequi, spatium in altero esse spatio, quatenus spatiũ est corpus, cùm spatium corporeum in spatio locali, hoc est, vacuo collocetur, vnde ritè nõ deducitur vacuum alio in spatio collocari, siquidem non quatenus spatium, sed quatenus corpus in spatio locali reponitur. Nec contentus rationes Aristotelis dissoluisse, argumẽtatur ipse fieri posse motum per vacuum, hoc est, per nullum corpus, imò & fieri semper nulla per corpora cœlestes motus, diuersitate multa celeritatis & tarditatis. Manifestum enim sphæras mundi superiores globosq; syderum semper agitari, alios quidem celeriùs alijs, nec per vllum meare corpus: neque enim per elementa subtùs collocata, neque per se ipsos incedunt, findi enim aut diuidi nequit cœleste corpus, superiorq; sphæra, illa omnium extima, extrinsecùs non tangitur. Quare in cœlestibus motibus omnia fieri comprehendimus, quę fieri non posse censet Aristoteles. Nam mouentur in tempore, & medij, & inferiores globi, nihil findunt, nihil penetrant, nihil eis resistit, conficiunt spatia, nec momento eorum motus absoluitur, mouentur tamen semper, adeò vt ex motu extimæ illius sphæræ omnis motus pendeat initium. Si hoc in circulari motu, & corpore incorruptibili videmus, quid prohibet, inquit, in corruptibili & recto, si spatium separatum corpore, hoc est, vacuum daretur, imaginari. Et non multò etiam magis, quoniam in ijs non sola magnitudo, sed & grauitatis & leuitatis forma, diuersitatem conficiendi spatij sibi consciscunt. Argumentatur item ex motibus quos electione moderamur, insuntq; nobis, quatenus animalia: neq; enim sine tempore etiam si volumus, loca permutare quimus, diuersis enim in locis imò potiùs vbique simul essemus. Quare si vacuum imaginemur, aut omnino ambulare non poterimus, quod quid prohibet? cùm non prohibeamur nunc à corpore resistente, aut in tempore ambulabimus. Nihil enim vetabit vt ociosè, aut accuratè magis celeriterq;

terq; digrediamur, quæ omnia tempus corrogant sibi. Ex rerum quoq; quas violenter iacimus consideratione, superiora confirmauit Epichiremata, posito enim vacuo nostra cogitatione eadem ipsa cogitatione consequenter non ponimus, vt necesse sit imbellem mulierem aut puellum, celeriter ita iaculū intorquere, vti fortissimus exercitatissimusq; miles, priùs enim dubio procul destinatum signū à milite attingi quis dubitauerit? atq; ex hoc minori etiam in tempore. A violentis autē ad naturales motus digrediens, supponit vacuum esse interstitium, id quod cœlum interclauditur & terram, demittiq; ex octaua sphæra lapidem, vt eodem in momento quo demittitur, attingat terram, sic enim voluit Aristoteles. At sanè nemo est qui somniare id queat: quando celeriùs omnino octauæ ipsius motu sphæræ moueretur, vel omnino non moueretur, vel in loco præter naturam omnino quiesceret, vel sursum, & deorsum simul omnino collocaretur. Quare in tempore moueri sani capitis homines illum asseruerint, nixus & grauitatis proprietate. Neq; enim figura quæ pondus etiam non afferat physicum, nixumq; naturalem, si vacuum scilicet daretur, momentum haberet in motu. Sola enim figura vires habet in intermedijs quæ resistunt corporibus. Et de vacuo hacten⁹ ex Philopono vice interpretis & quasi paraphrastis functus disputaui.

CAP. VI.

QVID PRO VACVO ADVERSVS ARISTOTELEM attulerit Rabi Hasdai.

Diximus quid Græcus author & in Peripatetica nobilis familia Philoponus, aduersus Aristotelem vacuum eliminantem disputauerit. Nunc ex Græcis expositoribus digressi, parumper videamus quid Hebræus Rabi Hasdai de eodem vacuo senserit. Arbitratur nihil iuuare Aristotelem, eam quæ dicitur loci ad collocatum corpus conuenientiam, cùm fieri queat vt elementa etiamsi sint immixta, vacuo eam possideant, & diuersos etiam habeant & suos terminos, quibus factum est nomen à quo, & ad quem, ex propinquitate videlicet atque distantia ad circumferentiam & centrum, & prætereà nihil efficere eas, quæ sunt excogitatæ contra vacuum rationes, & fundatæ super motu recto, quando intermedium nullum sit necessarium: & dici queat grauitatem, & leuitatem naturaliter corporibus inesse mobilibus, nec ea medijs indigere. Dici etiam possit omnibus corporibus inesse grauitatem, eaque vocari leuia, quæ videlicet grauia sint minus, eaque ipsa moueri sursum ex eorum, quæ magis grauia sunt impetu, & violentia. Ac memini etiam ex nostris Theologis, qui causam quod ligna supernatent aquæ, referant in grauitatem aquæ minus grauibus suapte natura non cedit. Sed quod attinet ad Hebræum omnia corpora grauia non negat, & aërem descensum, si terra loco moueretur affirmat, ob grauitatem veriùs quàm ne vacuum detur. Parui facit etiam illam non penetratorum corporum, ob dimensiones rationem, cùm dimensiones materiæ iunctas id efficere posse dicendum sit, nō seiunctas, & ab omni prorsus materia separatas: quas explodi miratur cùm magni & parui nomine donentur, & per eius partes queamus illas dimetiri, atque vt cætera obstarent vacuo, nihil tamen officere, quin orbiculare corpus in eo moueatur, cùm in motu circulari, nec terminus à quo, nec terminus ad quem motus tendat, inueniatur: & secundùm Aristotelem maximè qui motum nunquàm voluit incepisse, nec impediri ex intermedio quin vacuum extra mundum reperiri queat, imò accersiri vacuum ab eis vel nolentibus, quibus asseritur non inueniri corpus infinitum. Nam si nullum est extra mundum corpus, nec plenum ibi esse conuincitur, vacuum potiùs & seiuncta dimensio. Negat prætereà dimensiones esse corporis extrema: negat & eos qui vacuum astruxêre, id ipsum causam motus asseruisse, præterquàm ex accidenti, ne videlicet fieret corporum penetratio.

CAP. VII.

QVOD SI IN OCTAVO PHYSICORVM, ET ALIBI, vbi maximè creditur Aristoteles æternitatem motus, temporis, & mundi demonstrasse, & se, & alios fefellerit.



IAm partem executi sumus vanitatis Aristoteleæ doctrinæ quantum attinet ad superiorem librum: declarantes artem demonstrandi quam tradidit incertam, & ad probabiles tandem reduci locos, nec non quantum ad hunc ipsum pertinet librũ principia physicæ auscultationis, id est, eius naturalis scientiæ, quæ illi fertur accepta, solido fundamento minimè niti satis ostendimus. Atque hinc vanitatis eius quæ falsitate labascit, aperta sunt initia, media nunc subsignabuntur. Nam physicę auscultationis terminũ nexabimus falsitatem retegentes, prioris tamen partis non obliti: Simul enim incertã monstrare, vbi sese facultas obtulerit, memores erimus. Toto itaq; auscultationis physicæ decursu ad calcem ferè progressus Aristoteles, per motum iugem atq; continuũ reptauit ad summa, tandemq; decreuit motum ipsum, & tempus nunquàm principiũ habuisse, nunquàm finem habiturum, vnde & ipsius mundi sequeretur æternitas, cuius & alibi quoq; lubenter meminit, vtpote qui putauerit ipsam à se demonstratam, vel ita ab alijs credi curauit. Nec ijs assentiendum, qui authoritate primi topicorum libri moti, putârunt ab eo mundi æternitatem inter problemata neutra collocari: nam & primo physicorum vbi materiam primam decernit, & quarto item eiusdem operis libro, & octauo vbi de tẽporis, & motus agit æternitate, primo quoq; libro de Cœlo, & primo de Generatione testatum reliquit, se putasse motum, tempus, cœlum, æternũ esse: & motorem primũ agere ex naturę necessitate. Quibus in rebus non solùm contra veritatem peccauit: creatus enim à Deo mundus est, à quo fluit motus, quare nullo pacto existimandus æternus, materia quoq; minimè ęterna, quam multitudinẽ & infinitum nuncupatam licet animaduertere, quia vnum ex sese terminum vnum finem nõ haberet, quo pacto etiam apud Iamblichum vocata dualitas vti suprà narratum est. Mundum quoq; æternũ non probari, ab eo nisi sex admissis quę vel omnes, vel plurimæ negari queunt suppositionib⁹, & Damascius in commẽtario in primũ ipsum de Cœlo volumen, & Plotinus in libro de Mundo, & Proclus in secundo, in Timęum libro testâtur: quanquàm sunt ex iunioribus interpretibus, aliqui decernentes non simpliciter asseruisse mundum æternum, sed aduersus eos qui factum dicebant & rationibus inanibus vtebantur, argumentatum Aristotelem. Non solùm, inquam, peccauit in veritatem, dum mundum asseruit ęternum, verùm & contra suæ doctrinę principia commisit. Sed physicas primùm rationes dissoluemus, & retorquebimus in authorem.

Quod attinet ad primum, Christianorũ nemo defendere ab hac impietate Aristotelem iure potest, quoniam ille æternũ mundum asserit multis in locis, quæ paulò antè citauimus, nostri principio creatum à Deo. *In principio*, inquit Moyses, *creauit Deus cœlum & terram*. At qui tueri hoc pacto volunt Aristotelem, vt eatenus vera protulerit, quatenus principium mundus non habuit per motum, vtpote cùm nec ante motum motus esse quiuerit, nec æterna causa ad nouum effectum decerni determinatiue, nisi noua quadã potestate potuerit: Ii ipsi, vt sileã, quod minimè animaduertisse videntur, quod aliqui Theologi dicunt nõ repugnare Peripateticis principijs aliquid noui posse adeò manare, ex ipsius q̃ recipit naturę mutabilitate, vt nõ ad vnã tantũmodò causam immutabilẽ respiciant, sed ad omnes pariter quę, vt effectus ille promatur, requiruntur: vt hęc, inquã, sileam certè videri facilè possunt, vel ignarũ logicę artis Aristotelem, vel oblitũ, aut transgressorẽ legis, quã ipse posteris tulit constituêre. Quærã enim ab eis ego, simplicitérne existimauerit Aristoteles motũ mundumq; esse ęternum, an minimé? Si primum dixerint, non poterunt nõ damnare Aristotelẽ si Christiani sunt: Si secundum responderint, vt videlicet non simpliciter æternum dixerit, sed æternum quatenus per motum non habuit initium, quatenus nouam actionem æternæ causæ non dederit, eum ipsum tamen & accusant imperitiæ, & ignoratæ dialecticæ nomine condemnant, quãdo illum in duas impingunt fallacias, quas ipse alijs proposuit euitandas, & quarum alteri nomen à cõsequente, alteri à pluribus interrogationib⁹ constituit. Nam si aliquo modo conditũ mundum putasset, nõ autẽ per motũ, aut generationem

tionem conditum,& in octauo physicorum nullum habuisse initium decreuerit,num sese aperit fallacia consequentis,si velimus eum à contradictione defendere? oportet enim vt aut conditum, & non conditum voluerit: atq; ita aperta manat contradictio, aut existimauerit si non per generationem & motum conditum fuerit, nec alio etiam modo condi aut initium habere potuisse, quod minimè profectò sequitur, cùm alij sint modi rei producendæ, inter quos simplex emanatio, de qua nostri loquuntur Theologi. Ad hæc si quis percunctatus Aristotelem fuisset, conditúsne mundus esset an æternus? illeq; respondisset per motum non esse conditum, vni fortè satisfecisse interrogationi, non pluribus. Qui enim interrogat simpliciter de mũdi causa, & modo, non vni cuipiam sese astringit vel modo, vel causæ: sed absolutè petit, hoc est, omnem pariter ac generatim sciscitatur causam, cui aut possit, aut debeat effectus ille acceptus referri, omnemq; scire cupit modum deprompti effectus, vt veritas ipsi tandem patefiat. Quare cùm plures hac in re iunctæ sint interrogationes, & vni tantummodo satisfactum fuerit, fallacia commissa est, oportuisset enim docere quod non motu, non casu, non simplici emanatione. Nam & Democritus casu putauit factum, & falsò, Plato verò ita ferè consueuit intelligi, vt à Deo manasse mundum voluerit, & ante illum Pythagoras & alij, quod tamen falsò negauit Aristoteles, cùm primum huius opinionis inuentorem faciat Platonem, idq; ei exprobret. Nec illa habet quicquam virium pro Aristotele responsio, locutum eum naturaliter, quasi casus etiam inter naturales ex accidenti causas ab eo non numeretur in physicis? quasi & principium naturæ non asciscatur? quasi confessum habeatur, apud omnes philosophos, quid sit ipsa natura? quasi non multa etiam sit apud philosophos controuersia vtrum ex nihilo quicquam fieri queat, si ei quod nihil dicitur, prima ex opposito materia statuatur? Et hæc hactenus ad eos qui excusare volunt Aristotelem in eo, quod non simpliciter mundum æternum affirmauit, sed motu minimè factum. Nam qui ex non ente (vt aiunt) simpliciter factum nouiter mundum à prima causa rentur, moti sola authoritate Aristotelis, idque ei adscribere totis viribus contendunt, nescio risúne magis explosionéve, an misericordia excipi debeant, qui adeò parum gnari sint, vt nec nuda & exposita Aristotelis verba, ne rationes dixerim, satis intellexerint, id tantùm curantes vt Aristotelem excusent, & vel inuitum, & reluctantem ad fidei veritatem protrahant.

Quod autem ipse nolit excusari, satis patet ex eo, quod vbique repetit mundum æternum, & æternam generationem: Verùm enimuerò, quod etiam si vellet excusari nequeat, quodq; suæ illæ rationes certæ demonstrationes non sunt, sed argumenta debilia, & principijs etiam suæ ipsius philosophiæ repugnent, facilè monstrabimus. Primum primitùs exequamur. Si enim demonstrationes essent, procedent ex veris proportionibus, ipsomet Aristotele ita decernente, sed cùm aliquam propositionem falsam assumit, demonstratio corrogari nequit: Error autem inde manauit, quod putauit vniuersali Conditori materiam subesse oportere, quod videtur inexpiabilius ab Auerroë commissum, qui fuerat Algazelis libro commonitus, Deo ad agendum non requiri, aut materiam, aut nouitatem voluntatis: illeque nihilominus in errore persistens abijcit veritatem & irascitur, & iterum delinquit non satis intelligere valens Dei actionem, non esse rerum inferiorum actionibus metiendam, vt metiebãtur ij, quos Algazeles iure arguit, Auerrois defendit iniuria, quæ enim proportio mensuræ, vt si naturalia isthæc tenuia, & vilia nequeant agere, præterquam aut in materia, aut cum materia, vt propterea colligere debeamus naturæ Conditorem ipsum supremæ potestatis, supremæ dignitatis, eis ipsis inferioris naturæ legibus obligari? & præter connexionis errorem, reduci etiam potest id peccati ad æquiuocationis fallaciam, in conditione agentis primi ab alijs causis, quæ & patiuntur, & agunt in sublunari sphæra rerum corruptibilium. Minimè namque perpendit causam particularem, totum id, quod in re est non producere, quemadmodum primaria & vniuersalis causa. Quapropter illi ad agendum requiritur motus, huic non requiritur, præsupponitur enim agenti causæ particulari materia quæpiam, de qua producat quidpiam & in quam agat: quo fit vt eius actio vel motus, vel mutatio nuncupetur. At vniuersalis causæ operatio propterea motus nõ dicitur, sed emanatio simplex, cùm quicquam videlicet non ex subiecta re aliqua, sed ex nihilo creatur. Quamobrem falsum est, quod vllum

presupponat motum ipsa Dei oratio. Mobile itaq; quod præcessisse tempus & Aristoteles, & Auerrois, & alij plæriq; dicunt oportuisse, non negamus ipsi, sed non motu id factum esse mobile, sed simplici emanatione decernimus. Vnde non ad infinitum ex motu & mobili procursus datur, sed ad actum simplicis emanationis, ad quem vbi venerimus, canendum est receptui: Etenim progredi non datur vltrá. Falsæ itaq; Aristotelis, mox & Auerrois, & alterius cuiuscunque arrogantis philosophi, propositiones, quibus ex motu & mobili æternitatem comminiscebantur. Nicolaus autem Cusa in libro de Genesi deceptos æternitatis mundi assertores ex eo coniectatur, quod quia iudicârunt durationem mundi mensurari non posse, illicò æternam existimârunt, non secus hallucinati, ac ij qui solo obtutu corpus orbiculare, quod vnico aspectu intueri nequeunt, aliter quàm sit, esse decernerent. Neque enim ratio potest æternum metiri, cuius, scilicet, mensura non est tempori, & ijs quæ sub tempore cadũt tantummodò accommodata, sed intellectu opus est, quo capiamus rationalibus mensuris res à tempore absolutas non attingi: quo modo etiam mundum æternum, id est, ratione non mensurabilem voluit haberi. Idem quoq; author in libro de venatione sapientiæ scribit, Aristotelem deceptũ in æternitate temporis adstruenda, dum non aduertit successionẽ quæ in motu est, cuius mensura est tempus, ex se fateri, tempus & motum, & ea quæ mouentur non esse æterna, cùm ante omnem successionem, tota actu simul habeatur æternitas.

CAP. VIII.

QVOD NON SOLVM VERITATI, SED ET PRINCIpijs peripateticæ philosophiæ, assertio de mundi æternitate repugnet.


FAlsam itaque Aristoteleam mundi æternitatem, hoc est, dum principio carentem eam intelligit, apertè vidimus, & falsò nixam fundamento, quo putauit mobile non nisi per motum posse produci. Sed & falsum quoq; illud fundamentum quod metaphysica videtur fretum regula, id est, decerni ad nouum effectum causam æternam, ob nouã potestatem oportere, & præter ea, quæ superiori capite notauimus ex quorundam sententia Theologorum, hoc etiam eadem penè fallacia corruit, id est, æquiuocationis, cùm voluntatis nostræ proprietatem, à diuina proprietate non distinguant, qui tẽporis inuehũt æternitatem. Nam voluntas, & velle in nobis quidem seiuncta diremptaq; sunt, cùm aliud potestatẽ, aliud actum significet, & alterũ prius altero, & habeatur, & sit: At in Deo sunt idem qui actus est simplex & purus. Cùm itaq; diuina voluntas, & velle nõ differant, nouum ibi nihil erit, sed æterna omnia, vt in ipsa sunt, vt idem sunt, quod ipsemet est. Vti autẽ ab æterno res productę non sint, fuit in causa tempus quod non aduenerat, tempus, inquam, non verũ, quia ante tempus quod pendet à cœli motu, nõ fuit tempus, sed ita à nobis imaginatione captũ, hoc est, illa mẽsura, siue spatium, siue diuinę prædestinationis signum, quod postea fuit ipsius & cœli, & motus, & temporis initiũ. Cùm igitur fingunt nouam potestatem, & veritati, quod & sępe aliàs, & sibi etiã repugnant, nullam enim comminisci oportet ex noua rerũ productione nouam potestatem. Nec in ipso Deo, propterea quicquã nostra etiam cogitatione nouandũ est. Cæterùm quod propositiones quibus id probatum iri sategerunt assertores æternitatis, Peripateticæ principijs philosophiæ repugnent, restat declarandum, primò eius propositionis vim, quæ in hoc fundatur, redarguamus, in hoc videlicet, quicquid fit, id fit ex aliqua potestate, quæ rem factam præcedat, hinc enim volebant deducere, mundum esse factum non potuisse, quia potentia non pręcesserit, scilicet actiua: nam de patibili quo pacto? neq; enim de ipsa materiæ potestate mentio habebatur, sed de eo ex quo fieri ex materia aliquid potest, cùm satis apud eos constet, sine agente causa aliqua, ex materia quicquam non posse produci. Nam formam omnem ex qua res est, id quod est, ab agente promi senserunt, potentiam igitur actiuam intellexerunt, hoc autem num repugnat alteri sententię? qua volunt & tanquàm principio quodã, & fundamento positum putant, ęterna quę ipsi dicunt, pendere à Deo. Id enim apud Aristotelem clarissimũ consensu Neotericorum, quanquã in hoc euariant, an pendeant æterna à Deo, tanquàm ex causa

ex causa efficiente, an tanquàm ex fine tātummodò? sic enim inter Auerroëm & alios expositores, quin & inter ipsos Auerrois asseclas, magna sunt bella pugnata. Nā quisque pro se Auerroëm quoniam varius, vt in alijs plærisq;, ita hac in re visus est, trahere nititur. Sed quomodolibet capiatur, nobis conducit: Nam si pendent à Deo, quæ ipsi dicunt æterna, tanquàm à causa efficienti, potentiam producēdi præcessisse oportuit, quando ex efficienti ducitur effectus: Si tanquam à fine, tùm sic argumentabimur, aut præcessit etiam potestas actiua, aut minimè, si primum iam habemus quam quærimus contradictionem, hoc est, præcessisse, & non præcessisse actiuam potestatem: si secundum adhuc nō effugient aliud incommodū, nam si præcessisse non oportuit actiuam potentiam, vt rentur omnes qui productum à Deo mundū ab æterno per modum finis tantummodò ex Aristotele volunt deducere, ex eo etiam deducetur, nec si nouiter productus mundus dicatur, præcessisse potentiam oportuisse: quem tamen ipsi contendunt ideò nouiter non productum, quia præcessisse actiuam potentiam oportuerit, & ob hoc dicunt æterna dimanasse tantummodò per modum causæ finis. Nec habuisse potentiam quę se præcederet, vtpote ex qua fierēt, sed solùm extitisse ex ipsa causæ potestate. Sed quid prohibet vt eadem ratione qua poterant esse æterna, sine præcedente actiua potentia, possent etiam esse in tempore? cur enim expetant potentiam actiuam noua, & non ex ipsa causæ potestate subsistant? Si æterna, vt volunt, eadem ipsa causa substiterunt: quod sunt commenti in æternis suo more cur non comminiscuntur in nouis? Ex hoc autem & illud esse falsum potest conuinci, quòd si cœlum nouiter factum est, per motum factum esse necesse sit, vt ex potentia reducatur ad actum: quando nulla potentia præcedente, per modum finis extitisse concedatur ab illis, hoc est, consecutione quadam: ideò quod ex finis necessitate dissultârit, vt Alexander & Auerrois, vt ex nostris aliqui interpretantur, quicquid autem per se suapteq; natura, &, vt Neoterici dicunt, formaliter, rei nō repugnat in aliquo momento, siue vt loquuntur iuniores instanti, id ipsum & in nullo prorsus aliquo momento repugnare deprehenditur: Talis enim esse decernitur formalis repugnantia doctorum omnium consensu.

Quare si vno in momento æternitatis potuit esse de nihilo mundus productus: Igitur & in quolibet, cùm æqua, vt diximus, ratio sese vtrinq; præbeat. Ergo qua ratione Alexander, &, vt aliqui volunt Auerrois sectatores, concedunt cœlum extitisse consecutione quadam, vtpote quia perfectio & eminētia diuina sic exigat, vt ad ipsum eius esse, & mentes illæ abiunctæ quibus nomen est factum intelligentiæ, & cœlum, suam essentiam sortiantur. Eadem ratione non queunt iure, meritoq; abnuere, ex quo non negant in tempore Deum esse, ad ipsum etiam illicò, vt ad finem consequi & cœlum, & quæcunq; alia, quæ cùm principium tùm efficientem causam habuisse negant. Vis enim totius negationis, vti videri potest apud eosdem, hoc veluti fundamento nitebatur: æterna ideò non habere causam agentem, quoniam huius causæ natura, id requirit quod est in potentia, id quod est actu, & potentiæ ipsi respōdet, asciscit sibi: tùm quod potestas ipsa præcedens amittitur, solo admisso nomine dependentiæ, quę suamet vi præcedentem in eo à quo quicquam dependet, potestatē corrogare satis videtur. Nec mihi obstiterit exemplum æterni vestigij ab æterno pede in puluere defixi, magis autem suffragabitur, quoniam in pede ipso necesse erat vt inesset potestas imprimendi vestigij omnino priùs, saltem quoad pertinet ad ipsam rei naturam, alioqui quo pacto vestigiū fuisset impressum? pes igitur habebitur causa vestigij, vtpote à quo pede fuerit effectùm. Quare cœlum cùm à Deo pendet, potestatem à qua pendeat quis priùs non aduertat? Sed si poterant esse æterna sine præcedente potentia, cur & si in tempore supponamus extitisse, sine ipsa etiam potentia præcedente esse non potuerunt? vt mittam quod aliqui ex nostris Theologis probant mundum si ita placuisset Deo, æternum esse potuisse, vt mittam etiam Platonicorum sententiam, multos æternitatis gradus apud Platonem reperiri, & æternum etiam apud Sacras literas capi id, qđ sæculare dici posset, vti est videre apud Augustinū libro de Ciuitate Dei sextodecimo, ęternas etiā suas fieri orationes optare se scribit Iustinian⁹ in procemio digestorū. Sed illos Platonicos ęternitatis gradus concedat Bessarion si vult, Platoni: Aristoteles eos nō efflagitat, quippe apud quē ęternū simplex traditur & vniforme, & rationes quibus vtitur id ipsum confirmant. Sed & illa ratio, qua pbare conatur Aristo-

teles si Deus aliquid nouiter agat, requiri vt nouiter se ad id habeat, & noua dispositione determinetur ad agendũ, in ipsum pariter reflectitur & retorquetur authorem. Nam & si nouiter quidpiã à quacunq; naturali causa producatur, in illud influit Deus, ad minus latissimo illo influxu à quo subtrahi quicquam quod sit, omnino nequit: Nam nec Aristoteles hoc, nec Auerrois negant, & Proclus confirmat de influxu primæ causæ disputans. Si, inquam, influit aut noua determinatione agit, aut antiqua, eademq; æterna: si primum dicunt, contradicere id Aristotelis placito, & ipsam eius propositionem infringere videtur. Agit enim quod non agebat priùs, hoc est, influit in rem vbi facta est, in quam cùm ea nondum esset, non ita influebat. Cùm igitur hoc ipso in casu, id non repugnet dici, cur repugnet in alio? Dicent fortasse eum hoc agere rei creatæ ministerio, illud à se ipso nullo videlicet intermedio, quare de altero dici posse, de altero minimé. At non satis responsio facit, quia agit in rem ipse intentiùs & intimè magis, quàm causa, quæ creata est, & intermedia, semperq; rebus adsistit, easq; conseruat, quas cùm creatæ editæq; nondum essent, non conseruabat, ita nouã actionem nullo pacto queunt effugere. Si verò secundum dixerint, tũc habebimus syncerè quod quærebamus, vtpote, quòd sese ab ęterno determinauerit cuilibet rei, dum ipsa est, suam influentiã largiri velle: quare cùm nouiter illa produxerit, nulla noua dispositio, aut nouus appetitus requirebatur, quod fortè animaduertens eius discipulus Theophrastus, ex nihilo creasse Deum vniuersa voluit, & scriptis testatum reliquit. Et hæc de physicis octo libris hactenus, vt facilè deprehendatur non mentitum omnino Simplicium, asseuerantem à rerum naturalium principijs, quia confusa atq; composita sunt, prodire cognitionem minimè demonstratricem, sed coniectura fultam: Verùm præter hæc & falsitate nutare illam atq; decidere demonstrauimus.

CAP. IX.

QVOD IN LIBRIS DE COELO, ET QVINTA ESSENtia, & alia multa, quæ Aristoteles asseuerat, negari possunt, & quòd eius rationes de mundi vnitate ab alijs debilia argumenta existimantur.

PHysicæ auscultationis initia, media, fines tetigimus, reliqua naturalis philosophiæ communis, scilicet, & spectatricis opera percensenda sunt. Occurrunt autem libri de Cœlo, in quibus multò fastu grauiq; supercilio sectatores Aristotelis quintam essentiam prædicant, & demonstratam putant, quam & Atticus ridet Platonicus, & noster Ambrosius, cuius quarto libro meminimus, etiã confutat, & Augustinus abijcit, idq; fieri ab eo Franciscus Maronius super septimo eius de Genesi libro scribit: quoniam more Platonico cœlestia corpora ex ignea natura cõstare existimauerit. Idemq; Augustinus fretus eisdem literis, & cœlum ex materia factum dicit, & de eius figura, quam magno nixu Aristoteles orbicularem facere molitur, etiam scitari ipse contemnit, sed testimonio Sacrarum literarum: eam verò quintam naturam vt probet Aristoteles suppositis vtitur, quę negari facilè possunt, & iam Platonici multi negant, qui & conclusionem quoque refutant: nam ex igne cœlum dicunt extitisse, vel multum habere ex ignea natura contendunt, neq; propterea iure ab eo damnatur Anaxagoras, quòd pro igne ætherem dixerit: nam etymologiæ ratio verti potest, vt enim hic ἀθέω quod est curro, ita ab αἴθω, id est, ardeo, potuit ille deducere, & vti videtur, accommodatiùs. At illa supposita? motum simplicem simplici corpori deberi necessariò, num iri potest inficias? neq; enim talis motus natura, per sese ita naturæ corporis talis addictus est, vt eam consequatur nexu inuariabili, quoniam variæ motus species, variaq; natura, vt etiam corporum, & varijs de causis: neq; enim licet vno ex accidente extrinsecùs perspecto, rei cui id accidit vniuersam naturam tanquàm perspectam & exploratam iudicare, quanquàm etiam motum eum non ritè deprehensum paulò pòst disputabimus. Item corpus simplex, motum simplicem aliquem naturalem habere, num id pari pacto negabitur? Negant sanè, vti diximus, & hæc, & alia Platonis asseclæ nonnulli: & Plotinus in libro de mundo simplicem motum simplici corpori debere, vnum ex sex illis suppositis dicit esse, quæ si quis concederet Aristoteli, æternitatem cœli tùm posset comprobare, atque

atque ita Damascius in commentario in primum Aristotelis de Cœlo librum, & Proclus in Timæum, Plotini secuti vestigia, decernunt. Sed, vti diximus, motus natura, naturæ corporis non est, ita necessariò addictus, vt arbitrantur & Peripatetici, & qui Aristotelem sequũtur Platonici, quare & hoc suppositũ, & alia multa negari possunt, quo minus queat & cœli æternitas asseri, & quinta prorsus essentia comprobari, & quæ ad ipsius quintæ essentiæ naturam consequuntur. Nec mirari satis possum tantam fuisse ab Aristotele authoritatem motui tributam, vt ex eius diuersitate, substantiæ diuersitatem certò & sine controuersia se deprehendisse existimaret. Est enim accidens motus ipse, & à motore dependet, quare si quinta illa essentia, non esse animata, in motore requirenda est motus ratio, quæ, scilicet, ab eo illi extrinsecùs aduenit, si animata in animali ipso semet agitante talis motus exquirendus erit, qui scilicet æthereum consequitur animantem, is autem est orbicularis, qui ita sit illi congruus & aptus, vt hominibus verbi causa progrediens motus, vt gammaris verò cancris, & id genus cæteris aquatilibus retrogrediens. Ac multæ quidem Aristotelicarum rationum mathematicis principijs nituntur, quæ transfert ad probanda naturalia, qui modus argumẽtationis ab eodẽ Aristotele reijci solet, nec à genere ad genus fieri transitum demonstrando patitur, multaq; antiquorum dogmata philosophorum, quæ freta videbantur regulis Mathematicorum planè non recipit: cur igitur recipiemus ipsi, quod in primo de cœlo perfectum motum adstruxerit, ex perfectione circuli? quod in secundo rotundum asseruit eodem nixus circulo, qui sit prima planarũ figurarum? vt cætera taceam multa quibus eo in opere vtitur de Geometrarum abaco desumpta. Nec mihi faciũt satis, qui quod cœlum Dodecaëdro Plato adscripserit, propterea ab igne qui pyramidi, à cubo qui terræ, ab isocaëdro qui aëri, ab octoëdro qui aquæ sit datus, putauerit, esse diuersum, hoc est, quintæ simplicisq; naturæ, quintæ fortassis, vt qui conflaretur ex illis, nec vna propriè illarum esset naturarũ, simplicis nequaquam, quoniam apertissimè non aliena esse natura ab illis quatuor asseuerat, vel igne plurimum participare. Et prætereà tangi posse voluit, quod negat Aristoteles, qui tactum, nisi rei compositæ ex elementis concedit. Ac mihi sanè videtur in ijs quæ ad ipsius quintæ essentiæ naturam consequuntur, & ad alia etiam multa potuisse Aristotelem, & modestissimè quidem id agere inter scribendum opus de cœlo quod multis pòst sæculis noster egit Augustinus, postquàm libros edidit super Genesim ad literam: vt enim hic scripsit plura in eo libro esse quæsita, quàm inuenta, & ex inuentis pauciora firmata, ita ille scribere potuisset, plura esse in opere de cœlo supposita quàm probata, & ex ijs quæ probasset pauciora validis argumentationibus communita. Rationes enim quibus vtitur Aristoteles ad probandum diuersam cœli naturam ab elementis, ita, vt quinta propterea iudicari debeat, eluduntur à Xenarcho atque Philopono, sed de illis paulò pòst seorsum agemus, nunc alia quæpiam insinuanda sunt, vt deprehendamus non ea solùm in re, sed & in alijs quoque cœlestibus Aristotelem debilibus epicherematibus vti consuêsse.

Ac vt non repetam quæ paulò antè significaui multas Aristotelicarum rationũ mathematicis principijs niti, quæ contra ipsiusmet Aristotelis regulas transferuntur ad probanda naturalia. Argumentum illud contra cœli originem, quo illud ęternum aduersus Platonem statuere nititur, num fuêre qui deriserint? quando vice demonstrationis topica vtitur persuasione, eo freta loco cui nomen à commutata proportione fecerunt. Ac illa etiam non persuaderi quod sategerat, affirmârunt. Incorruptibile quoq; cœlum dum asserit ex opinione gẽtium, quis ferre æquo animo poterit? ibi videlicet deos incorruptibiles habitare, ipsumq; propterea corruptioni minimè obnoxium, nec itẽ vnquàm tot seculis immutatum: quis quæso hoc tradidit? quis etiam si qui traderet, posset si mutaretur aduertere? quando nec in gemmis Aristotelis sententia corruptibilibus, potuit quisquàm sensu vllo senium ne dum propinquum interitum & corruptionem sensibus vllis aptè coniectari. Dextrum prætereà & sinistrum in cœlo, qua ratione firmatur? An homo ille qui supinus iacere fingitur, fractis erat cruribus? vt consilio Medicorum iacere nõ posset in latus. Cur eius caput ad austrum magis, quàm ad Boream collocatur? an vt erectis fortasse cruribus tàm bellum ederet spectaculum, vt polum hunc nostrum editiorem plantarum vestigijs obumbraret? more illorum planipedum Sciopodum, quos aut inuenit, aut finxit vetustas. Sed ne fabu-

ne fabulosis fabulosa tãtùm impetamus, quo pacto quæso illud dextrum & sinistrum accipient Mathematici, qui nonam, qui decimam etiam sphæram statuunt, & qui motum australem introducunt? Primum enim cõuersionis cœli principium id facit Aristoteles, vnde oriuntur stellę, eas enim oriri variè nona & decima suprà posita necesse est, vnde scilicet motus ipse dependeat: nam octauam tantùm agnouit & supremã statuit Aristoteles, & qui eum præcessêre Plato & Aegyptij. Et ipse quidem Aristoteles cùm vagę stellæ contrario mouerentur motu ac fixæ, variè quoq; ad earum habitudinem dextrũ figurauit, & sinistrum in ipso secũdo de cœlo volumine: vt mittam quod Ioan. Scotus in secundo sententiarũ commentario censet in cœlo ex natura rei non esse dextrũ siue sinistrum. At qua firmitate demonstrationẽ quam dicunt de mundi & terræ vnitate ostentant? & quàm libenter? quam quidem vt de me fatear nũquàm demonstrationẽ putaui, & propositiones quibus corrogatur, debiles & parui momenti, & à locis topicis mutatas semper duxi. Credidi equidem semper sensilem hunc mundum vnum esse, sed fide credidi, non Aristotelis id rationibus mihi persuasi, & quanquàm ex nostris Theologis S. Thomas Aristotelis rationem de terræ vnitate in prima theologicæ summæ parte recepit, nihilominus eam rationem non pro certa, sed pro dubia eius expositor Caietanus admisit.

Cæterùm & ante, & post S. Thomæ tempora, Theologi quoq; ex nostris, & probatissimi, & acutissimi, & eam, & alias Aristotelis rationes de mundi, & terræ vnitate, vel retuderunt, vel irriserunt: sed & philosophi quoque gentium nonnulli non eorum ex numero, qui Democritum, sed qui Platonem secuti sunt, idem effecerunt, & ex Hebræis aliqui. Quare non incongruum videtur vt etiam, quę ipsi excogitârunt, paucis expromam, paucis, inquam, quoniam si multis, quod est actum, agam, si paucis, quod effusè alij, magnaq; copia nihil aliud meditati disseruêre, breuiter perstringens, nec fructu lector carebit, nec verborum multitudine fatigabitur: Illam igitur qua nititur Aristoteles rationem de tota vno in mundo consummata materia, dum de cœli vnitate dissereret, Ambrosius in secundo hexaëmeron operis libro satis irrisit. Robertus Olchot in secundo commentariorum in sententias theologicas confutauit. Sed nostrorum Theologorum quoniam eis minus fortè credent, qui nimio plus gentium philosophos magnifaciunt, nunc habenda mentio non est, citandi enim priùs ij sunt, quibus magis hęrẽt authores Gentium: Atq; ita hostes eorummet armis impugnabimus. Apud Plutarchum grauem omni dubio procul, & copiosum apud gentes authorem, dum agitur de defectu oraculorum, eo libro cui fecit titulum περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, multa disputantur de vnitate mundi, sed quæ nostrum ad propositum faciunt, edisseram quàm paucissimis: nam ille multis id egit longoq; progressu. Græcè referam quæpiam, in quibus vice fungar interpretis, vt sæpè feci, vt faciendum quoque est, dum habentur cum talibus hominibus verba, vti si remittantur ad Græcos codices, putent se ad Taprobanam, * aut ad incognitas illas prioribus seculis terras, nostra ætate Hispanorum nautarum labore repertas, relegari. Item quandoq; non interpretis solùm, verùm & expositoris enarratorisq;, atq; etiam paraphrastis, etiã compilatoris, partes exequar hoc in negocio. Cùm itaq; eo in libro plæraq; dicta essent de pluralitate mundi & vnitate, resq; eò inclinari videretur, vt plures haberi deberent, dictumq; fuisset: εἰ γὰρ οὔτε ἄνθρωπος εἷς ἐν τῇ φύσει οὔτε ἄστρον, οὔτε δαίμων, τί κωλύει μηδὲ κόσμον ἕνα τὴν φύσιν ἔχειν, ἀλλ' ἢ πλείονας, ὁ γὰρ λέγων ὅτι καὶ γῆν μίαν ἔχει, καὶ θάλατταν ἐμφανέσι παρορᾷ τι τῶν ὁμοιομερῶν, τήν τε γὰρ γῆν εἰς ὁμώνυμα μέρη, καὶ τὴν θάλατταν ὡσαύτως διαιροῦμεν, οὗ ἢ κόσμου μέρος, οὐκέτι κόσμος, ἀλλ' ἐκ διαφόρων φύσεων συνέστηκε, καὶ μὴν ὅγε μάλιστα φοβηθέντες ἔνιοι καταλείπουσι τὴν ὕλην εἰς τὸν κόσμον ἅπασαν, ὡς μηδὲν ὑπολειπομένην ἐκτὸς, hoc est, si enim neq; homo vnus est in natura, neque astrum, neque Dæmon, quid prohibet non vnum mundum habere naturam, sed vel plures: qui enim dicit, quoniam & terram vnam habet & mare, manifestè præterit, quod est ex similibus constitutum. Etenim terram in æquiuocas partes & mare similiter diuidemus, mundi autem pars non etiam est mundus, sed ex differentibus naturis constituitur, at qui nonnulli sunt qui hoc præcipuè veriti, materiem vno in mundo vniuersam consumunt, vt nihil extrinsecùs relinquatur: hæc ferè eò in libro, & plura in hanc sententiam alia, vt quod etiamsi plures mundi essent, nihil tamen incompositum, nihil inordinatum propterea, nihil ex alio in alium quod tanquàm excideret, atque deflueret, sed pari concordia, nulloque inordinato

* Quæ insula in mari Indico sita, vocatur nunc Sumatra

nato casu res ageretur, quod licet animaduertere in hoc ipso quē incolimus, vbi tàm multa, tamq; varia corpora, quę sua mole suoq; fulgore, & mirabili consensu spectantiū oculos detinent atq; demulcent: & post paululum subiecit: ἀδύνατον γὰρ οὐθ' ἓν ἐστι τούτων, οὔτε μυθῶδες, οὔτε παράλογον, εἰ μὴ νὴ Δία ταῦτα τοῦ ἀριστοτέλους ὑπόψωνται τινες, ὡς φυσικῶς ἔχοντα, hoc est, nihil autem horum est impossibile, neque fabulosum, neque irrationale, nisi per Iouem suspicentur quidam Aristotele sese habere tanquàm naturaliter: hæc ille: Mox & quę ipsa essent cùm subiecisset, corpora videlicet naturalia proprios habere locos, Quapropter necessariò terram ad meditullum ferri, inde aquam, vnde & si plures essent mundi euenturum vt alicubi super igni terra collocaretur, alicubi aliter, atque hoc ex ordine colligi vnum esse mundum ex necessitate non plures, tùm subiecit: ἀλλὰ καὶ ταῦτα πιθανῶς μᾶλλον, ἢ ἀληθῶς εἴρηται, id est, sed & hæc persuasibiliter magis, quàm verè dicuntur: & causas illicò subintulit, quod quæ dicebat & medium, & subtus, & suprà, ad ipsum duntaxat referret mundum, de cuius solitudine siue vnitate quæstio versaretur: neq; enim ad vacuum id referri, cùm sublatum iri vellet, in quo quidem vacuo medium non esset, sicuti nec primum, nec postremum, finis enim hæc ipsa, infinitum autem, id est, non terminatum omnino vacuum: de cuius conditione cùm disseruisset, relinqui censui, tuti medium non loca ipsa per sese facerent, sed corpora sese pellentia inuicemq; cedentia. Quod si motus mutationesq; opifici quem δημιουργὸν appellat, referri debere acceptas constiterit, continebit inquit mundus, vnumquodque in se ipso, terram si quidem & mare vnusquisq; mundus habet, & medium vnusquisq; proprium, & corporum naturas varias atq; mutationes. Quod enim extra est, vel nihil inquit est, vel vacuum infinitum, cuius nullum medium inuenitur. Si verò plures mundi fuerint vnicuiq; proprium erit medium, proprius motus, & non secus ac alij, hoc in ipso esse decernunt. Mox potissimam illam argumentationem qua probare Aristoteles voluit, si plures essent mundi, fieri vti ad vnum medium vnaquæque terra ferretur, quæ suopte pondere centrum petit, illam inquam argumentationem & floccifaciens, & irridens scribit: ὁ δὲ ἀξιῶν πολλῶν μέσων ὄντων, ἐφ' ἓν μόνον ὠθεῖσθαι τὰ βάρη πανταχόθεν, οὐθὲν διαφέρει τοῦ πολλῶν ὄντων ἀνθρώπων ἀξιοῦντος, εἰς μίαν φλέβα τὸ πανταχόθεν αἷμα συῤῥεῖν, καὶ μιᾷ μήνιγγι τοὺς πάντων ἐγκεφάλους περιέχεσθαι, id est Latinè: Qui autem dignum existimat vt si plura sint media, ad vnum solum vndecunq; grauia pellantur, nihil ab eo differt qui dignum existimaret, si plures sint homines, ad vnam tantummodò venam eorum sanguinem vndecunque confluere, & vna sola membrana omnium cerebra contineri. Cæterùm ijs non contentus plura subnectit, quibus & eius soluantur rationes, & minimè necessariæ monstrentur. Inde mouet in Stoicos, qui vnum & ipsi mundum volebant, & eorum rationes irridet, longiq; postea subsellij opere de numeris & figuris disputat, ac quinarium numerum mundis aptat, eiusq; de natura pleraq; differit, Platonicam hac in re opinionem præferens Aristoteleæ. Cuius, quantum ad me attinet, argumenta minimè vnitatem mundi demonstrare puto, probabilesque tantummodò existimo rationes quibus Aristoteles vtitur non necessarias, & quas facilè Theologus reijciat, apud quem Dei potestas infinita plures si voluisse creare & diruere mundos valeret, & quas etiam non difficulter philosophus, neq; secta Democriti atque Leucippi nixus, neque insania Epicurea fretus, sed probabili ratione vsus, non multo negotio dissoluat: tamq; facilè posse eas dissolui, Robertus Olchot, cuius meminimus existimauit, vt nullo modo Aristotelem ea in re posse defendi sanxerit, nisi fide supposita, quod quidem licet intueri apud eiusdem authoris librum in sententias theologicas secundum, articulo sexto secundæ quæstionis. Certè (vt mihi videtur) si diuersæ existimarentur speciei qui plures afferentur mundi, nihil omnino Aristotelis rationes haberent ponderis, quia & diuersa esset terræ, aquæ & cęterarum partium species, & natura. Si eiusdem, tunc sibi illæ ipsæ partes conuenirent, nec suum egrederentur mundum, sua media quæcunq; grauia corpora peterent, & quæ leuia sunt superiora conscenderent, & idem in cæteris iudiciū proportione pari, quod etiam Roberto placuisse comperi. At dicet quispiā, num legisti in duodecimo libro primæ philosophiæ particula quadragesima nona, idem quod alibi quantum ad cœli vnitatē pertinet Aristotelem decreuisse, sed aliam assignasse & explicasse causam? legi sanè, atq; perlegi, & non maioris esse roboris existimaui. Neq; enim ad mobilia eiusdem speciei exigitur, tāquàm necessarium, vt motor sit eiusdem speciei, cùm ipsi

ipsi motores sint abstracti, vt à plærisq; existimatur. Quod si coniunctos putauisset quemadmodum animæ corporibus iunguntur, ita vt ex duobus illis vna dissultaret species, si hoc absurdum non esset, neq; absurdum id haberi deberet, ea, scilicet, quæ sunt eiusdem speciei habere materiam, materiam inquam non obnoxiam corruptioni, sed corpus simplex quintæ naturę, quales ipse Aristoteles cœlestes orbes existimauit, atq; hac de causa vna in specie plura indiuidua collocari. Quare siue animatos orbes voluit vti plæriq; omnes credunt eum sensisse, ratio illa nihil habet momenti, siue abiunctos censuit motores ab orbibus, vt aliqui iudicant, non sequitur vt eiusdē speciei necessariò teneantur: vnde nihil eo discursu prohiberetur, quò minus eiusdē speciei plures mundos haberi, quispiam philosophorū existimare potuisset. Quare probabiles, non necessarias eius hac de re argumentationes fuisse, nec omnino suis quas in posterioribus analyticis tradidit regulis ad amussim quadrare, neutiquā vllus nunc ambiget grauis rerum æstimator. Hebræus item ille cuius suprà fecimus mentionem, plures esse potuisse mundos asseuerat, nec rationes Aristotelis quicquam probasse contendit. Reperi posse magnitudinem infinitam, & dimensiones separatas infinitas, & vacuum dari, & mundos orbiculari figura necessariò non consistere voluit: namq; illa explodit, definitionem infiniti verificari de eius partibus: reijcit & illud, differentias positionis esse terminatas, nam specie concedit, numero minimè, cùm hic illo, & ille alio possit esse superior vsq; in infinitum. Si enim, vt inquit, non datur sursum absolutum, nullum sequitur inconueniens, negat etiam corpus infinitum orbiculari figura pollere, quoniam quod non finitur caret extremis, & affirmat præterea omnem figuram posse in orbem moueri. Sed reuertor ad Græcos.

CAP. X.

QVOD IN LIBRIS ITEM DE COELO ET XENARchus, & Philoponus Aristoteli contradixêre multis in rebus, & quod multa quoque adduci non incommodè possent.



Etenim Xenarchi & Philoponi, & aliorum contra Aristotelica de mundo placita rationes, adducere omnes facilè possem, & quæ ab Alexandro & Magentenio pro Aristotele excogitata sunt, non difficulter (nisi fallor) dissoluere: sed opus esset integro libro. Quare paucula sat fuerit adnotasse, & viris doctis innuisse potiusquàm explicasse, vti de linea quæ dicitur à Græcis ἕλιξ quam simplicem ille contendit non mixtæ naturę, & videtur etiam Xenarcho consensisse Archimedes, cùm intermedio ipsius lineæ, curuam lineā circularem in rectam, vt figuram orbicularem in quadrā redigeret, resoluere curauit, quod si ita haberetur, alij essent simplices motus per alias lineas, quàm quæ positæ sunt ab Aristotele: vt nec inde simplicem corporum naturam comprobare possent. Ac sanè memini probatissimum theologum Dionysium dum de motu mētium supercœlestium, deq; animæ motu dissereret in libro de Diuinis nominibus, fecisse mētionem motus & circularis, & recti, & curui, siue reflexi, & affirmasse tria hæc motuum genera in rebus sensibilibus in vniuerso reperiri, vt alia videlicet, mouerentur circulariter, alia secundùm rectam lineam, alia curuè siue reflexè, atque vt eius verbis vtar, κυκλικῶς καὶ εὐθεῖαν ἑλικοειδῶς. Philoponus quoq; motus differētes in differentes rerum naturas nō esse referendos inde probat, quod si ita esset, eorundem motuum vnam esse naturam confiteri oporteret, quod tamen ab Aristotele negatur, vtpote qui diuersarū esse naturarum aquam, & terram dicit, vtranq; tamen eodem motu recto ad centrum ferri. Nec obstat Magenteni (vt mihi quidem videtur) illa responsio, terram ad centrum, aquàm verò ad terræ ferri superficiem, quoniam ambo qua grauia sunt, centrum petunt, & recta linea suopte naturali motu feruntur. Præterea quoq; vrget Philoponus nihil prohibere, quin cœlum etiam si diuerso ab elementis motu deferatur, eiusdem cum eis naturæ possit censeri, quoniam terra, & aqua quas diuersæ constat esse naturæ, eodem motu; qui est ad centrum, moueantur. Ad hæc subnectit cœlum qualitatibus elementorum frigore & calore non carere, etiamsi grauitate & leuitate careret: Neq; enim, inquit, si leuia corpora contingit esse calida, similiter & si grauia omnino sunt

sunt frigida, sequetur ex necessitate, quæ neq; leuia, neq; grauia sunt frigiditate & caliditate priuari: quoniam sana nõ est ex antecedente propositione subuersio, si quis enim homo est, omnino & animal est, non tamen si quid nõ est homo, verũ erit dicere, quod non sit animal. Addit & illud, Si Alexander rectè sanxit eum esse propriè, secundùm Aristotelis doctrinam circularem motum, qui esset circa centrum totius vniuersi, rectè quoq; & illud statuetur, motus qui nõ sunt circa centrum vniuersi propriè nõ dici circulares, qui & simplices appellantur: Astra verò secundùm plurimos Astronomorum circa propria mouentur centra, quoniam eundem non habent cum vniuerso orbe centrum, neq; astra, neq; eorum epicycli, neq; illæ, quæ appellantur eccentricæ sphæræ: namq; & à terra absunt sæpenumerò, & terræ etiã sæpenumerò propinquiores alijs alij Planetæ inueniuntur, propriæ itaq; circulares non erunt istiusmodi motus, nec alijs corporibus cœlestibus planè conformes. Mitto & quę Simplicius in primo de Cœlo commentario, & alij etiam ipsius Aristotelis sectatores aduersus ipsum Aristotelem conscripsêre. Illud sanè addi posset à nobis hoc loco, de vniformi motu sphæræ octauę, quam statuit vltimam, aliter scribi oportere si posterioribus cœlorum dimensoribus stare voluerimus qui nonam & decimam super octaua collocant, nec nõ retrogradientem eam atq; etiã in austrum & septentriones motã suis obseruationibus colligunt, quare non eo motu vniformi, quem ille existimauit, (quoniam extimam eam cæteraq; omnia ambientem putauit) octaua sphæra mouebitur: peribitque longus ille Aristotelearum rationum super eo negocio discursus. Addi & illud facilè quiret, quo videlicet falsò imputat in ipso tertio de Cœlo libro Parmenidi, tanquàm existimârit nihil esse præter substantiam rerum sensibilium: Diximus enim & nõ multò pòst dicturi sumus, Parmenidem non ita sensisse, vti de eo scribit Aristoteles, idq; etiam ipsius Parmenidis verbis comprobabo. Addere & alia pleraq; possem, quæ in præsens omittam spatijs exclusus iniquis: nam satis haberi debet si de cœlo insigniores, quæ putari solent, demonstrationes duxerimus in controuersiam.

CAP. XI.

MVLTA QVAE ARISTOTELES IN LIBRIS DE GENEratione posuit vt stata & firma, & rationibus impugnari posse & impugnata fuisse.



QVàm multa Aristotelis placita in libris de Cœlo & cõfutata, & infirmata fuerint rationibus authoritatibusq; virorum illustrium, ex ijs quæ proximè scripsimus, manifestum est. At si è cœlo ad elementa descenderis, non minora fortasse deprehendes, quorum elementorum conditiones, proprietates, qualitates in libro de Generatiõe repositas, multi nõ recepêre, sed & impugnauêre pleriq;. Equidem præter illud, quod scripsimus in libro de Elementis, varium fuisse Aristotelem, cùm in opere de cœlo terram opposuit igni, ex summa locorum distantia summam inter ea elementa repugnationem imaginatus, in libris verò de Generatione aquam igni ex pugna qualitatum opposuit, vnde fortasse duplicem calorẽ duplicemq; frigiditatem commentus est Aegidius: præter alia quoq; maioris momẽti, nõ posse certa & euidenti ratione sciri numerum elementorum, non posse corũ sedes sine controuersia cognosci, nõ posse eorum qualitates primas, quas ille pro vero & confesso posuit, exactè deprehẽdi: præter alia quoq; eo in libro probabiliter disputata, quæ ne facta faciam hoc loco non recenseo: iam enim editus & in publicum datus est is liber, in quo hæc continentur, vbi de qualitatibus elementorum multa extrahi possent contra libros de Generatione Aristotelis. Præter hæc, inquam, & alia nonnulla cogitata nostra, posteà animaduerti qui ante me de elementis scripserant, non omnes Aristoteli cõsensisse, quapropter ex re visum est fore, si hoc quoq; loco eorum sententias subnotarẽ. Scribit Thomas Garbius secunda quæstione de elemẽtis, recitata opinione Aristotelis & Auerrois de qualitatibus elemẽtorũ in libro de Generatione positis: quod vnumquodq; elementũ suam habet pręcipuã & prę omnibus alijs qualitatem: Ignis caliditatem in summo: siccitatem non ita: aër humiditatem in summo, nõ autem frigiditatẽ: aqua frigiditatem summè possideat, non ad summum verò humiditatẽ: terra siccitatem summam obtineat, non autẽ summam frigiditatem: idq;

multorum authoritate probat, & ipsius etiam Auerrois in meteorologicis testimonio, subindeq; addit Aristoteli Albertum contradixisse, terram frigidiorem aqua multis argumentis decernentem, & si Albertus quandoq; contradixisse, non vult videri, dum frigiditatem aquæ, humiditati ipsius mauult contulisse Aristotelem, quoniam frigiditas, eius ipsius essentiæ sit magis intima quàm humiditas. Cæterùm Garbius idem, opinionem Aristotelis & sectatorum magis consuetudine quadā introductam affirmat, quàm validis rationibus: probareq; id ipsum conatur longo validoq; discursu, in quo euidenti ratione probari negat posse, quatuor esse elementa simplicia: nec simplicitati ipsi mixtorum constitutionem adstipulari, quæ semper ex mixtis non simplicibus conflari videatur. Negat item probari posse euidenti ratione, purum terræ, aut aquæ, aut aëris elementū reperiri, diuersum ab eis quæ tanguntur mixtis, siue perfectè, siue imperfectè constitutum. Ignem quoq; in concauo orbis lunæ collocatum, negat posse conuinci, cùm nullum eius rei experimentum haberi queat, & posse tibi esse aër ex cœli propinquitate calidus, vnde conflentur, quæ fiunt in sublimi illa regione aëris incensiones. Negat item aut ratione, aut apparitione vlla posse concludi, terram igne esse sicciorem, sed & contrarium elici manifestis experimentis, hoc est, ignem summam possidere siccitatem. Respōdet subinde rationibus Auerrois & aliorum subtilissimé. Subdit & illud aërem non esse aqua humidiorem, idq; verisimile videri magis, qui attulêre, & credi voluêre sectatores Aristotelis, quanquam nec euidēs ratio, nec experientia illis adstipulantur, sed ipsi sibi abundè suffragentur: & si cui dubium id videatur, appellat ad tribunal sensus, ad ipsum tactum, qui ex aqua quàm ex aëre magis humectatur: quem quidem aërem non admittit calidum, sed ambigit plurimùm, & ne sit calidus, multas rationes ducit in medium, & sub ambiguo relinquit, posse decerni vtrum calidus an frigidus? modò causæ quibus affici queat, remoueantur: quod non de aëre tantùm, sed de omni corpore naturali voluit esse probabile, vt nisi extrinsecùs afferri possint qualitates, quibus afficiatur, ex sese nulla pollere qualitate sit consentaneum, hoc est, caliditate, siccitate, humiditate, frigiditate: atq; id solū ex toto positis ab Aristotele sectatoribusq;, concedit: Aquam frigidam & humidam esse, quoniam ita esse, sensus ipse manifestè decernat, & terra magis frigidam non abnuit, sensu non ratione adstipulante, cui magis acquiescendum retur, qui rationibus Alberti, quas non inficiatur, facilè posse dissolui. Hæc breuiter ex Thoma Garbio aduersus Aristotelem de qualitatibus elementorum excerpsimus quodam quasi compendio. Si quis explicatiùs rem cognoscere velit, secundam quæstionem de Elementis in libro, cui summæ Medicinalis nomen est factum, pertractare poterit, & in tertia quoq; videre nonnulla aduersus Aristotelem disputata, quæ quoniam ad libros physicorum, & libros de cœlo spectare videntur, curiosum lectorem ad ipsum Garbium volumus relegatum: Sat enim de ijs quæ ad generationem pertinēt hæc paucula subnutasse, ne ordinem Aristoteleorum operum videremur deseruisse. Et quidem si Ioannis Scholastici commentaria in libros Aristotelis de Generatione & Corruptione euoluerimus, nō ita stata & sine controuersia deprehendemus ipsius philosophi dogmata, sed ambiguitate non parum multa perplexa: dictionem verò adeò obscuram atq; vt ipsius interpretis vtar sermone, λέξιν ἀσαφῆ οὖσαν, vt eam quandoq; ex Hyperbato, ad planiorem structuram necesse habuerit reuocare, quò minus absurda consequerentur in sensu.

CAP. XII.

QVOD ALIQVAE RATIONES DEMONSTRATIONVM loco in meteorologicis ab Aristotele positæ, falsæ sunt.



Vidimus & in physicis, & in libris de Cœlo, & de Generatione Aristotelis quæ dicūtur demōstrationes insigniores, cùm falsa tùm debilia fuisse argumēta: facilè de reliquis naturalibus libris poterit idē iudicari. Sed meteorologicos ad præsens quadā ex parte subnotabimus errores: Ipse Aristoteles opus exorsus rerū quæ in sublimi fiunt, generanturq;, meteorologicæ propterea nuncupatæ: difficultatem negocij, vt erat acutissimo & longè solertissimo ingenio non ignorauit: Quare quod antea meminimus, præfatus est dubitare

tare videlicet se aliqua, & quæpiam quodammodo tangere. Quæ verba exponens Alexander Aphrodisieus, illud dubitare de Iride interpretatur, quo, scilicet, pacto fiat, & cur aqua marina salsugine polleat, illud verò tãgere, declarat ita, περὶ νεφῶν συστάσεως, hoc est, de cõstitutione nubium, & paulò pòst subdidit: εἰ μὴ τὸ ἀκριβὲς εἰπεῖν, περὶ τῶν τοιούτων ἔχομεν, ἀλλ' οὐ παντὶ ἀνεννόητοι τῆς γενέσεως αὐτῶν ἐσμέν? Etenim, inquit, si non exactum quodpiam de talibus queamus loqui, at ne omnino ignari simus generationis eorum, quibus ex verbis nihil exactum, nihil aptum demonstrationi, quod & antea subindicauerat, Aristoteles aperit, atq; id explicat Alexander meteorologicis in libris inueniri. Olympiodorus quoq; Alexandrinus, cuius etiam superioribus libris facta est mentio, longè obscurissimum esse illud opus in ipsis quos in id molitur commentarijs affirmat, expositis quidem & claris verbis, sed sensu & argumẽtationibus minimè clarum asseuerans, & multò minus apertum manifestumq; quàm sint de Anima inscripta volumina: quod si aliqua hîc apertè docere videatur, id esse ait κατὰ συμβεβηκός, hoc est, ex accidenti, propterea quod de rebus particularibus disserit.

Verùm enimuerò procedente opere, tanquàm oblitus Aristoteles eorum quæ dixerat, in ipsam maximè Iridem demonstrationem parat, & quidem Mathematicam adeò, vt multa in eius extructione literaria elementa consumat: à qua tamen Iride certitudinem ex Aristotelis verbis Alexander abdicauerat, inter ea in quibus dubitatio versaretur eam collocans. Sed enim de hac Iride, hoc est, de eius magnitudine atq; figura non dubitauit Aristoteles demonstrationem illam attulisse, vti maior nunquàm esse posset figura semicirculi: maiorẽ tamen portionem circuli ab ea superatam adeò, vt paulò minus circulum implêrit, & ego vidi, & alij fuêre qui viderint sexdecim ferè abhinc annis: tumque insignem hunc Aristotelis & Auerrois qui hac in re nec illum, nec se ipsum potest defendere errorem. Memini in libros qui de studio diuinæ & humanæ philosophiæ inscribuntur, me reposuisse: vti ob id liceat irridere Auerroim, qui nunquàm errasse insigniter Aristotelem præfatur, & hunc tamen non diffitetur errorem, & ab eius socio deprehensum quanquàm fatetur, iterum tamen excusare quoquomodo satagit: quem tamen errorem Aristoteles pro demonstratione & certa, & elaborata perscripsit. Ac Senecæ (vti satis eius primus naturalium quæstionum liber indicat) atq; alijs non parùm multis imposuit: Falsa certè Aristotelis conclusio, non meis solùm oculis, sed & aliorum, qui benè etiam sunt oculati. Namq; fuerunt posteà qui se mihi hanc ipsam deprehendisse falsitatem affirmauerint: quam tamen conclusionem ipse demonstrasse putabat. Quare ex falsis eam propositionibus pependisse necesse est, cùm ex veris assumptis colligi falsa conclusio nequeat.

Aliam Aristotelis in Iride, sed nocturna, leuitatem magnus etiam Albertus deprehendit, qua videlicet existimauerit eam non nisi vna die plenilunij euenire; nec nisi bis magno interposito ætatis curriculo, hoc est, supra annos quinquaginta. Et quamuis quoquo modo visus est Albertus velle aut tueri illum, aut non damnare. Aristoteles tamen excusationẽ reijcit omnem, ipso suo loquendi modo, vnde enim verba illa? καὶ ταῦτα πάντα ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τοῦ μηνός, ἐν τῇ πανσελήνῳ γὰρ ἀνάγκη γενέσθαι, hoc est, & hęc omnia in die vna mẽsis, in plenilunio enim necesse est fieri. At num plenilunium plures quo ad hãc rem pertinet, hoc est, ad causam generandæ iridis, dies perdurat? an vnum tantummodò instar animantis Ephemeri? Vnde & illa verba διόπερ ἐν ἔτεσιν ὑπὲρ τὰ |Δ|, hoc est, quapropter in annis supra quinquaginta, bis videlicet accidisse videri. Num plenilunium quolibet mense? nũ tenebræ singulis noctibus? quas etiam dixit in causa fuisse, cur veteres non putârint nocte fieri Iridem, quia videlicet ipsos ea latuisset, ob raritatem. Causam igitur quæro cur ὀλιγάκις, vt ille inquit, hoc est, paucies (si dicere liceat) rarentérve fiat? reddidisse illam tamen quispiam dicet per illa verba: τὸ δ' αἴτιον ὅτι ἐν τῷ σκότει λανθάνει τὰ χρώματα, καὶ ἄλλα πολλὰ δεῖ συμπεσεῖν, causa est, inquit, quoniam & in tenebris latent colores, & alia multa oportere concurrere. An colores semper non latent, in tenebris, si absolutas, & nigerrimas tenebras sub illum nocte dedit intelligi? Si verò non silente Luna iridem fieri docuit, sed cùm plena lumine est, cumq; (si liceat poëticè dicere) —*percurrit cœlum fraternis æmula flammis*, quid tum opus erat tenebras cõminisci? Eadẽ enim causa eosdem debet effectus promere. At quid sibi voluerunt illæ dictiones, multa oportet concurrere? Quæ'nam quæso sunt illa multa? de quibus nec verbum quidem ipse fecit, sed nec eius expositor Alexander quicquam pensi præter-

quam colores obscuriores adiecit, quis enim ambigat maiori in lumine colores spectari longè illustriores? Alia occulta promenda essent quæ certè aut facere debent cũ ijs, quę dixit esse in causa, vt appareat iris nocturno tempore, tumq; restat suo in robore quod in eum sumus moliti, aut certè congruere ijs quæ sunt in causa vt videatur rarò, tumq; cùm nõ expresserit, nihil docuit. At dices ea fuisse, quæ mox subiũxit, oriente & occidente luna id euenire. Sed hoc, si illi cum solari iride commune est, dicere nõ oportebat, si diuersum, falsitate labat: nam nulla alia causa potest iridis afferri in Aristotelica disciplina, quàm refractio luminis, nec aliam attulit ipse generatim, cùm tamen sæpenumerò paruo interstitio temporis spectata sit spectariq; possit identidem. Causa enim iridis nocturnæ, & nubi fertur accepta, & lunæ: Nubi, vt decidant aquæ tenuia quæpiam ramenta, eademq; torrida dimanent, tanquàm stillæ stiriæ've. Lunæ verò vtpote quæ vbi maiores eiaculatur in aduersam nubem radios, id agere dicitur nocte, proportione pari, quod interdiu sol. Eius enim quasi vicaria successione tẽperat noctem: vnde & antiquis gentium poëtis Phœbe dicta est, & Phœbi soror. Luna igitur cùm plena lumine est, quotiẽscunq; illi roscida nubes opponitur, toties potest iris apparere, potest autẽ opponi sæpenumerò paruo temporis spatio, quare & de effectu nocturnæ iridis falsum reposuit, & aberrauit in causa, quæ quoniã poni frequẽtissimè potest, rarissimè tamen effectum inde prodire literarum monumentis testatũ reliquit. Modestiùs multò videtur egisse primo ipso quęstionũ naturaliũ Seneca: nam quanquàm dixit in nocte arcus nõ fieri, nisi admodũ rarò, non tamẽ ad quinquaginta se annorũ spacium contulit, aut minutias vnius diei in plenilunio commentus est, sed quia, inquit, luna, non habet tantum virium, vt nubes transeat, & illis colorem suffundat, qualem accipiunt sole perstrictæ. Mitto quod & falsa quædam, & sibi aduersa dixisse hoc in opere Aristotelem, Olympiodorus est author, mitto quod albam noctu iridem se vidisse testantur Lusitani nautæ.

Mitto quod in causa lactei circuli reddenda modò huc, modò illuc, videatur flectere adeò, vt quibusdam dederit occasionem existimandi voluisse illum refractionem esse luminis paruarum stellarũ, & latè quasi dixeris (verbum Græco reddidimus verbo) seminatarum: cuius etiam opinionis fuit Albertus: quibusdam verò exhalationẽ esse calidam placuit, quo modo ipsum Plutarchus exposuit. Res autem adeò anceps, vt Auerrois eius rei diuinitùs dari sibi cognitionem optauerit. At certè ipse post multa scripsit Aristoteles lacteum circulũ comam esse, nec à cometis aliter distare, quàm quod ille circulus à multis syderibus, cometæ autem ab vno excitarentur: vt videatur potiùs ex modo differendi huc flectere, & præcipuè quia postremò ad eum modum conclusit, propterea q; visus de eo Plutarchus hac in re iustè iudicasse, quod tamen si ita est, falsum ab Aristotele pronunciatum à multis asseritur. Prima potiùs opinio suscipitur, quam fuisse Democriti primo libro narrauimus. An illud prætereà falsum? quod certè falsum esse & olim rationes persuadebant & authoritas Auicennæ. Nunc etiam testatur ipsorum, quos citauimus nautarũ experientia: falsum, inquã inter Solis tropicos sub æquinoctiali linea, homines nec nasci, nec viuere. Sunt enim sub ea populi multi, & ad occidentale littus illud ignotum antiquitati, medio in Oceano, dulces marinæ aquæ fluctus, eos inuenisse compertum est. Verùm hæc ipse quidẽ spacijs exclusus iniquis, prætereã. Sed fortè dicerem ego, vt eum excusarẽ, & in hoc, & in alijs erroribus mitiùs cũ Aristotele agendũ, viro pręclarissimi ingenij, multiplicisq; doctrinæ, atq; apud gentes naturalium philosophorum præcellentissimi, vnde ita Dæmonium ab antiquis illis appellabatur, quod diligenter circa ima versatus esset, sicut Plato diuinus, quia suprema tractasset diligentiùs, & transnaturalia magis excoluisset. Agendum inquam mitiùs, vt qui fortè rectè senserit, rectè scripserit, quæ tamen scripta ipsi non habeamus, aut si habemus, erroribus plena sint, non authoris fortè vitio, sed temporum, & hominũ incuria. Quamobrem fossæ illi, & tineis, & Appelliconi Teio, & alijs, qui præclara illius volumina temerauerunt, accepta referenda esse, quæcunq; aut falsò, aut perperam in Aristoteleis libris de rebus naturalibus & imis (nam de supremis pauca, nec syncerè loquitur) collocata sunt. Sed eius defensores & fautores nimij hoc nõ patiuntur, qui & Aristotelis libros se habere & integros dicunt: eò maiorem hac in re notam infamię inurentes Aristoteli, quò maior est verus error falso, quò iusta accusatio potentior, quàm calumnia. At alterum incommodũ non possunt effugere,

gere, cùm re ipsa errores in libris multi sunt: Nam aut Aristotelis sunt errores, aut libri, qua scatent erroribus Aristotelis nõ sunt, vtrum malint, deligant, & de hac quæ circumfertur Aristotelis doctrina, quàm vana sit, sententiam ferant.

CAP. XIII.

QVÒD IN LIBRIS DE ANIMA, VBI MAXIMÈ VALIDAS plærique putant Aristotelis rationes, debiliter ipse argumentatur, non demonstrationibus vtitur: Ibique ab impugnatione Themistij Theophrastus defenditur qui reprehenderat Aristotelem.



Ræter hæc autẽ licet animaduertere, quàm debiliter argumentetur Aristoteles, ad rerũ scientiam exactè cõparandam, quando tàm parũ probat quod nititur probare, de ijs disserens quæ intus gerebat, ex quibus cõponebatur ipse, vel quæ potiùs erat ipsemet: ex anima enim & corpore constituitur homo, illa mente pollet, hoc anima intermedia sensu præditum est, ac tàm ex ea, quàm ex hoc, prodit cognitio, qua non solùm suorum ipsius actuum propriæq; naturæ, sed alienæ perceptio datur, hæret nihilominus in vtrisq;, adeoq; varius est & anceps, vti (quod libro quarto satis est monstratũ) philosophi Gentium præclarissimi inter sese, & nostræ religionis probatissimi Theologi, nunquàm habuerunt sine cõtrouersia cõstitutũ, quid Aristoteles de Anima senserit, & vnáne sit quæ omnia obeat munia, an plures? & si vna, mortalis an immortalis? Cuius etiã definitionẽ non modò Plotinus, sed eius etiã expositor Porphyrius, non recepit, & Atticus etiam illud impetijt, immobilẽ voluisse animã contra Platonem, qui ex eius motu maximum immortalitatis traxerit argumentum. Quinto quoq; libro huic proximo declaratum est multifariam, intellectus munera adeò incerta, vt de modo rei per imaginẽ percipiendæ, deq; substantiæ cognoscendæ, & ordine, & modo, non satis exploratum habeant Peripatetici, ne dum compertũ, quid statuendum decernendumq; sit: quo autẽ modo se intelligat intellectus, num adhuc lis perdurat inter Peripateticos: propriáne specie siue imagine an aliena? quando alij voluerũt, ex aliorum intellectione ipsum se intelligere, alij notione propria: & de agente quoq; intellectu asserẽdo, quanta inter interpretes discordia? quantaq; difficultas inter probandum propositionem illam quæ ei rei pro fundamẽto substernitur, in omni natura inueniri aliquid quod agit, aliquid quod patiatur? vnde alij efficientis duntaxat causæ vim, tribuerunt agenti intellectui, vt ipse quidem nõ intelligeret, sed causa esset, vt qui possibilis dicitur speciem à phantasmate detractam hauriret, super quo phantasmate multa lis: nam alij necessarium semper sunt arbitrati, alij initiò tamen, & in cognoscẽdis naturalibus duntaxat rebus, vt alibi diximus, alij intellectum, & phantasiam tanquàm geminos oculos imaginati, vt dum phantasia concipit hominem singulatim, mens hominem concipiat vniuersim. Voluntq; vt intellectus rei essentiam in phantasmate, quod alioqui non intelligat, relucentem capiat. Ipsum verò intelligere alij voluerunt, & adesse ipsi intellectui possibili, non modò efficientis vice, sed formæ, adeptumq;, propterea Albertus Græcos quosdã, & Arabes secutus, intellectum admisit in tertio de Anima. Thomas neutiquam recepit, qua de re in nostro in tertium de Anima Aristotelis librum commentario disseruimus. Ad hæc vbi maximè pollere creditur viribus, Aristoteles de Anima disserens ibi maximè flaccet. Nam quoad pertinet ad corpus ipsum & corporis sensum, si quæ diximus inter initia præcedentis voluminis, ad memoriam reuocentur, dũ eius fallacias, & incertas coniecturas asseruimus, nihil fiet reliqui ad dubitandum, scientiam inde certam & exactam, qualis & ab eo, & à plærisque omnibus quæritur, pendere non posse. Quantum verò spectat ad functiones animæ corporibus communicatas, & veterum opinionem non ritè recenset, cùm affirmat eos mentem à sensu non diremisse, vti dictum est, & sequentibus etiam capitibus palàm fiet, & rationes quibus vtitur quandoq; ad impugnandum, parum fortes, parumq; etiam speciosæ visæ sunt aliquibus ex sectatoribus: Sæpenumerò etiam metaphoris vtitur, quas tamen vitandas docet in Analyticis, vtitur, inquam, in re maximè seria, quatenus agit de eo quod est animæ proprium & peculiare: atq; de ipsa vi intelligendi verba faciens

mirum, quàm debili nititur fundamento, quæ res etiam à quopiam nostræ ętatis acuto & docto viro diligenter est animaduersa.

Et sanè quod attinet ad impugnandum communem multis veteribus opinionem de motu animę semet mouentis, multi se continere non potuerunt, quin responderēt Aristoteli, Platonemq; tuerentur. Non dico Aurelium Macrobium, non Magnum Albertum, qui libro de Origine animæ paucis mutatis Platonis rationem demōstrationem fortissimam pronunciauit: non Plethonem illum, qui sub Nicolao pontifice vixit Platonis asseclam, qui hac de re quodam trāscursu in libro, quem pro Platone aduersus Aristotelem edidit, verba faciens, scribit, & non declarasse Aristotelem quid voluerit intelligi, & non ritè decreuisse: illaq; subinfert verba: πῶς γὰρ εἴγε ἀπὸ νοήματος ἐπὶ νόημα φαινομένη ἑκάστοτε μεταβαλλομένη ἢ ἀπότε τοῦ νοεῖν ἐπὶ τὸ μὴ νοεῖν, καὶ τοὐναντίον ὤ; καὶ αὐτὸς ὁ Ἀριστοτέλης ἐπὶ τοῦ νοῦ γε ἀνθροπίνου συγκορεῖ. Non hunc, inquam, non alios, siue veteres, siue recentiores Platonicos aut Platonis defensores, sed Theophrastum inquam, non Peripateticum modò, sed Aristotelis clarissimum præcipuumq; discipulum. Non, inquam, se potuit cōtinere, quin doceret magistri, quę afferebantur rationes, ita nullius esse momenti, vt etiam æquiuocationis fallaciam non effugerent, quare omnes dissolui posse docuit distinctione motus. Alio enim genere motus mouetur anima, mouet alio genere, dum enim apprehendit, dum assentitur, dum iudicat, mouetur. Mouet verò corpus alio genere cùm ex loco ad locum perfert, & hoc quidē genus motuum quo mouetur corpus, posterius eo est, quo ipsa mouetur anima vti longo progressu in decimo de legibus Plato contendit. Ii verò qui eodem motu quo mouetur corpus, moueri etiam animam contenderent oportere, vel inde sui erroris cōmoueri facilè possent, cùm vident rem quampiam hominis ministerio operaq; moueri, hominē tamen ab ea re moueri nō vident, moueri quoq; spectant vapores vi Solis, & in sublime ferri tramite recto, cùm tamen Sol ipse obliquo moueatur in circulo. At contendit Themistius in primo de Anima commentario, iudicia & assensiones non esse motus, atq; appellat ad motus definitionem. At quàm calumniosè? prouocat ad id tribunal quod iam declinatum est, prouocat ad iudiciū minus idoneum, minimè cōpetens: ea enim definitio corporei motus habetur nō spiritalis, vti enim diuersæ rerum naturę sunt, ita & diuersas definitiones habere illas necesse est. Quare dum à fallacia æquiuocationis defendere Aristotelē Themistius satagit, ipse in eam quæ petitionis principij dicitur, impingit. Negat enim Theophrastus eundem esse motū, quo mouetur anima, & quo mouet alia: Themistius autē hoc assumit, moueri animā eo motu, quo mouētur alia, quando vnam duntaxat, quæ omnibus competat rebus, definitionem motus ducit in medium, atq; eo etiā maiori cū calumnia quispiam dicet, quando ipse Themistius animæ contemplationem physicam nō fecit, sed abiunctam potiùs siue mixtæ cuiuspiā naturæ. Sic & Simplicius in commentarijs de Anima ipsam, de anima contemplationem mediam inter Physicum metaphysicamq; lōgo satis progressu collocauit. Quapropter & aliam ei Themistius proprietatem motus adscribere debuerat, aut adscriptam minimè prorsus eliminare. Quod autem comparationem cauillatur motus vaporum ad lineam & Solis qui rotetur, & agatur in orbem, asserens non satisfactum, quoniā circulares vtriq; sunt motus, parum molitur: Neq; enim id exempli quadrare omnibus quę de motu dicerētur Theophrastus existimauit, sed calumniā tantummodò retunderet, tantisper, dūm monstraret propositionem illā vero non niti: ea est, quo pacto mouetur quidpiam eodem & mouet: in vniuersum namq; confutabatur, quod in vniuersum etiam & generatim probatum putabatur. Quare non cecidit in considerationem specie, numero, an genere, id afferetur discriminis? cùm sola tantummodò requireretur instātia, vt motus inueniretur in mouente, qui prorsus idem nō esset cum eo, qui moueretur, quibus ex rebus fit vt non hoc in loco Themistius insistere, sed potiùs ipsa motus natura debuisset, vt eam ostenderet quadrare nō posse ei, quod Theophrastus attulerat. At fortè vir prudens considerauit solidam basim non subsistere, nec subesse quod optabatur ædificio fundamentum: quandoquidem præiudicatum nouerat apud Aristotelem, ipsum intelligere (vti eius vtar verbis) esse quoddam pati: neq; enim pati simpliciter, sed quoddam pati dixit. Ita motus illos animæ sese agitantis non propriè & exactè vti videmus in rebus corporeis, sed quodammodo motus esse iurè meritoq; decerni. Neq; enim tàm rudis erat, vt cùm moueri diceretur anima, plau-

ma, plaustro eam aut nauigio, aut equo moueri suapte natura existimaret, sed eo modo qui ipsi & proprius esset, & cognatus naturæ. Quare neq; ad egressionem corporis locali motu, aut ad regressionem datur suffugium, aut ansa præbetur vlla, vnde queat postea responsio firmari; neq; enim illis hæserat Theophrastus, qui omnimodam in corpore mersionem somniarent, neq; Aristeæ Proconesij vanitati fuerat assensus, cuius animam fabulabantur commigrare & remigrare coruina specie: Sed motum localem etiam si concederet animæ, nō propterea eius esse naturæ censebat, vt eatenus iudicaret ei suopte ingenio competere egressum, & regressum pro libito, quia præter motum loci, imperium quoddam & arbitrium requirunt ea quæ eiusmodi motu pollent, nisi sint ipsi corpori suapte natura connexa. Nouerat ille ab antiquioribus philosophis decretum esse, animam omnis motus corporei esse principium, quamobrem ipsimet animæ motum & quidem præ corpore competere non ambigebat: Neq; dubitabat alium esse motum loci, quo ipsa per sese moueri posset anima, alium verò quē corpus ex ea nancisceretur, inuisilis ille & abiunctus à materia, hic materiæ sensibusq; obnoxius & tempori, quod ipsius animæ sequi naturam arbitrabantur, vt omittam eundem Themistium in tertio de Anima commentario asserentem posse facilè cōuenire inter Platonem & Aristotelem, si loco actus hic motum accepisset, vti est à nobis etiam perscriptum in digressione de Animæ immortalitate. Viderat enim egregio vir ingenio motum alia ratione capi, quàm qui ij vti soleant, qui de corporum motibus arbitrantur, vt sileam etiam quæ de recto & orbiculari animæ motu multi disseruerūt, & eos non afferam qui responderunt rationibus in aduersum, fundatis in natura animæ indiuisili, dirimentes indiuisile in id, quod situm habet in re continua, & id quod à re continua est prorsus abiunctum: & quod non asciscit in definitione sui vllam indiuisilis alicuius rationem, & qui reuisum afferunt, & naturæ limitem, vice continui successus in anima. Nam quod attinet ad locum animæ, vnde in Platonem illæ extiterunt Peripateticæ calumniæ, id distinctione quoq; soluitur loci, ijs enim qui aptatur animę locus nec diuiduus dicitur esse, nec obnoxius materiæ. Sic non modò punctum habere in linea locum affirmāt, sed, authore etiam Aristotele, abiunctas à materia mentes cœlestibus in globis collocari.

Et hæc hactenus, fortè etiam plura quàm opus fuerit: ni forte vellāt aurem Themistiani, docendum asseuerantes, quínam isti animæ motus? docebo vt morem geram. Insiti sunt animæ & in eius essentia intima ipsiusq; in potestate sunt repositi: quatenus enim suapte natura intelligēs est anima, suopteq; ingenio volens, eatenus eos potest motus ciere & promere, quod cur Themistius non aduertit? quandoquidem Plato in decimo maximè libro de legibus scribit motuum animæ nomina esse, velle, considerare, opinari, consultare, curare, lætari, dolere, audere, metuere, amare, habere odio. Aristoteles quoq; primo de Anima libro, particula quadragesima quarta, moueri animal ab anima voluntate quadam & intellectu decreuit. Et quanquàm iuuari sensibus & appetitu corporeo, multùm potest anima, ad intelligendū atq; volendum: prius tamen natura eis est obeundis muneribus apta, quàm ad sentiendū & appetēdum sensiliter, quia id animæ propriū est, hoc etiam corporis, vnde & apud Platonem motus animæ primi, corporum verò secundi solent appellari: prius certè natura & dignitate dicitur esse anima quàm corpus, & fortè secundùm Aristotelē, atq; antiquos eius discipulos, quorum princeps Theophrastus, etiam tempore, quod quidem aduersatur veritati. Mitto quæ dicuntur intellectus principia, non à sensu, vt plærique volunt, hausta, sed ipsi innata, & tanquàm inusta naturæ. At indiuisilis si est anima, quo pacto inquient mouebitur? nū & partilis enunciabitur? At nō considerant multiplex esse indiuisile, multiplex impartile, vt suprà est à nobis indicatū, nec item considerant quod multi tamen considerauerunt, ratione spatij, quod pertransitur, non rei quę mouetur, motum nos dimetiri debere: anima verò sensili non obligatur spatio, transit nihilominus à cogitatione in cogitationem, atq; eodem resilit, tanquàm per intellectile & spirituale spatiū, cùm tamē sit indiuidua, & etiam dicatur quiescere in corpore, quod & quiescens ipsa motat, ex parte etiam quandoque agitat, ex parte sistit, domina videlicet, nō ancilla corporis. Quapropter fortasse displicuit Theophrasto innixum adeò corporeis sensibus præceptorem Aristotelem, vt inde pendere & motum animæ, & cognitionem vniuersam sæpenumerò dixerit. Motus itaque illi animæ proprij

in ipsa sunt animæ potestate, & ita propriè non subijciuntur tempori, sicuti nec propriè corporei sunt motus, sed spiritales. Vnde nec sistendum in verbo motus, nec fidendum in actionis vocabulo: sed nec perfecti & imperfecti consideratio resistit: Nec idcircò mutat locum aut mouetur extrinsecùs, ita vt à se primo non moueatur, aut moueri non possit, nec etiam idcircò perire animam sese agitando comminisci oportuit, quinimò vitæ potiùs perpetuæ id maximum apud eos fundamentum, quo & antiqui Pythagorici & maximè Plato nitebatur, & multi etiam Peripatetici: quibus placebat animam descendere in corpus formis repletam, & simulachris rerum, vt discere à sensibus non esset omnino necessarium: Quorum ex opinione fortè faciliùs Theophrastum à Themistio defendissem. Nam Plato, velle, intelligere, curare, consultare, gaudere, & similia motus appellat veros & priores motibus corporum, sed placuit nō excedere semitas Lycej à Latinis triti, ne se Peripatetici iuniores defraudatos expostularent. Et quanquàm Aristoteles etiam quandoq; concedit animæ motus, tamen genere vtitur libentiùs, energiæ videlicet vocabulo, quoniam motus energiæ siue operationis est species. Motus enim quædam operatio, & non conuertitur, non reciprocatur prædicatio. Thomas quoq; in primo aduersus gentes, dum nititur demonstrare Deum esse, scribit motus ipsos à Platone, & Aristotele simul pro ipso velle & amare desumptos, sed communius à Platone solere capi docet, quoniam propriè motus Aristoteles corporibus tribuerit, quanquàm sunt etiam ex Thomæ sectatoribus, qui velint à Thoma non probari ibi Deum esse, sed supponi, & minimè necessariam esse, hanc consecutionem arbitror, motu deprehendi motorem addictum supremo cœlo, ergo ipsum deprehendi Deum omnipotentem. Sed hac de re non multò pòst verba plura facturi sumus.

Nunc disseramus de munere intelligēdi, quo in negocio quantum potuerit Aristoteles, hinc liceat aduertere, quod nutabundo in solo & tremulo iecit fundamentum magni ædificij, siquidem tertio de Anima libro, sensui comparat intellectum, vt inde munus intellectus muneri sensuum comparet conferatq;, & similem faciat: si, inquit, est intelligere sicuti sentire, aut quidpiam pati, vtiq; ab intellectili re id fuerit aut eiuscemodi alterum, quo fundamento non secus ac in harena iacto, magnam substrauit molem atq; multiplicem totius intectilis structuræ, ea est, impatibilem esse, susceptorem speciei, potestate esse nō actu, non esse hoc quidpiā, ita sese habere ad intellectile, vt sensus ad sensile, & alia multa. Quæ omnia simul ipsa propositione antecedēte sublata corruerent, perinde ac si quis ipsam fundamenti subruat harenā. Sed & satis illis ipsius verbis possent infirmari, quibus sanxit intelligere quod dicimus, esse quoddam pati. At dices, & qua ratione illam similitudinem iueris inficias? Maiori certè poterit ratione depelli quàm admitti. Nam inter sensum & intellectum tàm multæ sunt differentiæ ab Aristotele etiam ipso explicatæ, vt inter eorum quoq; munera, & officia, nō parum interstitij, non parum discriminis esse necesse sit: illius enim partes singularia sensiliaq; percipere, huius munia vniuersim capere, ille species formásve rei sensilis absq; materia quidē, non tamen sine loco & tēpore capit: hic autē ab ea materia tàm nudatas & abiunctas reponit, vt nec loci, nec tēporis cōditiones excipiat. Simplicius illa etiā notat discrimina, sensitiua vtpote viuentia meliora esse sensibilibus: Intellectiuis verò nō postponi intellectilia, quę etiā & alia esse dicit & eadem cum intellectiuis, sensitiua autē alia semper esse à sensibilibus, & hæc quidem intermedio sensorio excipi à sensitiuis, intellectilibus verò perfici intellectum nullo intermedio, & ne singula commemorem, inter ea est & multa, & magna diuersitas. Dices num alibi probat id Aristoteles, quod nec probat ibi nec affirmat, tantum autem subijcijt supponitq;? minimè gentium. Nam quanquàm multo interposito spatio conatur quibusdam posteà veluti exemplis id confirmare, ea tamen tàm sunt infirma, quàm ipsa conditio: Supposita illa quidem sunt & impetrata grauiter à sectatoribus, nō probata. Nam quoad primam attinet apprehensionem, vtriusq; discrimina iam subsignauimus, quantum verò pertinet ad secundam, hæret (vt ille inquit) aqua. Quæ nam enim similitudo inter accipere & non accipere, & inter componere atq; diuidere? pari enim proportione ita differunt, sicuti prima illa munia, à quibus ducuntur, differre monstramus, idemq; in fuga & persecutione iudicium: nam ea tanquàm effectus ab illis ceu causis depromuntur. De motu verò, quo carere vtrumq; in obeundo munere docet Aristoteles,

negaret Plato cum omnibus sectatoribus omnesq; Pythagoræi abnuerent, & multiplici renutu (si per legem silentij voce vti nō liceret) aduersarētur, quod de potētia ad actum ducatur vterq;, negandum pariter Pythagoræis atq; Platonicis: supponit enim quod illi negant, quodq; probandū esset, pariterq; de similitudine rei sensilis extrinsecùs positæ & phantasmatis: nam & alium Platonici & multi Peripatetici per innatas, & concreatas in anima species modū statuunt intelligendi, & per influxum motionum à superioribus mentibus inditarum. Quare hac de re nihil firmum apud Aristotelem, tantum abest vt demonstratione probatum sit. Hinc tot pugnæ apud eius sectatores de natura intellectricis animæ, de ipso munere intelligendi, de re obiecta intellectui, namq; multorum intellectuum fit mentio, possibilis, agentis, patibilis, speculatiui, practici, quos omnes seorsum distingui nonnullis placuit, nonnullis confundi: & prętereà participati, & non participati intellectus mentio apud Simplicium & Peripateticos alios, vnde tàm multa & tàm acris quæstio de vnoquoq; intellectu: Eum enim qui possibilis dicitur alij aliquid esse & actum ex sese habere, alij nullum prorsus, sed puram esse potentiam arbitrati sunt esse, alij separatam omnino, à materia substantiā, & sunt qui hanc Auerrois opinionem rentur, alij inter separatum intellectum, & animam intellectiuam distinxisse Auerroëm sunt arbitrati: qui (vt opinor) illum in sententiam ire Peripateticorum veterum maluerūt, quibus crebra mentio & intellectus animæ, & intellectus separati quemadmodum in commentario in tertium Aristotelis librum de Anima disputauimus. Sic & olim voluerunt nonnulli ab Auerroë negatam prouidentiam, verùm & ipsiusmet Auerrois verbis, & eorum qui accuratè illum excusêre, in nostro de prouidentia Dei libro contra Philosophastros ostendimus, probabilius esse vt prouidentiam asseruerit.

Redeo ad ipsum intellectum, cui alij præparationem quandam, alij phantasma, alij spiritum, alij animæ partem constituêre, pręter alias difficultates quarum suprà meminimus, præter difficultates etiam intellectilis obiectæ rei: Nam id quod est singulare obijci, primumq; ab eo cognosci volunt, sed non eo modo, quo sensus, in quo etiam multa quæstio, quando alij naturam quandam obijciunt, vnam illam quidem, sed minori vnitate quàm sit id, quod est vnū numero, à qua postea vnitas vniuersalis, nostri opere intellectus emanet, alij speciem vltima primum ab ipso cognosci intellectu volunt: sed & fuêre qui nulla specie opus esse decreuerint, sed rem ipsam per sese in cognitrice potestate collocari, habere enim eam multiplex (vt ipsi loquuntur) esse, concedunt, in se & in alio. Nec defuêre qui diuerso modo sint progressi, nam alij accidēs cognosci dixêre, alij ens, nec defuêre, qui Deum primò percipi voluerunt, ipsamque intellectricem vim nonnulli dicunt admixtam prorsus corpori, cùm ex alijs, tùm ex ea ad phantasmata obligatione continua, alij eximunt à corpore, quatenus attinet ad propria munia. Sunt qui nullum habere ex sese actum, sunt qui primum tantùm asseuerent, sunt qui statuant formis ornatum, sunt qui materiam primam in genere rerū intellectilium arbitrentur, sunt qui media incedant via, sicuti Hammonius, qui rerum quidem habere omnium notitiam velit intellectum, sed imperfectam & tanquam vmbratilibus lineis figuratam, non coloribus, σκιογραφίαν ille nuncupat: cæterùm Plutarchus aliter, aliter Alexāder, triplicem ab Aristotele intellectus mentionem factam putant, quos tamen ab Hammonio rectè confutatos Philoponus admittit, aliam etiam intellectus nuncupationem afferente, post quem Simplicius alias omnino appellationes inuexit. Adhæc intellectum, alij ex se posse intelligere decreuerunt, alij egere semper adiutore censuerunt, quo ex potestate reducatur ad actum, & hunc adiutorem, alij phantasma, alij agentem dixêre intellectum solum qui sit pars animæ, alij separatum fecêre, alij iunxêre phantasmata, & inter hos non parua lis, an vt vnū agens, an vt duo & quomodo concurrant? æqua videlicet potestate, an minimè? an vt subordinata actione? Nam volunt alij agentem influere phantasmati, duo tamen esse quæ agant particulatim, alij agentem influere phantasmati, mox phantasma agere vt causa particularis, agentem verò vt vniuersalis & remota, atque ita posteros docuerunt; vt si eorum sequi doctrinam velint, adhuc nesciant quomodo intelligant? adhuc ignorent hausto etiam phantasmate quónam pacto cognoscat intellectus? Rursum quomodo illustretur phantasma vt fiat vniuersale & intelligibile quanta quæstio? nam alij ipso qui intus est intellectus, opere fieri voluerunt, nec inter hos concors sententia.

Nam alij agenti hoc dederunt intellectui, qui illustret phantasma, & vniuersale reddat, sic vt in intellectu potestatis recipiatur, alij hoc ipsum dixerunt abstrahere, alij per ipsam abstractionem nihil confici voluerunt præterquàm quòd noua quædam relatio suboriatur phantasmati ad ipsum intellectum, alij maluerunt vt intellectus potestatis speciem ipsam illimitatam & illustratam dum considerat, eam efficiat vniuersalem ita, vt hoc quod vniuersale dicimus, ipsi non obijciatur intellectui, sed primam intellectus potestatis actionem consequatur: alij alia, inter quos fuêre qui superiorem altioremq; substantiam cui nomen fecêre datoris formarum imaginati sunt. Nec defuerunt qui agentem & patibilem intellectum idem esse re ipsa prorsus affirmârint, & etiam qui patibilem intellectum dici phantasiam sint opinati, & à plærisq; etiam taxati, vnde cur ea patibilis cur intellectus dicatur, Philoponus diligenter in ipsis de Anima commentarijs exponit.

Rursum de ipso intellectu agente quẽ & ἐνεργείᾳ νοῦν appellant, alij alia: Deum etiam ipsum intellectũ putauit Alexander, & sunt qui velint id ipsum ab Auerroë existimatum. Marinus non Deum, sed Dæmonium quendam vel agendum inter homines & Deum medium, Plotinus humanum intellectum semper intelligentẽ, Plutarchus humanum protulit quidẽ, sed quandoq; nõ semper eum ipsum existimat intelligere, solùm præterea & simplicem vult agnosci, nec duplicem in homine intellectũ admittit, vt Latini fecêre permulti, & Græcorum nonnulli, qui intellectũ ipsum agentem accidens animæ inseparabile existimârunt. Alij agentem intellectum, & eum qui dicitur potestatis vnum eundemque dixerunt, sed perfecto & imperfecto distinxêre, cui opinioni Sophonius Paraphrastes assentitur in tertio de Anima. Alij habitum principiorum agentem intellectum putauêre, nec defuêre quoq;, qui ipsum intellectum agentem sustulerunt, alij contrà, nam & præter patibilem & agentem, alium quoque est inuenire maximè apud Themistium qui, scilicet, potẽtiæ vocetur intellectus, quem putat immortalẽ sicut agentem, & etiam eum esse hominem ex Aristotelis sententia decreuit. Multa quoq; discordia, vti est relatum de hoc intellectu an ipse intelligat? an sit causa tantùm, vt anima intelligat? an potiùs nec hoc, nec illud? Primam opinionem & Græci omnes, & nonnulli Arabes, tertiam pauci, secundam Thomas veram putauit. Qui Græcis accedunt præter Aristotelem, quem citant, adducunt ipsum sese intelligere aptum esse, quia sua cognitio non dependet à corpore, non autem qui possibilis dicitur, posse se intelligere, cùm notionẽ à phantasmatibus capiat, quæ an cũ intellectu agente concurrant vt subordinatæ causæ ad intellectionẽ promendã multa quæstio. Eò mouentur aliqui, quod dicunt speciẽ intelligibilem habere à re obiecta quod sit, illa verò quodammodo habere ab intellectu agente, vt sint sine materia, alij formalem terminum illuminationis & obiectiuum comminiscuntur, alij alia: sed nihilominus seipsum, intellectum non intelligere dicerent, cùm phantasmata illi præbere notionem sui vllo pacto non velint: quare putant se semper intelligere agentem solummodò, quia sibi est semper præsens, & se tantum intelligere si intelligibilia non præhabet in se, nec officere si dicatur nihil aliud esse intellectionem illam sui, quàm actũ primum, quoniam additur obiectum, & cum illo copulatio potentiæ, atq; dici posse habitu se cognoscere, alia verò potestate, hinc autem multa disquisitio, si intelligit & nõ cogitat, si cogitat, si neutrũ. Alia quoq; multa & varia apud varios Aristotelis sectatores, de intellectu agente. Namq; alij speculatiuum dicũt, alij minimè, & nonnulli aiunt æternum, nonnulli negãt, alij medium quiddam sunt cõmenti, sicuti qui existimauerunt coæternum animæ instar formæ corporeitatis (vt aiunt) sempiternę, atq; ita modo non perfecto, veluti primorũ habitu principiorum, alij inchoationem non habituum modo, vti Thomas, sed etiam scientiarum meditati sunt, quam solent causam reddere, cur aliqua in scientia alijs alij citiùs progrediantur. At eorũ qui malunt æternum, alij ipsam possibilis intellectus essentiam rentur, alij ipsam substantiam agentis, quæ sit in intellectu potestatis, multi autem malunt ab vtroq; distinctum, & inter hos nulla concordia: nam alij accidens putant esse in possibili, alij substantialem quãdam perfectionem existimant, alij, nec substantiam nec accidens, quoniam ens verùm non sit rei, sed rationis. Rursum si dicatur esse distinctum à possibili, & agente, vtrum æternum, an nouum? & si dicatur esse in intellectu potestatis quomodo sit, an subiectiuè (vt aiunt) an obiectiuè? & quo pacto sese habeat ad agentem, an sicut ad formalem causam

causam referatur? an veluti ad vniuersalem & efficientem causam? an sicut particulare ad vniuersale? hoc est, sicuti particularis forma sese ad vniuersalem, an sicuti ad locum? qui verò ponunt ęternum, dissentiunt, eò quòd alij manifestum fieri dicunt excitatione phantasmatum, vt sit quædam quasi reminiscentia. Alij lumine agentis, alij vtroq; modo maluêre, nec defuêre qui ipsum nihil esse dixerunt, vt qui omnem habitum intellectus excludunt, & superiori lumine vera cognosci existimant, & ij etiam inter se distincti, quantum ad receptionem radij spiritalis. Qui non ęternum existimant, etiam confligunt: quomodo acquiratur? alij tria statuunt, speciem intelligibilem, actum intelligendi, scientiam. Alij speciem & scientiam non differre inter se putant, & phantasmate omnia hæc produci rentur, alij solo agente & phantasmate, alij possibili intellectu, qui sit in agente.

Sed his etiam concorditer statutis, de actu ipso speculandi quanta dissensio? quem alij respectum, qualitatem alij, actionem alij, cuius terminus est verbum interpretantur: atq; hunc in modum mirabiliter varij sunt atq; diuersi, de intellectu, non secus ac de sensu libro superiore ostendimus. Qui quidem sensus, vt plãtis, vt corporibus cœlestibus, sed alio genere, & conditione quàm hominibus & brutis tribui possit, in tertio de Anima libro, Simplicio Peripatetico omnino non displicet, nec displicuit antè Plutarcho id ipsum quantum ad cœlestia pertinet asseueranti, & ad eam sententiã Aristoteleum literæ contextum exponenti. Vt mittam Platonicorum sententiam multis illud ipsum probantem, nec Philoponum dum eiusmodi controuersiam recenset, non improbantem, vt latè scripsimus in nostro in tertium Aristotelis de Anima librũ commentario. Sed enim quoniam ipsa anima, & intellectu pollet, & sensu, quomodo hæc sese habeãt, quomodo iungatur in vna substantia tàm diuersa munia, quanta dissensio? nam præter varias Platonicorum hac de re opiniones, quarum primo libro capite quarto decimo fecimus mentionem, alij vnam eandemq; substantiam animæ, dicunt diuersis fungi officijs, non tamen diuersis potestatibus intermedijs: alij ipsam animę substantiam seiungunt ab animali secundùm essentiam, & tanquàm motricem coniungunt: alij inter quos Thomas vnam eandemq; substantiam esse animam rentur, & formam quidem corporis, diuersis tamen pollentem viribus, quarum aliqua corporeo instrumento non alligetur: Græci & Arabes quidam plures malunt formas, & Britannis quibusdam placuit, non vnam, sed plures esse substantias, quarum esset altera instar materiæ, altera instar formæ, atque ita vnum quiddam constitui. Plotinus & (vti etiam mihi videtur) Simplicius, sensitricem esse effectum quendam intellectricis animæ putauit, & ab ea tanquàm manare, & effluere, vnde apud ipsum Simplicium leges quandoque secundas vitas, & essentias, à rationali parte animæ scaturire, atq; vt eius vtar verbo πηγάζειν. Atq; ita post obitum, primi, de quibus egimus, authores, sensitricem manere dicunt, secundi aboleri, tertij manere quidem, sed in radice, cùm corporeæ potentiæ nisi corporeo in subiecto non emittantur, quarti omnino corrumpi, quinti manere nõ tamen vt accidens quemadmodum Thomæ placuit. Nam Plotinus sensilem substantiam ita à rationali pendere & effluere putauit, vti radius à lumine: & Simplicius secundæ essentiæ, & vitæ nomen citans, non accidens eã, sed substantiam existimauit. Itaque quàm variè quamq; pugnaciter de anima, eiusq; functionibus à Peripateticis decernatur, satis in parte monstrauimus, vt tandem nihil certi ex eorum doctrina capiatur. Sed nec in ipsa capienda doctrina, errórne intercidat, scire ex ipsis possumus: quando alij non falli intellectum scribant, alij contrà, alij partim hac, partim illac discedant. Ac Themistius quidem absolutè falli posse scribit, Thomas Aegidius conditionẽ asciscunt compositionis adiectę, cuius etiam rei in nostrũ in tertium de Anima commentarium mentionẽ fecimus. Multa itidem alia de anima, deq; omni eius functione referre possem, & varia, & incerta, & perpetuis cõtrouersijs agitata. Nec mirum cùm incerto nitantur Aristoteleo fundamento, vt hinc iterum atq; iterum, atq; etiam μυριάκις vt Græcè aliquid dicam, & maius, & breuius, seruatori Christo gratiæ sint habendæ quàm maximæ, qui quod homines nequiuerunt, ipse & Deus, & homo docuerit, de anima quod salubre est, ipsamque humanam animam immortalem, & pro iustis actis præmia, pro iniustis tormẽta sempiterna habiturã: & quanquàm de anima separata corpore, quomodo patiatur ab igne corporeo, nõ vno modo nostri Theologi exponere cõsueuerint, non tamẽ defuere qui scriberẽt ab

igne

igne posse animam suapte natura pati: Franciscus enim Maronius dum Augustinum interpretaretur tertio super Genesim ad literam decernentem, animã sentire per corpus, arbitratus est actum sentiendi, non ipso in organo (vt eius vtar nomine) immediatè recipi, sed in sensitiua potentia, quæ si esset separata, sentire posset. Quo fiet, inquit, vt facilè videri possit, quomodo animæ cruciantur ab igne. Sed vtcunq; sit, fide id certum tenemus, animam ab igne pati, eo quo iussit Deus modo: neq; enim in humanis placitis rationibusq;, sed in ipsa Christi & eius Ecclesiæ catholicæ authoritate, iactum est nostræ fidei fundamentum, tàm in animæ essentia proprietateq;, quàm omnibus in rebus alijs quæ ad æternam salutem ordinantur. Hoc nitamur fundamento, & vero, & stabili, quoniam vt sumus edocti, *fundamẽtum nemo aliud potest ponere præter id quod positum est, Christus Iesus:* sic enim Paulus Apostolus sanxit.

CAP. XIIII.

QVOD IN METAPHYSICIS ARISTOTELES DVM VEterum narrat & confutat opiniones, & falsò narrat, & falsò confutat, ibiq; Anaxagoras, Parmenides, Empedocles, Democritus, suis eorummet verbis defenduntur.



EX physicis & ex animę consideratione, ad metaphysica transmeandum est, vbi Aristotelẽ nihil magis perstitisse in vero decernẽdo cõprehendemus, libro primo eius operis, cui factum est nomẽ metaphysica, Anaxagoram facit Empedocle priorẽ: Empedocles verò discipulus, & auditor Pythagoræ traditur à Iamblicho & ab alijs. Anaxagoras autem & multis proditur Archelai præceptor, qui fuit magister Socratis. Atq; hoc etiã apertè Galenus in libro περὶ φιλοσόφου ἱστορίας prodit, qui facit eũ Anaximenis Milesij auditorem, subditq;, ὕστερον δὲ τὴν Μίλητον ἀπολελοιπὼς, ἧκεν εἰς τὰς ἀθήνας, καὶ τὸν ἀρχέλαον εἰς φιλοσοφίαν πρῶτον παρώρμησεν, hic autẽ Miletum derelinquẽs venit Athenas, & Archelaum Atheniẽsem, primùm ad philosophiam cõcitauit. Verùm hæc leuiora dimittamus, nam maioris momenti res gerendæ sunt. In quarto eius operis libro, in quo maxima se iecisse fundamẽta gestijt aduersus veteres, num proponit falsò & sibi contradictoriè? nũ colligit falsiùs? Si quidem Anaxagoras id, quod sensus est, iudicium sustulit, rationis & mentis dereliquit, vt & prioribus huius Operis libris est narratũ, Aristoteles verò tàm ei, quàm alijs philosophis antiquioribus imponit, vt prudentiam à sensu non distinxerint, eisq; duntaxat sensilia fuisse cognita dicit, nullo pacto intellectilia, quem miror, quo pacto memor non fuerit, se cùm in principio ipsius operis, tùm alibi, protulisse Anaxagoræ sententiam, qua mentẽ assistere mundo indicârit: qua quidem in re laude dignum hominẽ planè subinnuit. Mentionem igitur mentis intellectúsve, fecit Anaxagoras: quem tamen cum alijs sola sensus cognitione damnauit: Nec separati intellectus mentionem factam ab eo dixeris, non coniuncti, non humani. Nam separatus intellectus, quo intellectu? an eo quo vtuntur, scilicet, homines comprehenditur? sensus enim non prætergreditur accidentia, ipsomet authore, ne dum non percipit intellectilia, quò fit vt substantiam etiam sensilem non agnoscat. Quoquo igitur modo mentem agnouerit, quoquo ei modo veri notionem dederit, sola sensus cognitione & mentione damnari non debuit. Proposuit etiam & falsò Parmenidem sensum à prudentia nõ distinxisse, qua de re vt quæ libro secũdo promisimus, præstemus, veterum philosophorum defensionem exequamur. Ipse Parmenides in libro quem inscripsit περὶ φύσεως multis cecinit versibus, se sensum fallacem deprehendisse, & intellectilem notitiam cupere. Vnde & ab eo decantatur:

ἡλιάδος κοῦραι προλιποῦσαι δώματα νυκτός.

Et scientiæ stabilis amore fretus. postea subintulit:

ἀληθείης εὐπειθέος ἀτρεμὲς ἦτορ.

Sed hæc minimè citans Aristoteles aliud eius carmen pro se comparat, quo visus est intellectum membris corporeis contulisse: sed quàm inaniter ipse Aristoteles existimârit, membris collatum intellectum dispiciamus? Inquit enim: καὶ Παρμενίδης ἀποφαίνεται τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡς γὰρ ἑκάστῳ ἔχει κρᾶσιν μελέων πολυκάμπτων ὣς νόος ἀνθρώποισι παρίσταται, τὸ γὰρ αὐτοῖς ὅπερ φρονέει, id est, ferè ad verbũ, Etenim Parmenides declaratur ad eundẽ modũ,

vt enim

vt enim vnicuiq; ineſt temperamentum membrorum multiflexilium,ſic & intellectus hominibus aſſiſtit,hoc enim idem eſt quod ſapit. Hæc Ariſtoteles, quibus nihil plus colligit, quàm quod vti diſpoſitio membrorum eſt,& temperatio, ita ei datur,& conſtituitur intellectus, reſpondente videlicet operatione mentis temperamẽto corporis. Id autem ipſum Ariſtoteles ipſe num multis docet in locis? & præcipuè in opere de Anima, vbi molles carne, mente aptos eſſe pronunciat, vt inde nullum trahere ad impugnandum Parmenidem poſſit argumentum, à quo etiam nomen intellectus clarè & expreſsè prolatum eſt alibi, cùm cenſet ſolo intellectu rebus intellectilibus homines poſſe propinquari, fieriq; non poſſe cenſet,vt ſine fide intellectus intellectilibus rebus fiat proximus per hæc verba: λεῦσσε δ᾽ ὅμως ἀπεόντα νόῳ παρεόντα βεβαίως, νῷ γὰρ μόνῳ πελάζειν τοῖς νοητοῖς δυνατὸν, δίχα γὰρ πίστεως οὐ γὰρ ὁ νοῦς ὁρᾶν δύναται τὰ νοούμενα. Parmenides itaque,non quod ei Ariſtoteles adſcripſit,ſed ſenſus incertitudinem & intellectus veritatem expreſſit. Cuius quidem Parmenidis carmina & poëtica velamenta,mihi facilè videtur apud Platonem ſignificaſſe Socrates in Phedone, ducens in mediũ poëtarum teſtimonium,quo decernatur nihil nos audire, nihil videre ſyncerũ: idq; longo poſteà progreſſu & dicit,& explicat ipſemet Socrates,quod & à Parmenide philoſophiam poëticè tradente vidimus expreſſum. Sed iam ipſum Parmenidem non Socraticis ſolùm, ſed etiam ſuis ipſius verbis iam defenſum in præſens tempus omittamus.Tueamur Empedoclem, efficiamusq; vt qui ſecũdùm eum litem dare noluerint in Ariſtotelem vel nolentes ferant ſententiam. Proponit Ariſtoteles Empedocli placuiſſe ſenſum à ratione minimè diſtingui, atq; in ſecundo libro de Anima, hoc etiam illi crimen, ſicuti & veteribus omnibus philoſophis adſcribit, quod quàm falsò id ei impoſuerit,conijci poteſt ex ipſius Empedoclis carminibus? quibus intellectum diſtingit à ſenſu, vbi & intellectus mẽtionem faciens affirmat, aliqua eſſe adeò ſublimia, vt nec ſenſu,nec intellectu comprehendi poſſint. Quomodo igitur prudentiam,ſcilicet,intellectus habitum, non diſtinxit à ſenſu? Nam inter alia multa dixit licet οὔτως οὐδ᾽ ἐπιδερκτὰ δ᾽ ἀνδράσιν οὔτ᾽ ἐπακουστὰ, οὔτε νῷ περιληπτά. Id eſt, ſic nec viſibilia hominibus, nec audibilia, nec intellectu comprehenſibilia: qua diſtinctione nihil videtur poſſe clarius,& diſtinctius adduci: Quàm verò ſubdolæ Ariſtoteles id effecerit,vt imponeret hanc rudem opinionem Empedocli, multi hinc poſſent coniectari,quod nullam horum verborum mentionem faciens,alia ipſius carmina citat eodem quarto libro Metaphyſicorum: Cùm enim dixiſſet prudentiam & ſenſum à veteribus philoſophis eadem exiſtimata,idq; fuiſſe in cauſa docere vellet,vt multa, de veritate, abſurda cenſuerint,ita ſubiecit ad verbum: ἐκ τούτων γὰρ καὶ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ Δημόκριτος, καὶ τῶν ἄλλων ὡς ἔπος εἰπεῖν ἕκαστος τοιαύταις δόξαις γεγένηνται ἔνοχοι· καὶ γὰρ Ἐμπεδοκλῆς, μεταβάλλοντες τὴν ἕξιν, μεταβάλλειν φησὶ τὴν φρόνησιν, πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἐναύξεται ἀνθρώποισι. Ad verbum & ipſe transferam: Ex ijs enim & Empedocles, & Democritus,& aliorum, vt ita dicã, vnuſquiſq; talibus opinionibus facti ſunt rei: Etenim Empedocles eos qui permutant habitum,permutare dicit prudentiam,ad præſens enim conſilium inaugetur in hominibus. Sanè nec his,nec alijs omnibus, quæ de hac re vel tangit, vel explicat, quicquam aliud colligi poteſt, quàm in homine mutari iudicium rationis & dimoueri prudentiam dimoto & abalienato habitu. Num & ipſe hoc diceret Ariſtoteles? num permutato temperamento,diceret permutari iudicium rationis atq; vſum prudentiæ? Quid colligit quæſo aduerſus Empedoclem, quod ille gratis non daret? an quod in Empedocle damnat Ariſtoteles,in ſe ipſo damnare non cogitur? num & ipſe ex duritie & mollitudine carnis, aptitudinem mentis & ineptitudinẽ facilè pronunciat? num alibi animas corpora ſequi dicit?num in problematibus iudicium mentis dimoueri abalienato ſenſu decernit?& amentes,inſipientes,imprudentes fieri homines retur ex affectionibus & permutatione corporei temperamẽti & atræ bilis exceſſu? Cur igitur idem quod ipſe affirmat,tanquàm perperam affirmatum,imputat Empedocli? cur idem falsò colligit apud eum prudentiam à ſenſu non diſtingui? cur & alia vbi clariſſimè intellectum & mentem à ſenſu diſtinguit Empedocles, non recordatur? cur & id non recolit prudentiam,& intellectum tantum abfuiſſe vt hominibus eriperet, & cum ſenſu confunderet Empedocles, vt ijs etiam qui carent ſenſu, tribueret, id eſt, plantis & ſtirpibus. Vnde eius illud de arboribus carmen:

Πάντα ἴσθι φρόνησιν ἔχειν καὶ νώματος αἶσαν.

At quàm falsò ne calumniosè dixerim imputet Democrito, quod ſenſum à ratione minimè diſtinxerit, ex ipſius Democriti canonibus (ita enim libri nomen) ſatis liquet, quo in libro his vtitur verbis Democritus: γνώμης δὲ δύο εἰσὶν ἰδέαι, ἡ μὲν γνησίη, ἡ δὲ σκοτίη, καὶ σκοτίης μὲν, τὰ δὲ σύμπαντα, ὄψις, ἀκοὴ, ὀδμὴ, γεῦσις, ψαῦσις, id eſt, ſententiæ duæ ſunt ſpecies: Altera quidem germana, altera verò tenebroſa, & tenebroſæ quidem hæc omnia, viſio, odoratio, guſtatio, tactio, hæc Democritus: qui & germanam cenſuit, quæ ab alijs eſſet ἀποκεκρυμμένη, vt ſit, mirandum cur Ariſtoteles in quarto libro primæ philoſophiæ dixerit, Democritum & intellectum à ſenſu non diremiſſe, & nihil eſſe verum, aut nobis non manifeſtum, pronunciaſſe, idque ex varietate ſenſuum, cùm tamen ipſe vt eius etiam ex verbis oſtendimus, cognitionem mentis germanam legitimamq; dixerit, quæ autem ſenſus, non falſam, & omnino non manifeſtam, ſed tenebricoſam appellârit. Cui autem non imponat Ariſtotelis authoritas ex ijs, qui veteres non legerunt? mihi certè priuſquàm rimandi veritatem diligentiùs curam ſuſciperem, & ex fonte ipſo non defluentis, ipſam noſcendi vellem reſtinguere ſitim, & Empedoclem non diſtinxiſſe intellectum à ſenſu credebam dicebamq;, & de veteribus omnibus ex ſententia Ariſtotelis arbitrabar.

CAP. XV.

QVOD RATIONES ARISTOTELIS CONTRA IDEAS Platonis demonſtrationes non ſunt, vt plæriq; putauerunt, idq; oſtenditur multipliciter, vbi & plurima de opinione idearum.



SEd enim arbitror operæprecium fore, vt oſtendamus rationes Ariſtotelis aduerſus Platonis ideas non difficulter poſſe diſſolui, tantum abeſt vti demonſtrationes debeant haberi, quod vt aſſequi commodiùs queamus, paulò altiùs repetenda res eſt, atq; ad memoriam eſt reuocandum, quod in libro de prouidentia Dei contra Philoſophaſtros ſuperioribus annis edito diſſerui. Hoc eſt, ſatis non conuenire inter Platonicos de loco, vbi repoſitæ ſint ideæ, quandoquidem Plotinus & alij nonnulli in mente quadam illas collocârunt à Deo, vt ipſi arbitrantur, initiò producta, & antiquior eſt fortaſſe iſthæc opinio, quando Marcus Varro Plotino vetuſtior, ideas apud Platonem Mineruam docuit intelligi, quod & Auguſtinus in ſeptimo de ciuitate Dei volumine retulit: Mineruam autem ex Iouis capite natam, fabuloſa illa vetuſtas commenta eſt: Alij in anima, quàm multis à Deo gradibus diſtare exiſtimabant: alij quod & Iuſtinus etiam philoſophus & martyr Platoni adſcribit, in prima illa ſphera non errante, & primum Deum, & ideas poſuêre, id eſt, rerum formas, non vniuerſales eſſentias, quo modo aliqui interpretantur, qui eſſentiam non pro forma, ſed pro compoſita re ex forma, & materia, nullis tamen limitibus arctata deſumunt: quanquàm nec defuerunt qui in ipſo Deo illas ipſas reponi maluerint: nec diſſentire putauerint à noſtris Theologis Platonicam de exemplaribus opinionem, de quibus in Chriſtianis literis multa, & præcipuè apud Dionyſium de diuinis nominibus diſſerẽtem, & poſteà apud alios multifariam diſputata in commentarijs in theologicas ſententias. Sed enim Alcinous Platonicus, qui quòd ſint ideæ, ex æternis notionibus, ex menſura ſine materia, ex mundo non temerè facto, ex differentia opinionis & intellectus, maximè comprobat, & ideam haberi putauit, ſi ad Deum referatur intellectio Dei, ſi ad ſe ipſam, eſſentiam, ſi ad mundum ſenſibilem, exemplar, eam quoq; admittit definitionem ideæ, exemplar æternum eorum quæ ſecundùm naturam fiunt, vt ex aliquorum etiam Platonicorum opinione, & artificata, & quæ præter naturam, & quæ particularia ſunt, & quæ imperfecta ſunt, & quæ relationes dicuntur, excluderet. Apuleius verò Platonicus ideas dicit inabſolutas, informes, nulla ſpecie, vel qualitatis ſignificatione diſtinctas, mox citat ideas formas omnium ſimplices, & æternas, nec corporales, ex quibus Deus ſumpſerit exempla rerum, quæ ſunt erúntve, nec poſſe amplius, quàm ſingularum ſpecierum ſingulas imagines exemplaribus inueniri, gignentiũ quod omnium formas & ſignificationes ad inſtar cæræ, ex illa exemplorum figuratione ſignari. Tanta, ſcilicet, eſt Platonicæ ſententiæ varietas, & verſipellis interpretatio, atque huc fortè, vel ſaltem non longè, reſpexiſſe Atticus Platonicus videtur, cùm ſcripſit Platonis ideas ab Ariſtotele non

non potuisse intelligi. Quare ex hac diuersitate sententiarum, diuersæ quoque rationum Aristotelicarum solutiones elici quirent.

Namque ideas dicerent alij, in Deo causam habere, non esse vniuersalia quædam per sese. Alij qui, scilicet, eas reposuerunt in prima mente, tanquàm exemplaria rerum naturalium ponerent: ad quę respiceret id, cui esset cura rerum gignendarum demandata: Qui verò eas in anima mundi collocarent esse (vt dicunt) participatum, illis tribuerent, vt nihil propterea separatum esse contenderent, quod formas imprimeret materiæ, nisi rationes ipsas separatas, hoc est, materiæ non inhærentes, dependentes tamen ab ideis superioribus, quas videlicet in superiori mente collocassent. Hoc autem modo non ita separatæ rationes ipsæ aut essent, aut haberentur, vt plæriq; dictauerunt, volentes Aristotelis argumentis Platonica dogmata refelli. Quoniam si concludunt Aristotelis rationes, id maximè videntur concludere, formas in materia non introduci propriè & exactè ab agente separato, quod Plato neutiquàm asseruit, sed alij quidam, hac in parte non syncerè satis Platonem secuti, inter quos Auicenna: quòd & Ioannes Picus Galeotti patris mei frater adnotauit, inter conciliandam Platonis Aristotelisq; philosophiam: Neque enim diffitebatur ipse patruus, quicquam aduersus Platonem ab Aristotele non colligi, vbi præcipuè videtur aliquid colligere, circa id versatus quod ab eodem Aristotele (quod quid erat esse) nuncupatur. Nam etsi tale esse, pro rei totius essentia abstracta capiatur, vt multi capiunt adeò, vt & sit, & habeatur idem cum eo cuius est, non propterea conuincitur ideas non esse. Duplex enim ratio cuiusq; rei, alia enim particeps, imparticeps alia, communicatur illa, hæc verò minimè, verbi causa: humanitas quæ communicatur, hominis nomine significatur, quæ non communicatur nomine indicatur humanitatis, quanquàm nec exemplum hoc propriè quadrat: quoniam maior illa est abstractio idearum imparticeps, quàm vt per solùm prædicandi modum & interstitium includendi subiectum & non includendi secernatur. Vtcunq; tamen sit, indicat quod volumus aperiri, indiuidua enim esse ipsum (vt sic loquar) habent, per humanitatē receptam communicatamq;, quò fit vt de Socrate prædicetur homo, non prædicetur humanitas, quod si quis afferat hominem generari ab homine, non ab idea, quę nec item respiciatur ab homine. Illud ei ex aduerso regeri Aristotelicum potest, id quod naturaliter agit, instrumentum esse illius, quod agit intellectu, etiam si non sit necessarius vt respiciat ideam. Nam si homo agens non respicit ad exemplar, is tamen qui hominis est director intellectus, bene planè respicit & contemplatur exemplar, alioqui quo pacto dirigeret, nisi illud ipsum intueretur? Vnde satis apparere potest humanitatem participatam, ab ea, quæ non participatur deriuari, intermedio tamen participatæ alicuius humanitatis. Sic lumen deriuatur à luce, lumine tamen quandoque intermedio. Neque enim lumen omne à luce ipsa, nullo medio lumine proficiscitur. Forma igitur omnis quæ est in materia, à forma itidem, quę in materia est, eiusdem etiam cum ea speciei, producitur, quæ tamen omnes ab vna idea proficiscuntur, non sub ratione efficientis causæ, sed exemplaris. Hinc dissolui rationes eius plærasq; in septimo primæ philosophiæ positas Picus patruus etiam affirmabat: Nam etsi quod quid est esse, primum, scilicet, & imparticeps incommunicatumq;, diuersum & sit, & habeatur ab ijs quæ eo participant, & quibus communicatur, nihil sequitur absurdi, nihil abhorrentis à veritate. Nam vt sint rerum, quæ ideam habent ideæ, ab ipsis diuersæ ideis superioribus, sequetúrne propterea vt modo quo dicitur, idearum sint ideæ? Ipsæ enim illæ prorsus absolutæ & imparticipes, quæ non rationum iam, sed idearum nomine verè & exactè pollent, per se sunt tales: tritumq; illud est, & Peripateticis receptum, alia esse, quæ per essentiam talia dicuntur, alia quæ participatu habeantur talia, vt ignis, vt quæ ignita vocantur, ostendunt, si ea omnia calida nuncupaueris. Quis item non aduertat nihil ponderis esse in ea consecutione? cum eò rem deducere conatur, vt inde putet deriuari rerum non esse scientiam, ob id quod cognoscere id, quod esse rei, non sit rem illam cognoscere, sed aliā ab ea diuersam. Imago enim simulachrumq; hominis, quàm diuersum sit ab homine, quis non planè percepit? diuersum etiam genere: illud enim artis opus, hoc naturę, & nihilominus non negaret Aristoteles ex Socrate, ipsius imaginem fabrefactam, & ex imagine Socratem, posse cognosci, ob eam ipsam, quæ inter duo illa est, habitudinem. Dixi non negaret Aristoteles propter difficultates rei per

imaginem cognoscendæ, quas multi Philosophorum, & ex nostris etiam aliqui subtiliter, vt suprà est indicatum, discusserunt, Aristoteles non tetigit. Per imaginem itaque cognosceretur exemplar, & forma ipsa etiam in quacunq; superiori mente collocata, tametsi Plato etiam minimè neget cognosci à nobis eam quæ participatur formam, ac vt Neoterici loquuntur (honos sit auribus eruditis) intrinsecam quidditatem. Negat solùm inde pendere exactam rei cognitionem, quod si ratio illa Aristotelica valeret, num modus cognoscendi omnis, quẽ ipse tradit, inanis redderetur aboleretur q;? similitudine enim rei rem cognosci docet, rem autem ipsam sui ipsius similitudinem non esse quis planè non nouit? Sed de similitudinis & rei cognitione nonnulla ex Scepticis disputationibus, & ex nostris etiam superioribus huius Operis voluminibus relata sunt.

Cæterùm dum profert in medium, sequi, vt quod quid est esse hominis, non sit homo, & quod quid est, esse entis, non sit ens: Miror quo modo illud Peripatetici iuniores pro absurdo receperint? quibus quotidiè clamatur in scholis, in coronis disputantium, albedinem non esse album, humanitatem non esse hominem: nam etsi denominatio in altero pollens, in altero minimè, interstitium videatur afferre, participationis tamen ratio maximè cõducit, vt similitudo quadret proposito: namq; & album albedine, & homo participat humanitate. Illud & minimè sequitur vt putauerat Aristoteles, indiuiduas non esse substantias, quia de substantijs ideæ non prædicantur, alioqui receptæ communicatæq; iurè meritoq; haberẽtur. Id enim quod affertur prædicaturq; de subiecto, forma est iam recepta, participans ea, quæ minimè recepta est. Sed enim (vt censent) vis est, & ratio, & tanquàm dixerim fundamentum, & causa substantiarum inferiorum, in primis illis mentibus, quæ veriùs habẽtur à Platonicis substantiæ, quàm vniuersa indiuidua corporea, quæ quidẽ indiuidua & particularia, suas non habere ideas Platonicorum nonnulli sentiunt, & consentit Alcinous. At qui modum etiam loquendi damnare non potest Aristoteles, nisi se ipsum anteà condemnet, qui à sanitate, quæ est in mente Medici, fieri sanitatem, quæ est in corpore dici. Illam, inquam, nuncupat sanitatem, nec per illam tamen corpus denominatur sanũ, sed per eam quæ illi inhæret, aliaq; ratio huius, vtpote humorum temperamentum, alia illius, multoq; magis ab idea superiori, potiori videlicet & principali causa fieri denominatio posset, quàm ab idea quæ est in mente Medici: quæ veriùs aut forma, aut ratio inducendæ sanitatis appellaretur, Degenerant enim nomina quemadmodum & res cùm à superiori fit descẽsus ad infima: vnde sæpenumerò inter ideam & rationem, magnum discrimen in Platonica familia factum reperies. Substantiam itaq; in superioribus quàm in inferioribus ex eorum dogmate veriùs nuncupaueris, nec ab Aristotele fortasse nimiùm abhorrueris, si ita de rebus, quę à natura proficiscuntur, vti de his quæ ab arte pendent, loqui possumus, quanquàm non esse artificiorum ideã nonnulli Platonici voluêre. Sed si sint etiam secundùm alios Platonicos, artificiorũ ideæ, quidnam apud Aristotelem sequetur absurdi? num ipse Aristoteles fatetur cuiusq; rei artificio comparatæ essentiam substantiamq; in mente artificis esse? cur non similiter de artifice naturæ mente, scilicet, sublimi, dici asseuerariq; poterit? Adhæc dum id absurdum putat sequi, vt ideæ negationum haberi debeant, quibus aliquid sit non homo, non equus, & id genus cætera: Primùm dici potest Platonẽ ita non sensisse, quando aliqui Platonis sectatores affirmant etiam eorum, quæ imperfecta sunt & relationum non esse ideas. Deinde si Platonem ita sensisse concedamus, nónne, eodem Aristotele authore, non absurdum id esse conuincetur? qui aliud non esse priuationem propriè vt est priuatio, quàm absentiam formæ existimauit, quare eiusdem ideæ præsentia fiet homo, eiusdem absentia non fiet, & de ideis hactenus. Enimuerò Auerrois in duodecimo primæ philosophiæ, & Albertus in commentarijs in Dionysium, & Nicolaus Cusa in libro de Berillo, ideas esse ab Aristotele negari non debere satis ostendunt. Iustinus quoq; martyr non negatas innuit, cùm ait post primũ Deum non ideas ab eo, sed intelligibiles quosdam deos fuisse cõstitutos, nimirum Eustachius in commentario in primum Ethicorum de idea bonitatis, nõ rectè aduersatum Aristotelem Socrati & Platoni significauit: Et Franciscus Maronius de ideis etiam ab Aristotele dissentit, dum de eis in opere conflato verba facit: hos tamẽ authores, quantũ ad hãc rem attinet, missos fecimus, & rationes Aristotelis aduersus ideas dissolutas ostendimus.

CAP.

CAP. XVI.

QVOD IN METAPHYSICIS ARISTOTELES DE SVBstantijs à materia seiunctis, de numero sphærarum cœlestium, & ordine, perperam decreuit.

Retulimus plæraq; Aristotelis errata, quantum attinet ad primos metaphysicæ facultatis libros, & quàm falsò priores taxauerit philosophos, ostendimus, quamq; nihil aduersus ideas (vt multi putant) collegerit: Nunc insignioribus maiorisq; momenti erratis expellendis parum peruacandum est. Numerum substãtiarum quæ à materia seiunctæ sunt, pro numero cœlestium quæ mouerentur sphærarum, statuit, id quidem falsum, non modò nostra religio Christiana decernit, sed & Pythagoræorum; & Platonicorũ disciplinæ. Debilis quoq; Aristotelis illa probatio ociosas esse illas, nisi mouerent, quasi substantiæ intellectrici proprium magis non sit ipsum intelligere, quasi extrinsecùs ei nõ insit, & tanquàm ex accidenti vt quicquam moueat, quò fit, vt quæ dicitur accidentis fallacia suboriri planè videatur: accidit enim eis quatenus intelligunt. Deinde ea quæ dicitur consequentis etiam emergere fallacia satis apparet, quandoquidem si aliquæ mouent intellectrices & à materia seiunctæ substantiæ, non propterea sequitur, vt omnes quæ intelligunt moueant; primã enim non mouere, etiam à plerisq; sectatoribus eius decernitur, nisi quatenus intelligitur ipsa & desideratur, quod maximè contendit Petrus Aureolus primo in theologicas sententias commentario, dum Aristotelis & Auerrois authoritate confirmat, cœlum à prima causa executiuè (vt aiunt) non moueri, quod & quarto huius Operis libro indicauimus. Solem prætereà supra Lunam, nullo intercedente Planeta, collocauit Aristoteles, quod falsum esse non ego, sed Mathematicorũ plurimorum turba contendit, eorum, scilicet, qui dimetiendis motibus & magnitudinibus syderum inuigilant. Octauam prætereà sphæram stellarũ fixarum, extimam fecit, Mathematici plures, nonam: aliqui & decimam arbitrati sunt esse extimam atq; supremam. Itemq; opinione Calippi & Eudoxj, xij. libro Metaphysicæ quadraginta septem aut quinquaginta quinq; cœlestes orbes per se motos, totidemq; motores admisit, sensu enim pertingere eo non valens, permisit se Mathematicis ferendum antiquis, quos ætas posterior hac in re, & cum eis Aristotelem castigauit, est & adhuc lis de numero motuum, nondum enim extingui potuit, sed nec planè sopiri, & quod est sequens, lis est de orbibus, quibus ipsi motus attribuuntur.

CAP. XVII.

DE ESSENTIA DIVINA, QVAM MALE ET QVAM sæpe malè decreuerit Aristoteles in metaphysicis.

Sanè quoq; libro duodecimo eiusdem Operis, de Deo, vti de animali & apparenti apertè decreuit, vt apparet ex eis, quæ quarto diximus libro, dũ & ita sensisse Aristotelem ostendimus, & quæ pro eo afferebantur, non esse tanti, vt cùm excusent, insinuauimus, ex eis etiam quæ proximo, id est, quinto libro dum definitionis haberetur mentio patefacta sunt, satis potuit constitisse, ita planè sensisse Aristotelem, & quanquàm alij aliter sentiant, sunt enim qui excusare eum malũt, sunt qui condemnare, vt quarto scripsimus libro, res tamen eò deducitur, vt si ita decreuit, vti multi & ex suis, & ex nostris eum decreuisse volunt, & falsè, & impiè decreuerit, sin aliter, in dubium tamen res vertatur, quid tãdem decreuerit? vt ex altero dogmate falsam, ex altero incertam doctrinã eius apertè colligamus. Sed plura, vt videbimus, extant testimonia, quibus falsa hac in re, quàm quibus incerta monstretur. At quàm impiè illud crederetur pro vero? partem, scilicet, corpúsve Dei esse cœlum, quod in Sacris literis per metaphoram, scilicet, earum literarum more, *sedes dicitur Dei, & terra scabellum pedum eius*, quorum neutrum pars aut corpus sedentis potest appellari, multoq; minus cùm creata ab illo, & sint, & habeantur. *Videbo* (inquit Propheta) *cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti*, &, *opera manuum tuarum sunt cœli*. Nullo autẽ modo figuratè Aristoteles, aut per metaphoram, sed propriè, sed expressè, & animal dixit Deum, & apparere censuit.

Sed latius id ipſum, vt ſtemus promiſſis, manifeſtandum eſt, ne in ſacrorũ adyta confugere nos dicerent, & deeſſe nobis authores alios, Gentium doctrinas percallentes, deeſſeq; demùm ex ipſo Ariſtotele & ſectatoribus ad id monſtrandum & authoritates, & rationes. Eia igitur rem ipſam & multipliciter probemus, & efficacibus ex ipſo etiam lyceo ſumptis argumentis manifeſtemus, prætereà quæ Iuſtinus martyr de Ariſtotele memorat, cùm Deum in ætherio quinto corpore ſcribit ab eo collocatum, in quo etiam ſibi ipſi Ariſtotelem contradixiſſe poſt paulùlum aperiemus, præter Herueum, præterq; Bacconem & Philoponum, quorum mentionem fecimus quarto libro, cùm Ariſtotelem in Metaphyſicorum duodecimo, nõ de Deo loquutum, ſed de genere ſubſtantiarum ſeparatarum diſſerebamus, prætereà in quã Athenagoras philoſophus Athenienſis in oratione, quam habuit ad Marcum & Commodũ Cæſares, dum Chriſtianorum legatione fungeretur, hanc Ariſtotelis de Mundo vti de Deo opinionem ijs explicat verbis: ὁ δὲ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ἕνα ἄγοντες οἱονεὶ ζῷον σύνθετον ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστηκότα λέγουσι τὸν θεόν, σῶμα μὲν αὐτοῦ τὸ αἰθέριον νομίζοντες τοὺς πλανωμένους ἀστέρας, καὶ τὴν σφαῖραν τῶν ἀπλανῶν κινούμενα κυκλοφορικῶς, ψυχὴν δὲ τὸν ἐπὶ τῇ κινήσει τοῦ σώματος λόγον, αὐτὸν μὲν οὐ κινούμενον, αἴτιον δὲ τῆς τοῦ σώματος κινήσεως γινόμενον: quæ verba retulimus, non ijs ſolùm rationibus, quibus & alia Græca, ſed ne ficta quiſpiam impudẽtior aſſereret, quoniam id exemplar à quo meus exſcriptus liber, in quo hæc iacent, ferè vnicum eſt, & Phœnicis inſtar habetur, per me autem communicatum quibuſdam: Sed ad hanc diem minimè in Latinam linguam tranſlatum (quod ſciam) à nobis autem ſi dabitur ocium, fortaſsè vertetur: hæc autem ipſius verba in præſens ita transferam. Ariſtoteles autem & ſectatores vnum inducentes tanquàm animal compoſitum ex anima, & corpore conſtitutum, dicunt Deum, corpus quidem ipſius ætherium exiſtimantes erratica ſydera, & ſphæram non errantium motam circulariter, animam verò in motu corporis rationem, ipſam quidem non motam, corporei verò motus cauſam conſtitutam. Et in hanc ſententiam Galenus medicus planè diſceſſit, περὶ φιλοσόφου ἱστορίας diſſerens: ſcripſit enim inter alia ab Ariſtotele traditũ Deum eſſe ζῷον σύνθετον, ἐκ σώματος, καὶ θεότητος, hoc eſt, animal compoſitum ex corpore & diuinitate. Ita quoq; Alexander ſentit Aphrodiſieus, & Themiſtius ex ipſius Ariſtotelis ſententia, ita & Plutarchus: Albertus item vitio dedit Ariſtoteli, quòd ipſum cœli motorẽ nomine animalis expreſſerit. Varro quoq; apud Ciceronem affirmat exiſtimatum ab Ariſtotele & à veteri Academia, Deum eſſe mundi animam, ipſamq; mundi animam ſeparatam in vltimo metaphyſicæ nuncupauit Auerrois, vt hinc tollatur illa defenſio, non potuiſſe exiſtimari ab eo animal, quod ſeparatũ dixerit eſſe, cùm eius videlicet animalis ab eo nuncupati animam, dixerit Auerrois ſeiunctam & ſeparatam. Ipſe idem Auerrois in tertio de Anima particula ſiue commentario quarto decimo, corpora cœleſtia recipere poſſe formas abſtractas & intelligere docuit, quod nõ de corporibus quatenus corpora, ſed de anima docuiſſe illum ſatis liquet. Idem etiam Auerrois ſecundo cœli, eundem dicit animatum, cùm alibi, tùm particula tertiadecima, & probare id ipſum maximè conatus eſt particula ſexageſima prima, & in vndecimo quoq; metaphyſicæ ſupra duodecimũ Ariſtotelis, particula vigeſima quinta, ſed ratione diuerſa. Ibi enim quoniam viuentia non viuentibus potiora & meliora, hic autem quoniã cauſa inferiorum viuentium exiſtimantur. In libro item de ſubſtãtia orbis, & alibi, maximeq; in opere aduerſus Algazelem in deſtructione dubitationis vndecimæ, animatos orbes exiſtimauit: neq; enim vitam primò tamen, ſed ijs qui deinceps viſuntur orbibus adſcripſit, & propriè, non per metaphoram, primo enim capite libri de ſubſtantia orbis, cœlum vnum aſſeruit, & octauo primæ philoſophiæ particula duodecima compoſitum ex corpore, & anima intelligibili, & ſecũdo de Anima particula xv. cenſuit intelligere: & duodecimo primæ Philoſophiæ libro intelligere, & amare ſancit.

Cæterùm cùm Ariſtoteles duodecimo primæ philoſophiæ, omnes motores cœleſtium corporum ſubſtantias decernit eſſe à magnitudine ſeiunctas, ſimul immobiles, ſimul & ſempiternas, non propterea derogat ei ſententiæ qua ſtatuit orbes cœleſtes, animatos, & dici animalia. Nam & Auerrois, qui eius ſententiæ fuit, particula tamen trigeſima ſexta duodecimi primę philoſophiæ decernit, quod & antè diximus, cœli animam eſſe à materia ſeiunctam, idemq; repetit cùm alibi, tùm in libro de ſubſtantia orbis, cùm tamen ibi etiã appellet ſuperiores globos cœleſtia animalia, tertio quoq; de Ani-

de Anima particula quinta, de corporibus cœlestibus inter differendum mentionem habens, animata ea ſcribit, & eorum primam perfectionem ſubſtantiam ſeparatam à ſuis ſubiectis affirmat, idemq; alibi & ſæpè commeminit: nam ſecundo de Cœlo particula ſexageſima prima, expreſsè teſtatur corpora cœleſtia viua eſſe neceſſariò, & animali actione pollere, declaratumq; in phyſicis eſſe teſtatur, motorē cœleſtium corporum non eſſe in materia, & in libro de Anima, illum eſſe intellectum, & formam intelligibilem, nec moueri, niſi deſiderio, quod à ſuo fit intellectu. Libuit hæc inculcare, ne verti poſſit in dubium, apud Ariſtotelem & Auerroëm haberi, & animatū cœlum, & ex anima intellectrice, & non immerſa materiæ, compoſitum. Sed illud magis in Ariſtotele culpârim, quod primum mouens nō niſi gradu quodam, ad ſummum ſpecie, ab alijs differre, per multa verba videtur iudicare: quod eſt à philoſophia, & veritate longè alienum, ſi per primum mouens intellexit Deum, vt plæriq; ex neotericis exiſtimant: illa enim non gradus, non ſpeciei, ſed longè maxima differentia eſt, ſiue diuerſitas, ſi tamen differentia ſiue diuerſitas illa inter infinitum & finita ſtatui poteſt: atq; hanc etiam ob cauſam Plethon Ariſtoteli præponit Platonem, apud quem Deus creatoris honoretur nomine cùm Ariſtoteles (vt ſcribit) contrà diuiſerit primum mouentem alijs motoribus, & proportione quadam antecellere duntaxat exiſtimârit: quod non modò Platonicus Plethon, ſed Peripateticorum etiam multi ſatis ægrè tulerunt. Ita ſanè, ita procul dubio videtur & opere procedente, non ex aliorum modò authoritate, ſed noſtro etiam diſcurſu latiùs apparebit. Sed quantum attinet ad hoc, de quo nuper differebamus, repeti videtur idem particula quinquageſima, cum excluſis fabulis aſſerit, ſi quis ex eis ſolùm conſideret, vt eas exiſtimet primas ſubſtantias, diuinè id aſſertum eſſe. Mox de apparentium diuiniſſimo verba facere eſt orſus, & an intelligeret, & quo modo? qua de re alia etiam ſuprà retulimus. Nec diſtulit metaphyſicos ingreſſus libros, prægustationem quandam lectoribus propinquare falſæ doctrinæ, quando non vnum rerum principium, ſed plura propoſuit. Si quidem particula ſiue commento quarto ſecundi quoad Latinorum partitionem pertinet voluminis, ſcripſit plura eſſe rerum principia neceſſariò veriſſima, per quæ principia corpora cœleſtia, ab eo ſignificata, & multi voluêre, & confirmauit Auerrois. Opere verò procedente cùm de præcellenti quidem motore eo, in ſubſtantiarum ordine differuiſſet, eiusq; proprietates explicuiſſet, mox perquirens quótnam eſſent? illis omnibus quos deinceps ſtatuit, eadem nō ademit, quæ primò tradiderat. Quo factum vt deprehendere non fuerit difficile, aut nullum propriè in metaphyſicis Deum, aut multos ab Ariſtotele conſtitutos: quod enim primo tribuit vt moueret tanquàm deſideratum & amatum, nō prohibet quin hoc non ſimpliciter & abſolutè intelligatur, ſed inferiorum reſpectu, quare quod primum hoc in genere collocauit, poſtremum potuit haberi reſpectu ſuperiorum ordinum.

Sed & de vnitate Dei, vti diximus huius Operis quarto, potiſſimam rationem omnium quas vnquàm Ariſtoteles attulerit, probabilem duntaxat affirmauit Petrus Cardinalis Cameracenſis in primo ſententiarum, magisque ex conſeruatione, quàm ex productione rerum probari eam poſſe, Guilielmum ipſum ſecutus, oſtēdit. Quod ſi de vno principio in calce Operis videtur apertè loqui, ſunt tamen multi non ſolùm ex gentibus, ſed etiam ex noſtris Theologis, qui affirment illud ipſum, de quo ibi loquitur principium, in vno cum cæteris genere ab ipſo Ariſtotele collocatum, nec infinitę virtutis vllo modo gloria honeſtatum, nec aliud exiſtimatum, quàm quod apud plæroſq; authores recipiebatur coniunctum, videlicet cœli ſiue animum, ſiue motorem, vti apud Herueum, apud Aureolum, apud Bacconē, & alios etiam licet animaduertere Theologos, in Parriſiorum maximè Gymnaſio celebres. Apud Græcos verò Ioannes Scholaſticus ex Hammonij ſententia decernit in commentarijs de generatione, Deum ab Ariſtotele non appellatum factorem cœli, quoniam facere ipſum denotet immutationem, quam non denotet ipſum mouere: vt motorem non effectorem videatur exiſtimaſſe: Vnde ipſe ſubiecit interpres, Deum ſubſtantiæ totius creatorem. Mitto quod primo in libro de Cœlo in ſacris Deorum ternario numero vtendum non abnuit Ariſtoteles, & in ſecundo cœlum, & locum ſupremum dijs tributum ſcribit, quod in ſecundo libro de Generatione, docet quædam corpora, quoniam à Deo diſtant longiùs, ideò non eſſe perpetua. An, ſcilicet, tunc de cor-

porea loquitur substantia? Si enim de infinita & spiritali, non de naturali, & sensili loquitur, nũ & illa omnibus inest corporibus? omnia pariter gubernat & substinet sua perfectione ne pereant? distantiam igitur non pro naturæ dissimilitudine & imperfectione videtur accepisse, sed pro distantia corporea, non mathematica prorsus, quia non subsistit per se, nec ad propositum faceret, non prima & metaphysica, ratione iam posita, sed naturali: at cùm ea nisi inter corpora non dignoscatur esse, alterum etiam extremum corporeum esse satis affirmauit. Quod si quis opposuerit ab Aristotele, nihilominus in calce duodecima primæ philosophiæ, separatam quandam mẽtem esse cognitam, quæ præstaret alijs tanquàm ducem totius exercitus, eamq; Homerici carminis testimonio confirmatam:

Non plures numero, sed princeps vnicus esto:

Responderi primùm posset id, quod suprà ex Aureolo citauimus, deinde dici authoritate Philoponi, cuius etiam inter initia quarti libri meminimus, illam mentem inerrabilis motricem sphæræ non esse Deum, idq; authoritate Platonis & piorũ dogmatum confirmauit, quibus Deum non esse νοῦν, id est, mentem intellectúmve, vt vocat Aristoteles, sed super intellectum omnino exaltatum decerneretur. Respõderi & aliter (vt mihi quidem videtur) posset, quòd omnes etiam aliorum orbium motrices mentes separatas, quod & Thomas quoq; notat in opere contra Gentes, dum improbat Auerrois opinionem de humano intellectu, omnes, inquam, separatas, omnes etiam æternas posuerit, sed separatas quoad pertinet ad munus intelligendi, nõ vt propterea corpus non informarent ætherium: & ita de primo decreuisse contendent modis omnibus Aristotelem, qui nuncupauerit animal sempiternum optimum, & omnium apparentium diuinissimum, id scilicet, de quo vti de primo, & de ipso intellectu verba faciebat, & cui fuerit cum Platone controuersia de loco & sede ipsius primi. Adde quod exercitus non ita est à duce seiunctus, vt eius Dux aut princeps alterius generis habeatur, ipso etiam Aristotele teste, qui in primo Politicorum scribit natura excellere regem oportere, eundem autem esse genere, quare ei non potest comparatio illa militaris vllo modo suffragari, quæ si Homerici carminis, cui nititur, habenda est propensio, multùm etiam oberit. Nam Agamemnon de quo verba fiũt, vnus erat ex Græcis ducibus, Ilion obsidentibus, tametsi cæterorum consensu ducum, vniuerso præpositus exercitui. Nihil aliud igitur probasse dicent Aristotelem quàm administrationem, ad vnum duntaxat pertinere, præcellente quidem, atq; eo in genere primarium, cui cæteri obtemperent, quem ament, & cui similes quoad fieri potest, euadere desiderent. Sed & dicere poterunt facilè si voluerint, non eo modo quo plurimi existimant, de primatu illo Aristotelem decreuisse, quandoquidem in quarto Politicorum libro dum differit non de regia potestate, sed de pluribus speciebus popularis gubernationis, & legem dominari oportere, dubitat quidem vtrum vnam, aut alteram illarum in qua vel multitudo non vt singuli, sed vt omnes, vel non vt plures, sed vt singuli gubernat excludere Homerus voluerit, cùm cecinit nõ esse bonum, vt plures regant: dubitat inquam & incertum haberi putat, tamen abest vt absolutæ dominationis & vnici principatus mentionem fecerit, ne dum totius vniuersi arbitrium tribuerit ei, quem ipsi & dicimus, & colimus Deum omnipotentem. Nam quo pacto apud eum omnipotens is, qui ab eo decernitur ex necessitate operari, & nihil noui velle, nihil noui posse producere? Ac sanè præter illa quæ suprà attulimus huius rei testimonia ex interpretibus, & paraphrastis Aristoteleis, illud etiam Themistij potest afferri in libro de Somno, satis apertè indicatis omnia illa de quibus egimus apud Aristotelem haberi animalia corporea. Cùm de animalibus, inquit, loquimur, semper excipiuntur diuina: nam eorũ actio iugis æternaq;, nec tristis onerosáve est, & vigilia in ijs omnis contrarij est expers. Illud non præteribo, veteres Theologos noluisse ex Aristotele diuina confirmari, sed ipsum cum reliquis Gentium authoribus explosum voluisse. Fuêre postea qui aliqua eius dicta adstipulari diuinæ vnitati, potestati, & infinitati putauerunt, idq; demonstratum existimauerunt, alij contrà censuerunt, quoad potestatem præcipuè pertinet infinitam: de qua seorsum vt differamus, locus ipse quem tractauimus inuitauit.

CAP.

CAP. XVIII.

DE INFINITATE POTESTATIS DIVINAE NON RECTE sensisse Aristotelem, ibiq; etiam ostenditur & authoritatibus aliquorum Theologorum, & rationibus, Deum omnipotentem ab eo non demonstrari.



Mihi certè videtur eum, qui Aristotelis de Dei potestate & processum & verba diligentiùs perpenderit (mitto enim quæ in libris moralibus, quæ in libro de Mundo ad Alexandrum, quæ in vltimis metaphysicis vulgò non cognitis habentur, mentionem enim hoc loco facimus eorum quæ omnibus nota, quæ trita, euentilataque sunt) eum inquam qui Aristotelis & processum, & verba diligentiùs perpenderit, comperturum vtique, effectum illum, ex quo potestatem eius infinitam coniectari volunt multi, minus astipulari, quàm opus sit ipsi infinitæ potestati, quoad pertinet ad intentionem atque vigorem. Is enim effectus quem maximè ducũt in medium, est sempiternus motus, quo ad actum spectat finitus quidem, infinitus verò quantum pertinet ad id, quod est in potentia. Neq; enim actu existit illa (vt sic dixerim) sempiternitas motus, quam aliqui ex similitudine & ex accidenti dixêre infinitam. Repugnat enim motui quem definit Aristoteles, non habere admixtam quoquo modo potentiam, si videlicet, vt ipse decreuit, sit actus entis in potentia quatenus in potentia. Nam tametsi successus ipse indiuisibile quoddã diceretur esse, quo partes præteriti & futuri continuarentur, nostra verò cogitatione diuidi illum ipsum per menses & annos, nihilominus dici etiam opus est tempus esse motus ipsius mensuram, prioris & posterioris habita ratione, vt ex temporis ipsius, quam attulit Aristoteles, definitione concluditur, & nisi tempori ipsi, & motui, successus inesset, non cogitatione nostra solùm, sed intrinsecùs: tunc inaniter, & falsò nostra eis cogitatio successum ipsum attribueret, vbi autem successus, ibi potentia permixta est, quod & Thomas maximè confirmat in primo theologicarum sententiarum commentario distinctione quarta supra quadragesima. Quare videntur ex intentione infinita in potentia, propter durationem sempiternam, intentionem actu infinitam & vigorem actu infinitum asserere: Nam actu non est illa infinitas motus. Ergo quantumcunq; & primo, & per se acceptus referatur, nunquàm videtur suam exuere naturam, hoc est, vt ex eo quod est in potentia, fiat actu infinitas. Nam de resistentia quod solet dici, & de proportione potentiæ motricis ad rem motam, vti signatæ moli, signata vis mouens aptetur semper ita vt infinito corpori, si inueniretur, mouendo, infinita vis motrix iusta proportione respondeat, non videtur apertè procedere. Illa enim resistens vis finita est, nec ad infinitam datur excursus, sicuti nec infinitum corpus, aut inuentum est vnquàm, aut dicitur inueniri, nec suppositio ipsa atque conditio etiam si admitteretur, simplex atque syncera censebitur, sed multiplex & plena difficultatum: infinitum enim pro immenso caperetur, idque aliqua ex parte non simpliciter, & virtus pari proportione diuideretur in eam, cui & si creata est, non resistitur tamen à re vlla præsertim inferiori, & in eam quæ eiusmodi est, vti si ei non resistatur, nihilominus increata est, & absolutè prorsus infinitæq; potestatis. Atque vt in summa dicam, nulla ratione naturali probari syncerè & extra controuersiam posse mihi videtur, quod plæriq; probatum ea in re esse cõtendunt. Quocircà fundamentum illud Bacconis & aliorum theologorum, videtur solidè iactum, ex finito, scilicet, effecto, infinitatem virtutis in causa non posse monstrari: Motum autem sempiternum, infinitum in se non esse, sed solùm duratione & perpetuitate sortiri infinitatem, clarum in controuersumq; habetur.

Præterea Gulielmus nominaliũ princeps 23. quæstione operis quod appellatur Quodlibet, affirmat, nec in octauo Physicorũ, nec in 12. Metaphysicæ, probari ab Aristotele Deum esse virtutis infinitæ, quantum ad vigorem intentionémve pertinet, sed tantummodò quantum ad durationem, ibiq; & ad rationes Ioannis Scoti cõtrariam opinionem secuti, ingeniosè respondet; & Aristotelis sententiã super ea re latè interpretatur, atq; inter alia docet, ipsum Aristotelem ibi intellexisse motorẽ primum non esse in magnitudine corporéve, sed esse impartibilem, nec de potentia finita quantum ad intentionem, absolutè decerni, sed de ea, quæ existat in corpore. Idque etiam

Auerrois

Auerrois probat commentario,vbi de potentia quæ in corpore diuidi possit,mentio facta est,nec omnino de separato motore habitum esse sermonem, sed de coniuncto & connexo motæ magnitudini prorsus asseuerauit, & hæc quidem ille retulit, vt ex Physicis & Metaphysicis Aristoteleis,non probaretur infinita Dei potestas. Sed enim Deum quoq; ipsum eis ipsis ex locis non demonstrari, multi existimauêre, & minus omnino ex processu Physico quàm Metaphysico, & quanquàm sunt qui existiment eisdem locis & rationibus demonstratum à S. Thoma Deum esse. Sunt etiam ex eius sectatoribus, & qui ab eo id suppositum non probatum asseuerent, & qui affirment, via motus non posse perueniri ad cognitionẽ præstantioris motoris,quàm sit anima, idq; ipsius Thomæ authoritate confirmant, docentis per processum illum non corrogari,quin corpori necteretur motor ille, sicuti anima rationalis corpori humano coniungitur: Viam verò causæ efficientis, nisi ad corpus cœleste, & eius motorem perducere,ipse etiam testatur Auerrois in primi libri de cœlo commentarijs. Hoc & S. Thomæ quoque sectatores aliqui fatentur, multò magis qui ei ex proposito sunt aduersati, & maximè Aureolus, qui tertia distinctione primi theologicas sententias commentarij,labefactare Thomæ rationes aggreditur, cui & si quibus potuit viribus eadem ipsa distinctione restitit Capreolus : tamen quod attinet ad fundamentum illud efficientis causæ (pace ipsius Capreoli viri alioqui doctissimi & sectatorum eius dictum sit)non fatetur Aureolus quod ipse opinatur Capreolus, ea S. Thomæ ratione conuinci,vt detur primum efficiens. Nam de primo tantummodò atque supremo corpore,id concedit Aureolus, nixus Auerroë. Nec aliena debet videri locutio ipsismet S. Thomæ sectatoribus, apud quem multiplex primum sæpenumerò legimus, & multiplex quoque principium motus, sicuti etiam in prima parte secundi voluminis theologicæ summæ, quæstione sexta, dum agit de voluntario & in voluntario, principij motus meminit, quod possit quidem esse primum in genere, non tamen simpliciter primum, & pro exemplo ducit in medium cœleste corpus, quod sit primum in genere (vt proprium eius verbum reponam) alterabilium,non tamen simpliciter primum,cùm à superiore motore voluatur. Quò fit vti non secus de re efficienti possit eadem verti quæstio, & eidem aptari illa ipsa distinctio, vt corpus videlicet cœleste non sit simpliciter primum efficiens, sed primum efficiens in genere, scilicet, rerum corporearum. Nam supra illud ipsum corpus,sunt aliæ causæ potentiores cœlo,& efficientes magis, Deo tamen subiectæ, qui prima omnium rerum & corporalium,& spiritualium causa est, & infinita potestas:ad quam comprehendendã via vlla Aristotelea plenè non introducit, quoniam scandendum est altiús. Sanè quoq; alius post Capreolum Thomæ sectator, & si prædicata illa siue proprietates Dei, proprias esse nõ negat,rationibus tamẽ eis deprehendi Deũ minimè fatetur. Quod quo pacto congruat ei quod attulit suprà, hoc est, alijs etiam competere illa prædicata, nequeo percipere, quomodo enim Dei propria? si animæ intellectrici & corpori æthereo eiusq; motori etiam (vt non diffitetur)conueniunt. Sed fortè defendi potest ratione analogiæ. Vtcunq; autem sese habeat res, rationes illę Aristoteleæ, quæ mundi animam,vel motrice vltimæ sphęræ mentem concludunt,& immobilem esse,& efficientem, & causam primam, non videntur ad Deum cognitione deprehendendum, per eas, quæ illi maximè conuenire dicuntur proprietates, pertingere.

Verùm vt quæpiam à proposito non abhorrentia subijciam, mihi videtur primum cœli motorem si probauerit Aristoteles, propterea ab eodem non probari primum ita absolutè esse,quod & non depẽdeat, & quod infinita polleat potestate,quid enim prohibet supremi cœli motorem substantiam esse abiunctam, sed dependentem ab vno & vero Deo? & virtutis esse, quoad permanendum, non quoad agendum pertinet,infinitæ? qua virtute etiam pollere inferiorum motores orbiũ & Aristoteles, & Auerrois affirmãt. Num & Dionysio etiam, & Augustino consentit hoc ipsum? docentibus corpora per spiritus incorporeos, quos ipsi angelos vocamus, Gentiũ philosophi mentes,& separatas substantias dicunt,administrari: Et apud Danielẽ prophetã *præter millia millium quæ Deo ministrant*, legimus, *ei ipsi aßistere decies centena millia*, tamẽ abest vt ipse moueat eo modo, quo dicũtur, vel ab animis, vel à spiritib9 ad id obeundi muneris delegatis moueri corpora. De alia verò mouẽdi ratione quod ad propositũ aut ibi, aut alibi meminit Aristot. præterquàm de motione finis, vt amati videlicet & desiderati

derati in metaphysicis: & nihilominus etiam motio illa non discedit à motu corporum, quatenus globorum cœlestium motrices mentes, primo desiderant motori cœlesti ipsa in motione sublimiori & præstantiori similes fieri, & quantum fieri potest eius imitari & assequi perfectricem potestatem. Deus autem ipse nō modò supremum illud cœlum mouet modò, scilicet, qui non est expressus ab Aristotele, sed omnes orbes, omnia sublunaria, sed & omnia prorsus, & corporea, & spiritualia, nosq; etiam ipsos, qui, vt ait magnus ille & Deo plenus Apostolus, *In eo viuimus, mouemur, & sumus.* Sed hoc authoritate diuina didicimus non ratione Aristotelea, quāquàm enim non abnuo ratione naturali probari posse, Deum omnia & corporea, & incorporea mouere, probari tamē id rationibus Aristoteleis nō affirmo, vt quę ad omnium rerū non motarum solùm, sed etiam mouētium, & incorporearū, & spiritalium, supra omnem sensum & motum eminentissimū, & suprà quàm dici & excogitari possit excellentissimum principium, non ascenderint. Mitto quod Iamblichus affirmauit habere nos tactum quendam diuinitatis omni notitia meliorem: & sileo in præsentia remotionis, & abnegationis viam, qua Dionysius nititur & sectatores ad Deum inueniendum: nec cito gradus quibus patruus, Ioannes Picus ad diuinam in libro de Vno & Ente caliginem ascendit, ab Aristotele prorsus ignoratam. Nec tamen me præterit eundem patruum eodem in libro scripsisse, vbi ergo discors à Platone Aristoteles, vbi prophanus, vbi de Deo minus quàm deceat honorificè sentiens: eundemq; memini damnasse Peripateticos, qui Deum mundi animam ex Aristotelis sententia existimarent. Sed agebat tunc de eorum inter se philosophorum opinionibus, & ipsorum dogmata conferebat: Gentium philosophos componebat inter se, non æquabat, aut comparabat nostris, non synceram apud eos veritatem reperiri prædicabat: Nec tàm damnauit Peripateticos, qui eam Aristotelis putarent sententiam, quàm quod & eius esse, & veram esse confirmarent. Alioqui pacto tot sanctorum virorum testimonijs, quæ suprà citauimus aduersum itare voluisse? quo pacto à veritate quàm maximè diligebat stare noluisset? Etenim quæ dicuntur dicendi causis conferri componiq; oportet, vt veram intelligentiam eorum assequamur. Causa igitur putanda, vt opiniones philosophorum inter se conferret conciliaretq;.

Sed quoniam vllus non extat scriptor, qui alienis meliusquam suis verbis proprios mentis conceptus expromat: examinemus quæso propositiones, quibus vtitur Aristoteles an sint sic addictæ rebus necessarijs, vt contra nihil queat afferri? illa etenim quod mouetur, ab alio mouetur, quæ primum est & maximum totius ædificij fundamentum, negabit fortè quidam in rebus incorporeis, etiam authoritate Platonis, & Theophrasti, vt satis constat ex ijs quæ suprà sunt allata, cùm de motu animæ aduersus Aristotelem & Themistium disputaretur. Negaret alius fortasse etiam in ipsis corporeis authoritate Scoti, decernentis grauia & leuia se ipsis moueri, cui videtur assensus Hebręus Hasdai. Obijci etiā posset, ferri concursus ad magnetem, ex cuius motus causa, vt variè est relata, variæ quoq; responsiones elicerētur. Multæ enim de eo veterum fuêre opiniones philosophorum, quas cùm alij, tùm Auicenna recenset in libro de viribus cordis, eas vti falsas eliminās, ratus ipse proprietatem esse illam magnetis procedentem, à superna influentia, ratione proportionis simplicium corporum illo modo conflatorum, quæ ideò sit mirabilis, quia rara, cùm tamen ignis proprietas sit mirabilior suapte natura, sed propter frequentiam demiratione digna non habeatur: Alexander verò nullo modo sciri posse voluit causam tracti ferri per magnetem, sed soli Deo reseruauit. At alij diuersas variasq; omnino reddidêre causas, siue id ex antiperistasi reciprocationéve aëris cōtingat, quæ opinio existimatur fuisse Platonis, siue ipsa trahat moueatq; non mota, vt plęriq; dicunt: siue vt Porphyrio de abstinentia ab animalibus differenti placuisse videtur, impartiat ipsa magnes quandā quasi animam ferro, sibi quandoq; propinquanti, vnde quanquàm grauissimū est, fiat ita leue vt tanquàm spiritu magnetis eleuetur, & ad ipsam sese conferat: Siue mauis vt ferrū, ad eam moueatur ipsa non mouente, quod voluit Auerrois. Cui enim (si non magneti) tribuitur motus in ferrū, pręterquàm ipsimet ferro sese mouenti, vt à propria & intrinsecùs indita causa mouendi? Sunt enim qui nolint protrahi ferrū à lapide ipso, quoniā contrarijs motib⁹ agitari dicūt, pulsu videlicet & tractu, siue resoluātur ex magnete ramēta tenuiaq; corpuscula euntia ad ferrū & redeuntia, siue simplici tractu immissa, scilicet, vir-

cet, virtute quæ ferrum primò afficiat, deinde trahat, quod suspicari facilè potuit ipse Porphyrius: quare decernunt aliqui naturalem motum inesse ferro ad magnetē proportione quadam soli nota naturæ: sicuti etiam motus illi est naturalis ad ima, siue hoc conuenientiæ, & tanquàm affinitati, quæ ipsi cum loco intercedit, siue occultæ virtuti, & proprietati attribuatur, siue sensui naturæ vt nonnulli existimârunt. Neque enim vt placuit Milesio Thaleti, & antiquis philosophantibus, quod ipsi fortè Porphyrio receptum est, animatus est magnesius lapis, atque idcircò ferro ipsi motum impartit.

Prætereà dici potest illud immobile, qualecunq; sit ab Aristotele quæsitum, aut inuentum, non probari ab ipso Aristotele omnino, & ab omni corpore separatum, sed sub quadam disiunctione, quanquàm & separatam etiam mundi animam appellauit Auerrois, vti suprà meminimus. Cæterùm quocunq; probetur modo id ab Aristotele, illud ipsum tum non improbatur, à creato, & increato, dependenti & non dependenti, prorsus abstrahere. Id prætereà quod Aristoteles ipse 8. Physicorum libro particula vigesima septima nititur astruere, de eo quod mouetur ex accidenti. Asserit enim id ipsum non à se moueri, vtpote quod ad alterius motum moueatur, id inquam quod nititur astruere, destrui non difficulter potest, hac ipsa distinctione mouendi: potest enim quippiam ex accidenti moueri bifariam: primò cùm excluditur id, quod est per se moueri, quo pacto maior syllogismi propositio cōcedi posset: secundò cùm ipsum per se moueri, aut includitur, aut saltem non excluditur, quem in modum ipsa propositio negaretur, cùm fieri queat, vt quispiam & per se intrinsecùs quantùm, scilicet ad principium motus pertinet, moueatur, & per accidēs ratione partis & instrumenti. Eodem item libro similitudinem eam de motu animalium aptari & conuenire cœlestibus facilè ire possumus inficias, si quidem à corruptibili ad incorruptibile, & à motu generationis & corruptionis ad orbicularem motum argumentatur. Ne me latet longiore opus esse subsellio ad hanc materiam euentilandam. Sed quantum ad hoc attinet, satis est ostendisse principia, vt hinc solùm colligamus, si Theologi veteres & ex posterioribus aliqui aliud senserint, quàm nonnulli etiam magnæ authoritatis, non propterea turbemur. Illi enim fidem nostram adeò superexaltata gentium dogmatis voluerunt, vt nullo pacto illa etiam ad famulatum admiserint, ij verò benè actum sibi putauerunt, si eisdem armis hostes reuincere possent, & quidem vtrumque pié. Sed cùm hæc arma alij acuminata & aciei validæ putent, alij obtusa & minimè penetrantia, ex hoc clarè non percipitur veritas, nec facilè indagari potest, quapropter reuerti ad Aristotelem identidem est necesse, & primùm examinare verba, mox ex eis sensus, vel difficulter ob varias interpretum pugnas elicere, demùm quid alterum alteri præponderet iudicare. Illi itaque expeditiùs & theologicè magis, quoniam quibus non videntur rationes Aristotelis concludere, & ex eis colligi illud ipsum quod quæritur, si ex nostra religione non sunt, eis datur occasio putandi, nos propter Aristotelea dogmata Deum agnoscere, & infinitæ virtutis existimare. At non ita est, Christiani sumus, non Aristotelei, hoc est, Deum eiusq; virtutem & potestatem infinitam ex Euangelio nō ex Peripato credimus. Qua in re mihi illud magni Alberti in vltimo primæ philosophiæ facit satis: Theologiæ, inquit, ratio nostræ, non cum philosophorum principijs conuenit. Et suprà paululùm eos taxauerat, qui Philosophiam cum Theologia confunderent. Itaque de metaphysicis atque diuinis quàm non rectè decreuerit Aristoteles, satis percipi datum est, enumeratis maximè locis & Physicis, & Metaphysicis, quibus diuina eum docuisse iuniores philosophi contendunt. Neque enim abnuimus alijs in locis librorum eius qui perierunt, meliùs fortè de Deo sensisse, quando etiam in opere discipuli ipsius Theophrasti quod de saporibus inscriptum est, decernatur Deum ex nihilo, nullaq; præiacenti materia cuncta creasse, quod euidentissimum extat argumentum infinitæ potestatis.

CAP.

CAP. XIX.

QVOD FALSA IN MORALIBVS ARISTOTElis multa.

AT in moralibus, non certa dogmata exigimus ab eo, quando polliceri ea noluit & præstari non posse satis aperuit: Veritatem exigimus probabiliter editam, superstitiones abiectas malumus quàm traditas, & quanquàm sunt in libris eius Ethicis, in politicis, in æconomicis multæ præclaræque sententiæ, tamen adsunt etiam dogmata nec satis omnibus consona, nec plærisque visa admodum speciosa, & superstitiosa quoque nonnulla, & aliqua prorsus inania. Nam de iudicio sapientum, cui refert accepta decreta virtutum, satis suprà vidimus id ambiguum esse, quoniam ipso de sapiente priùs ferri sentētia deberet, de quo diuersæ sectæ abusq; philosophiæ primordijs decertârunt. De mediocritate virtutis etiam non placuisse Stoicis quod Aristoteles decreuit, suprà licuit videre, quam quidem mediocritatem etiam impugnauit acriter Plethon, qui & Gemistus dicebatur idque quod Aristoteles putauit dandum vitio, si quis ad terræmotus & fulmina non expaueret, omni vitio liberum contendit, quoniam nec turpe, nec vitio obnoxium, sed & timuisse insanum esse pronunciat eo in libro quem pro Platone scripsit aduersus Aristotelem, quem etiam taxauit de fine vltimo decernentem & voluptatem speculationi mixtam præferentem, atque inter alia argumenta hoc quoq; ducit in medium, quod ita libuit è Græco transferre. Si voluptas quatenus speculatio bonum est, vtiq; speculari erit bonum simpliciter, siue voluptas sequatur, siue non sequatur. Rursus si speculari quatenus voluptate perfusum, bonum est, nempe voluptas erit simpliciter bonum siue speculamur siue quicquam aliud agamus. Fieri enim minimè posse contendit vt speculatrix voluptas, & quatenus voluptas, & quatenus speculatrix: commune enim bonum præponi oporteret, cuius participatu illa & essent, & haberentur bona quemadmodum Platonem voluisse decernit, qui ipsum καλὸν præposuerit, cuius particeps speculatio, & bonum sit, & voluptas, & si quid maius queat excogitari: vehementerque succensere videtur Aristoteli, cuius opinio tamen absit vt distet ab Epicurea, vt inde videri queat Epicurus suæ sententiæ captasse occasiones, atq; vt ille Græcè ait: εἰληφέναι ἀφόρμας. Cæterùm quæsóne Aristoteles probabilitate ductus est? an falsis vulgi opinionibus? cùm decreuit fœlicitatem sine bonis extrarijs esse non posse? qua in re non miratur Theodoretus, asportasse illum propterea pelues, quas exactores publicorum vectigalium inuenerint, & oleum vendidisse quo vtebatur in balneis, cuius etiam rei meminit Laërtius. Non miratur, inquam, quoniam sine diuitijs se fœlicem esse non posse ratus antea fuerat. Assyrius Tacianus in libro aduersus Gentes eo, quem D. Hieronymus florentissimū cēset, ita scribit: παρ᾽ οἷς ᾗ οὐκ ἔστι κάλλος, οὐ πλοῦτος, οὐ ῥώμη σώματος, οὐκ εὐγένεια, πατρὰ τοῦτοις, οὐκ ἔστι παρὰ τ᾽ Ἀριστοτέλην τὸ εὐδαίμον, hoc est, apud quos autem nō est pulchritudo, non diuitiæ, non robur corporis, non nobilitas, apud hos non est, Aristotele authore, fœlicitas. Hęc ille: qui cùm alia Aristotelis, tum maximè illud videtur dogma voluisse carpere, quod repositum est inter initia septimi Politicorum libri, quo asseritur felici homini bona externa corporis & animi adesse oportere. Cùm autem hæc & asseueratè quidem scripserit Aristoteles, si fœlicitas summa votorum iure existimatur, & beatus, & fœlix is habeatur, cui nihil deest, & omnia desintijs, qui Deo non fruuntur, quis illum iure probauerit? Cùm item ędificandas Dijs & heroibus aras in politicis censuit? cùm vouit statuas Ioui seruatori, & Iunoni sospitæ, pro Nicanoris salute? An hæc vana superstitio? cùm præcepit cædem monstrosi puerperij, hac in re à Platone non omnino abhorrens, num hæc barbara sæuities? à qua immanitate nec planè excusant eum iuratissimi interpretes, quid verò vel prudentiæ, vel superstitionis ignauæ, prohibere in septimo Politicorum obscœnas imagines præterquàm deorum? quibus eorū more lasciuia congrueret? & apud illas homines pro se & filijs, & vxoribus facere sacra lege permittere? Cùm item permittere videtur militibus nefarios cōcubitus sine detestatione, sine pœna (quod vel satis aduertit & damnauit Bessarion in 4. Platonicarum defensionum) Calumniosè quoq; eum in Ethicis & in Problematibus Philoxeni recitasse opinionē sunt qui censeant: Namq; Philoxenū culpat gulæ oblectationibus præter fas deditissimū,

& qui gruis collum optauerit sibi ad maiorem diuturnioremq; libidinem, quem etiã ego Aristoteli assensus aliquando condemnaui in libris de morte Christi, & propria cogitanda. At alij vitio id vertunt Aristoteli, quãdo Philoxenus musicæ artis peritus, gruis collum ad modulos deducendos & inflectendos variè, voto postulabat casso, vt qui artẽ mirè iuuasset, si longius illi collum natura tradidisset: Sic & de Cygnis poeta præcellens cecinit:

—— qui longa canoros
Dant per colla modos ——.

Verùm enimuerò hac de re pugnare nolim, tùm quod multi eo nomine citantur, tũ quod ab ipso Aristotele in octauo Politicorum Philoxenus ducitur in medium, qui dithyrambos Doricè facere cùm tentasset, vi naturæ tractus sit ad phrygiam harmoniam, tùm etiam quod Philoxenus ipse dithyramborum poëta gulæ scitamentis deditus proditur in cœnis Athenęi, Blearcho maximè & Phania Peripateticis philosophis, & Machone comico authoribus. Mitto illa in vniuersum de fine hominis à plærisq; reprobata Aristotelea dogmata, in quibus non solùm Gemistus, vt paulò antè retulimus, sed antè aliquot seculis & Atticus Platonicus & Eusebius institerunt. Mitto quoq; mores condemnatos ab Epicuro, à Timęo Taurominitano ab Alexino Bristico, à Cephisiodoro Isocrates, à Democare, ab alijs quorum meminit Aristoteles, Peripateticus in sexto de Philosophia, dum de Aristotele struit apologiam, & iuniores etiam repetierunt. Nam nõ de moribus ipsius ad præsens, sed de doctrina fit quæstio eius in libris & reposita, & celebrata, quam nõ ita (vt assolet) æstimari debere magna ex parte monstrauimus. Mitto etiam quod Thomas in 4. maximè de regimine principum scribit, Aristotelem non rectè Platonis & Socratis opinionem retulisse de promiscua mulierum communione. Idq; etiam apud Frãciscum Maroneum quadragesima septima dictione conflati operis est inuenire, vt Platonicos non recenseam, nec hac in re sententiam feram, vter errauerit magis, Platóne? qui non rectè proposuerit in quinto maximè de Repub. an Aristoteles qui nõ rectè aut retulerit, aut interpretatus fuerit in 2. politicorum? Mitto quod cùm vniuersa opera quæ de moribus edidit ad fœlicitatem & inueniendam, & habẽdam spectârint, tàm paucis de ea, & tàm insyncerè imperfecteq; egerit, vt eam Alliacensis vmbraticè somniasse cẽsuerit, quod suprà est à nobis indicatum. Mitto quod multiplici etiam experientia reprobatum est, quod probatum ipse voluit in Ethicis, opinionum concordiam ad amicitiam nõ pertinere, quando maximas inter philosophos ob opinionum diuersitatem inimicitias extitisse suprà est declaratum, & in hęreticis conspicuum id habetur, & in factiosis omnino manifestum.

CAP. XX.

QVOD ARISTOTELES DE REBVS COMMVNIBVS NON TOT decreuerit, quod vulgus literatorum existimat: Item quod sibi ipsi aduersus fuerit, & alia quibus errauit quæ prætermittuntur, & quare: item quid de suis argumentationibus author censendum à lectoribus cupiat.



AT sanè qui eo celebrandum præ omnibus Gentium philosophis Aristotelem existimarent, eò quòd plura quàm alij reliquerit, de communibus, & particularibus rebus enucleata volumina, rebus ipsis aptata, & nõ mediocri diligentia distincta, eis non magnoperè resisterem, conferat illum philosophis Gentium, si placet, etiam præferant, non rixabor: Nostræ cultoribus religionis adeò non conferant Aristotelem, vt iure conferri componiq; nequeunt tenebræ luci, superstitio religioni. Ac de particularibus quidem rebus, vt non abnuerim scripsisse illum multa, eademque præclara in opere de Animalibus, & in moralibus libris plæraq; non reijcienda statuerit, atq; in problematibus nonnulla scitu digna tetigerit: ita de communibus rebus nec tot, nec tanta scripsisse illum, pro vero vnquàm receperim, vt vulgus etiam literatorum existimat: nam qui ex physicis libris de principijs rerum naturalium, de natura, de motu, ex metaphysicis, ex libris de Anima, alijsq; complu-

compluribus opiniones veterum, quas confutat, & rationes quibus confutat, auelleret, non exigua eorum pars adimeretur, & interea quæ confutat, multa sunt quæ nec ritè recenset, nec ritè confutat, vt ex parte monstrauimus, quæ verò ipse post longas disputationes inter ratiocinandum colligit, statuit, definit, non recipiuntur ab omnibus, etiam eius cultoribus atq; discipulis. Quando partim vidimus probabilia, partim ambigua, & incerta, partim falsa atq; reiecta, nec omnia tamen vidimus & retulimus, nec singulatim curiosè discussimus. Nā qui libros omnes Aristotelis & expositorum eius perpendere diligentiùs voluerit, plura quàm ego deprehēdet errata, pluresq; locos in quib. sibi ipse fuerit aduersus. Scribitur ab eo quod suprà malè scriptū ex Philoponi sententia retulimus, si locus esset trina dimensio, incedere hanc ipsam per totum collocatum corpus oportere, & diuidere ad infinitum corpus, sicut & ipsa diuiditur: quod absurdi in alijs dum causatur, in semet reijcit, idq; damnat, quod probauit. Probauit enim locū æqualem esse locato atq; in eodem esse, & comprehendētis corporis terminum, quod si ambo termini sint in eodē, tunc vt totū in toto, & pars habebitur in parte: quò fiet in omni diuisili magnitudine infinitæ sint superficierum particulę. Nam si vna quoq; particula superficiei vnicuiq; particulę aptata fuerit, vtriusque diuisionis prodibit infinitas. Nec id accipiendum Philoponus docet, quasi superficies in superficie tanquam in loco reponatur, sed satis esse inuicem aptentur, aptare verò sese inuicem & incedant, & diuidant, quod vti absurdum ille reiecit. Præterea nec linea lineæ, nec superficies superficiei poterit aptari, si spatium incorporeū nequibit aptari corpori, & tamen alterum suo loco Aristoteles condonat, alterū abijcit, ab alieno loco, hoc est, spatio: cùm nihilominus superficiei vt est superficies, id ipsum de vtroque vt arbitrari quispiam possit, efficiat. Nam si dimensio quatenus, dimensio diuisionem molitur, deberet vtiq; superficies vltima corporis ambientis & ipsa dimensio, corpus diuidere in se collocatum atq; contentū, hoc tamen negat, affirmat illud. Nam quæ sors dimensionis eius, quæ profunditas dicitur, vt profunditati nequeat aptari? cùm tamen aptetur & longitudo longitudini, & latitudini latitudo, illa diuidat, hæ contineant, illa disperdat, hæ seruent & tueantur corpus collocatum. Hunc itaq; in modum ex Philoponi Aristotelei interpretis doctrina in ipsum Aristotelem possemus argumentari. Nec satis nobis illa responsio faceret, de linea & superficie posse nos loqui & naturaliter, & mathematicè, quare lineam lineæ aptari posse naturalis ratio non negat, mathematica vetat: nam quo modo loquitur Aristoteles, eodem ipse loquitur; de dimēsione enim, & linea, & superficie mathematicè differit, cùm ad infinitum eas diuidit, & quod Aristoteles abijcit vt absurdum, id ipsum absurdi in ipsummet retorquet interpres, & quod attinet ad eundem terminum collocantis corporis & collocati, ad collocantis punctum duci linea poterit, si falsum non petijt Euclides in geometricis elementis, quare spatium intercidet, quo minus esse poterit, vt in eodem sit comprehendentis corporis terminus.

Sed hac de re satis abundeq; libeat & locum illum, cuius meminit Iustinus martyr, afferre, quod Homeri videlicet testimonio firmauit Aristoteles, Deum esse in ęthere, quem tamen reiecerat dum reijceret Thaletem. Sed plures vt mihi videtur etiam cōmisit contradictiones hoc vno in loco. Nam dum Platonis opinionem reijceret, Deū in ignea statuentis substantia, & authoritate vteretur Homeri in ea refellenda, qui dixerit eum degere in æthere & nubibus: Alteram sui ipsius firmauit opinionem, quā postea subuertit, alterā tacitò dispulit. Illam quidem qua in supremo quinto corpore nomine ætheris accepto Deū dixerat esse, firmauit, mox euertit, vt paulò pòst docebimus. Illam verò qua nubes ad æthera pertingere nullo pacto in meteoris voluit, ipsam & impugnauit, & sustulit. Nam cùm & in æthere & in nubibus Deum collocasset, propriam quam antè de æthere ipsemet Aristoteles habuerat opinionem, firmauit, mox demolitus est Homeri citando carmen hoc:

Ζεὺς δ' ἔλαχεν οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλαισι.

Iuppiter excepit nebulis & in æthere cælum.

Nā nubes ad æthera pertingere alibi noluit, quas & sub ignis globo repositas censuit. Quare de ętheris loco sententia vacillat, & inferiori etiā sede quàm fecerat Plato, collocare Deū cogitur. Non solùm enim in igne, sed sub igne, vel nolēs reponit cùm reponat in nubibus, quæ sub igne collocātur, aut igitur supra nubes & subtus colloca-

 bitur

bitur Deus, ita vt ignis sedes intercedens vacua censeatur, aut si omnia impleri dicentur, firmabitur etiam opinio Platonis, ne sit, vt putauit Aristoteles, tanquàm impia repellenda, quare dum respexit ad æthera vt impugnaret Platonem tanquàm Deum inferiori quàm ipsum deceret sede collocātem, non respexit ad nubes, quas tamen inferiores igne, tum non aduertens, ipse à se ipso est vel nolens impugnatus. Nec mihi obijciatur id quod dicitur esse in alio multis capi modis, nam quo modo cœpit Plato eodē & cœpit Aristoteles, neq; de eo quod est esse in alio, sed de loci vbi reponeretur diuersitate est orta dissensio, siue Platonis verba, siue dogma impugnauit, quod impugnatum sanè videri voluit, hac in re vt plærisque in alijs, quod cùm multi, tùm & Thomas quādoq; fatetur, quantum verò ad hanc attinet rē, illud subijciam, Platonē in ignea substantia dum collocauit Deum, collocauisse in æthere, quoniam ætherem putauit igneæ esse naturæ, & fieri posset vti eadem in Aristotelem calumnia refunderetur, quam ipse fudit in Platonem, vtpote quia in Deum, vt in sede reposuerit: Quæ quidē calumnia Thomæ verbis in tertio aduersus Gentes non omnino facilè dilueretur, existimauit enim eiusmodi sustineri dicta posse, si sanè acciperentur, vtpote si Deum intelligerent non in aliqua determinata mundi parte conclusum, sed propterea principium corporearum motionum naturæ ordine significaretur motore Deo. Nāq; eo in opere hac de re, quomodo non sit leuis, nec de lana (vt dicitur prouerbio) caprina, sed tanquàm de regno, nec vtiq; paupere lis habetur, idq; potissimùm contenditur, vter magis pius? an qui igneo, an qui ætherio corpori Deū addixerit, inibiq; collocauerit, vterq; tamen impietatis notam nequit effugere, si circumcludere Deū molitur, & loco circumscribere, *qui* (vt inquit Apostolus) *portat omnia verbo virtutis suæ*, & quem cùm inuocamus præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, *Pater noster qui es in cœlis*, non in æthere, non in nubibus, non in vlla definita parte: nam & terram, & cœlum implet, & terrę etiam, & cœlo altissima, & supra quàm dici & excogitari possit excellenti potestate præeminet, & cuius magnificentia super cœlum eleuata canitur in sacris hymnis, quanquam etiam ostenditur eius in cœlo gloria, præ sua inter res corporeas dignitate & prærogatiua, magnitudinis, velocitatis, ordinis, luminis, quapropter nec in nubibus, nec in æthere, nec vllo in cœlo particulari definitoq; debuit reponi, tametsi cœli etiam nomine & æther, & aër capi cōsueuit, vt suprà etiam satis aperuimus, & ex dogmate Platonis Alcinous ęthera partitur in sphærā non errantiū, & errantium syderum, quam quidem non errantiū sphæram syderū extimā, & Plato, & Aristoteles existimàrunt. Alter igitur eorū philosophorum in igne, alter in nubibus, & æthere, vt alteri aduersaretur tanquàm in sede diuersa collocauit Deum, & hac de re satis etiā superq; arbitror annotatum à nobis obiter, & properè, quasiq; in transcursu hæc agētibus, & multa consultò prętereūtib⁹.

Illud enim cur etiam non prętererim, quod secundo Rhetoricorum libro, cùm de locis enthymematum dissereret, Dæmonium dixit aut Deum esse, aut Dei opus, & aliter alibi de dæmonibus decreuerat, vti est etiam suprà à nobis proditum. Prætereo vanitates sternutamēti tanquàm sacri, & auguralis signi, de quo multa scribit in problematibus, cùm tamen alibi augurijs non admodum assentiatur. Sileo vanitatem illam in primo volumine de cœlo repositam, easdem opiniones sine fine accidisse, & alia magno numero figmenta pernitiosissima, quæ ab vno de æternitate mundi falso dogmate fluxerunt. Sileo & illud à Philopono in commentarijs de Anima notatum, improprijs vti illum exēplis consuêsse, & ea contēpsisse, elatione quadā, siue propter (vt eius vtar verbo) μεγαλοφυίαν, & tamen eis creberrimè vtitur. Mitto quod in libro de Sensu omnia corpora dicit colore participare, & tamen alibi cœlestia corpora colorata negat, quæ quintæ, scilicet, sint naturæ, non ex quatuor conflata elementis, de quibus, scilicet color ipse dissultat. In problematibus omnia odorata calida scribit, cùm tamen plæraq; frigida habeantur. Prætereo diuersitatem dogmatū ne contradictionem in præsens appellem, qua vti suprà monstrauimus dum colores modò ex albo & flauo, modò ex albo & nigro conflauit omnes, quod coruū colore immutabilem dixerit in problematibus, mutabilē verò & in libro de Coloribus, & in tertio de natura Animalium, & in quinto de eorundē Generatione, vti superiori libro satis indicauimus, quod naturam multis in locis operum suorū præsertim tertio de Anima libro mirè laudauerit, & quicquam nec superfluo, nec frustrà agere illā sanxerit, & in

primo

primo de partibus Animalium aliquid mirabile in rebus naturæ semper esse dixerit, atq; vt ille Græcè: ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἔνεστί τι θαυμαστόν, & in secundo eiusdem operis naturam rei semper melioris quoad eius fieri potest, authorē fecerit. At in decima problematum particula, illā ipsam prauè omnia facere, & plura praua, quàm proba scriptum reliquerit. Quod animalia quæ branchias habent, pulmone carere, & quæ pulmone carent nō respirare sæpenumerò sanxerit: * Cordulum verò octauo de natura Animalium libro, & habere branchias & carere pulmone affirmauerit, & tamē in terrā meare, & inde cibum accipere pariter scripserit. Quod quidem sine respiratione, non impleri verisimillimum est, sed & eundem Cordulum affirmauit esse quadrupedem, suprà verò paululùm decreuerat, eorum quę humorem recipiunt nullum pedestre esse, nec cibum sibi ex terra petere, quod in quinto de natura Animalium elephātem fœminam coire incipere anno, aut duodecimo cùm celerrimè, aut quinto decimo cùm lentissimè, marem verò quinq; aut sex annos natum superuenire, sequenti verò libro, hoc est sexto, scribit elephantum, tàm marem, quàm fœminā incipere coire anno ætatis vigesimo. Narrat item in quinto elephantum biennio vterum gerere: In sexto verò constat elephantibus alijs annum & sex menses, alijs triennium ferendi vteri tempus statuisse, idq; esse in causa quòd non pateat coitus, suprà verò biennium simpliciter eis adscripserat. Non hoc loco refero quod contra & apud antiquos vulgo existimabatur, & apud Plautum & Plinium legitur, cùm decennij tempus elephāto grauidæ tributum est, sed quæ Aristoteles ipse contra semet attulit, hoc est, elephātes partum modò in sex supra triginta menses, modò in quatuor supra viginti, modò in decem & octo corripuisse. In libro verò de Auditionibus admirabilibus, elephantos tradit & duorum annorum, & decem, & octo mensium spatio procreare, & gemellos etiam parere.

*alij Cordyla

Redeo ad libros de Animalibus in quibus de elephantum vita etiam varia, nam pari pacto in 8. libro elephantos viuere, vt alij dicunt ducentos, vt alij trecentos annos affirmat, at in nono, vt alij aiunt ducentos annos, vt alij centum & viginti scribit. Nec illud non animaduersum, prodidisse libro eodem sexto camelum supra 50. annos viuere, & octauo eiusdem operis, & plus, & etiam minus, id est, magnam eorum partem annos tamen triginta superesse, & nonnullas ad centesimum annum viuendi facultatem protrahere. Humanum item semen in septimo eius operis in fœcunditate damnauit vsq; ad ter septimum annum, quod confutauit, & falsum ostendit experientia. Illudq; omnib. notum, voluisse Aristotelem in fornacibus nasci, & viuere animal magnitudine muscæ grandioris, cùm tamē in 2. de generatione Animaliū decernat nullum animal ab igne generari. Mitto plæraq; reprehensa in libris de Animaliū, & illud pręcipuè in sexto aquilas tædio nutricationis pullum nido expellere, quem excipiat ossifraga, siue cicunia, cui rei Ambrosius v. hexameron aduersatur, & aliam reddit expulsionis causam, id est, explorandi ad Solis radios, quam Aristoteles tribuit in nono libro marinæ aquilæ, id est, haliæto, à qua & occidi scribit filium non pelli, cuius oculi spectato Sole lachrymârint, nec ab ossifraga siue cicunia, sed ab alia aue eiectū aquilæ pullum, & suscipi, & educari scribit Ambrosius. Cæterùm eo in libro nono sibi ipsi aduersatur Aristoteles de aquila ea, quam prodiderat in sexto pulsum nido expellere tædio nutricationis, qui & exciperetur ab ossifraga siue cicunia, neq; enim tædio nutriendi, nec examine iudicandi haliæto mox attributo id censet ab aquila fieri, sed inuidia, cùm inuida sit auis ipsa natura, & maiusculis atq; edaciusculis suis pullis inuideat. Quod autē non reprehensus modò, vti suprà dicebam, sed irrisus etiam fuerit in opere de Animalibus, tanquàm nimia & morosa vanaq; etiā diligentia abusus, in explicandis multis terrestrium animalium conditionibus & affectibus, quæ homini cognita esse non posse existimatur, qui octauum Athenæi volumen legerit, facilè comperiet: & stultorum, & miraculis (iuxta comici sententiam) collata multa esse, quæ ipse de piscibus disseruerit, vti quot annos viuerent pisces, quo pacto dormirent, quomodo commederent, quomodo coirent, & his similia quæ discere illum censent nō potuisse, nisi ab aliquo cui nota essent, speluncæ pro rei vastique cubilia Nerei: Illud sanè non reticuerim quasi ipse secretorum sepiæ conscius, in septimo de historia Animalium (quem nonum fecit Theodorus) atramentum eam scribit fundere non modò cùm metuit, verùm etiam abscondendi causa, & sæpè sine pauore eo vti atramen-

 to, ad

to, ad se occultandum: In quarto verò de partibus Animalium, & sepiam, & alia complura exanguia atque ob id refrigerata, & pauida, fundere ob id atramentum necessariò scribit, vt hominum nonnullis per metum funditur aluus, & excrementum vesicę prodit, sed naturam hoc excremento ad pręsidium & tutelam eorum abuti: Quod autem omnibus ferè notum à se prodit ignoratum in 3. de partibus Animalium, hoc est, cor sine osse omnium, quæ ipse nouit animalium, præterquam equi & boum generis cuiusdam, cùm nihilominus imperitissimæ etiã mulieres, nouerint ceruini cordis os cardiacis opem ferre consuêsse.

Sed enim illud non omiserim quod protulit in 4. de natura Animalium, infantibus pueris nullum penitùs contrahi somnium, sed plurimis anno circiter quarto aut quinto incipere visa. Nũ fortè ille recordabatur cùm primum sibi obseruari per quietem phantasmata cœpêre? an potiùs ab alijs accepit? sed quo pacto capere hanc regulam definiendi principia visorum insomniorúmve potuit? num vero similius est qui vident, qui rident infantes, etiam somnient? num & quadrupedibus, & piscibus largitus est insomnia? cur pueris infantibus abstulit? an si somniant, possunt obliuisci ita, vt cùm fari incipiant, nihil omnino queant de suis insomnijs fabulari? pertinere quoque hunc ipsum locum puto ad ea quæ suprà citauimus, in quibus ostendebamus sibi ipsi Aristotelem contradixisse, si quidem eiusdem operis octauo libro dum de risu & lachrymis infantium dierum quadraginta loqueretur, post paululum eis quæ nuper attulimus de eorum infantium insomnijs aduersa subiecit, somniare etiam, inquit, eos constat, sed serò meminisse possunt imaginum. Qua quidem in re parum, & ipse visus est eorum meminisse, quæ de hac ipsa re quarto eiusdem operis libro prodiderat. Mitto quod & primo de partibus Animalium libro eius quod est impedati atq; impennati non esse differentiam dicat, hac ratione, quod priuationis qua priuatio est nulla sit differentia, sed pennati & pedati, quasi solùm rationalis animalis haberi differentia debeat, non autem irrationalis, cuius tamen multò plures habentur species: non tamen qua priuatio pura in sese, sed quoniam tali re quicquam priuatur: nam priuatio est quæ in subiecto est, apto ad contrarium habitum recipiendum, & quod aliqua re priuatur non statim priuatur omnibus. At inquiet, impedati non est species, quia impedatum non est, certè si non est impedati species, non est irrationalis, æquum enim vtrinque momentum, quod sanè in Aristotele magis miror, cùm primo de historia Animalium libro, partes dicat animalium alias incompositas, quæ in similes sibi partes diuiduntur, & similares appellantur, alias compositas, quódnam rogo discrimen inter incompositum & compositum? interque pedatum, & impedatum, quantum pertinet ad priuantem particulam & regulam diuidendi? Num & impedata etiam reperiuntur animalia? quæ, scilicet, vix habeant pedes, vt apodes, quæ dicuntur aues, & omnino nullos habeant, vt pisces. Sanè nescio, quo pacto tueri hoc posset quispiam, vt ea taceam, quæ de ipsa diuisione ad parandam definitionem superiori libro diximus, & quam ipse sibi Aristoteles ea in re sit aduersus. Dicere quoque possem bilem atram, non qua miscetur aduersis humoribus, sed in sese vt atra est bilis, & calidam esse, & frigidam, illum ipsum in problematibus censuisse: Atque in eisdem vino, illam calidæ, & humidæ naturæ comparasse, ibiq; aliqua igne dixisse calidiora, etiam quæ ipse ignis calefecerit, cùm tamen igne calidissimum statuerit, vtpote per quem alia sint calida: atque idipsum regula, & tanquam lege statuit, id esse, scilicet, magis calidum, per quod cætera calorem assequerentur. Illud etiam memorare possem præcellentiam intellectus, atræ bili permultę calentiq; in problematibus tribuisse, in libro verò de Anima, aptos mẽte dixisse eos, qui molles sunt carne, quam mollitiem sanguis potiùs & pituita, quàm bilis atra constituit: quæ si cõpactior fuerit, duritiem etiam extimam potest inuehere.

Sed abundè videntur hæc vtpote insigniora, nam nec minuta omnia persequi volo, verbi causa, quod trinam dimensionem modò accidens, modò substantiam esse decernere videtur, modò mentem ab Anaxagora cognitam dicat, modò soli sensus cognitioni ipsum mancipet: Mitto propositiones quæ de secundo adiacente vulgo nuncupantur, cùm verbum sum, es, est, æquiuocum sit, & multiplex ad omne genus, & substantiæ, & accidentis, & substantiuè (vt aiunt) capitur pro actu intellectus, & adiectiuè pro eo, quod est existere & in substantiuum verbum resoluitur: Mitto quod circulo

circulo quem in posterioribus reprobat, ipse dicatur vti secundo cœli, monstraturus sphęricas esse stellas, & quod ex dextra cœli parte motũ incipere affirmauit, & quod indiuisile moueri non posse dixerit quod falsum esse & in anima, & in Angelo, & etiã in puncto ipso multi contendunt. Ac sciens prætereà volensq; prætereo multa, quæ illi & Gargetius senior, & Eubulides Milesius, & Cecisodorus obiecerunt, & obiectamenta scriptis mandauerunt. Nec explicatum volo cur ei ab aliquibus pharmacopolę sit indita appellatio: & quanquam scio ipsum probabiliter posse defendi, aliquibus in rebus huiuscemodi, scio & probabiliter quoq; posse reprobari. Nec item magnopere illi ingerere volo, quod & alij reprehenderunt, & non posse reprehendi multi optarent, ea animalia quæ rabidi canes momorderint, rabire omnia, excepto homine, quod falsissimum esse notius est quàm vt debeat comprobari, & quãquàm excusant eum aliqui, ipse tamen idipsum asserit & repetit in octauo de natura Animalium. Nec illud item obijcere illi volo, quod sæpè tamen ille obijcit alijs, quod impropriè & secus etiam contraq; id quod ipsemet aliàs consueuerit loqui, sit locutus: quod semen generationem vocet in libro de partibus Animalium primo, quod etiam id virtutem nuncupare videatur, quod indiuiduum pro specie contraq; speciem pro indiuiduo prodat, quod genus pro specie, & contra speciem reponat, pro genere, & differentiã etiã pro specie collocet, & pro differentia speciem. Eodẽ enim primo libro de partibus Animaliũ vltimas species dixit Coriscũ & Socratem, humana, scilicet indiuidua, & passerẽ, & gruẽ vocauit aues indiuiduas. Item quod substantiæ, formæ, operationis quandoq; nomine, sit abusus: & speciei nomẽ genere quandoq; permutauerit, & diferẽtia speciei vice posuerit, primũ illud notat etiã Themistius in quarto physicorum, notat & Michaël Ephesi⁹ in tertio de partib. Animaliũ, cùm inquit: λέγων γένος τὸ εἶδος, & in primo etiam eiusdẽ operis dixerat: λέγων γένος, τὸ εἰδικώτατον εἶδος: Dicens genus, speciẽ specialissimam. Idẽ quoq; eodẽ libro ijsdẽq; scholijs, obseruat differentiæ nomen vsurpari pro specie scribens: τὸ διαφορὰ, ἀντὶ εἶδος εἶπεν. Nec aliter excusat Aristotelẽ quàm quòd species differentijs constituantur & substantiam essentiámve sortiãtur, quasi non dirimatur alterum ab altero? & proprium sibi non vendicet inter communes quę dicũtur voces etiã vniuersales ipsa differẽtia locũ? sed paulò pòst etiã notat, cõtrà ab eodẽ Aristotele fieri, vti, scilicet, speciẽ sumat pro differẽtia, species enim non constituit differentiam, vt propterea hac in re illum eadẽ ratione defendere moliatur, & sanè itá est, cùm enim ille scripsisset: εἶδός τι ἄτομον τῆς οὐσίας, καὶ ἕν, hoc est, species aliqua indiuidua substantię, & vna, tunc subiecit Ephesius: λέγων εἶδός τι ἄτομον, καὶ ἓν ἐνταῦθα τὴν διαφορὰν, οἷον τὴν διποδίαν, hoc est, dicens speciem aliquam indiuiduam & vnam, hîc differentiam puta bipedalitatem. Idem author est ὅλην μορφὴν, id est, totam formam τὸ σύνθετον, τὸ ἐξ ὕλης, καὶ εἴδους, id est, compositũ quod ex materia & forma, ab Aristotele datum intelligi. Et illud prætercam quod ex 3. de Anima commẽtario Simplicius colligit quædam Aristotelea in dialogo de Anima, cui titulus Eudemus fuit, cui⁹ fecimus suprà in quarto libro mentionem, aliter quàm alij existimãt posita, qua de re etiam meminimus in nostra in tertium de Anima librum expositione. Ac illa quoq; non ad longum explicauerim, quod vnitatem motus ex vnitate magnitudinis trahat atq; constituat, quam nonnulli opinionem labefactant ex grauis corporis descensu, quod imaginemur per elementa delabi, quis enim iuerit inficias vnum eiusmodi cẽseri motum debere, nec vna tamẽ dimensionum magnitudine? Si quidẽ alia sit ignis, alia sit aëris, alia aquæ quantitas, quæ re ipsa atq; suapte natura dirimatur à cæteris, in quibus nihil oberit quòd sint contigua, quando ab contiguis rebus, continua discreuit, & cuiq; suam finitionem ipsemet Aristoteles assignauit.

Ac etiã illud non euentilauerim, quod de virtutis differens medio id cẽsuerit esse, quod sapiens prudénsve decreuerit, quasi diuersarũ sectarum diuersi nõ haberentur sapientes atq; prudentes? quasi & in eadẽ secta non diuersæ sententiæ sapientũ? quasi non eorum diuersa sensa? vt ad ipsam tandem prudentis ideam viri esset quæstio relegãda. Illud vero non irriserim quod in octauo de historia Animalium asseruerit nõ esse fabulam pugnare grues cũ Pygmæis, quanquã Strabo & in secundo Geographię hac de re nõ recipit Demachum & Megasthenem rerũ scriptores Indicarũ, & in decimoseptimo eiusdẽ Geographiæ neminem scribit fide dignum ex visu narrasse. Sunt enim vti superiore libro memorauimus, qui affirment se vidisse Pygmæos multa-

que de eis narrent admiratione digna, viri alioquin & boni nominis & vitæ religiosę. Nec item illud in primo de Anima libro damnârim senem si oculum iuuenis acciperet, non secus ac iuuenem videre, quasi solus oculus, & non totum temperamentum ad acutè exquisiteque videndum concurrat? quasi virtus omnis sensilis habentibus annis in senium non minuatur & debilitetur.

Hæc autem magno viro & de literis multum longeque merito condonanda sunt, quanquàm & ille hæc ipsa vel minora, vel minutiora & veteribus non condonauit. Illud etiam condonandum vti rationes, & argumenta aliorum in ipso confutando nõ colligamus. Nam si Platonicos hac in re sequi decreuissem, qui Aristotelem confutauerũt, antiquos inquam illos celebratissimos, quorum meminimus, ac Gemistum & iuniores, quorum etiam in nostram linguam vertere poteramus facilè monumenta, si Pyrrhonios ipsiusq; Sexti philosophi decem libros haurire, & in nostram transferre linguam, quorum tamen in omnigena doctrina Gentium confutãda magnopere fecimus mentionem, vt ipsæ videlicet Gentes quasi terrigenæ illi, mutuo, vt est in fabulis, vulnere conciderent, si Stoicorum connexa, & retortos gripos, si Medicorum Galeni Gręci, & Auicennę, & Algazelis Arabum, argumenta in vnum cogere voluissem, si Hebræi Hasdai Peripateticę doctrinæ improbationes, quarum multas suprà retigimus, referre omnes statuissem, ingentia aduersus Aristotelem parare potuissem volumina. Sed fortè lectores gratias habituri sunt, quæ ipsi meditati sumus, aliàs nullibi legenda, quàm quæ apud multos olim scripta & aliquibus exposita. Sic & aues etiam non omnino alioqui nobiles, suis pennis quam gracculus alienis picturatus, sanis oculis gratiores, quantum verò ad me pertinet, bene actum mecum videri potest, modò monuisse potuerim eos qui in operibus Peripateticorum examinandis conniuebant, vt aperiant oculos: modò triplicem quam monstrare polliciti fueramus ipsius Aristoteleæ doctrinæ vanitatem (quantum visum est satis) explicuerimus, eoque magis, quod nec alijs ferè armis cum Aristotele sum congressus, quàm quæ, aut nostra tametsi mediocri in exigua veriùs incude fabrefacta sint, aut quę ipsius mihi Peripatetica armamentaria suppeditârint. Nec omnibus etiam vti armis volui, quãdóne facta facerem, Peripateticorum etiam contra ipsum Aristotelem argumenta, aut subsignaui tantummodò, aut paucioribus, quàm potui referens, ad eorum authores curiosum lectorem libentiùs volui relegatum. Sat mihi fuit admonere lectores, vt ipsi per sese curent veritatem abiecta vanitate deprehendere. Quos oratos si Christiani sunt, per communem spem velim: vt candidè, vt syncerè nostrum hoc examen inspiciant, neq; putent me existimasse, quod vndecunque demonstrârim, quod certissimas prorsus in eos, quos confutaui orationes semper attulerim: Neque enim quod alijs derogo, id mihi arrogauerim, sed quæ diuina, quæ sanctorum probatissimorumq; virorum duximus in medium testimonia, ea teneant certissima: nostra verò vtcunq; libet, si non decreta, non inuenta, at saltem placita, at disputata, atq; discussa, aliquibus saltem in locis habeant, si placet, vera, & si hoc detractant non diffiteãtur probabilia. Si hoc etiam nolunt rationibus nostris posse concedi, ad minus eis tribuant, vt quæ authoritatibus eorum quos ipsi magno habent in precio confirmauimus, à probabilitatis limine nõn excludantur, ita nihilominus fiet, vt quod volumus consequamur, quoniam si vel hoc munimine & tanquàm authoramento non abnuant nostra esse probabilia, dicere posteà non poterunt, vt ea quæ repulimus certa sint, cùm id quod est probabile, ei quod eiusdem est generis repugnare quidem possit, ei verò quod est diuersi, & maximè certi planè non queat: Quæ verò probabilia sunt, ea ex toto falsa, aut esse, aut haberi posse, tàm ratio, quàm antiquorum philosophorum atque etiam ipsius Auerrois, negat authoritas.

CAP.

CAP. XXI. & vltimum sexti libri.

TOTIVS OPERIS EPILOGVS, ET CONFIRMATIO, ATQVE exhortatio ad veram doctrinam capessendam.




HActenus itaq; sex libris de Vanitate doctrinæ Gentium, tribus primis de sectis omnibus vniuersum, tribus vltimis de Aristotelea, quæ nunc præ cęteris æstimatur, disputauimus: Quibus libris vti (ni fallor) deprehendere potuimus, cùm alias, tùm eam præcipue quam postremò confutauimus, & falsa esse nixã superstitione, & quoad ipsa attinet volumina, prorsus incertam, sed & in omnibus dictionibus temporum causa & corruptorum imperitia, oppidò quàm ambiguam, sectatorum sententia minimè firmam, interpretũ dissensione versatilem, & chamelæontis instar versicolorem, à Theologis antiquiorib. damnatã, à quibusdam iunioribus vituperatam, scribendi modo frequenter erraticã, plæraq; falsitate labantẽ, demonstrandi arte minimè certam, sensus fallacia nutabundã, definitionis inscitia tremulam, inductionis penuria longè ruinosam. Adhæc & si ars ab eo cognita traditaq; fuisset, eam tamen minimè ab illo seruatam ostendimus, vtpote qui ambigua prompserit in physicis si non falsa, certè qui æternitatem mundi falsam pro vera tradiderit, in meteoris errauerit, in animæ doctrina tradenda vacillauerit, opiniones veterum falsò retulerit, & ex eis quod volebat non ritè collegerit, de Deo non syncerè, non ritè senserit, superstitiones excolendas tradiderit, homicidia suaserit, sibi ipsi contradixerit. Hic ipse tamen Aristoteles magni nũc fit ab omnibus, & tãti quidem æstimatur, vt in numero philosophorum reponatur quispiam sola librorum eius sectione, nec aliud toto sectatorũ eius agatur studio, quàm quid senserit ipse disquirere, & contrarijs opinionibus, contrarijsq; rationibus perpetuò corrixari. Quod si ita debilibus cruribus, & testudineo formicinoque gressu multi sint, vt nunquàm exire peripatum queant, sic intra Lycei septa conclusi, vt adire porticũ non detur, & in Academia spatiari, prætextu rerum sacrarum, quas dicant se velle scire, (quasi illarum ipse sit doctor & non eorum plærisq; & maximè principalibus aduersus) cur tamen in Aristotele perlegendo consenescunt? Traditúsne fuit mundus vniuersus inquisitioni philosophantium? an solus Aristoteles? qui tamen instar omniũ, qui fuerunt in literis præcellentes, nõ vnam, aut duos, aut plures etiam sibi proposuit legendos authores & imitandos, vt nunc ferè fit à plærisq;, aut ignaris, aut oblitis scriptum à Seneca, ingenerosum esse sapere solùm ex commentario, sed de ipsa vniuersi consideratione, vti de quadam, quasi bibliotheca naturæ, suos conficere libros instituit: Cuius tamen bibliothecæ tàm vastum est spacium, vt multæ eius regiones ne dũ anguli adhuc supersint, in quas ille non penetrauit, num & nobis alius etiam propositus est Sacrarum literarum liber, qui scriptus dicitur intùs & foris, qui & liber etiam vitę est appellatus, in quo inspici datum est, quid agere nos oporteat, vt ad ipsissimum tandem librum vitæ conscendamus, in quo repositi sunt Thesauri omnes scientiæ sapientiæq; diuinæ. Quantò igitur omnino rectiùs consilia in melius & referre, & Aristoteli ac cæteris Gentium authoribus modum ponere, & si qua bona apud illos inueniuntur, ea statim ab ipsis tanquàm ab iniustis possessoribus decerpere, & ad Deũ contemplandum vti. Possumus enim rerum naturaliũ speculatione aliqua, in ipsum authorem naturæ sustolli, vt alij præcellenter docuêre, vti nos etiam pro modulo nostræ capacitatis, & in secundo de studio philosophiæ, & in libello de Appetitu primæ materiæ. Sed parua hæc omnino cognitio diuinæ præcellentiæ, diuinæ bonitatis, quare ad veram doctrinam progredi opus est, ad Sacras videlicet literas, in quibus nihil incerti, nihil falsi, repugnantis vti & aliàs à multis, & à nobis etiam alibi planè monstratum. In quibus omnia recta, omnia syncera, præter hæc & captu facilia, & auditu suauia sunt: in quibus & fœlicitatis dogmata & diuinæ bonitatis ingentia præconia, in quibus demùm literariæ fons veritatis, ex quo præclari omnes bibere philosophi quanquàm non eis profuit, cùm inquinata pariter de mortiferis lætheisque gurgitibus aquam potauerant. Omnes etenim philosophos Gentium vel multa, vel quapiam labare vanitate monstrauimus: Namq; dum sua produnt, proditur inde aut superstitio, aut dogmatum falsitas, aut insyncera veritas, certè nulla fœlicitas,

citas, quando fœlicitatis fontem primarium, non exactè ſyncereque perſpexerunt, & quoquomodo cognitum rectè non coluerunt. In eum enim non contentionibus continuis, non inani diſputatione, non moribundis ſenſibus, non ipſam & etiam doctrina humanitùs inuēta rependum eſt, ſed alis fidei & amoris, in eius veritatis, & bonitatis abyſſum per aurum ſpei, diuino flante ſpiritu, prorſus enandum eſt: quod niſi Chriſti gratia fieri nequaquam poteſt. Ergo ad eius diſciplinam properandum eſt, poſthabitis paganorum dogmatis, quæ vana plurimum, & fuiſſe, & haberi debere, Deo auxiliante, patefactum opinor, ſicuti vera omnino eſſe ipſa Chriſtianæ dogmata diſciplinæ. Quæ omnia ſi quis æqua in examinis lance penſauerit, dignoſcet illa, de quibus diximus Gentium dogmata inuentum prorſus & perinane, præ ſua leuiſſima vanitate tolli, noſtræ verò præcepta religionis ſupra quàm dici poteſt præ ſua veritate, & ſolido nimirum fundamento propendere: De cuius etiam veritate & pondere peculiare opus à nobis eſt editum, cui Theoremata de fide nomen indidimus. Sed illud tamen cognoſſe operæprecium eſt, hæc quæ ad intellectus eruditionē pertinent, non ſatis eſſe ad fœlicitatem, quæ recta, ſynceraq; voluntate, & eo qui de ipſa prodit amore, paratur & obtinetur: de quo quidem amore quatuor libris diſſerere cōſtituimus (vt aliâs ſcripſimus.) Quibus in omnibus quicquid veri & boni, id totum Deo, à quo omnis veritas & bonitas, referri acceptum volo, ſi quid verò fortaſſe falſi & mali, aut in hoc, aut in alijs quibuſcunq; noſtris operibus deprehenſum fuerit, in noſtram imbecillitatem referatur, nullo pacto in voluntatem. Namque non ſolùm Catholicæ Eccleſiæ iudicio, quod nemo verè Chriſtianus declinare poteſt, me meaque omnia ſubiecta intelligi volo, quod & aliâs ſum planè teſtatus, ſed etiam limæ atque cenſuræ cuiuſcunque me & amabiliter, & iuſtè corrigentis, cui magnas etiam habiturus ſum gratias & relaturus, tantum aberit, vt proterua contentione eius ſententiæ, ſi veram agnouero, non acquieſcam, quandoquidem omne verum & bonum (vt diximus) ab ipſo Deo eſt, ipſi ſoli ſine fine honor & gloria.

FINIS.

IOAN-





JOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLAE DOMINI ET CONCORDIAE COMITIS

EPISTOLARVM LIBER I.

IOANNES FRANCISCVS PICVS Lu. Ri. Sal.



SINOPEVM illum Diogenem legisse me olim memini dum Corinthios Philippi Macedonis metu bellicis negocijs accinctos cōtemplaretur, aliosq; præparare arma, lapides alios afferre, nōnullos mœnia reficere, & firmare propugnacula cerneret, succinxisse vestem & doliū id, quo vice domus vtebatur, celeritate multa, studioq; vertisse, ac supra caput infraque rotasse: Interrogatum autem quid faceret, respōdisse, voluere se dolium, ne inter tot operatores agere solus ocia videretur. Ego verò inter versandum meas & nullo temporis ordine seruato reuoluendum & in vnum redigendum epistolas, interrogatus quid mihi esset negotij, par penè responsum vsurpare possem, illudq; afferre, nolle me comicos illos milites imitari, qui ferunt hastas, inhiantque silentio: Multi enim suas vel ex professo fictas epistolas publicauerunt, vel amicis re vera perscriptas quo faberrimè polirentur ad incudem reuocauerunt: Alij eas amicorum rogatu simul collegerunt & in publicum legendas destinârunt: Nonnulli autem vel vita functorum, vel viuentium multa cura conquisitas publicârunt. Ego item meas ob id reuisendas, & amicis monstrandas in manus sumpsi. Quapropter si eis ipse responsis vterer, viderer quoquo modo negotium redimere, quibus verò nostrum magis ocium placuisset, idque præponderare decernerent negocio quo præclara non promeretur vtilitas, si versatilis dolij considerent emolumenta, nostro certè operi non succensebunt: Sed si te laudatore id nos egisse deprehenderint, conquiescent. Tot enim à te mihi ex Lilio relata, vt non potuerit mea tuæ præclaræ sententiæ conscientia non cedere, qui inter literarios ætatis nostrę censores diu tibi primas vendicasti: Tui tamen rationem sensus in re mea sæpè reputans mecum sedulo examine, amorémne, adulationémve saperet, an ex amussi prodiret iudicij. Ex æquo penè tollebatur alterutra libræ lanx, quando hinc amorem erga me tuum, & crebra laudatio, inde rigidum & constans iudicium appenderentur: Tandem aduersus affectum à iudicio steti quod nihilominus aliqua leniretur delectatione, non doctrinæ, non eloquentiæ, sed fortè nouitatis quæ sæpenumerò senes (patere id quęso) solent oblectare, quorum animi palatus veterum diuturna lectione fatiscunt: Recreantur autem nouis, quamuis deterioribus, quemadmodum allia, raphani, & acida ferè omnia, gustus, eluonū, qui phasianis, pauonibus, hicca, mullo, marcēt, irritantur. Sunt aūt nostra antiquorum nō cōparatione, sed nostri etiā tēporis authorū noua, vel non omni ex parte similia, nec opera duntaxat maioris momēti, quorū tàm stylus & materia quàm tituli peculiares: sed ipsę de quib. agimus epistolę, quas nō temerè reperiretur, q prorsus cōformes iudicaret, tàm multis quę diu edita in vtraq; lingua sunt, aut materia, aut forma dicendi. Id autē euenisse putauerim, quoniā alios vidimus qui rotunditate & grauitate, salib. alios & copia qui laudarētur, alios q vt in quadrū redigerentur concupiscerent, alios quib. probaretur magis vt nō Phidię clypeū, sed quod ille inquit Scopę dissoluerentur. Alijs consilium esse obseruauimus ne verbū promerēt quod inueniri non posset eis in libris qui Iulij Cæsaris & Octauij tēpore conscripti fuissent, è cōtra probari ab alijs Ciceronis sensū affirmantis decere linguam Latinam locupletari & noua effingere nomina, modò

Latina moneta videatur percussa, & Horatium in primis commendari qui cecinerit:

— licuit, semperq́ licebit:

Signatum præsente nota producere nomen.

Sed & alijs Catoniana & Plautina verba magno in vsu esse. Ad hæc nonnullos quos periodi, crebræ sententiæ, argutiæ, sonus atq; concinnitas detinerent, nonnullos etiam negligentia delectaret, totq; esse, quot scribentium capita, scribēdi normas. Sed & alijs communem & arreptam de foro structurā placere: Alios delectare remotiorem reconditam, quasiq; venustate abolitam, & abusq; Carmente scrinijs repetitam. Hoc ipsi contemplantes in hoc nos albo posuimus vt quoscunq; semper, & optimos in primis legeremus, sed neminem vnum sequeremur. Nec ideò id sumus arbitrati vt Platoni auscultaremus, aut Flacci scommata deuitaremus, nec rem vt prudētis exemplum pictoris æmularemur illius qui artis profectum suæ acceptum populo retulit. Sed quod vti mihi videtur tot animorum, quot corporum facies sunt, nec earum similitudo, si qua est, imitatione, sed natura exprimi, & constare videtur. Nam fucum & cerussam & stibium vanitas ipsa consequitur, quæ si calamistro cincinnos quit inflectere, & suspensis etiam caliendris adulterare faciem, veram tamen figuram, & membra, & liniamenta non potest: Quod si multo studio, diligentia & arte probari quandoque scriptoris effigiem cuiuspiam morosa nimis æmulatio mentitur, euenit arbitror illi vt Abderitis olim cum Lysimachi regis tēpestate, Euripidis Andromede quam recitaret Archelaus operam dabant: Excalefacti enim & febre succensi tota vrbe carmina ita decātabant, vt populus vniuersus Tragœdus euasisse crederetur: Demùm accedente hyeme refrigeratoque aëre nugacitas illa quæ fuerat æstu contracta dissoluta est. Euenit, inquā, arbitror vt multi, qui aliquo in vno quempiam neglectis alijs imitati sunt si extra materiam ducantur, aliudq; omnino tractent quod perinde non inueniant in eo authore in cuius verba cæsa, cola, circuitus iurârunt, risui pateant bonæ simiæ nec secus possint illis similes credi, quàm ea prorsus animalia quæ rustici pictores delineant, cùm illis titulos omnino subscribere necesse habeant, vt dignoscantur. Et sanè qui semper asseclæ volunt esse, nunquàm præcedunt, & qui semper pictorem aliquem fictorémve imitantur, frequenter decidunt ab exēplari. Quippe cùm penè sit necesse vt apographum ab antigrapho degeneret. Optimum imitationis genus eos æmulari qui optimi, & peculiares eorum virtutes quantum datur enancisci, ita nihilominus ne propriam naturam, ne veram genuinamque faciem inuertas, vt similis euadas, & eo quoque pacto vt memineris ipsum cui primas omne Latium, & Roma defert: Ideam esse duntaxat consummati locutoris affirmauisse, & partem voluntati, partem naturæ tribuisse, quæ te vni quàm alteri similiorem produxit. Tametsi non eo inficias quempiam alicui aliqua in re similem quoquomodo fore, in alia dissimilem, qua videlicet alteri congruerit magis, tamen est vnicuique, vt sic dixerim suus animi vultus, & propria quædam ac natiua imago spiritalis, quæ ita de affectibus plærisque vt ex multis membris corporea illa dissultet. Alium enim videris grande quiddam semper, nunquàm plebeum, aut triuiale prę se ferre: alium humo nunquam se tollere, vulgi sermonibus delectari, tantumq; ab illo distare, quàm à Gigante Pigmæus: alios inter vtrumq; positos mixtum quodpiam ex alterutro concinnare: sed & alios bellico clangore delectari: alios quietis disputationibus distineri: alium festiua & iocosa, aliū seria demulcere: quærimonijs aliū foueri, nec quicquā admittere quod lugubre non sit & mœstius vt (ille inquit) lachrymis Simonideis. Cùm itaq; vitia in his & virtutes esse conspicuum sit, naturale illud & proprium dicendi genus virtutibus ornare conuenit: igitur ex hoc voluntatis propensio, ex illo iudicium hauriat, non omnia, sed quod rei de qua agitur, quod causæ, quod tempori congruū arbitratur. Namq; quod ille in vniuersum protulit ad dicendi filum commodè referri potest: *— nihil omni ex parte beatum.* Quid? quod & ipsi etiam probati scriptores sibi ipsis quandoq; dissimillimi, vel data opera, vt in Ciceronis epistolis ad Atticū, & Platonis liquet, quas affectata obscuritate veluti nebulis interdum offuderunt viri alioqui eloquio limpidissimo, & illustrissimo: vel ita etiā quasi trahente natura, quando vti non eadem semper tractanda materia, quæ pro sui diuersitate & finiū varietate multifaria diuersum exigit filū, ita nec dispositio corporis, nec animus, nec tempus æquè suppetunt. Adde quod si respondeas, sępè te alterius stylum vel demittis vel sustollis,

ftollis, adde & illud quod ætatis decurſu mutatur ſæpenumerò figura dicendi. Vnde Cicero ſcribit orationem ſuam cœpiſſe caneſcere. Et variæ quoq; & ſubitariæ animi affectiones vti corporis faciem vniuerſam: ita linguam & ſtylum immutant. Et aliud quoq; extemporalis iactat neceſſitas, aliud meditata celeritas voluit, aliud ſtatuit in decennium preſſa maturitas. Quare fieri non difficile poteſt, vt ſi commoditates multæ cuipiam vni aliquando adſint eo in negocio, quo illis primoribus & anteſignanis aberant, ſine imitatione illi ſuperentur, ſicuti quiſpiam minimè negauerit ſanũ & vigilantem puerum rectius viro vel ſopito, vel ebrio locuturum: Adde quod nec noſtro etiam tempore laſſata natura viribus, vt ex ſeſe promere nequeat, quæ digna laude, nec veteribus perſpecta cenſeantur, qui etiam à ſuo ſeculo calumnias non effugêre, non ſolùm vt de quibuſdã nęuis & cicatricibus notarentur: vt Vergilius, vt Homerus, ſed vt de contractis penè dixerim morbis taxarentur: Nam barbariem Aeſchines in Demoſthene cauſatus eſt, Patauinitatem Aſinius in Liuio, Indiligentiam in Cæſare, Criſpo quoq; Saluſtio obſoleta verborum vetuſtas vitio data eſt: Brutus & alij Ciceronem damnauerunt vt elumbem, vt fractum, vt Aſianum, vt in repetitionibus nimium, vt in ſalibus frigidum, vt viro molliorem. Sed in ſyluam cur ligna fero? ad mea redeo, hoc eſt, noua, quibus delectaris, & ideò mitto quæ ſi probaueris, à maleuolis defendito, ſi non probaueris, caſtigato, & cum illis te ipſum etiam qui olim ea probaueris. Vt autem nouimus conandum vt rectè ita ſcimus vtcunq; dum aliquo vrgemur officio ſcribendum eſſe, ſed illud in primis vt par eſt maiorem in componendis animi affectibus quàm in ſententiarum nexu, quàm in verborum collocatione diligentiam impendi oportere.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVL.
Ioanni Pico Patruo Sal.

QVantum tibi Patrue debeam nec explicare ſcio, nec ſi ſciam poſſim: Idq; nihilominus maximè velim tot in me & tanta beneficia, ſcilicet, extiterũt ex te vt obrutum me fatear, & illud maximè, quod ſi illius vnquàm ſaluberrimi dogmatis: Noſce teipſum vim percepi, & fructum tibi vni poſt Deum id totum acceptum referri debere, & ſentiam, & prædicem. Inſtituta vitæ plæraq; mutaui, ex prophanis me ad Sacras literas perlegendas contuli. Multis quę prius conſectabar, nuncium remiſi, ſed aſſuetudine lubrica (vt nunc viuitur) plurimùm vexor, ob idq; ad te identidem redire oporteret, eoque magis quod inſultant mihi nonnulli, quibus nouum hoc inſtitutum diſplicet, vetus placebat. Quibus de cauſis fit vt arreptum viuendi propoſitum concutiatur quandoq;, vacilletq;. Cura igitur vt tuis literis confirmer, dum hac ipſa locorum intercapedine diſiungimur. Vale.

IOANNES PICVS MIRAND. IO. FRANCISCO
nepoti Sal. in eo qui eſt vera ſalus.

DIſcedenti tibi à me plurimas ſtatim ad malum oblatas occaſiones quæ te perturbent, & arrepto benè viuendi propoſito aduerſentur, non eſt fili quod admireris, ſed neq; quod doleas, aut expaueſcas. Quantum illud potiùs eſſet miraculũ, ſi tibi vni inter mortales ſine ſudore via pateret ad cœlum, quaſi nunc primum & fallax mundus, & malus dæmon eſſe deſineret, aut quaſi tu in carne adhuc non eſſes, quę concupiſcit aduerſus ſpiritum, & (niſi ſaluti noſtræ vigiles perſpexerimus) Circeis ebrios poculis in prodigioſas brutorum ſpecies illecebroſa deformat. Sed & gaudendũ tibi eſſe affirmat Iacobus ſcribens: *Gaudete fratres cùm in tentationes varias incideritis*, nec immeritò, quæ enim ſpes gloriæ, ſi nulla ſit ſpes victoriæ? aut victoriæ locus quis eſſe poteſt, vbi pugna non eſt? vocatur ad coronam qui prouocatur ad pugnam, atq; ad eam præſertim in qua nemo vinci poteſt inuitus, neq; alijs nobis, vt vincamus viribus opus eſt quàm vt vincere ipſi velimus. Magna Chriſtiani felicitas, quanto & in eius arbitrio poſita eſt victoria, & omni vincentis voto, omniq; expectatione maiora futura ſunt præmia. Dic quæſo, fili chariſſime, eſtne aliquid in hac vita ex his quorum libido terrenas agitat mentes, pro quo adipiſcendo nõ multi prius ſubeundi labores, multa indigna & miſera tolerãda ſint. Bene actum ſecũ putat mercator ſi poſt decennem nauigationem, poſt mille incommoda mille vitæ diſcrimina rem ſibi comparauerit

uerit paulò vberiorem. De militia seculi nihil est quod ad te scribam, cuius miserias ipsa satis te docuit & docet experientia. In principum gratia promerenda, in ęqualium amicitijs conciliandis, in honoribus ambiendis, quæ moles molestiarum, quantum anxietatis, quantũ sit sollicitudinis ex te ego discere potius possum, quàm te docere, qui meis libris meo ociolo contentus, à pueris vsque intra fortunam viuere didici, & (quantum possum) apud me habitans nihil extra meipsum suspiro vel ambio. Ergo terrena hæc caduca, incerta, vilia & cum brutis quoq; nobis communia, sudantes etiam & anhelantes vix consequemur, ad cœlestia atque diuina quæ nec oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; cor cogitauit somniculosi, & dormientes, & prope modũ inuiti à dijs trahemur? quasi sine nobis aut Deus regnare, aut cœlestes illi ciues beati esse non possint? Profectò si terrena felicitas ociosis nobis compareretur, posset aliquis laborem detrectans malle mundo seruire, quàm Deo, sed si nihil minus quàm in via Dei, imò longè magis in peccatorum via fatigamur (vnde illa vox damnatorum: *Lassati sumus in via iniquitatis*) non potest non extremæ esse dementiæ, ibi nolle potiùs laborare, vbi à labore itur ad mercedem, quàm vbi à labore itur ad supplicium. Mitto quanta sit illa pax, quantaq; felicitas animi,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa, quæ proculdubio voluptatibus omnibus quæ possideri, vel optari possint in vita longè præponderat. Quid enim optabile in voluptatibus mundi, quæ dum quæruntur fatigant, cùm acquiruntur infatuant, cùm amittuntur excruciant. Dubitas, fili, impiorum mentes perpetuis curis non agitari, verbum est Dei qui nec falli potest, nec fallere: *cor impij quasi mare feruens*, quod quiescere non potest, nihil enim illis est tutum, nihil pacatum, omnia curas intentant, omnia mortem: hísne igitur inuidebimus? hos æmulabimur? & obliti propriæ dignitatis, obliti patriæ, Patrisq; cœlestis, horũ nos ipsi, cùm liberi simus nati, vltrò mancipia faciemus, & vnà cum illis miserè viuentes, morientes miserius, miserrimè tandem æternis ignibus affligamur.

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca, quis non videat vel luce clarius, hęc omnia esse ipsa veritate veriora, nec tamen facimus quæ facienda esse cognoscimus, sed hæremus adhuc,

Nec quicquam cœno cupientes auellere plantam.

Occurrent tibi, fili (ne dubita) in his præsertim locis, in quibus habitas, innumera singulis horis impedimenta, quæ te à proposito sanctè beneq; viuendi deterreant (& nisi caueas) agãt in præceps. Sed inter omnia exitialis illa est pestis, versari inter eos dies & noctes, quorum vita non solùm omni ex parte illecebra est peccati, sed tota in expugnanda virtute posita sub imperatore diabolo, sub vexillis mortis, sub stipendijs gehennæ militat aduersus Cœlũ, aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius. Tu autẽ clama cum propheta: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum: hi sunt enim ques tradidit Deus in passiones ignominiæ & in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, plenos omni iniquitate, plenos inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, insipientes, incompositos, sine affectione, sine fœdere, sine misericordia. Qui cùm iustitiam Dei quotidie videant, non intelligunt tamen, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Tu igitur, fili, noli illis placere quibus ipsa displicet virtus. Sed illud Apostoli tibi semper sit ante oculos: *Oportet Deo magis placere, quàm hominibus*, & illud: *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Inuadat se sancta quædã ambitio, & dedigneris eos tibi vitæ esse magistros, qui te potiùs præceptore indigeant, longè enim decentius vt ipsi tecum bene viuendo homines esse incipiant, quàm vt tu velis per omissionem boni propositi cum illis turpiter obbrutescere. Tenet me (Deum testor) aliquando extasis quasi & stupor quidam, cùm mecum incipio studia hominum, aut (vt dixerim significantius) meras insanias nescio an cogitare potiùs quàm dolere, mirari an deplorare? Magna enim profectò insania, Euangelio non credere, cuius veritatem sanguis martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, mundus testatur, elementa loquuntur, dæmones cõfitentur. Sed longè maior insania, si de Euangelij veritate nõ dubitas, viuere tamẽ quasi de eius falsitate non dubitares. Nã si illa sunt vera, *difficillimũ esse diuitẽ ingredi regnum cœlorum*, quid cumulãdis quotidie diuitijs inhiamus, & si illud est verũ,

quæren-

quærendam gloriam non quæ ex hominibus, sed quæ ex Deo est, cur de iudicijs hominũ semper pendemus? Deo placere nemo est qui curet, & si firma in nobis est fides, futurum aliquando, vt Dominus dicat: *Ite maledicti in ignem æternum.* & rursus: *Venite benedicti, possidete regnum paratum vobis à cõstitutione mundi:* cur nihil minus aut timemus quàm gehennã, aut speramus quàm regnũ Dei? Quid possumus aliud dicere quàm multos esse nomine Christianos, sed re paucissimos. Tu verò, fili, contende intrare per angustam portam, nec quid multi agant attende, sed quid agendũ, ipsa tibi naturæ lex, ipsa ratio, ipse Deus ostendet. Neq; enim aut minor tua erit gloria, si felix eris cum paucis, aut leuior pœna, si miser eris cum multis. Erunt autẽ duo præcipuè præsentissima tibi remedia aduersus mundum & sathanam, quibus quasi duabus alis de lachrymarum valle tolleris in altum, eleemosyna, scilicet, atq; oratio. Quid enim possumus sine auxilio Dei? aut quomodo ille auxiliabitur non inuocatus, sed & inuocantẽ te certè nõ audiet, qui inuocantem priùs pauperẽ non exaudisti: neq; enim decet vt te Deus hominem non contemnat, qui priùs homo hominem contempsisti. Scriptum est: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* & alibi: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Cùm autem te ad orationem inuito, non ad eam inuito, quæ in multiloquio est, sed quæ in secreto mentis recessu, in penetralibus animi, ipso affectu, loquitur Deo: & in lucidissima contemplationis tenebra mentem Patri non præsentat modò, sed vnit ineffabilibus quibusdam modis, quos soli norunt experti, nec curo quàm longa sit oratio tua, sed quàm efficax, quàm sit ardẽs, interrupta potiùs suspirijs, quàm perpetua, quadã serie dictionum, numeroq; diffusa, si tua tibi salus est cordi, si tutus à diaboli laqueis, à mundi procellis, ab inimicorũ insidijs, si Deo gratus, si fœlix tandem esse desideras, fac nulla prætereat dies, qua vel semel Deum tuũ per orationẽ non adeas, & prostratus ante eum humili piæ mentis affectu illud non de summis labris: sed de imis visceribus clames cum propheta: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, sed secundùm misericordiam tuam memẽto mei propter bonitatem tuam Domine.* Suggeret tibi cùm spiritus qui interpellat pro nobis, tùm ipsa necessitas singulis horis, quod petes à Deo tuo, suggeret & sacra lectio, quã vt omissis iam fabulis nugisq; poëtarum semper habeas in manibus etiam atq; etiam rogo. Nihil Deo gratius, nihil tibi vtilius facere potes, quàm si non cessaueris literas Sacras,

Nocturna versare manu versare diurna.

Latet enim in illis cœlestis vis quædam viua & efficax, quæ legentis animum (si modò illas purè humiliterq; tractauerit) in diuinum amorem mirabili quadã potestate transformat. Sed epistolę iam fines excessi, trahente me ipsa materia & mira quadam charitate, quam tecũ semper, tùm ex ea præsertim hora sum prosecutus, quæ sanctissimi tui propositi factus sum certior. Illud postremò te admonitum velim (de quo hîc etiam cùm mecum eras, tecum sæpè locutus sum) vt duo hæc nunquam obliuiscaris, & filiũ Dei pro te esse mortuum, & te quoq; etiam si diu vixeris, breui esse moriturũ: his quasi geminis stimulis, altero quidem timoris, amoris altero, vrge equum tuum per breue stadium momentaneæ vitæ ad præmia felicitatis æternæ, quando nullum alium finem præfinire nobis aut debemus, aut possumus, quàm vt perpetua vtriusq; hominis pace infinito bono sine fine fruamur. Vale & Deum time. Fer. 15. Maij 1492.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
I. B. Refrigerio Sal.

FLuctuaui, Refrigeri, magno in salo, nec iactato mihi diu portus vllus, aut fida statio sese offert: Noui pridem nauigationes eiusmodi, vt plurimùm naufragia sequi solere, sed ideò noui vt ex ipsa notitia geminus me dolor excruciet, quandoquidẽ si clauum desero mare vndiq;, & vndiq; cœlum sæuaq; tempestas proximis scopulis nauem collidet: Si gubernationi parte alia institero, procellis adeò turbinibusq; fragilis cymba perpetuò voluetur, vel truculentibus vorticibus vt absorbeatur, maximoperè metuendum est: Quò fit vt nec laudem mihi quemadmodum scribis, nec victoriam aut comparare possim, aut sperare: Quid igitur agendum mihi? auxilium diuinitùs inuocandum, cuius ope fatiscenti iam carinæ, & ob crebras rimulas vndis semiplenæ (quod humana vi fieri nequit) succurratur. Quod de pace scripsisti pergratum fuit: sciasq; velim nil optabilius mihi, aut esse, aut fore: Pace ea, quæ nec subdola

sit,nec multis operta tunicis, sed pura,sed simplex, atq; ad eius exẽplum formata quã Christus Dominus discipulis credidit:Magnoperè tamen ambigo ne frui illius fructibus possimus,cùm intestina hæc & plusquàm ciuilia bella exigere suapte natura videantur potiùs iustitiæ gladium, quàm oleum pacis: Neq; enim delinire fomentis inueteratum vlcus operæprecium est, sed pungere, sed acie durissima findere, quò tabida illa, & diu retenta lues, aut effluat penitùs,aut paulatim euaporet in auras resoluta: Subpeditabit arbitror sententiæ culter optatam pacem, vtpote cùm aduersarij locus, quo confugiant non condonetur,nec angulum in quo se condant inueniant. Hoc vbi effectum fuerit, legati de pace mittentur, alioqui non datur cernere quî fieri possit vt promittere nobis ipsis requiem possimus: Nam præter id quod regnum duos non patitur,& quod veritate ipsa referente,*si diuisum in se fuerit desolabitur*,cuius rei exempla, tàm ex Gentibus, quàm ex nostris est videri cùm plurima insunt nobis peculiaria quæpiam negocia,ob quæ si ea nactus non fuero, quæ & Cæsar tradidit, & Galeottus parens testamento reliquit: Illud magnopere formidandũ,ne seditionibus continuis æstuemus: Testis est conscientia me, nec ambitu illo anxio, nec diuitiarum cupidine primatum hunc alioqui ob multas rationes debitum & adiudicatum quærere, sed video nisi vnus sit princeps,malè se res nostras habituras: Adhuc non incuso fratres,sed simultates plurimas causor, quæ inter ciues exortæ ex pluralitate principatuum magnum incrementũ suscipient & in odia perniciosa atq; etiã in cædes (vti vereor) conuertentur: Culpo etiã familiarium nonnullorũ vitam ad flagitia propẽsam,quibus ciuilis pax perturbari plurimùm solet:Hi si aurigante me iustitiæ frenis non cohibebuntur, formidini est, ne laxatis habenis ruant:cùm ob consuetudinem lubricam,tùm ob licentiã non mediocrem, quã ex eis quos stipant nanciscentur?Hæc nisi sint,mi Refrigeri(placidam mediocritatem,quàm turbulentas diuitias malo, & optimè regi,quàm cum dispendio regere)optabilius mihi philosophiæ studijs nõ nihil imbuto,& præceptis Christi in primis addicto: Quid enim asperius,aut horrendum magis compositæ iam menti,quàm popularis stridor,quàm controuersiarũ ciuilium discussio? Quid abhorrens magis à tranquilla illa studiorum quiete, quàm hostium incursus formidare, quàm æqualiũ amicitias cõciliare,quàm inire fœdera, quàm venena metuere,nec nisi prægustatos cibos sumere,quàm quid vbiq; terrarum agatur gratia tuendæ ditionis anxiè sciscitari,quæ, scilicet,incommoda circumstatura me non ignoro,tametsi affluant ex voto quęcunq; postulo: Ad ea tamen ferenda me quoad possem accommodari: & quia ab ipso naturæ ortu & legibus ipsis ad hæc obeunda munia videor destinatus, & quia complurima cessatura mala bonaq; non parũ multa emersura considerẽ, tùm illud adde, quod aliubi nec mihi,nec thori cõsorti, & liberis,& familiarib⁹, quies offertur. Cæterùm non parũ miratus sum retenta Mediolani Cæsaris decreta mihi fauentia,quæ magno vsui essent si huc perferrentur, sed hac de re fusiùs ad vxoris auunculos sum scripturus. Nonnihil enim sum veritus,ne pecuniolæ tensa sint retia: Quæ tantò magis insidientur, quantò magis latitent, ei autem quem lucri cupidũ subodorasti,non defuturum me credas modò à te certior fiam quid opus sit facto,vt vexationem redimam,quanquàm nihil ille pro me,nisi fortè ex accidenti dum hero tuo videlicet & fratri gratificatur. Cura demùm qua potes ratione vt priuilegia trãsmittantur, & quæ istuc misi doctorum virorum consilia,mandenturq; nostri Cæsaris nomine (vt iam conueneramus) ne ferre sententiam differant priuilegijs & parentis Galeotti testamento nixam: tantum de te mihi polliceor,quantum te exhibes atq; eò etiam plus quod in re mea tot nõ potes efficere: Quin plura etiam (qua es in me charitate & beneuolentia) sperem. Vale Mirandulæ 11. Nonas Quintiles.

ZENOBIVS ACCIAIOLVS
Ioan. Franc. Pico Sal.

NEque olim perijt libellus de Phantasia tuus ad me missus, sicut ego meis ad te significâram,neq; nunc iterum duo codices à te missi nequicquam habendi sunt: tua enim omnia sunt eiusmodi, vt vel centies repetita gratissima esse oporteat. Itaque boni consulo, quod opinaris intercidisse primum librum, & quantum video ratione boni communicandi hoc contigit: Ego enim ingenuè fateor, quanquam inter nos sint fratres communia omnia, tamen ita libello tuo afficiebar, vt mihi soli illũ vellem.

vellem, neq; penitùs alijs habendum communem existimarem: Nunc quando ita locuples fuisti dandis muneribus, vt neq; commodum nostrum imminutum volueris, & factum alienum, agimus tibi gratias omnes, quantas quimus maximas, & te doctrinæ pariter, & munificētiæ laudamus. Itaq; addetur, hoc volumē reliquis tuis in nostra Bibliotheca libris cum solenni monumento amoris erga nos tui, quod pro te visamus, & alloquamur: Nam quod ad orationes pro te fundendas attinet, nihil erat opus muneribus, ita sumus omnes memores tui, & vestri omnium: Facilè patior Eusebium à me versum, celebrari per te ac publicatum iri, non quidem vllo gloriolæ studio, sed communis potiùs vtilitatis ergô: Puto enim præsens esse antidotum contra venenosas Philostrati fabulas: Itaque si is apud me esset, traderem nunc illum famulis tuis ad te: Sed iam biennium Archetypus ipse emendatior factus, apud Aldum Manutium cubat, spe impressionis à me olim elicitus: Rogo itaq;, mi Pice, da operam quantum potes, vt venenum illud Græcanicum sine antidoto ἀσεβὴς ἀσεβεῖ ne prodeat in vulgus, nulla me pulsat gloriosæ titillatio, sed occurrendum puto emersuræ fortasse superstitioni. An'non vides quot capitibus in nos hæretica quotidie hydra consurgat δεῖ τοῦ ἡρακλέους πρὸς ἄμυναν. Audisse te puto quantū terriculi nuper ex Arabia prodierit, dum iuuenis inde vicennis magna vi animi & corporis in Persas vsque, & Tauros, cum multis hominum millibus penetrauit, inquiens se à Deo missum ad communitatem rerum omnium hominibus inducendam, profugandamq; auaritiam, Deus faciat à se missus veniat, ne sub adoratione Christi veniat lupus in vestimentis ouiū, qui non intrans per ostium, sed aliunde, tanquàm fur mactet oues & perdat. Quid sentias de hac omni re, quid audieris, quæso te, vt mihi sedulò perscribas, præsertim qua sit patria, & quo nomine. Vale in Domino, & me ama. Florentiæ pridie Idus Maij.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Zenobio Acciaiolo Sal.

DElector adeò tuis literis, desideratissime Zenobi, vt ferè optandum mihi sit carere aliquo, quod præstare per literas possis, vt subinde eas crebriter eliciam, tanta in illis & eruditio, & excitatio, quorum altero doctrina imbuor, altero ad præclarum quidpiam vel agendum, vel saltem audiendū identidem commoneor: Eusebium tuum quærenti mihi, vt faciliùs Philostrati deliria retorquerē, tanta incessit cupido pariendi iam quod parturieram, vt periculum fuerit ne grauidus animus in abortum desierit, quò faciliùs rem teneas, scies me nonnulla volumina de Rerum Prænotione instituisse, augustior & ambiens magis inscriptio est quàm polliceatur prophetiæ nomen, quamq; vel oraculorum, vel diuinationis angustijs coërceatur: In eo omnia quantum Deus Optimus fauerit & studium atq; ocium eo ipso illustrāte suppetia attulerint, quæ de præsensione futurorū, aut apud alienos, aut apud nostros tacta sunt: Additis non parùm multis quæ repagulis ad hanc diem continentur spiritali classico nondū prouocante, id impulit me vt efflagitârim versum abs te aduersus Pythagoræi Hieroclis insanias Eusebij librum: Græcum quidem apud me Eusebij volumen est: sed cui minùs cōfidam quod ex fide minimè scriptū est, tùm ob offusas (quod scis) in archetypo quandoq; tenebras tuæ lucem interpretationis desiderâram. Significaui tamen vt Philostrati veneno nuper Bononiæ Latinè diffuso, Eusebij Alexipharmacum propinarem, optasse me vt translationem, quæ iam Venetias ad Aldum Manutium perlata fuerat, mihi communicares ab Aldo nondum formis excussus liber, nec breui (vt accepi) excudetur: rogo te vt mittas, qualecunq; est archetypū, quāquàm verubus fortasse confossum & stigmosum: nil enim damni accedet ex vulnere, nil dedecoris ex cicatrice: Istiusmodi vulnera, sanitatem, cicatrices, decorem afferunt: Si id efficies, mala quæ iā ex Philostrato prodeunt, fortasse auertes ex impressione tui libelli: Ego (quod ad me attinet) dabo operam vt in ipsis quę adhuc parturio voluminibus, agnoscātur magicæ Tyanæi vanitates ne sub philosophiæ & religionis nomine cæcutientibus oculis præstigiosè imponat: Iarchamq; ipsum ex æreo throno, vi & impetu veritatis deijcere, & Tantali Phialam de manibus excutere procurabo, tantumq; terroris incutere vt Pythagoræ palingenesiam dediscat, & se Gigantem fluuij Gangis filiū Lætheo perfusus rore oblisuicatur, libet fabulas fabulis deridere. Si hoc effecero,

rogatui tuo abūdè superq; satisfecero: Sed & alia non iucunda minùs quàm vtilia videre poteris, Iesu mihi (vt spero) auxiliāte, quem, quotidianis precibus obsecra, vt orsis aspiret gratiæ suæ flatibus secundis. Quod attinet ad Apollonium Tyaneum, nonnihil eum vexauimus, nuper in Theorematis nostris de fide & ordine credēdi, quibus iam manum extremam imposuimus, sed cæsim, punctimq; in eum pauca: Hoc autem in opere aduersus superstitiosas eius insanias, instrùcta acie phalaricis vineis, arietibus dimicandum, nec cum Tyaneo nobis duntaxat congrediendum est, sed Auguribus, Astrologis, Magis, Pseudoprophetis, superstitiosisq; omnibus bellicum cecinimus, vt veram prophetiæ, diuinarumq; reuelationum lucem, vel à tenebra humanæ superstitionis, vel à nocte insidiosi dęmonis vindicemus. Quæ autem sciscitaris de iueneillo, qui Persas nouæ religionis prætextu vexat, nil ex me habere adhuc potes: Ignoro patriam & nomē, terrore & minis se coli iubet (vt audio) & armis magis quàm verbis pergit vincere: Nil vltrà quæsiui, quàm quod rumore delatum est, vbi quicquā de eo compertum habuero, te certiorem reddam: In hoc videntur conuenire qui de eo loquuntur, rem illius numeroso exercitu, magis quàm lingua fretam, & Asiæ & Europę minari, immensa locorum intercapedo certum ad hanc diem ea de re nunciū distulit. Sed iam nimis multa de negocio, plura aliàs & maiore otio. Commenda me tuis fratribus, Dominoq; Beniuenio & Hieronymo, Hieronymoq; itidem Roscio Pistoriensi. Vale. Concordiæ, V. Calen. Iunij M. D. II.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Zenobio Acc. Salutem.

ELeganti illa epistola tua, quæ postremò reddita est, egisti mecum, suauissime Zenobi, de altissimo Theologiæ loco, & quidem Theologicè & scitè: Iniecto tibi (vt ais) calculo ex verbis Gregorij Nazianzeni cognomento Theologi, in oratione Domini Genethliaca, vbi in Eunomianam hæresim inuehens scribit de Deo, ὄγὰρ δὴ τῆ φύσις αὐτῷ ἁπλότης. Hinc viri huius authoritate, vel Pontificijs decretis, cùm alibi, tùm sub Gelasio antistite summo confirmata, adduci videbaris, vt crederes extrarium aliquid aut aduentitium de Deo dici debere, ob id quod de simplicitate ipsius Dei apparet, tàm Theologi sententia, quàm ipsius etiam per te citati interpretis aliquid dici, quid tamen à naturæ eius prædicatione seiungeretur, dum vtroq; probari videretur (vt scribis) aliud esse Dei natura, qua est, aliud simplicitatem, quę circa naturam eius consideratur. Parte alia Theologorum Latinorum placitis flectebaris, nihil accidentale, nihil peregrinum, & quod non eiusdem prorsus sit secum essentiæ, ac naturæ, de Deo prædicandum, quo factum vt ambigeres, ad vtrum tibi vergendum esset, quin & vtrinq; probati haberentur authores, idemq; Romanæ Ecclesiæ legibus celebrati, qui discordes nihilominus apparerent, quibus etiam corrogaretur pugnantes sententias ab nostra Ecclesia, quæ in huiusmodi fidei decretis, vero semper nititur, pro concordibus receptas atq; probatas: tametsi humani quoq; ingenij lumine per se ostēdatur, & Dialecticorum probetur regulis, earum quæ inter se contradictoriæ pugnant sententiarum, alteram falsam, & quod est sequens, abijciēdam, veram alteram, & per hoc amplectendam esse oportere: Hinc puto summam totius dubitationis tuæ pendere: hinc, ni fallor, auctus tibi calculus, non exemptus, verùm enimuerò pro imbecillitate nostrarū virium, cùm vt petenti tibi quicquam non denegem, & pauco hoc tēpore vtar benè, tùm amicitiæ & studiorum nomine dabo operam, vt omnis prorsus ex animo ambiguitas, omnis scrupulus extrudatur: Animaduertendum tibi igitur, desideratissime Zenobi, bifariam nos in tribuenda Deo simplicitate loqui posse: Primum vt cùm ei simplicitatem adscribimus, simplicitatem eam cogitemus, quam in sublunaris huius machinæ rebus videre opinamur magis quàm videamus: Neq; enim simplex quicquam aut impermixtum cadere sub sensum potest, vt boni nominis philosophi probant, & ea etiam quæ sensus fugiunt, compositioni adeò subiacent, vt puram simplicitatem non admittant: aut enim & essentiæ, & existentiæ, aut actus & potestatis compositionem, aut omnino quid simile retinent, quo exui omnino non possunt: Qua de re fit, vt composita omnia sint, quæ aut sentimus, aut cogitamus, atq; ea quæ simplicia dicimus, non omnino simplicia sunt, sed ad comparationem eorum, quæ grossiori compositione compaginantur, magis pura simpliciaq; videntur: Hanc igitur

de Deo

de Deo simplicitatẽ cùm dicis extrariũ & peregrinũ à Dei natura, & à Dei simplicitate dicis. Cogitare autẽ & simplicitatẽ aliã potes q̃ Deo cõgruerit, p remotionẽ videlicet & negationem primæ, de qua verba fecimus, simplicitatis, hoc est, cõpositionis eius, quæ simplicitatẽ æmulatur, rem, vti diximus, extrariã, aduentitiã, accidentariã peregrinamq;, & Dei prædicatione prorsus indignã: Eam verò cùm diuinæ tua enunciatione socias, nihil aliud, si rectè sapis, enuncias, quàm Deũ non esse compositum, hoc est eo modo simplicem, quo res ipsæ, quæ cogitatu cõprehenduntur nostro, simplices iudicãtur: Hoc autem inter vtramq; interest simplicitatem, vt earum vnam, cùm Deo magis proximam facis, aut cogitatione, aut locutione tua, eandem ab eo tantò magis elonges & dirimas: Alteram dum remoues abdicasque impensiùs propinquiorem multò efficias: Hinc Dionysianum illud, à Theologis Parisiensibus sæpè vsurpatum: Negationes de Deo veras, affirmationes incompactas: Ex his Gregoriani nodi dissolutio patere facilè potest, & multò quidem commodiùs, si mentem eò reuocaueris, fuisse in vsu diuinis illis viris, & vt sic Græcè dixeris θεολογικωτάτοις nullam de Deo prædicationem, vt libenter admitterent quæ inferioribus etiam rebus per se conueniret, & propriè vel cùm id dicerent, aut symbolicè eos, aut per metaphoram dicere, aut negare eos magis quàm affirmare, aut demùm præcellenter, quicquam & super humana eos significare suis illis fortè ex tempore, & in mentis excessu coagmentatis nominibus, quo nobis daretur intelligi nullum inuenire nomen, cuius vi Dei natura nobis posset manifestari: Hinc apud Dionysium sæpè leges de Christo, neque enim ille homo tantùm est, sed super homines, ac supra hominem veraciter factus. Et apud illum item leges, de Diuina natura quod supersubstantialis & superessentialis; & iterum: quod eius neque lux, neque virtus, neque vita, neque substantia est, & iterum: Neque Filij, neque Patris est denominatio, neq; aliud aliquid ex his, quæ, nobis aut alteri cuiquam in mundo est cognitum, & quod eius neq; regnum, neq; sapientia, neq; vnum, neq; vnitas, neque deitas, aut bonitas. Leges & apud Augustinum de Diuino lumine, quod incontemplabile, & inuisibile, & superrationale, & superintelligibile, & superinaccessibile, & superincommutabile. Subinde quoq; illud poteris meminisse, quod quiuerit ea quæ in rebus infimis nobis est nota simplicitas offerre se hoc vel illo pacto, balbutienti humano generi prædicanda, quo diuina natura non poterit? rerum enim corruptibilium cognitionem nanciscimur ex sensu, quo veluti indice, & earum quoq; simplicitatem comprehendimus: Dei autem essentia, aut perfectus duntaxat speculantibus nobis offertur, si per naturæ vestigia procedimus, aut per reuelationem separatarum mentium, si per gratiæ diuinæ gradus conscendimus. Illud quoque diligenter obseruandum, vt si ipsissimam etiam Dei simplicitatem cogites, quæ reuera nil aliud est, quàm Diuina natura, nihilominus quoad humanum cogitatum, aliud est ratione & cogitatione nostra Dei simplicitas, aliud eius natura: alia enim huius, illius alia ratio, quæ vnum tamen re & creduntur, & sunt. Mittam quæ super huiusmodi distinctionibus Diuinarum proprietatum, inter Thomam nostrũ & aduersarios sint bella pugnata, opus enim maiori ocio & diligẽtia. Sed hæc paucula tibi sat sunto, quæ ab homine occupatissimo prodeunt negociosissimo quod in struendis mœnibus, in vallis aggeribusque ducendis, ad multiplices hostium, & euadendas insidias, & propulsandas iniurias, non autem ociosissimo (quod tamen ferè summa notorum est) in studijs literarum. Commenda me tuis fratribus, vt memores mei sint in suis ad Dominum nostrum Iesum Christum precibus, & tu idem facito. Michaël te salutat. Vale Mirandulæ, Idibus Septembris.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Io. Ma. Sal.

Libet tecum nescio an ridere magis, an lamentari: Certè vtcunq; fabulari super Astrologorum quorundam erroribus, qui post discussas superstitiosæ suæ vanitatis nebulas, veritatis fulgore, duodecim illis libris patrui per orbem diffusis, adhuc in tenebris cæcutire malunt, quàm in luce exquisitè cernere, iubar etiam ipsum repellentes: siquidem dum post tuum à me discessum iuissem Ferrariam, oblata fuere mihi duo prognostica rabie multa in Picum perseatentia, quorum authores non

secus ira feruent, ac ij qui auiculas visco aut laqueis tentantes capere, à prætereuntibus disturbantur, nec enim alio spectat nostrorum ars Astrologorum, quàm vt imperitorum animos, aut minis terreat, aut sponsionibus alliciat, adeò vt mendacia, quibus abundant, vendentes marsupia pecunijs expolient. Sed quid hæc tibi enarro, cuius fraudes prædicare solitus es. Ad rem venio: Mathematicus quidam (quem nosti) ille, inquam, eorum omnium, qui profitentur literas, ignoratissimus quanquàm suppresso nomine Picum veritatis propugnatorem acriter taxat, sed nulla ratione, vtpote qui rationem minimè nouerit, verbis tamen quibusdam ineptis sanè & lapsantibus pro Astrologia loquitur: hoc argumento: quod Astrologi de Astrologiæ veritate scripserunt, & Albumasarem, Ptolemæumque citat, res potiùs exibilanda, quàm recensenda, cùm reos ipsos in ea propria causa qua damnati sunt capitis asciscat pro testimonio: sed & quidam alius, vt visum est, arrogantissimus planetariorū ætatis nostræ, qui iam se iactauit responsurum eis Pici disputationibus quibus Mathematicorum instrumentum ad emungendam pecuniam dissipatum est, in veritatem obloquitur, duasque tantùm mille obiectionibus responsiones affert, mera profectò mendacia, nullo pudore, nulla habita suæ æstimationis ratione eructata, credens se ab Pici machinis vel hoc muro defendere, cuius iam sepelitur ruina. Ille namq; (vt scis) primo capite sexti libri aduersum Astrologiam mentionem facit de magno illo errore, quo creditum à quibusdam fore aliquando, vt ad eadem loca ita sydera omnia restituantur, vt similis omnino cœli dispositio, & cœlestium omnium inter se positus habitudoque inueniatur, atque olim etiam fuerit idem homines, idem euentus, eadem bruta, & omnino conditio eadem omnium inferiorum, asserens hanc insaniam ab Hali Astrologo repudiatam, & ab Nicolao Oremio certissimis rationibus rectam. Item eiusdem libri, capite 12. Maternum super Antistijs reprehēdens huius verbis Epoche meminit. At noster Planetarius, vt hinc exordiar, tot dicit in eo ipso capite errata, quot verba, tantumq; abest, vt vllum explicet, quod suum etiam prodit delirium, dum non modò ignarus horum vocabulorum Antiscia, Epocha, quæ Græca moneta percussa sunt, sed etiam Latij in quo natus & adultus, imperitissimus, ferre vult sententiā de peregrinæ linguæ vocabulis, alijs nominibus Astrologos, alijs Græcos Grammaticos, vti obloquens quasi ipse Græcos aliquando Astrologos legerit, & ipsum ptolemæi Centiloquium septuaginta erroribus interspersum, multa caligans ignorantia non celebret, totidem enim in vulgata translatione errores. Cæterùm de restitutione stellarum non cum Pico illi, sed cum suo Hali & Nicolao est controuersia, quorum sententiæ tantùm meminit Picus.

Sed quid desipiat in primis considera, pro liquido ponit quod aduersarius falsum adstruit, cùm dicat dari eadem stellarum restitutionem ob regularē motum, cuius rei probandæ, nec verbum quidem impartit, libenter ex eo quærerem an vnquàm sit huiuscemodi aliqua restitutio positusq; cœli monumentis relatus, si affirmat cur à Mathematicis præteritus silentio? si nunquam factum id, sed futurum contendit: cur id tempus quo futura est restitutio certis supputationibus nō sit deprehensum? sicut defectus luminarium, & aliquæ cœli configurationes diligenti supputatione monstratæ sunt: Ait item eum qui vltimam stellarum reuersionem negat, nullam cœlo regularitatem (ita ille inquit) elargiri, ex quo sequi dicit, vt destruatur cœli natura, & enormes sint intelligentiæ: quare futurum vt præteritis euentura omnia similia sint, similes cataclysmi, similes exustiones. O hominem mirabilem, quàm subtiliter astruit restitutionem stellarum: An ignorat mille modis defendi posse cœlum regulariter (vt eius vtar verbis) moueri, nec dare ob id eandem syderum positionem, quam quidam autumantes, in Christianam religionem oblatrārunt: Nam diuersitas hæc cœlestium motuum non ideò irregularis, quia nos quò tendat ignoremus, sed propterea regularis, quod ita ordo exposcit diuinæ sapientiæ, vt suos sydera peragant cursus, & tamen aliqua ex parte nos lateant, & superbos etiam Planetarios eludant. Quandoquidem adhuc in cœlo est motus qui ignoratur, & semper decursu temporis aliquo Mathematici iuniores, priscorum errata in dimetiendis motibus inuenēre, vt sit illud Iob verū: *Nunquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* & iterum: *Quis enarrabit cœlorum ordinem:* Rursus rogo quid consecutionis est, vt qui eam regularitatem motus tollat, naturam cœli destruat, & intelligentias faciat enormes, cùm hæ regularitates

non

non ad nostram, sed ad diuinat... referri debeant voluntatem, cui felices illæ intelligētiæ famulantur: Atqui si futura omnia, quantū ad metheorologica pertinet redibunt, cur non alia omnia? Eadem enim ratio de omnibus, cùm idem omnino cœli sit positus. Sed timent fortasse ignem diuinaculi nostri cuius fortè metus de meteorologicis duntaxat fecit, eos meminisse nihilominus formidinem nullo pacto possunt excutere. Nam si similes cataclysmi, ergo iterum sub Noë vniuersalis aquarum eluuio, cuius causam in syderibus se inuenisse, & profitentur, & gloriantur Astrologi. At hoc cōtradicit Deo promittenti ipsi Noë, *non submergendam aquis ampliùs terram vniuersam*. Respondebunt fortasse loqui se de naturæ effectibus, cur ergo generalem illam inundationem eius quæ dicunt per naturæ procedere semitas adscripserunt? Quid? quod si in suo dogmate persistere velint, mutabitur totus cœlorum ordo, & ea quæ præuidēt non erunt, & quæ sunt indiesq; promuntur, ipsi non præuidebunt. Vide ergo, mi Ioannes, quæ deliramenta genus hoc hominum spargit in vulgus, fronte semel atq; iterum perfricata: Statueram silere quousq; vniuersi in Picum suum virus euomuissent, & tùm fascem omnium colligere, ne plusquàm semel in corrigendis eorum delirijs fatigarer (scis enim me esse occupatissimum) sed tecum in præsentia silere non potui, aliàs maiore ocio locuturus: Vale Mirandulæ 12. Cal. Februar.

IOANNI FRANCISCO PICO
Cœlius Cal. Sal.

NVllo tempore poterit mihi maior occasio prȩberi ad te scribendi, Princeps eminentissime, quàm eo quo Lilius noster ad te proficisceretur, vir moribus & literatura nobis charissimus: Hoc enim interprete, quo neq; optatior, neq; facundior quisquam facilè spero tibi viro ingentis fortunæ, & excellentis ingenij, vtpotè magni illius Pici ex fratre nepoti, qui ætatem vniuersam illustrauit, effecitq; vt posteri minus deberent antiquitati. Facilè, inquam, spero Lilij mei opera fore, vt obseruantia erga te mea non indigna videatur quam ames, Cœliumq; in eorum rationario ascribas, qui te colunt, tuaq; admirantur: Ego autem Lilium, cuius bonitati ac virtuti scio me omnia debere, ita tuæ magnitudini commendo, vt si quid authoritatis vnquàm habiturus est apud te amor meus, id omne velim huius causa prodigere: Cupio enim sentiat commendationes meas amicas magis quàm disertas aliquid ponderis habuisse: Tibi verò de homine adiuratissimo, bona omnia polliceor, fidemque inprimis paucis agnitam, omnibus expetitam, tùm verò singularem curam, & diligētiam, quoties tua existimatio, tuaq; commoda eius officium exegerint, sed ego parum prudēs, qui vobis tàm insignem iniuriam faciam quasi nesciam Lilium, tibi qua est dexteritate, quàm primum fore charissimum, teq; eum gratissimū habiturum, qui soleas optimos quosq; liberaliter promereri. Beneuale: Princeps amplissime, tuiq; studiosissimū eo loco habeas, quo addictissimus quisque haberi debeat. Ferrariæ Idibus Nouembris. M. D. IIII.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Cœlio Cal. Sal.

LIteræ tuæ Lilij nostri ad nos aduentum gratiorem multò reddiderunt, optatissimæ illæ quidem, vtpotè quas & candidi, & eruditi ingenij tui habere indices auebam, quoniam amantissimi tui testes non tanti faciebam, hac in causa, vt te perspicerem, quanti expressas istas calamo voces, quæ quidem allatum antea rumorem, non vt inanis echo, sed vt specula tersa imaginem solent ingeminârunt tuum erga me amorem, cùm ex literis, tùm Lilij quoq; relatu planè cognoui, quem mihi & eruditio, & mores pridem ita commendârunt, vt non diligendum modò, sed amandum censerem, nunc magna futura est charitatis accessio, te veluti sponsore intercedentem & fidei, & curæ, & diligentiæ. Te, inquam, cuius vt beneuolentiam enixius demererer, & plura molirer, & maiora, compertum sanè posthac omnino habeas velim. Cœlium inter amicorum & literatorum nomina, qui eo mihi debent quod amantur ita explicatum vt eum vtræ sibi rationes vendicent non satis constet, nisi litem & amor simul, & iudicium dirimat, ac eundem ipsum, & alterutris, & vtrisque condonet. Vale mei memor.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVL. Io. M. suo Sal.

OB eam quæ mihi tecum fuit quinquennio consuetudinem, te vnum ex amicis illis esse in quo fides omnis collocari posset, mihi facilè persuaseram, quanta opinionis vanitate ludificarer: Discessus tuus hospite insalutato, & eo quidem amantissimo tui palàm fecit, quo vno expectationem omnem meam adeò fefellisti, vt ex gratissimo quem autumabam, te iniurium expertus fuerim, quãdo vt alia sileam amorem erga te meum turpissimo mei contemptu munerasti. O vota hominum inania, ô spes fallax, difficile quidem mihi de te creditu semper fuisset, quodcunq; philosopho homine indignum iudicaretur: Desertorem autem contemptoremq; mei, ad vsque aras negaturus iuissem, nec de nihilo prorsus id arbitrabar, quoniam hinc probata olim mihi, & fides, & integritas tua: Inde cùm mea in te propensa charitas, atq; ad omnem nutum patefacta cordis penetralia, tùm pollicitationes tuæ promissaq;, & chirographa ita esse liberè testabantur: sed quotidie magis experior Aristotelicum illud enunciatum, veritatem, indubiam continere, facilè eos enunciare, qui ad pauca respiciant, & item illud vulgatum non ab re fuisse prouerbium: priusquam quispiam cognoscatur salis cum eo modium comedere oportere: tot in mortalium animis recessus, tot latebræ sunt, quæ si ad vnam exploratæ diligenter nõ fuerint, sistendus erit pes, & lampas adhibenda, vt quousq; progredi tutò possimus, citra dispẽdium periculumque nouerimus, quod à me olim non seruatum iterum atq; iterum doleo: iam enim tertiò ab eis quos in amicitia sanctissimos credebam, offensus didici, & quidem meis expensis vim Prophetici illius oraculi: *Maledictus homo qui confidit in homine:* non solùm ad animam, sed ad totum hominem pertinere: neq; est quod vlla te ex parte possis excusare, adeò manifesta tua causæ iniquitas, vt à Leontino Sophista refugeretur: quid dicam de chirographo, quod vice cotis ad me misisti, vt aculeos in me tuo ex discessu (quem ita potiùs libet appellare quàm fugam) derelictos quoad fieri posset exacueres: plenum illud, & irrisus, & adulationis, alterum ad me, ad te alterũ pertinentis. Opportunum sanè imbecillis stomachi ceroma, vt quæ ad modicæ aquæ sustinendũ haustum sua sponte fatisceret, externo hoc adiumento herois Machaonij roboraretur. Sed hæc missa faciamus, veniam ais sæpiùs petijsse te, nec obtinuisse, quare veritũ ne id tibi quoq; contingeret clandestinum iter arripuisse, si cùm petebas veniam tùm discessisses, à calumnia te, quanquàm non ex toto vendicasses: nam quo petebas vultu, eo negabatur, hoc est, subridenti & iocanti perquàm simillimo. De syngrapha verò, cuius vi mille nodis astringebaris, quid sis responsurus, omnino nõ video, nisi fortè vltimum postulatum tuum non ex integro exauditum. Vide oro quantum aberres, si hoc te perfugio tutari autumes, nam tametsi exauditum negaueris, repudiatum tamen non affirmaueris, imò exauditum huius videlicet particulæ (si fieri posset) additione fatearis necesse est, nisi vt mei ita tui penitùs es oblitus, tu autem conditioni illi nihil aut addidisti, aut detraxisti, liberè & ingenuè acquiescẽs: Sed hæc sint satis, malo enim apud me conscius esse tuæ erga me iniuriæ, quàm vltra quicquam profundere. Cæterùm tantum abfuit, vt iniuriam illatam tibi retulerim, vt matri cum consorte tori, liberis, atque omni supellectili liberam abeundi facultatem dederim, admixtis pollicitationibus plurimis, quas si poposcerint implebo. Hoc quoque te nolim latuisse curasse me, vt minus quàm fieri posset, fama tui discessus inuulgaretur, quoniam molestissimum mihi de te malè audire, tùm propter te ipsum, tùm propter me, qui cum tantis te laudibus extulerim, fieri non posset, vt aut prauæ conscientiæ, aut temerarij iudicij notam effugerem: Quapropter hortor te, vt reuertaris, quàm citissimè potes, ad paucos dies cum familia, & supellectile, si ita libuerit, bona etiam cum venia discessurus, facies tu quidem rem mihi gratissimam, hoc præsertim tempore, quod ingurgitationi aquarum impartiendum est: In ocio namq; & in negotio mihi suffragaberis, facies & tibi vtilem, quoniam quod detractum est, tuæ extimationi, ob discessum est, redditurum ob reditum confido, sin minus meis votis obtemperare volueris, scito & mihi, supra quàm existimari potest, molestissimum & tibi ignominiosum fore: omnium nanque non solùm concessu, sed consensu damnaberis, eiusque itidem, quod apud nos struxisti quinquennio bonæ existimationis ædificium hebdomadariam

riam eius ruinam conſpicies,expecto igitur te ſtatim,quod ſi fortè vereris me tibi vim facturum: Abſit enim vt indubiè credam te iudicauiſſe, me vlli vnquàm, ne dum tibi, iniuriam repoſiturum. Epiſtola iſthæc mea dextra conſcripta ſit tibi pro obſide, & ſi hoc minus quàm deſideras petito. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Fratri Paulo Sonc. patri Sal.

SAlus tibi in eo qui veram ſalutem largitur. Literas tuas & quæſtiones in 12. Metaphyſicæ, & libenti animo ſuſcepi, & voluptuosè perlegi, in quibus duo præſertim videor agnoſcere, & tuam illam ingenij acrimoniam, & ſummam veritatis inueniendæ ſitim: nihil enim in illis (liceat Paule ſcribere quod ſentio) non acuti, nihil non ampli, nihil non vegetis ac excuſſi reperi, ſi elucubrationes tuæ reliquæ cum his pari filo conuenient. Opinor eas ab omnibus extollendas cùm præſertim ita argutæ ſint, vt nulla fugiendi ſuperſit latebra, ita defenſæ vt arguendi relicta vitiligatoribus nō videatur facultas, omnia deniq; ſe bene habuiſſent, ſi in campolum conſectaria tranſmiſiſſes, excuſationes porrò illas (ni tuus erga me amor abundè perſpectus eſſet & exploratus) ſuſpectas habuiſſem, cùm nihil in medium poſſis afferre quod collimet ad verum. Verebaris, ais, non tibi probro dari, cùm non ita ad amuſſim leuigata expolitaq; forent, vt tutò iudicium doctorum ſubire poſſent, ſed trepidaſti vbi non erat timor: nam faciundum tibi fuiſſet ſi doctioribus ſcripſiſſes: mecum verò quid periculi ſubituræ erant, qui prima fermè philoſophiæ rudimenta primi diuini fontis latices hauſi: quare te denuò obſecro, & obteſtor ſi tanti me facis, ſi quid mea apud te authoritas, ſi quid poſtremò conciliatæ nuper amicitiæ gratia poteſt, vt mihi illæ ſuppetiatū accurrant, cuius peracutis cornibus velut Aquinatis doctrinæ propugnaculis (vt boni efficiunt milites) pro veritate (non enim credas velim me niſi pro veritate certaturum) poſſim cum aduerſarijs, ſi collibuerit, digladiari: dixi ſi collibuerit, nam aut nunquàm aut rariſſimè futurum opinor, vt ſponte delinquendi decipulas adeam, quibus profectò in hiſce diſceptaciunculis, & literarijs agonibus multos arbitror à dæmone præcipitari. Nam dum aliqui opinantur ſe aculeos & tormenta quæ veritati admouentur, repellere, hiſdem ipſi maximè perurgētur, eò quòd mille antiquus ille hoſtis inſidias iugiter paret, milleq; preſtigiandi & nocendi artes excogitet, cauendum ideò mihi eſt nedum notitiam ſacri eloquij, cupio fini optimo debitam, eundem aſtu dæmonum præuertam, ipſaq; Dei voluntate fruſtratus ſim, quotidie ſententiam hanc, & rationibus, & exemplis roboro, nec ab vſu vel ſapientum abhorrere autumo. Bernhardus tuus iugiter & validè cōcionatus eſt, mihi & populo gratus in obiurgandis vitijs, ſuadendisq; virtutibus, eius verba exarſerunt vt faculæ. Ioannis Pici patrui mei veſtigia ſequi me hortari impenſiſſimè, quod effice, & ſemper obſeruare iā diu & propoſui & occœpi. Ita Deus omnipotens & cœptis annuat, & ſucceſſibus faueat, & ipſius ſemper dirigat greſſus, futurum enim ſpero vt aliquando eius anima ob innocuę vitæ merita in ſinu Patris ſuper cœlos exultet, nomenq; illius ob ingenium ſublime, & doctrinam omnimodam in terris eo præſertim tempore quo dies plurimas ſimultates liuoresq; præſcripſerit, celebretur.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Baptiſtæ Guarino Sal.

VItam patrui mei vita functi, quaſi per ociū præteritis à me diebus exaratam, vnà cum ipſius elucubrationibus & monumentis in publicum dare conſtitui, quas tibi corrigendas (ſi collibitum fuerit) tranſmitto, neminem porrò ex politioribus literarum profeſſoribus iudicem, & cenſorem mihi magis eligendum duxi, cùm ob diuturnam inter te & familiam noſtram amicitiam, tùm ob ſingularem erga defunctum patruum & me beneuolentiam, quibus præſtantiam tuam, & morum addidi integritatem: Cæterùm laborem hunc ingratè ſubiturum te iudico, laborem porrò, cùm non lateat me plura obœliſcis indigere & lituris. Homines ſumus & proprijs fallimur iudicijs, nec adeò fallimur vt non ſimus certiores cùm plurima contineri in his iure reprehendenda, verſor quotidie, vt fortè noſti inter eorum literas qui barbarè ſcripſerunt, ex quibus non modò aliquid adiumenti, ſed & nocumenti nō mediocris præſtari

præstari credas, tamen quales sint scriptiones nostræ, tua ope à quibuscunq; visendæ prodibunt.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Benedicto Tyr. Sal.

REdditæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas libēter nimis perlegi, solent enim (vt in prouerbio est) quæ haud sæpè possidentur, preciosiora existimari. Cæterùm vt ad Astronomiā veniamus, magnoperè desidero quęstionē tuam quàm primùm eam expolitieris, & leuigaueris oculari: quanquàm plurimas in ea legenda vanitates me aspecturum non ambigo, nec ob id eam affecto, sed vt amici hominis elucubrationes legam. Nollem porrò existimares à me probris calumnijsq; te insectari, qui vanitates iam appellem, quas nō perceperim, & de quibus iudicare hactenus nequeam, si quicquam iniuriæ in verbis meis persentis idipsum tibi imputa: Argumento quod quæstionem tuam de Astronomiæ veritate prætitulaueris, quæ haud secus à me interpretatur, quam de Veritate vanitatis, & equidem arbitror, te non magis præstare posse Astronomiæ fulcimentum quàm meræ falsitati, & errori apertissimo, quod negocium pluribus in præsentia prosecuturus non sum, tum quia ad id obeundi muneris tempus idoneum minimè præstaretur, tùm etiam quod à Pico illo patruo meo vndecunque doctissimo opus hoc studiosissimè cōsumabitur in illa septemplici pugna aduersum Ecclesiæ hostes acerrima, quo in prælio perniciosissimum istum hostem multis ictibus confossurus est, & de ipso cum reliquis gloriosissimo triumpho coronandus, sciasq; illum non per ramusculos vlmi huius somniferæ præstigiosissimæq; vagari, euellendo folia & cortices, sed radicibus ipsis admouisse bipennem, qua profectò & corruet, & pessundabitur ab illis, præsertim quibus iudicium non deerit. O`dies felix & candidissimo lapillo signanda, qua liber ille diuinus à doctis viris conspicietur, qua hostes Ecclesiæ in Capitolium duci, & confossi vulneribus, & cathenis ferreis irretiti palàm spectabuntur, sed amplius fortè quàm opus fuerat, sum euagatus, trahente me amore veritatis & Christianæ fidei, quam opto extolli, & nascentes in eius agro vepręs exterminari. Cæterùm quantopere te videre cupiam, & alloqui non facilè dicerem, interim me literis tuis participem redde, & quàm celerrimè poteris, quæstionem mittito, studiumq; tuum ad vtiliora conuertito: vel si tantus amor Astrologiæ operam impendere optimum erit, si in eius conterenda vanitate desudaueris, ne cùm paterfamiliâs à te talentorum quæ accepisti rationem exiget, ea non in terram contumulasse deprehendare, plagis ob id multis æternùm vapulaturus, sed potiùs vt institor intrepidus talenta tua duplicasse conspiciaris. Vale Mirandulæ, pridie Cal. Iunij 1494.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Iun. Bri. Sal.

DEbeo tibi plurimùm quod mihi vel parum merenti tantum cōtuleris, quantum vix optare auderet, qui eximijs te beneficijs cumulasset. Accepi ab Alexandro, cui has meas ad te dedi, quo amore, qua propensione animi conflatas in me calumnias dilueris: Egisti causam iustitiæ & pietatis, quo nomine iterum quoq; tibi debeo, nec dubitauerim, quin maiore vi & copia disseruisses, si planè percepisses quibus molestiarum molibus, me hostes presserunt mei, quibus iniurijs petiuerunt, ditione, patrimonio, thori consorte, filijs expoliârunt, me etiam persecuti obsederunt, eorum qui mihi afficiebantur, nonnulli occisi, exules etiam, & extorres aliqui facti sunt: Dei ope vxorem & filiorum aliquos recepi, primogenitus adhuc in custodia, spero nihilominus Deum optimum maximum pro sua pietate, ablata omnia redditurum, idque faxit, qua possum ratione te deprecor, eundem precibus roges. Cæterùm operam des, vt qui opem ferre possunt, iustæ causæ patrocinium non surripiant: monemur enim humana tentare auxilia, ne ipsum Dominum tentemus.
Vale mei memor. Carpi.

IOAN-

IOANNES FRANCISCVS PICVS
M. L. Sal.

NVnc tempus expoſtulat, vt mihi patrocineris, protrahitur negotiũ, vt mihi quidem videtur fruſtrà & diuturna expectatione maceror, expenſiſq; & incommodis multis conficior, nullo aliorum commodo: res benè inclinata eſt, Cæſar propenſione quadam animi (qua eſt clementia) ferri videtur: Proceres vel omnes, vel plurimi optimè affecti ſunt: petitio per ſe omni iuſtitia fulta, nec iam lis aut controuerſia ſubeſt, munus à Cæſare expectatur: quid autem non concedat Cæſar, & homini de ſe merito, & ob illibatam fidem ſeruandam plurima perpeſſo. Reliquum eſt, vt tuę authoritatis calculus bilancem vergat, efficiatq; vt Cæſareis literis præcipiatur, me ſtatim hac expectatione & ſoluendum, & optimè ſoluendum eſſe, tàm me tibi obligabis, & deuinces quàm qui maximè, & ingrati erga te animi vitium à me ſemper aberit.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Ioan. Collau. Sal.

INtellexi quid opera & ſollicitudine amoris erga me tui actum ſit in re mea, quemque beneuolo animo Cæſar ea ipſa de re mandauerit, & memorem eſſe me, & grati quoq; animi ſigna daturum tibi cùm potero certò ſcias. Cæſari verò tàm addictum me ſemper fuiſſe, quàm qui maximè probè noſti, poſt hac ſuprà quàm ille putare poſſit obnoxium credat: Illiq; meo nomine hoc ipſum quæſo patefacias propediem, ad eius Maieſtatem venerandam, teq; viſendum & amplectendum, quendam ex amicis deſtinabo: Interim da operam qua ratione potes, vt quod inſtitutum promulgatumque eſt, factis probetur, nec ignoro facilè fore, vt auribus Cæſaris importunæ querimoniæ deferantur, nitanturq; à tam ſancto illum propoſito deflectere: abige quæſo tu muſcas importunas à ſacris, occlude rimulas, ac vt iocari pergam, moleſtis ſuſurris, vt eos excipias aures arrigito, & procellis diſſipandos committito. M. Lange, & Cypriano ſi rediit, noſtroq;, quid inquam tuo an meo veriùs Burgo commendes me etiam atq; etiam velim. Vale Carpi, 10. Cal. Nouemb. 1504.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Vil. Per. Sal.

DAuid noſter ſalutem mihi plurimam tuis verbis dixit, & quo me amore parum alioquin meritum proſequare abundè ſignificauit: Præter id quoq; Galeatium Sanſeuerinum affinem meum dare operam tuo nomine enixiſſimè rogauit, vt tibi amicitia deuincirer, non erat, mi Vilibalde, opus tanto authore, in feriendo tecum perpetuæ beneuolentiæ fœdere, quo cum pridem tacitè ictum fuerat, nec indice etiamnum Dauide vti oportuerat: Simulac enim te virum probum & literas amantem accepi, & Galeotio noſtro in amore arctiſſimè coniunctum, non potui te non diligere, non potui mira quadam in te voluntatis propenſione non ferri, quî ergo fieri poterat vt non amares, quî fieri poterat, vt à me amari non crederes: Hinc amicitia orta eſt, mox oſtenſa, ſenſiſti fortè occulta, tu quadam prænotione prolatam in te vim noſtræ dilectionis, ne occulere potuiſti, vnde noſtri ad nos, de tuo in nos amore Dauidis præconium, quod fauſtum igitur, felixq; & in Dei gloriam ſit, non tacitè modò ictum, ſed publicè percuſſum, ſanctumq; ſit inter nos perpetuæ charitatis fœdus, & epiſtolari hac quaſi præconia voce promulgatum. Occaſionem deſideraui & à moleſtiſſimis negotijs meis inducias, vt ad te de facie viſendum conferre me poſſem, ſed datum non eſt, dabitur fortaſſe aliàs, vt aut ego iterum in Germaniam veniam, aut tu eas in Italiam, quæ mox mihi ex negocio petenda eſt: interim cùm nec corpus, nec animum mittere ad te poſſim, animi noſtri ſobolem mitto, hoc eſt, libellos quoſdam noſtros, qui ex rerum noſtrarum naufragio ſuperfuerũt, & nuper in ſperato ex Italia deuecti ſunt. Ex ſobole non rectè conijcies parentem neq; enim eum adamuſſim effingit, non quòd ipſa degeneret, ſed quia præcellit. Nam quanquam illa aliquando cogitati, minimè tamen ſolido vſu poſſedi: Faciliùs namque & cogitamus, & ſcribimus bona, quàm facimus. Seruaſſem vtinam quæ illic adgeſta ſunt, multa benè viuendi præcepta: Sed facit Omnipotens, vt aliquando ſeruemus. Alia noſtra

opuscula propterea non mitto, quod ex Italia ad me simul perlata non sunt, aliqua etiam sub incude afformabantur, quæ parùm abfuerunt, quin in spongiam incubuerint, dum stringere gladios magis, quàm literarios malleos tempus expostulauit. Vexatus equidem diu sum bellis plusquam ciuilibus, alioqui mea sponte amor pacis, & post Galeotti patris obitum parum quieui à molestissimis curis, & bellicis tumultibus, cùm in occupatis arcibus nostris, & oppidis vindicandis, tùm in eis quoque à multiplicibus insidijs triennio tutandis demùm in repellendis hostilibus castris, & quinquaginta dierum obsidione ferenda, & proditione eorum tolleranda, quibus magis fidebam, hostes me multa manu freti cinxerunt, imparatumq;, & febribus ægrè decumbentem adorti sunt, nec mercenario milite, nec auxiliaribus copijs fultũ, vide quàm bellè istiusmodi negocia cum ocio literario conueniant, nunc autem extorris, & regnis exul ademptis, quàm aptè de literis cogitare possim considera, spero nihilominus Iesum Dominum ijs ipsis molestijs finem daturum. Vale mei memor. Ex Augusta Vindelicorum 18. Ianuarias Calend. M. D. II.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Adulpho Phrisio Sal.

MItto ad Cæsarem ex negocio Ioannem Franciscum à secretis meum, qui & in mandatis habet, vt te meo nomine salutet, nec quidem sine munere, vt olim Parthorum reges: Is ad te ferret & amicitiæ, & gratiæ ex parte reponendæ ergo nostrum ex auro numisma æquans monetas Germanię aureas quatuor, in quo & ascendentis in cœlum Christi mysterium impressum visitur, & ex aduerso insigne quoddam, quod paulò antè tulimus: In Germania enim cùm essem, cupidumq; te mihi declarasses visendi habendiq; aurei in quo nostri esset imago vultus, idq; nec tum haberem, nec in præsenti apud me sit eius generis vllum, hoc ipsum maioris pretij & ponderis libentissimè misi, missurus & alterius generis alia cùm sese facultas obtulerit. Cæterùm quæso te si me diligis, vt frustum illud christalli ad me mittas, in quo scintilla illa versicolor iridem imitata conspicitur: Alium quoque ex quinque lapidibus illis quos tu opalos reris, quorum è numero vnum ex te habui sulphuris ardentis flammas æmulantem: Nec propterea quam habebas in animo componendæ crucis imago abolebitur, quinimò perficietur exornabiturq;, namq; cùm alium miseris tres reliqui vtriusque brachij & thoracis munus implebunt, capitis partes Adamas, pedum carbunculus obibit, quorum apud te copiam esse scio, quod si eis ad id officij indigueris, mittam ego ex Italia. Scire prætereà abs te aueo an qui venalem illum Opalum habebat colores pigmentariorum æquantem, reuersus ex Italia in Germaniam sit: Si redijt cura precor vt precium noueris, sin minus significato: Namque operam dabo vt videam, & si placuit coëmam. Quæ autem à te petij, & christallum, scilicet, & opalum futurum coniugi munus gratissimum, vt omnino Ioan. Francisco nostro, ad me perferenda tribuas, iterum te atque iterum precor. Iuniorem Adulphum meo nomine saluere iube, quem in doctum virum euadere summopere cupio. Bruno item Episcopo conuiuæ nostro me commendes velim.

Vale: Carpi 16. Calend. Martij.
M. D. V.

IOAN-

IOANNIS FRANCISCI PICI EPISTOLARVM

LIBER II.

IOANNES FRANCISCVS PICVS A. Pl. Sal.



IVSTVM de vestibus volumen scribere instituerã, ratus me plærisq; gratum facturum, quando res ipsa per se cognitu digna iudicaretur, tùm non minus vtilis & quæstionibus plurimis obnoxia, ob varias censuras quæ nostro tempore, ex varijs tegumentorum figuris emerserunt: quando alij Gallicas sibi & Hispanas vestes induerent, alij Germanas, Græcas, & Geticas etiam asciscerent: quibus de rebus diuersi susurri, diuersæ sententiæ, inter quas illa plurimum vigebat, Italam vestem non esse hominibus Italis immutandam, non accersendos peregrinos cultus, non habitus, & instituta nouanda, quæ quidem vti constans & ingenua per se deprehenditur, ita parum erudita videbatur, propterea quod propriam Italiæ vestis formam, qui teneat, qui nouerit, reperitur nemo. Est enim pro tempore vestimentorum specimen, & figura mutata, nec quicquam antiqui & Romani habitus: Romanis ipsis in vsu est, quod non modò indicant nomina ab eis, quæ olim habebantur diuersa, sed remotum etiam longè constet à nostro vestitu antiquum, in sculpturis marmoreis, in ære fusili, & in plærisque numismatis, nec apud illos habetur, qui rem ipsam ad integrum literarijs monumentis, ab iniuria obliuionis asseruerit: tametsi prodatur Tranquillum hac de re librum composuisse, qui nusquàm comparuit, qui vix citatur. Tempus igitur idoneum, & ocium non leue huic implendo muneri dandum erat: Cogor autem vt tibi morem geram, quicquid occurrit ad præsens perscribere, & ingentem materiam cogere in epistolæ modum, si tamen id fieri commodè poterit, fiet autem vtcunq;. De necessitate igitur vestium, nomine, origine, de varietate quoque luxu, vanitate, vtilitate, colore, dignitate, quantum per occupationes liceat in genere duntaxat, & ad epistolæ mensuram insinuabo: De necessitate vestium non aliunde felicius auspicabimur, quàm à Mose, qui prodit ex inobedientia factum, vt qui prius nullo tegumento indigi fuissent, homines idipsum sibi perpetrato delicto quantotius procurârint, raptis de fici arbore folijs, quibus pudenda velauerunt, quæ tùm primò pudenda cœperunt esse, mox pellicea vestis Adamo diuino opere coaptata est, quo de Paradiso deliciarum expulso, non modò suæ ob peccatum contractæ verecundiæ consulere posset, vt prius tentauit dum frondea pericomata consuisset, sed aëris etiam molestias commodiùs perferret, & sanè nec Latini verbi vis, sicuti nec ipsa res mysterio, longiùs abest. Vestis enim vt Varro summus linguæ Romanæ author decernit, à vellere dicta est, à velando alij dictam maluerunt: alterutrum mauis, nec sacris quidem literis conuenire quicquàm magis potest, quæ, vt velaretur homo vestem de pelle factam prodiderunt: sed quæ ad necessitatem solùm instituta, ad honorem etiam pertinere visa est tempore procedente. Nam & polymita Iosephi vestis, & Samuelis pallium, Sacerdotum etiam & regum in sacris literis vestes manifestantur. Multæ certè & variæ species, & nomina, vel ex figura, vel colore, vel loco desumpta fuerunt, partim sibi dignitas, partim tempora, vsus, & regio partim sibi vendicârunt, quo factum vt hinc etiam luxus, & modestia, vsus & abusus vestium deriuaretur. Nam si quid noui fiebat, id actutùm reputabatur, vel ad molliciem, vel ad luxuriam pertinere: si quid item antiqui reuocaretur tantundem criminabatur: Consuetudo tantum probabatur adeò, vt quæ olim damnatæ fuerunt, progressu temporum laudarentur. Namq; olim moris fuit manicis abstinere in vestibus conficiendis, idq; luxui erat obnoxium: vnde illud

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Fœmineũ quoq; olim, & molle etiam apud mollissimos Persas, putabatur vti veste

talari: Diuturna verò obtinuit consuetudo, vt posteà grauissimum virileq; haberetur, ac penè religiosum: Nostra tempestate viris principibus & admodum egregijs turpe non ducitur, quin maximè decorum holosericis indumentis vti, cùm tamen inter Heliogabali, Antonini, vesanias holosericæ, hoc est, totæ ex serico vestes computentur: sed & modestiæ quoq; Alexandro itidem Romano principi ascribitur, quod semel duntaxat in consulatu pictam vestem induerit. Apud Hebræos fimbriæ gestabantur, quibus etiam Dominum Iesum fuisse vsum Sacræ literæ nos edocent, vbi autem ab Italis recipi cœptæ, inter regia ornamenta computabantur, nunc passim vsurpantur & tanto studio, vt quis è medio fimbriatus incedat, & multiplicibus limbis honestetur: Et mirum sanè videri debet, quòd minor in vestibus mollities esset, dum Roma præstaret, quàm post translatam, imminutam atq; etiam euanidam paulò minus potestatem, tùm enim principibus viris ex lana vestes erant, quæ nūc materia penè respuitur, à ditiori plebè nedum à summatibus. Expetuntur enim bombicinæ passim sericéæve, magisq; ex moro, qui bombices pascit, quàm prato, quē tondent oues amicimur, & multa quidē nobis tegumenti materies ætate nostra suppeditatur: Nam præter ferrum quo in vsum bellandi vestes fabrefiunt, præter ouinam lanam cuius beneficio multiplex nec veteri seculo cognita laneæ telæ diuersitas prodit, ex fili & textrinæ varietate multifariam præter bombicinas sericásve in varium etiam vsum ignotū prioribus formatas, præter lineas & canabinas telas, pellicea quoq; multæ nationes habens vestimenta, non abrasæ solùm, sed etiam pilis ipsis lanaq; referta, vt in Septentrionalibus plagis conspicitur: ad de xylinæ lanuginis pannos in multifarios vsus accommodatos, ex Aegypto quoq; & Oriente caprinis hircinisq; pilis mercatores aduehunt confectas telas, æstiuo nobis tempore commodissimas, aurum taceo, quo vel adinter pungendum, vel ad acu pingendum, vel radio textorum, ad hàc & illàc variè iactandum, tot aurei panni variæ facies videntur, vt nihil iam reliquum luxui fiat: neque enim contenti aurei fili pictura, quæ olim inter maximas etiam muliebres delitias computabatur, cantabaturq; pictam acu chlamydem, nec intertextis auro vestibus, nec purpureis, pictisq; limbis, quod tàm regium erat, quàm etiamnum muliebre, quæ, scilicet, cohibebant picto vestigia limbo, non fimbriatis quoq;, vt diximus, vestibus satis sibi & luxuriæ factum putant, ni aurū superaddatur auro, rigeantq; vestes, & armaturas pondere superent: Ni auream tunicam totam, bombicinis, & econtrà, bombicinam vniuersam auratis fimbrijs bracterent: Pudendum vtique erratum, eoq; insignius, quod & imbelles, & pauperes id affectant, & sub Dei lege degentes salutis diuitiarumq; prodigi sunt, magis quàm olim sub cultu dæmonum ditissimi atq; fortissimi. Siquidem Iulius Cæsar rerum potitus, quanquàm corporis cultu semper insignis, elegantiori tamen habitu nunquàm legitur vsus, quàm Sylla, qui lato, scilicet, clauo induebatur, sed fimbrias fortè adiecit: Vtebatur, inquit Tranquillus, lato clauo ad manus fimbriato, nec apud eos tot genera vestium: De his loquor, quæ non capiti solùm aut tibijs, sed vniuerso corpori aptantur: nam præter id quot citauimus latum clauum, vestem videlicet præclaram senatoriam, dictatoriamq;, præter prætextam puerorum, pallium philosophorum, tunicam & subuculam cuiusque sexus & ordinis, togam ciuium, sagum & chlamidem militum paludamentum, imperatorum Penulam, abollam, lacernam, lenam, & si quæ alia pauca, quæ diuerso nomine in eundem significatum recidunt, non temerè multa reperies, apud nos nec triduo quidem numeraueris, tot quotidie quis è medio ex capitis sentētia confingit, tot peregrinas & nouas accersit omnium penè nationum, ut iam Mastrucæ, Sarabarræ, & cæteræ id genus Barbaræ longinquo vel moris, vel terrarum spacio deuectæ pro domesticis & notis habeantur, & ad ignotas etiam anhelat vulgus diuitum & potentiorum. De coloribus taceo, olim in pictura vnus tamen, aut plurimum quatuor, nunc in vestibus, & laneis, & bombicinis, & auratis, omnes in vsu nec simplices, sed multiplices varieq; permixti: qua de re multa recensenda non sunt, quando etiam ab eis, qui cœnobijs addicti sunt, si rectè consideres omnes præter viridem colores receptos videris, & curiosius vt multis videtur quàm oportuit propagatos: Siquidem qui sub Diuo Benedicto monachi albis alij, nigris alij, ferrugineis nonnulli coloribus vtuntur, & contentio fuerit, quidnam fieri deberet, quóve vsus esset institutor, cùm tamē notum sit illum dixisse nolle vt monachi de colore causarentur, quoniā habitus monachum

nachum minimè constitueret. Inter Augustini sectatores regulares ab heremitis dissensêre de habitu, quo ad Xistus nostra memoria prohibuerit, decernens quo habitu Augustinus, præter eum qui episcopo debetur vsus fuerit, nec ex re, nec in promptu esse vt decerneretur: Diuus quoque Franciscus nullum exactè colorem sectatoribus ostendit, modò grossiora & viliora induerent contentus: Probari autem maximè debet qui non modò casta & mediocria, sed etiam humiliora sibi asciscit aliquanto quàm dignitas tolleret, nec enim apud Gentes maius decus sibi conciliauit dictator Cæsar insigni cultu, quàm mediocri & gregario dux Hannibal, & rex Agesilaus. Christianis verò tantò id magis curandum, quoniam pompa & vanitas ab eis exulare perpetuò debent, & exemplo turbæ qui præsunt præponuntur, quanquàm id quod mediocre principi & nobili creditur ad subditos, & plebem relatum insigne atque superbum censeatur. Nationes aliæ alijs constantiores in habitibus retinendis: Asia & Africa sui cultus seruatissima, varia nimiùm Europa, & Galli potissimùm, qui nostra memoria singulis penè annis vestes mutauêre, quos Itali plurimùm sequuntur, postquàm Insubres eorum imperata faciunt: Germani perseuerantiores, tametsi nonnihil eos immutatos viderimus: In hoc certè stabiles à multis seculis quod dispendia fugiunt, neque enim tàm latæ in Germania vestes, vtpote antiquis eorum moribus similes: Tegumenta enim gerebant, vt Tacitus inquit, singulos artus exprimentia, quod & Galli me puero obseruauerunt, paulatim nonnihil latitudinis occupantes, vt nunc in latissima & amplissima vestium dispendia diffusi sint: Hispania satis constans, & vt arbitror in aliquo genere vestium ab antiquis non remotissima quod sagi nomen indicat: Ab illis ad nationes multas euagatum, & maximè in Italiam, quæ non vestes solùm, sed peregrina omnia libentissimè suscipit: Quapropter ad regulam vt reuocarentur operæprecium foret, interim nobis tamen consulemus, prudentia duce, & quid opus esset facto ratiocinabimur, non particulare quicquam decernentes, opus enim esset non epistolari angustia, sed maiore subsellio, in vniuersum autem, sic vti pictores inter initia solent deliniabimus: Vestis itaq; vsus necessitate, vti diximus, vtilitate, honestate introductus est: abusus igitur vanitate, dispendio, turpitudine culpandus: Quapropter consideranti mihi, venit in mentem trifariam vestis habitum posse vituperari: Nam si vanus & inanis fuerit non solùm ipse per se dedecet, sed is etiam leuitatis nomine damnabitur, qui eo indutus fuerit, igitur frequentiores & affectati limbi, crebræ fenestræ, & quasi vulnera vestium intempestiuè, & peregrinæ fimbriæ luxu quàm ornatu accersitæ, bracteæ exuberantes, indicio videntur esse inconstantis & volitantis animi, & cùm receptum diu illud sit: Ne quid nimis: dispendia quoq; corrigenda sunt, & superfluo nimis ambitiosoq; cultui meta ponenda est, quod olim etiam Romani secundo bello Punico factitârunt: Nostra quoq; Ecclesia præstituit modum clericis & clausas vestes ac fibulatus præscripsit: duplicem autem in modum contingere dispendia possunt, vel si plebeius nobilium sibi ornamenta quæritet vsurpetq;, vel si nobiles ipsi habenas luxui permittant, caudatis admodum tunicis, vt fœminæ consueuerunt, hiantibus manicis, & patulis adeò, vt mediocres inde vestes confici quirent: Turpitudo porrò ex lasciuo habitu prodit, qui factus, scilicet, ad excitandam venerem cognoscitur. Namque si in fœminis superiores mammarum partes, quod nostri temporis in Italia præsertim vitium, enudentur, incentiua libidinum facilè fiunt, quæ honestatis causa velo tegi dicuntur, ab ipsis quandoque adeò raro, adeò perspicuo, vt illecebrosiùs vrant: Simili trahere illicio solent viri fœminas, ostensis pudendorum partibus, nimia vestium breuitate, & mensura materiæ additamentis ementita. Non culpandum ergo id vestis genus, quod huiuscemodi criminibus caret: Tametsi functo insectibili, & indiuiduo isthæc rectitudo non constat, ac vt Aristoteles docet: si quid minimum à virtute recedatur non magnoperè refert. Partem enim regionum mores, & consuetudo sibi vendicant tàm diu toleranda, quamdiu in ea quæ diximus vitia lapsus non fiat. Vale.

IOANNES FRANCISCVS MAXIMILIANO
Cæsari Augusto Sal.

OPtare mihi videris, Cæsar Inuictissime, non tam copijs quàm doctrina præstare, quod quidem votum in magno illo Macedone plurimùm viguit, & eius gratia mirum in modum ab antiquitate commendatus est. Mandas enim mihi, vt quæpiam Cabalæ monumenta olim Ioan. Pici patrui opera in Latinam orationem versa, & exscribenda & ad Maiestatem tuam deferenda curem: Qua quidem in re quantum mihi molestum sit, imperio tuo (vt par est) obsequi non posse, haud facilè cogitauerim animo, ne dum literis explicauerim, siquidem inter humana desideria summum mihi est tibi Principi meo, imò omnium gratificari. Apud me autem nec vna quidem Cabalisticæ facultatis extat schedula, sicuti nec defuncti patrui Bibliotheca, vtpote quam Antonius patruus rerum eius mobilium testamentarius hæres Grimmanno Cardinali vænundederit: Habeo ego tantummodò nonnulla propria eius inuenta, & meditata ex autographis, magno cum labore & impensis exscripta, nihil ad Cabalam spectantia, quarum partem iam publicaui. Sed quoniam oblata hæc mihi occasio tibi morem gerendi, Magnanime Cæsar, abs te qua possum fide, & animi promptitudine efflagito, vt alia quæcunque libuerit, modò viribus meis effici possint imperare non cesses, in te namq; colendo, multis certè ingenio & uiribus, fide & diligentia nemini cesserim. Et quanquàm scio plurima decere seruum facere quàm loqui, atque hæc ipsa quæ polliceor tua pridem esse: Quandoquidem me tibi & ipsa ferè tradidit natura, & obligauit voluntas, non potui me tamen continere, vt eadem tibi miro quodam voluntatis ardore non offerrem. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Ioan. Reuchlino Phorcens. Sal.

TErtio iam ex negotio mihi Germaniam petenti, id animo inter eximia desideria penitùs insederat vt te de facie cognoscerem, quem ex literarijs operibus pridem suspexeram. Sperabam faciliùs eo fieri me voti compotem, quòd tui Ducis regio non abesse diceretur, à loco in quo celeberrimus iste Regum Principumq; conuentus agitur, quem tua etiam præsentia, quando huc plurimi, & præcellentes viri confluxerunt, honestandum impensius coniectabar, sed inania plurimum nostra vota: incensum quippe diu animum cognoscendi tui, Bonomus Tergestinus Antistes tùm inflammauit, cùm omne desiderium prorsus elanguisset: Vbi enim resciui per occupationes tibi non licuisse discedere, tuarum illicò præconia laudum intonuêre adeò, vt & maceratus desiderio sim, & euanida spe prorsus fluctuauerim: Hinc venit in mentem, vt damna isthæc resarcire quoquomodo per epistolam curarem: Scias igitur velim me tibi, me tuæ virtuti tàm addictum, quàm qui maximè, quod ne dictum ad præsentem gratiam putes, testatum id omnibus relinquent nonnullæ scriptiones meæ: Nam & in septimo Operis cuiusdam de rerum Prænotione libro, & in carmine heroico, quod de mysterijs in Germaniam lapsis procudi, honorifica tui mentio facta est. Adscribito ergo post hæc me rationario tuo, inter ea nomina, quæ tibi eo debent, quod de literis optimè es meritus. Sciasq; velim, ni à turbulentissimis negotijs remorarer, ad te visendum conuolassem pro meis enim oppidis, pro fortunis omnibus diu periclitantibus, ad Cæsarem me contuli, quem pro sua clementia, proq; mea in illum fide, & meritis exornandum speraui. Vale mei memor.

BAPTISTA MANTVANVS CARMEL.
Ioan. Fran. Pico Sal.

NVper audita morte Ioan. Pici auunculi tui, viri clarissimi atque doctissimi, sic animo consternatus sum, vt neque pes, neque mens satis suo fungeretur officio: Parum abfuit quin & de Deo, & de natura sim conquestus, quod tantum lumen è mundo tam citò sustulerint, tantum Italiæ ornamentum, tantam ætatis nostræ gloriam, quasi terrenæ Reipublicæ bonis inuideant nulla habita nostri ratione succiderint: succiderint, inquam, dum cresceret, dum floreret, dum copiosissima ingenij sui fer-

ſui fertilitate paſceret vniuerſos,ſed recordatus ſententiæ Pauli qua inquit: *Iudicia Dei abyſſus multa:* continui me,ne malè de Deo, & de operibus impia temeritate ſentirem. In occaſu viri huius paſſa ſunt magnam eclypſim ſtudia literarum, ſcientia rerum, integritas morum. Erat enim vt ſcis, in patruo tuo ſic vitæ, ſanctimoniæ, coniuncta linguarum eruditio, & humanarum diuinarumque rerum cognitio, vt in vno eodemq; homine viderer videre Hieronymum, & Auguſtinum reuixiſſe, atque vtinam opus illud de Concordia Platonis & Ariſtotelis antequàm decederet, abſoluiſſet. Pollicebatur enim titulus eius omnem antiquorum philoſophiam, & reconditiſſimarum ac ſcitu digniſſimarum rerum apertionem. Omnia eius opuſcula, quæ abſoluit, quæ etiam imperfecta reliquit, ſunt omni ſtudio & diligentia conquirenda. Nam cùm à tanta ingenij felicitate profluxerint, non poſſunt, non eſſe digniſſima, quæ ab omni poſteritate legantur, amentur, & adorentur, ad quod officium te prouocarem, niſi te ſic perſuaſum & animatum ſatis crederem. Deerat hoc familiæ tuæ decus immortale, vt apud nobilitatem antiquiſſimam, diuitiarum & opum affluentiam, rei militaris gloriam, collocaretur etiam excellentia tantæ ſapientiæ, vt omnia quæ apud mortales, ſumma laude digna ſunt, in vnam domum tuam confluerent. Te verò, Ioannes Franciſce, ſumma ope niti decet, vt patrui tui virtutem hæreditate poſſideas, & vt ſpiritus eius in te duplicetur, ſicut Heliæ ſpiritus in Heliſæo, hoc à te expectamus, hoc requirimus, cùm eius opuſcula collegeris, precor, vt me quoq; participem reddas, & erit mihi operæprecium iſtuc tantæ voluptatis gratia me conferre cùm ſciero. Diſtichon in laudem eius ex tempore factum quanquàm non placeat, tamen ſubijciam:

Picus Ioannes, cælos, elementa Deumq́s,
Doctus, adhuc iuuenis, ſanctificatus obit.

Vale Princeps optime, & me ama. Mantuæ die 27. Nouembris 1494.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Baptiſtæ Carmel. Sal.

ACcepi literas tuas quibus me de Patrui morte officioſiſſimè conſolaris, & conquereris, in occaſu hominis literarum eclypſim omnemq́ue gloriam noſtræ ætatis, velut à texente ſucciſam, ex his & amiciſſimi hominis officium, & veluti patris affectum conſpexi liquidò, & gratias ob id plurimas ago: ſed vt nos inuicem iam conſolemur, & literis tuis reſponſum aliquod demus (ſititorem alioquin te nouitatis conſpicio) ediſſeram paucula, differens in id tempus, reliqua quo fando coràm poſſimus ſatisfacere: ego quidem tanto ob patrui mei obitum dolore affectus ſum, tanta conſternatus mœſtitia, tanto parte alia gaudio exultaui, quantum de ipſius futura felicitate plaudendum, deque noſtra iactura dolendum oportere cenſui. Dolendum nobis profectò eſt, qui fortè ex propoſito in tenebris ambulantes, nec capaces, nec digni tantæ lucis extitimus: Eius autem vita laudanda nobis, & obitus demirandus, cùm plenus & ſanctimonia, & charitate deceſſerit. Tibi palàm facerem multa poſt obitum, ſed eius vitam parturio citò pariturus, qua plurima (non vulgaria equidem & triuialia) ſed quæ philoſophum, quæ Chriſtianum deceant, dabuntur intelligi. Bibliothecam ipſius opulentiſſimam, quis habiturus ſit nondum liquet: Attamen futurum ſpero vt fragmenta omnia, & quiſquilias in vnum redigam, & formis excudendas tradam, vt ſi fieri poterit, ſaltem in operibus reuiuiſcat. Heu ſpes fallaces, & inania vota, multas arculas minutiarum oppletas inſpexi, nec aliquid quod in lucem proprijs pedibus exire poſſet inueni: O' ſi vidiſſes quæ conceperat, quæ aggreſſus fuerat, vix poſſes lachrymas continere: reuixerunt in eo omnes Philoſophi, & Theologi, omnes antiqui, pariter & iuniores, ſi non ſuperati doctrina ſaltem & ingenio (ſi amanti & diſcipulo fides debetur) æquati ſunt. Concordiam illam Platonis, quam imperfectam deplorâris, ſi abſoluiſſet, nobis profectò dies feſti agendi fuiſſent, ita enim Philoſophiam ab incunabilis, à nomine, à capite exorſus fuerat, & adusq; noſtra tempora produxerat adultam, vt nihil amplius à noſtræ tempeſtatis Philoſopho, aut in Græcis, aut in Latinis codicibus deſiderandum eſſet: Citaſſet vdum Thaletem, ignitum Heraclitum, circumfuſumq; atomis Democritum: Introduxiſſet poſtremò philoſophiæ principes, Platonem mathematicis velaminibus offuſum, & Ariſtotelem ſcrupuloſè endelechiam perquirentem, qui eius opera fœdus eternum inter ſe ſanxiſ-

ſent: Inter Auerroem quoque & Auicennam: Inter diuum Thomam & Scotum, inducias impetraſſe: Iuniorum turba partim pro meritis, partim pro culpis & honorata fuiſſet, & taxata. Sed quid de hoſtibus Eccleſiæ dixerim, quos contra bellum mouerat, quos iam obſederat, atq; vnum ex his duodecim ictibus confoderat: & niſi diem obijſſet, eodem forte menſe catenis vinctum, & palàm ſpectandum, equis albis in Capitolium magno triumpho perduxiſſet: quibus in operibus non tàm diuinam, & humanam philoſophiam admirari dabatur, diuino, vt ita dixerim, ingenio explicitas, quàm quod eas Ariſtoteleis, vt ille inquit, pigmentis condidiſſet. Plura proſequerer, niſi futurum ſperarem, vt citò his de rebus colloqui poſſemus: Interim poteris & tu, & hi quibus præes, ad Chriſtum pro amico homine preces effundere. Et illum iugiter Patri in ſacrificium pro expiatione delictorum offerre, vt tibi & amicis omnibus ſuffragia multo fœnore perſoluat. Si tardiuſculus fui, Florentinum iter culpato. Cæterùm quandocunq; venies deſyderatus venies. Vale, Mirandulæ.

BAPTISTA CARMEL.
Ioan. Franc. Pic. Sal.

Dilatio honeſtiſſima tuæ reſponſionis credi fecerat literas meas in via perijſſe, & dum propterea nouas ad te dare ſtatuerem, iamque incœpiſſem eas exarare, ſuperuenerunt tuæ deſideratiſſimæ, ornatiſſimæ, iucundiſſimæ, nocte inſecuta. Credo ex eo quod die cogitaueram, dormienti mihi ſub auroram tempore quo cerni ſomnia vera ſolent, viſa imago patrui tui iam vita functi ſuperuenire, & mecum multa de angelorum natura, de ſpirituum aëriorum, ac terreſtrium, aquaticorum etiam ſpeciebus, nominibus, officijs, cum ſumma vtriuſque noſtrûm voluptate diſſerere. Et cùm eum interrogaſſem cur balbus eſſet (balbus enim videbatur) id ſignum eſſe reſpondit imperfecti & inabſoluti ſermonis, quem de rerum natura, & de philoſophia iamdudum inchoârat. Videbar accenſus deſyderio percunctandi de rebus occultis plurima, quæ nobis mortalibus mirabilia ſunt & ignota, & neſcio quo pacto id primum occurrit, quid, ſcilicet, amuleta prodeſſent infantibus, vt corallia & id genus alia, quæ infantulorum collo alligantur: reſpondit in his aliquando aliquid virtutis ineſſe, & hoc ad magiam naturalem pertinere, ſed vt plurimum damnatas conſuetudines & ſuperſtitiones eſſe, his dictis euanuit: & ego expergefactus diu multumque cogitaui, quæ collocuti fueramus in ſomnis, quia non inania eſſe, ſed penſi aliquid habere videbantur. Scribo autem hoc non quod inſomnijs vllam fidem adhibeam, id enim eſt, & à profeſſione mea, & à natura alienum, ſed quia non ſatis mirari poſſum quónam pacto fiat vt dormientes diſputent, doceant, diſcant, & ea plerunque faciant, quæ à vigilantibus fieri ſit impoſſibile vel certè difficile, habent certè neſcio quid diuinitatis animæ noſtræ: & ſi ſanctè ac piè viueremus nec tot negociorum ambagibus circumagerentur animi noſtri, haberent nobiſcum ſpiritus ſeparati magna comercia. Sed de his hactenus. Quod velis (vt ſcribis) patrui tui vitam conſcribere & laudo, & vt maturiùs id agas hortor & obſecro, id enim officij tibi maximè congruit, & tibi pluribus de cauſis eſt aſſumendum: nam & ſtylo, & eloquentia plurimum vales, quod eſt naturæ & induſtriæ & Dei donum ſingulare. Item quod gentilis eius ſis, & tàm mirabili viro arctiſſima cognatione propinquus, quo fit vt eius gloriæ non eſſe particeps non poſſis. Nec vllo modo pati debes vt clariſſima familia tua, quicquam tanti ornamenti ac ſplendoris amittat. Accedit ad hæc quod nulli magis, quàm tibi nota eſſe debet eius vita, quam tibi iam pridem imitandam, propoſueras & quidem ſapientiſſimè: erat enim egregium quoddam ſanctimoniæ & religionis exemplar, in quo totius ſapientiæ lumen apparebat. Dicam ergo tibi quod Chriſtus dixit Apoſtolis: *Colligite fragmentáne pereant:* & id tantò ſtudioſius agendum, quantò nobis, qui ſuperſtites ſumus, & futuræ poſteritati magis eſt profuturum. Proculdubiò & ſi video magis ei gratulandum qui poſtquàm tam breui nauigatione tamen ſpiritualium opum congeſſit, tàm feliciter in portum peruenit, non poſſum tamen de tanti viri iactura tecum non dolere. Mors Georgij Merulæ primum condiſcipuli, poſtea præceptoris mei (nam ſub Gregorio Tiphernate commilitauimus) triſtitia me affecit, ſed erat ille iam grandæuus & ſenio ingraueſcente, iam inutilis & functus officio. Hermolai & Politiani duorum illuſtrium virorum lamentabilis occaſus, attulit &

tulit &

tulit & mihi, & omnibus literatis graue cordolium, sed altius hoc vulnus insedit, & longè maiorem in Pico nostro iacturam passa est res literaria. Eloquentiæ campi lugent, Mathematicarum artium studia conciderunt, Philosophia omnis ac Metaphysices & Theologiæ altissimæ speculationes, quas ille amplificare ac illustrare iam cœperat, deinceps obmutescent. Sed parco iam, ne dolori iusto plus indulgeam: Curandum magis est vt ei & scientiarum studijs ac exercitijs, & morum integritate ac religione similes euadamus, & pari cum eo negociatione ditati perueniamus olim quo ille iam peruenisse se gaudet. Quàm primùm potero veniam, vt diuini eius ingenij reliquias immortales, quæ apud te sunt videam & adorem. Interea scribendi eius vitæ da operam, & me ama. Bene valeat Dominatio tua, cui me commendo. Mantuæ die 3. Ian. 1495.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Io. Mal. Sal.

HEri paulò ante cœnæ tempus, dum in conficiendo Dialogo nostro laborarem, quod post tuum discessum assiduè molior, venit in mentem vt vnum ex capitibus rerum earum, quas ex patrui commentarijs excerpsissi, stylo digererem. Ratus te vel hoc ientaculo allici ad vorandum copiosiùs, & tàm auidiùs, quàm ea quæ iam comedisti concoquenda & aliqua ex parte etiam concocta cognosceres: Primum desumpsit caput, hoc est, de discentium erroribus, quod cupiebam oratione splendescere, & si id ipsum vt volebam, præstare nequiuerim: Hesterno vesperi in exequendo negocio horæ ferè dimidium sum impartitus, hodie ante cœnam ad vigesimam horam absolutum est: Congessi quicquid venit ad buccam, nec ad indagandos flosculos per latissimos illos eloquentiæ campos spaciari idoneum tempus concessum est, videbis nihil omissum, præterquàm opinionem illam Socratis quæ liquidò etiam abs te extrahi non potuit: sed nihil ad rem, vel certè parum mea quidem sententia, addita cùm multa, tùm varia deprehendes, non tàm ad orationis filum, resque ipsas explicandas quàm ad eas augendas, & amplificandas. Illud ad te mittendum censui, vt si hoc scribendi genus laudares, ad reliqua exornanda amplificandaq; capita animosiores facti alacriores, & dispositiores essemus, sin minus probares a scribendo edoceremur, quid opus esset facto, vt ad hanc nauandam operam quam publicæ vtilitatis causa suscepimus instructiores, & doctiores euaderemus. Vale, tui valent.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Matthæo Bosso Sal.

DIebus præteritis Angelus Politianus, patruum meum Ioannem Picum certiorem reddidit se summopere abs te, dum Florentiæ degeres, efflagitasse quasdam Ausonij & Paulini commentationes, teque easdem sibi transmissurum spopondisse, rogans qua ratione posset, operam daret, vt illas consequi posset. At Picus in obeundis amicorum negotijs feruentissimus, pridie quàm è patria discederem ad me literas dedit, quibus impensissimè hortabatur, vt nuncium cum literis ad te mitterem Ausonij & Paulini consequendi gratia, qui si apud me essent, faciliùs possent ad Politianum transmitti. Ego verò ob vrgentissimum negocium non quiui patrui implere desiderium, sed dum fortè Veronam applicuissem, voluntatis patrui non immemor, decreui ad te nuncium mittere, quo liber Pico patruo, dein Politiano faciliùs proferatur. Venissem profectò ad monasterium, visendi tui causa, si tempus idoneum ad id obeundum muneris præstaretur, quapropter ignoscendum mihi postulo, aliàs maiore ocio, & quidem libentissimè negocium impleturo. Vale.

MATTHAEVS BOSSVS
Ioan. Franc. Pic. Sal.

POrrectos mihi, pie & inclyte Comes Ioannes Francisce Mirandula Picorum decus, tres tuos de saluatoris Iesu Christi ac Domini nostri nece, deque nostra mortalitate nouitios libellos, ac duos simul de Philosophia diuina atque humana, dum legerem auidiùs, & pro nouitate curiosiùs, nescio quid mihi profectò

magis

magis arriserit, grauis stupor, an immensa lætitia: Stupor quod tua in florentissima ista iuuenta liberiore vita dominatu, opibus, honoribus, & inter adulatorum plausus, quorum ludificationibus circumueniuntur, etiam nolint sæpè summates, interque gerendarum rerum & magnæ strepentisque familiæ occupationes fermè perpetuas, omnium literarum, egregia studia & sublimia sacrarum arcana, sis ita complexus, vt rari admodum hoc nostro etiam cultissimo tempore, possint (vt mihi videtur) iure tibi conferri: lætitia quod dolor ille, qui me tenebat, quantum intimum & acerbum capere (secundùm hominem dico) meus animus potuit, ex obitu, desiderioque Ioannis Pici patrui tui, viri cunctorum, quos vidi, aut amaui vnquàm, sine exceptu in omni genere probitatis & summæ doctrinæ præcellentissimi, & vnici euulsus est mihi stirpitus, atque sublatus, dum video illius decora tibi seruata, & in te nobis eundem reuixisse ita mirabilem, diuinum, florentemque vt erat in uita. Dignum me fecit & si indignus vtique fueram, benignitas Domini, vt eum tuum patruum integrum annum & menses nostro in Fesulano, (cui præeram abbas inutilis) hospitem & contubernalem habuerim, vbi sibi delegerat ad studia ocium captus commoditate secreti recessus, quem optabat sacrorum vbertate, & vsu librorum, quos sæpè petebat, amœnitate etiam vastioris tractus, vernantisque spectaculi, vnde offensos pertinaciori studio oculos demulcebat, ac verò denique illectus nostro famulatu ministerioque diuino, quod nunquàm satis expletus religiosissimè nullo non antè omnia frequentabat: cuius consuetudine atque præsentia mihi nihil fuit vnquàm inter humana iucundius, forma pulchrius, sermone frugalius, sapientia lucidius, vita admirabilius, inerat illi adhuc admodum iuueni senilis sensus, & spectanda vsque quaque maiestas, inerat benignitas generatim ad omnes: Clarebat etiam tanta tamque multiplici doctrina sine tumore, atque iactantia, quantumque vel qualem nulli concessam, ex quo viuo, vel audiui, vel vidi. Qualis sanctitas vitæ atque deuotio? tuum hoc donum, amator pie hominum Iesu, quàm altissima illius de te Domine, deque tuis inuisibilibus fides? quæ pietas? quis in res diuinas ardor? qui castitatis & pudicitiæ odor? qui pedem ita retulerat, ab omni mollitie & illecebra carnis, vt supra sensuum naturam, iuuenilemque ardorem vitam ducere videretur angelicam, præcauens sibi à colloquio, aspectu, incessu, cultu, victuque, periculum vnde posset oriri, vt appeteret, vel appeteretur, impurè oculatior, & vigilantior Argo: à quo fidentiùs & amiciùs audiui semel suorum secretorum particeps sæpè id grata & humili mente, acceptum Deo referente eam se assecutum Diuinæ gratiæ dono potestatem contra vires, & incentiua libidinis, vt non grauiùs adureretur, quàm septennij puellus. Ostendisti benedicte iterum atque iterum Iesu tuam hanc mirabilem genituram & Deificam sobolem terris, tuam diuinam apertè referentem imaginem, & mox inuidisti, ne quod cœlestis erat, & tuus ciuis lutoso diu retineretur in corpore, & habitaret aliena: sed enim relaxatus generosus ille spiritus à pondere, & vinculo carnis in sublimibus subuolaret, ad beatorum choros tua fruiturus æternitate, ad quam semper anhelans, suas omnes cogitationes, labores, studiaque direxerat, vt esset dignus non differri longiùs ab ea (quæ in te vno est) maximè Deus, gloria & vita beata, & extra quem nihil boni, aut veri possidet humana conditio. De illius verò suspensione mentis, & gustu quid dicam? quando illi dulce quidpiam meditanti, & mecum conferenti, inspexi interdum turgere oculos, manasse lachrymulas, quæ res me tantum perurgebat, vt in eandem, qua ipse mouebatur me verteret statim affectionem & habitum, mollescéremque cum illo tenerrimè: & ille vicissim me quandoque loquente, & ignem conflante laxaret præcordia in miram compunctionem & desyderium vitæ cœlestis, qua sanè recordatione (quotiens ea mihi subit) adhuc sæpè commoueor, & perdelector, & oculis inspicere videor sessiunculas nostras, & prælia literaria sancta quæ constituebamus subcisiuis spaciolis ad vmbram propylei, quod ad extremum triangulum horti admiscenda huiusmodi beata colloquia struxeram, vbi si plures affuissent, & excitata esset, vel ex constituto, vel obiter quæstiuncula aliqua, audiebatur ille à consessu toto, vt nouus Pythagoras, & ingentis nominis Theophrastus, quorum dissertationes, & sensa ducebantur oracula, quibus ne refragari fas esset. Quid tanta? Nam apud illum esse, profectò erat, apud cateruam omnium esse virtutum, cum ipso fari, cum angelis fari, illum audire, verba vitæ in vitam audire, & quamcunque doctrinam tam diuinam

diuinam quàm humanam fugere, atque libare: In hoc tantarum virtutum & vltra miraculum homine, cui quicquid potest, Diuino concessu natura præstiterat: & præsentes, & posteri fecisse iacturam non leuem, cum verò æternæ beatitudinis lucrum nemo sapiens addubitabit: ita quoque quis tàm ingratus vel inuidus, de te, Ioannes Francisce, rebus humanis non gratuletur, & plaudat hærede pulcherrimo & fœlicissimo patruæ laudis omnis & gloriæ, quas videris propè iam arripuisse omnes, & sustulisse nō tàm stimulis alienis, quàm tuapte agitatus virtute, donoq; afflante cœlesti. O' beatos tuos subditos atq; municipes, qui te caput habent, fulgens tàm multiplici & summa doctrina, virtutibus plurimis, pietate, sanctitudineque mirabili, qua rara hodie felicitas est. Plato eos populos fieri beatos censuit, quorum rectores & principes, aut saperent aut sapere omnibus horis quærerent. Sic & inquit noster magnus Aurelius: Si qui bene viuunt, scientiam regendi populos consecuti sunt, nihil est felicius in rebus humanis, quàm si Deo miserante habeant potestatem, fundamentum & causam, de his Claudiani versiculis licet agnosci:

——— componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos, edicta valent, vt vita regentis,
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Ita meritò rex Dauid ad reges: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Et insequenter paulò pòst: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta,* sed humana diuinis cedant. Et apud Hieremiam dicentem Dominum audiamus: *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia atque doctrina.* Occupasti iam gloriosum hoc sapientiæ fastigium: occupasti & genus omne virtutum, aperis & tibi quotidie quantum id potes vt video iter in cœlum, cui cùm accreuerit indies lux illa prudentię, quæ nulli venit nisi seris ab experimentis & annis. Quid te Mirandula habebunt sæcula ista nostris Italis oris fortunatius atque splendidius? precor tibi felicitatem, & tempus, vt virtus tua virtutem generet, sapientia sapiētiam, bonitas bonitatem, & claris istiusmodi perfunctionibus meritus tandem & expectatissimus scandas ad patruum, & triumphales cum illo beatorum sedes prælectis, & diuinis animis à sæculi constitutione paratas obtineas. Hæc vt ad te scriberem, me impulêre, id antea non cogitantem, tui lucidi & sancti isti libelli, qui veraciter docent, firmiter ædificant, ardenter inflammant, efficaciter mouent, & quaq; delectant. Subinde refricatio dulcissima patrui, qui humana pectora humani generis deliciæ, vt Magnes ferrum, sic attrahebat, in cuius locum si se mihi succedere veneratui amplitudo dignabitur tua, hoc munus ponam meis in secundis, & optimis rebus, atque si Deus tulerit vnquàm vt queam, vel semel te præsentem habere, ceu virtutis sapientiæ & dignitatis specimen, expressamq; imaginem Deitus è cœlo ad nos legatam te Pice complectar, & speciosam tuam manum, quæ gemmas cœlestes verius nobis est elargita, quàm atramentales literas papyro crediderit exosculari, lambereque non desinam. Matthæum contrà opto & rogo dignatio ne despiciat tua, & si adhuc inter publicanos magis, quàm inter Apostolos & Euangelistas, Domini sit numerandus. Vale supernæ Hierusalem ita eques habendæ, vt terrestris Mirandulæ comes, quod si placet etiam cohonorato mutuiter.

PETRVS CRINITVS
Ioan. Fran. Pico Sal.

POst discessum hinc tuum nihil ad te scripsimus, non deerat quod scriberem, sed malui de te multa apud nostros, quàm apud te de nostris. Te enim vel præpedissent nostra, vel fortasse obturbassent nostri, & de te, & tua omnia ita audiunt, vt oblectentur singulis, singula sic eos oblectant, vt omnia libenter audiant, volentes id & prompti agimus, in quo aut propria, aut amici laus. Dubitaui quoque futurum, si tecum literis agerem, ne (quæ tua morum, est suauitas) damnum ego nostri amoris aliquod, aut damni notam afferrem. Scimus quidem quàm non verbis tantùm & literis, sed re ipsa amicis ita studeas, vt officijs velut abundanti maris vnda, aut eos inobruas, aut ita propellas vt ingratos reddas: & herclè pro re nata interdum euenit, vt dum beneficium quis amico locet, amori damnum magis, quàm donum

num præstet, quoniam videlicet non liceat alteri vicem rependere, atque ob id velut ingratus mussitet: Eum tu me quidem, aut puto fecisses, aut feceris, qui fateri se quoquomodo ingratum sit coactus. Maturè Terentianum accepi, gratias ago, relaturus cùm primùm licebit: Interim reuoluam si quo possim pacto rationem conferre, & nomen in hoc veluti ex Ephemeride reluere: tametsi enim ob alia tibi multa me pridem sum obnoxium professus, vt nomen quoq; nostrum, ne ab inductibili linea exæratum sim crediturus, debet Mirandulano principi Crinitus, ac ita debet, vt si persoluerit debiturum se tamen adhuc prædicet. Scripseram superiori mense ad Mainardum, & eius quoq; lucubrationes in literis expectaui, vereor vt valeat & suo satis animo faciat. Illud me tamen & recreat, & minus angit, quod nostras suspicer literas, parùm ex fide ad vos delatas, post hac scribendo agam cautiùs, nam & noster Seraticus, quod in Semnyo Martiano agit futurum multò commodius admonet, si ad eum nostræ deferantur, quò tutiùs ad vos perueniam. Tuum opus de vero Philosophiæ studio desideratum à nostris peruelim cognôsse, an æditum adhuc & formis expressum eruditorum manibus proteratur. Sed hæc satis, Federico principi fratri tuo me commendes, eumq; ad bonas arteis inhorteris, aliàs plura. Interim vale, & Mainardum salutabis 5. Idus Iunij. 1497.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Petro Crinito Sal.

EPistola tua me sollicitum reddidit, ac in id sua vi pepulit quod vitâram, maluerim nihil cum Terentiano ad te scribere, eam notam ignauiæ, vel lubenter ferês, quàm certare literis, vt vincerer, quandoquidem apud te victoriam degere haud ambigebam, delegâram hoc munus Mainardo silentium meum redemptum existimans, aut occupationum excusatione prælata, aut ipsa formidine epistolario quodam conflictu congrediendi tecum: Nunc autem exciuisti me, & quasi dato signo ad congressum traxisti allectastiq; excusatione quadam, sed innatæ tibi modestiæ plena, quod diu tacueris, & post nostrum ex vrbe Florentia discessum, nihil ad nos literarum dederis, ne videlicet tuis, aut præpediamur, aut obturbemur. Ego quidem ne assentiri excusationi huic tuæ viderer, non nihil literarum dare decreui, ne fortè crederes agnouisse me, quod tuæ præferunt literæ, simulq; ne officium istud tibi mittendi literas, & solatium recipiendi mihi prorsus adimerem, verbis hac in re periclitari tutius ratus quàm silentio, aliud quoddam mihi molestius pariturо. Gaudeo tuis literis, cùm propter eruditionem cognatam, tùm propter spem iam diu de te conceptam, quæ mihi indies intenditur. Videris enim iam consecutus iuuenis, quod honestissimum sit seni consumpta in literis ætate desiderare, tanta ad hanc diem legisti, tanta notasti, quæ si modò non areant sine fructu posteritatis, eruditionis quandoque possis esse exemplar, vti non assentor, & ex animo scribo, ita te hortor ad philosophiæ studia, & Sacras literas, quò possis hunc à te comparatum magna industria colorem, solidis figuris impartiri, verumq; hominem non vmbram effingere. Ego & Mainardus sæpè plura de te aduentus ad nos tui perquam cupidi, tuæ ad ipsum tutò delatæ sunt, cuius lucubrationes non est quod citò desideres, adeò est in lucubrando piger, amorq; calcarium: valet quidem & iatrices incumbit praxi. Consilium tuum laudo cum Seratico nostro initum, quo tutiùs ad nos tuæ deferantur, ipsi & Acarolo, & Nesio salutem dices meo nomine. Nonnulla opuscula nostra Bononiæ formis excuduntur: Interim quæ pro amico scripsimus occultare poteris, alioquin simplici & exposito, qui noster est mos, stylo perscripta. Vale Mirandulæ 10. Calend. Iulias 1497.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Antonio Fauentino Sal.

EGo quidem ni credidissem debitum erga te meum iam veluti ex Ephemeride reluisse ob missos ad te aduersus Astrologiam patrui libros, qui ad te eos detulit, reliqua quoque illius opera detulisset, quorum te desiderio teneri tua indicat epistola, sed credidi nomen omne dispunctum. Quandoquidem dum Ferrariæ essem, nec aliud pollicitus fui, nec quicquam præter eos aut verbis, aut internuncio efflagitasti: Quæ autem in volumine meo perspexisti patrui opera ea industria colligari iussi, quo

commodiùs intueri omnia quæ ad hanc diem formis excussa sunt possem: Adde quod te alterum volumen non magnopere conquirere putaui, cùm omnia ferè in illo contenta à te iam cognita essent: Nam paucula sunt, præter Apologiam quæstionum, & Heptaplum ipso etiam viuente vulgatum; præterque opusculum de Vno & Ente, ac ea quæ super illo cum Pico à te, & à me itidem post eius obitum tecum disputata sunt: nihilominus si intellexero te nondum id assecutum, vt scribis, quod, scilicet, mea opera nancisci cupias, lubenter votis tuis faciam satis, curaboque quantotius ad te Ferrariam deferantur. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Antonio Fauentino Sal.

QVanquàm Ioannis Pici patrui mei obitu studiorum meorum alacritas omnis & spes quę quasi tota in eo reposita fuerat elanguit, quippe cùm futurum sperarem eo viuente, vt philosophiæ studia ad castitatem pristinam, sed magnis ditata opibus reuocarentur, Christianaque fides eliminatis in vniuersum erroribus hæresibusque depulsis, validissimis in aduersos hostes turribus muniretur. Non tamen sic animo consternatus sum, vt totis viribus non laborauerim ne vigiliæ omnes inchoatæq; lucubrationes quæ ab homine illo in literis vndequaque admirando profluxerant penitùs deperirent: quocirca mihi ipsi nostrisque hominibus consulens quàm maximis potui itineribus Florentiam contendi, dediq; operam qua potui ratione, vt quæcunq; ab eo notata fuerant licet inexpolita, & inexcussa in nostram permitterentur potestatem non inanes omnino fuêre conatus nostri, nam etsi adapertæ adhuc tabulæ non essent, nec notus hæres, adaperta nihilominus ita scrinia fuerunt, vt commentationes cunctas inspiceremus versaremusque. Vidimus in chartaceis illis dispersis codicibus incredibile hominis studium, lectionem omnimodam, conceptus supra captus humanæ mentis admirabiles: Verùm in redigendis scriptionibus non laudandam incuriositatem, hinc inde disiecta dissipataq; omnia, sed de his aliàs. Dum hæc diligenti cura euolueremus opusculum eius de Vno & Ente quatuor fermè ante occubitum annis emissum vnà cùm tribus in ipsum à te perscriptis epistolis earumque responsis in manus incidit, quibus ob rei nouitatem non perlectis modò, sed haustis, sed penè, vt aiunt, deuoratis (rumore enim id factum agnoueram, sed quid momenti allatum esset exploratum satis non habebam) mecum cogitare disceptareque occœpi, an illud publicitùs alijs cum operibus quæ in vnum redegeram, & publicanda censuram impressoribus dare deberem, nulla tuarum obiectionum habita mentione. An consultiùs fieret, si & oppugnatum hinc offensaculis inde propugnaculis promunitum exiret in publicum. Post longam rei discussionem postrema tandem menti sententia sedit: Sanè doctis hominibus obuiam factum notas infamiæ ferre videretur. Si accusatores non tantùm expauesceret, sed & in iudicium citare rectè quasi parum fidens conscientiæ non auderet, pariter quoque vt responsis comitatum iret, opportunum esse visum est, veluti ad defendendam causam innocentiæ testibus, quod nostrum consilium laudatum iri à probis viris non dubitaui, quando aut me pati oportuisset defunctum patruum, hominem profectò de me meritissimum, aliqua ex parte famigeratæ doctrinæ suæ tali non promulgato libello defraudari, aut eo solo progrediente nequissimis vituperatoribus ansam semper criminandi relinquere, non accitis in forum quæ & obiectando, & repellendo pluribus, vtrinque epistolis concinnata fuerant. At oblatis nonnullis literis Christophori Saxoli nostri, & ciuis, & Medici, quibus quartam te super in negotij cudisse epistolam quæ responsione caruerat (vt aiebas) nobis significabatur, res in dubium reuocata est. Iterumque sententiæ ancipitis factus pensiculandum exactius libratum iam iudicium duxi, quando postremus accusator vrgeret causam, nec esset qui patrocinaretur: Inde meum subijt animum titillatio quædam suscipiendæ defensionis, quò me tamen pro tutando silentio verterem non erat in promptu. Mouebant hinc mentem hominis modestia in omnesque benignitas, ingenij quoque solertia & acrimonia, in enodandis diluendisque etiam ex tempore difficilibus nodis inexplicabilibusque scyrpis, vt scilicet arbitrarer vltimam epistolam tuam non fuisse tutò delatam, cogitabam inde factu facile fuisse, vt quod rescripsisset: Si tamen fideli nuncio, tuę sunt redditæ epistolæ,

vel tabellariorum incuria, fit enim id sæpenumerò, vel alio quopiam casu in itinere perijsset. Succurrit demùm in enodationibus priorum quæstionum tuarum conquestum illum fuisse à te sæpiùs eadem iterari, & de eisdem sæpiùs dubitari, ob id statim totius controuersiæ nostræ capita percurri, an, scilicet, in primis responsionibus aliqua deprehendi possent quibus monstrarem fuisse quartæ epistolæ satis in parte factum antequàm scriberetur. Successit ex voto res tantaq; reperi ad propositum facientia, vt si non verbis, sententijs saltem, quantum fieri potuit, obiectionibus vltimæ epistolæ responderim, adeò vt ipsarum nodos, ex priorum quæstionum tuarum solutionibus apertos magna ex parte possit agnoscere. Addidimus multa à magnis etiam auctoribus pro testimonio petita, quæ omnia non alia de causa factitata à me existimare te velim, nisi vt rudium insolentiumque philosophiæ, & maleuolorum iudicijs occurrerem ad quos fortè cùm peruenisset fama, quartam ad patruum meum super ea controuersia dedisse epistolam cui non respondisset, tulissent actutùm sententiam (qui blacteronibus & inuidis mos est) alia quapiam de causa, quæ iusta non esset rescribere, Picum non curauisse. Alioquin, mi Antoni, etiam à principio susceptum opus libentissimè omisissem. Tum vt controuersijs à quibus abhorrens sum, & si iustissimam causam agerem non viderer initiari. Tum vt à vero philosophiæ tramite non deuiarem, quam post equos & arma, & si quosdam literarum flosculos à pueris olfecerim, post magnorum ducum commercia Ioan. Pico patruo, Ioanneque Mainardo nostro ducibus metiri occœpi, quando naturæ notitia non ad literarios desudandos agones, sed ad naturæ ipsius conditorem agnoscendum ordinetur, philosophicæque commentationes suapte semper sponte inuitare nos debeant ad penitissima diuinorum eloquiorum vestiganda sensa, hic studiorum omnium finis, his nobis iter reuelatur ad cœlum, si tamen ea non gloriæ nostræ captandæ gratia excoluerimus, sed vt Deum nostrum & faciliùs cognoscere, & feruentiùs amare possimus, vt inde promptiùs quæ mandauit facienda prosequamur, quæque docuit vitanda fugiamus. En tibi causam suscepti huius mihi oneris tecumq; negocij explicatam, iustissima est vt videtur, idcircò æquo à te animo perferenda, quin etiam arbitrari fortè potui, vt his nostris vti possem veluti internuncijs in auspicata mihi iam tecum contractaq; Ferrariæ beneuolentia confirmanda. Nam cùm proximis diebus isthuc appulissem qua es humanitate me inuisere dignatus es, atque inter loquendum de literis, deq; morte patrui, ac eius operibus multis inchoatis nec consummatis, percepta opinione mea respondendi, scilicet, tibi soluendiq; argumentationes tuas tantum abfore ostendisti offendereris, vt etiam quod facturus eram laudaueris.

ANTONIVS FAVENTINVS
Ioan. Franc. Pic. Sal.

LEgi missas ad me in patrui tui scripta defensiones, in quibus magnam rerum doctrinam & admirabilem ingenij solertiam planè deprehendi, sumque inuentionibus tuis mirificè oblectatus, non solùm propterea quod video bonas artes tutores optimos ac patronos aliquando habituras, quibus à tenebris, à Barbarie vindicentur, verùm etiam eò magis quod de te si philosophari pergas, nescio quid magnum ac grande mihi facilè polliceor, videbit posteritas me nihil mentitum si vixeris, Deus modò vitam longiorem præstet. Quod ad me attinet, equidem non improbabo, quæ in patrui defensionem subtiliter quidem & acutè scripsisti: neque enim si patruus vixisset disputationem iam cœptam magis vltrà protraxissem, quemadmodum in postrema epistola mea sum illi planè testatus, qui per internuncium respondit, se quoque nihil amplius scripturum, causæ igitur iudices sunto qui legerint. Quod si ea quæ probè meditatus es, impressoribus danda censuisti, saluo ac integro amici honore id fiat, quemadmodum promisisti. Sunt quidem nonnulla in libello verba, quæ aliquid habent aculei, nec omninò parum à quibus facilè potes temperare si velis, sensu rerum nihil immutato. Quod si feceris, vt spero, non erit ingratum: Causam meam videor mihi satis abundeque tutatus, & indies facilè tutari potuisse. Sed disputationi modus iam esto. Cæterùm comes Illustris putes velim me tuum esse ac semper fore, quo vti possis & abuti arbitratu tuo. Bene vale, ex Ferraria die 16. Decembr. 1495.

NICO-

NICOLAVS LEONICENVS,
Ioan. Franc. Pic. Sal.

HAbitam nuper Ferrariæ de morbo, quem gallicum vocant, disputationem, atque à me postmodum mandatam literis, cui magis quàm tibi, Ioannes Francisce Mirandulensis, dedicauerim, qui cùm superioribus diebus Ferrariæ adesses atque ante diem ad eandem disputationem constitutum, tibi ex causis vrgentibus esset discedendum, non parum dolere mihi visus es, quod eidem disputationi non posses interesse, neque dissimulanter tulisti gratissimam rem me tibi facturum, si quæ non potuisses præsens accipere, haberes absens ex meis literis, vel potiùs volumine ad id dedicato legendi facultatem. Et quoniam non te latebat magnæ contentionis disputationes à medicis atque philosophis pertractatas non veritatis inuentione, sed iurgijs atque clamoribus plerunque terminari, illud insuper à me expectare videbaris, vt non solùm quænam inter disputantes opinio tandem esset pro vera recepta tibi significarem, sed mei quoque iudicij calculum inter ambigentes sententias manifestarem. Quid plura? ego qui tibi propter tua eximia in me beneficia omnia debeo, pollicitus sum facturum me, quod optabas, arduum quidem opus, ac pene temerarium, nisi ipsum excusaret obsequium. Ecce igitur iam tibi fidem promissam exoluo quantò tardius, quàm tu fortè cupiebas, tantò maiore cum fœnore, non solùm enim eam, quæ præcipuè defendebatur Ferrariæ opinionem, sed quascunque alibi plurimum vigere intellexi, conatus sum pro mei ingenij imbecillitate confutare, meamq; postremo loco, exemplis, rationibus, ac nobilissimorum Medicorum auctoritatibus confirmare. Multa prætereà Auicennæ dicta, quæ ad propositam contemplationem pertinebant, duximus in controuersiam. Quare qui hæc lecturi sunt, quæso boni consulant, neque me propterea impudentem, aut insolentem iudicent, qui ausim magni nominis auctores incessere. Facimus hoc multorum veterum, ac præcipuè Aristotelis summi philosophi exemplo, qui tanti fecit veritatem, vt pro ea asserenda scripserit etiam contra præceptorem, neque verò hanc apud te præfamur veniam, qui hoc meum circa antiquorum scripta examinanda studium, adeò non improbas, vt in ea, quam nuper Ferrariæ habuimus de literis confabulatione, mirari te mihi dixeris, quod in illo quem superioribus annis edidi de Medicorum erroribus libro, Plinium tàm leuiter perstrinxissem, in cuius auctoris libris tu multo plures, quàm qui à me fuêre notati errores animaduertisses. Dicimus ista malignis, atque impudentibus, quorum alij ea etiam, quæ tacitè probant, quia tamen ipsi non scripserunt, aut inuenerunt liuore ducti apertè calumniantur, alij verò more pecudum alienis semper vestigijs insistentium, nihil suo, omnia aliorum iudicio tribuunt, & si cui se semel auctori addixêre, eius auctoritatem sine ratione, rationem esse arbitrantur. Vtcunque tamen hi de nostris scriptis iudicauerint, quantò minorem apud ipsos gratiam sumus habituri, tantò maiorem apud probos, ac doctos speramus consequi, apud te præsertim, qui Ioannis Pici patrui tui per omnium gradus virtutum vestigia imitaris, quique eam, quæ in eius intempestiua morte facta est literarum, atque omnium bonarum artium iacturam, ita resarcis, vt ad te respicientes Vergilianum illud omnes vno ore pronuncient:

—— vno auulso, non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Tibi itaque, & paucis cecinimus; vobis placuisse contenti, reliquorum autem vel inuidorum, vel imperitorum iudicia contemnentes.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Nicolao Leoniceno Sal.

QVantum ex tuo de morbo Gallico dicato mihi volumine, & voluptatis simul, & vtilitatis perceperim, nec præpeditus occupationibus animus, nec familiaribus epistolis præscriptum, & quasi vndique receptum ius explicare sinit: fidem aliqua ex parte facere possent, qui mecum diuersantur: quandoquidem heri eadem hora, qua ad nos delatus est liber, legendi eius initium sumptum, totumque ferè sine respiratione (nisi cùm in tuas laudes erumpebamus) perlegimus. Delectatus sum plu-

 rimum,

rimùm, ob ea quæ percepi tui erga me amoris ingentia testimonia: Iuuit me & ad asserendam pro virili veritatem, quanquàm animatum impulit in examinandis authorum veterum lucubrationibus, diligens tuum studium & laudanda dubio procul acrimonia, quandoquidem plerunque fit, vt tot recepti in authoritatem libri non solùm nobis emolumento sint, sed etiam detrimento non mediocri. Desinimus enim quod in quæstione versatur excutere, id habentes præiudicatum, quod qui ante nos literarum studia excoluêre, ratum habuerint, hoc tamen argumento, quod superioribus seculis vixerunt, quam monstrosam persuasionem, alibi quoque à nobis redargutam, ab ipso etiamnum Cicerone exprobatam legimus, docente in libris de natura Deorum, non tàm authores in disputando, quàm rationum momenta quærenda esse. Fui semper ego in eo albo, exceptis Diuinorum eloquiorum sententijs, pro quibus tuendis sanguis Christiano homini vltrò effudendus, demptisq; itidem quæ pro non dubijs Ecclesia prædicat, nullis vnquam commentarijs mancipandam esse fidem, nisi fortissimis rationibus, quasi veritatis columnis fulti sint. Et cùm hoc in omni re literaria obseruare conueniat, idipsum in Medicina præ alijs necessarium duco, cùm ob artis diuersissimas opiniones in ipsis (vt sic dixerim) fundamentis vacillantes, tùm ob fœdas deprauatasque translationes. Quamobrem, Nicolae charissime, vt institutum tuum laudo & gratias habeo, ita te hortatum præcipuè, atque exoratum volo, vt nostri temporis Medicinam à corruptoribus Barbaris in castitatem pristinam vindices: facere id commodè poteris, quæ tua est in bonis literis eruditio, quæ doctrina in te studiosa iuuentus fixit obtutum, à te præ alijs hoc munus exigitur cùm commentandi, tùm interpretandi in Latinam linguam scripta nobilium Medicorum, quandoquidem ex translationis lubrico etiam qui docti sunt habiti, venerauturq; nostro seculo magnas ruinas inciderunt, quod non minus doctè, quàm constanter notasti. Nec te terreant calumniæ imperitorum, propone ante oculos bona ingenia, quæ mirum in modum instituis, propone posterorum emolumenta, propone Deum, cui omnis eruditio in primis desudare debet. Vale Mirand. 8. Cal. Iulias.

PHILIPPVS BEROALDVS
Ioan. Franc. Pic. Sal.

EST boni principis erigere afflictos, prodesse insontibus, & calamitosis ferre suppetias. Noui te optimum, omnique bonitate præstantem. Ex quo fit vt Christophorus Baiulus nostrarum harumce literarum veniat isthuc fretus virtutis tuæ fiducia & petitionis æquitate. Sed vt apud te sit impetrabilior, commendatitias exaraui, quibus tibi maiorem in modum commendo Christophori negocium hominis & probissimi, & amicissimi. Quicquid, id est, ex ipso planè cognosces. Effice quæso vt intelligat id quod persuasissimum habet, me tibi esse charissimum, iusta à iustissimo impetrari decet, & impetraturos nos esse confidimus. Vale decus eruditionum, tibi addictus iam pridem sum, & mancipatus, &, vt inquit ille: Tibi me virtus fecit amicum. Calend. Septemb.

PHILIPPVS BEROALDVS
Ioan. Fran. Pico Sal.

FVndamentis amicitiæ quæ iacta sunt ex mutua collocutione fastigium imponet scriptio epistolica, cuius hic affectus, vel potentissimus est, vt seiuncta consociet, diuulsa connectat, quo glutino ac ferrumine nil tenacius est, ad beneuolentiam inter amicos absentes custodiendam: virtus tua præcellens, suauissimi mores, dexteritas, affabilitas tibi me arctè alligauerunt: Spero amicitiam inter nos futuram non deteriorem, quàm mihi fuerit cum Asylo doctrinarum patruo tuo incomparabili, cuius manes per Palingenesiam (opinor) Pythagoricam in te reuiuiscant. Habes hîc multos nominis tui obseruantissimos, quorum nulli cædit Beroaldus. Vale, & me, vt cœpisti, in numerum tuorum ascribito. Ex Bononia 11. Calend. Maias.

IOAN.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Philippo Beroaldo Sal.

TOt me onerasti officijs, Beroalde doctissime, vt magnum mihi fortè esset terriculum ne ponderi succumberem, nisi ea ijsdem nostro animo facta esset charitatis accessio, quæ infirmiusculas ad restandum vires pro sui calore redderet fortiores. Fastigium illud de quo scribis quod tua ex parte impositum siet nostræ amicitiæ, non eo inficias: Ita quantum attinet ad me, laborandum mihi esse asseuerauerim, quo tamen (ne dubita) perueniam: Id enim negocij & officijs crebris & amore peragitur: Et vinci (vt inquit ille) in amore turpissimum est: literas tuas mihi semper & suauissimas, & gratissimas, vt exopto, expostulo, & ob iura amicitiæ exigo, ita necessarias minimè assero ad custodiendam meam erga te beneuolentiam: illæ quippe infirmiusculæ sunt amicitiæ, quæ epistolicis scriptionibus, veluti sustentaculis indigent ne corruant: propensione quadam animi semper ad ineundas cum doctis viris amicitias sum perlatus: & eas arctissimis nodis vinciendas, quantò magis firmam futuram, inter nos quæ cœpta est, imò perfecta indicauerim: quando & tempestate nostra politioris literaturæ, facilè princeps existas, & nullo merito prouocatus abs te sim in mutuam animorum concordiam. Fuit inter te & patruum illum meum vndecunq; doctissimum, amor omnino mutuus atque par cui postquàm ex hisce tenebris euolauit ad Deum hæredis loco tuæ beneuolentiæ tabulis indelebili atramento designari volo: Hæredis, inquam, si non doctrinæ, cuius nec pinnas suspicere quidem possim: sancti tamen illius instituti diligendi omnes pro meritis duntaxat & virtute. Me autem meisq; rebus omnibus æquè ac te ipso & tuis vti potes arbitratu tuo, & pro tua in literis præstantia, & pro ea qua me semper prosecutus es humanitate. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Paulo Soncin. Sal.

MArianus vester, vel potiùs noster qui proximè concionandi gratia huc appulit, & in præsentia correptus valetudine Bononiam reuertitur, salutem plurimam mihi tuis verbis dixit: Et quo me amore prosequare abundè declarauit, cui officio vtinam par essem, Paule charissime. Suscipi enim à te inter amicos ob ingenium tuum singularemq; doctrinam exoptaui iamdiu, sed ad id obeundi muneris, nulla vnquam mihi extitit, vel causa, vel argumentum; Nunc verò salutationibus his veluti internuntijs vtar in auspicanda mihi tecum, vel amicitia, vel charitate, quo ad illam quæ literis inchoabitur: Tempus opportunũ dabitur, vt fando coram possimus roborare: Verùm vt ab initio tecum, à me illud agi cognoscas, quod veteres iam inter se amici facere consueuêre. Abs te impensissimè peto vt quæ in Ioannis Capreoli opus elucubrationes perfecisti, ad me mittas: Nam diui Thomæ doctrinæ plurimùm afficior, sedulus commentationum eius cultor, atq; ob id quoscunque amplector, qui doctrinam ipsius à calumnia vendicant. Quæ verò in primam Aristotelis Philosophiam ædidisti, ni te illas formis excudendas traditurum audissem, etiam precario efflagitassem, propterea tamen te nolim credere me illorum vestigijs inniti, qui in hisce studijs totos se mersant, tantum enim abest, vt eorum opinionem, vel laudem, vel proueham, vt etiam sæpissimè accusem & damnem, cùm mihi parùm ea studia ad felicitatem conducere videantur, si modus absit, & diuinarum Scripturarum frequens lectio dimittatur. Nam primò ea nobis quærenda sunt studia, quæ Dei amorem nostris in visceribus inserant: Postremò verò quæ intellectum illuminent. Nam quoad viuimus, fragilique hac carne circumdamur perfectio voluntatis quàm intellectus maiori nobis est vsui.

Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Maximiliano Cæſari Auguſto
Salutem.

SCribit Euſebius Pamphili, Summe Regum Maximiliane Auguſte, videri ſibi Gentium Philoſophos, ſi aut inter ſe, aut cum alijs compararet, claros illos quidem viros fuiſſe, ſi verò eos ipſos Philoſophis, Theologisque conferret, qui veri Dei cultui vacaſſent, inanes, & friuolos: Sic mihi de te fari liceat, Auguſtiſſime Cæſar: Viſi enim ſumma & æſtimatione, & gloria digni multi, qui hunc, quem tu feliciſſimè inſides Romani imperij thronum conſcendere, ſi vel inter ſeſe, vel alijs cum regibus diuerſarum Gentium, & nationum conferantur. Tecum autem collati (abſit tàm inſtituto meo, quàm à caſtiſſimis tuis auribus adulatio) ſubſidere gradus non parum multos conſpicientur. Tantus enim & ſublimis adeò tuarum virtutum cumulus, vt vetuſtorum ſeculorum gloriam, & antiquitatis illius, vndequaque laudatæ famam ſuperaueris. Vt enim prætercam quæ penè puer aduerſus contumaces Gentes & rebelles populos, non per legatos, ſed per teipſum geſſeris, fuſosque & fugatos potentiſſimos hoſtium exercitus, captas vrbes, detriumphata prælia. Vt item decora pacis taceam cum bellicis certantia, quanta ſe mihi offert ſeges, ſcribendique materia, ſi ad acumen ingenij, corporis robur, rerum, linguarum peritiamque, ſi ad prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, clementiam, pietatem, reliquasque in homine raras, in principe rariſſimas virtutes me conuerto, quas Dei Maximi Optimi munere cumulatè adeò poſſides, vt tecum natæ, alitæ, imò in alios à mutuo, profectæ videantur. Sed dabitur olim fortaſſe (vt eſt in votis) tantillum otij, atq; quietis, ut proſequi latiùs iſta diligentiusq; pro virili poſſim, futura poſteritati in exemplũ & profutura. Fecerunt olim virtutes iſtæ tuæ, Magnanime Cæſar, me tibi eo deuinctum, vt nihil antiquius, optabiliusq; mihi in rebus humanis contingere poſſe arbitrarer, quàm Tuæ Maieſtati in re aliqua vel belli, vel pacis, vel vtriuſq; gratificari. Tanta autem propoſito huic meo acceſſio facta eſt ob ea, quæ in me parum alioqui, niſi ex fide meritum, beneficia contuliſti, vt ex ipſo deſyderio quædam prope neceſſitas ſuborta ſit. Quapropter cùm ad præſens ſe mihi nil offerat te dignum exiſtimans, tamen nouarum lucubrationum, qualeſcunque illæ ſint, dicationem tibi non ingratam fore, librum hunc noſtrum, & ad te mittere, & ſub tuo nomine publicare voluimus, rati & futurum id apud te non ſolùm fidei noſtræ, & obſeruantiæ teſtimonium, ſed & pignus cudendi in tuo nomine, ſed & rerum tuarum, vti maiora, ita & meliora. Namque inter tot fragores armorum & tumultuantis Italiæ ſtrepitus, curasque à meis finibus arcendorum quoquo modo hoſtium, ſuffurati nonnihil otij ſumus, vt hæc noſtra de Imaginatione meditata conſcriberemus, futura fortaſſe lectoribus (ſi qui erũt) non inutilia, niſi & ipſa nos imaginatio noſtra fefellerit. Reliquum eſt, Maxime Cæſar, qua te fide, & pietate poſſum, deprecer, vt ſanctiſſimum illud propoſitum tuum vindicandæ in priſtinam libertatem Chriſtianæ reipublicæ, quàm citiùs fieri poſſit, adimpleas. Concutitur ab externis hoſtibus, ab internis laceratur, & Ieſu Chriſti Domini noſtri ſanguine circumſeptum & conſecratum ouile peius multò perpeſſum eſt, indiesque patitur à lupis ſub ouina, quàm ſub propria pelle graſſantibus. Age igitur iam Cæſar optime, & excitis qua ratione potes Chriſtianis regibus: Te Chriſto regum omnium regi, oues ſuas tàm ab hoſtibus, quàm à perfidis Paſtoribus iamiam liberaturo, fidum miniſtrum exhibe: Mirandulæ Calend. Decembris. Anno ab Chriſti Incarnatione. M. D.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Ludouico Mariæ Sfortiæ Mediolanenſi
Duci Sal.

QVi virorum illuſtrium vitas, Illuſtriſſime Princeps, lectionibus poſterorum exaratas tradiderunt, alij id egere, vt eorum nomina quibus aut ſanguinis neceſſitudine deuincti, aut parta diſciplina obnoxij reddebantur edaci vetuſtate non exoleſcerent, ſed obliuionis iniuria prorſus vindicarentur, quod pietatis genus Plinio auunculo Plinius, & Plotino præceptori Porphyrius exhibuerunt. Alij verò

verò id ipsum & quidem auspicatius effecêre, vt, scilicet, non tam æternæ defunctorum memoriæ quàm superstitum comparandæ vitæ consulerent, ideoq; Hilarionis Hieronymum, Athanasium Antonij, Martini Seuerum, Paulinum Ambrosij, studia indefessa, mores exactissimos, opera clarissima chartis mandasse comperimus: vnde & Dei gloria se per orbem diffudit, & homines ad bene beateq; viuendum, & doctrina, & moribus etiamnum concitantur, quorum illectus exemplis, operæpretium me facturum putaui si vitam Ioannis Pici stylo prosequerer, tùm vt patruo eidemq; præceptori cuius spiritalibus beneficijs auctus & cumulatus sum, quasi debitum munus exoluerem, tùm vt hominem & nostro, & futuris sæculis proponerem admirandum, eius enim exemplo mortales & ad frugalitatem institui & impendentis obitus possunt admoneri, sed & doctrina abundè locupletari, cùm inter omnifariam literatos nostræ tempestatis (ne citem antiquitatem) extra omnem aleam principem locum obtinuerit: inuidiosum fortasse verbum, sed proculdubiò verum: sed his compertum qui eum intus & in cute (vt dici solet) explorauêre, nec illis futurum absonum, qui quinque illum nouisse linguas humanam & diuinam Philosophiam calluisse, cunctasq; hausisse disciplinas, quæ in vsu sunt mortalium, sed quasdam eruisse de tenebris, quasdam etiam excogitasse, nec dum vndena triteride perfunctum, aliquando nouerint. Fidem amplissimam facient commentationes illæ nunquàm satis pro meritis celebratæ quæ in præsentia prodeunt in publicum Heptaplus, Apologiaq;, & tractatus de Ente, & Vno, aliaq; complușcula: omnia adeò illustria suapte natura, totq; sapientum virorum commendata iudicijs, vt qui eadem vel damnet vel minus probet, aut nō summis efferat laudibus protinus idē contra se ferre sententiam, vel ignoratæ literaturæ, vel maleuoli animi suspicioni sit, inuidere ei tàm multi possunt, quàm vel omnes admirari, vel paucissimi imitari, vel nemo reprehendere, reliquę illius scriptiones sequenti ordine inuulgabuntur, potissimùm Astrologicæ pestis confutationes, multis laboribus elucubratæ, multis suspirijs ab hominibus bene institutæ mentis, & expectatæ, & flagitatæ multaq; opera à nobis in vnum ex liturato & multas in partes discerpto exemplari redactæ quæ proximè foras exibunt, vt quàm citissimè fieri possit, viuifico suo splendore caligantes oculos & tabifico superstitionum vapore infectos illustrent hos libros si à tractandis regni negotijs feriatus interdum degustaueris. Fies extra omnem controuersiā certior Astrologorum dogmata meracissimas esse nugas, & veluti somnia delirantiū eorumq; præstigias his monumētis patefieri, quibus lectis atq; intellectis vanitatis istius professores qui nostrates imitati ranas diu coaxauerunt, nisi in apertam inciderint insaniam Macedonicarum more conticescent, id quod fortè inter disceptandum super hoc negotio me tibi aliqua ex parte testificatum memini: Hæc interim libenti suscipies animo, quæ nulli magis quàm tibi dicanda censui, vt meam in te fidem & obseruantiam, quàm dum tuis mererem stipendijs perspectam & exploratam habuisti non modò, non traditam obliuioni, sed & perseuerare, & augescere indies agnosceres, non ingratam etiam me tibi rem facturum sum ratus, quando ea librorum dignitas sit, vt inscribi eos si Maximi reges honestum semper & gloriosum sint arbitrati. Reliquum est vt quo te amore prosequor ad bipartitæ iustitiæ obeunda munera exhorter atq; adiugiter comminiscendum inuitem (quod prudentissimi principis semper est officiū) non tàm honorem quàm onus esse quod regnes, vt spectatis circumquaq; quæ & hominem, & principem hominem obsideant impedimenta, eadem moderatissimis affectibus superare possis, æternamq; tibi felicitatem promereri. Vale Princeps Clarissime. Mirandulæ Cal. Martij 1496.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Alberto Pio Sal.

CVlpandus sum iure, mi Alberte, quando id muneris quod mihi multùm otij nacto obeundum fuerat, alternè, scilicet, missitandi epistolas, multifarijs te negocijs implicitum exequi permiserim, nostram tamen amicitiam ob diuturnum hoc silentium non modò dissolutam dissipatamque, sed nec aliqua in parte labefactatam formides, quando locorum ista intercapedo actionem tantùm abstulerit, amicitię non induxerit obliuionem: verùm hîc excusandi locum, nequaquam

captauerim, agnosco ingenuè culpam tuam illicò & admiror, & laudo humanitatem, quæ magis apud me, ac magis splendescit. Quî fieri profectò potuit; vt tu destitutus (vt ais) parentibus, nec dum iunctus coniugi, qui intestinis negotijs & familiaribus impeditus, ac amarulentis altercationibus indies commotus, & philosophiæ studio (quod magis est demirandum) inter tot fluctuationes animi mancipatus, ociosum me hominem, qui cùm externa, tùm domestica propelluntur, à parentibus incommoda cui consors thori, & quidem Theophrasti probanda iudicio, minutula quæque rei familiaris impedimenta subleuat, nihil ferè aliud, quàm humanæ diuinæq; literæ pertractentur ad scribendum inuitares? Hæc me ad id officij capessendi & excitare, & compellere illa te ab cœpto munere reuocare debuerant, apprehensumq; manu calamum transuersum rapere. Debeo igitur tibi plurimum, qui meam aliquando negligentiam adeò modestè exprobrasti, vt non tàm delictum incesseres, quàm ad resarciendum omissa, & inuitares pariter, & impelleres. Eia igitur, mi Alberte, mittamus crebrò epistolas, amplectamur philosophiam, vt diuinorum mysteriorum capaces euadamus: Identidemq; sacra pertractemus eloquia, quibus benè viuentibus fulcimentum paratur, mentemq; nostram ob dæmonis astus in diuersa rotatam, maleq; affectam & contaminatam, & abluamus, & roboremur, vt stata tandem soliditate firmatam terrenisq; defæcatam contagijs, & vltra mundanam sedem, & Dei opera tanquàm per scalas euectam, Deo nostro Optimo Maximo contemplatio læta conglutinet. Hic finis est eius animæ partis, quam intellectum nuncupamus, quando ad eam cognitionis metam peruenit, quam incorruptibili carne prætergredi humana nequit infirmitas: sed illud assiduè meditandum cauendumq; ne contemplatiua contenti vita, eius animæ partem, quam voluntatem seu appetitum vocitant, sordibus incultam & inexpiatam relinquamus, ne nosmetipsos, qui puluis sumus magnifaciamus, ne iracundiam cohibere negligamus, ne alienas res aut possideamus, aut appetamus, ne exerceamus odia, aut corde retentemus, ne in venereas defluamus delicias, & id genus cætera, quæ maximo opere his qui cœlum scandere cupiunt, & vitanda sunt & formidanda. Cæterùm te expecto, vt viua tandem voce non epistolis philosophemur, Canes, Perdicum, & Phasidis alitum exploratores, quos expostulasti præsens assignabit nuncius. Dedi operam qua ratione potui vt ad te mutuo mitterentur. De his quæ circumferuntur nouis nihil magis sentire me credo, quàm quod tu sentias, Parmensem, scilicet, agrum à Gallis occupatũ, Chiumq; insulam mero quondam celeberrimam (ita fertur) ab Turcarum exercitu, obsidione vallari, Calabriam & Apuliam à Taraconensibus (quod mihi creditu difficile est) iterum in ditionem vendicatam. Illyrios quosdam, qui à Venetis in auxilium Duci Mediolanensiũ missi sunt nonnihil fecisse in Gallos, quod vel parum, vel nihil crediderim. Nihil aliud est apud me, quod tui dignum notitia existimem. Iterũ vt citò venias & oro, & obtestor. Vale.



IOANNIS FRANCISCI PICI EPISTOLARVM LIBER III.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Mirandula Her. Es. Sal.



SI literæ meæ ad te peruenerunt gaudeo, si rectè percepisti sensum earum gratulor, si quod continent, fueris executus, exulto, nihil mihi profectò iucundius optabiliusq; intelligere, quàm tuæ conscientiæ rectitudinem, nihil antiquius, quàm mores tuos ad Christi regulam reformatos, quod vt maturius efficias, quanquàm te benè animatum esse ad obeundum munus perspectum habeam & exploratum, non desinam tamen pro ea, qua te semper sum prosecutus charitate frequentia ministrare subsidia. Porrò multis de causis ad id officij

subeundum impellor, tùm ob sanguinis necessitatem, tùm ob veterem consuetudinem, inchoatamq; ab ipsis crepundijs amicitiam. Adde quod enixissimo tuo rogatu conuictus propensissimè voluntati tuæ satisfacere oportere censui. Scriptum est enim: *Omni petenti te tribue.* Et alibi: *Gratiam in alios quam nos accepimus communicare commonemur.* Exordiendum igitur mihi fuerit ab illo cuius ope in mundum hunc venimus primo principio, vt possimus nosse quid sumus nos, quibúsve constemus partibus, quæ nostra opera & actiones esse debeant, vt ipso iterum principio qui & noster est finis, & perpetua felicitas, sempiternaq; beatitudo, coniungi valeamus. Omissa autem quæstionum subtilium discussione, omissis scrupis & ænigmatibus ea aggrediar enarrare, & quantum fieri poterit, palàm facere, quibus & mentem erudire, & affectum ad benè beateq; viuendum excitare poteris. Indiuisa igitur indiuiduaq; penitùs Trinitas, quæ vnus est Deus æternus, immensus, incomprehensibilis, ineffabilis, in principio temporis mundum creauit ex nihilo, & omnia quæ sagacibus vtriusque hominis oculis (mentis videlicet & carnis) lustrari quimus, quæ supra captum etiam nostræ cogitationis existunt, Angelorum, scilicet, numerum pariter & ordinem infinita eius bonitate condidit; quorum quàm plurimi cognita felicitatis magnitudine, eamq; vel à se ipsis habituros arbitrantes, vel Clementissimo Deo æqualem gloriam optantes, ex altissimis illis sedibus in immane barathrum, huiusq; caliginis foueam, duce superbia, corruerunt. Quapropter ad implendum sedes ob eorum casum inanes, creatus est Adam ex anima & corpore: anima, inquam, rationali, vt differret à brutis, & ex ipsius costa thori consors Eua, qua posset genus humanum propagari ad habitandum cœlum institutum. Sed quæ nostra miseria, ob eius inobedientiam effectum est, vt morti simus obnoxij, qui prius in nostra fuisset facultate posse non mori, & ad beatitudinem nullo dolore, nullis calamitatibus, nullis ærumnis, quibus circumfusi nunc premimur posse sustolli. Hinc peccata omnia pullulârunt, hæc causa diluuij, hæc ciuitatis infernæ repletio. Humani tandem generis miseratus Omnipotens, ex Maria virgine carnem assumpsit, & homo factus est: Perfectus Deus, perfectus homo, qui tàm multis annorum curriculis, per ora Prophetarum, per Patriarchas populi, quem sibi ad verum cultum religionis delegerat, nunciatus est: homo, inquam, factus, vt pro nobis moreretur, vt pro delendo peccato originis in ara illa preciosissimum sanguinem crucifixus effunderet, ac pro expiatione delictorum nostrorum Patri offerret, vt etiam eius nos dogmate instrueret insinuaretq;, quibúsnam modis æternam mortem fugere & euitari, & inde felicitatem, & summum illud bonum quod ipsemet est, adipisci possemus. Quid ergo nobis, mi frater, ille faciendum præcepit? Quid illud est quod si non facimus digni efficimur, de quibus æternum sumatur supplicium? Quid illud idem, pro quo vitam nobis perpetuam æternamq; beatitudinem pollicetur? In Euangelio quæ perpetua lectio Christianorum esse debet continetur. Quid plura complectuntur etiamnum decalogo hæc omnia, quin etiam duobus tamen verbis, quinimò solo charitatis duntaxat nomine ambitur? Conemur ergo ne maxima Dei nostri misericordia abutentes negligamus præcepta, perpetremus prohibita. *Seruus enim qui voluntatem Domini non implebit, vapulabitur multis* (vt scriptum est.) Cùm igitur ex anima constemus & corpore, terrena etiam possideamus bona, vt diuitias domus & id genus cætera, quæ nobis à Deo Optimo Maximo tributa sunt, vt deseruiant corpori: Corpusq; ob id commodius famuletur animæ, vt anima ancilletur Deo, qui eam ex nihilo creauit Diuinitatis capacem, idcirco ordinemus actiones nostras & opera ad illum finem, quem cuncta desiderant, summum, scilicet, bonum, quod optant omnia. Bona igitur exteriora, quæ nobis superfluunt egenorum releuent miseriam potiùs, quàm canum & falconum saturent ingluuiem, corpus ieiunâs vesanæ mentis motus compescat. Oret anima iugiter, Christi sui mortem sæpissimè contempletur. Hæc sint Christiani hominis officia, hanc viam percurrere tutum est, his armis capiendum est cœlum. Dic quæso, mi frater, cur tu abundas, ille verò mendicat, nisi vt excellens ille Theologus ait, vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ meritis coronetur, non tuæ sunt superfluæ illæ exuberantesq; diuitiæ, quas habes, sed omnium, imò tuæ vt prius tibi deseruiant, deinde pauperibus qui canibus sunt præferendi, quos vt teipsum debes diligere. Artende obsecro illud Propheticum dictum: *Qui in auibus*

cæli

cæli ludunt, qui thesaurum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines: lege illud sæpiùs, & propensissimi illi venandi ardores aliquando frigescent, qui temperandi quidem, non vt omnino mali, sed vt sæpenumerò inanes, sed vt multa opera quandoque perfectiora impedientes: errares profectò, & quidem dispendiosè, si crederes tot tibi beneficia à Deo collata fuisse, vt vitijs & diuitijs, qui nostrorum hominum plærunq; mos est incumberes, vt nil aliud, quàm terræ quadrupedia, & cœli aues depasceres, vt totum vitæ tempus in nemoribus consumeres, vt multo luxu viueres: Vtere ergo his bonis quæ tibi Deus munificentissimè contulit, ad salutem, non ad interitum. Corpus item subijce animæ rationabili obsequio non nimio etiam & scrupuloso: Anima quippe in Dei operibus occupanda est, orationibus vacandum, cùm dixerit Christus, *oportet semper orare:* cogitandum demùm eius beneficia, quæ magna profectò in te extiterunt. Dedit diuitias quæ sicuti malis hominibus obesse possunt, ita (vt ait Ambrosius) probis possunt adiumenta virtutis. Dedit coniugem qua possis te à libidine carnis noxia prorsus abstinere, & procreare sobolem ad Dei cultum educandam. Dedit corpus & pulchrum quidem: dedit animam ipsius insignem imagine, nec eam quotidie cessat, vel bonis aliorum exemplis, vel adhortationibus, vel locutionibus, ad benè beateq; viuendum prouocare: Eia obsecro, surge qui dormis, surgamus omnes, qui cœno & volutabro mundi huius hæremus, immersi exurgamus à mortuis. Accedamus ad Deum eiusq; incessanter imploremus auxilium. *Ecce nunc tempus acceptabile,* quis scit an adijciat hodiernę Christiana summę tempora: Cogitemus nos peregrinos esse (vt verè sumus) à dulcissimo Paradysi patria exulantes procul: Cogitemus iterum si rectè bonis quæ nobis à Deo sunt collata fuerimus vsi, corpusq; subiecerimus animæ, animamq; postremo Dei obsequijs mancipauerimus, iugoq; Domini quod leue est, & suaue, ipsomet testante, submiserimus, futurum aliquando vt voce illam simus audituri: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: Sitiui enim & dedistis mihi bibere: Esuriui & dedistis manducare: Nudus eram,* &c. quæ in Euangelio continentur, quod vt fiat in nobis, tu pro me & ego pro te oro. Vale & parce, hæc quoniam ex tempore ferè dictaui & Archetypum mitto. Bigus noster, si quid erit in ipsis ambiguum enucleabit & reddet explicitum: & si quid offendet rude & incultum, dabit veniam stylo, alioquin nec cura multa nec ingenio elaborato: Nec putaui opus esse verborum fucis, vbi inter consanguineos de moribus ageretur. Iterum Vale, Mirand. 11. Idus Martij.

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Ioan. Francisco nepoti Salutem.

GRatissimæ fuerunt mihi literæ tuæ, non ob id modò quòd iam pridem de te nihil audieram, sed quod & ea mihi significabant, quibus sum mirificè delectatus, quando eadem & tibi omnino grata, & Deo gratissima esse non dubito. Tu quoque nihil dubites si modo quam cœpisti via perrexeris, mercedem tuam copiosam in cœlis esse futuram. Ego nondum satis habeo exploratum eundum Romam mihi sit, néene. Et quantum equidem assequi possum coniectura futurum potiùs credo, vt illuc mihi eundem sit, causam nosti. Hoc vbi certum habuero, statim te certiorem reddam, ne si huc fortè veneris (quod alioquin ego summoperè vellem) aut me hîc non inuenias, aut statim discedente me in patriam tibi sit redeundum. Interim domi esse poteris, nisi tu quidem aliter sentias. Sed & illud memineris habere te vxorem cui non aliter corpus tuum quàm Deo ipsam animam debes. Est illius desiderio aliqua ex parte satisfaciendum, cogitandumq; tibi est quid illa ex habitu corporis, ex ætate aut appetat, aut appetere possit: Quid ex pudore, ex virtute non petat: Cur enim pudeat hæc scribere quæ & Paulus scribit Apostolus? Nulla est ferè res in qua te magis suspicer errare posse. Et quidem falluntur nostri homines plurimum, qui obligatas quidem addictasq; sibi vxores putant suas, se vxoribus nihil, sed posse de se, quicquid illi censuerint pro arbitrio statuere. Deniq; tuus totus esse non potes, qui semel nuptiarum legibus te subijciens vxoris esse voluisti, potest nihilominus totus esse Dei quem & tibi promereris dum vt legi eius obtemperes, tibijpsi etiam in his quæ sunt Dei minus obtemperas. Sed de his aliâs tecum coràm etiam sum locutus. Ego vt primùm

mùm aër vernauerit, hoc est, inter primos quadragesimæ dies, cùm me scilicet ex his Græcorum librorum fascibus extricauero, statim Ferrariam veniam, interim Sacris literis insta, præcipueq; Euangelicæ lectioni, quæ animum identidem ad Deum adducat, quem inde abducere & mundus, & dæmon ille illecebris, hic fallacijs, dies noctesq; non cessant. Vale animæ dimidium meæ, & Deum ora pro me. Cùm primùm de mea Romam versus profectione aliquid statuero, te certiorem reddam. Floren. 27. Nouembris. 1492.

IOANNES PICVS MIRANDVLA
Ioan. Francisco Pico nepoti Sal.

QVòd hactenus tuis literis non responderim, hoc fuit in causa, inciderunt in manus meas libri quidam Hebraici in quibus iam perpetuam hebdomodam assiduus fui dies & noctes, ita vt penè me exoculauerint. Est enim hinc ad 20. dies discessurus, qui huc libros attulit Siculus quidam Hebræus, quare dum me ab illis extricauerim, ne literam quidem à me expectes, neque enim possum momentum ab illis discedere ne forte illi discedant priusquàm ego eos omnes excusserim. Cùm ab hac cura liber fuero obruam te literis, quanquàm scis animum me habere occupatissimum. Si quid autem tu vnquàm mea causa es facturus, da operā qua ratione potes, ne meum istuc aduentum Barri princeps desideret: studia enim omnia interturbarem mea quibus nosti tu quam sim deditus, quamq; nihil præter ea curem, haud satis autem mihi constat vtrum mihi molestius illi, an mihi displicere. Vale & Deum time, & te quotidie cogita esse moriturum. Ferrar. 30. Maij. 1492.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Hier. Tor. Sal.

VIderer vulgarijs illis tàm fictis, quàm ineptis calumnijs quas audisti in eum de quo loquebamur iactari, quasi victus falsa fama manus dare nisi aliquid responderem, viderer q; apud meam saltem conscientiam reus facinoris, nisi vt debeo compertæ veritati fideliter astipularer, explosis in eam machinamentis inanibus, quanquàm tali præsidio fulta est, vt nullo molimine possit infringi: Et quidem, vt scribis, non est opus aliqua tergiuersatione celare, quæ non tenebris, sed luce perpetrantur, & profectò ipsa luce dignissima, nec puto verè probum quempiam inuenias, qui in eum blateret, quantò magis eius amantissimus, quanquàm plurimi possunt suam & simulare, & dissimulare amicitiam, vt pro libito cùm præstatur occasio, atrociùs noceant. Sed nec penitùs credendum famæ: Nanq; apud Pharisæos & Scribas, & Sacerdotes de Christo calumniæ inuulgabantur, & tamen eos omnes religiosiores doctioresq; vulgus autumabat. Neque sanè in hac qua vteris consecutione veritas est, vt si qui se ab alijs segregauêre & victu, & tegumento, vouereq; consilia, idcircò reliquis sint meliores. Recta namq; ad Deum voluntas & defæcatus animus, non cibus aut vestis, aut solenne promissum in causa est, vt quispiam bonus & dicatur, & sit. Illa certè ad perfectionem capessendam disponunt, & quasdam ceu suppetias afferunt, & compendia. Quapropter non mirum si ab aliquibus, qui boni existimantur impetitur: Quænam quæso probra exquisitiora eis inueniri possunt, quæ in Christianos omnes à Gentibus spargebantur? vnde Tertullianus ob id famæ non credendum multis rationibus censuit. Sed si famæ credendum, cur potiùs bonæ non creditur? & cùm hinc inde multa iactentur, cur parti ei quæ pia est, magis non adhæremus? Sic omnes ferè sancti vexati, sic sanctus sanctorum Christus Deus noster: Non tamen eos damnauerim, qui statim ei non adstipulantur, imò ambigunt, vt veritas affulgeat expectantes. Sed qui apertè in ipsum inuehuntur, antè tempus iudicantes, nec eius vitam & doctrinam perpendentes, sed vulgi iudicio concedentes, eos crimine dignos existimauerim: Vale, Mirandulæ 9. Calend. Ianuar. 1496.

IOAN-

IOANNES FRANCISCVS PICVS Mirand. Baptistæ Cortesio Sal.

HEsterno vesperi, cùm de spiritalibus quibusdam rebus esset sermo, disceptatum potissimum fuit: An latrones illi, inter quos Dominus Iesus pependit, affixi cruci, an ligati fuerint? meminiq; me dicturum nonnulla promisisse, quæ in mentem venerant, vnde facilè posset omnis ambiguitas tolli, quare vt promissum exequar, hæc paucis accipe: Nam septimo, & vigesimo capite sui Euangelij Matthæus, postquàm Christum Dominum crucifixum narrauerat, ait: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris.* Marcus capite 15: *Et crucifigentes eum diuiserunt vestimenta.* Et paulò pòst: *Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris eius.* Lucas capite 23: *Et postquàm venerunt in locum qui vocatur Caluarie, ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris.* Ioannes capite 19: *Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum:* Ex quibus manifestè patere arbitror, si Christus fuit confixus ita pariter & latrones, cùm vno eodemq; verbo, hoc est, crucifigere Euangelistæ sint vsi, & clarissimè etiam ex Luca & Ioanne idipsum elicitur, cùm illa copula & replicet antecedentem sensum & verba: sed & verbum ipsum crucifigere luce clariùs rem manifestat: Nam si per id verbum Christum intelligimus cruci affixum, cur per idipsum & latrones affixos non intelligimus? Cũ pari pacto idem semper accipiatur: Sensus autem ex verbis elici debet: cùm verba ab rei intellectu menteq; authoris non exorbitent, vtpote qui in parabolis loquantur, prætereà cùm mysteria passionis Domini Euangelici scriptores enarrent, vt flagella, coronam, vestem purpuream, fellis potum, & reliqua: si nouo mortis genere ipsum affecissent, crediderimus illos tacuisse? Atqui illud considera scriptum esse in Psalmis: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Et iterum in Prophetis: *Morte turpissima condemnemus eum:* Idem ergo genus mortis turpissimum, & manus pedesq; confossi: Crux autem mors turpissima, & latronum supplicium, vt omnibus notum est, qui literas non ignorant: Igitur manus pedesq; fodebantur, quod ad mortem turpissimam infligendam cõcurrebat. Et sanè Iudæi non clamassent, crucifige, crucifige, si hoc suppliciũ in vsu non fuisset: Tum quia omnes in hoc conuenerunt, tùm quia credidissent Pilatum eis non assensurum, si crudelius quàm esset in vsu, genus mortis attentassent. Cùm viderent illum in eam partem inclinare vt Dominum Iesum liberaret, quòd si quis illud afferret, hoc quod dicimus crucifigere posse accipi, pro eo quod est ligare ad crucem, pari pacto cùm non sit in verbo differentia, aliquis de Christo dicere potuisset eum cruci ligatum, quem nihilominus constat clauis ligno crucis infixum, à verbi enim proprietate cùm verus inde sensus elicitur, minimè recedendum est. Rursus quomodo fieri poterat, vt latrones ligati duntaxat citò morerentur, cùm in Germania qui membris confractis texuntur in rotis non statim moriantur, sed & plures viuant horas, & sæpè dies: Id autem pro liquido atq; cõfesso est reuersos fuisse Iudæos eodem die, quo crucifixi sunt, vt aspicerent, si iam animam exhalassent: Opinabantur igitur fieri posse, vt essent mortui, quod certè non accidisset, si ligatos eos duntaxat in cruce reliquissent, nec proditur in eos quicquam aliud illos molitos fuisse, quo mors infligeretur. Sed illud magis quod ne remanerẽt in cruce corpora sabbato iam Christo mortuo, crura perfregerint, suffragatur nobis & Ecclesiastica historia. Quandoquidem legitur, Helenam Constantini matrem, non agnouisse nisi ex miraculo Christi crucem à cruce latronum, quod vtiq; non fuisset nisi & latronum cruces sanguine illitas, & perforatas clauibus perspexisset. At inquiunt alij, picturæ ostendunt latrones ligatos, & Christum affixumq;, differreq; in genere mortis Christum à latronibus consentaneum fuisse: quibus responsum velim Horatianum illud:

——pictoribus atq; poëtis:
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Virginem etiam aurata tunicã pingunt: Et Magdalenam ad pedem crucis pendentem lasciua veste indutam, quæ omnia falsissimè esse nemo nescit: sed si pictoribus fidem adhibere volumus, cur antiquis magis, quàm recentioribus nõ credimus? qui latrones ipsos clauis affixos crucis ligno pinxerũt, euangelico contextui adstipulantes. Nec in ipsa quam struunt consecutione veritas est, vt inter passionẽ, scilicet, Christi &

latronum differentia alioquin non fuerit: Si etiam latrones clauis ligno crucis affixerint, cùm mille alijs modis truculētiùs vexatus ipse fuerit, vt sacratissima narrat historia. Porrò hic honor Christi, hæc gloria, qui cùm Deus esset, homo factus sit, atq; vt ait Propheta: *Cum impijs deputatus, & morte turpißima condemnatus fuerit:* nihil ob aliud, quàm vt perditum humanum genus atq; in potestatem iniqui dæmonis redactum, fuso preciosissimo suo sanguine in libertatem assereret: Et sanè quātò magis Christus calumnijs affectus, quantò crudelius cōtumelijs & obprobrijs offensus, tantò impensius nostri in eum amoris ignis exardescit: Exardescit, inquàm, cùm perpendimus cū, qui est splendor paternæ gloriæ & figura substantiæ eius, voluisse nostri amoris gratia assumere carnem, in terris degere, vexari, illudi, flagellari, & qua est infinita misericordia, qua clementia, in medio duorum latronū crucifigi: Hanc igitur ipsius crucem relictis latronibus amplexemur, quę nobis omnium criminum (vt alibi ostendimus) sed præcipuè superbiæ & elationis admouet occasiones: Quis enim se super alios tollere voluerit, cui Christi humilitas cordi fuerit? & quis præstare æqualibus, digniorié; sede collocari concupierit, qui Christū suum inter latrones pependisse perpenderit? Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Baptistæ Cortesio Sal.

Rectè mea quidem sententia dici solet, disputationem esse cribrum veritatis, quod cùm alias, tùm maximè ex his, quæ collocuti fueramus hesterno vesperi quæq; hodie perscripsimus cognoui. Nam quanquàm apud me compertum est, latrones qui cum Domino Iesu crucifixi fuerunt, non ligatos, aut appensos cruci, sed fixos fuisse: hoc tamen non sibi quilibet persuaserat, vti ex epistola tua, qua rationes à me exaratas dissoluere conabaris optimè percepi: Hinc exarsit studium manifestandæ veritatis, & cribro illo adeò rem euentilauimus, vt non modò palea, verùm nec gruma cum grano remanserit: sed vt ab eorum animo qui contrarium sentiunt, omnis tandem scrupulus extrudatur, reflectam ad me missas responsiones, vt argumenta nostra in suo robore maneant: Dein alijs vrgebo, speroq; futurum, vt si priorem epistolam nostram cum hac ipsa coniunxeris, adeò rei istius, de qua quærebatur veritas elucescat, vt ab omnibus non videri non possit, non quidem vt te docere velim, à quo discere malim, sed vt præter inuentionem veritatis, ad quam animus suapte natura semper anhelat, tibi etiam morem geram: qui ideo respondisse videris, vt rescriberem: Igitur ad Euangelistarum adducta verba, quibus innixus astruebam latrones cruci fuisse affixos, tum ob copulam reddentem priorem sensum, tum ob verborum proprietatem, cui diximus hærendum esse: Respondis non liquere genus mortis quo Christus est occisus, fuisse prius in vsu, sed & non oportere, vt copula, &, replicet omnem rem antecedentem, atq; verbum ipsum crucifigere accipi posse propriè, & impropriè, sermonemq; intentioni deseruire debere, non autem sermoni intentionem: Hæc ferè respondis: Atqui copula semper reddit tàm sensum, quàm verba, nisi aliquid intercidat quo sensum ipsum aliò flectere, restringereúe sit necesse, quod hic nullo accidit pacto. Quod autem eodem genere mortis, quo Christus latrones sint affecti, satis liquet ex ea ratione quæ in suo robore manet, cùm omnes Iudæi in Christum machinantes, crucifige, crucifige, promiscuè clamauerint, quæ res indicat id mortis genus flagitiosis infligi solere: Hoc enim supplicio non Romani modò, vt plena est omnis historia, sed reliquæ etiam Gentes vtebantur: cuius rei plures nos admonent historici: Et ipse quoque Salustius in Iugur. Et Oppius etiam qui Iubam regem suffixisse cruci plurimos testatur Numidas: quod genus mortis vile habebatur, & perditis hominibus debitum: Nec consonum est vt credidissent Pilatum, qui pro Christo dimittendo verba fecerat, consensisse eis, vt nouo mortis genere, & crudeliori ipsum afficerent, sed solùm vt eo vterentur quo Romani in sceleratis hominibus puniendis vti consueuissent. De verbo autem illo crucifigere, quod hîc propriè, ibi impropriè debeat accipi cùm sit idem, videtur violenta & extorta nimis expositio: nam tametsi aliquando, & largè, & pressè idem verbum accipiatur, nō tamen vno eodemq; contextu, & præsertim cùm res eadem narratur: Illud verò de sermone qui intentioni deseruire debet, fateor quidem, nam vt Aristoteles docet: Verba sunt signa affectionū

earum, quæ sunt in anima: Hoc tamen potiùs asserit quæ ipse affirmo, quam neget: nam ea fuit intentio scriptorum Euangelij. Vellem autem te libenter edoceri an sensus aliunde, quàm ex verbis trahatur: Præsertim cùm narratur historia citra velamen: Nam in mysticis duntaxat sensibus alia ratio: Id autem extra omnem dubitationem compertum est, in passione Domini rem propriam, vti gesta fuit ab illis enarrari: alio enim verbo vti scissent, quàm crucifigere, nisi daretur intelligi fuisse latrones similes Christo in hoc supplicio: iuxta illud Propheticum: *Et cum iniquis deputatus est*, sensus quippe authoris ex verbis elicitur, non verba ex sensu: quin & semper proprietati verborum præsertim in Sacris literis standum, in sensu videlicet literali, nisi alius contextus vel efficacissima ratio nos alio trahat, verbi gratia: Arrius innitebatur illi uerbo: *Pater maior me est*, sed alij multi Sacrarum literarum textus aduersabantur & inuictæ rationes obsistebant, quibus omnibus ostendebatur Filium æqualem & consubstantialem Patri, quare indoctus Arrius obstinatus & meritissimè à sacra Synodo in Nicea Bithyniæ condemnatus: Sed hoc vtiq; in re nostra non accidit, vt à verborum proprietate recedere debeamus, cùm & ratio suffragetur, & omnes Euangelicæ historiæ enarratores vno verbo adstipulentur nostræ opinioni. Deinde cùm argumentatus sum, ex opinione qua Iudæi ipsi facilè freti pergebant ad tollendos de cruce quos mortuos credebant: Respondis hoc fuisse ne corpora sabbato in cruce remanerent, sed esto: nil hoc à te contra nos, sed à nobis contra te militat: Nanque & mortui, & adhuc palpitantes omni tollendi erant, nec enim vt autumas, ibi eos reliquissent, etiam si non venisset sabbatum, vt fame, scilicet, tabescerent, quia (vt ait Theophilus Græcus enarrator Euangelij) etiam eos leuauerunt de cruce, ne legem irritam facerent, qua cautum erat, ne sol occideret in hominis supplicio, vnde ei causæ, quam exprimunt Euangelistæ de sabbato, aliam hinc interpres adiecit: Prætereà ex Euangelio elici potest, dubitasse eos de illorum morte apertissimè, quod vtique non accidisset, si pauculas horas eos in cruce reliquissent. Et fauet nobis Augustini sententia confirmantis, supplicium crucis fuisse genus mortis omnibus execrabilius & formidabilius, quod si ita est, sequitur dubio procul eo execrabilius, & formidabilius reperiri, si appensos duntaxat homines cruci deseruissent. Ei autem argumento quod sumpsi ex inuentione crucis: Respondis, potuisse Iudæos latronum cruces perforare, ne crux Domini à cruce latronum dignosceretur, quod certè non eo inficias, sed non vides arbitrariam nimis expositionem, quippe ex historia patet ita fuisse: quo autem modo id factum fuerit, nulla (quod sciam) mentio est, nisi in ipsa supplicij narratione, à qua minimè discedendum puto: de picturis verò quanquàm ab eis validum erui non potest argumentum, nihilominus quæ antiquissimæ sunt nobis suffragantur: & hæc ad responsionem tuam rescripta sufficiant: Verùm enimuerò multa inueni, quæ in priori epistola non tetigi, quibus accedere oportet, cùm rem ipsam luce clarius manifestent, sed in primis hoc afferam, non videri conueniens aut Prophetas nõ prædixisse nouum genus mortis, si eo Christus afficiendus erat, aut idipsum Euangelistas non recensuisse: ab vtrisq; autem commodè eruitur, fuisse genus mortis vsitatum: Nam & mors turpissima à Prophetis vocatur, & fossio manuum pedumq; prędicitur, & frangendum os non esse præcinitur, quare possumus coniectare tria hæc in latronum morte concurrere solita, quorum duo Christo attribuerunt: à tertio, id est, fractione ossium ipsum exemerũt: Euangelistæ quoq; cum hoc verbo crucifigere tantum vtantur, indicant consueta Christum morte obijsse, & hoc fuisse in causa arbitratur inter alia Bernardus, cur Euangelistæ crucifixionis modum non descripserint, ob vulgatam, scilicet, notitiam qua sic damnati exitio tradebãtur. Rursus Chrysostomus ait: Duos etiam latrones hincinde crucifixerunt, vt eorum suspicionis fieret particeps: Morte igitur latronibus consueta, sequens est ipsum fuisse affectum, quanquàm in his quæ crucem præcesserunt duriùs crudeliusq; vexatus fuisset, & ob id etiam inter alias causas citiùs mortuus. Nam vt credit Bernhardus spinæ in corona contextæ vsq; ad cerebrum pertigerant. Pręterea Ambrosius ait: Execrabilius in facto iniquitas Iudæorũ vt quasi latronẽ crucifigerent omniũ redemptorem, nec vtiq; quasi latronẽ crucifixissent, si alio modo quo latrones crucifigebantur, ligno affixissent, & pręsertim crudeliori: hęc, vt opinor, rem apertissimè manifestant, sed si etiã rem (vt dicitur) manu tan-

nū tangere cupimus, audiamus Bedam & Rabanum hunc nobis scrupulum extra omnem controuersiam eximentes, atque sensui rem ipsam subijcientes: Sic enim inquit Beda: Pessimo enim genere mortis occidere innocentem, hoc est, crucifigere desiderant: pendentes enim in ligno crucifixi clauis ad lignum pedibus manibusq; confixis producta morte necabantur, ne dolor citiùs finiretur: Hæc quoq; ferè ad verbum à Rabano repetuntur, quare liquet quod fuit in controuersia latrones, scilicet, clauis in cruce fuisse confixos, genusq; mortis turpissimum Iesum Dominum qua nos amplectebatur charitate delegisse, qui de paterna gloria prodiens in qua tamen semper erat, & est, & erit, & homo factus est, & cum latronibus deputatus, vt nos de terris ad cœlum eueheret, & in angelorum consortio collocaret. Vale: & Deum ipsum, & hominem pro me ora.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Her. Stro.

SAlue, Stroza charissime, cùm tuas accepi, opusculum nostrum de Morte Christi & Propria cogitanda, quod tu (quo nos prosequeris amore) aureum vocasti: reuocatum prius ad officinam emiseramus, hoc est, formis excudendum tradideramus: lucubratio profectò vtilis magis quàm aut docta, aut eloquens: quæ enim vtilior expetibiliorq; materia, quam etsi pulchra specie informare nequimus, vt voluimus, expostulo vt id pietati condonetur: Nequiuit illa ampliùs compedes pati, exerere se cupiens in libertatem, monebam ego vt aliquot adhuc apud nos menses, si non annos permaneret: At illa Horatianum (vt in prooemio vidisti) dogma contempsit: quinimò nobis vel tacitè insinuauit, posse nos quæ intellectum tantum instruunt occludere quàm diu volumus scrinijs, nonnulla enim iam in philosophia inceptauimus cudere, quorum forte cùm in alijs simus occupati, tamen aberit vt editionem præcipitemus, vt vltimum fortasse vnguem nunquam experientur: At quæ voluntatem instruunt palàm promenda esse nedum verborum curiosiores esse volumus, rerum simus negligentiores, quare permisimus vela ventis, & benè precantes oram soluimus. Habemus & dialogum de Serena conscientia sub incude, & Theoremata de fide, & ordine credendi, quæ cùm absoluta fuerint, ad te venient. Delectaberis vtroque opinor, siue quod nostra qualia sint, quia nostra sunt diligis, siue quod in eorum altero de quibusdam honorifica, nec minus vera fit mentio, quorum fuisti studiosissimus dum viuerent: tenet id opusculum multa in penetralibus recondita quæ non promittat in foribus. Cæterùm si cum amicis de prosperis euentis gratulandum est, deq; tristibus dolendum, errare me magnopere censuissem, nisi in præsentia tecum lætarer, de literarij thesauri, magni quidem & sublimis, nec minus copiosi quàm varij, atque multiplicis inuentione. Notum tibi est quemadmodum post patrui obitum laborauerimus in reparandis plurimis eius monumentis, quæ iam vulgauimus, scribendisq; nonnullis, quæ ad ea excolenda conducebant, quibus confectis ab opere parumper & labore supersedens, videbar mihi è turbulentis animi fluctibus enatasse, venitq; in mentem, absolutis eis operibus, de quo mox feci mentionem scribendi negocio nuncium remitterem, & philosophiam, theologiamq; eam quæ in disputandi cōflictu variarumq; opinionum colluuie versatur, aut omnino, aut magnopere pòst haberem, atq; in vera philosophia synceraq; Theologia, hoc est, Veteri Nouoq; Sacrarum literarum instrumento conquiescerem, & dulciter laborarem: Hæc enim pridem (sicut & omnium Christianorum esse debet) votorum meorum est summa: sed aliò me nihil minus meditantem impetus animi (vt Catonis vtar verbo) transuersum trusit, deductusq; sum vel inuitus rimari diligentiùs quidnam alimoniæ nancisci possem, pro saturandis animis veritatis famelicis & sitibundis: quam animi propensionem secunda aura secuti, decreuimus perpingues Pici patrui campos, felicesq; glebas ab immatura morte demetitas depopulatasq; peruagari: si non messem & vindemiam, spicilegium saltem racematiumq; facientes, nec voto sanè frustrati sumus: nam trecenta fortè rerum capita dignissimarum excerpsimus, rerum, inquam, duntaxat nudarum, atq; etiam informium, quę pro virili laborabimus vt specie induantur, hoc est, orationis luce splendescant: sed nullo ordine posita sunt, eumq penitùs refugiūt: prætereà nonnihil de Platonis Aristotelisq; concordia depromere posse arbitramur:

Pleraque item aduersus hæreticos, aduersus Hebræos, multa in Psalmos quæ ordine collocata sunt, vbi incredibile Pici ingenium agnosces, siue cùm proprio ex ingenio dogmata exeruerit, siue cùm aliorum placita vel interpretabitur, vel fulciet, vel confutabit: Hęc omnia si vixisset Picus, concordiam principum philosophię, Theologiam integram, expositiones diuinorum eloquiorum, aliaq; permulta additis his, quæ in secretiori penu intellectus gestabat, alioquin non commissa chartis ex integro peperissent: At cùm nunc cohærere ob dissimilitudinem earum plurima, sibiq; inuicem quadrare nequeant, vt singula per se stare possint nauabimus operam, & cuiq; rei proprium condonabimus, quem morem à Græco Clemente, à Latino Gellio, & Politiano nostra ætate eius æmulo, obseruatum vidimus, differemus hoc, quod sicuti ipsi materia superabuntur à nobis, ita nos in ea tractanda spem & eloquentia posthabebimur, hoc est, illis rerum tùm magnitudine, tùm dignitate Picus præstabit, quæ sola sunt Pici in hoc Opere, illi verbis exquisitioribus, quæ nostra erunt verba præcellent, distabimus, & illud quando ipsi quæsitis non oblatis argumentis sua opera confecerunt, ex professo varias sententias congerentes, vt ex illis nusquàm sibi par liber dissultaret, qui varietate ipsa expultrice fastidij torpentes legentium animos recrearet: Nos è diuerso fragmento ea, quibus præclarissima compaginari monumenta debuerant, ne perirent collegimus, & singula separatim ereximus: aliud quoque reperias discrimen, quod nos non tantùm materiam Pici nostra forma formabimus, sed nonnihil etiam materię adijciemus, nostro vtranq; ferrumine conglutinantes, tùm & omissa supplebimus, & effusa substringemus: cùm primum ad calcem peruenti fuerimus, tibi legenda omnia destinabuntur: sed quæ nostra sunt opera, illis remoram afferunt. Reliquum est Pactolum tuum meo nomine saluere iubeas, cui cùm per occupationem, tùm per valetudinem rescribere non potuimus, certiorem eum reddas numisma illud suum, de quo meminit in illa ipsa arcula perpetuò custodiendum. Legi eius epistolam, nec inuitus semel & pluries, fortè tùm aderat Paulus patruelis ille suus vir profectò multorum testimonio virtute conspicuus, doctrinam præ se fert & gratiam multo candore renidet, redolet (vt dicam breuibus) Politiani officinam, à qua nihil in literis non eruditum prodijt, magnam in eo iacturam fecit Latina lingua. Aueo videre quæ de Pico Heroico carmine scripsisti, mittito si lubet. Vale Mirand. pridie Idus Nouemb. 1 4 9 6.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Hier. Sa. Sal.

VEritus sum, Pater religiosissime, ne ingrati nomen aufugiens, eiusdem notæ discrimen incurrerim: Siquidem Ioanni Pico patruo vita functo (qui multa in me beneficia contulit) gratias referri nixus, Dei beneficium ipsius etiam opera ad nos delatum præteriui silentio: Nam in recuperandis vulgandisq; literarijs illius monumentis nullo certè non præconio maioribus, atque etiam scribenda vita, tutandisq; nonnullis metaphysicis dogmatis, totum hoc ab eius obitu consumpsi biennium. Taciturnus interim, tametsi non oblitus diuini muneris. Quapropter & Leonis sententiam considerans docentis non esse verecundæ, sed ingratæ mentis tacere diuina beneficia, & pariter animaduertens si flagitium existimatur celasse alios quæ pertinent ad salutem corporibus conciliandam, in eum qui absconderit antidotum animi seuerius vindicandum censeri: venit in mentem, quicquid ex hoc concepi emolumenti, si palàm facerem, posse me simul, & idipsum in alios deriuare, & collato deitùs beneficio partim etiam satisfacere: Quippe ob mortis Christi & propriè considerationem à me habitam, aspirante Deo Optimo Maximo, intercedentibusq; patrui monitis, cùm prolatis coràm, tùm repetitis per epistolas effectum fuit, vt posthabitis bonorum ambitu, regum fauoribus, popularibus auris, atque id genus cæteris, quæ Christianam vitam aut labefactant, aut omnino molliunt, breui gyro mea vota sepserim, intra desideria naturæ contentus. Dicato igitur opere, vtramq; mortem prosecutus sum, diuturnum silentium redimens: Et eo præsertim consilio, vt ingrati animi labem, si qua contracta esset, pro virili abstergerem, & inuitarē legentes hac bipartita recordatione, ad benè viuendi semitam, vel capessendam, vel cōcitatiùs percurrendam: Quod equidem simulac dare in publicū constitui, te potissimùm delegi,

delegi, in cuius nomine appareret: Non quod mihi videretur dignum tua in literis præstantia, tua vitæ sanctimonia, sed vt iusto tibi iure debitum: Id namq; nobis sæpè tribuisti, vnde ad ipsum elucubrandum excitaremur, plurimaq; spiritualia beneficia es impartitus: Quo factum, vt eadem ferè ratio, quæ ad cudendum me illud impulerit, vt idem tibi dicarem obstrinxerit. Accessit & alia causa neruosior sanè atque potentior, tuarum scilicet precum suffragia: Quibus apud Deum cupimus adiuuari in consequendis ampliter retinendisq; ipsarum cognitionum fructibus, quos iam degustare occœpi, & alijs insinuans stylo manifestaui. Multos enim vidimus qui cùm rectè viuendum alijs suasissent, idipsum postea sibi non persuaserunt: Tùm quod frequenter à moribus dogma dissentit, tùm quod omnes cùm valemus (vt ille inquit) recta consilia ægrotis damus. Quare cùm alicunde mihi petendum esset auxilium, ad te ventum est, Pater Optime, vti ad eum quo adhuc (facessat adulatio & absit inuidia verbo) & doctiorem simul, & prudentiorem, & moribus sanctiorem cognoui neminem: Quibus si propheticum addidero spiritum, quo præditus, calamitates futuras quæ iam impendunt, iam imminent, diuino iussu auribus Italiæ atq; vtinam non surdis insonuisti, extra omnem fuerit controuersiam, si quidem tuis precibus diffidam me magnopere aberrare: Librum igitur hunc nostrum eo animo quo nos soles suscipe. Cumq; totum perlegeris (si tantum per occupationes licebit) fratribus tuis vt legendum tradas exopto: Qui si tecum inter legendum quod offendat inuenerint, id totum primis & iuuentæ annis, & lucubrationum condonent rudimentis: ignoscant quoq; non tàm celeritati conficiendi operis (id enim quadragesimum circiter absolutum est diem) quam emittendi cupiditati. Neq; enim cùm pietatis officium & vtilitatem eam pensarem quæ sententias contemplanti, si modò Christianam simplicitatem minus fastidiat, affutura est: Horatiano dogmati acquieui, vt libellum hunc tot apud me premi menses voluerim, quot ille annos percepit. Vale. in tuis ad Deũ precibus memor mei. Mirandulæ 13. Calen. Nouembris. 1496.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
A. Ep. P. Sal.

DVo semper existimaui ad conciliandam inter homines amicitiam conducere virtutes, scilicet, & alijs cum amicis beneuolentiam: suapte quippe natura virtus eum in quo est, gratum hominibus probis reddit, improbis verò quadam sui maiestate & reuerendam, & formidabilem: Vnde fit sæpenumerò vt maximo etiam in precio virtute præditi homines, ab impijs, & ab execrabilibus tyrannis habiti sunt: alijs verò cùm amicis cõsuetudo quadam participatione similitudinis cum reliquo amico conglutinat, vnitq;: Quæcunq; enim eadem vni & eidem sunt eadem, etiam inter se eā saltem ratione quæ eadem sunt, conueniunt, quod Aristoteles in syllogismo, nos in moribus astruimus. Quæ cùm in te & si non consuetudine tui deprehenderim, sed fama perceperim, amaui te prorsus, & exarsi visendi tui cupiditate, tibi quoq; me dedi in omne obsequium: Quis enim illum non amet, non veneretur, qui diuinarum humanarumq; rerum peritia præcellat, qui sanctissimis moribus præfulgeat, qui à rege potentissimo, ex tot millibus Theologorum, quos Parisiorum præclarissima gymnasia celebrant, vnus electus sit, cui de contractis noxijs Christiano ritu confiteatur, cuius ope Andegauensi populo regendo à summo Pontifice præsul sit factus: Quid dicã de beneuolentia? qua semper Ioannem Picum Mirandulam patruum meum es prosecutus, cuius in ore tuo frequens & multa laus, copiosaq; tuorum in eum beneficiorum recordatio. Hæc tibi me, pater amplissime, mirum in modum deuinxerunt, hæc effecêre vt quem ore alloqui facultas non datur, literis saltem venerabundus amplectar. Enimuero cùm non sine munere te ad eundũ duxerim, veluti testimonio, & amoris, & obseruantiæ, nullum magis idoneum ratus sum quàm literarium, sed & literatissimi hominis, & amicissimi monumentũ. Quocirca Ioannis Pici patrui mei lucubrationes quasdam in vnum à me volumen redactas, & in multa volumina, vt communia fierent mea ope transfusas ad te mitto: Poteris in eis perlegendis amicum hominem iam defunctum, & recognoscere, & alloqui: Poteris & meæ erga te obseruantiæ meminisse. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Gib.Barb.Sal.

CVm superiori nocte de literis fabularemur, interloquendum (vt scis) eorum meminimus, qui celebriores habiti sunt figura orationis apud eos maximè, qui humanitatis studia profitentur: Dixi tùm quæ mihi in mentem venerant, laudibus quàm maximis nostræ religionis oratores extollens, & cum veteribus comparans: oratores appello non modò eos qui causas perorant, sed qui vel de diuinis altissimè philosophantes summum omnium bonum, summam veritatem, & ratione apprehensam, & fide comprehensam, sanctissimè venerantur: aut qui de creatis rebus, deq; ipsa natura disceptant, & modò per cœli luminosa culmina mente vagantes, modò astrorum motus, aëriosq; tractus dimetientes, modò maris salubria flumina coniectantes, modò inferum deplorata silentia peruestigantes laborant, desudant, anguntur, vt causas rerum adinueniant, eisq; Latino sermone in vnum compulsis, oratorium robur adijciunt, vt veritas ipsa è puteo (vt aiunt) eruta, & vi sua instructa, & luce orationis ornata magis magisq; splendescat. Postquàm discessimus, meipsum percunctatus sum, pigeret ne me earum laudum quas nostris tribueram, quasiq; nostro seculo adulabundus mentitus fuissem: Tantum abfuit vt nos pœniteret, vt etiam parum pro meritis dixisse animaduerterim, quo factum vt stimulante animo hæc ad te scribenda desumpserim, meam omnino de Latinis scriptoribus sententiam palam facturus, quos antiquitati, nisi honor vetustatis & mille annorum priuilegium obstaret præferendos contenderem, non rationibus autem hoc ipsum, sed extimatione ipsa quando ita hæc res inter nos agi cœpta disputauerim, quanquàm nec deessent rationes, & communes, & propriæ, quin & illud adesset palàm doctis (vt arbitror) spectatum eorum, scilicet, qui celebrantur antiquo seculo & præceptis dicendi & opere, fuisse neminem qui suam et ad integrum præcepta seruauerit, quod si de æstimatione sui cuiusq; seculi collatio fiat, perdidisti: apud antiquos Ciceronis eloquia maximis laudibus, vulgò sunt celebrata, sed & taxata à plærisq;, nec ab hostibus solùm, sed à doctis, sed ab amicissimis, inter quos Asinius Pollio, Atticus Pomponius, Brutus, quorum alij indiligentiam & res præposteras, & errata memoriæ correxerunt, alij effœminata, fracta, elumbia, superflua, damnauerunt. Historiæ Titi Liuij à multitudine decantatæ, magnis præconijs elatæ sunt, eximius tamen orator Pollio, quem Fabius non improbat eas existimauit redolere quandam Patauinitatem. Pliniorum acumen & Frontonis lenitatem laudârunt multi, ab alijs nihilominus prodita sunt hæc verba: totum Plinij speculum odi, Apuleium Platonicum omnimodis eloquentiæ floribus refertum admirantur multi: plurimi tamen vocabulorum affectationem condemnant: & si ad cæteros te conuerteris reperies neminem, cuius existimationem in dicendo aliqui veritatis amore, vel contendendi, incessandiq; prurigine, aut non lacessierint, aut totis viribus conuellere tentauerint. De Christianis iam loquamur. Lactantius Ciceronis stylum effigiauit, aut, vt quibusdam placet, supergressus est: mihi videtur rebus & sententijs crebrior, nec numeris iniucundior, nec fili æquabilitate & candore posterior: has quippe virtutes maximis viribus, & æmulatus, & assecutus est: hunc nec æquales nec posteri momorderunt, nemo elumbem, & fractum Asianum, & redundantem nemo causatus est: Hieronymus qui Liuium his in locis vbi stylum non contempsit sectatus videtur, nullas à suo sæculo, quantum ad genus dicendi attinet, calumnias passus à posteriori seculo, & præsertim à Laurentio Valla acuto morosoq;, alioquin docto censore magnoperè commendatus est. In Cypriano Plinij lenimina, Apuleianæq; illecebræ reperiuntur, & Ciceronis non filum, sed perspicuitas, alios taceo facundos dubio procul, & suo in dicendi genere celebres, neque enim tempus suppetit: Veniam ad eos quos vidimus, quibus cum sumus conuersati, tres qui fama celebriores adducam in medium, vt eos cum priscis illis gentibus etiam conferamus: Angelum Politianum, Hermolaum Barbarum, Ioannem Picum Mirandulam patruum vndecunq; doctissimum: Sunt & reliqui, & docti, & eruditi, & facundissimi, sed de his tantùm loquemur ad præsens: primus in epistolis omnes priscos expressit, in Miscellaneis Gellium feliciter imitatus, in Herodiani vertenda historiã Tullium Liuio adglutinauit: & si ad carmina flectamur,

Latinis

Latinis versibus Vergilio minatus est in sylua illa, cui titulus Rusticus, in Rhythmis prætereà Hetruscis Franciscum Petrarcham, & Dantem elegantia, & vi poëtica, nec Scriptura tantùm, sed pictura earum rerum quas exprimit, facilè æquauit. Hermolaus in epistolis Plinium Tullio ferè coniunxit, vt, scilicet, familiarissimo stylo & facili non fastiditus lector, & acutas Plinij sententias, & Apulei verba deprehendat, ac vt fusco quodam, & aspero caractere non rumpatur eloquentia Tullij aliquando medetur: In Themistio transferendo subtilissimas illas spectatiuæ Philosophiæ partes adeò copiosæ, adeò limatæ, adeò Romanæ, præter paucula è Græco eloquio in Latinum transtulit, vt Ciceronis in orationis perspicuitate facundiam agnoscas, & Gellij obseruationibus elaboratam, & Plinij maturitate vallatam, & Apulei blandimentis concinnatam. Sed de Pico nostro nunquàm satis laudato, quid dixerim, qui & Tullij flumina expressit, & Liuij eloquentiam æquauit, & verborum proprietates à secundo Gellio, Apuleio, aut mutuauit ita, aut vendicauit, vt & facilitatem Ciceronis sine exossatione, aut eneruatione, & Titi lacteum flumen sine Patauinitate, & Lucij ipsius Gellij atque secundi proprietates, argutiam, flores, blanditias, sine fastidio, sine affectatione cognoscas: At non in historia Romana, non in Asino aureo, non in vulgata philosophia concinnanda laborauit, sed in mundi exordio desudauit, in defensandis Theologicis quæstionibus elucubrauit, in taxandis Ecclesiæ hostibus anxius pugnauit, in leniendis quoque amicis & commonendis commentatus est, quas equidem si ascribendis Galleotti patris epistolis parumper feriatus aspexeris, & ad pristina humanitatis studia longo quasi postliminio redieris, me nihil mentitum perspicies, in vniuersum autem, si in antiquis candorem illum puriorem contemplaberis, in istis coloratius fortasse tectorium, & crebriores acutioresque sententias, addo doctiores, addo etiam sanctiores animaduertes, nec in nostri sæculi pariendis ingenijs effœtam defecisse naturam conspicaberis. Quare non deerunt posteris Latinæ literæ, proximo sæculo conscriptæ, non rerum cognitio deerit, modò adsit in Deum nostrum, qui nos effinxit, qui redemit, pietas atq; religio. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Ioanni Bapt. Taru. Sal.

Epistola tua nostræ amicitiæ fastigium imposuit, cuius fundamenta pridem iacta fuêre: Nam quæ me tibi & in patrem beneuolentia, & in domum nostram officia olim conciliârunt, nunc ipsa & humanitate, & eruditione referta epistola auctissimè deuinxit: Perceperam enim aliorum relatu, qua prudentia, quo amore te in causa nostra gessisti, quo tempore apud Blancham matrem pro senatu Veneto agebas legatus, patre in Hetruria militante, nec poteram tùm per ætatem tenellam, plenè perpendere, quod fideli postea grandior factus narratione hausi, quanquàm succurrebat quoque nonnihil eorum quæ abs te dum hîc esses, memorari audieram, de multarum terræ partium, quas peragrasti conditione: fit enim plerunque vt pueri, quanquàm fortè bellarijs intenti, quæ in conuiuijs recensentur mandent memoriæ, vt est ætas illa noscendi auida & plurimùm admiratrix, tùm etiam tenax, eorum præsertim quæ ipsam in stuporem peruehunt: Memini adhuc de syluestribus quibusdam equis à te sermonem habitum, qui in syluis illis inaccessis, & sub Schitico orbe remotissimis degunt gregatim stabulantes, & numero fidem non capienti per auia venatorum aspectus fugitantes. Quare non solùm relatione, sed & sensu ipso nonnihil tui memoriæ retinui confirmatum postea, cùm parentum, tùm familiarium sermonibus celebribus quidem, & grati animi signa indicantibus, vt nosceres mandata obliuioni, quæ quanquàm alieno nomine, tua tamen virtute in nostram domum officia perstiterunt. Hanc itaque per hunc modum initiatam amicitiam consumauit epistola, & eruditionis, & amoris plena, ingentique gaudio me affecit, cùm ex ea coniecerim quanti facias opera patrui: Namque non possum multas ob causas non gaudere, eius doctrinam extolli, nec illos non magnopere diligere, qui ei addicti sunt: Spero quoq; futurum, annuente Deo Optimo Maximo, vt nostri homines videant de literarum studijs quæ hactenus nec præsens, nec priora secula viderunt, neque id in Philosophia solùm & Theologia, cuius pridem vulgata notitia, & communis vsus, sed in sacris eloquiorum interpretamẽtis, sed in eis etiam quæ mystica nuncupantur à paucioribꝰ pertractata

tractata. Sed & de ipso amore cœlestium, ad quem tametsi nonnulli diuina suffragante gratia sine librorum adminiculis peruenire queant, multùm tamen & dogmata, & hortationes faciunt: His enim studijs postremis vitæ annis se Picus mancipauerat, quanquàm non cessaret æditiones Philosophicarum Metaphysicarumque commentationum maturare, quod opus nunc nostris incumbit humeris, & licet ad id pro viribus ferendum animatus essem & iugiter instrumenta pararem pro ædificio euehendo, flammârunt tamen me adhortationes tuæ, & virium, & roboris aliquid attulerũt, si quid eorum veniet in lucem, quod faciem doctis ostendere queat, ad te & patrui, & mei amantissimum mittentur: Interim duo iampridem ædita volumina per literas tuas efflagitata, legere poteris, quæ Sigismundo nostro Vrbinati tradidi, ad te quàm citiùs fieri possit deferenda. Vale & me ama.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Sigismundo Vrbinati Sal.

REdditæ mihi & tuæ, & Ioan. Bapt. Taru. literæ simul fuerunt, ex ijs gaudium, ex illis mœrorem concepi, quando & illum ita patrui detentum studio percepi, vt eius monumenta impensissimè postulet & te articulari grauatum morbo (ita libet appellare) intellexi, nec enim in præsentia distillationem à te nominatam aliter nuncupabimus, vtcunque se res habeant: Tibicines sunt senectutis canentes receptui. Mitto ad te monumenta patrui, vt tua opera ad Ioannem Baptistam quantotius deferantur. Cæterùm si apud te habes epistolam illam Ioan. cognomento Chrysostomi de Cœna Domini, in Latinum à Donato versam ad me mittas velim. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Barthol. Fau. Sal.

QVòd prioribus meis literis non responderis, boni semper consulendum duxi, cùm quia ex re ita faciendum arbitrabar, tùm quia (quod & scribis) gratis te impugnari sciebam: Ex fidelibus enim audiueram, quanta in te veritatis hostes molirentur, quorum aliquos falli libenter vellemus, pœnas pendere non difficulter putauerim, intelligi abs te credo, sin minus parum refert: sed pro omnibus orandum: Os enim nostrum & caro nostra sunt, si tamen qui exierunt ex nobis: suos enim hostes, rex noster Christus debellaturus est, aut misericordiæ dextra, aut iustitiæ sinistra. Optandum igitur rogandumque vt amici fient. Quod ad illum amicum attinet, scias velim commendatitias à me literas eum non impetrasse, sed rogasse epistolas & sui animi indicatrices, & tui exploratrices, ob id enim quod alij perperam interpretati hac de re eius verba fuerant, mearum literarum testimonium efflagitauit, simulque fieri certior optauit, an per te propensissimi voti sui compos euadere facilè posset: Auet enim supra modum (quantum equidem coniectura assequi possum) se arctiùs Christo addicere, vt impensiùs diligat, & sui penitùs oblitus alteriusque arbitrio mancipatus eidem vniatur, si tamen excedi modus hic possit, cùm amandi Dei modus sit, vt sine modo ametur. Rogo sed ex me vt hominem voto huic sanctissimo inhiantem prouehas: Accessurum eum aliquando opinor multis cum socijs, ad vineam Domini, sub te vinitore excolendam. Vale nostri nunquàm immemor in tuis precibus ad Deum. Mirand. 5. Cal. Februarij.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Matthæo Lang. Præposito Aug. & Admi. Sal.

POtuissem vacuus reuerti ad Cæsarem, malui dare literas, quia non erubescunt, ex quibus rescies nihil actum esse in re mea: Tu pro tua in omnes humanitate, & in me beneuolentia curabis ne frustrer voto, paruo constat, quod petimus, quod si aceruos pecuniæ? quid si numerosum exercitum? quæ quanquam magna sunt, maiora tamen debentur seruatæ fidei, & propensissimæ voluntati, adde iustitiam, adde principis honorem, tuus iam sum da operam, vt magis fiam. Laconicè scripsi, &

ſcripſi,& penè cæcutiens:ſed tibi linea pro ſchædula. Vale mei memor. Ex Argentina 4. Calend. Maias. M. D. V.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
E. St. Sal.

QVantum gaudij ex Epiſtola tua concepi ob eam operam, quam ſe R. noſter nauaturum ſpopondit examinanda lucubraciuncula noſtra, tantùm mœroris Mai attulerunt literæ, quibus ſignificatum eſt eam à iudice abſolutam nocentem potiùs quàm damnatam, vellem equidem quæ digna caſtigatione deprehendit, aut verubus confodiſſet, aut ſaltem cenſoria virgula notauiſſet. Rogo iterum adeas hominem, ac ſi fieri poteſt, aliqua erratorum eorum memoria retenta, & ſi non demandata chartis omnino exigas, quæ mihi poſteà palàm facias, vt vel vtilitati, vel decori operis conſuli poſſit: de eo autem quod ante tuum hinc diſceſſum collocuti ſumus, habere te rationem oportet, & eius in primis quod ſæpiùs monui tenorem vitæ tibi reformandum, optimeque inſtituendum, dedecere omnes potiſſimùm literatum hominem ſequi ſenſum ratione abiecta. Cauendum quàm maximè à carnis illecebris, quæ veluti poculis Circeis homines deformant in bruta, habendum rationem beneficiorum Dei, quæ in nos extiterunt, & tot profectò, & tanta vt ea nec præ magnitudine capere, nec præ multitudine colligere ſatis queamus, deſerenda hæc quæ adeò efflictè deperimus, dandas nocentibus pœnas in ſubterraneis locis, ac reliqua huiuſmodi, & tibi coràm prolata, & commentaciuncula illa noſtra pro virili explicata. Oro etiam ſtylum vertas ad exornandam veritatem, fabellis expellis, exploſis quibus tua carmina ſplendidiſſima dehoneſtantur magis quàm decorentur: *Illa inquam dubiam facientia carmina palmam*, potes meo iudicio (ne credas me adulari ex animo profero) antiquitatem illam & Vergiliana ſecula laceſſere: Epigrammatis Martialem ſuperare, atque etiam, quanquam fortè id non ferret Marullus, æquare Catullum cum Tibullo, Ouidio Elegia te poſſe contendere & vincere, quis ſanæ mentis addubitauerit, ſi præſertim repudiata obſcœna materia, qua illi gloriam ſibi vendicare ſatagebāt, ſanctam & diuinam excolueris: Sed vt de elegijs taceam, in quibus maior fieret cum antiquis controuerſia, quanquàm fortè prælio non ſuccumberes: quantum attinet ad heroicum, non video à quo præcellaris: quapropter tibi ſummopere cauendum ne Diuino abutaris dono, néve ipſum ingenij talentum, à ſummo illo Patrefamiliâs, vt rectè negocieris acceptum deprehendaris, non modò terrena ſcrobe abſcondiſſe, ſed in ipſo etiam cœno merſauiſſe. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Archiepiſcopo Toll. Sal.

SOlent doctrina morum, ſanctitas, authoritasq; multum obtinere virium, ad conciliandum animos, trahendosque in beneuolentiam vel ignotos atq; etiam eos, qui maxima locorum intercapedine dirimuntur: Illa quidem prior Philoſophos viros, altera etiam Chriſtianos, poſtrema verò actuoſæ deditos vitæ, & negotijs vacantes illicit. Similitudo primam copulam, ſecundam charitas, tertiam vtilitas & commoditas parit: & ſi cui hę omnes inſunt res, omnis penitùs homines ad ſe trahit. Cùm autem in te ſint, & ad tui dilectionem, vaſta illa terrarum ſpacia traxerint, mirum tibi videri non debet, ſi & Italos quoque viros in Germania degentes & commoueant, & trahant. Quorſum hæc? vt planè intelligas me tibi tàm addictum quàm qui maximè, & ob tui nominis claritatem iam diu fama ad me perlatam, & ob colloquia de te cum G. A. tuorum Regum ad Cæſarem oratione nec ſemel habita, cui & ob veterem inter nos amicitiam, & ob ingenium eius, & doctrinam plurimam fidem non habere, non potui. Et quanquàm nec Philoſophus ſim, nec opere Chriſtianus (vt cupio) nec negocioſus: Eò tamen quo & alij perductus ſum, cùm harum rerum vmbram fortaſſe tenere videar. Illud conſtantiſſimum eſt, velle me & ſummopere cupere re ipſa ſecundam, primam parui, tertiam minimi, faciendam cenſemus: Habes itaq; me, de quo omnia quæcunq; ipſemet poſſum facile potes, plurima coràm hac de re tecum A. noſter: Reliquum pro tua, quæ & omnes cōplectendi homines ſunt in me, charitate te oratum velim, vt ſemper in tuis ad Deum precib. memor ſis mei, pro mea autē in te memineris

memineris obſecro & authoritatem iſtam, & terrenam gloriam inſtar fumi euaneſcere, ſolumque illud habituros nos peculij, quod hoc tremebundo punctis vitæ pelago ſuperato, in Hieroſolymam illam matrem noſtram inferemus humilitatis & charitatis vehiculis, quibus ſpiritalis patri ille tuus Franciſcus excellentiſſimus vſus eſt, ſed ſat iam ſuperque, ne ſus Mineruam, vt prouerbio vſurpatum eſt. Vale, Pater ampliſſime. Ex Auguſta Vindelicorum 12. Cal. Decemb.

IOANNES FRANCISCVS PICVS.

PRoperanti iſtuc Stratioti Bernhardino literas ad te dedi, tumultuanti mente & calamo conceptas, & exaratas, ſignificauique diuturna me expectatione maceratum expenſiſque & incommodis multis confectum, nullo aliorum commodo, ſed & bonam ex verbis Cæſaris conceptam ſpem iuuari abs te oportere, quandoquidem præter iuſtæ cauſæ ſuſceptum patrocinium nunquàm pœnitendum, futurum etiam, vt me tibi perpetuò obligares deuincireſque, à quo abforet ſemper malegrati erga te animi vitium, ſi literæ redditæ ſunt, hęc illis inerant, ſin minus ea ipſa nunc tenes, cùm autem ad hanc diem nondum liqueat Senatuſconſulto, conferendũ in me ſit, quod à Cæſare petij nec ne, & ex longæuo iſto montis partu, neſcio quid exierit, non ſatis aut iuſtæ petitioni, aut Cæſaris clementiæ facilitatique conſentaneum: ad te ventum eſt, vti ope tua informia hæc, & abortiua affor mes matureſque: Mitto propterea ad Cæſarem, & ad te Ioannem Franciſcum hunc à ſecretis meum, qui & haſce meas defert, à quo intelliges, & quàm iuſta poſtulatio ſit, & quàm Cæſare digna conceſſio, quàm quod (ni voti fiam compos) & mihi, & omnibus alijs de Cæſare meritis adempta ſit omnis ſperandi facultas. Quæſo te vt non abſis meis rebus qui ſemper adfuiſti: Aderis autem, ſi & auditum à Cæſare, & exauditum ad me ita remittas, vt hoc in negotio pręter eam quam ipſe præſtiteris, alterius ope non indigeat.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Fratri Baptiſtæ Mantuano Carmel. Sal.

NEſcio an magis tibi gratulor, an mihi gaudeam, quando diſputationum Ioannis Pici noſtri aduerſus Aſtrologos ab exemplari liturato multaſque in partes diſcerpto omnes penè libros errauerimus, de quibus recuperandis ſpem omnem euolutis temporis amiſeramus, id tamen operis non ſine, & mea, & Ioannis Mai noſtri præſtantis Philoſophi huic excerpendi muneri à me præfecti, & diligentia, & labore factitatum eſt, horum librorum lectione puto te non tàm gauiſurum quod peſtem hanc bonis ingenijs pernicioſam patruus ille noſter extinxerit, quàm de Aſtrologorum vanitate fortè riſurum: Cùm ſanè animaduerſurus ſis monſtroſam hanc perſuaſionem nullis fultam ſubſidijs per Barbarorum prouincias, per Græciam, per Latium euagaſſe, inanibus tamen nominibus adiutam, perſpicies magnos illos orbes tot præconijs celebratos mera fuiſſe ſomnia, cernes magnas illas coniunctiones minus eſſe, quàm nihil, quibus huius vanitatis profeſſores non verentur adſcribere Moſi: Acta Chriſti Dei noſtri ortum & cætera, quæ præ ſui magnitudine ſtuporem concitârunt hominibus, horarum electiones exibilandas eſſe nugas manifeſtè deprehendes. Sed de domorum efficientia, de Planetarum exaltatione, deque reliquis id figmentis quid iudicaturus ſis omninò non video, niſi venia danda eſſe fortaſſe his qui Aſtrologicæ ſuperſtitioni hactenus hoc non perlecto volumine fidem præſtiterunt. At his qui obſtinato animo guſtata illius lectione in eius fide perdurant: Conſulendum eſſe vt Hippocratem conſulant, emantq; ſibi quamtotius omne, ſi fieri poteſt, Anticyrę helleborum: O` hominem incomparabilem, vbiq; ſummus orator eſt, vbiq; Philoſophus atq; Theologus, conſummatus vbiq; propria non aliena meditata diſſeminans: vis dicam breuius. Vbiq; Ioannes Picus toties à te, & à tui ſimilibus doctiſſimis hominibus, acerrimoq; iudicio, non tàm laudatus, quàm præ faſtigio tantæ doctrinæ, tantarum ſcientiarum, & ingenij illius ſupereminentis maximis præconijs celebratus. Cæterũ te nolo latere eius enarrationes plurimas in ſacra eloquia venturas in lucem. Quapropter diu cogitaui, an cuncta patrui opera (ſurgent enim in magnum volumen) poſtquam impreſſa fuerint, cateruatim exire debeant, an conſultius futurum ſit, vt ipſa in treis libros partiar: vt, ſcilicet, primus ex eius opuſculis quæ diſſeparatas, nec ſibi ipſis cohærentes

rentes materias concernunt compilatus sit, atque connexus: Secundo Heptaplum in exordia Genesis, & quæ ad sacra pertinent eloquia: Confutationibus Astrologorum tertium locum obtinentibus, hisceq; duobus vita etiamnum à me conscripta, & testimonia doctorum hominum adnectatur, iudicium tuum super hac controuersia exopto. Reliquum est vt ad Mutinensis agri tui ordinis visitanda cœnobia profectũ acceleres, quo huc etiam applices, & Pici nostri noua opera prospicias, spero nihil te pigebit itineris: sed oblitus eram, vide in quem errorem incideram te certiorem reddere, non modò operam patruum dedisse, vt peculiaribus libris ad hoc destinatis demonstraret: abrogandam esse penitùs omnem Astrologis fidem: verùm etiam quo de nostrorum hominum cordibus malum omne gramen euelleret, illorum se fecisse interpretem. Centum ènim Ptolemæi fructus (quos Centiloquium vulgò nuncupamus) è Græco in Latinum sermonẽ vertit, & pulcherrima expositione honestauit, hoc consilio, vt deliris illis capitibus ostenderet, prę terquàm quòd Astrologia merũ sit figmentum, merum ineruditis præstigium, librum eorum principis tot seculis excultum, & ferè adoratum, vulgata illa translatione plura (vt ita dixerim) continuisse errata quàm verba. Tanto Baptista exulto gaudio, vt vix me contineam, cùm hostem hunc Ecclesiæ infensissimum, & exitiale virus bonis ingenijs, victum omni ex parte & debellatũ exulare statim sit necesse, ne amplius humanum genus (vt ille inquit) damnet caligo futuri. Hinc maximè assecutus sum coniectura Theologorum, sententiam illam veritate fulciri, damnatos videlicet ad æternum ignem, maiore affici pœna, ob diuinæ visionis carentiam, in qua omnis est bonitas, omnis veritas, omnis sapientia, quàm *ob calorem illum nimium, ad quem* (vt ait Iob) *transibunt ex aquis niuium*: quando ne veritas hæc ab homine excogitata, ab hominum mentibus aboleretur, nescio quid ærumnarum, quid calamitatum, quid pœnarum, pati non mallem. Mitto ad te argumentum libro ipsi præstituendũ, quod si somnum redolebit, scito illud hesterna nocte, prius, scilicet, quàm antè diluculum è lecto surgerem excogitatum à me esse, & magna ex parte conscriptum: Vale, & Deum pro me, & tota familia supplex exorato. Mirand. Cal. Februar.



IOANNIS FRANCISCI PICI
EPISTOLARVM
LIBER IIII.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA Dominus, & Comes Concordiæ Thomæ Vuolphio Iuniori, Decretorum doctori, Columbariæq; vrbis Præposito Sal.



Antin' me facis, Vuolphi, vt ardenter adeò mea scripta concupiscas? An potiùs cognominis feræ in morem quicquid literarum habere potes abliguris, vt illa quicquid carnium? Tanta, scilicet, ingluuie vt si hæ desint terram quoq; rapiat & voret, in hoc tu certè dissimilis quod illa ob eximiam edendi rabiem sibi, tu ob egregiam humanitatẽ alijs consulis, aut te consulturum existimas, siquidem multis penè conuitijs efflagitasti vt elucubrationum mearum complures ad te deferẽdas curaremus, nec sola verborum sponsione, tametsi eam nunquã fefellimus, benè tibi & satis actum existimasti, quippe qui me identidẽ dum quandoq; subitarium conuiuam haberes extimulasti, vt id scriptis etiam testaremur, quo præter conscientiæ testimoniũ, iactura quoq; nostrę æstimationis fieret, ni promissum implere mus, quod ne non in omnib. tibi gratificaremur effecimus. Tanti mihi cõstitit Collauri nostri (quo Cæsar à secretis, & à manu vtitur) mora quã nec eximia diligentia debellare potui quin Argentorati tenerer præter spẽ, & tuam domũ in qua hospitabatur frequenter venirẽ, sed parco eius negligẽtię modò importunitati meæ ille pepercerit, quanquã ea quæ alioquin importunitas diceretur, si tarditas negotio periculum intulerit, diligentia nuncupari debet, & quę negligentia in ociosissimo nuncupãda esset, in occupa-

occupatiſſimo nec morę quidem nomine cenſenda eſt, hunc in modum vtrique à calumnia liberari poſſe videmur: tu verò qui defendi poſſis, planè non video, ne mihi ſis iniurius qui per literas, & per Phileſium noſtrum immaturum potiùs, quàm præmaturum promiſſum exigis. Quo fit vt mihi vix liberum ſit notam effugere: Si morem geſſero ruditatis fortè culpabor, ſin minus ab intempeſtiuo exactore in pœnam violatæ fidei depoſcar: Morem itaque geram, quod ſi alterius accuſabor, tu & iureconſultus, & veluti reus euictionis cauſam, remque tueberis. Accipe igitur mea omnia, quæ literis ad hunc vſq; annum ætatis noſtræ ſextum ſupra trigeſimum abſolui, præter defenſiones nonnullas diu perſcriptas, quorum vt ad te in præſentia transferantur integra mihi facultas deeſt, promiſſa mittuntur, quæ ſimul vnum in volumen excudi facies, idque quàm emendatiſſimè. Librorum autem ſeriem & ordinem vt quis, quem præcedere, quem quis ſequi debeat delegandum tibi putauimus, quoniam tu nobis illos extorſiſti, quis enim leget hæc? quod ſi quis forſan, ſi quis captus amore leget, hoc mihi videntur ordine collocari poſſe: vt primo Theoremata de fide excudantur, quando Chriſtianis hominibus prima omnium neceſſaria eſt fides, & ſi tempus etiam ſpectes diu eſt quod illa parturiuimus, quamuis hæc alia partu maturiore præceſſerint: Adde vniuerſam quam nobis in edendis eis propoſuimus vtilitatem: Fidei enim cùm expers debet eſſe nemo etiã è medio, quin illam pro viribus amplecti, tùm id præcipuè muneris incumbit literatis, qui propter eruditionem multò ſunt aptiores ad imbibenda myſteria, hæc apud te arbitror gratiæ multum habitura quod tuæ profeſſionis dogmata & enarrant, & citant libenter. Neque enim Theologi ſolùm, ſed & Canonum ſacrorum interpretes, quæ fidei ſunt ſumma cura & noſſe, & conſcribere, & interpretari decet, apud quos cùm aliàs ſparſim, tum in ipſo quaſi profeſſionis limine de ſumma Trinitate, & fide catholica dogmata proponuntur. Quæ vtilius multò excolerentur, quàm ſuperuacuæ illæ contentiones & lucri cupida conſilia quibus multi exagitantur. Cæterum Chriſtiano iam homini, & qui fidelia fundamenta iecerit, opus eſt, ne ſenſu diſtrahatur, ne vanis ludatur imaginibus, ſed habeat quæ mente ſalubriter verſet: Quapropter liber vnus de imaginatione, & duo de Morte Chriſti & propria cogitanda, nonnullas illi ſuppetias afferent: At cùm ſemper meditari non detur, ſed & legere, ſed verſari literas homini præſertim erudito huic libri duo de ſtudio Diuinæ, & humanæ philoſophiæ quid agendum quoquo modo inſinuauerint: Quoniam verò humana ſæpenumerò curioſitas metas egreditur, nec ſcientia contenta, præſcientiam affectat, præſenſionemque rerum futurarum, eamque interdum ſuperſtitioſè conquirit, multifariè delirans, propterea nouẽ de Rerum Prænotione libri optimè ſequerentur, quibus pro veritate religionis aduerſus ſuperſtitioſas vanitates & noxia deliramenta certauimus: quanquam id voluminis alios omnes præcedere vel his rationibus poſſet, quoniam reijcere ſuperſtitiones, qui eis inuoluti ſunt in primis debent, ſed & de prænotione agitur etiam Diuina & prophetia ex qua noſtra plurimùm dependet fides: iſtis adnectere quiueris librum de vita Ioannis Pici patrui, quem morte nobis immatura præreptum quantum fuit dolor & tulit veritas laudauimus. Exin pro eius libro de Vno & Ente quam ſcripſimus defenſionem, & argumenta in epiſtolas eius, & in libros duodecim aduerſus Aſtrologiam quæ omnia poſt eius mortem ab hinc fermè nouennium à nobis reparata publicauimus. Poſt hæc quatuor epiſtolarum varij generis libros quando eos etiam exquiris, vt tibi mittam, ſi libuerit, appoſueris. Nec non expoſitionem in textum Hilarij, qui reponitur in decretis Pontificijs de conſecr. diſtinct. ij. Agmen claudet Iuſtini philoſophi & martyris liber quem de Græco tranſtulimus.

Lector candide obſerua hoc loco mortalium propoſita, quæ etſi quædam firma eſſe videantur: tamen temporum iniuria ſæpenumerò inania reddũtur. Sic etiam noſtro autori piæ memoriæ accidit: multa enim ſcripta hîc recitat, quæ haud inueniuntur: & partim per temporis mutationem, partim per varios caſus & calamitates perdita fuerunt: quæ autem extant, in principio Tomi primi reperies.

Sed quoniam lectoris ſtomachus tantis forſan epulis parum opiparis & ſplendidis onerabitur, poſtremo ceu bellaria & tragemata ſecundis accepta menſis Stauroſtichon legetur heroico carmine de myſterijs in Germaniam veſtram delapſis, quod ſi faſtidium non tollet, vtpote minus illitũ ſaccharo, leuabit ſaltem opinor, cùm ob numerorum quam ſecum defert harmoniam, tùm nouitate rei & veritate, cui tu ampliſſimum arbitror teſtimonium reddideris: Quæ vno comprehenſa volumine magno (arbitror) ſi placuiſſe ſtudioſis animaduertero, excitabor ad alia quæ in manus habeo procudenda, quorum pars paucos mallei experta ictus, pars multam preſſit incudem, pars ad vmbilicũ ferè deducta eſt, ea tum vt mihi ipſi alioquin non impigro ſubdã cal

caria,

caria, tibi recensebo tum vt si eis quæ trahis è manibus non delectaberis, eorum quæ retinemus spe fortassis recreere. Particularis quædam historia illis compar opusculis, quæ tametsi edita sunt, ad præsens efficere nequiui vt eorum cōpos fieres, simul postea potieris. Theophrasti liber de Igni, Latio donatus. De historia meorū temporum vniuersa, quæ in multos annos protendetur. De Prouidentia liber, quam ab omni etiam natione atq; ab ijs ipsis qui credūtur à plerisq; impij philosophis existimatā monstrare consilium est, nē dum Sacris literis narratam, & nostrorum Theologorum validissimis rationibus assertam. De Dialectica ad filium libros quinq;, sed & animum aliquando appuleram ad scribendum vniuersę Philosophiæ consectarium, verùm, quoniam id muneris cùm Græcis, tùm Latinis auctoribus multifariam tractatū sciebam, ad hanc diem abstinui, Logicem solam amplexus, quæ vt cōmodè & Latinè perscriberetur, desyderabatur à multis, id ipsum oneris libenter obiui, tùm quod ij, qui Græcè nesciunt in Latio versati Barbarum nescio quid & præposterū, cuius stridore scholarum subsellia franguntur, ferre non possunt, & pedem vbi conferre debent, maximè referunt: tum vt filio ad isthæc studia iam accincto nōnihil opis offerrem. Institui præterea tres hymnos Hexametro carmine, vnū absoluimus, exorsi reliqua quibus vniuersa penè & diuina, & naturalia, & moralia præcepta vel cōprehendētur, vel insinuabuntur, hunc ipsum maximè curauit antiquitas, vt sua carmine dogmata traderet, sed plurimùm id vanis placitis sacrilegisq; deorum cærimonijs fœdauit. Nostri hac de re nonnihil egerunt, sed & pressè, & curtè, quotidianę duntaxat diuinę laudis actioni ꝓspectum volentes nos, & amplè, & fusè, quod si quibus fortè minus gratū fuerit id laboris, vt qui dictitēt solere poëtas explodi à Theologis sanctisq; hominibusq; ij fortè sententiam mutabunt, si in primis mentē eò reuocauerint Poëtæ nomen ęquiuocum & multiplex haberi: Tum illud si nouerint eos, qui naturalia, diuina, res gestas, carminibus absoluerunt: Historiographos, Philosophos, Theologos magis quàm Poëtas censeri, sed & Ecclesiæ iudicium spectare debebunt, quæ cùm aliorum probet opera Theologorum, Sedulij carmen heroicū insigni laude prosequitur, exemplum quoq; summi theologi Gregorij Nazianzeni ne despuant, qui multa heroico metro versuū millia composuit, & illud quoq; nouerint, quod & aliàs meminimus tantum abfuisse, vt Hieronymus, Paulinus, Ambrosius, alij cùm doctrina, tùm moribus & sanctitate insignes à carminibus abhorruerint, vt ea etiam nec minimo studio condiderint, deq; illis componendis Theologi Bedę opus memoratur, quod munus cùm alij, tùm summus Philosophorum Aristoteles obiuit: apud Originem Iosephum, sed & ipsum Hieronymum, Moysem, Dauidem, Salomonem, Esaiam, Iob, Hieremiam discant suis libris mensuras carminū adhibuisse: & ipsi quoq; Ecclesiæ ne non audiant quæso, quæ hymnos quotidie in auribus fideliū personat, quid? quod aliquos nouimus qui quāquam Poëtas aliquando incesserunt, eosdem tamen ipsos rhythmos scimus edidisse, & alijs vt ipsum facerent consuluisse, quando aliud vulgò, aliud inter benè instituti animi viros disseruerunt, quæ si quis considerauerit, nobis, arbitror, non succensebit, si post centū & amplius millia versuum soluta oratione cōposita duo vel tria metra cōposuerimus. Sed vt redeā vnde diuerti, post Disserēdi artē, post Naturalia, post cognitionem Diuinorū vitæq; actiones & officia, nosse oportet ea quibus in offenso gradu cœleste iter scandere possimus, ob id dialogū, cui titulus de Serena cōscientia nostris operibus literarijs terminū imponet, ita enim (ignoramus autem emersura) decreuimus, interim dabimus operam, vt q̃ Ioannes Picus patruus inchoata & imperfecta reliquit absoluamus, quod officium triplici de causa distulimus, tùm quòd nostra fortè excidissent animo, nisi mandata literis fuissent, quo incōmodo illa priuantur diu notata, tùm quòd ea integra habere nō potuimus: nā pręter duodecim aduersus Astrologos libros qui ferè perfecti ab eo fuerāt, à me statim nostris operibus intermissis & reparati, & publicati, pauca pręterea sunt, quæ vllā operis faciem pręseferant: Psalmorum tamen cōmentaria qualia futura fuissent, nōnihil cōiectamur. Alia dispersa sunt, nec ad nostras manus liberè peruenerunt: Namq; Antonius patruus cum vniuersa Bibliotheca multa quoq; eius ordinis scripta distraxit, sed quorum potiti sumus, aliqua speramus de tenebris eruere, & si ordinarios libros edere, vt votū est, nō poterimus, quod sępè diximus, Stromata, Miscellanea, Tomos, Aphorismos, Rhapsodias cōcinnabimus, noctes (vt ille) Atticas elucubrabimus: quę sanè talia euasura confidem mea

 industria,

industria, qualia ille viuens absoluisset, mea illis vniuersa omnino posthabuissem: id tamen pro eis quod pro mei ipsis exantlaui, laboris subiturus, sed te admonitum velim, vt nec ea quę in manibus habere dixi, aut mea, aut patrui opera, si fortè, vt fit, quicquam circumferri audires, pro nostris accipias, nisi in eorum publicatione meæ pariter epistolæ testimonium adfuerit, quo isthæc pariter volumina citentur, quæ ad te mittimus veluti fraterna cognataq; Nam quoniam ea quæ ipsius patrui propria sunt, meis quibusdam scriptis adnexis, veluti domesticis testibus iam diu in publicum exierunt: Quoniam item quæ propria mea sunt & auctoribus simul, & indicis partibus functus nunc misi, & hac epistola recensui. Aequum pariter est vt aut si qua mea in posterum emittentur, aut quæ nec mea, nec patrui, sed vtriusq; communia, hoc est, ab illo cœpta à me consummata fuerint, pari à me pacto signentur enumerenturq;, ne aut sub meo, aut illius, aut vtriusq; nomine suppositititj, ac vt Iureconsultis dicitur, vulgò quæsiti pro legitimis libris circumferantur. Carpi 24. Nouemb. M.D.V.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Vdalrico Zasio. Iureconsul. Sal.

IActuram me fecisse dimensæ Germaniæ putauerim, Zasi, quòd te de facie non nouerim, tanta in te eruditio, tàm propensa in studia voluntas, tantus amor mei, quæ omnia de tuis illis quas noster attulit Philesius literis percepi, quibus vt aliqua ex parte respondeam habeo in primis gratias, quod me dignum existimaueris, cui desiderares in amicitia coniungi, quodque Ioanni patruo ita videaris affectus quàm qui maximè, & sanè mihi iam diu persuasi quod de Ciceronis studiosis refert Fabius, commodissimè de patrui laudatoribus dici & amplificari posse, illum esse & haberi debere virũ in literis eximium, cui Ioannis Pici opera magnopere placuerint, ni aliud mihi doctrinæ testimonium præbuisses tuæ satis in te amando, satis in me tibi obligando fuisset: Adde illa quæ dixi tuarum lectione literarum hausta. Adde selecta illa verba quæ non Rhenum, sed Padum, sed Thyberim, sed Capitolium sapiunt, quanquam, vt mihi videtur, cœpit Thybris Rhenum influere, & quanquàm prisca illa Romani sermonis puritas Italiam non dereliquit, tanto eam studio Germani colunt, vt propè surripere gestiant. Ad patruum redeo, cuius opera qua mors discerpsit componi à me, & in integrũ restitui suspiras, quid hac in re velim quid possim & aliàs à nobis scriptum est, & in præsens ad Vuolphium per epistolam latè narratum. Ad quem multa misimus, quæ mirum appetis nostrarum vigiliarum monumenta, si tamen ea appellatione digna censeri debent, sed tametsi aliud quicquam hac in re lucrati non sumus, benè tamen actum nobis putamus, quod promissa reluimus, nec est cur amplius debiti, iure nos queat expostulare. Misimus nouem de rerum Prænotione volumina. Theoremata de fide, de Imaginatione librum, translatum è Græco in Latinam linguam Iustini Philosophi, & Martyris volumen, de mysterijs crucis in Germaniam cœlo lapsis carmen Heroicum. Epistolarum libros quatuor. Enarrationem in particulam textus Hilarij quam inter Pontificia decreta reposuit Gratianus & alia pleraq; olim formis excusa. Quæ item sint in manibus, vel inchoata, vel minimè polita significauimus, & vtinam illi quoq; quod suggeris oneri Ius ciuile in rem Latinam restituendi par esse possem. Sed id tibi potiori adeò Iure incumbit, qui & velis, & possis, & cœperis, perge oro fœdos istos tàm Ciuilium quàm Pontificiarum legum corruptores concutere distrahere, eliminare, interim si nobis à molestissimis curis respirandi beneficium à Deo Optimo Maximo præstabitur, maiori alacritate & studio rem cœptam ad calcem perducemus, præstituri quod promisimus, & si eam fortasse quam cuperemus opem rei literariæ non laturi, tibi saltem & amicis reliquis gratum facturi. Vale Carpi 21. Nouemb. M.D.V.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Mariæ Magdalenæ Sorori Sal.

NOn possum, non ingratus videri, Soror charissima, qui tibi sacræ religioni iam pridem initiatæ literis meis gratulari distulerim, & eò amplius cùm ab te multifariam & Hieronymo Hispano, qui cœnobij vestri curam gerit, præterita hyc-

rita hyeme per literas inuitatus fuerim, vt aliqua tibi mitterem, quę tuum cœptum extollerent, & accenſo in te Chriſti igni fomenta ſuggererent: verùm plurimis de cauſis ſilentium tenui, tùm quod ea in me nō eſſet ad obeundum id muneris facultas quàm charitas, qua te complector, & ſatisfaciendi deſyderiū expoſtularent, tùm quod mihi ſuperuacaneum videbatur, eam tibi velle monſtrare benè viuendi normam, quæ à te pridem ardentiſſimè percepta eſſet, à me verò tentata, vtpote eam velle inſtruere, verbis cuius fueram & inſtructus, & commonefactus exemplis. Accedebat quod ea prouinciam ſubiturus infimus tyrūculus adhuc quam fortiſſimus vndecunq; miles Ioannes Picus, ſcilicet, patruus noſter, minimo minus abhorruerat. Veruntamē noſtro rogatu tuo dum Ferrariæ nuper eſſem, precibusq; deuinctus promiſi quod detrectaueram adimplere, & vt fraternæ charitati obſequerer, & patri ſpirituali tuo morem gererem, ratus calumniam ineptè ſcribendi & temerariè quam negligendi tui, & poſthabendi promiſſa citiùs eligendam, confidens quod ſi facultas non dabitur comptè, & ornatè dicendi, ſyncerum tamen animū & amorem ſuppetias ad dicendum allaturos. Gratulandum verò tibi potiùs quàm conſulendū cenſui, tùm quod à te ipſa, à doctoribus ſacris pręcepta ſalubria ita haurire, quàm ego ex his excepta ad te tranſmittere potens es in diui Franciſci præſertim vita ſub quo cœleſtia męres ſtipēdia, eam ipſam quia impenſiſſimè efflagitaſti, ad te in præſentia mitto libentiſſimè, qua lectione quid tibi ſectandū, quídve fugiendum ſatis in parte cognoſces, & ideò alio hortatu ad ſubeunda religionis munera, parū eges, multasq; habes ſorores in Cœnobio & matres velut exemplaria, quibus diebus ſingulis vitam tuam & mores effingas. Gaudeamus igitur in Domino chariſſima ſoror, iugiq; contemplatione cōſideremus, quāta Deus fecerit animæ tuæ, qui tibi non ſolùm iter perfectionis oſtenderit, verumetiam intra ianuam perfectionis (vt ita dixerim) cōſtituerit: deſerueris fratres, reliqueris parentes, mundumq; & omnia eius blandimenta contempſeris, & euolaueris nuda ad crucis vexillum. O`felices animas quibus à Deo Optimo donatur, vt paupertatis conſilium eligant, vt pro vtili & minima portione derelicta, centenam mercedem recipiant, & in æterna gloriæ ſublimitate Chriſti cohæredes efficiantur. O`iterum felices, quibus datur vt vadum hoc plenum miſeriæ, plenum ærumnarum relictis ſarcinis cymba ligni crucis euecta pertranſeant; Quid enim poteſt in vado mundi huius miſeri quietis ſolidę reperiri à fœminis præſertim, quæ ſi iugatæ fuerint continuū illis quaſi belli ſimulachrū, cùm viris ſemper indicitur, vel ob violati tori ſupremas anguſtias, vel ob iurgia rei familiaris adminiſtrandæ, in qua (vt ait Cicero) diligentia plena ęrumnarum, negligentia vituperationum, ſterilitatem omitto: omitto infelices abortiuorum partus, filiorum omitto, & mariti funera, quibus nil infelicius, nil & miſerius orbatæ coniuges videre poſſunt, diuino poſtremo poſt viri obitus oppreſſiones, quibus angi deſolatæ conſueuerunt: Hi fructus ſunt mūdi ſoror: Hæc ſunt oblectamenta, quæ ſi intimo cordis affectu, piaq; mente, contemplata fueris, poteris cum Propheta exclamare: *Dirupiſti vincula mea, Domine, tibi ſacrificabo hoſtiū laudis, & nomē Domini inuocabo, quia eduxiſti me de lacu miſeriæ, & de luto fecis, & conſtituiſti ſupra petrā pedes meos.* Parte alia ſi mentis oculis cernes, quæ ſpiritalia commoda, quæve gaudia tibi mundi fuga contulerit, & quàm bonum, & iucundum ſit Sorores in vnum degere. Dolebis profectò in cœno huius noſtræ miſeriæ, tàm diu tuas plantas hæſiſſe, & alias quas cognôſti in mundo ad locum illum inuitabis vt videant & guſtent, quàm ſuauis eſt Dominus, quàm felix Chriſti iugum, quanta ſit in religione tranquillitas, quāta ſecuritas, & in qua hominibus id facilius cōſequi datur, ad quod creati ſunt. Ibi namq; poſſunt commodiùs Deum cognoſcere, feruentiùs amare, quietiùs poſſidere, & ob id ſine fine glorioſiùs frui: Arram quippe iam cœleſtis patriæ tenent, qui mundo calcato, animam & corpus Deo ſuo mancipauerunt.

Gaudendum eſt iterum Soror, cùm magnificum tuum hoc cœptū non mediocris exempli puellis tempeſtatis huius extiterit, quę te aut viderint, aut audierint parentes deſeruiſſe, qui agris & argento, & opib⁹ referti, qui ſubditis & ditione ornati ſunt pauperrimiq; monaſterij locū petiuiſſe, quin etiam quod Ariſtoteles ipſe magis eligendū cenſet vnico propoſito: Chriſto tamen docente, nō ſuadente philoſopho conſecuta es: Id enim tale eſſe affirmat, quod vel bonum, vel expediens, vel delectabile ſit. Quid quæſo magis bonū eſt, quàm ipſam ſequi & amplexari bonitatem, quæ Chriſtus eſt?

quid expeditius quàm eius præceptis obtemperare? Quid delectabilius quàm eum iugo crucis suauissimo sublato sectari, quæ omnia intrepido & alacri animo obiuisti? Igitur gaudendum tibi est firmissimeq; tenendum futuram copiosam mercedē tuam, si legitimè aduersus tuos & crucis hostes fueris præliata: multa enim inter eundum discrimina euenient, multi hostes insurgent, iugiterq; grassabuntur quibus cum bellum gerere singulis horis & momentis oportebit, nec ideò expauescendum, sed iterum gaudendum: quin vbi excellentior pugna, ibi locupletior victoria, & gloriosior corona, magnum tecum dæmones certamen inient, magnamq; cōtentionem, qui te nunc aperto marte petent, nunc cuniculis oppugnabūt, sed à te passionis Christi memoria & fugabuntur, & absterrentur. Hæc enim meditatio, insurgentia quæq; aduersum nos disijcit atq; eliminat, quod se Augustinus expertum testatur, mundus insultabit, offerentur honores, se ingerent stemmata, quæ omnia propriè memoria mortis retundes. *Caro concupiscet* (vt ait Apostolus) *aduersus spiritum*, quam flagra cedent, domabunt ieiunia, iugisq; labor & sacra lectio vincent: nec ideo flagris sic oportere cedi te admonitam velim, vt à te ipsa hoc perpetrandum sæpissimè intelligas, tantum enim abest vt hoc tibi faciundum suadeam, vt etiam apertissimè cauendum iudicem, quia multi dum à dęmone sub aperta ratione mali, nequiuerint illudi, sub specie boni ob indiscretā corporis castigationē in præceps delati sunt. Audi Bernhardum dicentem: Quicquid superioris licentia fit, gratius in conspectu Dei, & quod illam hostiam singulariter accipit, quæ non de propriæ sententia voluntatis, sed de præcipientis offertur imperio: Hoc ex proposito inseruisse volui, cùm audiuerim te nonnihil austeritatis, nec probantibus superioribus fuisse molitam: quod etiam de lectione scripsi ad eundem tenorem referendum volo, quod non vt scias, sed vt rectè opereris, lectionibus incumbas, quæ sententia à patre tuo Francisco prodijt, monuitq; fratres vt plus orationibus, quàm lectionibus desudarent, quoniam Christum ita effecisse Euangelia testentur: In omnibus porrò tentationibus corona illa iustitiæ, & stola gloriæ, contemplanda est à te, quam Deus ante mundi principium, fidei armis, scuto spei, & charitatis galea, in hoc conflictu acerrimè dimicantibus præparauit: ea igitur quæ retrò sunt, postquàm aratro manum admouisti, obliuisci debes & in ea quæ antè sunt extenta, perenni hoste ligno crucis fugato ad cœlestem Hierusalem pijssimum Iesum sequi, & post illum currere in odore vnguentorū suorum: O`ineffabilis Christi amor: O`vis immensa, quæ postquàm pectus possedit mundi penitùs inducit obliuia, & flagrantissimam cœlestis patriæ sitim ingerit, qua vitæ labores facillimè superantur, qua mundus datur pessum illecebræq;, & carnis blandimēta non solùm habentur pro nihilo, sed & habentur odio. O`rem mirandam Christi amor, efficit vt vilis homuncio, spernat mundum, vincat dæmonē, superet seipsum innatosq; mores, & in Dei filium, & hæredem asciscatur. Perge igitur obsecro, Soror charissima, quo cœpisti itinere, & ne te dæmon absterreat: Christum ama, Christo famulare, Christum imitare, eiusque mortem semper in corde retine: quis enim hac meditatione possessa non sequatur humilitatem? quis charitatem non obtineat? quorum altera virtutem omnium fundamentum est: altera absoluta consumatio, tua profectò mens felix, si illum iugiter meditata fuerit: Illum, inquam, cum Patre regnantem ante omnia secula, in tempore carnem assumpsisset, laboresq; omnifarios sustinuisse, demumq; in ara crucis, vt nos diaboli mancipia effectos in libertatem assereret, & sanguinem, & animam effudisse: potuítne vnquàm maius in nos beneficiū extitisse, quàm semetipsum exinanire, formam serui accipiens, factusq; obediens, vsq; ad mortem crucis. Hæc igitur meditare, Soror charissima, quæ mundi nauseam inducunt, quæ pariunt Dei amorem, quæ labores religionis dulces & suaues reddunt, quæ supernæ ciuitatis consequendæ spem firmant: Et iterum gaude cùm te iam maiorem mundo hæc renunciatio sola constituerit, testante Cypriano, eum qui renunciauerit iam seculo maiorem esse, & honoribus eius, & regno. Sed epistola claudenda est, quæ etsi tibi grata futura non est, nec mihi ipsi satisfactura: attamē te certiorem reddet, me potiùs quàm tuæ petitioni non annuere, periclitari etiam cum dispendio famæ maluisse. Vale, & Deum iugiter ora pro me, Eleonora soror, & Ioanna vxor, & tua St. Magdalena se tibi in Christo commendant.

IO AN-

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Tryphoni Sal.

ACcepi Secundum abs te, & quidem Secundum. Nam alius generis eiusdem semper quæsitus nunquàm inuentus apud me delitescebat, cui mox reperto, en tuus ceu cognato gratulabundus accessit. Ago gratias & habeo cum laboris, tum diligentiæ, tantum abest, vt remoram damnem. Quî enim fieri potest vt culpa sit vbi amor & cura? fallacem & terga, vt scribis, vertentem fortunam fugare facillimè poteris armis consilij. Quod tibi cùm inambulationes illæ, quas cum Aristotele fecisti, tùm Sacræ in primis literæ suppeditabunt. Salutem Donato meo nomine ascribito, non Secundo sed Primo: Idem tibi & impensè quidem Barrus exoptat. Secundi pretium quod ex te Bibliopola percepit, Ioanni huic ad te perferendum dedi. Vale Carpi 6. Idus Martij.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Maximiliano Cæsari Sal.

SAcer Cæs. M. Nuncius Maiestatis tuæ, qui pro me in Italiam venit, ad te reuertetur, postquàm se Mediolanum contulerit: Iam enim & Mantuanum principem, & Ferrariensem conuenit, & Mirandulam etiam accessit. Intellexi (& ita etiam ex literis M.T. percepturum puto) ipsum Mantuæ principem paratissimum offerre sese, vt tibi morem gerat, & mihi opẽ ferat: Qua de re à pluribus etiam amicis certior factus sum: Ducem verò Ferrariensem hac in causa illius vestigia secuturũ penè omnes existimant. Qui autẽ res meas occupat M. T. tuis præceptis obaudiuit, putans quoquomodo se fecisse mandato satis, si aliquod mendacium cũ obedientia commutet. Negat enim mihi fuisse iniuriam & vim illatã, quod nemo est qui nesciat, sed & dissimulat te pro me contra illum sententiam tulisse, quod non solùm notissimum atq; vulgatum est, sed etiam eidem per vltimas tuæ M. literas declaratum. Quocirca enixè, clementissimeq; supplico, vt & fidei meæ, & iurium meorum, & clementiæ tuę rationem habeas, iustum auxiliũ quod imploraui sæpiùs, acceleres: Nam omnis celeritas videtur mora mihi tamdiu oppresso & tàm insignem iniuriam pro seruãda fide perpesso. Literas itaq; in Italiam ad eosdem expostulo, vt statim opem ferant nec oratores hac in re ampliùs morentur. Dies enim mihi nunc pro mense est. Quandoquidem fame oppida vrgentur, & ab oppidanis ipsis ego identidem vrgeor, vt proprius accedam. Si enim principes illi de machinis prouiderint, quicquid prætereà contulerint, satis fuerit, illum ipse peditum numerũ, de quo tuæ M. coràm locutus sum, si illi obsequentur, triduo paratũ in armis habebo (quanquàm armis nõ erit opus, nisi tantùm vt vibrentur) quod si mora mihi nocebit ad præsens, vereor ne summa posteà difficultas oboriatur, & mea iniuria, & ingenti damno differatur auxilium ac spoliator contra ius & fas, cõtra decreta tua promulgatamq; sententiam in bonorum vsurpatione, in ditionis & ciuium oppressione, diutiùs perseueret, 9. Calen. Iunij. M.D.V.

FRATER BAPTISTA MANTV. CARMEL.
Ioan. Francisco Pico Mirandulæ Salutem.

COnfiteor & accuso apud te delictum meum, quòd fuerim hactenus negligens in scribendo, habeo tamen vnde me excusem, publicas, scilicet, occupationes, quæ cogunt etiam corpus à patria, & ingeniũ à studijs peregrinari: Et quotiens datur ad studia reditus (datur autem raró) propter longa literarum ieiunia supra modum esuriens animus vsq; adeò lectioni se immergit, & ingurgitat, vt concoquere nequeat quæ vorauit: Quò fit vt cùm negotium habeo, negotiosus sim, cùm verò non habeo negotiosissimus. Inter Salebras & Spineta Ioannis Scoti exigentibus, sic discipulis hyemem consumpsi, corrigẽdo etiam poëmati nostro de regibus Hispaniarum operam impendi, vnguem applicui, & ei summam manũ imponere propero: possem, inquam, negligentiam meam sic expurgare, & clypeũ huius excusationis prætendere, sed parco, quod existimẽ me faciliùs ab hoc reatu per veniam, quàm per satisfactionem absolui posse, apud iudicem tantæ humanitatis & clementiæ: De his hactenus.

Traductionem illam Hieronymi diu multumq; desyderatam, quæsitam & vbique, & nusquàm inuentam grato animo recipiam, nesciens tamen

Quæ tibi, quæ tali reddam pro munere dona.

Quod patrui lucubrationes contra Astronomos editas studio & industria tua excribraueris, debent omnes viri tàm indocti, quàm docti publicè gratulari, & ingentes gratias vobis, hoc est, tibi ac patruo semper exoluere, qui communem hanc pestem, & vanissimã istam curiositatem de medio abstuleritis, Hydram hanc extinxeritis, Harpyas eas expuleritis, quibus homines fascinantur, nitor fidei obscuratur, bona ingenia deluduntur. Quanto desiderio ardeam videndi opus, hoc tàm egregium, tàm singulare, tàm sublime, tàm arduum non possum literis explicare, quàm primùm potero (ne dubita) temporis aliquantulum suffurabor, veniam repentè, improuisus adero, saturaturus ingenij ligurientis ingluuiem, habet ingenium gulam sicut & sensus, habet palatũ, habet venerem, cui nescio an punctum sit nimis indulgere. Bartholomæo Susæ nostro noli succensere, quòd aduentum meũ siluerit: nam cùm necessariũ esset è vestigio discedere, iussi vt id silentio præteriret, cuius ignorantia nõ nocebat, scientia displicitura erat, & in hoc silentio tibi magis quàm nobis cõsulebam, ne videlicet tristareris te ita à me præteriri. Dare igitur veniã bonæ huic intentioni potes & debes, quando si erratum est, in rem tuam erratũ est: Alios semel vidisse satis est, te autẽ propter virtutum tuarum raritatem, non satis est vidisse semel, iuuat vsq; morari, & conferre gradum: Res ordinis trahebat me in Hetruriam, & quorundam fides ac iucunda societas moram excludebat. Argumentum tuum in opus patrui legi, tantũ placuit vt adulationis suspicio dicere nõ sinat. Ante quinq; annos cùm essem Romæ, vidi & perlegi Centiloquium Ptolemæi, nuper à Ioanne Pontano translatum cum commentationibus eiusdem. Vide ergo ne is sit, quẽ te reperisse scribis inter libellos & schedas Pici nostri. Consulo vt omnis patrui phillyras excutias, scrinia omnia perlustres, ramenta omnia colligas, reliquias omnes tàm excellentis ac propè diuini ingenij asseras, nihil perire sinas, in eum ordinẽ digeras, quem res ipsæ præ se ferũt, & qui prudentiæ tuæ melior apparebit, si nõ cohærebunt, si non pendebit vnũ ex altero, singula per se stabunt, ꝓpria nitentur bonitate. Tomi erunt, Aphorismi erunt, nihil abijcito, nihil supprimito, nihil enim in eis puto quod salẽ suum nõ habeat, quod sit languidũ, quod eneruẽ, quod friuolũ, quod ociosum. Collige omnia, audiamus mortuũ loquentẽ, à tacente plura discamus, quàm à loquente liceat intueri, tantũ naturæ conatum iuuenilis ingenij miraculum temporum nostrorum ornamentum. Cæterùm ex tanta rerum copia sublimitate præstantia cognoscamus, homo homini quid præstet, & dubitare cogamur, an omnes animæ naturæ sint vnius, quas tantum videamus differre in operationibus. Tu verò vale, & patruum in omnibus imitare, hoc excepto quod diu viuas, & quod eius annis ablatum est tuis addatur: Et sicut in Helisæo nostro duplex factus est Heliæ spiritus, sic in te patrui spiritus duplicetur. Idibus Febr. Mantuę.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Alo. Marl. Sal.

CVm superioribus diebus Florentiam petissem, Ioannes Picus patruus dum de philosophia & literis mecum fabularetur, inter loquendum à me petijt, si fortè Vitulonis philosophiam more mathematico editam ad me misisses, vel super hac re scripsisses aliquid, recordatus me illam suo nomine (dum Barrhi princeps Ferrariæ moraretur) abs te summopere efflagitasse: respondi nec verbum accepisse. Veruntamen si id optaret me scripturum promisi, te non defuturum putans in obeundis omnibus, quæ ad hanc causam spectare viderentur. Gratissimum sibi fore respondit, atq; vt hoc ipsum factitarem hortatus est vehementer, hoc videlicet adiecto, vt vel illam ad me scribendam transmittas, vel à me operã dari concedas, vt Papię vel Mediolani quò sis securior, transscribatur. Quapropter & hominis authoritate, & visendi librum voluntate fretus hæc ad te dare constitui, quibus (si quid meus erga te amor, & instituta pridem amicitia potest) te obsecro obtestorq;, ne tali tantoque viro adeò exiguum adeoq; leue officium deneges, quod si feceris vtrumq;, nostrum mirum in modum tibi conciliabis, licet mecum parum sis lucraturus, cùm tibi meipsum iam pridem

pridem dederim, sed illum tibi magno amore deuincies, illum, inquam, quem præsens ætas (vt nosti) iam admiratur & postera, ni fallor, magis est atque etiam magis admiratura: Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS IOANNI Baptistæ Comit. Fauentino Sal.

LIteras tuas cum carminibus muneribusq; libentissimè inprimis accepi, quod & ex his te sospitem, & nostri memorem esse intellexi, nec enim parum accessionis rebus meis factum iri iudico, cùm amicos qui absentes sunt & incolumes, & suæ spontis esse certior fio. Lætatum te scribis, ob nauatam à me studijs operam identidemq; aculeis quibusdam dulcibus quidem, & perhumanis ad cœptũ me perficiundum perurges, & impellis: Hæc nõ mediocria amoris indicia sunt, quæ tametsi explorata iam pridem habuerim, magis tamẽ atq; magis in præsentia florent: Nec est cur te silentij pœniteat: Est fortè cur non aggressi itineris pigeat, vt ad nos nostramq; ditionem visendã, quibus æquè ac tuis vti potes venires: Excepissem te tãto gaudio, quanto fortè alium neminẽ, vt quem amem ex penitioribus certè animi penetralibus: moueor tùm ob Grammatices elementa ex tuo fonte nobis pueris hausta, tùm ob signa ea, quibus tuum erga me amorem palàm fecisti, quo internuncio te magnopere hortor, & rogo etiam atq; etiam vt facias ne tuum ad nos aduentũ ampliùs desideremus, & eò magis rumpere moras potes quò te diu exagitatum (vt scribis) negotia plurima distinuerunt, facturus es nobis rem gratissimam, nec tibi arbitror iniucundam. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS Theophilo Stangæ Sal.

AVdio te monachorum Neapolitani Cœnobij Abbatem, & lectum esse, & designatum, illis gratulor, mihi nõ gaudeo, habituri enim sunt religiosi illi homines præstantem ducem aduersus hostis versutias, & præclarũ ad capessendas virtutes præceptorem, nobis autem visendi aliquando tui occasio penitùs erepta est, non illis inuideo salutaria monita, sed nostram conqueror iacturam, qua tantò magis subleuabimur, quantò tu & tua inter septa degentes monachi propensius ad Deum preces pro nobis effundent. Cæterùm quanquàm iter te facturum per Mirandulanum agrum mihi facilè sit existimandũ, ne desiderio tamen frustrer, teneor enim voto non exiguo visitandi tui, te magnopere, & oro, & obtestor, vt hucusq; diuertere velis, mihi enim vxoriq; meæ mirũ in modum gratificaberis, nonnulla quippe pectori tuo commissuri sumus ad patrem socerũmq; perferenda, quę nec literis nec nũcio etiam probatissimo demandaremus, suscipiendum à te negocium nobis persuasimus, quando tuum erga nos amorẽ & humanitatẽ exploratam habemus: Vale Mirand. 5. Idus Iunij.

IOANNES FRANCISCVS PICVS Sy. Re. Sal.

REcepi tuas literas & ob id commentationes de Monte pietatis ad te mitto, & misissem pridem, sed nondum exemplaris munus obiuerant. Quapropter curare poteris, vt quæ formatæ sunt (postquàm eis ad libitum vsus fueris) ad me iterum deferantur. Solæ enim quæ Theologico exaratæ sunt stylo, transcripta fuêre, porrò omnes in vniuersum gratissimas habui, eorumq; rationibus, ni alias ex aduerso fortiores, & validiores viderim annuo, & acquiesco. Cæterùm à Cardinali Curcensi nec verbum accepi, nescio an literæ delatæ sint: Vereor plurimum vt deuium iter captauerint. Attamen non deest solamen, nec in totum euanuit spes. Dabo operam qua ratione potero, vt quas subierint manus, certior efficiar. Faxit diuina bonitas vt naufragium non sint perpessæ, huius incommodi causam fuisse non ambigo fidissimi cuiusdam nuncij nostri ex vrbe discessus ijsdem diebus, quibus literæ Romam ferebantur. Albertum connubio iunctum esse haud dubium est: Ita Deus omnipotens annuat cœptis & faueat successibus. Episcopi nostri sanitatem vehementer exopto, cui me cùm tempus opportunum dabitur, commendaueris. Vale 6. Calen. Septembr.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
F. V. Sal.

PRæteritis diebus epiſtolã tibi deſtinaui, vt facilè cognoſcere poſſes quod meum foret iudicium de congregatione à te dimittenda, ſatis enim te commonueram, ſed vel te illas non vidiſſe, vel parum perſpexiſſe extimo, cùm viderim tuas iterum hac de cauſa ad me miſſas literas, quibus me impenſiſſimè rogas, vt operam dem, qua tuum poſſis implere conſilium, ego iterum ſcribam quod ſentio: Vehementer enim & à Deo, & ab hominibus arguendus eſſem, ſi ſemitam veritatis derelinquerem, ſenticoſum iter & deuium incederem, video te (ita mihi videtur, & non ſolùm mihi, ſed & pluribus) à dæmone vel decipi, vel illudi, dum tuam in qua omnem penè vitam duxiſti congregationem (ita appellare ſoletis) dimittere procuras, dic quæſo qua iuſtitia, qua deuotione, vel potiùs quo rationis figmento tuum hoc iter moliris & præparas: Ignoráſne totam Auguſtini familiam te aduerſus inſurrecturam? An diſſimulas amicos tuos omnes quos longis comparaſti vigilijs, plurimaq; concione conciliaſti, & paſſuros ſcandalum, & te illicò relicturos. Argumentum illud tuum, vel cauillum potiùs, de viſendis Hieroſolymis facilè diſſuitur, cùm id ne dicam religionis profeſſo, ſed nec marito, vel cuilibet alio iugo ſeruitutis aſtricto, abſq; venia cõcedatur, eò præſertim cùm neq; in hoc, neq; illo monte Deum, ſed in ſpiritu & veritate colere oportet. Sed & aliam quam adducis captiunculam, argumentationémve cõfragoſam de curanda ſalute proximi ob iuges clamationes è pulpito, vel eadem infringũtur ratione, cùm nulli hoc cõcedatur, niſi & probato, & quod eſt præcipuum à maioribus electo & deſtinato: obedientiæ enim te oportet ſuccumbere, quando eam noueris, & ſcriptum eſt meliorẽ eſſe obedientiã victimis, non enim qui ſe ingeret dignus eſt prælatione Eccleſiaſtica, ſed qui vocatus eſt à Deo, quanquã Aaron (vt ait Apoſtolus) vel miſſus à maioribus ad obeundum prædicationis officiũ, vt nunc in Eccleſijs mos eſt: ſi tepidi vel frigidi nõ credunt Euangelio, tibi credent? qui Deum non audiunt tibi auſcultabunt? Acquieſce igitur ſano conſilio & opinionem hãc abijce ad ſepta redi ouis aberrans, patere potiùs, vel iurgia, vel afflictiones quas obedientiæ meritum leuigabit, quam excuſſo obedientiæ iugo prædicari apoſtata: quod ſi te Hieroſolymorũ iter tàm vehemẽter angit & animorum ſalus quàm procurare geſtis excruciat, meminiſſe te velim abbatis Macharij ſalubrem fabellam de tonſoris mercede, à Caſſiano hæremita in collationibus relatam. Et caue ne ſimilitudo iſthæc tuæ poſſit opinioni coaptari: Caue, inquam, ne ſpiritales nummos quos lucratus es obediendo in fratrum communione ab illa diſſeparatus, & diſperdas, & diſſipes: Caue iterum ne à fratribus inſecteris, tanquàm fugitiuus & transfuga, & ne à dęmone qui ſe angelum lucis transfigurat, ſub boni alicuius conſequendi ſpe rapiaris in præceps. Qua igitur vocatione vocatus es Chriſtum ſequere, qui & obediens fuit vſque ad mortem, mortem autem crucis. Hæc dicta ſint, vt planè cognoſcas quãtum mihi curę tua ſalus & honor ſit: Valeto & obedientiæ iugo colla ſubmittito.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Herculi Strozæ Sal.

MItto ad te Stauroſtichon noſtrum vel plenius, vel vacuũ minus quàm erat, dum proximis diebus id tibi Ferrariæ legendum tradidi: Reuiſas oro, caſtigesq; & id ipſum Tito patri oſtendas velim. Ac Ripæ noſtro cenſorum probatiſſimo cui aliqua ex parte audiuimus, ſed ex integro non acceſſimus: σταύρωσις enim libello nuncupationem non indidit, ſed σταυρὸς καὶ στίχος ex quibus Stauroſtichon coagmentauimus, vt enim alij acroſticha, & cætera id genus Græca licentia: ſic nos de cruce carmẽ, id enim operi propoſitus finis, ex quo ſumere appellationem philoſophis placuit in anima non mutauimus: quando quidem id nominis honeſtare carmen tibi viſum fecimus, id nullo exemplo, ſed Grammaticorum dogmate, quibus compertum Proceleumaticum pedem quintam ſedem non dedecere: quod autẽ de verbo annuo ſcripſit examinandum, diligentiùs ſuſcepi. Quamuis enim abſolutè ſoleat afferri verbum annuo & datiuo iungi, vt ſcitè, rectèq; Ripa, ex Vergilio & Ouidio probauit. Scrutanti nihilo minus mihi Vergilij verſus ſic occurrit:

Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:

Item

Item illud vndecimi:

—vbi primum auellere signa,
Annuerint superi—.

Et prætereà non videtur ratio refragari. Quandoquidem significatu propinquum est id verbum, huic affirmo, quod accusandi casui & tempori infinito copulari posse oppidò quàm manifestum est. Diligenter quæso opusculum lectitare nō pigeat, nec abnuas veniā sicubi obstrepuimus anserino clangore: Nosti enim me annos propè quatuordecim non solùm carminibus, sed bonis etiam literis abstinuisse, & philosophis Barbaris lingua, catis pectore, eiusdemq; ordinis Theologis incubuisse, suffurati sumus interdum, ac decerpsimus menses aliquot, vt nonnulla ederemus, quę ad te olim peruenerunt, sed plura habemus in manibus, ex quibus Theoremata de Fide, & nouē de rerum Prænotione volumina quæ proximè composuimus, ea priusquam nostras manus exeant, apud Ripam iacerent, libenter optarem indagaturum, an dū Latio aliquam Galliæ, Germaniæ, & Britanniæ partem intulimus, linguæ quoq; alienigenę rubiginem contraxerimus, hoc duntaxat examinandū illi volo, nō id quod apud Grammaticos sub iudice adhuc, quodq; certamini perpetuò damnatum est magis, quàm olim Mysiæ fines. Circulum mittito, & venationem, tùm vt turbulentis negotijs exagitati, & lassati Barbarorum studijs ceruorum tuorum cursibus, & fugacissimè illius Alcis præda recreemur. Vale.

HERCVLES STROZA
Ioan. Franc. Pico Sal.

STaurostichon opus egregium, & quod nomē tuum sine dubio immortalitati donaturum est, nonnullis percurri oculis, ac Ripæ nostro reuisendum tradidi, qui & ingenium summis effert laudibus, & illud magis magisq; indies admiratur, tibiq; mirificè afficitur, & agit gratias, quod ex eius opusculi lectione repetita sese tanta voluptate cumulaueris: Ipse insuper & ego te hortamur vt Theoremata de Fide, quæ in manibus sunt & volumina de rerum Prænotione absoluas & scrinia tādem referes, vt exire possint, & per ora hominum docta volitare: Pergasq; ex erudito isto & fœcundo pectore aliquid semper depromere, quod alios delectet, quod te ipsum laudibus illustret. Vale Ferrariæ, Calen. Februarij. Anno M.D.V.

COELIVS CAL.
Ioan. Fran. Pico Sal.

GRegorius noster vix mihi sesquihora copiam fecit tui poëmatis, Princeps eminentissime: Deuoraui igitur id potiùs quàm legerim: Mihi nihil visum est grauius, luculentius, addo etiā sanctius, vt tu vnus videaris Musas illas Heliconias Christiano Baptisterio primus initiasse & rem prorsus miram fecisse, vt scilicet priscorum elegantiam Christi religione dilueris. Beneuale, Cœlij tibi adiuratissimi memor. Ferrariæ 6. Idus Februarij.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Bap. Mantu. Car. Sal.

DIu est quòd literarum nihil ad te dedi, mihiq; planè persuadeo, te id boni semper consuluisse, neque enim aut amicitiæ desertorem, aut negligentem me sanctissimum illud iudicium tuum arbitratum crediderim. Quandoquidem vera amicitia, qualem inter nos fuisse, nemo nostratiū est ferè qui nesciat crebris epistolis quasi columnis & sustentaculis non eget, sed & crebræ pariter ærumnæ meæ omnem vel minimam cessationis nedum negligentiæ aboleuisse notam existimandum est, tot bellica & plusquam ciuilia incommoda, tot itinera, & verius exilia, ad Barbaras nationes suscepta tot morbi & quidem diuturni, tot alij exantlati labores mihi vni, & familiæ quasi agmine facto incubuerunt, vt benè mihi actum putauerim, quòd meam meorumque vitam redemerim. Nunc autem & quia Dei Optimi Maximi beneficio respirare, & optimè sperare datum est: Et quia Ptolemæus frater tuus, cum suo principe, cuius à secretis est, huc appulit nil amplius differendum, ratus hosce versus illi ad te dedi, quibus rescies me erga te eundem esse, qui semper eundemque futurum ei ipsi: Opusculum quoq; nostrum heroico carmine paulò antè compositum

ad te perferendum obtuli: neque enim ab otio nos literario, negotia bellica & turbulenta penitùs abstrahere: Alia missurus & maiora, vbi cognouero hoc idem, à te iure amicitiæ, & perlectum, & castigatum. Vale in tuis ad Deum precibus, memor mei. Carpi Calendis Iunij.

FRATER BAPTISTA MANTV. CARMEL. Ioan. Fran. Pico Sal.

LEgi literas & poëma tuum, Ioan. Francisce Pice, vir illustris, amorem pristinum erga te meum scito ne dum esse conseruatum, sed indies magis confirmatum, & auctum: Nam cùm audirem infortunia tua quæ quidem fuêre magna, & ingentia te ferre fortissimè ac decentissimè, visus es mihi dignus amore tanto maiore, quanto in te virtus maior apparuit: Et vt quod sentio loquar ingenuè, maior mihi nūc videris, quàm cùm regnabas: Regnare enim possunt æquè boni, ac mali: At regno esse digni non possunt nisi boni, hoc est, nisi fortes, nisi iusti, nisi prudētes, nisi modesti: plus ergo longè est regno esse dignū, quàm esse regem. Te ergo amo, te colo, te obseruo, quod si neq; literis, neq; ore te salutaui, fuit in causa, quòd assiduè fortuna te iactante raro vbinam esses intellexi: Animo & desyderio tecum semper fui, & orādo tibi affui, non ego solùm, sed & omnes quotquot mihi sunt in Christo fratres. Omnes enim pari te affectu prosequuntur, & tibi gratulantur, quod apud Albertum consobrinum tuum, principem optimum cum vxore & liberis, & dulcissimo studiorum commercio tranquillissimè viuas, iucundissimo fruaris hospitio: Ego illud regnum existimem mihi infelix quod consuetudine tali me priuaret, & talis ac tanti viri congressus assiduos philosophicorum studiorum sua suauitate conditos, ego omni regno anteferrem, more Imperatoris Diocletiani, qui pertęsus molem imperij syluarum opaca silentia, & hortorum amœnitatem prætulit Imperatoriæ Maiestati: Sed de his hactenus. Poëma quod religiosè, eloquenter & doctè conscripsisti, neque laudare, neq; admirari satis possum: Habet enim sine mollicie & impudicitia salem ac lepôrem, & delectat non vt Flora, sed vt Diana: non vt Venus, sed vt Minerua miscens, quemadmodum præcipit Horatius dulcedini vtilitatem ac pulchritudinē. Poëmata obscœna & impudica sunt, iudicio meo, inter vera poëmata, quales inter probas matronas, fornicariæ meretrices. Ego enim poëma verum, & quod omne punctum ferre possit esse non puto: nisi sit graue, castum ac sanctum: Quod Horatius innuit dicens:

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:

Nec audiendi sunt Poëtæ molles & effœminati, quib⁹ nihil sapit nisi turpe, impurum, purulentum, & olidum: Sunt nimirum similes scarabęis, qui pro ingenuitate naturæ suæ ex stercore bubulo pedibus auersis pilulas volutant. Poëma hoc tuum simile fluuio, qui currendo crescit, quò magis procedit videtur venustius, dulcius, grandius, quod est indicium fortioris ingenij. Fortioris, inquā, ingenij quod exercitio non flaccescat, sed laborando vires acquirat. Sapiens igitur Poëta, si decimum annum, vt Horatius monet faciendum expectare non velit, cùm spiritu maiore se videt eleuatum, & fluentiori vena redundantem ad ea inspicienda reuertatur, quæ ex vena tenuiore profluxerunt. Ista præcipientem me ridere potes, qui (more Medicorum) ea præcipio, quæ non obseruo, sed respondeat pro me Horatius:

—fungor vice cotis:
Radere quæ ferrum facit expers ipsa secundi.

Nolo te longiore cantilena distinere. Bene vale, & Illustrissimo principi Alberto consobrino tuo me commenda: Mantuæ V. Idus Iulijs.

IOANNES FRANCISCVS PICVS Bap. Man. Sal.

NOn ideò scripsi ad te, quòd vel latum quidem vnguem ab ea, quæ semper me tenuit tui erga me amoris opinione recesserim, persuasum & propè compertum habui, participem te incommodorum meorum factum lege amicitiæ, præcepto charitatis, quòd non salutaueris æqui boniquе consului, quod precibus iuueris tàm possum non credere, quàm ignem non ardere: Proprium hoc tibi tuique similibus, qui addictiùs Christo famulantur, quorum ope coniector euenisse, vt isthæc incommoda,

commoda, & plurifariè molestarum moles leuiùs aliquantò presserint me, quàm aut cogitassem, aut sperassem, neq; enim humeros oneribus eiusmodi aptos credidissem: Dei munus est si fortiter tulimus, si plus æquo reluctati fuimus, si pastoris virgam aberrantes oues non agnouimus, humanæ miseriæ nostræq; malitiæ ferimus acceptum, fateor inter tot iactationes, quid dicam, an veriùs naufragia, inter tenebras tempestatis multa densas caligine, affluxisse Christi iubar, cuius beneficio q̃ bona miseri mortales autumamus, plena malis intuiti sumus, quò & præteritorum consolatio, & futurorum spes velut aurora subrutilans exorta est, quò item tabula statim fracta carina mõstrata simul & præbita est, vt ferre interim sæuientis æquoris turbines, & minas fortiùs possemus quoad optata rediret tranquillitas. Quam mihi rem, tu & amicè, & opportunè gratularis: nã tot nobis Alberti Amitini nostri Principis moribus & doctrina rarissimi, hospitium contulit, vt nil commodiùs extra patriã exhiberi potuisset: cuius consuetudinem, quanquàm experiar quàm sit optima, tua tamen illã oratione ita extollis vt regno præponas & patriæ, quod officium si antea præstitisses, fortassè auidissimam & anxiã nimis desiderio mentem lenisses: Et quanquàm nos, quod nostrum est, multiplici iure regnũ (ita enim tibi placet ditionem paruulã more veterum appellare) breui speramus consecuturos, ea ipsa tamen consuetudine minimè quod scis ob viciniam fraudabimur, quin & tantò illa futura suauior est, quantò quæ voluntate quàm quæ necessitate fiunt iucundiora existimãtur. Cæterùm rediit ad nos poëma nostrum miro stupore perculsum, quod sibi secus euenerit, ac cũ reis agi consueuerit, quãdoquidem solent aut pœnas dare carceris, aut inustis fortasse notis dimitti: Saltem obelos astericos miniatas cærulas nõ effugiunt, laude se nihilominus cumulatum, & quidem multiplici fuisse à te prædicat: quod equidẽ à tanto viro factum nullo pacto credidissem, ni epistolã mihi tuã pro testimonio produxisset. Optassem equidẽ vt ipsum quoq; pupugisses, quo illæsus potuisset egredi, & sanè mihi videtur amici iudices censoresq; delecti, vt post publicationẽ operũ quærere debere, quod in libris propugnẽt, sic antea quod oppugnent, quando ista veluti Sciamachia perstricti ad vera obtrectatorũ certamina munitiores paratioresq; euadunt: In aliis si quæ modo cudentur (nam pedestris oratio liberior, & mihi abhinc decennium multò familiarior est) videbimur fortasse tibi etiã in vniuersum obsequentiores: Et certè Poëta is apud multos feliciter scripsisse putabitur, adeò vt nec ipse queat reprehendere, cui Sandalium Veneris culpatum est, qui eundem videlicet semper tenorem, filumq; semper idem seruauerit: Et si Cyclici scriptoris tonitrua fuerit exorsus, respõdeant vltima primis, & si humili fonte scaturierit, non rapacẽ mox exurgat in fluuium. Frequenter tamen moneri solent poëmatũ opifices, alio stamine narrationem, alio reprehensiones, paraeneticem alio & incitamenta texẽda, quod equidem arbitror ab oratoria schola defluxisse. Tua ego poëmata, q̃ tu censes cotis instar edita, semper admiratione digna iudicaui, cùm ob multas virtutes, tùm ob eximium candorem, & inaffectatam illã facilitatem, quàm multa penè possit affectatio consequi, quorum multa memini olim me in opusculo nostro quopiam inter prima postremæ adolescentiæ rudimẽta edito laudauisse. Non equidem vt tibi adularer, cuius vitii nomine nec inimici me arbitror (modò me nouerint) vnquàm damnârunt. Sed vt alios tui exemplo à vitandis obscœnis arcerẽ ad excolendam religionem prouocarẽ, cuius muneris parte, tùm puto maximè implentur, cùm nil falsi, nil fallacis, nil antiquæ superstitionis admiscetur, & prophetæ exemplo, nec antiquorum deorum memoria per labia fiat, nisi cùm optimus inciderit locus vt profligentur. Aueo quæ nuper scripsisti perlegere, & quæ mihi Ptolemæus frater recentes elucubrationes à te perscriptas affirmauit magna cum delectatione cernere, vicissimq; si id placuerit, mittemus nostra permutãtes: χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων quod vt facias quæso, & quanquàm χρύσεα daturus es, tamen non est timendum vt φρένας ἐξέλετο Ζεύς. Carpi 11. Calen. Sextilis, Anno M.D.V.

IOANNES FRANCISCVS PICVS

Io. Thomæ filio Sal.

CVm te iam Grammaticæ metas præteruectum cernerẽ, fili charissime, & per humaniores disciplinas quasi per floridos campos exspaciantem, vt inde arduum dialectices & spinosum collem conscenderes, ea de re si quæpiam tibi præciperem, consentaneum duxi: Neque enim non conuenire indulgentissimi vnquàm parentes

rentes existimauerint,vt aliquid mihi oneris subeundum putem, quo tu nō ab onere solùm maximo leueris, sed ne flexuosis quoq; ambagibus deterreare, quin recto & inoffenso itinere, per collem istum deuectus, ad summū sacrorum eloquiorum verticem perducare. Erratur enim hoc temporis plurimū cōsuetudine praua, quod & pessimi coluntur duces: Nec sunt qui senticosos, & plenos veprib⁹ calles perpurgare moliantur: Quotus enim quisq; nō pauore consternatur, non horrore diffugiat, qui hanc ipsam disciplinā aliarum penè omniū magistram percepturus est. Et cùm primum in scholas aditū tulerit, actutùm audiat: Terminus est signū orationis constitutiuum, vt pars propinqua eiusdē: Quis etiā valentior aliquanto progressus, nō remoretur modò, sed pedem referat, cùm terminorū suppositiones, vel de longinquo subodorauerit. Sed & illud discentibus, & quidē eximium incommodū obuenit, dum Aristotelis organum aggressuri sunt, & primo quasi in limine offendunt excogitatas à neotericis inexplicabiles quæstiones, dixerim an veriùs ambages, quæ tametsi vegetū alioquin reddere ingenium queant, seorsum tamen præbendæ iuuenibus, & inter physicas, & metaphysicas ediscendæ: A quibus cùm Porphyrius dialectices Isagogen scribens, ex proposito abstinuerit, ipsi de industria ante fores inculcant: Sophismata Britānica taceo, quę vt sunt hominum sæpè inuersa iudicia, veris & solidis Aristotelis philosophi præceptis præponuntur. Consultius fieret, si eo illa different loco discutienda, quò magnus ille dialecticæ doctor, de sophicistis elenchis argutissimè subtilissimeq; disseruit. Eisdem enim regulis vniuersa dilui soluiq; possunt: His ipsis impedimentis sæpenumerò contingit, vt multorum annorum dispēdium patiantur iuuenes, nec laboris etiam sui fructum nisi serò promant & marcentem veriùs quàm præmaturum: Via enim (vt ille inquit) incipientibus opus est, & ea plana, tùm ad ingrediendum, tùm ad monstrandum expedita: Quinq; itaq; libros, de arte Dialectica & ad te, & pro te scribere proposui, quorum primo quæ prænoscenda putauimus discenti concluduntur de nomine, de dignitate, de inuentore, de scriptoribus artis, de vsu & de alijs nonnullis, quæ veluti introductoria censentur, quibus & delectatione illinitur ferè, & aspergitur, quodam ceu melle animus, ne statim acida illa & sub amara dialectices pocula persentiat. Quatuor reliquis ars ipsa tradetur quodā quasi naturæ ordine: cùm enim tribus veluti officijs noster animus in cognoscendo fungatur singulis eorum singuli dabūtur libri. Primo enim de Cognitione rerum simplici vocibusq; quibus ea declarantur disseremus: Secundo de illarū Compositione, id est, enūciatione consequenti ordine decernemus: Quæ quomodo colligantur, & verò syllogismo claudantur, Tertius liber ostendet: Quoniam autem in discursu ipso, ratio sæpenumerò fallitur, & vera pro falsis hallucinantes desumimus, Vltimo de falsa ratiocinatione disputabimus, & quibus regulis verum cognoscere & ab errore discernere possimus pro virili monstrabimus.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Iacobo Fabro Stapulensi S. P.

NEc eram animi dubius, Faber doctissime, si quæ de Vanitate doctrinæ gentium concepissem, ea ipse literis mandarem, calumniam me pro gratia apud multos habiturum, neq; ignorabam eis ipsis vsui euenturum, quod plerisq; solet, qui constitutum in animo habēt, se ab amicis quod magnopere desiderant non reportaturos. Quamobrem desinūt eos adire, & quod in votis est quęrere, cuius facilè compotes fierent, ni antea sibi animū praui iudicij obstinatione penitùs obfirmassent. Sed apud me sanè plus potuit veritatis amor, quàm timor calumniæ: scripsi enim ea de re libros sex. An verò plus apud illos obstinatio potuerit, vti nolint cōsequi, quàm si voluerint poterunt veritatis cognitionē? ipsi suo periculo viderint. Eos ad te libros mitto, vt eorū & lector esse possis, & iudex, quorū primis tribus quicquid ferè vanitatis à vetustissimis illis gentiū sapientibus atq; philosophis, per varias sectas diuisis & diuersa numerosaq; successione propagatis cōmissum est, & narratur, & arguitur. Tres autē reliqui Aristotelis dogmatibus infirmandis accincti, agmen cogunt. Existimo autem veritatem gratiorē tibi, quàm vulgi sensum futurā, quam tuam etiā erga gentiū philosophos, & ipsum quoq; Aristotelem gratiam, quanquam illum es præclaris commentarijs interpretatus. Fui & duplici alio nomine ad id faciendum subinuitatus, & quod ex Phile-

ex Philesio auditore tuo resciui olim, te nostris lucubrationibus delectari, tuaq; ad illum epistola certior factus sum, te libros de Prænotione rerũ, & alia quæpiam nostra Germanis typis excusa volumina, tibi adsciuisse, & quod tanta est tua in præclaro Parisiorũ Gymnasio vel doctrina, vel auctoritas, vel vtrum quod, vt facilè si hæc tibi placuerit, alios qui istic degunt, excitare possis ad veritatem, non per transennã, sed intimè & proximè perspiciendã. Idq; magis te facturũ confido, cùm perceperis monstratũ à nobis gẽtium philosophos instar terrigeni exercitus mutuo (vt est in fabulis) vulnere concidisse, & quod attinet ad Aristotelẽ, quem nunc penè omnes colunt, aliter sese habere rem quàm putabatur, eoq; etiã magis, cùm videris, non solùm in trib⁹ superiorib. libris, celebratorũ omnium philosophorum examen, sed in 5. maximè & 6. non Ephecticorũ & Sexti Pyrrhonij seuerissima bilance, non libra arrepta de Porticu, non Academię varia trutina, non statera senis Gargetij, nõ examine vel à Galeno, vel ab Auicenna mutuo accepto, qui omnes nõ ita propendere Aristotelẽ vt pleriq; autumant, censuerunt, sed nostro potiùs quantulumcunq; est, examine, & quod de ipso Lyceo Aristotelem sumptum est, in perpendendo Aristotelem nos vsos fuisse. Vale.

LILIVS G. GYR.
Ioanni Francisco Pico Sal.

QVamplurimi sæpè & multùm ex me, doctissime Pice, quæsiuêre, ac penè conuitio efflagitauêre, vt quæ ad hanc diem volumina scripsisses, ea (quod me videbant plurima eorum tenere, etiam abs te dono mihi data) non temporum ordine seruato, sed quodam potiùs doctrinarum encyclio atq; connexu recenserem. Id quidem ego, vt amicis communibus gratificarer sæpè tentaui, sed (vt ingenuè fatear) vel quod alijs distringor negocijs, vel potiùs quod à te multa composita sunt, quę vel ego non vidi, vel ob multijugam doctrinam, parum mihi sunt cognita, malè res cessit, frustraque id oneris subiui. Te igitur iterum atq; iterum, Pice optime, rogo atq; etiam exoro, vt id tu per te efficias, atque tuarum lucubrationum & vigiliarum studiosis, ac mihi pariter, rem gratissimam facias: cuius nomine & ipsi, & ego plurimum tibi debebimus. Vale.

EPISTOLA DE OPERIBVS LITERARIIS IOAN. FRANCISCI Pici, & Ioan. Pici eius patrui: quæ & quadriennio antea præposterè impressa fuit, & omnia non continebat opera, Ioan. Fr. Lilio suo Sal.

QVoniam desideras vt meorum ordinem librorum * exinuem tibi, morem gerã, difficilẽ tamen cum ipsum ordinem inuentu esse non ambigo, & si quibusdam voluminibus eorum quę olim à me Vuolphius extorsit, & in Germania formis excudenda curauit, aliquem per epistolam ordinem indiderimus: Absolutus tamen ille non est, nec planè integer, nec omnium omnino librorum. Nam postea multos composuimus, quos diuersis temporibus, diuersis etiam ex causis elucubratos, te in primis nosse opus est: diuersis etiam in locis scriptos, nunc domi, nunc in expeditionibus, & tumultib. etiam plusquàm ciuilibus, & aliud post aliud volumen, & scriptũ, & editum est, vt cohęrere ipsa inter se difficile te arbitrer iudicaturum. Quare si hunc ordinem tibi narrare velim, vereor ne eum ab omni esse remotum ordine iure comperias. Materias verò singulorum operum, si sub examen reuocauero, & ad instituendum in doctrinæ studijs hominem, & ad summum quod est in literis euehendum aptauero, ordinẽ fortasse illa ipsa inter se opera quempiã, nec forte omnino vulgarem videbuntur agnoscere. Dixi summũ quod est in literis, nõ quod aut in me, aut ipsis in meis libris quicquã summũ agnoscam: Sed quia Dei lumine sup nos signato, & iisdem nostri affulgẽte oculis animi, in lectione optimarũ literarum versatis deprehenderim fortè, qd sit supremũ illud & summum: idq; ipsum alijs inter scribendũ ingesserim. Nam quicunq; doctrinę studijs addicunt sese, vt verum internoscatur à falso, dialectica opus habẽt facultate. Qua de re vsui illis esse possum⁹, quinq; de logica institutione editis libris. Inde ad philosophiã sese naturalẽ præclara conferre solẽt ingenia, quo in genere composuimus, De Appetitu primæ materiæ librum, & librũ quoq; de

* enarrem

Elementis. Ac preterea de Anima rationali in Aristotelem scripsimus commētaria,& de Imaginatione volumen, de rebus autem metaphysicis,& Theologicis in defensionem Ioannis Pici patrui, pro libro eius de Vno & Ente libellum edidimus, & eius Apologiam à Petri Garsiæ calumnijs vindicauimus, librumq́; reuelationum Hieronymi à Samuelis Cassinensis impugnatione defendimus: pro quo etiam ab laqueo excommunicationis eximēdo, duos libros edidimus. Cæterùm de causis calamitatum nostræ tempestatis librum scripsimus, in quo & inanes,& perniciosas cùm vulgi, tùm Mathematicorum opiniones eliminauimus. Librum etiam de Diuina prouidētia in quo primū, quid Aristoteles & Auerrois decreuerint, narrauimus: deinde quid nostri ea de re Theologi,& sanctiùs, & veriùs sanxerint, nostra quandoq; intermiscentes ab eorum dogmatis non abhorrentia. Attamē quia possent homines, per inanem decipi philosophiam, vel ei nimiò plus incumbere, idcirco vt à minus vtili studio auocentur,& ad id quod in votis omnium literatorū debet esse, se totos vertant: Duo de Studio diuinæ & humanæ philosophiæ libri sequuntur. Quoniam verò ij fortasse minus subtiliter scripti videri potuissent. Sex in Examen vanitatis doctrinæ gentium & veritatis Christianæ disciplinæ libri editi sunt: quib. humana omnis sapientia ducitur in controuersiam: quorū in librorum initijs potissimùm,& inter disputandum sæpenumerò, sed semp in finibus, nostræ literas & dogmata religionis asserimus. Sed ne magis cōfutasse falsa quàm vera cōprobasse reprehēderer, in eoq; plus & operę, & tēporis posuisse, quàm in hoc ipso, scilicet, vt asserere nostra: Theoremata de fide & ordine credendi publicum arripuêre. Verùm quoniā fides nisi amore nitatur, mortua dicitur esse, quatuor de Amore diuino libri, sese ingerunt alacres: quò cū peruenerit humani excursus ingenij, tū progredi non datur vltrà, sed nec retrogredi quoq; fas est. Verùm vsq; morari, in ipsoq; versari & consentaneum est,& apprimè necessariū. Amanti autē incumbit, vt ipsum conseruet amorē, vt sese in aliquo exerceat, vt caueat quæ amori possint officere: propterea nō deerūt Epistolarū varij generis libri septē, si tamē inter epistolas reponendi sunt. De Imitatione ad Bembū libelli duo. Non deerit & opus aliud in nouē distinctū volumina, cui titulus est de Rerū Prænotione, quib. vanæ & noxiæ præsensiones confutantur,& verę ac religiosę cōprobantur. Nec etiā deerit quæstio Parisiensi propemodum exarata stylo, in qua de Præsensionib. genethliacis, deq; omni eiusmodi vanitate disputatur, libellū quoq; eodem pene stylo edidimus, tempore dissidij in Iulium Pontificē concitati: quo per conclusiones seu manis speculationes aut theoremata nuncupare, de suprema authoritate differebatur: titulus est resolutio potestatis ecclesiasticę, sed ei manum extremā nondum indidimus. Adhęc de Imaginatione libri vltima pars suffragabitur, vt vanę repelli phantasiæ queant, & tres libri de Morte Christi & propria cogitanda: quibus tàm imaginatio, quàm mēs,& dirigi facilè possit,& erigi. Ac ne nimio timore qui solet plærunq; esse noxius, angatur vitæ amatoriæ deditus, regulas quas pro extrudendis cōscientiæ scrupulis edidimus, ei profuturas facilè coniectamur. Oratio item de Reformādis moribus ad Leonem Pontificem & Synodum Lateranensem edita, omni hominū ordini & maximè principibus viris commodo esse poterit. Carmina prætereà de expellenda Venere heroico versu tibi dicata: quo in genere & de mysterijs cœlitùs in Germania lapsis cecinimus, eodē item carmine octo hymni editi sunt, quorum tres, qui sunt ad Trinitatem, ad Christum, ad Virginem, nostris quoq; commētarijs expositi,& elegiaco argumēto quoquo modo aperti. Quinq; alij Laurentio, Geminiano, Martino, Marię Magdalenæ, Antonio dicati sunt: Adnotationes prætereà in sacra eloquia veteris & noui Testamēti fecimus. Adnotationes itē in leges ciuiles & pontificias, non omnes, sed eas in quib. vel inuentio, vel emēdatio, vel clarior, aut vberior expositio, id ipsum mihi vt probè fieri posset suggessêre. Hęc adhuc sub incude tractātur. Sic & liber de Humana pfectione, vbi continētur cognoscendi, volēdi, agendi, si nō omnino numerosissima, ac certè vtilia,& futura (sic arbitror) grata bonis ingenijs theoremata. Ad hæc & ad S. Franciscū,& angelū custodem,& aliū cœlitem, hymnos carmine heroico scripsimus: q alijs iuncti vndecimū referunt numerū duodecimum ad Paulū Apostolum meditamur hymnū. Atq; vt illa omnia superiora, vel edita iam, vel proximè edenda sunt, ita adnotationes ipsæ viuentibus nobis fortasse nunquàm exibunt: quoniam qui adnotandi & obseruandi finis erit, idem vitæ futurus est. Nostrorum quoque temporum histo-

historia eadem lege premetur, quoniam non deerunt ætatis nostræ progressus, quorum gesta chartis commendemus, eoq; libentiùs posteris edendæ historiæ relinquimus curam, quod non solent ita æstimari, Aristotele authore, & teste experientia, quę proximè ab oculis recessêre gesta, si literarum monumentis referantur, ac ea quæ aliquot antea sæculis euenêre, sed cum exoletis & antiquatis nimium posthaberi: Accedit quod qui vera scripturi sumus, offensam multorum sine vlla posteritatis vtilitate facilè contraheremus, quam quidem longa dies & præscribet, & abolebit. Sed enim particulares quasdam historias olim scripsisse recordamur, id est, vitam & mores, Ioanni Pici patrui, & Hieronymi, pro quo & aduersus inuehentem Samuelem vnum, & duos de anathemate libros edidimus, vt quæ de Græco vertimus in Latinum, & alia minoris curæ monumenta prætercam. Si desiderio tuo fecimus in parte satis, gratum habeo, si minus, alium hunc ordinem per artes liberales, & omnes humanę, & diuinæ philosophiæ partes diffusum intuere. In Grammatica, multa scripsimus in trium hymnorum commentarijs, siue de ea parte ratio habeatur, quæ loquendi regulas tradit, siue de ea intelligas, quæ in exponendis versatur authoribus, cùm historiæ, aut locorum, aut gestorum, aut temporum solent enarrari, vt mittam quæ peculiari, & congruenti ordine rei Theologicę, de qua hymnos cecinimus aptantur: Scepticorum etiam rationes, à nobis aduersus Grammaticam relatæ sunt & paraphrasi quadam expressæ in tertio examinis de Vanitate doctrinæ gentium. In eodem libro eorummet philosophorum in Rhetoricam artem argumenta declarauimus, ac duo de Imitatione libelli nostri etiam num pertinent ad Rhetoricam: & Oratio quoq; ad Pontificē & Synodum, vti puto, non abhorret à præceptis Rhetorū. In Dialecticis, quinq; adsunt libri logicarum institutionum, quibus in libris Aristotelem & qui ab eo fluxêre, sum magna ex parte, nec minori diligētia secutus. Contra logicos verò & in 2. & in 3. Examinis de vanitate doctrinæ gentium ex Pyrrhonijs institutis multa disputantur. Et in 5. eiusdem operis contra libros posteriorum Analyticorum Aristotelis plurima exarantur: non iam ex Pyrrhonijs excursionibus, sed passibus ipso in Lyceo confectis. In Arithmeticam, Geometriam, Musicam, Ephecticorum aliorumq; armis philosophorum, hoc est, gentium, gentibus ipsis bellum indictum est. In Astrologiam quæ pertinet ad motus dimetiendos eodem in libro 3. de Vanitate gentium doctrinæ fit excursio, proprijs non alienis velitibus: quanquàm mihi Ioan. Picus patruus auxiliares copias subministrauit: Seorsum verò in quæstione, stylo prope Parisiensi edita, de triplici Astrologia differitur. In quinto autem ex nouē de rerum Prænotione libris, ipsa Astrologia diuinatrix magno conatu reijcitur, in quo & si patru⁹ mihi fuit auxilio, rependi tamen vices quoquomodo, dum Lucij in eum Bellantij eo ipso in libro argumenta retudi. In philosophia naturali, de Appetitu primæ materię secūdum Peripateticos liber extat, & alius de Elemētis, non iuxta communiter philosophantium dogmata, quorum opiniones sub examine reuocantur. De Anima rationali commētaria in Aristotelem perscripta sunt. In tertio quoq; de Vanitate doctrinæ gētium, scepticę in physicos & morales philosophos argumētationes explicantur, & ad moralē quoque Philosophiā tàm vltima libri de Imaginatione pars, quàm regulæ aduersus scrupulos, & adnotationes in sacra eloquia, atq; in leges ciuiles & Pontificias pertinebūt. In sexto verò eiusdem examinis per omnes fermè libros Aristotelis discurrens, quæ Peripatetici vocant indissolubilia ipsius philosophi argumenta, ea posse dissolui (ni fallor) aperui, nec in naturalib. tamē modò libris, sed etiam in metaphysica facultate, ad quam pertinere etiam potest defensio de Vno & Ente pro Ioan. Pico patruo edita. Et de diuina Prouidentia liber, quanquam propriè magis ad nostrā is pertinet Theologiam. Ad quam etiam multa spectāt ex libris de rerum Prænotione, & maximè ipsa de Fide Theoremata, ac ipsi quatuor de Amore diuino libri, & tres de Morte Christi, & propria cogitāda, & duo de Studio diuinæ, & humanę philosophiæ: nā mores & ipsi diuinos indipiscendos concernunt, sicut & is quem inscripsi de Imaginatione, & alius cui titulus est de veris causis calamitatū nostræ tempestatis, & ad Pōtificem Synodumq; Lateranū oratio: & liber de humana Perfectione ad omnes ferè literarias pertinens facultates. Sunt etiam nonnulli quos suprà memorauimus libri, varia doctrina permixti; & maximè volumina epistolarum. In Theologia verò magis pura & antiqua magis, annotationes in sacra eloquia. In ea verò quæ apud Parisios colitur,

defensio Apologiæ Ioan. Pici patrui, aduersus Petri Garsiæ calumnias: & quæstio de Astrologia: & resolutio supremæ potestatis ecclesiasticæ: & alia nonnulla sparsim. In iure autem ciuili & Pontificio, præter adnotationes, duo extāt de excommunicatione, & vnus inter exponendum caput quoddam Hilarij in decretis Pontificijs repositum, cuius suprà non memini, eius tamē materia summè Theologica est. Porrò in historia, nostrorum gesta temporū, & vita Ioan. Pici patrui, & Hieronymi: & præter hæc omnia, carmina quoq; Theologica, quorum suprà mentionem fecimus. Item nonnulla quæ de Græco vertimus in Latinum, Iustini martyris, & Chrysostomi, & Theophrasti. Atq; hæc ad annum ætatis nostræ, quem iam expleuimus quinquagesimum, & humanæ redemptionis, vigesimum supra millesimum, & quingentesimum. Ioan. verò Pici patrui mei opera, te nō puto ignorare. Heptaplum, Apologiam, de Vno etiam & Ente librum, quæ fuerunt, dum vixit, edita. Post eius autem obitum à nobis instaurati sunt, duodecim libri contra Astrologiam, & Epistolæ circiter quinquaginta, & vnica Oratio. Quæ autem nōdum instaurata, hæc habentur: in Psalmos commentaria, in quibus reficiendis assiduam operam impendimus, & multæ quoque schedæ fragmentorum, quæ si fauerit Omnipotens, collecturum me spero, ne pereant. Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS, MIRANDVLAE Dominus, &c. Bilibaldo Pirckheimero suo salutem.

CVm ad pontem Oeni, tu quidem Reipub. tuę Legatus, ego verò ob propria negotia Cæsarem sequens, casu quodam conuenissemus, coràm petisti, vt orationis eius ad Leonem Pontificem Maximum, & Concilium Lateranens. destinatam te compotem facerem, & literis tuis, postquàm in Italiam redij, id ipsum postulasti. Nunc eam tibi habere potes, quam tum non potuisti, neq; enim fas erat, vti prior vllus eam haberet sibi, quàm is ad quem mittenda erat, sed mirę expectationis, aliquā Iohanni tuo Cochliti vsuram, cum oratione ipsa Bononiam misi, Hymnis tribus cōprehensam Martino, Magdalenæ, Antonio, qui postquam ex Germania in Italiam, indeq; in patriam ditionem perueni, præter quinq; alios, diuersis in locis olim formis stanneis excusos, æditi sunt. Cæterùm si me amaueris, ad communem amicum Iohānem Reuchlin alligatam epistolam curabis perferendam, & interim bene vale nostri memor. Mirandulæ Calend. Aprilis. Anno Salutis, M.D.XVII.

LEONI DECIMO PONT. MAX. Ioannes Franciscus Picus fœlicitatem.

CVm lucubrationes meas omneis tibi Leo Pontifex Maxime, multis de causis debeam, nolui committere, vt hoc quoq; Examen, in tuo nomine non prodeat in publicum. Quod & si aliqua nostra volumina præcesserunt, tibi etiam dicata, in quibus illud ipsum sæpenumerò citauimus, nuper tamen est editum. Quandoquidem grande opus & laboriosum citiùs non potuit absolui. Existimo autem me temporis dispendium, operis compensaturum vtilitate, tibi etiam, nisi longissimè fallor, comprobanda. Si per occupationes tuas, si per animi laxamenta, si licebit quod scripsimus aliquando perlegere. Vale feliciter, Mirandulæ tertio Idus Iulij, M.D.XX.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLAE Dominus, Sancti Pagnino Lucensi, Prædicatorij Ordinis S. P. D.

DIci non facilè posset, quantum honestæ syncereq; voluptatis perceperim, quàm ingenti fuerim perfusus animi gaudio, quum tuis literis factus sum certior, perductas esse (vt aiunt) ad vmbilicum in vetus Testamentum interpretationes tuas. Quid enim aut iucundius, aut vtilius, omnibus qui Sacris versantur in literis, contingere potuit, quàm summa & diligentia, & cura, ex Hebræa in Latinam trāslata linguam, diuina illa monumenta? Ego quidem (vt de me dicam) post Latinas & Græ-

& Græcas literas multis laboribus versatas, cùm nihil aut parum profecisse videar, vt antiqua ipsa nostræ Religionis arcana prorsus haurirem, nisi & Hebræas perdiscerē, conducto Hebræo Isacio, Iochanæ illius, quem Ioannes Picus patruus meus sibi magistrum asciuit, filio, eo vsus sum præceptore. Sed bellis, quæ plurima mihi illata sunt, impeditus, & quib. incumbebam voluminib. absoluendis distractus, quam parum à calce promouerim, tu ipse testis, cui me postea erudiendū tradidi. Nam quanquā matura ætate, & etiā prouecta, nonnulli magnos in literis Hebræis progressus fecerunt, haud tamē (par referas pari) si à primis, vt aiūt, vnguiculis, stridētia illa & anhelātia verba resonauerint: Quò magis probandus labor ille tuus, & egregiè pertinax diligētia, in impendēdis annis quinq; super viginti trāslationi tuæ, qua non senes modò & decrepiti, sed pueri balbutientes & infantissimi (modò ignari Latinę linguæ penitùs nō fuerint) compotes futuri sunt omnium mysteriorum. In Philosophia verò Naturali, & in Disputatrice, quę nunc plurimùm in vsu, Theologiæ Candidati, prętér illa & cōdiscēt & admonebūtur, tractari multas quæstiones apud se, (& anxias quidem plurimū) quas eruditissimi viri vix opere longi subsellij dissoluant. Quæ quidem quàm faciles, quàm nullo nexu perplexæ sint, tua ipsa interpretatione manifestū fiet, tantū abest vt qui te summis efferre laudib. deberent, capere ansam calumniæ meritò possint. Inania enim illa obiectamenta, laborasse Hieronymum in vtroq; Testamento, ac partim interpretis, recognitoris partim & castigatoris officio perfunctum: quo fieri vt frustrà tantū operę insumatur in vertendis in nostram linguam literis Sacris. Nam pręter antiquā illam ipsius Hieronymi censuram, in eos homines, qui quòd ipse interpretaretur sacra, iniquo ferebāt animo, nec post 70. interpretes, post Theodotionis & Aquilę editionē, post hexaplos Origenis, noui quicquā saporis admittebant in animum, & præter nouā illam Erasmi, qua vituperationib. huiusmodi, ac multa quidem & eruditione, & diligentia, cùm respondet verbis, tùm factis ostendit, se in castigando laudē, & quidem pręcellentem mereri, non inanis laboris nomine, aut condemnari, aut suspectū haberi debere. Illud certè ausim affirmare, si integram illam sentētiam legeremus, quam rogatis Damasi Pontificis tulit Hieronymus: cùm ea exemplaria, quæ cū Græca consentirēt veritate, decreuit. Si diligentiam eius in veteri Testamēto vertendo inuiolatam conseruatamq; haberemus, si obelos & asteriscos agnosceremus, & præter ea, si execrationes eius ad illos, qui eius ipsius describebant libros, viguissent vsq; ad nostra tempora, frustrà tùm laborare qui facta facerent. At quum vtrumq; Testamentum non parum multis locis vitiatum, qui Græcè, & Hebraicè sciunt animaduertāt, qua iniuria id condēnare, quod laudib. ornari maximè inter bona iudicia cōuenit? An Clemens Pontifex de libris ediscendis, & libris transferendis legem tulit in Concilio Viennæ habito? Quis aūt noua & corrupta exemplaria, veterib. & incorruptis conferat? Qui linguas, à quibus per diuersos traduces ad Latinos deuenêre non nouerit. Fuit & Augustini illius magni sententia, relata à Gratiano inter Pontificia decreta, veteris Testamenti fidē, de voluminib⁹ Hebręis examinandā: Nam Noui quidē veritatem, pręter Hieronymū, & innumeros alios, ipse quoq; Augustinus sanxit, Græci normā sermonis desiderare. Quod si Hieronymi & Augustini seculo, in literis peregregiè florenti, tanta erat difficultas incorruptæ seruandæ lectionis, quid post Gothos & Vandalos sumus aliud dicturi quàm multa confusa, corrupta pleraq; fuisse? Sicubi autem vicinia literæ suasit, interpolandum aut inuertendum quippiam, quod ignari faciliùs perciperent, aut indoctorum insinuauit pertinacia discipulis delendū aut inducendū, quò magis ipsorum sententia fulciretur. Vt igitur qui de turbidis fluentis syncerè potare nequeunt, ad purum fontem pro restinguenda siti, iure se conferunt, ita qui in variarum vtriusq; deesse videtur, Testamenti translationum, quibusdā quasi Labyrinthis fatigati, regium iter non facilè inueniunt, ad originem, hoc est, ad Gręcę & Hebraicæ linguæ primordia, vnde illa ipsa Labyrinthi fila religata ducuntur, sese recipere debent. Quibus tu quantum attinet ad vetus Testamentum, non suffragatus modò fueris, sed laborem dempseris, si se tibi qui eas ignorant literas, planè crediderint. Valc. Cal. Iunij.

IOANNES FRANCISCVS PICVS.
Sancto Lucensi Sal.

QVum mecum & nostræ ætatis & aliquot seculorum studia reputo: multi eorum qui literis operam & diligentiam impenderunt, comperiendæ veritatis gratia, mihi planè similes eis visi sunt, qui æstu fauces excruciati, exposito ante illorum oculos aquę fonte purissimo, aut cœnosos gurgites, aut semiturbidos canales exquirerent restinguēdæ siti. Duplici (ni fallor) nomine culpandi, & quòd ea qua pressi sunt molestia non leuantur, & quòd frustrà pluribus quærunt, quod magno emolumento paucis consequi possent. Nam dum per Ethnicorum Philosophorum doctrinas, quasi per lutulentos aquarum alueos, multis etiam circumactos Meandris, meliores annos terunt, prætextu siticulosæ mentis verò saturandæ, magno cum temporis dispendio frustrà sudantes, & sitim inflammantes, quæsitum eunt id, cuius compotes facilè fierent, si animaduerterent in vicinia positum, non fontem scilicet, non flumē, sed vastissimum Oceanum viuæ & dulcis aquæ, eundemq; & breui gyro cōclusum, & haustu facilem, hoc est, vtrumq; sacrarum literarum instrumentum, vbi quicquid ad rerum notitiam eam qua paratur felicitas, magna siti, atq; omnibus omnium mortalium expetita vobis, non omnium tamen actionibus quæsita, & latè patet, & nō multis laboribus apprehendi potest. Occurrerent multa facillimè hoc in negocio disserenda: sed quoniam & aliàs alibi hac de re scripsimus, præcipueq; in libris de Studio diuinæ humanæq; Philosophiæ editis intra nostræ iuuentutis exordia, & nuper maiore, & cura, & diligentia, & opere vanitas doctrinæ gentium à nobis detecta est, & Christianæ disciplinæ veritas celebrata, sex voluminibus sub Examinis titulo publicatis, ideò retraham vela, mecum tantummodò reuoluens & præsentis, & superioris æui, in profanis voluminibus versandis, & inanem, & nimiam curiositatem. In tractandis autem sacris illaudatum, neglectum plenumq; dispendij. Nam si constat Orpheū cognitis, quæ scripserat Moses Palinodiam cecinisse, si Orphei perimitator Homerus, quem Gentium consensus literarum Principem, & Iustinianus Imperator virtutis patrem appellauit, (ita est eum antiquitas demirata) si Homerus, inquam, vt est à vetustis atq; doctissimis nostræ religionis autoribus traditum, & malorum hominum pœnas post obitum, & superborum gigantum fractos ausus, & cœli terræq; cōditam molem, & terrestrem Paradisum, didicit à Mose, & à Regij sanguinis Propheta Luciferi casum? quem postea lusit & in pœna Tityi, & in Othi, & Ephialtis pugna, & in Achillis scuto, & in horto Alcinoi, & in deijciendo ἄτλω ab Olympo, quid causæ est, vt qui carminibus oblectantur, idem vereantur addiscere, non quòd delectet tantummodò, sed etiam maximè iuuet, non quòd ludant aut iocentur, sed quòd seriò tanquàm iter substernant felicitati? Eoq; alacrius atq; iucundius, quando non solùm Orpheo & Homero, sed etiam gentiū Dijs, quos illi suis phanis celebrârūt nugis, vetustior omnium penè Historicorum, Græcorum consensu, Moses etiam priùs fuerit author Heroici carminis, illustrium Scriptorum testimonio. Si Pythagoras, atq; eum in vltramundanis rebus secutus Plato, & in Aegyptia peregrinatione à Sacris literis didicere multa, & in proprios Philosophiæ libros transtulêre, quod non solùm Numenius, Hermippus, alijq; gentium Philosophi, sed non parum multi quoq; nostræ religionis Theologi scriptum reliquerunt. Illud sanè literis mandatum est Platonem, cùm alia, tùm præcipuè Ideas à Mose non ritè decerptas, Iouis hortos ab irriguis Salomonis campis euulsos, suis libris inseruisse, & Attici Mosis cognomentum apud nonnullos obtinuisse Pythagoræos, & Resurrectionem corporum extremiq; iudicij metam in animum admissas, in decimū de Republica librum sub resurgētis specie Militis refudisse. Si Clearchus Peripateticus, & post Clearchū alij Aristotelem à viro Iudæo perdoctū, memoriæ prodiderunt. Deniq; si alij quoq; gentiū magni & celebrati authores Poëtæ, Oratores, Philosophi magnis laboribus per Sacrarū literarum Pelagus eremigârunt suæ & aliorum siti & inediæ cōsulturi, cur nos aut pudet, aut piget, in earū dulci & tranquillo Oceano sedare sitim? & nostris retibus balenas vice obsoniorum in littus ducere, vnde illi minutos pisciculos malè compactis hamis extraxerūt? & pauca enim ex illis disseruerunt, & inter disserendum sategerunt veritatis nitorem vel falsis superstitionibus, vel infirmis inuentis, atque inter se pugnacibus obnubere: neque enim poterant cæcutientibus animi oculis lucem splendidissimi iustitiæ Solis intuêri. Maxima

xima itaq; cùm restent, pacata, nitida, semperq; supersit quo proficias. Sunt enim diuina illa & Augustissima scripta, humani autē & Augusti cogitatus nostri. Num ab illis potiùs ceu magistris probatissimis atq; diuinis, discem⁹, quàm ab humanis improbatisq; discipulis? q paucis veris atq; insyncerè perceptis, plura falsa miscuerūt. Narrare ausim nisi vererer excedere præscriptum Epistolæ terminum, quàm præcellentem, quàm synceram, quàm copiosam, & facilem veritatem, ex omnib. diuinis libris haurire nobis datum est, & quàm omnia illis humana scripta longissimè subsidāt, & quàm non difficulter in singulis omnia in omnib. singula liceat inuenire, tametsi aliquanto conspectiùs aliqua è quibusdam partib. eluceant, vt Dei omnipotentia & rerū naturę primordia in Mosis voluminib⁹, Dei iustitia eiusdemq; veridica promissa, in Naue filij scripto, Dei clementia & protectio mirabilis, ostensa diuinitùs in Regū, Ducum, & populi Iudæorum gestis. Dei prouidentia nunquam satis celebrata, in Prophetarum oraculis & Iobi carminibus. Delectus & moderatio degendæ vitæ, rerum pereuntiū contemptus, syncerus amoris in Deum impetus, in Solomonijs monumentis. Atq; isthæc omnia in eius Patris diuina voce sæpè laudati, numerosis Hymnis. In quib. pręter alia delitescebat opertum, quod Dei Filius aperuit, quod eius Apostoli diducto literæ cortice reuelârunt. Num & hæc ipsa quæso te, in Sacris literis, & faciliùs discerēt, & feliciùs multi? quàm alijs in lucubrationibus affectiones Entis, quàm fundamenta relationum, quàm de Subiecto doctrinarum laboriosas & anxias quæstiones, quàm alia parum vtilia, ne dicā vana, quib. identidem affliguntur irrequieta mente, & lassata semper, nunquam satiata? Præstò enim occurrit viro acris ingenij, in quod argumenta fundere queat: Cōtrà adsunt mediocriter docto & in literarijs conflictib. versato, vnde repelli argumenta possint. Nam qui præter antiqua Dialecticæ præcepta & nouas regulas, etiam nostræ tempestatis morem inter disputandum, & cōcipiendi quęcunq; imaginationi occurrunt, & minutissimè quę occurrerunt distinguendi, vt hinc inferre, inde referre literalia queas prælia, probè percalluit, & necti posse quoquomodo quod offertur, & pariter solui posse, quod connexum est, nullo erit pacto negaturus. At solui scripta sacra non posse, Iesus Deus & homo sua voce sanxit. Adde quod Theologorum nomen, quod à Sacris literis planè sortiti sunt, vniuersaliter profanare, cùm eas aut posthabent, aut plusquàm par est, miscent inaniter humanis inuentis: pura enim illa à pura luce profecta, puris animis auidè suscipienda sunt. Sed ante omnia purganda est acies mentis ab omni vitiorum inquinamento, sumpta si fide saluberrimo purificādi cordis antidoto, quo prauæ pellūtur affectiones efficacius, quàm praui humores helleboro. Quo tamen vsus fertur Carneades, vt eos eijceret alioqui nocituros contemplabūdæ menti. Deinde opus est assiduo pertinaciq; studio, indefessa cura vigilantissimaq; diligentia. Quò magis te Sancte, iure optimo laudandum censeo, qui Sacras colere literas non desinisti, qui ipsum earum Oceanum tui ingenij & studij naui sæpè sulcasti, & quæ supernatârunt, tanquàm inutiles algæ, librariorum errata, quodam quasi diligentię Zephyro pepulisti. Quare vt pergas oro, vt quod agis agas maturiùs, quib. possum viribus obtestor, quo tādem quod inchoatum habes, & multis annis versatum in manibus, & cum Hebræo exemplari frequenter collatū vetus Testamentum, per te etiam ex Iudæorum propria lingua in nostram, eorum & literis approbantib. magna ex parte conuersum, aliquando perficere & in publicū dare possis. Nihil enim veram Theologiam nosse volētis, aut gratum magis aut vtile facturus es, quàm si Nouo Testamento, quod nuper ad Græcum exemplar castigatum plurimi legunt, vetus etiam habuerint tua diligentia & opera, in nostram ex Hebræa lingua ritè translatum. Qua quidem in re non possum, nō habere, & tuo, & omnium in literis sacris benè audientium nomine gratias Leoni X. Pontifici Maximo, quem ex tuis literis accepi opem tibi contulisse non paruam, vt iuuare possis ipsarum literarū studiosos interpretatione tua: secutus enim exemplum est hinc Laurētij Medicis parentis sui, cuius fauore & impensis magna (sic dixerim) Grecię pars migrauit in Latiū: hinc Damasi Pōtificis, cuius patrocinio curaq;, & castigata Græca olim per Hieronymum, & conuersa in Latinum Hebræa sacrarum literarum monumenta. Adeo tamē vitiata tot seculorum decursu, vt nostris temporibus veræ studiosi Theologiæ, & Damasi rediuiuam curam, & Hieronymi operam subinde renascentem sæpenumerò desiderauerint. Vale Mirandulæ 11. Cal. Iulias.

IOANNES FRANCISCVS PICVS
Lud. Ar. Sal.

NOn est cur meos desideres rhythmos, qui lingua vernacula, in ipsis adolescentiæ feruoribus exciderunt: Eos enim mihi cùm suasit philosophia, tùm persuasit religio vt in minutissima frusta discerptos ventis committerem: Sed quos tibi Ferrariæ memoriter recitaui, quoniam sedulò requiris, quoniam promisi, mitto: Primus est affinis illius tui gratia compositus, qui dum mecum esset in Germania, rumpebat aures crebris suspirijs & singultibus: Bestiolam quandam, cui nomen diuæ fecerat, identidem repetens: Quapropter vt ad sanitatem reduceretur, hoc ipso carmine Dialogi vice, suspiria compressi.

.A. .I. .A.
Lasso. che hai. Mia diua ei sospir tetri
Hanno medi me stesso tracto fuori
.I. .A. .I.
Peggio hai. per che. per cio che ogni hor tu mori
Che quella Segni Anchor che gratia Impetri
.A. .I.
Anci piu vitæ spero. anci feretri
Expecti Et che per suoi Circei fauori
Ti muti in bestia E per piacere dolori
Ti doni Erio vrlar per suaui metri
.A. .I.
Possio questo schifar. Sel fructo ei l fine
Di vener pensi, E come lega e sciolue
Incende aggiaciare in vn puncto Alza in Ruine
Come in infamia, Et in furore riuolue
Lani me che qua giu son peregrine
Poi epse in foco Ei corpi in pocha polue.

Secundum autem Rhythmum siue Hetruscum malueris Epigramma nuncupare, in Christi natiuitatē ipso die natali, dum inter Vindelicos moraremur ita effudimus:

Naque in tal Giorno il ben del vniuerso.
Del qual priuato in tenebre di errore
Molti anni Giaque E da lethal furore
De praui spirti fu quasi summerso
Ma lo eterno figliolo che lhomo perso
Essere non volse per immenso amore
Di Maria naque A noi, on de in terrore
Lo ardie de praui spirti fu conuerso
Exulti dunq; nostra carne in terra
Poi che assumpta dal verbo ha in ciel sua sede
Parata E. cum Pluton vincta ha la guerra
Fuga e lo amor terreno E dio cum fede
Cum speme Amiam che iusta mente Aterra
Il mondo chi del ciel e facto herede.

Tertium verò dum Romam pergeremus inter equitandum, vti de Natiuitate prius, ita de Morte, ipso etiam tempore monente composuimus: Nam triduo post solenni memoria celebrari debebat, quare ad hunc modum cecinimus:

Se el Pelican per conseruare la vita
Mortal de figli trahe del pecto il sangue
E lor pascendo se destruge e langue
Onde amariuigliar ciaschun in vita
Quanto stupir debbiam de la infinita
Botna di Christo qual si fece exangue
Spengendo il tosco de lo infernal angue
E per morte donando eterna vita

Ingra-

Ingrato nostro core che pur passegi
Dreto a piacer fugaci e tanto munere
Che maior non si da poni in oblio
Fermi ti priego Acio piu non vannegi
Fermi ti el giorno che presenta il funere
Del signor per il seruo ingrato e Rio.

Habes itaq; in scriptis quæ voce habuisti, promissum exolui: Tu nomen ex Ephemeride meum dispungito: Et Vale.

IOANNES FRANCISCVS PICVS MIRANDVLA
Conrado Peutingero Iureconsul.

SAlue, dum nonnulla cum Mantuano Principe negocia (vt quandoq; fit) agitarem, offendi Henricum hunc vestrum Augustensem Italis gratum, & cùm interloquẽdum in tui mentionem incidissemus, illeq; significasset, breui se Augustam rediturum, rogaui hominem, vt meis tibi verbis plurimam salutem diceret, & testimoniũ redderet meæ erga te propensæ voluntatis: Illi ipsi has ad te literas perferendas dedi, vt si verbis eius minus fortasse fidei præstares, vadimonium accederet literarum. Ego quidem cùm ob tuas virtutes, tùm quo me amore prosequeris, is sum quo vti potes arbitratu tuo. Cæterùm si me amplius demereri cupis, da operam, ne Vuolphius ille noster diutiùs me maceret, & mearum elucubrationum quas procurauit formis excudendas, expectatione cõtinua discruciet, iam penè peperisset Elephas, ex quo hinc meorum librorum grauidus ad eum Philesius discessit: Sed nos frigido sub cœlo nati, longi incubatus fœtura, maturiores fortasse partus editis in lucẽ. Quæso te, Vuolphio vel indigenti calcarib. œstrum epistolæ subinferas, vel torpenti Germana glacie vocis Zephyrum inspires: Nec ambigo nostrum Henricum non nihil caloris allaturũ ex Italia, ni fortè is tardiusculus accesserit, vtpote cui facilè remoram attulerint, tot nomismata veterum Imperatorum, quib. onustus ad vos proficiscitur, nec aliam ob causam, quàm vt tibi studioso antiquitatis gratificetur. Vale Mantuę 15. Augusti, properanti calamo. Anno Quingentesimosexto supra millesimum.

LIBRI QVARTI EPISTOLARVM
FINIS.

AD LEONEM DECIMVM PONTIFICEM MAXIMVM, & CONCILIVM LATERAN.

IOANNIS FRANCISCI PICI
MIRANDVLÆ DOMINI
de
Reformandis Moribus

ORATIO.

SI quis fortasse cuperet in sacratissimo N. Christianæ Reipub. conuentu atque consessu de ferendis legibus ad frenandam malorum hominum audaciam, vt verba fierent, ipse secum cogitet prius, quo pacto sit opus eos plecti, qui eas quæ à maioribus nostris ritè positæ, maximoque habitæ in pretio sunt, & habuêre contemptui, & nunc maximè habeant. Nec dubitabit de morib. hominũ qui tam diu collapsi iacent, instaurãdis, & ad normã positarũ iam legum redigendis orationem ante omnia haberi oportere. Nã tametsi nõ duxerim in cõtrouersiã referri debere ad sacrosanctã

istam Synodum de legibus,quibusdam ferendis præstare tamen existimo,vt à principibus viris,vt à Cardinibus ipsis,quibus tota nostræ Christianæ Reipublicæ moles, verti,regique convenit,sanctissima antiquorum Decreta patrum, & honestissima instituta custodiantur. Quod si fiat,populi facilè Antistites ipsos tanquàm animatas & viuas leges sequentur,atque ad normam pietatis & veræ disciplinæ reuocabuntur. Noua consulta atque Decreta neutiquàm aspernor,sed veterum custodiam sanctionum in primis duco necessariam, ad ea quæ iam prolapsa defluxerunt pijs primùm instauranda moribus,sæueris deinde legibus vincienda,adeò vt censoribus,vt vindicibus legum ipsarum atque assertoribus magis quàm legislatoribus opus esse non negem. Et quanquàm hac de re disserendi maius esse onus,quàm vt ferre facilè queã non sum nescius.Nam valẽtioribus egeret humeris, & vires robustiores exposceret, tamen quod suapte natura pertinet ad omnes,id à me alienum esse nõ cogito.Quod si ad hanc diem in tanta eruditissimorum hominum turba vel vnum quempiam conspexissem,qui hoc idem exactè sibi adsciuisset,mihi omnino cessandũ putassem. Sed quum de statuendis legibus sæpenumerò sermonem habitum norim, de legum custodia,vel nullum,vel tenuem,vt sunt hominum varia iudicia, varijs rerũ occasionibus mota.Non abs re mihi visum est fore,si quæpiam afferrem, vt faciliùs ad memoriam reuocarentur sanctissima priorum instituta, quibus obseruatis, nostra Christiana respublica & aucta est semper & conseruata. Posthabitis verò atq; contemptis,innumerabiles iacturas fecit, & nisi esset seruata diuinitùs, eo miseriæ & calamitatis prolapsa fuisset,vt frustrà nunc,Pater sanctissime Leo Decime,& vos Ecclesiæ Cardines & Antistites Conuentum haberetis,vt in meliorem statum redigi quiret, optabã certè vt ex doctissimorum hominum numero aliquis hanc sibi prouinciam desumpsisset,vt maiorem authoritatem,& potestatem in audientium animis habitura esset oratio, sed nuda fortasse veritas, puraque simplicitas viribus non carebit.De luxu,de libidine, de auaritia vitanda positas esse leges ab antiquis patribus, nemo est qui nesciat. De pietate, de iustitia, cæterisque virtutibus traditas esse normas,vel ineruditi nouêre,eas partim negligi,partim iacere plus etiam quàm volumus,experimur.Multi nostrę Principes reipublicę priscam simplicitatem in astutiam,castitatem in nequitiam,liberalitatem & parsimoniam in luxum & auaritiam conuertêre.Apud plerosq; religionis nostræ primores,ad quorum exemplum cõponi atq; formari plebs ignara debuisset,aut nullus,aut certè exiguus Dei cultus, nulla bene viuendi ratio atq; institutio,nullus pudor,nulla modestia,iustitia,vel in odium,vel in gratiã declinauit, pietas in superstitionem penè procubuit, palamq; omnibus in hominum ordinib. peccatur,sic,vt sæpenumerò virtus probis viris vitio vertatur, vitia loco virtutum honorari soleant, ab his qui suorum criminum quasi septa, & tanquam mœnia,& inauditã petulantiam, & diuturnitatem impunitatem esse putauerunt. Hi tibi morbi, hæc tibi vulnera sananda sunt,Maxime Pontifex,alioqui si mederi(quoniam id ad te multis de causis potissimùm spectat) recusaueris, vereor ne non fomentis jam,sed igne ferroq; is cuius vices geris in terris, membra ipsa affecta dissecet atq; disperdat,signa iam dedisse illum eius futuræ Medicinæ planè crediderim.An puellæ Deo dicatę in Brixiana direptione à religiosissimis abstractæ templis cesserunt militibus loco prædæ? An in Rauennati excidio sacerdotes trucidati? An in Pratensi clade sanctimonia olim celebratæ virgines prostitutæ? Quid aliud,Pater sanctissime? Quidnam aliud nobis intelligi dedêre? quàm sacras ædes & templa Lenonibus & Catamytis antea commissa, quàm nefarijs lupis optimi pastoris ouilia demandata, quàm virginibus olim dicata plerisq; in vrbibus septa in meretricios fornices,& obscœna latibula fuisse conuersa? Sed initia illa malorum,& pręgustationes vereor propinandæ nobis à perfidis nostrę religionis desertoribus potionis amaræ, & luctuosæ, ni bonis eam moribus auertamus,ni precibus & supplicationibus,non ex summis labris, sed intimis ex animi penetralibus iratum placemus Deum, cuius ad hæc monita & tanquam cœlestia tonitrua non aures modò arrigere visi sumus vt resipiscamus, sed deprimere, visi tanquã æthiopes ad prolabentis Nili strepitum obsurdescere, praua consuetudine affecti sic, vt audiamus suadentibus vitijs, obaudiamus monenti Deo optimo maximo,sapientissimo, qui se contemni ampliùs à nostro seculo nolle satis arbitror indicauit, signis atque portentis non parùm multis,pestilentia, fame cruentissimis paulò antè prelijs.
Quid

Quid enim aliud? aut si quid aliud, cur hoc tamen nostris insinuatum mentibus planè non rear? per tot cęsorum hominum millia, quorum cadauerib. & contecti sunt campi, & remorati fluuiorum cursus, eorumque cruore superum mare & inferum quasi quadam purpura infectum, nisi vt memoriam subeat innumera in nos collata beneficia nobis non debere esse ludibrio, scilicet Christus ille seruator humani generis tātum sanguinis effuderit, vt qui eo sanguine non rediuiui solùm facti, sed ditati etiam sunt, delicie̅tur in plumis? Quid plumarum feci me̅tionem, & scortorum præterij cateruas & greges exoletorum? & coëmpta & diuendita sacerdotia? Sperare poteram, Pater sanctissime, postquam ad supremum sacerdotij culmen euectus es, non malis artibus, non pudendis, vt pleriq; olim pactionibus & mercimonijs, qui per summum dedecus summum decus appetiuêre. Sed tua (ita mihi, ita non parum multis visum) gratissima humanitate fore aliquādo, vti meliorem in statum reformaretur Christiana respub. sed nec omnino desperârim, si adniti volueris, & tuæ isti humanitati, lenitati, facilitati, aliquid supercilij, aliquid rigoris, non nihil pœnarum admiscere. Danda est opera, Maxime Pontifex, ne quid detrimenti nostra respub. patiatur; bellum enim tibi cum multis, bellum, inquam, intestinum, periculosum, graue, quod auertendum est sæueritate disciplinæ. Luxum cohibe cuiuscunque ordinis; modum pone ambitioni, compesce indomitos, & effrenatos libidinis obscœnæ furores, suspectis sacerdotum (quod & legibus Ecclesiæ cautum est) contubernijs frena constitue, auiditati; & sceleratæ habendi cupiditati terminum præfige. Non concredita & commendata fidei sacerdotum, sed comesta verius ab illis & deuorata piorum virorum patrimonia vindica, & effice vt in bonos dispertiantur vsus, ne ampliùs ab impuris heluonibus, ab omnium scelerum gurgitibus absorbeātur. Qui auctionibus sacrorum pudendisq; licitationibus inuigilauerint, dent pœnas temerariæ mercaturæ. Qui non prospexerint commisso gregi, qui vanitati studuerint innumerę, superstitionibus, cōmessationibus, pudendis exercitijs, & familiaribus oblectati, vel corrigātur omnino, vel amoueantur à sacris, quandoquidem omnia fœdant exemplo, & prauæ cōsuetudine vitæ eos qui bene morati, & egregiè instituti sunt, planè corrumpunt, vt hinc nō plebis modò, sed omnis ordinis fiat lapsus in crimina. Nec sanè mirum, quoniā malū omen prodire de te̅plo Ioannes Chrysostomus censet, & Hierǫnymus scribit se inuenisse neminem qui seduxerit populos præterquàm sacerdotes, quos quide̅ si vel probè instituerís, volentes, vel nolentes coërcueris, vniuerso Christiano orbi ad bene de omni reformatione sperādum quasi signum aliquod sustulisse videbere. Potes, summe Pontifex, nec in terris alius potest; & quum possis, debes, & cùm debes nisi volueris, & curaueris vt fiat, quid sit periculi ex probatissimis eisdemq; diuinis exemplis animaduerte. Succurrat quæso tibi vetustus ille sacerdos, in que̅ filiorum nō vindicata scelera magna ex parte reciderunt, etenim qui præsunt alijs, non modò est opus vt sint innocentes ipsi, sed vt resistant nocentibus, eorumq; mala facinora compescant, & tum quidem ex Lebete carnes tridenti fuscinula subtrahebantur ab illis, quod peccatū sacra Regum testatur historia nimis grande fuisse, quin homines à Dei sacrificio retraheret. Nunc aūt malorum cateruis exemplorum plebs ignara, & à diuino cultu, & ab omni pietate deterretur. Illi cum mulierib. ea tempestate dormiebant ad ostiū tabernaculi. Nostra verò & in sacras ędes fit irruptio, & ab illis etiam (proh pudor) fœminæ abiguntur ad eorum libidines exple̅das, & meritorij pueri à parentib. commodantur, & condonantur his qui ab omni corporis etiam concessa voluptate sese immaculatos custodire deberent, hi postea ad sacerdotiorum gradus promouentur, ætatis flore transacto iam exoleti. Non igitur miremur si deierant & falsò vtrunque se nosse Sacrarum literarum instrumentum profiteantur. Quoniam nec quid eius nomen significet pernouere.

Ac memini puerum quendam, in episcopi locum ascitum, qui quoniam literas penitùs ignorabat, per iocum dum rogaretur, an magnos fecisset progressus in disciplinis, respondisse ingenuè, nondum se didicisse exordium eius orationis quam de more sacerdotes præfari solent diuina facturi. Noui & qui annuas sacerdotij pecunias, commendatas eorum fidei, spurcissimis voluptatibus & impendant, & impendisse glorientur. Hæc tu monstra, LEO Decime, tolerabis? hęc & videbis & patieris? patieris (inquam) vt ignorari literarum, vt ad omnia magis apti quàm ad tractanda

sacra,


ſacra,per ignominiam & contumeliam abutantur diuinis, & opes ad templa vel tuē-da, vel inſtauranda paratas, ad ſubleuandam pauperum miſeriam, à pijs hominibus qui iam vita ſunt functi deſtinatas, in alienos & prophanos vſus conuertant? Scribit Hieronymus eos qui rebus Eccleſiæ abutuntur ſimiles ſcribarum eſſe & Phariſæorū, & ſacerdotum Chriſti ſeruatoris ſanguinem mendacio redimentium. Equidem nec Dionyſij myſticam Theologiam, & diuinorum dogmata nominum, neq; ſubtilitates hypoſtaſeon, notionum, originum, & cęterarum diſceptationum, quæ in Lutetia Pariſiorum exagitatæ ad nos manârunt, ab omnibus exquiro ſacerdotibus, ſi ſe tamen dederent Sacris literis, & pręcellentium noſtrę religionis Antiſtitum doctrinis nauarent operam, multa ſanè commoda ad bene beateq; viuendū conſequi poſſent. Non eo ſolùm quòd multa diſcerent, & pro ſe magna, & ipſis vtilia, ſed quoniam eiuſmodi ſtudijs præſtaretur illis, vti faciliùs illecebris ſenſuum nuntium remitterent, cùm honeſtiſſimo in officio occupati, tùm ab ipſis ſtudijs admoniti, ad meliorem vitam nos eſſe natos, & hanc quam viuimus plenam eſſe ignorationis tenebris, ſi ſenſum, ſi humana ſolùm placita ſectari volumus, plenam ærumnarū, plenam calamitatum, ſi humanis fidem votis velimus, cuius etiam vitæ incommodis & tanquam ſtimulis inuitamur, vt ad eā quę futura eſt, libentiùs properemus. Quis (quęſo) mente paulo vegetiore non aduertat, prima hac in vita magis ad dolorem homines, quàm ad voluptatē natos? Tanto enim ſpatio nunquam aut bibere, aut comedere, aut vacare proli quiſquam potuit, quanto aut ſitiunt febrientes, aut mendici & obſeſſi eſuriunt, aut rei criminū torquentur. Id etiam emolumenti nanciſci facilè poſſent, vt frenarent ambitionem malorum omnium matrem atq; nutricem, quandoquidem omnia quæ magna corporeis & humana tantùm intuentib. oculis apparent, exigua videntur ſpiritualib. oculis, & æterna contemplantibus. Idq; ipſum iure optimo, quandoquidē terræ moles collata cœlo, inſtar eſt puncti, raris habitata locis, ſterili arena, noxijs ſerpentibus, ſitiq; deſerta, vaſtis inuia paludibus, altiſſimis interſecta montibus, profundiſſimis interpollata fluctibus. In hac exigua naturæ portione tumultuatur humanū genus, breuis & incertę vitæ, etiam ſi diuturna, ſi longiſſima, ſi ſtabili nixa fundamento videatur. Quid enim diuturnum mortalibus? ſi æternitati futuræ, & immortalis vitæ ad ipſum conferatur. Quid certum & ſtabile in homine, in quo nutant omnia? in quo vt externas taceā & circumiacentes moleſtiarum moles, ipſe conflictus pugnantium inter ſe qualitatum corporei temperamenti, bellum inteſtinum illi ipſi ciet identidem, & cōfecto bello minatur excidiū. Adde tenebras quib. humana mens ſibi relicta circūfunditur vnde & variarū opinionum prælia cooriuntur, & votorū ſibi ſuccedētium, ſubindeq; fluctuantium æſtus planè continui. Adde impetus hoſtiles, dolos, fraudes, iniurias. Adde & ſuperiorū mentium & inſultus & æſtus, vt veriſſimum ſit illud elogiū: *Vita hominis militia ſuper terram*. Militia dubio procul, ſed qua & victoriam, & coronā, & regnum, nobis in cœlo comparare poſſimus, eiuſmodi, vt nec animo capere, nec cōcupiſcere votis planè queamus, quoniā & animi & corporis fœlicitas quæ illic repoſita Dei amicis, eiuſq; legis cuſtodibus poſt huius vitæ curſum aſſeruatur, omnino ſuperet captum humanæ mentis, nec niſi Deo docente hominibus patefiat, nihilque omnino ſint, ſi ei conferantur fœlicitati, quæ vanæ vetuſtatis illuſtratores Poëtæ atq; Philoſophi commenti ſunt, de fortunatis inſulis, de fluminibus Nectaris, de via lactea, de reditu ad compares ſtellas, & cæteris quæ ad veritatem hallucinantes ſuis lucubrationibus inſeruere. Hæc illi & ſimilia de Sacro literarū otio nanciſci facilè poſſent. Sed ea ab omnibus nō extorqueo ſacerdotibus, at ne literas omnino ignorent, ne ſalis euanidi, ne lucis extinctæ notam gerant, & noſcant quæ ad eorum pertinent officium, hoc expoſco, hoc exigo, & ni pręſtent, planè deteſtor. In primis autem & vitę innocentiam, & morum diſciplinam, non exactiſſimam illam quidem & pręcellentiſſimam, ſed mediocrem. Non peto vt inſtar Hieronymi ſaxo pectus identidem verberent, ſed nec vt meretricum pectora baccatis monilibus, nec crepidas hydaſpeis gemmis exornent. Neq; etiam poſtulauerim, vt Hilarionis inediæ aſſueſcāt, ſed ne Sybaritarum cœnas aut æmulentur, aut ſuperent. Minus etiam efflagitauerim, vt in ſpinis & niue volutentur, more Franciſci & Benedicti. Sed quum mollem Cycnorum plumam ingenti pecunia mereantur, aut redimendis captiuis, aut virginibus nuptui tradendis iure optimo dedicata id planè damnauerim. Mediocritatem ſuadeo, præcel-

præcellentiam illam virtutum, quàm demirari faciliùs quàm imitari plurimi possunt, si sequi etiam maluerint, & laudabo & prædicabo. Sed neque ita rem ad viuum reseco, vt quum eos & largos, & faciles esse ad tribuendum moneo, ita moneam, vt velim eos omnino imitari egregium illud Martini, & celebratissimum facinus scindendæ vestis, vti mendicus, & frigore tremebundus pauper amiciretur. Verùm eos quibus abundant aceruì pecuniarum, monitos velim Martini exemplo, nudis vestes tribuẽdas, potiùs quàm coccineis atq; purpureis pannis cooperienda iumenta. Neq; item exigo in sacrarum sumptibus ædium censum vt omnem dispertiant, æmulenturque aut Sibyllina Cumis olim extructa delubra, aut Simandij & Artemisię pręruptas murorum moles & minas, aut Solomonia templa, aut etiam nostræ tempestatis Iulia ædificia. Sed libenter postulauerim, ne sinant corruere quæ ab illis structa sunt templa, à quibus ipsi opes tantas nacti sunt, vt multo auro dicantur Salmacidas noctes coëmere. Postulauerim ne Sacella à priscis olim frequentata patribus permittant histricum latibula constitui, fœdeq; adeò haberi & negligenter, vt sit sæpenumerò videre ferarum lustra, equorumque pręsepia & mundius & honestius asseruari. Quum nihilominus ipsorum cubicula interim auro splendeãt, & substrata etiam purpura longè pretiosissima sint, mensarum verò & coquinarum instrumenta opere cælato refulgeãt. His incommodis cùm aliarum beneficio sanctionum, tùm illius maximè custodia legis consuleres, Maxime Pontifex, quia sanctissimè cauetur, ne multa ab vno sacerdotia, quibus annexa sit animarum cura possideantur, Dispensatio, ita solet appellari, effecit, vt iam non multa, non plura, sed innumera teneant multi, qui ne diaconi quidem mererentur officio defungi, at eiusmodi rerum dissipationem non ego, sed Bernhardus tot antea seculis appellauit. Oppone te huic petulãtiæ, Pater beatissime, & vnum hoc inter alia negotium, & munus egregiè suscipe, vt qui luxu diffluunt, qui ambitione deferuent, qui vel coëmptis vel eiusmodi dissipationibus paratis sacerdotijs lasciuiunt. Qui leges deniq; ritè positas non obseruant, sentiant tuæ vim iustitiæ, atq; intrepidæ virtutis, vt si aliqua culpa teneantur erroris humani, ab eiusmodi tamẽ scelerum immanitate liberentur. Liceat bonis & modestis viuere, quibus nec otiosis in communi otio iam licet esse. Illis ipsis omnia arripientibus, & seruitutem in dicentibus maximam his qui eorum indigent opera ad famem tolerandam. Hoc si non egeris, Antistitum summe, si malis hominibus frena laxaueris, si iamdiu multumq; laxata non cohibueris, verear ne te Pontifice decidat eo nostra respub. vt dici non falsò possit, à libidine pudorem, ab audacia timorem, ab amẽtia rationem penitus esse deuictam, & in te bellum à nostrę religionis hostibus antè audias geri quàm parari. Si egeris, & vtilitatem omnibus, & tibi etiam gloriam non hanc solùm momentaneam & caducam, quæ parui temporis angustijs coërcetur, sed & stabilem & perpetuam, non in terris modò, sed in cœlesti sede comparabis. Nec modò timendum tibi ab exteris erit, sed intrepidè sperandum, venturos nostræ religionis hostes, ad nostræ fidei disciplinam, bonis exemplis faciliùs quàm vi & armis inuitatos. Redactum olim ad nostrę pietatis instituta terrarum orbem per apostolos efficaciùs sanctissimis eorũ vitę moribus, quam non modò Constantini Cæsaris legibus, prælijs atq; triũphis, sed etiam peractis ipso apostolorũ ministerio supra vim naturæ miraculis præclarissimi nostræ fidei assertores iudicauêre. Et quis rogo nobis assentiretur bonos mores suadentib⁹, si prauis ipsis abuteremur? Quis religioni quam colimus, initiari per nos cuperet, quos videret quod ore asserimus, factis pernegare? Præstat itaque in reducendis hostibus & desertoribus ad nostræ fidei pietatem, vt collapsos mores ad normam priscæ virtutis instauremus, quàm quod multi ambiunt, vt classe petamus Euxinum, & exposito in continentem milite, concussaq; maximis confectis prælijs Colchica Trapezunte, cruentata vexilla inferamus Armeniæ. Eia igitur Pater Sanctissime, & naturæ lege non scripta, sed nata, & reuelata diuinitùs disciplina, & maiorum tuorum sanctionibus atque decretis, & vtilitate simul & gloria excitatus, indue sanctissimum in desertores & impios saluberrimumque furorem, quo discant pœnarum agere formidine, quod virtutis amore deberent. Moses ille legislator, quanquam mitissimus, terrifica tamen percitus est ira, quum posthaberi Deum agnouit, & seueram in desertores pœnã exercuit. Deus & homo Christus Iesus omnium virtutum exemplar, irrogatas in se cõtumelias patientissimè tulit. Non tulit paterni honoris notam, quum

quum sacrilegos venditores, emptoresq; ex templo expulit, & flagello discussit. Et ille quidem vituli vnius aurei cultores, maxima est cæde persequutus. Et hic columbas vænales & turtures è templo voluit eiectas. Tu verò earum cultores vitularum, quę maximo numero in vrbe non stabulantur modò, sed dominantur, & auro, purpura, margaritis, more regio incedunt ornatæ, vt ad earum aspectum, nedum congressum plurimi & obbrutescant, & pereant, exilio saltem & honorum omnium mulcta non compesces? Tu sacras ædes sceleribus omnifariam prophanari, & in eis tot monstra Circæa grunnire permiseris? Tot Syrenes & veriùs tot Syrenum millia patieris, nauiculæ tibi diuinitùs commissæ, quantum in ipsis est procurare naufragium? Tu Dei Optimi Maximi templorum, tu Christi sanguinis mercatum sustinueris? Cuius supremum sacerdotium nullis mercimonijs es consequutus. Si clemens videris Pontifex, id pietati facilè adscribetur. Si nimis placidus, naturæ tuæ consuetudini, corporisque temperamento. Sed si posthaberi Deum eiusque legem patieris, & immania scelera passim, & nulla prorsus verecundia peragi, nullus erit tam iniustus rerum æstimator, qui vereatur id tribuere, vel malitię vel negligentiæ. Quapropter si attendere diligenter, & æstimare hac omni de re, de qua disseruimus, volueris, Pater Sanctissime, sic (ni fallor) planè constitues, vt leges iam ritè positæ, pœnæ saltem formidine custodiãtur, dabisq; operam exemplo non solùm & innocētia vitæ, sed animaduersionis in alios, ne quicquid collibitum fuerit, impunè fecisse audeant improbi, atq; ita & tibi simul & omnibus consules, & collabentem iam ac prope intermorituram Christianam Rēpublicam ab interitu vindicabis. Hoc omnis ordo, hoc consensio bonorum omniū exposcit & obsecrat. Quæ vbi per te acta fuerint, vbi pessimæ vitę mōstra, vel edomueris, vel extinxeris, ne postea repullulent, adhibenda erit legum cautio, & seuerior aliquanto disciplina. Non in vestibus modò & sumptibus, sed in studijs, Sacræ literæ vtriusq; instrumenti recognoscendæ, & cum antiquis & castigatis primæ originis exēplaribus conferendæ, vt ab erratis quæ vitio temporum, & librariorum incuria, in illas irrepserunt, omnino purgentur, solennes cæremoniæ de quibus fuêre olim quæpiam difficultates, prioribus oblatæ Synodis, statuendæ firmandęque sunt, quotidianæ preces redigendæ in statum, & probatum ordinatum ordinem, & veræ historiæ ab apocryphis nugis, segregandæ, præscribenda principib. viris officia, vt scelerata illa & nostræ Reipublicæ deletrix opinio licere quæ placeant, & à vulgi animis omnino amoueatur, & penitùs exulet. Sit inter ipsos Principes pax, & discordiarum finis, vt à diuturnis dissensionibus aliquando quiescamus, daturi operam eis officijs, quæ mortales euehunt ad immortalem vitam, & excedentem animantium omnium vota felicitatem.

IOAN. FRAN. PICI MIRANDVLAE COMITIS
DE MORIBVS REFORMANDIS
Orationis

FINIS.



BASILEAE,


PER SEBASTIANVM

HENRICPETRI.

Anno post Christum natum

cIɔ Iɔ c I.

Mense Septembri.



12.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm